MAGNA

BIBLIOTHECA

VETERVM PATRVM,

Et antiquorum SCRIPTORVM *Ecclesiasticorum.*

MO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE
X ALMA SORBONÆ SCHOLA CELEBERRIMO THEOLOGO
Doctore Parisiensi composita,

STEA STVDIO DOCTISSIMORVM COLONIENSIVM
Theologorum ac Professorum aucta:

VNC VERO ADDITIONE DVCENTORVM
IRCITER AVTHORVM, TAM GRÆCORVM QVI IN EDITIONE
Coloniensi, quam LATINORVM qui in Parisiensibus desiderabantur, locupletata,
Accuratissimè emendata, & in XVII. Tomos distributa:

on perfectiori ordine disposita, materiarum enim, de quibus scripserunt authores, seriem complectitur, & Historicam methodum per singula sæcula quibus vixerunt, in indice Chronologico copiosissimo continet.

TOMI XVI. PARS II.

Η ΣΟΦΙΑΣ ΠΗΓΗ



ΕΝ ΒΙΒΛΙΟΙΣΙ ΡΕΕΙ.

PARISIIS,
Sumptibus Ægidij Morelli Architypographi Regij.

M. DC. XXXXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX OPERVM

QVÆ IN HAC XVI. MAGNÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM TOMI PRIMA PARTE CONTINENTVR.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI, ANTE ANNOS L. SVPRA DCC. IN GALLIIS CELEBERRIMI EPISTOLÆ.

EX MS. MEMBRANACEO COD. BIBLIOTHECÆ NOB. ET CATHEDRALIS ECCLESIÆ SPIRENSIS

Descripta, & nunc primum excusa.

Opera R. P. Ioannis Busæi. S. I

PRÆFATIO AD CANDIDVM LECTOREM.

De Epistolis Hincmari.

HABES in hoc Opusculo, CANDIDE LECTOR, HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI Epistolas, nunquam, vt arbitror, à te conspectas, nunquam ab vllo auctore citatas, nusquam procusas. Paucæ quidem sunt, vt pote nouenario numero comprehensæ, nec stylo satis limato & polito conscriptæ, sed vtrumque egregie compensat earum prolixitas, & sententiarum grauitas. Prolixitas sane facit, vt quædam potius Tractatus vel Opusculi nomenclaturam deposcere videantur, quem & auctor alicubi non reticuit; sed malui MS. Codicis vetustissimi Epigraphen retinere. Neque me fugit plures eiusdem Auctoris, tum Epistolas, tum Opuscula reperiri posse: exstat enim apud L. SVRIVM Vita S. Remigij duobus libris ab Hincmaro explicata. Rob. quoque Bellarminus tomo primo controuersiarum citat caput vicesimum libri ab eo contra Hincmarum Laudunensem Episcopum scripti. Plures produnt Trithemios, & Centuriatores Magdeburgici. Nicolaus Sanderus in libro de visibili Monarchia allegat verba quædam ex epist. Hincmari ad Hadrianum Papam II. data. Papyrius Massonius in libro de rebus gestis Romanorum Episcoporum nonnullas alias citat Epistolas, eoque plures in annalibus Ecclesiasticis Amplissi. Cardinalis Baronius. Verum meum institutum non aliud fuit, quam beneficium à nobili Canonicorum Nemetensium Collegio acceptum primo quoque tempore diuulgare, & fidem meam, Cod. MS. redhibito, liberare. Dolenter siquidem memini, quanta cum rei litterariæ iactura, non semel doctissimorum hominum sudores, dum partus suos, alienosue, in nouum, vt ita loquar, premunt annum, telam vitæ exorsam præter opinionem præcidente Deo, in nihilum reciderint. Sed de hac re satis.

De aliis eius opusculis.

De tempore quo claruit.

Venio ad sæculum HINCMARI. Video enim in disceptationem vocari posse, quo tempore in Ecclesia DEI floruerit propter Ioan. Trithemium, qui, vt annotatum est in huius Præfatio. vestibulo, existimauit eum claruisse anno à natiuitate Domini 800. imperante CAROLO MAGNO. Verum aperte eum hallucinari perspicuis euinci potest argumentis. SIGEBERTVS Gemblacensis in Chronico suo asserit eum floruisse sub annum Domini 854. è vita autem excessisse 885. Anastasius Bibliothecarius Hincmari sychronius in historia de Romanorum Pontificum vitis typis primum Moguntiæ hoc anno expressa, eius prolixe meminit in vita Nicolai Papæ I. qui Pontificatum iniit ad annum Domini 858. Et in tomis Pontificiarum Epistolarum ab Xisto V. editis

exstar

extat epiſtola Nicolai I. ad Hincmarum data Nicolaus Sanderus, loco ante citato, ait ab eodem Hincmaro epiſtolam ſcriptam ad Adrianum Papam II. Nicolao annis 8. poſteriorem. Aimoinus in Francorum hiſtoria, lib.5. c.36. commemorat LVDOVICVM regem, Caroli Calui filium ab Hincmaro ſolemni ritu coronatum, quod accidit anno 877. & ibidem cap.41. Normannis Rhemos tendentibus fuga elapſum, quod contigit 882. Ac, vt hæc teſtimunia deſint, habemus ipſum HINCMARVM in his epiſtolis ſui ipſius teſtem omni exceptione maiorem. Poſtrema namque epiſtola nomine CAROLI Calui Imperatoris ad Ioannem Papam VIII. ab ipſo conſcripta eſt, qui Pontifex factus eſt anno 872. Prima vero data eſt ad Ludouicum Balbum ſub annum Domini 878. cum inauguratus eſt Francorum regno. Secunda ad CAROLVM Craſſum Imperatorem ſub annum 879. Tertia denique ad quoſdam Epiſcopos ſub annum 804. hoc eſt vno anno ante obitum, nam Sigebertus, vt ſupra diximus, annotauit eum inſequenti anno in viuis eſſe deſiſſe.

Reſtat vt indicemus, quid in huius Opuſculi editione à nobis præſtitum ſit. Primum omnia quæ in Spirenſi MS. Codice erant, ordine parum admodum mutato, deſcripſimus, exceptis binis, ternisue fragmentis, vel potius epiſtolarum aſſumentis, in quibus iiſdem fere verbis & ſententiis exponi deprehendi, quæ iá in altis epiſtolis expoſita erant. Eadẽ de cauſa à ſeptima epiſtola, quæ mutila eſt & manca, ac potius appendix ſuperioris epiſtolæ videtur, nonnulla reſecui. EPIGRAPHAS vel inſcriptiones ſingulis Epiſtolis nouas præfiximus; veteres, vti parum idoneas migrare iuſſimus. ARGVMENTA addidimus, quæ in Archetypo penę nulla erant, vt ſtatim in oculos lectoris incurrerent omnia quæ quaque epiſtola continerentur: multos enim ſolet tractationis prolixitas, ſi ſtyli accedat ruditas, à lectione mox abſterrere. ORAS item omnes Scripturatum Patrumque teſtimoniis non paruo labore cooquiſitis, & breuiſſimis ſummariis ad leuandā lectoris curam, ornauimus, verbaque Patrum, quia librarii incuria crebro erant deprauata, ita vbique deſcripſimus, vti nunc in emendatiſſimis inueniuntur codicibus, & non, vt in exemplari Hincmariano erant. Quod ſi tamen probabilis aliqua varietas in eo occurrebat, eam cum alteriſco ad marginem expreſſimus. In ORTHOGRAPHIA eiuſdem MS. exemplaris, nihil mutauimus, neque loco mouimus, niſi exploratas mendas & lapſus. Scripturam vocum quarundam illo æuo vſitatam reliquimus, vt KAROLVS & KAROLOMANNVS pro Carolo & Catolomano, HLOTHARIVS & HLVDOVVICVS, pro Lothario & Ludouico. PIPPINVS pro Pipino. *Parrochus*, pro parochus, *intellego* pro intelligo, *cottidie*, pro quotidie, *iiſdem* pro idem, *idem* pro iidem, *inreligioſus*, pro irreligioſus, *infra* pro intra, *beniuolentia*, pro beneuolentia, *inlicita* pro illicita, *adicere*, pro adiicere, &c. Quam ſcripturam alicubi ſeruatam non eſſe dolemus, vt primis ſtatim paginis in dictis Regiis nominibus, ſed eius vitio id factum, cui nulla religio fuit, in re tantilla, fide archetypi poſthabita, præuaricari.

Quid editioni epiſtol. acceſſerit noui.

De inſcriptione Epiſtolarũ.

De argumentis.

De marginal. annotation.

De orthographia.

IOANNES TRITHEMIVS IN *ſcriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo.*

Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, ex Monacho S. Dionyſii Pariſienſis, in diuinis Scripturis ſingulariter doctus, & in ſæcularibus litteris nulli ſuo tempore ſecundus, ſapientia & morum honeſtate cõſpicuus, atque eloquentiſſimus, ſcripſit non contemnendæ auctoritatis plura Opuſcula, de quibus ego tantum reperi ſubiecta.

Ad Eccleſiam Rauennatenſem, lib.1.
Vitam S.Remigii Epiſcopi lib.2.
Ad Vvalonem Epiſcopum Metenſem lib.1.
Epiſtolarum multarum lib.1.
De cæteris nihil vidi.

Claruit ſub Carolo Magno, & Ludouico eius filio, Imperatoribus. Anno natiuitatis Dominicæ 800. Et multa dogmata ſcripſit.

Plura de Hincmaro apud Baronium in Annalib. & Poſſeuin. in Apparatu ſacro.

A

HINCMARI RHEMORVM ARCHIEPISCOPI EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

AD LVDOVICVM BALBVM REGEM.

ARGVMENTVM.

B

Hincmarus iam ſenex à nouo Rege Ludouico rogatus, vt conſilium ſuum de adeunda pacifica Regni adminiſtratione ſuppeditaret, reſpondet, & allatis recentibus maiorum eius exemplis probat, id ex concordibus bonorum Conſiliariorum pendere ſententiis. Itaque eum hortatur, vt Conuentum generalem Primorum regni indici curet, qui remota omni ambitione & auaritia de neceſſitatibus commodiſque Regni decernant: deinde ſex capita præſcribit, de quibus in illo conuentu tractari poſſit, atque etiam media Regi ſuggerit, quibus executioni decreta mandari queant: nempe ſi ipſe per preces diuinum auxilium imploret, ſi contritione, confeſſione, & operum ſatisfactione Deum iratum ſibi conciliet, ſi proximum, id eſt, clerum populumque iuſtitia & caritatis exemplis ſibi deuinciat, ſi contra carnem ſuam, Deique & Eccleſiæ hoſtes bellum ſuſcipiat.

DOMINO HLVDOVVICO REGI GLORIOSO, sit semper salus & vita.

Cap. I.

Dominatio vestra mihi mandauit, vt ad vos festinarem venire, quia mecum de vestris, & sanctæ Ecclesiæ, ac Regni vtilitatibus tractare velletis: vnde vobis humili, ac certa responsione satisfactionē exhibeo. Sanctus Apostolus dicit. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Legimus in antiquis historiis, quia sæpe, quando reges constituti sunt, inter regni primores discordia orta est, quoniam aliqui sine aliorum consilio eius constitutionem vindicare sibi voluerunt. Quæ discordia non sine impedimento fuit pacificata. Legimus, quia boni reges constituti boοos sibi consiliarios adhibuerunt, & per bonos reges, & bonos consiliarios regnorum populi multa bona habuerunt, & per malos reges & malos consiliarios regnorum populi multa mala sustinuerunt.

(Rom. 15. Regib. necessa. esse boni cōsiliarii.)

Cap. II.

(Aimoin. lib. 4. de gest. Frācor. c. 67. ad ann. 768. Regin. lib. 2. Chron. an. 768.)

Vt de recentioribus historiis vobis proponam exempla: Quando Pippinus abauus vester ægrotauit, in infirmitate, de qua & mortuus est, apud monasterium S. Dionysii regni sui primores conuocauit, & eorū consilio disposuit, qualiter post eū filii sui Carlomannus & Carolus qui cū eo erant, regnū eius pacifice gubernarent. Mortuo autem illo, & cum magna deuotione sepulto, Carlomannus ad Suessiones, & Carolus ad Nouiomum venerunt, & decimoquinto die post illius obitum consilio & auxilio regni primorum in Reges leuati sunt, & vnusquisque de regni primoribus sine vlla contentione ad Regem suum conuenit. Post tres circiter annos mortuo Carlomanno in Salmontiaco, venit Carolus ad Corbennacum, & regni primores, qui cum Carlomanno fuerunt, illuc ad eum conuenerunt, exceptis paucis, de quibus non est modo necessarium dicere.

(Regino & Aimoinus, Carbonacum.)

Cap. III.

(Rhegin. lib. 2. Chro. ad an. 813. Aimoin. li. 4. c. 100. vocat Theoduadū Aquitaniæ villam.)

Mortuo autem Carolo Imperatore, & sepulto in Aquis palatio, regni primores, qui cum eo erant, miserunt ad Hludouuicum auum vestrum, qui erat in Teuroado: qui trigesimo die post mortem patris sui venit Aquis, & cum regni primorum consilio pacifice regnum disposuit, donec causa emergente, quam non oportet nunc dicere, inter illum & filios eius est orta discordia, pro qua magna pars de regni primoribus cum Hlothario perrexit, in Langobardiam.

Cap. IV.

(Aimoin. l. 5. c. 4.)

Mortuo Hludouuico Imperatore auo vestro, quidam de istius regni primoribus euocauerunt Hlotharium, & primores, qui cum illo erant de Langobardia in istud regnum. Et quidam de regni primoribus fuerunt cum Carolo patre vestro, & quidam cum Hludouuico patruo vestro. Interea cœperunt regni primores, qui cum tribus fratribus erant sigillatim certare de honoribus, quisque illorum, vnde maiores & plures possent obtinere: & parui pendentes Sacramenta de diuisione regni facta, & plus certantes de illorum cupiditate, quam de seniorum suorum, & de sua salute, & de sanctæ Ecclesiæ, ac populi pace, qui cum Hlothario erant, immiserunt illum in hoc, vt fratres suos exhæredaret, & regni primores, qui cum illis erant, adnullaret, quoniam ipse primogenitus, & in nomine Imperatoris erat. Illi autem, qui erant cum Carolo & Hludouuico dicebant, quia seniores illorū Hlotarii fratres erant, & per Sacramenta regnum inter eos diuisum fuerat: & illi nec genere, nec potestate inferiores erant, quam illi, qui cum Hlothario erāt, & ideo non se contra illos concrederent. Vnde mala multa & maxima increuerunt in terra, vsque demum inter carne propinquos & Christianos tātum malum, & tam grande periculum in Fontanido deuenit, quantum inter Christianos non accidit ex eo tempore, quo primum Carolus cum Raganfredo in Vinciaco pugnauit, sed non pro illa occisione, quæ facta fuit in Fontanido pax in regno prouenit, sed tamdiu illa miseria inter Christianum popolum, & carne propinquos mansit, donec, vellent nollent, & seniores, & regni primores in tres partes regnum diuiserunt, & per Sacramenta ipsam diuisionem stabilem esse debere confirmauerunt.

Cap. V.

Mortuo Hlotario, filii eius regnum illius inter se diuiserunt. Vnde adhuc illis viuentibus facta est firmitas per Sacramentum inter patrem vestrum & patruum vestrum Hludouuicum. Mortuo autem Hlothario filio Hlotharii post multas controuersias facta est diuisio inter patrem vestrum, & patruum vestrum Hludouuicum de parte regni Hlotharii. Mortuo autem Hludouuico fratre Hlotharii in Langobardia, requisita est patri vestro à fratre suo & à filiis eius pars de regno illius. Vnde adhuc viuente Hludouuico, sed & anno præterito tales deuenerunt miseriæ, sicut vobis sunt notæ: & hoc anno talis prouenit lugenda infelicitas, quæ per vniuersum pæne mundum, & per futura tempora merito erit in opprobrium.

Cap. VI.

Propterea videtur exiguitati meæ vestrum esse consilium, vt de antiquis Historiis, quantum potestis, attendatis, ne in exordio regni vestri inter primores regni de vestro regimine oriatur discordia, quæ non sine impedimento possit esse sedata: & regni primores, qui vobiscum sunt, sic seipsos & suas voluntates contemperent, ne alios istius regni primores ad scandalū per suam cupiditatem, aut negligentiam prouocent. præsertim, cum non habeatis fratrem, ad quem populus debeat se diuidere, sicut nec diuisus est Carolo Imperatore mortuo, sed se vniuit cum Hludouuico illius vnico filio. Nam si illi boni Barones post mortem Pippini cum duobus fratribus sic sano consilio egerunt, vt pax inter fratres reges & inter regni primores ac populum esset, multo facilius, nisi se inuidia & cupiditas intermiserint, vobiscum Deo adiuuante se ad Dei voluntatem, & suam salutem vnire valebunt: attendentes, quanta miseria accidit de discordia, quæ facta est inter tres fratres post mortem Hludouuici Imperatoris.

Cap. VII.

Vos scitis, quia pater vester prius Remis de constitutione vestra post illum in regimine regni cum primoribus regni sui disposuit: vbi, quantum recordor, maxime omnes regni primores fuerunt, excepto venerabili Abbate Hugone, & Bernardo Comite Aruernense: & omnes secundum dispositionem patris vestri in vestra regia constitutione consenserunt. Et quando proxime in Carisiaco inde disposuit, & nomina vobis descripta dedit quorum consilio & auxilio regni negotia disponere deberetis, (inter quos & Boso adscriptus est) omnes præsentes adfuerunt, excepto ipso Bosone, & Hugone Abbate, & Bernardo Comite Aruernico: & omnes, qui adfuerunt, in regia vestra constitutione consenserunt; sed & illi, qui cum patre vestro perrexerunt: Proptea sub celeritate mittite ad Hugonem & Gozlenum Abbates, & ad Bosonē,

& Conradum, & Bernardum, itemque Bernardum, Comites: & petite, vt talem locum, sicut eis commodius visum fuerit vobis & eis, qui in istis partibus sunt, sed & ipsis qui in illis partibus sunt, conuenire, prouideant, & vobis mandent, vt illuc veniatis cum primoribus, qui in istis partibus sunt. Et taliter quique conueniant, vt regnum non deprædetur, nec deuastetur, vt communi consilio de communi necessitate & vtilitate tractetis, qualiter illa capitula, quæ pater vester proxime in Carisiaco annuntiauit, ad effectum peruenire possint; quæ interim relegite & vos, & illi, qui vobiscum sunt, & mente recondite.

Cap. VIII.

Credo etiam, quia pater vester, postquam sciuit de sua infirmitate non posse conualescere, non dimisit, vt vobis de regni dispositione, quæ ad Dei voluntatē & sanctæ Ecclesiæ statum, & vestrum honorem ac primorum regni, & populi necessitatem, & vtilitatem sciuit, quædam specialiter non mandauerit. Propterea necesse est, & bonum videtur, vt illi etiam intersint, qui cum illo fuerunt: & omnes communiter de communi necessitate & vtilitate tractent. Ego etiam, licet minimus illorum, & debilis ac infirmus, in Dei & vestrū seruitium, & illorum obsequium Domino annuente libenter conueniam, &, si aliquid vtilitatis valuero cōferre, voluntarie faciam, quia necesse est, vt cum Dei & vestris fidelibus tractetis & disponatis.

Primo, qualiter nos in regimine regni cum honore & saluamento, ac supplemento de his, quæ necessaria sunt, cum regno ac domo vestra possitis consistere. Secundo, vt prælatum capitulum à patre vestro nuper in Carisiaco denuntiatum de honore sanctæ Ecclesiæ, & sacerdotum ac seruorum Dei debito priuilegio ad effectum perduci possit: & vt Ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, & Hludouici non fuerunt, ante annos viginti impositas, non affligantur. Tertio, qualiter regni primores cum debita securitate ac honore erga vos consistere possint, & cæteri nobiles homines in regno securitatem habeant, ne per diuersa ingenia à suis opibus, quas habere potuerint, despolientur: quia postquam radix omnium malorum cupiditas in regno isto exarsit, vt nullus, aut pæne nullus honorem, aut aliquod bonum sine precio posset adquirere, aut tenere, aut securitatē habere; pax & consilium, & iustitia, atque iudicium, sicut necesse fuerat, locum in isto regno non habuerunt. Quarto, vt inueniatis cum Dei & vestris fidelibus, qualiter istæ rapinæ & deprædationes in isto regno cessent, & miser iste populus, qui iam per plures annos per deprædationes diuersas & continuas, & per exactiones *ad Normannos repellendos* affligitur, aliquod remedium habeat, & iustitia & iudicium, quæ quasi emortua apud nos sunt reuiuiscant, vt virtutem nobis Deus reddat contra paganos: quia vsque modo iam ante plures annos locum in isto regno defensio non habuit, sed redemptio & tributum, & non solum pauperes homines, sed & Ecclesias quondam diuites iam euacuatas habent. Quinto, vt concordiam, quæ secundum Deum est, de qua nuper in Carisiaco pater vester mentionem habuit, inter fideles Dei & vestros haberi & vigere, quantum potueritis, satagatis, & vos talem erga eos præparetis, vt verum consilium vobis dare possint & audeant. Quia, sicut permultos audiui, multum deperiit de vtilitate in isto regno, pro eo, quia consiliarii, quod sciebant bonum & vtile, dicere non audebant, nec, vt dicerent, locum habebant. Nullus n. homo est sic sapiens, vt alterius non indigeat consilio, sicut scriptum est. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit, & qui confidit cogitationibus suis impie agit.* Sexto, vt inueniatis cum Dei & vestris fidelibus, qualiter pacem & amicitiam secundum Deum cum vestris sobrinis patrui vestri filiis habeatis, & mutuum adiutorium vobis ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ, ac vestrum honorem, atque communium fidelium vestrorum saluationem exhibeatis.

Cap. IX.

Cæterum, qualiter hæc ad effectum perueniant, & cætera necessaria inueniantur & assequantur, Deus est exorandus, qui vnicuique deuoto promittit; *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur illi.* Et item dicit. *Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te: id est, facere iudicium & iustitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Facienda est iustitia, non pro vllo terreno lucro, sed pro eo ipso quia iustitia est. Sicut scriptum est. *Iuste quod iustum est, exequeris.* Faciendum est iudicium pro iniquorum correctione, & pro iniuriam sustinentiū directione, non pro maleuolentiæ vltione: nec pro iustā causam habentiū oppressione. Nam qui iniuste iudicant nō iudicāt iudiciū, id est, iure ac legaliter dictum, sed præiudicium. Vnde, sicut Dominus dicit, *qui iniuste iudicant, iuste iudicati condemnabuntur.* Sollicite vnicuique ambulandum est cum Deo suo, & regi præcipue, qui sub tantis erit in pœnis in futuro sæculo; si malus fuerit, super quantos fuit in isto sæculo, in quo se à malitia non correxit, & non fecit iudicium & iustitiam, & non ambulauit sollicite cum Deo suo. Sicut n. homo subiectus vadit sollicite cum seniore suo, vt ea faciat, quæ illi placeant secundum Deum ad salutem, & secundum sæculum ad honorem & profectum, & si in aliquo fecerit quod seniori suo displiceat, hoc statim emendare festinat, vt ad gratiam illius reueniat; sic vobis necesse est, vt sollicite ambuletis cum seniore vestro Rege Regum vt de præteritis, quæ contra illius voluntatem fecistis illi per confessionem & cordis contritionem, & per opera bona satisfaciatis, & ab illius mandatis de cætero nō declinetis: & si per fragilitatem in aliquo lapsi fueritis, sicut ille, qui lubricat de vno pede, de altero pede vel manu sibi subuenit, vt restituatur: sic iterum per deuotionem & bonam operationem certate, vt ad gratiam senioris vestri Domini Dei reueniatis: quia peccantes, & non pœnitentes, Dominus diu, vt conuertantur, tolerat, sed non conuersos durius damnat. Sicut enim in vestra ætate audire & videre potestis, & de vobis, ne similia vobis eueniant, timere & cauere debetis. Et talem vos erga cultum diuinum, & sanctam Ecclesiam, ac sacerdotes & seruos Dei, cæterosque fideles vestros in omni statu manentes, & erga populum vobis à Deo commissum exhibete, vt vos diligant, & eos delectet tam in spiritali seruitio quam in temporali adiutorio, vbicumque vobis necesse fuerit, debitum obsequium exhibere: & plus vos delectet Christiana religio, & cordis humilitas, quam vanæ pompæ & voluptates carnis: quoniam quantislibet monilibus argenti & auri circumdetur, quibuslibet preciosis vestibus induatur, caro, quid est aliud quam caro? i. putredo, & filius hominis vermis, & puluis, ac cinis? Non vos tantum delectet per venationes insequi bestias siluestres, quantum pugnare contra carnis voluptates, & Dei ac sanctæ ipsius Ecclesiæ inimicos tam corporales quam spirituales: quia sicut dicit Dominus per Apostolum. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritales nequitias.* Non vos delectent tantum diuitiæ possessionum auri & argenti atque gemmarum, vt inter eos computemini, qui idola adorant, quoniam sicut dicit Apostolus, *auaritia idolorum seruitus est*, quantum fides, spes & charitas, iustitia, veritas, & iustum iudicium, quæ perducunt hominem in eis per-

Oratio ad Deū necessaria pro felici exitu conuentus. *Iac. 1.* *Mi. h. 6.*
Iustitia regi facienda. *Deut. 16.*
Deut. 25.
Sollicite Regi ambulandum cū Deo.
Rex impius in inferno tot erit subiectus, quot præpositus fuit in seculo.
Confessione, contritione & operib. bonis sati faciendū Deo post lapsum.
Deus nō pœnitētes diu tolerat sed durius dānat.
Rex vt se habere debeat erga clerum & subditos.
Regi religiō & humilitas commendatur.
Et pugna cōtra carnem.
Gal. 5. *Ephes. 6* *Colos. 3.*

seuerantem ad æternum regnum, & angelorum consortium.

Cap. X.

Quæ nunc verbis Dominationi vestræ dicerem, si corpore præsens adessem, hæc litteris suggero: quia de generalibus Ecclesiæ ac Regni negotiis sine generali primorum regni consilio & consensu, speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo, nec præsumo. Propterea mihi iam & ætate & infirmitate ac debilitate attrito, non necesse est à Dominatione vestra imponi, vt sine causa laborem, antequam ad placitum vestrum Dei & vestri fideles conueniant: & ego, qualitercunque potuero, fauente Domino, sicut prædixi, in Dei & vestrum seruitium, & illorum obsequium veniam. Si autem, quod Deus auertat, interim alicuius perturbationis causa euenerit & mihi notum facere Dominationi vestræ placuerit, pro scire & posse, & consilio & auxilio in vestro obsequio fideliter laborabo.

EPISTOLA II.

AD CAROLVM III. CRASsum Imperatorem.

ARGVMENTVM.

Commendat CAROLO *Imperatori, vt Ecclesiam Gallicanam pene collapsam restituat, Regni dissidia tollat, Ludouico Balbi liberis è Regni Primoribus idoneos institutores & consiliarios attribuat, qui eos doceant Ecclesiæ sanctæ priuilegia tueri, eiusque sacerdotes venerari, iustitiæ leges apud primores æque ac subditos sartas tectas conseruare, diuinum auxilium per preces crebro implorare, impios & sceleratos coercere, orphanorum & pupillorum patrocinium suscipere, humilitatem, caritatem, mansuetudinem erga omnes sectari, improborumque societatem & familiaritatem defugere.*

DOMINO CAROLO, IMPERATORI GLORIOSO Hincmarus Episcopus ac plebis Dei famulus, præsentem & futuram optat prosperitatem & gloriam.

AVdiens laudabilis fidei vestræ benignitatem erga filios sobrini vestri Hludouuici, quondam senioris nostri, gratias Deo retuli, petens, vt, qui dedit vobis velle, donet, quæ cœpistis perficere pro bona voluntate, & hoc tam per me, quam per familiares & subiectos mihi. Domini misericordiam oro, vt vestra potestas atque prosperitas in sua voluntate corroboretur, & vt in fide recta & operibus bonis perseuerantem de temporali regno quandoq; ad æternum perducat.

Cap. I.

Petit Ecclesiam reformari, Regni dissidia tolli, pupillis Regib. idoneos consiliarios attribui.

Precamur, Domine carissime, vt respectu Dei adiutoris & protectoris vestri regiminis, Regni huius Ecclesiam, quam Christus acquisiuit sanguine suo, sicut & per vniuersum orbem diffusam, apud nos in multis conlapsam vestro sapienti consilio & potestatis auxilio releuetis, & regni diuisionem consolidetis, ac primores ipsius compaginetis: & quæ in hoc regno propter dissensiones perperam aguntur, euelli faciatis, & istos iuuenes, Reges nostros, propinquos vestros & pupillos sine patre, loco filiorum teneatis, & eis regnum ab antecessoribus illorum successione dimissum per suggestionem Primorum regni huius disponatis, &, qui de primoribus cuique illorum conueniunt, ordinetis. Et si forte fuerint ex nostratibus, qui potius quæ suæ voluntatis sunt quam quæ ad honorem & defensionem sanctæ Ecclesiæ, ac ministrorum eius, & ad Regum ac regni pacem & tranquillitatem pertineant, facere velint, sapientia & potestate vestra eos reuocate; vel si fuerit necesse, comprimite, atque exteros aduersantes istis vestris filiis, & nobis omnibus vestræ Dominationi fidelibus defensionem solatii exhibete, quatenus & apud Deum debitam inde remunerationem, & apud sæculum nomen celebre habeatis.

Cap. II.

Et quia legimus de Alexandro Magno cuius pædagogus Leonides nomine fuit, quod citatos mores & inhonestum incessum habens, in pueritia, idem Alexander ex præfato pædagogo suo eadem accepit vitia, quæ adultus in seipso corrigere voluit, &, cum omnia regna vicerit, seipsum in hoc vincere non potuit: quoniam, vt quidam sapiens scripsit. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.* Et de filio Salomonis Regis legimus, quia relicto senum, & iuuenum vsus consilio, magnam partem regni perdidit, & non suo sed aui sui Dauid merito paruam partem regni ei Dominus reseruauit: istis iuuenibus fidelibus filiis vestris, Regibus nostris maturos ac prudentes, atque sobrios baiulos singulis constituite, qui oderint auaritiã, & eos verbo & exemplo iustitiam diligere doceant secundum scripturam dicentem. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram,* quoniam, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Cap. III.

Doceant eos verbo & exemplo sanctam Ecclesiam & ministros eius honorare, dicente Scriptura. *Presbyteris humilia animam tuam & magnatis inclina caput tuum.* Quibus Dominus dicit. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et, *Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles.* Doceant eos verbo & exemplo Ecclesiæ sanctæ Rectoribus atque ministris debita priuilegia Spiritu Dei condita, & totius mundi reuerentia consecrata seruare, Scriptura docente. *Lex Domini irreprehensibilis, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Et in Euangelio Dominus. *Qui diligit me, mandata mea custodit.* Et. *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Et Apostolus. *Qui dicit, quia diligit Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Et item Dominus in Euangelio contemptoribus mandatorum suorum. *Qui est,* inquit, *ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Cap. IV.

Doceant eos verbo, & exemplo regni primoribus, & cæteris regni fidelibus, atq; sanctæ Ecclesiæ defensoribus, vnicuique in suo ordine, competentem legem & iustitiam conseruare, dicente Scriptura. *Iustitia Regis exaltabit solium eius, & veritate solidantur gubernacula populorum.* Custodiant, & doceant eos caste ac sobrie & pie viuere, quia sicut dicit Scriptura. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & non habitabit in corpore subdito peccatis.*

Cap. V.

Proponant eis frequenter verba S. Cypriani, qui regis ministerium in nono grado abusionum aperte ostendit. *Regem,* inquiens, *non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Vnde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus Rectoris officium procuret. Sed*

qualiter

qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Iuſtitia vero Regis eſt, neminem iniuſte per potentiam opprimere, ſine acceptione perſonarum inter virum & proximum ſuum iudicare, aduenis & pupillis & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere nō ſinere; Eccleſias defendere, pauperes eleemoſynis alere, iuſtos ſuper Regni negotia conſtituere, ſenes, & ſapiētes, & ſobrios cōſiliarios habere, Magorum & ariolorum, pythoniſſarumque ſuperſtitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iuſte contra aduerſarios defendere, per omnia in Deo viuere, proſperitatibus animum non eleuare, cuncta aduerſa patienter ferre, fidē Catholicam in Deum habere, filios ſuos non ſinere impie agere, certis horis orationibus inſiſtere, ante horas congruas cibum nongustare. Væ enim terra, cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt. Hæc regni proſperitatē in præſenti faciunt, & regē ad regna cæleſtia meliora perducunt. Qui vero ſecundum hanc legem regnum nō diſpenſat, multas nimirum aduerſitates Imperio tolerabit. Et ſi rex his, quæ præſcripta ſunt, contraria ſenſerit, vel egerit, & in his contrariis perſeuerauerit, ſicut in throno hominū primus conſtitutus eſt, ſic omnes quoſcunque peccatores ſub ſe in præſenti habuit ſupra ſe modo implacabili in illa futura pœna habebit. Et non ſolum regi, ſed & omni qui in dominationis eſt poteſtate, tria neceſſario habere oportet: *terrorem ſcilicet, ordinationem & amorē. Niſi enim ametur Dominus, & metuatur, ordinatio illius conſtare minime poterit. Per beneficia ergo, & affabilitatē procuret, vt diligatur, & per iuſtam vindictam, non proprii iniuria, ſed legis Dei ſtudeat, vt metuatur.* Et in his, & aliis omnibus princeps ſemper Deum cogitet, & illi adhæreat: quia, niſi conditori ſuo pertinaciter adhæſerit, & ipſe, & omnes, qui ei conſentiunt, cito deperient. *Omnis igitur qui præeſt, hoc primitus tota animi intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio non dubitet. Si nāq; cæperit in actibus ſuis auxiliatorem habere Dominum, nullus hominum contemptui habere poterit eius dominatum. Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo. Ipſe eleuat de ſtercore egenum, & ſedere facit cum principibus populi ſui. Deponit potentes de ſede, & exaltat humiles.*

Cap. VI.

Ipſi autem baiuli magnopere prouidere debent, ne ſuper ſocios ſuos ſe extollant, ſed iuxta Scripturam dicentem: *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et, ſicut de Ioiada legimus, quia Ioas Regem puerum eleuauit, & vnxit in regem, imponens ei diadema, & dans legem in manu eius, vt ſecundum illam viueret, & populum regeret: & docuit ipſū iuuenem Regem vſque ad ætatem adultam. De quo ſcriptum eſt, quia bene regnauit ipſe Ioas, *quamdiu docuit eum Ioiadas.* Et S Gregorius admonet nutritores filiorum Imperatoris Græcorum, vt ea illis loquantur, quæ eorum mentes in charitate circa ſe inuicem, & erga ſubiectos in manſuetudine coniungant: ne, ſi quid odii inter ſe pueri conceperint, in aperto poſtea erumpat. *Verba*, inquiens, *nutrientium, aut* * *lac erunt ſi bona ſint, aut* * *venenum, ſi mala. Talia ergo* in pueritia *eis ſuggerant, quæ poſtmodum oſtendunt, quam bona fuerint, quæ à nutritorum ſuorum ore ſuxerunt.*

Cap. VII.

Debent etiam prouidere, ne tales illis in familiaritate iungantur, per quorum ſuggēſtiones ad iniqua opera, vel ad diſcordias inter ſe & illorum ſubiectos corda illorum pertrahantur, quia ſcriptum eſt. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Debent autem illis baiuli eorum perſuadere, vt non ſint inuicem inuidentes, inuicem prouocātes, ſed mutua dilectione coniuncti, & ad inuicem ſe adiuuare parati, quia, vt ſcriptum eſt, *frater fratrem adiuuet, & ambo conſolantur.* Si enim

Domine mi Rex, huius Regni Eccleſia, & miniſtri eius, ac populus hæc per vos obtinuerint, quantam mercedem & remunerationem inde apud Deum, & bonum nomen apud ſæculum habebitis, ex verbis Apoſtoli penſate poteſtis, qui dicit. *Qui conuerti fecerit peccatorē, ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum ſuorum.* Si ergo Apoſtolus ſpiritu Dei plenus de vno peccatore conuerſo tantam remunerationem promittit, colligat ſapientia veſtra, quantam de tantorum ſalute ac profectu remunerationem apud Deum habebitis?

EPISTOLA III.

AD EPISCOPOS QVOSDAM FRANCIÆ.

ARGVMENTVM.

PRo recta vnius & iuuenis Regis inſtitutione rogatu quorundam Epiſcoporum Hincmarus iam ætate prouectus hanc epiſtolam, vel, vt ipſe ca. 11. vocat, opuſculum ſcripſit, in quo primo docet Mundum à duplici poteſtate regi, Pontificia & Regali. Epiſcoporum, Regumque & omnium qui aliis præſunt munus eſſe canones & leges non ignorare, Deū timere, iuſtitiam colere, eos iudices cōſtituere, qui iuſtitiam diligant & auaritiā oderint. Deinde ex Adalhardi Abbatis Corbienſis, Caroli Magni propinqui, libello accurate & copioſe exponit, quo ordine & modo non in Palatio ſolum Regio, ſed toto etiam regno pacifice adminiſtrando olim fuerit vſurpatus. Itaque principio omnes Palatii miniſtros eorumque officia deſcribit: tum ſubiicit, quibus mediis pax Regnorum conſeruata fuerit, nempe crebris placitis, id eſt, annuis comitiis binis, Conſiliariorumque eorum delectu, qui nihil Deo, ſaluti ſuæ Regis & Regni anteponerent. Ac demum addit, qua praxi & ordine conuentus illi inſtituti fuerint.

HINCMARVS EPISCOPVS, AC PLEBIS Dei famulus.

Cap. I.

PRo ætatis & ſacri Ordinis antiquitate, poſteriores tempore, boni & ſapientes viri rogatis exiguitatem meam, vt qui negotiis Eccleſiaſticis & Palatinis, quando in amplitudine, & vnitate regni proſpere agebātur, interfui, & conſilia, doctrinamq; illorū, qui ſanctā Eccleſiam in ſanctitate & iuſtitia rexerunt, ſed & eorum, qui ſoliditatem regni tempore ſuperiore proſperius diſpoſuerunt, audiui: quorum magiſterio traditionem maiorum ſuorum didici: poſt obitum etiā Domini Hludouuici Imperatoris in eorum obſequio, qui pro filiorum eius tunc temporis Regum noſtrorum concordia ſategerunt, pro modulo meo frequentibus itineribus, verbis, & ſcriptis laboraui, ad inſtitutionem iſtius iuuenis & moderni Regis noſtri, & ad correctionem honoris & pacis Eccleſiæ ac regni ordinem eccleſiaſticum, & diſpoſitionem domus regiæ in ſacro palatio, ſicut audiui & vidi demonſtrem, quatenus in nouitate ſua ea doctrina imbuatur, vt in regimine regni Deo placere, & in hoc ſæculo fœliciter regnare, & de præſenti regno ad æternum valeat peruenire. Experimento quippe cognoſcimus, quia vas nouum, quo prius ſapore & odore imbutum fuerit, illud in poſterum diu retinebit, ſicut & quidam ſapiens dicit. *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu.* Et legimus, quomodo Alexander in pueritia ſua habuit baiulum nomine Leonidem citatis moribus, & incompoſito inceſſu notabilem,

quæ puer, quasi lac adulterioum sugens, ab eo sumpsit. Vode in adulta ætate sapiens & rex fortis seipsum reprehendebat, & vitare volebat: sed, vt legitur, cum omnia regna vicerit, in hoc seipsum vincere non potuit.

Cap. II.

Regum est timere Deum & colere. Psal. 2.

Intelligat igitur Dominus Rex, ad quod officium est prouectus, & obaudiat commonitionem atque comminationem Regis Regum dicentis ei cum aliis regibus. *Et nunc reges*, inquit, *intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*: sicut multos hanc commonitionem & comminationem negligentes periisse legimus, audiuimus, & etiam nostro tempore scimus. Obaudiat etiam sanctam scripturam sibi præcipientem. *Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quia in maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Sap. 1.

Cap. III.

Ezech. 3. Ioan. 7. Rex reddet rationē officii in die iudicii. Rom. 14. Matth. 25.

Ego autem, & pro imposito ministerio, & pro bona & rationabili vestra iussione aggrediar exequi quod rogatis: non meo sensu, neque verbis meis, sed vt præmisi, maiorum traditione, attendens dicentem Dominum ad prophetam. *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me. Ex me*, inquit, & non ex te. quia, sicut ipse dicit. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Sancta scriptura in omni ordine & professione vnicuique administratori præcipit, vt intelligat cuncta, quæ ait. Quoniam si intelligit, administratio, quam gerit, vnde exordium cæpit, sollicitus satagit, vt de administrationis talento sibi credito rationem redditurus. *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum.* Non audiat à iusto iudice, quod Dominus in Euangelio seruo malo & pigro responsurum se fatetur, sed audire mereatur? *Euge serue bone & fidelis, quia supra, pauca fuisti fidelis supra multa te constituam intra in gaudium domini tui.*

Cap. IV.

1. Paralip. 24. In veteri lege duo ordines sacerdotum. Luc. 6. Anaclet. epist. 2. Cyp. ep. 42. 65. & 69. Aug. in Ps. 44. Luc. 10. Apostolorū locum tenent Episcopi, & 70. discip. Presbyteri. Actor. 1.

Legimus in sancta Scriptura veteris testamenti, quia Dauid rex simul & propheta præfigurans Dominum nostrum Iesum Christum, qui solus rex simul & sacerdos fieri potuit, duos in sacerdotibus Ordines constituit: in summis, videlicet, Pontificibus, & in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio, ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vita decederet, quicunque sacerdotum optimus putaretur ei in Pontificatum succederet. Et in nouo testamento Dominus noster Iesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sacra Scriptura, & Catholici Doctores ostendunt. Designauit etiam & alios LXXII. qui sub duodecim Apostolis figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum præmonstrauerunt, vt decedentibus Episcopis, de his secundi & inferioris ordinis sacerdotibus secundum sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos ad summi sacerdotii apicem loco decessorum Episcoporum proueherentur, sicut sacra Scriptura Actuum Apostolorum patenter ostendit, dicente Petro ad confratres suos, quando Iudas, qui connumeratus fuerat in ordine Apostolorum, & sortitus sortem ministerii Apostolatus, abiit in locum suum, *Oportet*, inquiens, *ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus* Iesus *testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnū ex istis.* Et venit electio diuina super Matthiā, qui annumeratus est cū vndecim Apostolis.

Cap. V.

Et in sacra Regum historia legimus, quia Principes sacerdotum quando sacra vnctione reges in regnum sacrabant, coronam significantem victoriam ponentes super capita eorum, legem in manum eius dabant, vt scirent, qualiter seipsos regere, & prauos corrigere, & bonos in viam rectam deberent dirigere. Vnde sicut B. Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem ex sacris Scripturis demonstrat: & in his, quæ nuper apud martyrium sanctæ Macræ in Synodo gesta sunt, continetur: duo sunt quibus principaliter, vna cum specialiter cuiusque curæ subiectis, mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus personis, sicut ordinum sunt diuisa vocabula, ita sunt & diuisa in vnoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Diligenter igitur quisque debet in ordine & professione sua quo nomine censetur, attendere, & magnopere prouidere, ne à nomine discordet officio. *Primum namque*, vt B. Cyprianus dicit, *ab Episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam Episcopus, cum græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponitur, & quid à speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona Episcopo officii sui rationem denunciat, ita inquiens: Speculatorem dedi te domui Israel.* Speculatoris officium est, vt commisso sibi populo, exemplo & verbo, qualiter viuere debeat, incessanter annunciet: sicut de Christo, qui sequi se, id est, imitari præcipit, scriptum est. *Quæ cœpit* IESVS *facere & docere* & sic vitam ac mores sibi commissorum speculetur, attendere: & postquam attenderit, sermone, si poterit, & actu corrigere: & si non poterit: iuxta Euangelicā regulam scelerum operatios debet declinare.

Cap. VI.

Et Rex in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam iustitia Regis exaltatur solium, & veritate solidantur gubernacula populorum. Quæ vero sit iustitia regis, idem B. Cyprianus in nono abusionis gradu sufficientissime monstrat.

Cap. VII.

Habet quippe Ordo sacerdotalis leges diuinitus promulgatas, qualiter quisq; ad culmen regiminis, videlicet, Episcopatus venire debeat, atque ad hoc recte perueniens, qualiter doceat, & recte docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: qualiter etiam ministros sibi suppositos regere debeat, quam pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines dispensare: & qua discretione ligare vel soluere subditos debeat. De quibus legibus in eisdem scriptū est ita. *Nulli sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsum Domini iniuriam prosilitur.* Quod tale est, quia, vt sacra monstrat auctoritas, cognata sunt Schisma & hæresis. ac si aliis verbis dicatur. Non minus Schismaticus delinquit, cum præuaricatione sanctarum regularum per contemptum se ab vnitate sanctæ Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, diuidit, quam hæreticus, qui de Deo, capite videlicet ipsius Ecclesiæ, male sentit.

Cap. VIII.

Et sicut dictum est de legibus Ecclesiasticis, quod nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquā facere, quod Patrum possit regulis obuiare: ita legibus sacris decretum est, vt leges nescire nulli liceat,

sut quæ sunt statuta, contemnere. Cum enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta, contēnere, nulla persona in quocunque ordine mundano excipitur, quæ hac sententia non constringatur. Habent enim Reges & Reipublicæ ministri leges, quibus in quacumque prouincia degentes regere debent. Habent capitula Christianorum Regum ac progenitorū suorum, quæ generali consensu fidelium suorum tenere legaliter promulgauerunt. De quib. B. Augustinus dicit, quia *l e thomines debes iudicent, tum eas instituunt, tamen cum fuerint instituta atque firmata, non licebit iudicibus de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.*

Cap. IX.

Multo minus autem Regi vel cuilibet in quocunque ordine contra leges diuinas licet agere per contemptū. Vnde Principi terræ magnopere prouidendum atque cauendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, & cæteri ab offensione saluari. Et ideo, quia res Ecclesiasticas diuino iudicio tuendas & defendendas suscepit consensu eius electione Cleri ac plebis, & approbatione Episcoporum prouinciæ, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque vlla venalitate prouehi debet: quia sicut Dominus in Euangelio dicit. *qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Ecclesiasticis regulis sine difficultate omnimodis debet fauere, si non vult Regem regum offendere. Et sicut Episcopi ac Rex prouidere debent, vt nullus res indignitatu eligatur Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere dationis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel seruitio temporali aut aliqua occasione, quæ contraria esse possit veritati, aut diuinæ auctoritati: ita Rex custodire debet, sicut S. Augustinus demonstrat, ne muneribus, vel blanditiis cuiusquam sceleratī pelliciatur, & adulationibus decipiatur: nec quibuscunque propinquitatis necessitudinibus coniunctis contra Deum, sanctamque Ecclesiam atque Rempublicam peruerse agentibus affectu carnali parcat, dicente Dei spiritu per Dauid prophetam *Nonne eos, qui oderunt te Deus oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos enim Dei perfecto odio odisse est, *ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vita prodesse.*

Cap. X.

Tales etiam Comites & sub se iudices constituere debet qui auaritiam oderint & iustitiam diligant: & sub hac conditione suam administrationem peragant, & sub se huiusmodi ministeriales substituant. Et quicunque in omni ordine & professione in dominatione constituuntur, & Domini appellantur, sicut S. Cyprianus in sexto abusionis gradu demonstrat, *dominationis virtutem auctore & cooperatore Domino teneant: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si Dominum ipse non habeat & virtutis rigor non tam exterioris est fortitudine, qua in ipsa sæcularibus Dominis necessaria est, indiget, quam animi interiori fortitudine, bonum moribus exercere debet: sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo: Tria ergo necessaria hoc qui dominantur habere oportet: terrorem scilicet & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur Dominum pariter & metuatur, ordinatio minime constare illum potest. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret vt diligatur; & per iustas vindictas, non propria iniuria, sed legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoque, dum multi* pendent in eo, *ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera ipsum velut fortiorē solidauit. Paxillus enim nisi bene forte firmetur & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pēdet cito labitur, & ipse solutus à rigore sua firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & Princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod continet, cito deperit. Et sciat, quod sicut in principatu hominum primum constitutus est, ita quisquis peccatores sub se in præsenti habuit, nisi se & illos correxerit supra se modo* implacabili in illa futura pæna habebit.*

* pendent in eo, sub illo ipso Deo.

* plagā.

Cap. XI.

In memoratis namque gestis apud Martyrium S. Macræ & de his, quæ ad sanctæ Ecclesiæ, ac rectorum ipsius honorem & vigorem, & de his quæ ad Regis & Regni soliditatem atque curam pertinent; nec non & de domus regiæ dispositione ex Catholicorum, secundum sanctarum scripturarum tramitem, promulgationibus, atque ex Christianorum Regum constitutionibus per capitula breuiter ac salubriter si teneatur & exequantur, collecta continentur. Veruntamen quia Samaritanus, verus videlicet custos humani generis stabulario, i. Pontificali ordini, cuius curæ vulneratum quemque commiserat, ad sanandum dans duos denarios, vetus scilicet ac nouum testamentum, dixit, *Quod supererogaueris, ego cū rediero reddam tibi.* eisdem gestis velut ex supererogatione, quæ præmissa sunt in hoc opusculo, & quæ sequuntur adiicere studeo.

Cap. XII.

Adalhardum senem & sapientem Domini Caroli Magni Imperatoris propinquum, & monasterii Corbeiæ abbatem inter primos Consiliarios primum in adolescentia mea vidi. Cuius libellum de ordine Palatii legi, & scripsi, in quo inter cætera continetur: duabus principaliter diuisionibus totius regni statum constare antepositō semper & vbique omnipotentis Dei iudicio. Primam videlicet diuisionem esse dicens, qua assidue & indeficienter Regis Palatium regebatur & ordinabatur. Alteram vero, qua totius regni status secundum suam qualitatem studiosissime prouidendo seruabatur.

Cap. XIII.

In prima igitur dispositione, Regis palatium in ornamento totius palatii ita ordinatum erat. Antepositō ergo Rege & Regina cum nobilissima prole suatam in spiritalibus, quam & in sæcularibus, atque corporalib. rebus per hos ministros omni tempore gubernabatur. videlicet per Apocrisiarium, i. responsalem negotiorū Ecclesiasticorum; cuius ministerium ex eo tempore sumpsit exordium, quando Constantinus Magnus Imperator Christianus effectus propter amorem & honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum doctrina ac ministerio ad Christi gratiam baptismatis Sacramenti peruenit, locum & sedem suam, vrbem, scilicet, Romanam Papæ Siluestro edicto priuilegii tradidit, & sedem suam in ciuitate sua, quæ antea Bizantium vocabatur, nominis sui ciuitatem amplianda ædificauit: & sic responsales tam Romanæ sedis, quam & aliarum præcipuarum sedium in palatio pro Ecclesiasticis negotiis excubabant.

Cap. XIV.

Aliquando per Episcopos, aliquando vero per Diaconos Apostolica sedes hoc officio fungebatur. Quo officio B. Gregorius in Diaconi Ordine functus fuit, & ex aliis præcipuis sedibus per Diaconos id officium exequebatur, sicut sacri canones iubent. Et in his cisalpinis regionibus postquam Hludouuicus prædicatione B. Remigii ad Christum conuersus, & ab ipso cum tribus millibus Francorum in vigilia sancti Paschæ baptizatus extitit, per successiones Regum sancti Episcopi ex suis sedibus & tempore competenti palatium visitantes vicissim hanc administrationem

disposuerunt. A tempore vero Pippini & Caroli interdum per presbyteros, interdum per Episcopos regia voluntate, atq; Episcopali consensu per Diaconos, vel Presbyteros magis, quam per Episcopos hoc officium executum extitit: quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assidue exemplo & verbo vigilare, & non diutius secundum sacros canones à suis abesse patrochiis.

Apocrisarii Diaconi vel Presbyteri. Episcopi non absint à diœcesi sua.

Cap. XV.

Neque iuxta decreta ex sacris canonibus promulgat B. Gregorii prætoria, quæ nunc regia, & vsitatius palatia nominantur, debent inutiliter obseruare, ne incurrant iudicium vt cōtra placita canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes ipsi sibi honore priuenr ecclesiastico. Et, vt de licitis exempla ponamus, & de inclite vsurpatis non taceamus, tempore Pippini & Caroli hoc ministerium consensu Episcoporum per Fulradum presbyterum: tempore etiam Caroli per Engelramnum & Hildiboldum Episcopos: tempore denique Hludouuici per Hilduinum presbyterum, & post eum per Fulconem item presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum extitit hoc ministerium executum.

Apocrisarii aliquando Episcopi.

Cap. XVI.

Apocrisarius autem, quem nostrates Capellanum, vel Palatii Custodem appellant, omnē clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat. Cui sociabatur summus Cācellarius, qui à secretis olim appellabatur, erantque illi subiecti prodentes, & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent. Post eos vero sacrum Palatium per hos ministros disponebatur: per Camerarium videlicet, & Comitem Palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium vnum.

Cācellarius, Camerarius. Comes Palatii Senescalcus. Buticularius. Comes Stabuli Venatores. Mansionarius. Falconarius.

Cap. XVII.

Et quamuis sub ipsis, aut ex latere eorum alii ministeriales fuissent, & ostiarius, sacellarius, dispensator scapoardus, & quorumcunque ex eis iuniores, aut Decani fuissent, vel etiam alii ex latere, sicut. bersarii, veltrarii, beuerarii, vel si qui adhuc supererāt: veruntamen, quamuis & ipsi singuli iuxta suam qualitatem ad hoc intenti essent, non tamen ad eos, sicut ad cæteros principaliter, vt subter insertum est, totius regni confœderatio in maioribus vel minoribus, singulis quibusque quotidianis necessitatibus occurrentibus, cum Palatio conglutinabantur: sed nec ipsi superiores omnes æqualiter propter ministeriorum diuersitatem, qualitatem, vel conuenientiam prodesse poterant: cum tamen nullus se propter fidei seruandam veritatem Regis, vt prædictum est, subtrahere potuisset, vel etiam voluisset. De quorum personis vel ministeriis, quanquam plura sint quæ dicantur, hæc tamen præcipue habebantur.

Sacellarius.

Cap. XVIII.

Imprimis, vt iuxta cuiuscunque ministerii qualitatem vel quantitatem minister, nobili corde & corpore constans, rationabilis, discretus, & sobrius eligeretur: sed nec illa sollicitudo deerat, vt, si fieri potuisset, sicut hoc regnum, Deo auctore, ex pluribus regionibus cōstat, ex diuersis etiam eisdem regionibus, aut in primo, aut in secundo, aut etiam in quolibet loco idem ministri eligerentur, qualiter familiarius quæque regiones Palatium adire possent, dum suæ genealogię vel regionis consortes in Palatio locum tenere cognoscerent.

Ministri quales eligerentur.

Cap. XVIII.

His ita breuiter de eligendis & constituendis ministris prædictis: nunc ad eorundem ministrorum & ministrationum ordinem qualiter currebāt, veniendum est. Nam quamuis præfati ministri, vnusquisq; de suo ministerio, nō sub alio, vel per alium, nisi per seipsum, solum Regem, vel quantum ad Reginam, vel gloriosā prolem Regis respiciebant, caput ponerent: non tamē omnes æqualiter de cæteris rebus, vel exterorum necessitatibus Regem adibant, sed mensura sua quisque contentus erat, & vbi, vel vbi ratio poscebat, solatium alterius requirebat. Equibus præcipue duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis, vel ministris Ecclesiæ; & comes Palatii de omnibus sæcularibus causis vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebant: vt nec Ecclesiastici, nec sæculares prius Dominum Regem, absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi præuiderent, si necessitas esset, vt causa ante Regem merito venire deberet. Si vero secreta esset causa, quam prius congrueret Regi, quam cuiquam alteri dicere, eundem dicendi locum eidem ipsi præpararent introducto prius Rege, vt hoc iuxta modum personæ, vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam misericorditer susciperet.

Apocrisarii & Comitis Palatii officium similia.

Cap. XX.

Apocrisarius quidem de omni Ecclesiastica religione vel ordine, nec non etiam de Canonicæ vel Monasticæ altercatione, seu quæcunque Palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet: & ea tantummodo de externis Regem adirent, quæ sine illo plenius definiri non potuissent. Cæterū, vt non solum de his, quæ ad eos specialiter de omni ornamento vel officio Ecclesiastico infra palatium agenda pertinebant, verum quoque & omnem consolationem spiritalem, siue consilium totius Palatii quicunque quæreret, apud eum, & necesse erat, fideliter inueniret: & qui non quæreret, & tamen ipse apud aliquem necessarium esse sentiret, iuxta personæ qualitatem, & à peruerso sensu vel opere retrahere, & ad viam salutis conuertere studeret: Et cætera spiritualia, quæcunque Palatio, tam ab assidue conuersantibus quamque & à superuenientibus, siue secundum Deum, siue secundum circulum, vt prouiderentur, & præuiderentur, erant necessaria, quæ enumerare longum est, ad eius specialiter curam pertinebant. Non ita, vt aliter vllus, siue Palatinus, siue externus superueniens sapientia & verā deuotione per Dei gratiam illuminatus tale aliquid minime ageret: sed maxime consuetudo erat, vt aut cum eodem Apocrisiario pariter, aut certe per eius consilium quod erat agendum ageret, ne forte quid minus vtile aut indignum Regi subriperet.

Apocrisarii officium.

Cap. XXI.

Comitis autem Palatii, inter cætera pæne innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis iudicium Palatium aggrediebantur, iuste ac rationabiliter determinaret, seu peruerse iudicata ad æquitatis tramitē reduceret, vt & corā Deo propter iustitiā, & corā hominib' propter legū obseruationē cunctis placeret. Si quid vero tale esset, quod leges mūdanæ hoc in suis diffinitionibus statutum non haberent, aut secundum gentiliū consuetudinē crudelius sancitum esset, quam Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas merito nō consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur, vt ipse cum his, qui vtramque legem nossent, & Dei magis, quam humanarum legū statuta metuerēt, ita decerneret, ita statueret, vt ibi vtrumque seruari posset, vtrumque seruaretur: sin autem lex sæculi merito comprimeretur, iustitia Dei conseruaretur.

Comitis Palatii officium.

Cap. XXII.

Camerarii officium.

De honestate vero Palatii, seu specialiter ornamento regali, nec non & de donis annuis militum, absque cibo & potu, vel equis, ad Reginam præcipue & sub ipsa ad Camerarium pertinebat: & secundum cuiusque rei qualitatem ipsorum sollicitodo erat, vt tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid, dum opus esset, vllatenus opportuno tempore defuisset: De donis vero diuersarum Legationum ad Camerarium aspiciebat; nisi forte iubente Rege tale aliquid esset, qood Reginæ ad tractandum cum ipso congrueret. Hæc aotem omnia, & his similia eo intendebant, vt ab omni sollicitudine domestica vel Palatina, in quantum rationabiliter & honeste esse poterat, Dominus Rex omnipotenti Deo spem suam indefinenter committeos, ad totius regni statum ordinandum, vel conseruandũ animum semper suum promptum haberet.

Cap. XXIII.

Senescalci officium, Buticularii & Comitis stabuli.

Ad tres autem ministeriales, Senescaleum, Buticularium & comitem Stabuli secundum vniuscuiusque ministerii qualitatem vel quantitatem pertinebat, vt cum communi consensu de suo quisque ministerio admonendi noo essent segnes, vt, quanto eius esse potuisset, omnes actores Regis præscirent, vbi vel vbi Rex illo vel illo tempore, tanto vel tanto spatio manere debuisset, propter adductionem, vel præparationem: ne forte tarde scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione exigeretur, familia regalis per negligentiam sine necessitate opprimeretur. Quæ videlicet cura, quanquam ad Buticulariũ, vel ad Comitem stabuli pertineret, maxima tamen cura ad Senescalcum respiciebat, eo qood omnia cætera, præter potus vel victus caballorum ad eundem Senescalcum respiceret.

forte extreret.

Inter quos etiam & Mansionarius intererat, super cuius ministerium incumbebat, sicut & nomen eius, indicat, vt in hoc maxime sollicitudo eius intenta esset, vt tam supradicti Actores, quamque & susceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus esset, propter mansionum præparationem, vt oportuno tempore præscire potuissent aut inde, tarde scientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatum, aut hi propter non condignam susceptiooem, ac si bene noluissent, cum certe non volendo, sed non valendo offensionem incurrerent.

Mansionarii officium

malim acciſti tarde

Cap. XXIV.

Venatorum & Falconarii officiũ.

Similiter quoque quatuor Venatores, & quintus Falconarius eum eadem vnanimitate secundom temporis qualitatem admonere studebãt, qualiter ea, quæ ad singulorum ministeriorum curam pertinebant, vt oportuno tempore, & non tarde consideraretur, quãdo tanti, vel quando tanti; quando toti, & quando nulli, aut in palatio retinerentur, aot more solito foris nutriendi vsque ad tempus mitterentur, aut tempore congruo per denominata loca venandi causa pariter & nutriendi disponerentur. Sed & hoc & illud, id est, & intra & extra palatium ita semper cum mensura & ratione ordinaretur, vt quantum prodesset, esset, & quantum non prodesset, non esset; quia in ipsis ministeriis non sic facile certus numerus, aut hominum, aut canum, aut auium diffiniri potest: ideo in ipsorum arbitrio manebat, quanti & qoales essent. Sensus autem in his omnibus talis erat, vt nunquam Palatio tales vel tanti deessent ministri, propter has præcipue inter cæteras necessitates, vel honestates.

Cap. XXV.

Causæ varietatis ministrorum.

Primo, vt, siue generaliter maioribus, siue specialiter vel singulariter quibusque minoribus recedentib. omni tempore & multitudine cõgrua, sine qua rationabiliter & honeste esse non posset, semper esset ornatum palatium, & consiliariis condignis nunquam destitutum fuisset. Et vt qualiscunque Legatio siue speculãdi, siue etiam subdendi gratia veniret, qualiter omnes quidem honeste suscipi potuissent. Deiode primus consilii rectitudinem, secundus misericordiæ & benignitatis consolationem, tertius vero versutiæ seu temeritatis sermo referret medicinam. Et vt ex quacũque parte totius Regni, quicunque desolatos, orbatus, alieno ære oppressus, iniuste calũnia cuiusq; suffocat⁹, seu cætera his similia, quæ nunc enumerare perlongum est, maxime tamen de viduis, & orphanis, tam seniorum quamque & mediocrium, vniuscuiusque secundum suam indigentiam, vel qualitatem, Dominorum vero misericordiam & pietatem semper ad manum haberet, per quem singuli ad pias aures Principis perferre potuissent.

Cap. XXVI.

Similiter, qui propter diutinum seruitium digni erant, vt remunerari debuissent, & locus talis occurrebat, vbi ex prædictis indigentibus nemo sine mensura destitueretur, similiter secundum eorum qualitatem ad memoriam Principum reuocarentur; non tam ipsis vrgentibus, qnam eorum de quibus supra dictum est fidem & debitum exigentibus, vt in eis id fieret. Primo propter quod cum iustitia & misericordia Deo placeret. Deinde in militia remanentibus certissimam fideliter seruãdi fidem & constantiam ministrarent. Deinde vt etiam longe positis per totius Regni ambitum lætitiam & gaudium demonstrarent. Et si aliquis ex ministerialibus, vel consiliariis decedebat, loco eius congruus & vtilis restituebatur.

Clarius Seruiẽdi.

Cap. XXVII.

Triplici ordine multitudo palatinorum distincta. Primus militũ.

Et vt illa multitudo, quæ in palatio semper esse debet, indeficienter persistere posset his tribus ordinibus fouebatur. Vno videlicet, vt absque ministeriis expediti milites antepofita Dominorum benignitate, & sollicitudine, qua nunc victu, nunc vestitu, nunc auro, nunc argento, modo equis vel cæteris ornamentis, interdum specialiter, aliquando prout tempus, ratio, & ordo condignam potestatem administrabat, sæpius porrectis: in eo tamen indeficientem consolatiõnem, nec non ad regale obsequium inflammatum animum ardentius semper habebant: quod illos præfati Capitanei ministeriales certatim de die in diem, nunc istos, nunc illos, ad mansiones suas vocabant, & non tam gulæ voracitate, quam veræ familiaritatis, seu dilectionis amore, prout cuique possibile erat, impendere studebant: sicque fiebat, vt rarus quisque infra hebdomadam remaneret, qui non ab aliquo pro huiusmodi studio conuocaretur.

Cap. XXVIII.

Secundus. Ordo discipulorum. Tertius puerorum & vasallorum.

Alter Ordo per singula ministeria discipulis congruebat, qui Magistro suo singuli adhærentes & honorificabant & honorificabantur, locisque singuli suis prout opportunitas occurrebat, vt à Domino videndo vel alloquendo consolarentur. Tertius ordo item erat tam maiorum quam minorum in pueris, vel vasallis, quos vnusquisq; prout gubernare & sustẽtare absq; peccato, rapina videlicet vel furto poterat, studiose habere procurabant. In quibus, scilicet, denominatos ordinib. absque his, qui semper eũdo palatiũ frequentabant, erat delectabile, quod interdum & necessitati, si repente ingrueret, semper sufficerent: & tamen semper, vt dictum est, maior pars illius propter superius commemoratas benignitates, cum iucunditate & hilaritate prompta, & alacri mente persisterent.

Cap. XXIX.

II Diuisio Status Regni. Placita duo quotãnis. Primũ.

Secunda Diuisio est, qua totius Regni status, anteposito, sicuti semper & vbicumque, omnipotentis Dei iudicio, quantum ad humanam rationem pertinebat, conseruari videbatur, hæc est. Consuetudo autem tunc temporis talis erat, vt non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Vnum, quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spacium, quod ordinatum nullus euentus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toto Regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas vniuersorum maiorum tam clericorum, quam laicorum conueniebat. Seniores, propter consilium ordinandum: minores, propter idem consilium suscipiendum, & interdũ pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum.

Cap. XXX.

Secundum.

Cæterum autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantum & præcipuis Consiliariis habebatur: in quo iam futuri anni status tractari incipiebatur, si forte talia aliqua se præmonstrabant, pro quibus necesse erat præmeditando ordinare, si quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid statuere aut prouidere necessitas esset, verbi gratia, si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextrę darę fuissent, quid mox dextras exactas agendum esset, vtrum renouandæ, an finiendæ essent. Iuxta, cæterarum partium imminentibus rixa & pace, vt secundum id, quod tunc temporis ratio poscebat, (si ex vna parte hinc aut inde vel facienda inquietudo necessario incumbebat) ex aliis partibus tranquillitas ordinaretur. Et cum ita per eorundem seniorum consilium, quid futuri temporis actio vel ordo agendi posceret, à longe considerarent: & cum inuentum esset, sub silentio idem inuentum consilium, ita funditus ab omnibus alienis incognitum vsque ad aliud iterum secundum generale placitum ac si inuentum vel à nullo tractatum esset, maneret, vt si forte tale aliquid, aut infra, aut extra regnum ordinandum esset quod præscientia quorundam, aut destruere, aut certe inutile reddere, aut per aliquam diuersam astutiam laboriosius faciendum conuertere voluisset, hoc nullatenus facere potuisset. In ipso autem placito, si quid ita exigeret, vel propter satisfactionem cæterorum seniorum, vel propter non solum mitigandum, verum etiam accendendum animum populorum ac si ita prius exinde præcogitatum nihil fuisset, ita nunc à nouo, consilio, & consensu illorum & inueniretur, & cum magnanimis ordo Domino duce perficeretur. Ita autem anno priore terminato, præfato modo ordinaretur & de secundo.

Cap. XXXI.

Consiliarii quales eligerẽtur.

Consiliarii autem, quantum possibile erat, tam clerici quam laici, tales eligebantur, qui primo secundum suam quisque qualitatem, vel ministerium Deum timerent, deinde talem fidem haberent, vt excepta vita æterna nihil Regi & Regno præponerent: non amicos, non inimicos, non parentes non munera dantes, non blandientes, non exasperantes, non Sophistice vel versute, aut secundum sapientiam solummodo huius sæculi, quæ inimica est Deo, sapientes, sed illam sapientiam & intelligentiam scientes, qua illos, qui in supradicta humana astutia fiduciam suam habuissent pleniter per iustam & rectam sapientiam non solum reprimere, sed funditus opprimere potuissent. Electi autem consiliarii vna cum Rege hoc inter se principaliter cõstitutum habebant, vt quidquid inter se familiariter locuti fuissent, tam de statu Regni, quamque & de speciali cuiuslibet persona, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuicunque alteri prodere

Rege, alia manu adscriptum.

debuisset, secundum hoc, quod res eadem siue die, siue duobus, siue amplius, seu annum, vel etiam in perpetuo celari, vel sub silentio manere necesse fuisset: quia sæpe in tali tractatu de qualibet persona, talis interdum propter communem vtilitatem agendam vel cauendam sermo procedit, qui ab eo cognitus, aut valde turbat, aut quod magis est in desperationem trahit, vel, quod grauissimum est, in infidelitatem conuertit, & ab omni profectu, quem fortasse multipliciter exercere potuit, inutilem reddit, cum tamen nihil ei obesset, si eundem sermonem minime sciret. Quale de homine vno, tale de duobus, tale de maiori numero, vel etiam de progenie vna, vel tota qualibet simul prouincia, si magna cautela non fuerit, fieri poterit.

Cap. XXXII.

Apocrisarius autem, id est, Capellanus, vel Palatii Custos, & Camerarius semper intererant: & idcirco cum summo studio tales eligebãtur, aut electi instruebantur, qui merito interesse potuissent: sed & de cæteris ministerialibus, qui talem se ostẽdebat, vt ad hoc vel præsens, vel futurus, nunc discendo, postmodum vero consiliando loco eorundem honorifice substitui potuisset, cum summa intentione mentis, intendendo singulis quæ agebantur interesse iubebatur, saluans credita, discens incognita, retinens ordinata & constituta, vt si forte tale aliquid extra aut infra regnum oriretur, aut imperatum, & ideo non præmeditatũ nunciaretur, (rarius tamen necesse esset, vt consilium altius tractaretur; & tamen tempus aptum non esset, in quo præfati Consiliarii conuocarentur,) ipsi Palatini per misericordiam Dei ex eorum assidua familiaritate, tam in publicis consiliis quamque ex domestica in hac parte allocutione, responsione, & consultatione, studium haberent, prout tunc rei vel temporis qualitas exigebat, aut consilium pleniter dare, quid fieret, aut certe quomodo ad præfinita tempora cum consilio, & absque vllo detrimento res eadem expectari vel sustentari potuisset. Hæc de maioribus.

Cap. XXXIII.

De minoribus vero, vel proprie Palatinis, ita vt diximus, non generaliter ad Regnum pertinentibus, sed specialiter ad personas quasque respicientibus, quæ specialiter Palatio imminebant, cum eis dominus rerũ ita inconfuse ordinare potuisset, vt exinde non solum detrimentum vllum oriretur, verum etiam ortum, aut imminens vtiliter aut mitigari, aut funditus extingui, aut etiam euelli potuisset. Si vero talis esset causa, vt velocitati immineret, & tamen aliquatenus vsque ad generale placitum quoquo pacto sustentari, vel sine peccato, aut sine contumelia potuisset, ipsi modum eiusdem sustentationis ex prædicto maiori vsu consiliũ dandi scirent, & sapientiam priorum imitari placere Deo, & vtiliter Regno interim dare potuissent. Præfatorum autem Consiliariorum intentio, quando ad palatium conuocabantur in hoc præcipue vigebat, vt non speciales, vel singulares quascunque vel quorumcumque causas, sed nec etiam illorum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant, ordinarent quousque illa, quæ generaliter ad salutem, vel statum Regis & Regni pertinebant Domino miserante ordinata habuissent. Et tunc demum, si forte tale aliquid Domino rege præcipiente reseruandum erat, quod sine eorũ certa consideratione determinari à Comite Palatii, vel à cæteris, quibus congruebant, non potuisset.

Cap. XXXIV.

Proceres vero prædicti, siue in hoc, siue in illo præfato placito, quin & primi Senatores Regni, ne

quaſi ſine cauſa conuocari viderentur, mox auctoritate regia per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipſo per inſpirationem Dei inuenta, vel vndiq; ſibi nunciata poſt eorum abſceſſum præcipue fuerant, eis ad conferendum, vel ad conſiderandum pateſacta ſunt. Quibus ſuſceptis interdum die vno, interdum biduo, interdum etiam triduo, vel amplius, prout rerum pondus expetebat accepto ex prædictis domeſticis palatii miſſis intercurrentibus, quæque ſibi videbantur interrogantes, reſponſumque recipientes tamdiu ita nullo extraneo appropinquante, donec res ſingulæ ad effectum perductæ glorioſi Principis auditui in ſacris eius obtutibus exponerentur, & quicquid data à Deo ſapientia eius eligeret, omnes ſequerentur. Ecce ſicut de vno, ita de duobus, vel quotquot eſſent capitulis agebatur, quouſque omnia Deo miſerante illius temporis neceſſaria expolirentur.

Cap. XXXV.

Interim vero, quo hæc in Regis abſentia agebantur, ipſe Princeps reliquæ multitudini in ſuſcipiendis muneribus, ſalutandis proceribus, confabulando rarius viſis, compatiendo ſenioribus, congaudendo iunioribus, & cætera his ſimilia tam in ſpiritalibus, quamque & in ſecularibus occupatus erat: ita tamen, vt quotieſcúq; ſegregatorum voluntas eſſet, ad eos veniret, ſimiliter quoque, quanto ſpatio voluiſſent cum eis conſiſteret, & cum omni familiaritate, qualiter ſingula reperta habuiſſent, referebant, quantaque mutua hinc & inde altercatione vel diſputatione, ſeu amica contentione decertaſſent, apertius recitabant. Sed nec illud prætermittendum, quomodo ſi tempus ſerenum erat, extra, ſin autem, intra diuerſa loca diſtincta erãt, vbi & hi abundanter ſegregati ſemotim, & cætera multitudo ſeparatim reſidere potuiſſent, prius tamen cæteræ inferiores perſonæ intereſſe minime potuiſſent. Quæ vtraque tamen Seniorum ſuſceptacula ſic in duobus diuiſa erant, vt primo omnes Epiſcopi, Abbates, vel huiuſmodi honorificentiores clerici abſque vlla laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel huiuſmodi Principes ſibimet honorificabiliter à cætera multitudine primo mane ſegregarentur, quouſque tempus ſiue præſente ſiue abſente Rege occurreret: & tunc prædicti Seniores more ſolito, Clerici ad ſuam, Laici vero ad ſuam conſtitutam curiam, ſubſelliis ſimiliter honorificabiliter præparatis conuocarentur. Qui cum ſeparati à cæteris eſſent, in eorum manebat poteſtate, quando ſimul, vel quando ſeparati reſiderent, prout eos tractandæ cauſæ qualitas docebat, ſiue de ſpiritalibus, ſiue de ſæcularibus, ſeu etiam commixtis. Similiter, ſi propter quãlibet aſcendi vel inueſtigandi cauſam quemcunque conuocare voluiſſent & re comperta diſcederet, in eorum voluntate manebat. Hæc interim de his, quæ eis à Rege ad tractandum proponebantur.

Cap. XXXVI.

Secunda autem ratio Regis erat, interrogatio, quid vnuſquiſque ex illa parte Regni, qua veniebat, digna relatu, vel retractatu ſecum afferret; quia & hoc eis non ſolum permiſſum, verum etiam arctius commiſſum erat, vt hoc vnuſquiſq; ſtudioſiſſime, vſque dum reuerteretur, tam infra, quam extra regnum perquireret, ſi quid tale non ſolum à propriis vel extraneis, verum etiam ſicut ab amicis, ita & ab inimicis inueſtigaret, intermiſſa interim, nec magnopere, vnde ſciret, inueſtigata perſona. Si populus in qualibet Regni parte, regione, ſeu angulo turbatus, quæ cauſa turbationis eſſet, ſi murmur populi obſtreperet, vel tale aliquid inæquale reſonaret, vnde generale conſilium tractare aliquid neceſſarium eſſet, & cætera his ſimilia.

Extra vero, ſi aliqua gens ſubdita rebellare vel rebellata ſubdere, ſi necdum tacta inſidias Regni moliri, vel tale aliquid oriri voluiſſet. In his vero omnibus, quæcumque cuilibet periculo imminerent, illud præcipue quærebatur, cuius rei occaſione talia vel talia orirentur.

Cap. XXXVII.

Poſt illa, quæ in Synodo apud Martyrium S. Macræ de maiorum cõſtitutionibus collecta & regi Hludouuico nuper defuncto fuere directa, hæc de ordine Palatij & diſpoſitione Regni vobis ad inſtitutionem iſtius Regis noſtri ac miniſtrorum eius Regni, quæ prouiſorum, ſicut ſcriptis & verbis Seniorum didici: & ipſe adhuc in adoleſcentia mea vidi, deuote iuſſioni veſtræ obediens obtuli. Perſonas autem hominum & mores, ac qualitates illorum, per quos ſi aliqua ſunt collapſa reſtituantur veſtra ſolertia prouidebit, quoniam de his, quos tempore Domini Hludouuici Imperatoris vidi, Palatij procuratores & Regni Præfectos, neminem ſcio eſſe ſuperſtitem: ſcio tamen de eorum nobilitate natos pro patribus filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem. Ipſi vero procurẽt, vt non ſint moribus ac virtute, atque pro ætatis quantitate, vel temporis qualitate, ſapientia & ſtudiis bonis degeneres, quatenus merito Patrum loca & officia ſuppleant, & ſe in ipſa ſuppletione caute cuſtodiant: ne, vt S. Gregorius dicit, in culmine honoris poſiti vſu gloriæ permutentur, ſicut Saul, qui prius in electione honoris extitit humilis, poſtea reprobari meruit propter elationem tumoris. *Greg. l. 1. in 1. Reg. c. 15*

EPISTOLA IV.

AD EPISCOPOS FRANCIÆ.

ARGVMENTVM.

Docet mundum regi duplici poteſtate, Pontificia & Regia, hanc tamen illa eſſe inferiorem. In veteri æque ac nouo teſtamento duos ordines Sacerdotum conſtitutos. Sacerdotum ac imprimis Epiſcoporum munus eſſe canones non ignorare, ſacroſque ordines ſine vlla Simoniæ nota ſuſcipere & diſpenſare. Tum prolixe ex Cypriano Regum, omniumque qui aliis præſunt officium deſcribit, monetque quos aſciſcere ſibi debeant Conſiliarios, quales Duces, Comites & Iudices, quod ſceleratorum amicitias defugere, nullis improbis ne ſanguine quidem iunctis parcere, faciles aures etiam egentibus præbere, non exactionibus quenquam opprimi permittere, denique iuſtitiæ & pietatis ſimul laude excellere debeant.

Cap. I.

DOctrina eſt Chriſtiana ſecundum ſanctarum Scripturarum tramitem, prædicationemq; maiorum, qua Deo ac Domino noſtro Ieſu Chriſto conditore & redemptore noſtro, qui ſimul ſolus Rex & ſacerdos fieri potuit, in cuius *nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum*, diſponente, ſicut B. Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem dicit, & in geſtis, quæ nuper apud Martyrium S. Macræ in Synodo geſta ſunt partim continetur, *duo ſunt, quibus principaliter*, vna cum ſpecialiter cuiuſcunque curæ ſubiectis *mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas*, in quibus perſonis, ſicut ordine ſunt diuiſa vocabula, ita ſunt & diuiſa in vnoquoque ordine ac profeſſione ordinationum officia. *Quamuis enim membra veri Regis atque Pontificis ſecundum participationem naturæ magnifice vtrumque in ſacra generoſitate ſumpſiſſe dicantur, vt ſimul Regale genus & ſacerdotale ſubſiſtant: memor tamen Chriſtus fragilitatis humanæ,*

Philip. 2

Grat. diſt. 96. c. duo.

Mundus regitur duplici poteſtate.

Gelaſ. tom. de anath. vinculo

1. Pet. 2.

quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus, (vt ante aduentum eius in carnem pagani Imperatores, qui idem & maxime Pontifices dicebantur) intercipi vt & Christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus vterentur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, vt & modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.

Cap. II.

Sed tanto grauius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem, & tanta est dignitas Pontificum, maior quam Regum, quia Reges in culmen Regium sacrantur à pontificibus, Pontifices autem à Regibus consecrari non possunt. Et tanto in humanis rebus Regum cura est propensior, quam Sacerdotum, quanto pro honore & defensione & quiete sanctæ Ecclesiæ, ac Rectorum & ministrorum ipsius, & leges promulgando, ac militando à Rege regnum est eis curæ onus impositum.

Cap. III.

Diligenter igitur quisque debet in ordine & professione sua, quo nomine censetur attendere, & majorem in modum prouidere, ne à nomine discordet officio. Quia, sicut legimus in sacra historia, Ozias Rex præsumens incensum ponere, quod non Regii, & sacerdotalis erat ministerij, lepra est à Deo percussus, & de templo à sacerdotibus eiectus, & in domo sua est vsque ad mortem reclusus. Et sanctus Cyprianus in decimo gradu abusionum, per quem sæculi rota, si in illo fuerit, decipiatur, & ad tartari tenebras nullo impediente iustitiæ suffragio per iustum Dei iudicium rotatur de negligente Episcopo dicit. *Si fuerit Episcopus negligens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab Episcopo, quid sui nominis dignitas tenet inquiratur, quoniam cum Episcopus græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponitur, & quid à Speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona Episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquiens. Speculatorem dedi te domus Israel.* Et reliqua, quæ non perfunctorie neque raro legere & meditari debemus, qui vocamur hoc nomine.

Cap. IV.

In veteri testamento Dauid Rex simul & propheta præfigurans Dominum nostrum Iesum Christum, qui, vt præmisimus, solus rex simul & sacerdos fieri potuit, duos in Sacerdotibus ordines constituit, in summis videlicet Pontificibus, & in minoris Ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio: ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vita decederet, quicumque Sacerdotum optimus putaretur, ei in Pontificatum succederet. Et in nouo testamento Dominus noster Iesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locumtenent Episcopi, sicut S. Gregorius, & cæteri Catholici Doctores ostendunt. Designauit etiam & alios septuaginta duos, quia, vt duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare nemo est qui dubitet, sic & hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum gessisse sciendum est, tametsi primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtrique presbyteri, vtrique vocabantur Episcopi; quorum vni sapientiæ maturitatem, alteri industriam curæ pastoralis significant, quorum licet in quibusdam sint discreta officia dignitatum, vno nomine sacræ regulæ comprehendunt. *Nulli*, inquiunt, *Sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare, quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Id est, non minus Schismatici in sanctarum traditionum sanctiones delinquentes, quam hæretici, à recta fide discedentes donec conuertantur, & vnitati sanctæ Ecclesiæ incorporentur, ab eadem Ecclesia sunt separandi. *In Episcopis* enim, vt Beatus dicit Ambrosius, *omnes ordines sunt*, quia primus sacerdos est, hoc est, princeps sacerdotum, & propheta & euangelista, & cæterorum ministrorum in se officia continens ad implenda ea in ministerio fidelium.

Cap. V.

Qualiter autem consensu Principis terræ quires Ecclesiasticas diuino iudicio ad tuendas & defensandas suscepit electione cleri ac plebis quisque ad Ecclesiasticum regimen absq; vlla venalitate prouehi debeat, & Dominus in Euangelio, & sacri canones aperte demonstrant dicente Domino. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Quales autem ad Episcopatum debeant promoueri Apostolica & canonica decernit auctoritas. Vnde Principi terræ magnopere prouidendum atque cauendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, & cæteri ab offensione saluari. Nullius enim rei intuitu eligendus est Episcopus nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere præsentis vel futuræ sub spe retributionis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis; seu amicitia, vel seruitio temporali, aut aliqua occasione; quæ contraria esse possit veritati aut diuinę auctoritati: sicut & de presbyteris, sicut sacra demonstrat auctoritas.

Cap. VI.

Qualiter autem ordinati ministros sibi suppositos regere debeant, sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum, sed & sextus decimus liber Legum, quibus vna cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia patenter ostendunt, quam pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines debeant dispensare, B. Gregorius in homilia Euangelij. *Misit Iesus duodecim discipulos suos præcipiens eis & dicens. In viam gentium ne abieritis.* Et in homilia Euangelij. *Designauit Dominus & alios septuaginta duos.* Et in homilia Euangelij. *Vidit Iesus ciuitatem, & fleuit super illam*, aperte ostendit. Qua vero discretione ligare vel soluere debeant subditos, in homilia Euangelij. *Cum sero factum esset vna sabbathorum*, luculenter demonstrat. Qualiter autem quisque ad culmen regiminis videlicet Episcopatus veniat, atque ad hoc recte perueniens, qualiter viuat, & bene viuens, qualiter doceat, & recte docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat, B. Gregorius in Pastorali regula sufficienter & eloquentissime docet.

Cap. VII.

Qualis denique Rex debeat esse, B. Cyprianus in nono abusionis gradu demonstrat docens. *Etenim*

Marginal notes: 1. Ti. 2. — Pontificum dignitas maior quã Regum — 4. Reg. 15. — 2. Para. 26. — Cypr. de 12. abus. c. 10. — De Episcopi nomine — Ezech. 3 — 1. Paral. 14. — Dauid duos ordines Sacerdotum constituit. — Luc. 6. & 10. — Dam. ep. 3. de Chorep. Anac. ep. 2. Aug. in — ep. 44. Hier. ad Marcellam. Leo ep. 81. Beda — Ioan. — Greg. — Hom. 17 Hom. 19 Hom. 26

Regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, ut subiectis omnibus Rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? Quoniam in iustitia Regis exaltatur solium, & in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Iustitia vero regis est, neminem iniuste per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum, & proximum suum iuste iudicare: aduenis, & pupillis, & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negotia constituere, senes & sapientes, & sobrios consiliarios habere, magorum & ariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iuste contra aduersarios defendere, per omnia in Deo confidere, [Eccl. 10] *prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter tolerare, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. Væ enim terræ, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & Regem ad cœlestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum aduersitates imperii tolerabit. Idcirco enim pax sæpe populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & seruitia populorum præpediuntur, multi & varii dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus prouincias undique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestas aeris & hyems turbata terrarum fœcunditatem & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus, segetes & arborum flores & pampinos quosque exurunt. Super omnia vero Regis iniustitia non solum præsentis imperii faciem offuscat, sed etiam filios* [3. Reg. 11.] *& nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis regnū domus Israel Dominus de manibus filiorum eius dispersit, & propter iustitiam David Regis lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum iustitia Regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet. Est enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat Rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscunque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo* implacabili in illa pœna futura habebit.*

[*plagali. Hucusque Cyp.]

Cap. VIII.

[Omnibus Principibus fortitudo animi necessaria]

Et sextus abusionis gradus est, qui non solum Regi, sed & omnibus, qui Dominorum censentur nomine, conuenit. *Dominus sine virtute, quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si Dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exterioris fortitudine, quæ & ipsa sæcularibus Dominis necessaria est, indiget, quam animi interioris fortitudine, bonis moribus exerceri debet: sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur.* [1. Reg. 2.] *Qui dum seueritate iudicii peccantes filios non coercuit, in eorum vindicta Dominus, velut consentienti, ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, & ordinationem & amorem.* [Tria necessaria omnib. Dominis.] *Nisi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minime constare illius potest. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret, ut diligatur, & per iustas vindictas non propriæ iniuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque, dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit: qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim, nisi bene forte* firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, cito labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & Princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod continet, cito deperit.* [* fixus similiter alicui fortiori inhæreat. Princeps Deo debet esse coniunctus.] *Quidā namque per dominandi officium plus Deo appropinquant: quidam imposita sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namque accepto populi Ducatu familiarium Dei locutionibus utebatur.* [Exod. 33] *Saul vero filius Cis, postquam sceptra Regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris sui David sedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales velut ad numerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditauit. E contrario vero Hieroboam seruus Salomonis, postquam regni domus David occupauit partem, ad idolorum culturam decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ attraxit.* [1. Reg. 15. 1. Reg. 3. 3. Reg. 12.] *Per quæ exempla euidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad maiorem perfectionem crescere, quosdam vero pro supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod utrumque intelligitur, eos qui ad meliora condescendunt, per virtutem animi, & Dei auxilium posse id facere, & eos qui ad deteriora diuertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & negligentiam errare. Unde & Dominum absque virtute fieri non decet, quia virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus, vel aduersitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest hoc primitus animi tota intentione procuret, ut per omnia de Dei adiutorio omnino non dubitet. Si namque in operis initiis suis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemptus poterit habere eius dominatum: non enim est potestas nisi à Deo. Ipse enim eleuat de stercore egenum, & sedere facit cum Principibus populi sui: & deponit potentes de sede, & exaltat humiles, ut subditus fiat omnis mundus Deo & egeat omnis gloria Dei.* [Rom. 13. Psal. 112. Luc. 1. 1. Cor. 8.]

Cap. IX.

Quales sibi adhibere debeat Rex consiliarios, sed & illi, qui in principatu positi Domini appellantur, Ambrosius in libro Officiorum ostendit. *Talis, inquiens, debet esse qui consilium alteri dat, ut seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: ut sit eius sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora.* [Amb. lib. 2. offic. c. 17.]

Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores offuscat, nihil improbum ac maleuolum, quod auertat consulentes. [Consiliarii Principū qui.] *Alia sunt enim quæ fugiuntur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quæ malitiose possunt in noxam serpere: ut si is, qui consulitur, dubiæ sit fidei, & pecuniæ auidus, ut possit pretio mutari: si iniuriosus, hic fugitur ac declinatur.* [Ibidem] *Qui vero voluptarius, intemperans, etsi alienus à fraude, tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic cōtemnitur. Quis enim in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluuionem? quis utilem causæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum improbum, maleuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum? quis non eum omni studio declinet? Quis vero quamuis instructum ad consilii opem, difficilem tamen accessu ambiat, in quo sit illud, tanquam si quis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodest habere sapientiam si consilium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem, ut nec aliis influat, nec tibi prosit. Admirandus mihi & suspiciendus [illegible], quem propitius Dominus patribus dedit, offensu[illegible]sulet. [illegible]omptius tamen nos iusto viro, quam prudenti committimus. Salubrum est igitur bene velle, & eo largiri consilio, ut prosis, non ut noceas.*

Cap. X.

A quibus vna cum cæteris prauitatibus se Rex debeat custodire, & quales Comites ac iudices debeat constituere, S. Augustinus demonstrat dicens. Caueat Princeps, ne muneribus vel blanditijs cuiusquam sceleratí pelliciatur, vel adulationibus decipiatur, quia est munus à dato, munus à fauore, munus ab obsequio. Et ideo debet omnis iudex cauere ne iustum iudicium vendat, aut testis verum testimonium, aut aduocatus iustum patrocinium, & iuris peritus verum consilium vendat, ne Iudæ, qui Christum, qui est veritas & iustitia, vendidit, socius fiat. Et ne quisquam in principatu quocunque positus, adulationibus decipiatur, diligenter attendat, quod in Regum historia legitur. Benadab fugiens ingressus est ciuitatem in cubiculum, quod erat intra cubiculum, dixeruntque ei serui sui. *Ecce audiuimus, quod reges domus Israel clementes sint. Ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, vt egrediamur ad Regem Israel, forsitan saluabit animas nostras. Quo facto, dixerunt ad Regem Israel. Seruus tuus Benadab dicit, viuat, oro te, anima mea. Et ille ait, si adhuc viuit, frater meus est. Quod acceperunt viri pro omine, & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt. Frater tuus Benadab. Et dixit eis rex Israel. Ite & adducite eum ad me. Quo veniente, pepigit cum eo fœdus, & dimisit eum. Vnde audiuit à propheta. Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.*

Iudices quales cóstitui debeát ab illis. Greg. hom 4. in euág. 1. q. 3. c. saluator. 11. q 3. c. non licet. 3. Reg. 20.

Cap. XI.

Sed & cauendum est Principibus, ne sceleratorum amicitiis coniungantur, vel huiusmodi in familiaritate suscipiant. *Malorum*, inquit B. Gregorius, *cum incaute amicitiis iungimur, culpis ligamur. Vnde Iosaphat, qui tot de anteacta vita praconiis attollitur, de Achab Regis amicitia pæne periturus increpatur. Cui à Domino per prophetam dicitur. Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda. Ab illo enim qui summus rectus est, eo ipso, iam discrepat, quo peruersorum amicitiis vita nostra concordat. Hinc Dauid dum totum se ad fœdera pacis interna constringere testatur, quod cum malis concordiam non teneret, dicens. Nonne qui oderunt te Deus oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Inimicos autem Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodesse.*

Greg. 3. parte pastor. admon 13. Principes sceleratorú amicitiis iungi non debent. 2. Paral. 19.

Cap. XII.

Quod Rex propter ministerium regium, nec quilibet Princeps etiam quibuscumque propinquitatis necessitudinibus coniunctus contra Deum, sanctamque Ecclesiam atque Rempublicam peruerse agentibus affectu carnali parcere debeat ex verbis Domini dicentis. *Qui non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*, in homilia Euangelij B. Gregorius demonstrat dicens. *Si vim præcepto perpendimus, vtrumque per discretionem agere valemus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Ametur [illegible] in hoc mundo etiam aduersarius: sed in via Dei [illegible] non ametur etiam propinquus, vt eo verius cognoscat Deum, quo in eius causa neminem recognoscit.*

Nec parcere impiis licet sanguine iunctis. Greg. hom. 37.

Cap. XIII.

Sicut supra est positum, quod nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare: ita in legibus sacris decretum est, vt leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Cum enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta contemnere, nulla persona in quocumque ordine excipitur, quæ hac sententia non constringatur. Oportet enim, vt qui iudex est iudicum pauperes ad se ingredi permittat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo constituti sunt & vicem eius agere debent in populo iniuste aut negligenter pauperes pati oppressiones permittant, terrorque eius iniquos comprimat, & beneuolos atque indigentes sua auctoritate subleuet. Periculum quippe est cuilibet officium suum per alios in tantum peragere, vt se ab eo diutius subtrahat. Legimus antiquitus iudices in porta ad iudicandum sedisse, vt nullus accedendi difficultatem haberet. Vnde B. Hyeronymus in Zachariam prophetam. *Veritatem*, inquit, *& iudicium pacis iudicate in portis vestris. In iudicio prima sit veritas atque iustitia, deinde sequatur misericordia. Quod sequitur, in portis vestris, illo prophetico congruit, oderunt in portis corripientem, & verbum sanctum abominati sunt. Et in alio loco, non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta. Dauid quoque iudicabat in portis quando Absalon veritatem iudicis repromittens patri tendebat insidias. Et quæritur, quare apud Iudæos in portis locus fuerit iudicandi? Ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, vt tam vrbanos quam rusticos, & in exitu & introitu vrbis audirent, & finito negotio vnusquisque confestim ad sedes proprias reuerteretur.*

Cap. [...] Principes [...] bét officia [...] gnarū legum & iudicentiū dare etiam pauperibus. Hieron. in c. 8. Zachar. Amos 5. Psal. 126. 2. Reg. 19.

Cap. XIV.

Qui autem post Regem populum regere debent, id est, Duces & Comites, necesse est vt tales instituantur, qui sine periculo eius, qui eos constituit, quos sub se habent cum iustitia & æquitate gubernare intelligant; atque cum bona voluntate, quod intelligunt, adimplere procurent, scientes se ad hoc positos esse, vt plebem saluent & tegant, non vt dominentur & affligant. Neque vt populum Dei suum æstiment aut ad suam gloriam sibi illum subiici, quod pertinet ad tyrannidem & iniquam potestatem. Valde enim exigit necessitas, quia Rex æquissimo iudici de commisso sibi ministerio rationem redditurus est, vt etiam singuli, qui sub eo sunt ministri diligentissime ab eo inquirantur, & tales constituantur, ne ipse pro eis iudicium incurrat diuinum. De oppressione pauperum prouidendum est, quia in eorum afflictione Deus offenditur, sicut Psalmista dixit. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Prouidendum est ne affligantur in ædificiis superfluis, in exactione hostili, si Deus pacem pro sua misericordia tribuerit, ne contra Capitulum Domini Imperatoris Karoli, vt nemo ad mallum, vel ad placitum cogeretur venire, nisi scabini, & qui causam suam quærit, & cui quæratur.

Duces & Comites à Rege constitui quales esse debeát. Psal. 11.

Cap. XV.

Comites & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita constituant, & si ibi non venerint, compositionem eius exsoluere faciant: & quia prius per manninas veniebant, excogitauerunt quidam, vt per bannos venirent ad placita, quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrū soluerent. Hæc ideo facientes, vt ipsi bannum acciperent, & in tantum exinde affligerentur pauperes, vt vnde prius in exercitu plures ire poterant, vix aliqui modo ire præualeant. Et

Vicariorum & Decanorum officiū

in his omnibus non ſolùm non ſoluunt faſciculos ſecundum Iſaiam deprimentes, ſed etiam ſuperaddunt ſuper miſeros & egentes. Quando enim ſperant aliquid lucrari, ad legem ſe conuertunt: quando vero per legem non æſtimant acquirere, ad capitula confugiunt, ſicque interdum fit, vt nec capitula pleniter conſeruentur, ſed pro nihilo habeantur, nec lex. Omnia enim mala lex veteris teſtamenti damnat. Sed Dominus dixit diſcipulis ſuis de omnibus Chriſtianis. *Amen dico vobis, niſi abũdauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Cap. XVI.

De legibus à quibuſdam Imperatoribus male conſtitutis, à quibuſdam vero bene conſtitutis S. Auguſtinus ad Boniſacium dicit. *Imperatores quando pro falſitate contra veritatem conſtituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perſeuerantes. Quando autem pro veritate contra falſitatem conſtituunt bonas leges, terrentur ſæuientes, & corriguntur intelligentes.* Et ad Marcellinum de moribus bonis Principum, & de Republica augenda dicit. *Ex parua, inquiens, Republica & inopi magnam opulentamque fecerunt, qui accepta iniuria ignoſcere quam perſequi malebant. Quomodo Cæſaris utique adminiſtratoris Reipublicæ, mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil obliuiſci ſoleret niſi iniurias. Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator: ſed ſi laudator, talem Cæſarem nouerat; ſi autem adulator, talem eſſe debere oſtendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat.* Apud veteres namque tale prouerbium erat. *Rex eris, ſi recte facias, ſi non facis, rex non eris.*

Cap. XVII.

Regiæ virtutes præcipue duæ ſunt, iuſtitia, videlicet, & pietas: verumtamen in Regibus plus laudatur pietas: nam iuſtitia per ſe ſine pietate ſeuera eſt. De rapinis compeſcendis, & pace reſtituenda, & ſacris Scripturis, Eccleſiaſticarum legum definitionibus, ac legum ſacrarum conſtitutionibus ſufficienter ex Synodali conuentu apud Martyrium B. Mactæ nuper habito collecta fratri huius Regis noſtri nuper defuncto per Epiſcopos miſimus, quæ hic replicare, non neceſſarium, imo ſuperfluum duximus.

EPISTOLA V.

AD DIOCESIS RHEMENSIS EPISCOPOS, & Regni primores.

ARGVMENTVM.

LVdouico II. Cæſare mortuo Carolus Caluus Rex Francorum in Italiam corona Imperialis à ſummo Pontifice obtinenda cauſa conceſſerat, quod moleſte ferens Ludouicus Rex Germaniæ eius frater, tentauit eo abſente inuadere regnum Franciæ. Eam ob rem anxii Epiſcopi quidem Franciæ mox conſulunt Metropolitanum ſuum Rhemorum Archiepiſcopum Hincmarum, quid in tanto diſcrimine facto opus ſit. Hincmarus vero hac epiſtola ſuadet confugiendum eſſe ad arma ſpiritualia orationum, ieiuniorum aliorumque id genus præſidiorum, & in fide propria Regis Caroli, licet abſit, fortiter perſiſtendum, nec oues vlla ratione, quantumuis Ludouicum vi inuadat regnum, deſerendas, ipſoſque reges libere de ſuis erratis commonefaciendos, ut ſi parere nolint, etiam à corpore Chriſti abſcindendos, quod multorum S. Patrum exemplis fuſe probat.

A HINCMARVS EPISCOPVS AC PLEbis Dei famulus dilectis fratribus & venerabilibus Epiſcopis Rhemorum dioceſees.

Cap. I.

DE communi anxietate noſtra, de qua exiguitatem meam dilectio veſtra conſuluit, proponens mihi verba S. Bonifacij Papæ, quibus dicit ad Hilarium Narbonenſem Archiepiſcopum, exponens capitulum Nicæni Concilij de priuilegiis ſingularum prouinciarum. *Aduertat, inquiens, charitas tua, adeo nos canonum præcepta ſeruare, ut ita Conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus Metropolitani ſua vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet,* quæ donante Domino ex doctrina Patrum noſtrorum ſentio ſcripta veſtræ charitati, reſpondeo S. Ambroſius in epiſtola ad Theodoſium Auguſtum inter cætera dicit. *Non eſt imperiale, libertatem dicendi negare: neque ſacerdotale, quid ſentiat, non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare, & tam amabile eſt, quam libertatem etiam in his diligere, qui obſequio militiæ vobis ſubditi ſunt: ſiquidem hoc intereſt inter bonos & malos Principes, quod boni libertatem amant, ſeruitutem improbi. Nihil etiam in ſacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quam, quod ſentiat, non libere pronuntiare. Siquidem ſcriptum eſt. Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. Et alibi. Fili hominis ſpeculatorem te poſui domui Iſrael. Ideo, inquit, vt ſi auertatur iuſtus à iuſtitiis ſuis, & fecerit delictum quia non diſtinxiſti ei, id eſt non dixiſti, quid ſit cauendũ, non retinebitur memoria iuſtitiæ eius, & ſanguinem eius de manu tua exquiram. Tu autem ſi dixeris iuſto, vt non peccet & ipſe non peccauerit, iuſtus vita viuet, quia dixiſti ei, & tu animam tuam liberabis.* Et Dominus in Euangelio. *Qui, inquit, me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum angelorum.*

Bonif. to 1. concil.

Ambr. epi. 19.

Epiſcoporũ eſt libere quid ſẽtiãt, dicere.

o dendi: tiare.

Pſal. 118

Ezech. 3

Luc. 9

Cap. II.

Igitur dicamus libere Domini Sacerdotes, quæ dicuntur notabilia & reprehenſibilia de Rege noſtro, & quæ dicuntur laudabilia promiſſa de fratre eius Domino rege Hludouuico, qui venturus aſſeueratur in hoc regnum fratris ſui, vt quæ frater eius in eo perperam egit, ipſe corrigat; & quod per negligentiam frater eius admiſit, ipſe per diligentiam emendare procuret: quatenus ſi Rex noſter ea legerit, quæ de illo dicuntur, ſi vera ſunt, illa corrigat: ſi autem vera non ſunt, de cætero admittere caueat. Si autem & frater eius Domnus Hludouuicus ea legerit, quæ de fratre illius dicuntur notabilia caueat, & quæ de illo laudabilia promittuntur exequi ſtudeat. Nos autem Epiſcopi & Regni primores ſecundum Ordines noſtros in maiorum doctrina ſeu exemplis, quid nobis ſequendum, quidve cauendum ſit conſpiciamus.

Karolo Caluo.

Ludouico Rege Germaniæ.

Aim. l. 5 cap. 32.

Cap. III.

Et prætermiſſis aliis viciſſitudinibus altercationum de Regno inter Principes noſtros temporibus noſtris habitis ante hos xvi. annos, quando Rex noſter Domnus Karolus, & Domnus Hludouuicus cominus præparatis vtrinque armatorum cuneis & erectis vexillis ſecus locum, qui Breona dicitur conuenerunt, populus qui cum Domno Karolo erat ex parte maxima illum reliquit, ſicque eundem Regem Karolum pridie Idus Nouemb. inde abire coegit. Tertio autem menſe

Anno 859.

se Karolo reuertente, qui cum Domno Hludouuico erant, ab eo separati, & solitario pœne relicto inse- quente illum Carolo de pago Laudunensi ad propria redire destitutione sua fecerunt. Nunc autem, quia Domnus Carolus nos, & regnum istud sponte reliquit, & in Italiam perrexit, Dominus noster Hludouuicus multorum oribus accipere Regnum istud hostiliter venturus asseueratur: & Domnus Carolus bellatorum acies, quas vulgari sermone *scaras* vocamus dispositas, & eisdem aciebus Primores deputatos ad resistendum fratri suo, ne Regnum illius occupare valeat, habere dicitur, qui iussione vxoris suæ cum filio suo Hludouuico regnum suum ab omnibus tam Christianis, quam paganis hostibus cum consilio & auxilio Episcoporum ac cæterorum Consiliariorum suorum defendant, donec ipse adepto regno ad quod accipiendum iuit, auxiliante Domino reuertatur in pace.

Carol°. in Italiā abiit anno 875. test. Aimoi. l. 5 c. 34. Act Si. ge. 876.

Cap. IV.

Qua de re nobis Episcopis satis agendum est, ne in consilio, quod à nobis Reipublicæ ministri secundum Domni Regis mandatum petierint, à nostro ministerio excidamus, & ne de auxilio, quantum Deus vnicuique nostrum posse dederit, abscedamus, sequentes sententiam Domini dicentis. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* In auxilio igitur præbeamus arma diuina, ieiunia, orationes, lacrymas, implorationes ad sanctorum suffragia, & auxilia diuina per nos nostrasque parrochias, vt non effundatur sanguis Christianus seditionali certamine inter fratres & cognatos, atque propinquos, sicut iam fuisse factum in Fontanido dolemus, & de omnibus hostib. tam Christianis, quam paganis per Sanctorum merita & intercessiones det Dominus propitius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ suæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.

Luc. 20 Hortatur ad spiritualia arma sumēda inuasores regni.

Cap. V.

Si enim contra Paganos bellum immineret, consilium daremus bellatoribus nostris, & hortaremur eos adhortationibus, quas in litteris Ecclesiasticis legimus: nunc autem quia ciuile, & plusquam ciuile bellum inter Christianos instare opinamur, Patrum inhærentes vestigiis, videamus, quid adhæc sit nobis agendum, S. Ambrosius in epistola ad sororem suam historiam persecutionum suarum narrans inter cætera dicit. *Dominica post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisterijs tradebam basilicæ, illuc nuntiatum est mihi, comperto quod ad Portianam basilicam de Palatio Decanos misissent, vt vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi, dum offero, raptum cognoui à populo Castulum quendam, quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi vt subueniret, ne cuius sanguis in causa Ecclesiæ fieret, certe vt meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur. Quid multa? Missis presbyteris & diaconibus tripui iniuria virum.*

Ciuile bellum in Francia. Inimicis esse benefaciendū. *Ambr. ep. 33.* Missam facit S. Ambr.

Cap. VI.

Paria & B. Augustinum de Donatistis fidelium persecutoribus sensisse legimus. Et S. Gregorius in homilia Euangelij. *Vna, inquit, & summa est probatio charitatis, si & ipse diligitur, qui aduersatur. Hinc est, quod ipsa veritas, & crucis patibulum sustinet, & tamen ipse suis persecutoribus affectum dilectionis impendit dicens, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quid ergo mirum si inimices diligant, dum viuunt, quando & tunc diligit magister inimices, cum occiditur?* Sic & Stephanum Romanæ sedis Pontificem egisse in gestis eius legimus, quando ad Pippinum in Franciam venit pro S. Petri iustitiis super Haistulphum, Regem nefandissimum obtinendis. Nam cum inclytus Rex Pippinus nec precibus, nec muneribus oblationibus posset obtinere apud præfatum Regem quiddam de S. Petri iustitiis, exercitum aduersus eum mouit, sed Papa sanctus, ne sanguis effunderetur, Christianorum admonitiones, & obsecrationes Apostolicas exhibuit, & apud Domnum Pippinum obtinuit. Sed Haistulphus superbia elatus super Francos, qui ad custodiam propriarum secundum iussionem Pippini clusarum venerant, fidens in sua ferocitate subito aperiens clusas, super eos diluculo cum plurimis irruit exercitibus. Sed iustus iudex Dominus Deus & Saluator noster Iesus Christus victoriam paucissimis illis tribuit Francis, & multitudinem illam Langobardorum superantes trucidauerunt, & Haistulphus fugam arripuit, & à Pippino superatus Deo auspice fuit.

Greg. hom. 27 in Euāg. *Luc. 23.* Anastas. bibliot. in Stephano II. R[illegible] ...

Cap. VII.

Exhibeamus & iam vnusquisque nostrum pro viribus contra omnes hostes S. Ecclesiæ & Principis nostri milites de Ecclesiis nostris, qui cum Primoribus ad hoc deputatis dimicent, prout Dominus auxilium dederit, & cooperari dignatus fuerit. Vnde sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Consilium autem in huiusmodi congressione si à nobis requisierint Primores acierum, quia scriptum est. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum. Consilium autem Domini in æternum manet:* quod salubrius illis consilium dare possimus, quam quod Dominus in Euangelio mõstrat, inuenire nequimus. *Quis,* inquit, *Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, nonne sedens prius computat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.*

1. Mach. 3. *Psal. 32.* Suadet vt admittant aliud regem. *Luc. 14.*

Cap. VIII.

Quia longe ante nos de his qui anxietatibus & ingentibus malis premuntur, etiam apud nationes tritum vulgi sermone prouerbium. *Inter malleum sunt & incudem*, legimus, & nos de frequentibus paganorum infestationibus, & cæteris anxietatibus, quib. diutius premimur, verbis taceamus, & gemitibus ac suspiriis exclamemus. Inter duos Reges carne fratres, de hoc Regno, in quo degimus sarageoribus, velut inter malleum & incudem, Episcopi sumus. Si enim, quia secessit longius in Regnum aliud Rex noster in aduentu superuenturi Regis Ecclesias nostras quaquauersum omnine perseqente, vel præiudicium, vt dicitur, inferre moliente, fugientes discesserimus, & nos ad superuenturi tutelam Regis non contulerimus: præsertim, cum superuenturus Rex, vt fertur, dicat, se non venire ad Regnum inuadendum, sed ad destitutum restituendum, & defendendum, & pacem ac iustitiam in eo procurandam, & sanctæ Ecclesiæ, ac eius sacerdotibus debitum honorem ac defensionem exhibendã, & nos & oues nobis commissæ periclitari videbimur. Nos quidem, quia non Pastores, sed mercenarij & apud Deum & apud homines iudicabimur. Oues autem nobis commissæ, quia sine Pastore errabunt vel dispergentur, & facultates Ecclesiasticæ, quibus sustentari debent, vel vt relictæ sine custodibus diripientur ac vastabuntur, si defuerit virtus Principis, cuius potestate defendantur, vel custodes, qui pro ouibus, & earum alimonia Principi & defensori ac tutori Ecclesiæ suggerant.

Perplexitas Episcoporum Franciæ.

Cap.

Cap. IX.

Si autem Rex noſter reuerſus fuerit, infidelitatis nos arguet, ſicut quoſdam fecit, quando à Brecona pergens, & nos deſolatos relinquens, poſt aliquod tempus reuerſus fuit: licet cauſa noſtra à cauſa illorum, quos tunc redarguit, ſatis habeatur diſſimilis: nam nos quacunque ducti cupiditate vel turpi lucro inlecti Regem alium in Regnum iſtud, ſicut illi fecerunt, non inuitauimus, neque Regem noſtrum reliquimus, & alteri nos abſque neceſſitate contulimus, ſed à Rege noſtro relicti, & alterius poteſtati expoſiti nos iudicio Regis Regum expectantes commiſimus. Sed inter hæc & vndique nos circumſtant anguſtiæ. Si enim relicti à Rege noſtro ſuperuenientis Regis poteſtati nos contulerimus, mors nobis eſt: ſi autem non egerimus, Eccleſiarum noſtrarum & ouium nobis commiſſarum cuſtodiæ inuigilare nequibimus, & aut nunc in manum ſuperuenturi Regis: aut, ſi Rex noſter reuerſus fuerit, in manus illius incidemus.

Cap. X.

Et quid ad Apoſtoli Ioannis verba reſpondebimus dicentis. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.* Qui dicit. *Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis: ac ſi aperte*, inquit Gregorius, *dicat, in hoc conſtat quia & cognoſco Patrem, & cognoſcor à Patre, quia animam meam pono pro ouibus meis, id eſt, ea charitate, qua pro ouibus morior, quantum Patrem diligam oſtendo.* Et idem præfatus Apoſtolus Ioannes dicit. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Melius eſt igitur nos incidere in manus hominum, ſi Deus ita permiſerit, quam derelinquere legem, id eſt, mandatum Dei, vt non deſeramus oues nobis à Deo commiſſas, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis. In quo oſtenſa eſt nobis via, quam ſequamur, appoſita forma cui imprimamur. Debemus ergo & nos, ſi neceſſe fuerit pro fratribus noſtris animas noſtras ponere, & non oues noſtras deſerere.

Cap. XI.

Nunc autem qualiter Regnum iſtud vndique à Paganis & falſis Chriſtianis, ſcilicet Britonibus, ſit circũſcriptum, &, vt ita dicamus, viſcerali commotione de his qui aliquandiu in eo fideles ac vtiles viſi fuerant extitiſſe, ſit perturbatum: & quæ conditio de Regnis nepotum ſuorum inter illum & fratrem eius ſit ſacramento firmata. Vtinam aut ignoraretur, aut inter eos ipſa conditio ſeruaretur, & neque diſcordia Eccleſiarum Præſules, & ſerui ac ancillæ Domini inquietarentur, & Chriſtianus populus affligeretur, ac inter regni primores viſcerale bellum inſurgeret, & rapinæ ac deprædationes rerum Eccleſiaſticarum atque diuitum ſeu pauperum conflagrarent. At ſi pro his dictis (quæ non pro infidelitate Principum noſtrorum ad ſuggillationem eorum, ſed pro periculo eorum cum dolore ac gemitu dicimus) nobis ſacerdotibus vis aliqua à quocunque fuerit inlata, ſicut quidam Sapiens dixit, feramus æquo animo, & vtamur foro, donec inuicta fœlicitas finem malis imponat.

Cap. XII.

Scimus enim dicente Apoſtolo, quoniam *omnes qui pie volunt viuere, perſecutionem patiuntur.* Sed, *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et Dominus *beatos* eos dicit, *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Neque enim dubitandum eſt, quia B. Ioannes Baptiſta vt pro redemptoris noſtri quem præcurrebat, teſtimonio, carcerem & vincula ſuſtinuit, pro ipſo & animam poſuit; cui non eſt dictum à perſecutore vt Chriſtum negaret, ſed veritatem reticeret, & tamen pro Chriſto occubuit. Quia enim Chriſtus ipſe ait. *Ego ſum veritas*, ideo vtique pro Chriſto, quia pro veritate ſanguinem fudit, conſtanter dicens Regi. *Non licet tibi habere vxorem* viuentis *fratris tui.* Et nos, ſi quia dicimus, quod & à plebeis conqueri audimus: quoniam non oportuerat Regem noſtrum regnum iſtud à paganis vndique circundatum, & intra commotum & non ſolidum inconſulte dimittere, ac quos regendos & defendendos iudicio Dei ſuſcepit, & qui ad hoc illi ſe commendauerunt, relinquere ac deſerere: & quia dicimus, non debere fratrem ſuum regnum eius poſt præſtita inter eos ſacramenta, quæ Rex noſter, quantum ex ipſo eſt, ſeruare ſe velle dicit, inuadere, aliquod incommodum paſſi fuerimus, patienter inlata portemus pro Chriſto, quia pro veritate illa ſuſtinebimus: imitatores pro modulo noſtro eorum, qui *ibant gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

Cap. XIII.

Verum, quia, vt prædiximus, inter malleum & incudem poſiti ſumus, & quod inter malleum & incudem ponitur, aut frangitur, vel conquaſſatur, vel producitur & formatur, ſicut in Numerorum libro legimus præcepiſſe Dominum Moyſi, vt faceret tubas argenteas inter malleum & incudem productiles, quæ clangore ſuo ad ſolemnitates Dei populum excitarẽt, atque audientium animos ad bellum accenderent. Et S. Dauid dicit: *Pſallite Domino in tubis ductilibus.* Et Apoſtolus dicit. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Et, *Mementote prapoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem*: Quæramus tubas argenteas inter malleum & incudem productas, id eſt, eloquia Domini, quod eſt *argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum*, relucentes & virtute vigentes, quorum doctrina ad bellum neceſſarium & imminens diſcamus in pertubationis noſtræ angore, quid nobis agendum ſit, ne inter malleum & incudem frangamur vel conquaſſemur, ſed producamur, atque formemur, vt per eorum veſtigia inoffenſo pede gradientes non aberremus.

Cap. XIV.

S. Ambroſius in libello, quem obtulit Valentiniano Imperatori contra Auxentium, inter cætera ita dicit ad locum. *Vtinam Imperator non denunciaſſet, vt quo vellem pergerem, quotidie prodibam: nemo me aſſeruabat, debuiſti me, quo volueras, deſtinare, quem ipſe omnibus offerebam, nunc mihi à ſacerdotibus dicitur, non multum intereſſe, vtrum volens relinquas, an tradas altare Chriſti: cum enim reliqueris, trades.* Et hinc in ſermone ad populum in Eccleſia. *Video vos præter ſolitum ſubito eſſe turbatos atque obſeruantes mei, miror, quid hoc ſit, niſi forte quia per tribunos me vidiſtis, aut audiſtis imperiali mandato eſſe conuentum, vt quo vellem, abirem hinc, & ſi qui vellent, ſequendi poteſtatem haberent. Metuiſtis ergo ne Eccleſiam deſererem, & dum ſaluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipſe mandauerim, potuiſtis aduertere; deſerendæ Eccleſiæ mihi voluntatem ſubeſſe non poſſe, quia plus Dominum mundi, quam ſæculi huius Imperatorem timerem. Sane ſi me vis aliqua abduceret ab Eccleſia, carnem meam exturbari poſſe, non mentem; paratum me eſſe, vt ſi ille faceret, quod ſolet eſſe Regiæ poteſtatis, ego ſubirem, quod Sacerdotis eſſe conſueuit.*

Ioan. 14. Matt. 6. Actor. 5. Nam 10 Epiſcopi ſunt tubæ productiles. Pſal. 97. Rom. 15. Heb. 13. Pſal. 11. Ambr. epiſt. 32. Ambr. orat. in Auxent. lib. 5. ep. Ambr. in perſecutione noluit fugere vel cedere hæreticis.

Quid ergo turbamini? Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non noui, dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoque, lachrymæ meæ arma sunt: talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere, fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi, quod soleam Imperatoribus deferre, non cedere, supplicijs me libenter offerre. Et post aliquanta. *Petrus quoque Apostolus vtriusque rei vobis edit exemplum. Nam vbi eum Herodes quæsiuit, & cepit, recepit in carcerem, non enim recesserat Dei seruulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo Ecclesia. Sed Apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis, missus est Angelus, qui dormientem excitaret: per quem Petrus productus è carcere mortem ad tempus euasit. Idem Petrus postea victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet; & quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait. Domine quo vadis? Respondit Christus. Venio Romam, iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione suscepta mortis exuerat. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificauit Dominum Iesum. Videtis igitur, quod in seruulis suis pati velit Christus.* Et paulo post. *Ego ipse non quotidie vel visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad Martyres? non regiam palatii prætexebam eundo atque redeundo? & tamen nemo me tenuit, cum exturbandi me haberent, vt prodiderunt postea, voluntatem, dicentes. Exi de ciuitate, & vade quo vis. Expectabam, fateor, magnum aliquid: aut gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt, sed athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet, quod aut carrum præparauerant aut dura, vt videbatur sibi, Auxentii ipsius, qui se dicit Episcopum, verba iactata. Plerique narrabant percussores præmissos pœnam mortis esse decretam, nec illa timeo, & ista non desero. Quo enim abibo, vbi omnia plena gemitus sint atque lachrymarum?* In historia Theodoriti legitur, quia dum de Ecclesia Ambrosius iuberetur exire, ait. *Ego sponte hoc non ago, ne lupis ouium septa contradere, aut blasphemantibus Deum videar. Hic, si places, occide, hoc loco mortem prona suscipio voluntate.*

Act. 12. — Hom. 6. — Tripart. hist. l. 9. cap. 10.

Cap. XV.

Igitur nobis non solum sequendum, sed & amplectendum est pro fide ac veritate, si contigerit, quod de se B. dicit Ambrosius loquens ad Ecclesiam suam. *Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non noui, dolere potero, potero flere, potero gemere, aliter nec debeo, nec possum resistere, fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo.* Sic enim egerunt sancti prædecessores nostri, vt in Ecclesiasticis historiis legimus. B. Hilarius Pictauensis, Paulinus Treuerensis, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Ioannes Constantinopolitanus, & multi alii quorum dicta & exempla vsque hodie in sancta florent Ecclesia, quorum, iuxta Pauli vocem *intuentes exitum conuersationis imitari debemus fidem atque exempla*, & de ita expulsis à sedibus suis Episcopis pro fide & veritate, sicut præfati sancti Episcopi expulsi Imperiali crudelitate fuerunt, sacri canones Sardicenses dicunt. Vt si aliquis Episcopus vim perpessus est & inique expulsus pro disciplina & Catholica confessione, vel pro defensione veritatis effugiens pericula innocens & deuotus ad aliam venerit ciuitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire possit, aut iniuria eius remedium acceperit, & iam & larga benignitate humanitas ei est exhibenda.

Ambros. orat. in Auxent. — Heb. 13. — Con. Sard. can. 21.

Cap. XVI.

Et hinc S. Gregorius ad vniuersos Episcopos per Illyricum. *Fratres, inquit, coepiscopos nostros, & quos captiuitatis diuersarumque necessitatum angustiæ constringunt debetis consolandos, conuicturosque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: non quidem vt per communionem Episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab Ecclesia iuxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tamen eos vestris continere summopere hortamur.*

Qualiter etiam, vel pro quibus causis Episcopi Ecclesias suas sine detrimento ordinis ac animæ suæ ad tempus deserere valeant: S. Augustinus in epistola ad Honoratum Episcopum inter cætera ostendit dicens. *Restat verus, quorum ministerium quantulacunque plebi Dei vbi sumus manenti ita necessarium est, vt sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino: Esto nobis in Deum protectorem, & in locum munitum. Sed hoc consilium propterea tibi non sufficit, vt scribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, vbi fugiendum esse de ciuitate in ciuitatem monet. Recolimus enim verba dicentis. Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluisse, vt necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparauit? Nunquid hoc fecit ipse quando portantibus parentibus in Ægyptum paruulus fugit, qui nondum Ecclesias congregauerat, quas ab eo desertas fuisse dicamus. Nunquid quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus per fenestram in sporta submissus est, & effugit manus eius, deserta est, quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, & non ab aliis fratribus ibidem constitutis, quod oportebat, impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, vt seipsum seruaret ecclesiæ quem proprie persecutor ille quærebat. Faciant ergo serui Christi, ministri verbi & sacramenti eius, quod præcepit, siue permisit. Fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur vt ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis suis, quos aliter viuere non posse nouerunt. Cum autem omnium, id est episcoporum & clericorum est commune periculum, ii qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas vt aut pariter viuant, aut pariter sufferant quod eos Paterfamilias volet perpeti. Quod si contigerit, vt siue alii maius, alii minus, siue omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint qui aliis patiuntur apparet, illi scilicet, qui cum se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. Hinc maxime probatur illa charitas, quam Ioannes Apostolus commendat dicens. Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Nam qui fugiunt, vel suis deuincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur, pro seipsis, non pro fratribus vtique patiuntur. Qui vero propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt.*

Epist. ... — Greg. — Fuga quando licita. — Aug. ep. 180. — Matt. — 2. Cor. — Act. 9. — 1. Ioan. 3.

Cap. XVII.

Sic enim fecit S. Nicasius Remorum Episcopus,

S. Nicasius.

qui tempore Vuandalorum in persecutione generali suam non deseruit ciuitatem, & intra parietes Ecclesiæ martyrii meruit coronari. Sic eodem tempore S. Anianus, sicut in sacris historiis legitur. Sic B. Lupus, vt in eius hymno canitur. *Dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit.* Sic S. Remigius Remorum Episcopus superuenientibus Francis paganis in Belgicam diœceseos suæ prouinciam, Ecclesiam suam non deseruit, sed orationibus, & sanctis exemplis ferocitatem gentis perdomuit, & in verbis suis monstra placauit: & non solum prouinciam suam à gladio gentili eripuit, verum & gentem paganam ad fidem Christi cooperante gratia conuertit, & tria millia paganorum vna cum Rege in vigilia Sancti Paschæ ad gratiam baptismi perduxit, rite obseruans, quod S. Gregorius in homilia Ezechielis prophetæ Danielis exponens sententiam. *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus. Hi enim,* inquit, *qui animarum custodes sunt, & pascendo gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia vno in loco positi, diuinitatis in se præsentiam portant & ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur.* Et hinc S. Augustinus in præfata epistola ad Honoratum Episcopum ad locum dicit. *Cur enim sibi putant indifferenter obediendum præcepto, vbi legunt de ciuitate in ciuitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ouibus.* Et paulo post. *Fugit Apostolus, cum à persecutore proprie ipse quæreretur, aliis vtique necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministerium absit vt desereretur Ecclesia. Sic fugit S. Athanasius Alexandriæ Episcopus cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator.*

Cap. XVIII.

Legimus etiam in epistolis magni Leonis Papæ, quod cum Eutychiana hæresis in Orientalibus partib. conflagraret, ab Imperatore idem Apostolicus Pontifex, sed & Hesperiarum partiũ Pontifices ad vniuersalem synodum fuerint euocati. Vnde idem S. Leo, vt propria ipsius verba ponamus, inter cætera ita rescripsit ad Theodosium Augustum. *Quamuis ad diem Concilii Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, quum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere ciuitatem.* Et ad Pulcheriam Augustam. *Nam,* inquit, *illud quod pietas Imperatoris etiam me credidit debere interesse Concilio, etiam secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quia rerum præsentium nimis incerta conditio à tãta Vrbis populo me abesse non sineret, & in desperationem quandam animo tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ Ecclesiasticæ videre patriam & Apostolicam sedem vellẽ deserere. Quia igitur ad publicã vtilitatem pertinuisse cognoscitis, vt salua clemẽtia vestra venia, charitati me & precib. ciuiũ non negarẽ, &c.* Et in epist. ad Martianum Augustũ. *Sacerdotes prouinciarum omnium congregati præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illæ prouinciæ, de quibus maxime sunt euocandi, inquietante bello, ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere.* Et in Canonibus Africæ prouinciæ legimus Episcopos de Numidia prouincia iuste & rationabiliter excusatos, quia Legatos ad vniuersale Concilium etiam pro cõmunionibus & Ecclesiasticis negotiis non miserunt, quoniam tumultu tironum propriis necessitatibus in ciuitatibus suis, aut impediti, aut excusati remanserunt.

Cap. XIX.

Hinc ergo est colligendum, si causæ fidei & generalis Ecclesiasticarum definitionum negotio ciuiũ charitas, quæ, attestante Apostolo, maior est fide præponi debet, sicut verbis S. Leonis, & sacrorum canonum demonstratur, vtrum pro quacunque alia causa Ecclesias & oues nobis commissas sine periculo valeamos dimittere, & in alias quascunq; partes secedere. Denique cum partem Imperii contra Theodosium & Valentinianum Maximus vsurpauit, & cogeret Episcopos vel contra fidem agere, vel Ecclesias suas deserere, aut alio quolibet modo persequi, S Martinus eiusdem Maximi præsentiam, & colloquium non declinauit, minime autem Ecclesiam suam deseruit. Sed *cum plures ex diuersis partibus Episcopi ad Maximum ferocis ingenii virum & bellorum ciuilium victoria elatum conuenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, in solo Martino Apostolica auctoritas permanebat. Nã etsi pro aliquib. supplicandum Regi fuit, imperauit potius, quam rogauit, & à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensæ eius participem esse non posse, qui Imperatores, vnum Regno, alterum vita expulisset. Postremo cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi a militibus diuino nutu regni necessitatem armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuisset, nullumque ex aduersariis nisi in acie occubuisse, tandem victus vel ratione, vel precibus ad conuiuium venit.*

Martinus noluit deserere Ecclesiam. Sen. Sulpit. in vita S. Mart. c. 23.

Nec prãdere cũ Maximo.

Cap. XX.

Et item in vita illius scriptum est ita. *Quo tempore primum Episcopus datus est, fuit ei necessitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerum potiebatur, is cum Martinum ea petere cognouisset, quæ præstare nolebat, iussit eum palatii foribus arceri, etenim ad animum illius immitem ac superbum vxor accesserat Arriana, quæ totum illum à S. viro, ne ei debitam reuerentiam præstaret, auerteret. Itaque Martinus, vbi semel atque iterum superbum principem frustra adire tentauit, recurrit ad nota præsidia, cilicio obuoluitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationes diebus noctibusque perpetuat.* Et post aliquanta. *Nec expectatis Martini precibus prius omnia præstitit, quam rogaretur. Colloquia illum atque conuiuia frequenter adsciuit.* Et paulo post. *Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, vir omni vita merito prædicandus, si ei vel diadema non legitime, tumultuante milite, impositum repudiare, vel armis ciuilibus abstinere licuisset. Sed magnum Imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum sæpius euocatum receptumque intra palatium, venerabiliter honorabat, totus illi tum eo sermo, de præsentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate Sanctorum, cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam fœmina contigisset, istius assiduitatem, imo potius seruitutem non poterat euadere, non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat, postremo à viro suo poposcit, deinde Martinum vterque compellunt, vt ei remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium, nec potuit vir beatus obstinatius reluctari. Componitur castus Reginæ manibus apparatus: cellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat: cibum, quem ipsa coxerat, apponit.* Et reliqua quæ Lector in suis locis plenius inuenire valebit.

Sulp. dial. 2. c. 6.

Ibi. c. 7.

Imperatrix veneratur S. Mart.

Cap. XXI.

S. Ambrosius cum Imperatorib. suis, Theodosio & Valentiniano agebat, & legationem ad Maximum ab Imperatore suo Valentiniano suscepit. Quam, qui voluerit scire, quomodo strenue peregerit, & qualiter Maximum redarguerit, nec tamen eius colloquium declinauerit: legat librum ipsius, quem de legatione sua executa ad eundem Valentinianum conscripsit.

Ambr. ep. 27.

Verum, sicut in vita Ambrosij à S. Paulino, postea Nolano Episcopo scripta legitur, *egresso Theodosio de Italia, & Constantinopoli constituto, Valentiniano Augusto inter Gallias posito Eugenius tyrannice imperium vsurpauit, & aram Victoriæ, & sumptus cæremoniarum (quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in minoribus annis constitutus petentibus denegauerat) oblitus fidei suæ concessit. Hoc vbi Ambrosius cognouit, relicta ciuitate Mediolanensi, ad quam Eugenius festinato veniebat: ad Thusciam vsque descendit, declinans magis adspectum sacrilegi viri, quam formidans imperantis iniuriam. Nam & epistolam ad eundem dedit, in qua conuenit conscientiam illius de sacrilegio*: cuius adspectum atque colloquium non declinauit pro vsurpato imperio, sed pro admisso sacrilegio.

S. Paulini in vita S. Ambro. fugit a conspectum Maximo Cæsaris.

Cap. XXII.

Ephes. 5. Aug. de verb. do. in Mat. serm. 18.

Sic secuti sunt B. Martinus, atque S. Ambrosius sententiam Apostoli Pauli dicentis. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite.* Hinc B. Augustinus. *Duobus*, inquiens, *modis non te maculat malus; si ei non consentias, & si redarguas, hoc est, non communicare, non consentire, communicatur quippe, quando factis eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur. Videte quemadmodum Apostolus vtrumque complexus est, Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est, nolite communicare? nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est, magis autem & redarguite? Reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa correctione, vel coercitione alienorum peccatorum cauendum est, ne se extollat, qui alterum corripit, & Apostolica illa cogitanda sententia: quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo consentientes simus malis, vt approbemus, neque superbientes, vt insultanter arguamus. Hæc sunt quæ sancti prædecessores ac patroni nostri secundum tramitem sanctarum Scripturarum iuxta Episcopale ministerium egerunt, & nobis in huiusmodi anxietatibus positis agenda atque sequenda suis posteris reliquerunt.*

1. Cor. 10.

Cap. XXIII.

Tripar. l. 9. c. 21.

Cæterum qualiter, & per quos agendum sit erga eos, qui regnum Regis inuadunt veridice monstrant historiæ. Ait enim Theodoretus. *Cumque audisset Maximus, quæ rursum contra Ambrosium magniloquum prædicatorem veritatis agerentur, scripsit Valentiniano, vt bellum, quod agebatur contra Ecclesias, solueretur, monens vt paternam non amitteret pietatem, adiecitque etiam minas belli, & nisi quiesceret, verba operibus adimpleret. Quamobrem sumens exercitum venit Mediolanum, vbi tunc ille degebat. Porro Valentinianum agnoscens eius inuasionem fugit in Illyricum, experimento cognoscens, quæ mala matris consilio sustineret. Porro Theodosius audiens, quæ à Iustina fuerant gesta, & à tyranno scripta, fugienti Valentiniano rescripsit, non esse mirandum, si Imperatori quidem terror, tyranno vero potius accresceret: Iam Imperator impietati rebellis extitisset, tyranno autem ei auxilia commodaret, & propterea ille quidem fugeret nudus, iste vero armaretur aduersus nudum.* Et Socrates. *Verum Imp. Theodosius, dum tyrannum aggrederetur cognoscentes Maximi milites præsentiam instructionis Imperialis, & signorum eius aduentum, ne fama quidem ipsius impetum sustinere valuerunt, sed apprehendentes tyrannum vinctum ei pretinus obtulerunt; qui eorum Consulatu peremptus est septimo & vicesimo die Augusti mensis.*

Trip. c. 2.

Cap. XXIV.

Et in historia vitæ B. Ambrosij à S. Paulino conscripta legitur. *Profectus itaque sacerdos de Thusciæ partibus Mediolanum reuertitur, iam inde egresso Eugenio contra Theodosium Imperatorem: ibique Christiani Imperatoris præstolabatur aduentum, securus de Dei potentia, quod non traderet credentem in se hominibus iniustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem iustorum, ne extenderent iusti ad iniquitatem manus suas. Promiserat enim Arbogastes tunc Comes, & Fabianus præfectus Mediolano egredientes, cum victores reuerterentur, stabulum se esse facturos in Ecclesia Mediolanensi, atque clericos sub armis probaturos. Sed miserandi homines tum dæmonibus malo creduli sunt, & aperiunt os suum in blasphemiam contra Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commonitionis hæc fuit, quia munera Imperatoris, qui se sacrilegis commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus, qui Ecclesiam suam tueri consueuit, de cœlo iaculatus est iudicium, atque omnem victoriam ad religiosum Imperatorem transtulit Theodosium.*

Cap. XXV.

Si quærit denique aliquis, cur S. Martinus ac B. Ambrosius Maximum, qui duos Imperatores, alterum vita, alterum regno expulit, à corpore & sanguine Domini non excommunicauerint, sed tantum redarguerint: & B. Ambrosius Eugenium tyrannum & sacrilegum non excommunicarit, sicut religiosum & Christianum Imperatorem Theodosium pro excessu notissimo: accipiat de Catholicorum & nouissimorum virorum doctrina sibi redditam rationem. Ait enim B. Ambrosius de obitu Theodosij inter cætera. *Dilexi*, inquiens, *virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret. Strauit omne, quo vtebatur, insigne regium, defleuit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei alterum fraude obrepserat, gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator publice agere pœnitentiam: neque vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid, quod præclaram adeptus victoriam: tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit à consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur aduentu.*

Cur Episcopi Imperatores alios excommunicarint, alios non.

Amb. orat. de obitu Theo.

Cap. XXVI.

Ex hoc manifesta ratio satisfacit quærenti, videlicet, quia pœnitentia non coacta, sed voluntaria proficit pœnitenti, sicut scriptum est. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Et, *ex voluntate mea confitebor illi.* Et in Exodo legimus quia viri cum mulieribus, quicquid in cultu, in ornamento tabernaculi necessarium erat, voluntarie obtulerunt, interque donaria & pili caprarum dinumerantur. Per pilos enim caprarum, quibus cilicium conficitur, pœnitentia designatur: sicut in Euangelio Dominus demonstrat, dicens ciuitati reprobæ. *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*: in cilicio quippe asperitas, & punctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco vtrumque hoc ad pœnitentiam adhiberi solet, vt in punctione cilicij cognoscamus, quod per culpam fecimus: in fauilla cineris perpendamus, quid per iudicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens iusta pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit: videat in cinere, quousque peccando peruenit.

Psal. 53. Psal. 27. Exod. 35. Mat. 11.

Cap. XXVII.

Cur autem S. Martinus, & S. Ambrosius prædictos inuasores Imperij non excommunicauerint à corpore & sanguine Domini, & communem cibum cum eis sumpserint, S. Augustinus respondeat in libro de Pœnitentia. *Nos*, inquit, *à communione quenquam prohi-*

bere non possumus, quamuis hac prohibitione nondum sit mortales, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue seculari siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audeat assumere, vt cuiquam ipse sit accusator & iudex? Cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in epistola ad Corinthios breuiter insinuasse intelligitur, cum quibusdam commemoratis criminibus Ecclesiastico iudicio formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim, Scripsi vobis in epistola non commisceri fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis seruientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Non possunt enim homines in hoc mundo uiuentes nisi cum talibus viuere: nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium, conuictumque vitauerint. Vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus comedens: non est opus, inquit, sanis medicus, sed male habentibus, non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Et ideo sequitur Apostolus, & adiungit. Nunc scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur in vobis, aut fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum huiusmodi nec quidem cibum simul sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? nonne de his qui intus sunt vos iudicatis? de his autem qui foris sunt Deus iudicabit. Auferte malum à vobis ipsis. Quibus verbis satis ostendit non temere, & quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione: vt si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne peruerse malos quisque euitando, ab Ecclesia ipse discedens eos quos fugere videtur faciat ad gehennam. Quia & ad hoc nobis sunt in Scripturis exempla proposita, vel in messe, vt palea sufferantur vsque ad vltimum ventilabrum, vel intra illa retia, vbi pisces boni cum malis vsque ad segregationem quæ futura est in littore, hoc est, in fine sæculi, æquo animo tolerentur.

Cap. XXVIII.

Et in libro de Baptismo, *Ioannes dicit alienæ doctrinæ hominibus Aue non esse dicendum: Paulus autem Apostolus vehementius dicit. Si quis frater nominatur inter vos, aut auarus, aut ebriosus, &c. cum huiusmodi nec quidem cibum simul sumere: Et tamen cum collegis fœneratoribus, insidiosis, fraudatoribus, raptoribus, non priuatam mensam, sed Dei altare habebat commune Cyprianus.* Et in Tractatu Psalmi. *Diligamus inimicos corripiamus, castigemus, & excommunicemus cum dilectione, à nobis etiam separemus. Videte enim, quid dicat Apostolus. Si quis autem non obedit verbo nostro per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo. Sed ne subreperet tibi ex hoc iracundia, & turbaret oculum tuum. Non, inquit, vt inimicum eum existimetis, sed corripite vt fratrem, vt erubescat à quo indixit separationem, non præcidit dilectionem. Et alibi, superbo, inquit, oculo, & insatiabili corde huic non conuescebar, id est, non cum illo manducabam. Quomodo nobis proponis hæc, quando ipse non facis? Ad imitationem suam nos hortatur. Videmus eum conuiuatum esse cum superbis, quomodo nos prohibet, ne conuiuemur cum eis? Nos quidem fratres propter correctionem aliquam tenemus nos etiam à fratribus nostris, & non cum eis conuiuamur, vt corrigantur. Cum extraneis potius conuiuamur, & cum paganis, quam cum his qui nobiscum erant, & nobis adhærent, si viderimus eos male viuere vt erubescant, & corrigantur, sicut dicit Apostolus. Si quis non obaudit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo, & non vt inimicum eum existimetis, sed corripite vt fratrem. Facimus hoc plerumque propter medicinam, & tamen cum extraneis multis & cum impiis sæpe vescimur.*

Cap. XXIX.

Et item in tractatu Psalmi. *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ, munus sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est & Simon magus: Prophetia quale munus est? Prophetauit & Saul malus rex, & tunc prophetauit, cum Dauid sanctum persequeretur.* Et item in sermone Euangelii Ioannis. *Talis erat Iudas, & tamen cum sanctis discipulis vndecim intrabat & exibat, ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit, conuersari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De vno pane & Petrus accepit & Iudas, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortem. Quomodo enim ille odor bonus, sic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita & cibus bonus, bonos viuificat, malos mortificat. Qui enim manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, iudicium sibi, non tibi. Tolera malum bonus, vt venias ad præmium bonorum, ne mittaris in pœnam malorum.*

1.Cor. 5. 1.Cor. 11.

Cap. XXX.

Et in tractatu Psalmi. *Quam multos Iudas implet Sathanas indigne accipientes buccellam ad iudicium suum, qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Non malum est quod datur, sed bonum male iudicium datur, bono esse non potest male accipienti quod bonum est.* Et in sermone de verbis Apostoli. *Illud etiam, quod ait. Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodo intellecturi sumus. Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducent & bibant, vt ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant. Numquid & Iudas magistri venditor, & traditor impius, quamuis ipsum primum manibus eius confectum sacramentum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Euangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, & Christus in eo? Multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel cum manducauerint & biberint apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis. Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunque modo quisque manducauerit carnem Christi & biberit sanguinem Christi manet in Christo, & in illo Christus, sed certo quodam modo, quemadmodum vtique ipse videbat, quando ista dicebat.*

1.Cor. 11. Aug. in Psa. 47. Ioan. 6. Aug. serm. de spir. blasphem. 1.Cor. 11

Cap. XXXI.

Et in epistola Concilii ad Donatistas. *Quisquis in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit. Et quicunque in ea corpus Christi manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Cum enim dicit, iudicium sibi manducat, satis ostendit non alteri iudicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam, & personam suam, nec præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis.*

Gala. 6. 1.Cor. 11.

Cap. XXXII.

Veruntamen legimus in vita B. Ambrosii à B. Paolino scripta eum *à communionis consortio Maximum segregasse, & admonuisse illum, vt effusi sanguinis Domini sui, & quod est grauius, innocentis ageret pœnitentiam, si sibe apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum pœnitentiam declinat superbo spiritu, non solum futuram, sed etiam præsentem salutem amisit regnumque quod male arripuerat, fœmineo quodam timore deposuit, vt, procuratorem se Reipublicæ nomine præfuisse confiteretur.* Et in epistola ad Eugenium scripsisse B. Ambrosium. *Quomodo*, inquiens, *meis vocibus, & apud Deum, & apud omnes homines teneor; Aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi consulerem mihi, quia non potui tibi.* Cuius verba decretissima atque saluberrima sequentes nos

Ambr. maximum Cæsarem excommunicauit. Paulin. ibi.

Episcopi Domini oostri Karoli, si acciderit, vt consulere ei non possimus, * sicuti cupimus in temporali sui regni defensione, atque tuitione, & consulamus illi in debitæ fidei * obseruatione. Consulamus & oobis Dei cooperatiooe in debitæ fidei erga illum obseruatione, & cootinua mentis deuotiooe, atque pro eo apud Deum & saoctos eius obsecratiooe, consulamus & nobis, ne pro quacunque cupiditate vel temporali emolumento ab illius debita fide exorbitantes quenquam in illius regnum missis vel Episcopis, vel quibuscunque interountius, iouitemus, nec pro Abbatiis vel honoribus temporalibus atque rebus vel facultatibus oos venundemus, Iudæ similes effecti, qui abieos ad Iudæos dixit. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*

Suadet vt fideles sint Carolo Regi.
* forte deest erga Deū
Mat. 16

Cap. XXXIII.

Est etiam, quoniam ab alio qoocunque iuste & rationabiliter credi ooo poterimus neque debemus, si quocunque terreno lucro vel illata iniuria, salua in Deum fide, seniori oostro fidem non seruauerimus. Io veteri namque populo Samuel propheta, cuius locum in Ecclesia nunc tenent Episcopi: adeo, vt sacra prodit historia, Saul regem pro peccatis suis à Domioo reprobatum luxit, vt dixerit ei Deus. *Vsquequo tu luges Saul cum ego abiecerim eum?* Et Dauid vir bellicosus, & vnus da primoribus Saul, & etiam gener eius, qui in multis noo solum regi, sed & regno profuit, & oon tantum bellis contra aduersarios Saul & regoi eius egit, sed & ipsum regem vexatum à maligno spiritu blandis obsequiis deliniebat, quæsitus frequentissime à rege, vt occideretur, seruans fideliter, quod de proposito rege & domino dixerat: *Imposuisti homines super capita nostra*, Domioum & regem ipsum persecutorem suum vocabat, & & cum sæpe habuerit opportunitatem, vt illum posset occidere, oon solum non occidit, sed & socios ab eius occisione compescuit, dicens. *Absit, vt mittam manum in Christum Domini, quia vnctus Domini est.* Et quia vt signum posset osteodere, quem locum habuerit, vt valeret illum occidere, abscidit oram chlamydis eios, & in se reuersus percussit cor suum, eo quod fœdauerat vestem Domini sui.

1. Reg. 16
Psal. 56.
1. Reg. 24.

Cap. XXXIV.

Vnde B. Gregorius in regula Pastorali dicit. *Admonendi sunt subditi, ne cum culpas Præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic si qua valde sunt eorum praua, apud semetipsos diiudicent, vt tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Quod melius ostendimus, si factum Dauid ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum Domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Quid enim per Saulis, si mali Rectores, quid per Dauid, nisi boni subditi designantur. Saulis igitur ventrem purgare, est prauos præpositos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare, & quasi oram chlamydis præsulis silenter incidunt, quia videlicet dum prælata dignitati saltem innoxie & latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem secant. Nam cum in Præpositis delinquimus eius ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus.*

Greg. 3. past. admon. 5.
1. Reg. 24.
Prælati etiā mali non facile iudicādi.

Cap. XXXV.

Consulamus etiam, quantum adiuuante Domino poterimus, sociis & commilitonibus nostris, exhortantes eos, vt fidem debitam erga eum obseruent, & si qui fuerint, vt audimus, qui dicant, quod omne regnum in manu sua & suorum specialium tenet; de quibus nemo per seruitium, vel per defensionem & vtilitatem regni nisi per pretium obteota tenebit, & nemo, sicut nec de hoooribus, ita nec de familiaritate io eum potest habere fiduciaio, cum omoes quos delíciosos & familiares habuerit exosos dehonorauerit atque abiecerit, & qui improperant Ecclesiasticis vitiis, quod nemo sic Ecclesias per diuersa ingenia oppresserit, atque despoliauerit, licet quædam de rebus pretio suscepto contulerit, & Regnum sic omne vendiderit, de Domini fisi misericordia pro eo talia quæreotibus proponamus, quia, si illum Deus reuerti cum prosperitate fecerit, quod bene cœpit & egit, perficiet. *Et, quia non est homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, mutabitur in virum alium, & hæc erit mutatio dexteræ excelsi. Scriptum est enim. *Verte impios, & non erunt*. noo quia noo erunt in essentia, sed quia non erunt in impietatis culpa, sicut Paulus Apostolus de seipso dicit. *Viuo autem, iam non ego: viuit vero in me Christus.* Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator.

Eccl. 7.
Gal. 2.

Cap. XXXVI.

Consulamus etiam ei, si forte quis fuerit, qui io absentia eius regoum ipsius moliatur subripere, vt moneamus eum de sacramentis inter se, & seniorem nostrum factis, quæ Rex oostet se seruare velle fatetur, & proponamus ei senteotiam Domini prolatam per Ieremiam prophetam cootra Sedechiam, qui iurauit Nabuchodonosor gentili Regi io nomine Domini. *Propterea*, inquit Scriptora, *iuramentum, quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est ponam in caput eius.* Vnde Hieronymus. *Ne putaremus*, inquit, *iuramentum, & fœdus & pactum Regis esse Babylonis, vel Sedechia qui fecerat, sequitur. In præuaricatione qua despexit me. Ergo, qui contemnit iuramentum, illum despicit, per quem iurauit, illique facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarium. Propter quam causam expandam, inquit, super eum rete meum, & comprehendetur sagena mea, & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum illic. Quicquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cuius nomine fuerat peieratum.* Legimus enim Sedechiam captum ductum esse in Reblatha, ibique interfectis filiis excæcatum, & instar feræ clausum cauea translatum io Babylooem, & de grauissima periurij vindicta manifestum est grauissimum peccatum esse periurium, sicut & S. Augustinus in libro ad coosulta Hilarij moostrat.

Ezech. 17
Hieron. ibid.
4. Reg. 25.
Aug. ...

Cap. XXXVII.

Si autem & contra Præpositum suum agentib. consulere oon potuerimus, secundum verba B. Ambrosij consulamus nobis, ne faciamus quacunque cupiditate, vel adulatiooe, vel deceptiooe, vel communicatione, vnde vituperetur ministerium nostrum, & perdamus nomen booum, quod Apostolica regula habere iubet Episcopum etiam ab his, qui foris sunt. Videlicet, si superuenerit Rex alius io regnum Senioris oostri, & non fuerit militaris manus, qui ei resistat, sequamur nos Episcopi, & in ordinatione ordinis oostri, & in conseruationa fidei erga seniorem oostrum Patrum vestigia, & in receptiooe, & io cæteris munus placationis erga superuenturum Regem, videlicet in receptione. Legimus enim S. Basilium cum Clero suo superueoientem etiam Iulianum apostatam boooriabiliter recepisse, & non ob id ab orthodoxæ fidei regula deuiasse, sed quæ suot Cæsaris Cæsari, & Deo Dei sunt reddidisse. Sed & de Missarom solemniis, ac sacra altaris communione vetita & de commo-

Amb. in 1. ep. ad Tim. cp. 26.
1 Tim. 3.
Quidagendū si alienus rex inuadat regnū.
Amphiloc. in eius vita apud Sur. to. 1.

nis mensæ, atque altaris, sacramentorumque participatione satis sufficienter supra de Patrum dictis ostendimus.

Cap. XXXVIII.

De militia quoque ac vectigalibus, quæ iuxta morem antiquum & solitum secundum quantitatem ac qualitatem Ecclesiarum nobis commissarum solet exigere, B. Ambrosii verbis vti, & acta sequi debere putamus quibus dicit sermone, quem de persecutione sua, ad populum orsus est, dicens. *Videte quanto peiores Arriani sunt, quam Iudæi. Illi quærebant, vtrum soluendum putaret Cæsari ius tributi, isti Imperatori volunt dare ius Ecclesiæ. Sed vt perfidi suum sequuntur auctorem, ita & nos, quæ nos Dominus, & auctor noster docuit, respondeamus. Considerans enim Iesus dolum Iudæorum dixit ad eos. Quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Et cum dedissent, dixit, Cuius imaginem habet & inscriptionem? Respondentes dixerunt. Cæsaris. Et ait illis ego dico illis, qui mihi obiiciunt. Ostendite mihi denarium. Iesus Cæsaris denarium Iesus. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Ergo & vidit, & ait. Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei sunt Deo. Nunquid de Ecclesia basilicæ occupandæ possum denarium offerre Cæsaris? Sed in Ecclesia vnam imaginem noui hoc est, imaginem Dei inuisibilis, de qua dixit Deus. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Illam imaginem de qua scriptum est. Quia Christus splendor gloriæ, & imago substantiæ eius. In ista imagine Patrem cerno sicut dixit ipse Dominus Iesus. Qui me videt, videt & Patrem. Non enim hæc imago à Patre est separata, quæ vnitatem me docuit Trinitatis, dicens. Ego & Pater vnum sumus. Et infra. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Et de Spiritu sancto dicens, quia Spiritus Christi sit, & de Christo acceperit, sicut scriptum est. Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quid igitur non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit non negamus. Agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Et S. Augustinus in libro de Catechizandis rudibus. *Dicit & apostolica*, inquit, *doctrina, vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit & vt reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, & cætera, quæ saluo Dei nostri cultu constitutionis humanæ Principibus reddimus, quando & ipse Dominus, vt nobis huius sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus tributum soluere non dedignatus est. Iubentur autem etiam serui Christiani, & boni fideles Dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque seruire; quos iudicaturi sunt, si vsque in finem iniquos inuenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si & illi ad verum Dominum conuersi fuerint. Omnibus tamen præcipitur seruire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum, quod significant septuaginta anni ab ista huius seculi confusione tanquam de captiuitate Babylonia, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia.* Et S. Ambrosius in sermone ad populum. *Allegatur*, inquit, *Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est. Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.*

Cap. XXXIX.

Et S. Gelasius in epistola ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt*, inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter mundus regitur hic, auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas: in quibus tanto grauius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti n. fili clementissime quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis: inque sumendis cælestibus Sacramentis eisque vt competit disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Et S. Ambrosius in sermone ad populum de persecutione sua. *Conuenior ipse à Comitibus & Tribunis vt basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imp. iure suo vti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, si me peteret, quod meum esset, i. fundum meum, argentum meum ius huiusmodi meum non refragaturum, quanquam omnia quæ mea sunt essent pauperum: verum ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta.* Et in alio sermone. *Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere? Accipiat enim vocem liberi Sacerdotis si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria. Hæc plena humilitatis sunt, & vt arbitror, plena affectus eius, quem Imperatori debet Sacerdos.*

Cap. LX.

In his B. Ambrosii sententiis attendenda est discretio canonica de facultatibus, tam Episcopi, quam Ecclesiæ. Aiunt enim sacri canones, vt quæ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine, & conscientia bona & fide, quæ in Deum est qui cuncta considerat iudicatque, seruentur, quæ etiam dispensanda sunt iudicio & potestate Pontificis, cui commissus est populus, & animæ, quæ intra Ecclesiam congregatur. Manifesta vero sunt, quæ pertinere videntur Ecclesiæ cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum Episcopum sunt, ita vt cognoscant, nec ignorent, quæ sint Ecclesiæ propria; nec eos aliquid lateat, vt si contigerit Episcopum migrare de sæculo certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereat, nec quæ propria probantur Episcopi sub occasione rerum pertradantur Ecclesiæ. Iustum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, vt sua Episcopus, quibus voluerit, derelinquat, & quæ Ecclesiæ, vt nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ.

Cap. XLI.

Et sicut Episcopos & suas & Ecclesiasticas facultates sub debita discretione in vita sua dispensandi habet potestatem, ita facultates Ecclesiæ viduatæ post mortem Episcopi penes œconomum integræ conseruari iubentur futuro successori eius Episcopo, quoniam res & facultates Ecclesiasticæ, non in Imperatorum atque Regum potestate sunt ad dispensandum, vel inuadendum, siue diripiendum, sed ad defendendum atque tuendum. Sunt enim sanctuaria, & hæreditas Domini: sicut & veteris & noui testamenti sanctarum Scripturarum paginis legimus. Sunt *vota fidelium pretia peccatorum, patrimonia pauperum.* Et non solum in vectigalibus stipendiariis militiæ & Ecclesiis debitis & Regibus deseruire iubemur, verum & in orationibus, sicut S August. in libro de ciuitate Dei ostendit. *Quamdiu*, inquiens *permixtæ sunt ambæ ciuitates*, (scilicet, Hierusalem, hoc est Ecclesia, & Babylon, quæ est mundana potestas) *vtimur & nos pace Babylonis: ex qua ita per fidem Dei populus liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur. Propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiam, vt oraret pro Regibus eius atque sublimibus addens & dicens, vt quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate. Et propheta Hieremias cum populo veteri Dei venturam prænunciaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter in Babyloniam irent Deo suo etiam ista patientia seruientes, monuit & ipse vt ora-*

retur pro illa, dicens, quia in pace eius erit pax vestra, vtiq; interim temporalis, quæ bonis malisque communis est. Pax autem nostra propria & hic est cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per speciem. Pro quibus Apostolus Paulus iubet orari, etiam cum persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Itaque per ipsos data pax est Ecclesiæ, quamuis ista non esse facienda æstimaret humanæ cogitationis infirmitas pro his à quib. persecutionem patiebatur Ecclesia, cuoi mẽbra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Vnde adiungit, & dicit. *Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

1. Tim. 2. — Ibid.

Cap. XLII.

Si denique Rex noster fuerit, anouente Deo, reuersus recipiamus eum cum gaudio, & de sibi ac Ecclesiæ atque Regni necessariis in postmodum procurare Episcopaliter illum commoneamus, & prosperitati suæ congaudeamus. Si vero, quod non optamus, aliter iudicio Dei contigerit, deuotionem ac fidem debitam erga illum sinceriter custodientes, sicut scriptum est, dicamus & ore Domino. *Exultauerunt filiæ Iudæ*, id est, confessionis humillimæ, *in omnibus iudiciis tuis Domine.*

EPISTOLA VI.

AD EOSDEM EPISCOPOS Rhemensis Diœcesis.

ARGVMENTVM.

IOannes Papa VIII. miserat ad Episcopos Francorum capitula quædam ex Sacris canonibus collecta, Hincmarus itaque vt Episcopus Metropolitanus suæ prouinciæ, hac Epistola, vel Tractatu respondet se suosque illa reuerenter suscipere, sed ea cõditione, vt Metropolitanus sua antiqua iura, & Ecclesiis earũq; ministris tã Presbyteris quã Episcopis vetera priuilegia salua & inconcussa maneãt. Quod probat primo, quia ita in Nicænis canonibus spiritu Dei cõditis, & totius mundi reuerentia, vt loquitur B. Leo, consecratis, aliarumque Synodorum sanctionibus cautum est. 2. quia ipsi Pontifices Romani decreuerunt vetera statuta de iuribus & priuilegiis sedium nulla ratione esse conuellenda, imo declararunt sedis Romanæ officium esse exequi synodorum decreta, & veteres tueri canones. 3. quia dum summi Pontifices in remotis regionibus vices suas quibusdam commisere, vt Hermisda olim B. Remigio Rhemensi Episcopo, B. Gregorius I. Virgilio Arelatensi Episcopo, Zacharias I. S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, semper eas commisere saluo iure Metropolitani, Quare & grauiter reprehensi sunt olim, qui alienarum sedium, vt fecere Patriarchæ Constantinopolitani, iura inuolarunt, & Anathematis etiam fulmine à Pontificibus icti, vt liquet ex priuilegio Rhemensi Ecclesiæ dato à Benedicto III. quod in fine recitatur. Ac tandẽ concludit nihilominus à Metropolitana sede appellare posse ad Apostolicam, ab hac vero ad aliam nullam, quippe cui & Regi parere debeant.

Cap. I.

Ioan. 8. decreta.

DOmini, & Sanctissimi ac Reuerendissimi Patris nostri Apostolici Papæ Ioannis decreta ex sacris Canonibus promulgata, sicut & sancti decessores, ac prædecessores sui ex eisdem Sacris canonib. spiritu Dei conditis, & totius mundi reuerentia consecratis, promulgauerunt, quantum ex nobis est, non præiudicantes sententiis fratrum & Coepiscoporum nostrorum, qui absentes sunt, ad quos hæc sua scripta mittuntur, reuerenter suscipimus, singulis Metropolitanis suo iure seruato, velut mystica Nicæna Synodus irrefragabiliter seruari decreuit, dicens. *Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per vnam quamque prouinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.*

Cap. II.

Quæ sancti & magni Concilii Nicæni decreta B. Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopũ ita explanat, dicens. *Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ* [a] *vna omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus esse necessarium custodire quæ super diœcesin suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam aliam prouinciam recognoscimus constitutam.* Et Bonifacius Papa scribens ad Hilarium Narbonensem Episcopum. *Conuenit*, inquit, *nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, (vt eadem propriè verba ponamus.) Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, sanctando sancto Spiritu suggerente sibimet, censuerunt.* Et post aliquanta, *Quod idcirco decimus, vt aduertat caritas tua adeo nos canonum cautius præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.*

[a] vnam.

Cap. III.

Et sancta Synodus Episcoporum Africæ prouinciæ scribens ad S. Cælestinum Papam. *Decreta*, inquit, *Nicæna, siue inferioris gradus clericos, siue Episcopos ipsos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim, iustissimeque prouiderunt, quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda. Nec vnicuique prouinciæ gratiam sancti spiritus defuturam, quâ æquitas à Christi sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur: maxime, quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare.* Et hinc S. Cælestinus ad rei firmitatem commemorans decreta præfati Bonifacii, decreuit, vt vnaquæque prouincia suo Metropolitano debeat esse contenta, dicens. *Primum, vt iuxta decreta canonum vnaquæque prouincia suo Metropolitano contenta sit, vt decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec vsurpationis locus alieno sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus: alter in alterius prouincia nihil præsumat.* Et item idem. *Nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si Decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangantur?* Et S. Leo ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum. *Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, sine Primatibus nihil oportet* [a] *inquiri.*

[a] impleri.

Cap. IV.

Et quia ſancta Romana Eccleſia, cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum in B. Petro principe Apoſtolorum eſt commiſſa, plures Metropolitanos in ſpeciali ſua diœceſi habet, ſicut S. Leo apud Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum monſtrat. Similiter & Alexandrina Eccleſia in ſua diœceſi. Sed & Antiochena Sedes nonnullos Metropolitanos in ſua diœceſi habet, ſicut S. Innocentius ad Alexandrum eiuſdem Sedis Epiſcopum ſcribit, & in Eccleſiaſticis hiſtoriis, ac Synodalibus geſtis inuenimus eiſdem etiam Metropolitanis, quos ſuis Vicariis ſancta Romana commiſit Eccleſia ſecundum Nicenos ſacros canones ſua iura decreuit ſeruari, veluti ad eundem Anaſtaſium idem B. Leo ſcribens. *Igitur*, inquit, *ſecundum ſanctorum Patrum canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præſtitutis nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant.* Attendendum eſt igitur, ſi Apoſtolica Sedes Metropolitanis ſuæ ſpecialis diœceſeos, ſicut in Epiſtolis B. Gregorii ex Regeſto legimus, quos propter longinquitatem ſuas vices agentibus delegauit, ſua iura ſecundum ſacros Nicænos canones ſeruari præcepit. Sicut & in epiſtola præfati Leonis ad prædictum Anaſtaſium dicitur. *Si quid graue*, inquiens, *intolerandumque geſſiſſet* (metropolitanus) *noſtra erat expectanda cenſura, vt nihil prius ipſe decerneres, quam quod nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus caritati, vt in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.*

Cap. V.

Illis Metropolitanis, (qui & Primates multoties in Sacris canonibus appellantur, quique in loco defunctorum Archepiſcoporum & Metropolitanorum ab Epiſcopis vniuſcuiuſque prouinciæ ſine interrogatione alterius Primatis præualent ordinari, & ex antiquæ conſuetudinis lege à ſede Apoſtolica, cui ſollicitudo & prælatio omnium Eccleſiarum in Primatu eſt S. Petri collata, pallii ſolent genio inſigniri, & in loco decedentium Epiſcoporum ſine conſultu, vel licentia Primatis alterius, in ſua prouincia, quique poſſunt Epiſcopos ordinare) ſua iura debent modis omnibus ſecundum eoſdem ſacros Nicænos canones conſeruari: qui inuiolabiliter decreuerunt, vt ſicut Alexandrinæ Eccleſiæ, (quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt) ſimiliter & apud Antiochiam, cæteraſque prouincias ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis. De quibus Sacris canonibus præfatus S. Leo ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ita paſſim dicit. *Poſt conſecrationem Antiocheni Epiſcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vendicaſti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe * prolapſam, vt ſacratiſſimas Nicænorum canonum conſtitutiones conareris infringere, tanquam opportune ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, vt his locis iuri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis & nunquam ante tentatis, ita prauenires exceſſibus vt ſanctam Synodũ, ad extinguendam ſolum hæreſin, & confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam in occaſionem ambitus trahas, & vt conniuentiam ſuam tibi dedat, impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo.*

Cap. VI.

Conſona his & in aliis Decretis Apoſtolicæ ſedis habentur. Quod ſi & omnes Sacerdotes, mundus adſentiat, damnato conſentientes inuoluit, non præuaricanonum conſenſus abſoluit. Non enim crimen minuitur, ſed accreſcit, cum generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Et item S. Leo ad præfatum Anatolium. *Illa*, inquit, *Nicænorum canonum per ſanctum vere ſpiritum ordinata conditio in nulla vnquam parte eſt ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis numerus Sacerdotum comparare ſe audeat, vel præferre, cum tanto diuinitus ſit priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.* Et paulo poſt. *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato manſuras vſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum condiderunt & apud nos in orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſi quid vſquam aliter quam illi ſtatuere præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa. Et manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres nemo in ius tendat alienum, ſed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine caritatis ſe exerceat. Alia enim ſunt ſedes, aliud præſidentes & magnus vniuſcuiuſque honor eſt integritas ſua.*

De Auctoritate Nicæn. canonũ Ibid. Nic. Conc. 6. & 7.

Cap. VII.

Et item idem ad Synodum Chalcedonenſem ſcribens, *De cuſtodiendis*, inquit, *Sanctorum patrum ſtatutis quæ in Synodo Nicæna inuiolabilibus ſunt fixa decretis, obſeruantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, vt iura Eccleſiarum, ſicut ab illis CCCXVIII. Patribus diuinitus inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim exortis aſſentationibus ſeſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos infirmum atque irritum erit, quicquid à prædictorum Patrum canonibus diſcreparit. Quorum regulis Apoſtolica ſedes quam reuerenter vtatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra lectione cognoſcere, & me auxiliante Domino noſtro, & Catholicæ fidei, & paternarum traditionum eſſe cuſtodem.* Et ad Martianum Auguſtum. *Priuilegia Eccleſiarum ſanctorum Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meũ tendit reatum, ſi paternarum regula ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen ſpiritu Dei inſtruente, ſunt condita, quod abſit, * conniuente violentur, & maior ſit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuerſa domus Domini communis vtilitas.*

Leo ep. 61.

Nicænos nulla ratione trãſgrediẽdos.

Leo ep. 54. 25. q. 2. c. priuilegia.

* cohibet.

Cap. VIII.

Et ad Pulcheriam Auguſtam. *Contra ſtatuta paternorum canonum, quæ ante longiſſima ætatis annos in vrbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil cuique audere conceditur: ita vt ſi quis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ ſi, vt oportet à cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniuerſas Eccleſias tranquilla erit pax & firma concordia, nulla de menſuris harũ diſſenſiones, nulla de ordinationibus lites, nulla de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni vſurpatione certamina, ſed ea quæ iure caritatis rationabilis eſt, & morum & officiorum ſeruabitur vnani-*

Ep. 55.

mitas. Et ille vere erit magnus qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino. Quicunque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare. Et tamen hac illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infirmis ad summa transire. Et ad Maximū Antiochenum Episcopum. *Tanta apud me est Nicaenorum canonum reuerentia, vt ea quae sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etsi enim diuersa nonunquam sunt merita Praesulum, tamen iura permanent Sedium, quibus etsi possunt aemuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quod si quid à quoquam contra Nicaenorum canonum statuta in quacunque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil praeiudicii potest inuiolabilibus inferri decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolui, quam praedictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi.* Quoniam vniuersae pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur. Quicquid & praeter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicaenum diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat Apostolicae Sedis nunquam poterit obtinere consensum.

Mat. 10. Mar. 10. Ep. 61.

Sedibus Episcopalibus iura auferri nō debent ob prauos Episcopos.

Pax seruari nō potest, nisi canones seruantur.

Cap. IX.

Et sanctus Papa Hilarius ad Leontium, Veranum, & Victorium, Episcopos, inter caetera ad locum. *Ita vestrae caritati cognitionem adnexae querimoniae delegamus, vt nihil aduersum venerandos canones, nihil contra sanctae memoriae decessoris mei iudicium valeat, quicquid obreptū nobis esse constiterit. Nolumus namque fratres charissimi, Ecclesiarum priuilegia, quae semper sunt seruanda, nec in alterius prouinciae Sacerdotis alterum ius habere permittimus, quia per hoc non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in iniuriam ipsius Domini prosilitur, cum expectatio fructus nostri ministerii non in regionum latitudine sed in acquisitione ponitur animarum.* Et item idem ad Episcopos diuersarum prouinciarum. *Hac ad vniuersam caritatem vestram, & iam per fratrem & coepiscopum nostrū Antonium scripta direximus. Quibus admoniti communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam frater in alterius prorupturus iniuriam trāscendat terminos venerandis Patribus constitutos. De quibus terminis Antiochenum Concilium in magna Synodo Chalcedonensi collaudatum cap. 13. dicit. Nullus Episcopus ex alia prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum videantur praebere nonnulli, nisi literis tam Metropolitani, quam caeterorum, qui cum eo sunt, Episcoporum rogatus aduenıat, & sic ad actionem* ordinatio accedat. Si vero nullo vocante inordinato more de properet, super aliquibus ordinationibus, & Ecclesiasticis ordinationibus ad eum nō pertinentibus componendis, irrita quidem, quae ab eo geruntur existant: ipse vero in composito motus sui, & irrationabilis audaciae subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à sancto Concilio.* Et consona huic dicit in capite XXII. cuius conclusio talis est. *Si ordinare non potuerit, nullatenus iudicabit.*

Hila. ep. 2.

Episcopus in alienā prouinciam nullum ius habet.

Conc. Antioch. Episcopus in alterius prouincia non potest ordinare. * ordinis.

Cap. X.

Et hinc S. Gelasius in decretis ad omnes Episcopos de institutis Ecclsiasticis. *Cumque*, inquit, *nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nihil licere, & cum Sedes Apostolica superior his omnibus, fauente* Domino, *quae paternis canonibus sunt praefixa, pio deuotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quenquam vel Pontificum vel Ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedem & sequi videat & docere: satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiae in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat vbi Dominus totius Ecclesiae posuit principatum.* Attendendae summopere sunt omnibus nostratibus inter caeteros praecipue horum duorum heroum sententiae, Leonis & Gelasii, ne praesumant discipuli, quod licere sibi Magistri non voluerunt & si ad tanti tonitrui magniuocum sonitum tremunt cedri, quid faciendum sit tabulis? Ait enim Leo, quod Nicaenorum canonum *per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla cuiquam sit parte solubilis.* In qua sententia nulla persona excipitur, quacunque praedita potestate vel dignitate. Et Gelasius *Cumque*, inquit, *nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nil licere, satis indignum est quenquam hanc obseruātiam refutare, quam B. Petri Sedem & sequi videat & docere.* Hinc S. Augustinus tempore prior, loco posterior, & ab omnibus Sedis Apostolicae Pontificibus in suo tempore, ac post suum obitum, imo & à cuncta Catholica Ecclesia inter magistros optimos receptissimus in libro de vera religione dicit. *Spiritualis homo iudicat omnia: ipse autem à nemine iudicatur, id est, à nullo homine, sed à sola ipsa lege, secundum quam iudicat omnia, quoniam & illud verissime dictum est. Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Omnia ergo iudicat, quia super omnia est, quando cum Deo est, cum illo a. est, quando purissime intelligit, & tota caritate, quod intelligit. Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam fit, secundum quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cum eas instituunt; tamen cum fuerint institutae atque firmatae, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium si vir bonus est & sapiens illam ipsam consulit aeternam, de qua nulli animae iudicare datum est, vt secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandumue quae discernat. Aeternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est.*

Gelas. 1. ep. 1. ad Episc. per Lucā. & Brut. cap. 12. * super.

Canones obseruandi à Sede Romana ab omnibus obseruādi. Leo ep. 53.

Gelas. 1. ep. ad ...

Rom. 14. 2. Cor. De lege nullus iudicare potest.

Cus de Legib.

Cap. XI.

Cuius sententiam & B. Gelasius confirmat in decretis ad episcopos per Dardaniam constitutos, dicēs. *Confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiae probauit assensus, nullam magis exequi sedem praeae cęteris oportere quamprimam quae vnamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet.* Et Symmachus Papa ad Caesarium Arelatensem Episcopum. *Rationabile est, vt sancta Arelatensis Ecclesia propriis priuilegiis perfruatur, & quod vetustas praestitit, & Patrum auctoritas roborauit noua non debet violare praesumptio: sic tamen, vt caeterarum Ecclesiarum priuilegia temporibus acquisita nō titubent, quia non potest ex parte firmum esse quod generaliter tangit iniuriam. Manentibus siquidem his quae Patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus, vt circa ea, quae tam in Gallia, quam in Hispania prouinciis de causa religionis emerserint sollertia tua fraternitatis inuigilet.* Et post aliquanta. *Igitur quemadmodum supra diximus, per singulas Ecclesias beneficia, quae sunt diu custodita seruentur.* Et hinc S. Hormisda in epistola ad B Remigium Remorum Episcopum scripsit, dicens. Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. ** Suscipientes plena fraternitatis tuae congratulatione colloquia, quibus nos germanae salutis tuae laetificauit indicio corporali cum spiritualibus officiis * incolumitas subnixa congruum esse perspeximus hanc ipsam quam mente gerimus verbis aperire laetitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dum &*

Gelas. 1. ep. ad Ep. Dardan. 11. q. 3. c. ... Matth. 16.

Romanae sedes maxime debet seruare decreta Concil. gener.

Priuilegia Ecclesiis olim concessa non violanda.

Hec epist. est in vita sācti Remigii.

Sur t. 1. * suscipientes * incolumitate.

iudicanda facit, & ea insinuare non differs. Prærogatiuam igitur de nostis sumpsimus electione iudicii, quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum ebuximus imperamus, vt in prouinciis tanta longinquitate disiunctis & Apostolicæ Sedis vigorem, & Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filii nostri [a] *Ludouici, quem nuper adminiculante superna gratia plurimis, & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationē salutiferam comitantibus ad fidem cum gente integra conuertisti, & sacro dono baptismatis consecrasti, salutis priuilegiis, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas præsenti auctoritate committimus, augentes studio bonis participationis ministerii dignitatem, reuelantes nostras* [a] *eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probanimus actum vniuersa seruari, gratius tamen esse solet, si iterum trames ostenditur, & laboraturis inuictis operis forma monstratur. Paternas igitur regulas & decreta sanctissimis diffinita Conciliis ab omnibus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in curam & fraterna monita cohortatione ostendimus. Hic ita, quanta dignum est, reuerentia custodiens nullum relinquit culpa locum sanctæ obseruationis obstaculum, ubi sanctisque præscriptum est; ubi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare, ubi concessum, quid debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties vnius causa poscet religionis causa Concilium, te cuncti fratres inuocanti conueniant: & si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa* [a] *sacra lege determinanda certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel remedia dispensatione præceptum, vel persona nostra auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat. Eo fit, vt noster animus officia caritate dati, & tuus securitatem fruetur accepti. Deus te incolumem custodiat frater carissime.*

Cap. XII.

Et S.Gregorius in epistola ad Virgilium Arelatensem Episcopum: *Fraternitati tuæ*, inquit, *vices nostras in Ecclesiis, quæ sub Regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti iuxta antiquum morem Deo auctore committimus. Singulis siquidem Metropolitis secundum priscam cōsuetudinem propriis honore seruato pallium quoque transmisimus.* Et in epistola ad Dominicum Carthaginensem Archiepiscopum: *De ecclesiasticis*, inquit, *priuilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc post posita dubitatione teneat, quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua iura seruamus. Nec cuilibet fauente gratia, vltra quam meretur impartior, nec vlli hoc quod sui iuris est ambitu stimulante derogo: sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subue[hi], dummodo non sit, quod alteri iure ab altero possit oppo[ni].* Et ad Natalem Salonitanum Episcopum. *Quæ*, inquit, *dicitis nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.*

Cap. XIII.

Hæc ita vt supra ostensum est, de antiquo iure singulis Metropolitanis seruando, & subsequentes sacrā Nicænam Synodum Conciliorum canones statuerunt. Scilicet Antiocheni, dicentes. *Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere. Propter quod ad Metropolitanam omnes vndique, qui negotia videntur habere, concurrant.* Et reliqua Et Constantinopolitani canones decreuerunt, vt illa quæ sunt per vnamquamque prouinciam ipsius prouinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio. Et vniuersale Chalcedonense Concilium dicit: *Regulas*, inquiens, *Sanctorum Patrum per singula nunc vsque Concilia constitutas proprium robur obtinere decreuimus.* Et item idem. *Decreuit itaque sancta Synodus secundum Patrum canones bis in anno Episcopos in idipsum in vnaquaque prouincia conuenire, quo Metropolitanum antistes probauerit, & corrigere singula si qua fortassis emerserint.*

C. Chal. act. 15. c. 1. 25. q. 1. c. Idcirco. C. Chal. act. 15. c. 19.

Cap. XIV.

Sic & Africæ prouinciæ sancta Concilia decreuerunt, vt quæ in Nicæno Concilio statuta sunt omnimodo conseruentur; & vt qui posterius ordinati sunt prioribus se non audeant anteferre. Vnde inter cætera ad locum dicit Aurelius. *Non decurrat*, inquiens, *vt hæc repeteremus, nisi forte exstiterint inconsiderata mentes quorundam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerint sensus. Sed communis hæc causa est, quam insinuauit frater & consacerdos noster* [a] *Valentinus, vt vnusquisque nostrū ordinem sibi decretum à Deo cognoscat, & posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Quæ de re dico, prout captus animus meus retinet; eos, qui putauerint spretis maioribus aliquid præsumendum competenter esse ab omni Concilio coercendos. Xantippus Episcopus primæ Sedis Numidiæ dixit. Audiuit omnium fratrum præsentia prosecutionem fratris & consacerdotis nostri Aurelii, quid ad hoc respondent? Datianus Episcopus dixit. Quæ maiorum decreuit sententia, nostro assensui mancipabuntur, vt quæ præteritorum Conciliorum gesta tenentur Carthaginensis Ecclesiæ nostra assensione plene apud omnes firma teneantur. Vniuersi Episcopi dixerunt. Hic ordo & à Patribus, & à maioribus seruatus est, & à nobis Deo propitio seruabitur, saluo etiam iure Primatus Numidiæ & Mauritaniæ.*

C. Aphric. sub Bonif. 1. c. 55. Decreuit semel in Conciliis sunt seruanda. [a] Valentinus.

Cap. XV.

Et item idem sacri Canones, *Placuit, vt quicunque deinceps ordinantur per prouincias Africanas litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas continentes Consulem & diem, vt nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.* Vnde Pelagius antecessor S. Gregorii ad Hildebertum Regem Francorum scribit de Sapaudo Arelatensi Archiepiscopo increpās eum, vt ipsius verbis vtamur; *quoniam ad petitionem Episcopi ab eo ordinati in iudicium sequentis, coniuratis Episcopis, (quod nulla Ecclesiastica lege & ratione cōceditur) iudicandum iuberetis occurrere, vt ipso de conculcato loci sui præiudicio conquerente, illum, qui vsurpauit, necesse sit de illicita præsumptione culpari.* Et sic Gregorius vigilantissime seruari decreuit, vt posteriores se prioribꝰ nō præferāt, & vt nullus Metropolit. in alteriꝰ Metropolit. prouincia, inconsulto eo, quiddam iuris præsumat, scribens ad Augustinum Anglorum Episcopū. *In Galliarum*, inquit, *Episcopis, nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minime debemus.* Et post aliquanta. *Ipse auctoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo bona quoque opera tua eis imitanda monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studium reforma, quia scriptum est in lege. Per alienam messem transiens falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere & manducare. Falcem enim iudicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis expolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo, conuerte. Quod vero ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi Episcopo agatur ne prætermitti possit hoc, quod antiqua Patrum institutio inuenit.*

Conc. Mileuit. c. 14. Ordinandi accipiūt formatas. Pelag. 1. Habetur tom. 7. Baron. ad an. 556. Posteriores Episcopi prioribus se non præferant. Greg. in registr. 9 tom. 2. Cent. 21 q. 1. c. in Galliarum. Dist. 23.

Cap. XVI.

Episcoporum causa ad Primatem deferēdu. Vide Grat. Causa 6. q. 4.

Et quod de vno hoc Primate Gallicano, qui à Sede Apostolica pallium acceperat, dixit, hoc & de reliquis Gallicanorum & Belgicorum atque Germanicorum Primatibus est vtique intelligendum. Inter quos sicut & inter reliquos Episcopos hæc conditio regularis seruatur, vt qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur. velut idem S. Gregorius in alia epistola ad præfatum Augustinum patenter ostendit. De quibus Primatibus idem sacri canones dicunt, vt quisquis Episcoporum accusatur ad Primatem prouinciæ ipsius causam deferat accusator. Et qui prouocandum putauerint, ad Primates suarum prouinciarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est, prouocent. Et Episcopus, qui ad Synodum non occurrerit, ad Primatem suum iubetur rationem impedimenti sui reddere. Et si Episcopi, inter quos causa versatur, diuersarum sunt prouinciarum, ille Primas debet iudices dare, in cuius prouincia est locus, de quo contenditur. Et quæstio per Episcopos iudices iubetur finiri, siue quos Primates dederint, siue quos inter se conquirentes vicinos ex consensu delegerint.

C. Aphric. c. 43.

Cap. XVII.

Prioratus ordo etiā inter presbyteros seruandus. Leo ep. 5

Ordo autem ac prærogatiua prioratus non solum secundum sacros Canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum inter Episcopos est conseruandus, verum & inter presbyteros, sicut S. Leo in decretali sua Epistola ad Dorum Beneuentanæ ciuitatis Episcopum ex eisdem Sacris canonibus promulgata inter cætera dicit ad locum. *Si ambientis intentio, aut imperita fauentium studia, id, quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, vt incipiens emeritis, & nouellus præferretur antiquis, tua fuerat industria atque doctrina, vt iniuste petentiū desideria rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in * sacerdotali propere prouehas honore, ad iniuriā eorum, * quibus inciperet. Miror quis sic fieret, dum in illo non humilitatis virtus, sed * elationis vitiū roboraretur. Neque enim ignorabas dixisse Dominū, quod qui se humiliat, exaltabitur: qui vero se exaltat, humiliabitur. eūdemq; dixisse. Vos autē quæritis de pusillo crescere, & de * honore maiores esse. Vtrumq; enim inordinatum, vtrumque præposterum est, & omnis laboris fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur si tantū quis adsequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit, vt cupiditas eminendi non solum superbientē muniat, sed etiā * conniuentem. Si vere, vt asseritur, * primi secundique presbyteri circa Epicarpiū sibimet præponendum, * tam huic assentatio fuit, vt illis cum sui dedecore poscerent honorari, nec hoc quidem illis proprio suo iudicio desicientibus, tribui debuit, quod volebant, * cui tam misera volūtati te dignius fuerat obuiare quā cedere. Deformis autem & ignaua subiectio bene sibi conscio, & non seritam facientibus gratiā Dei prauidicare non potuit, vt Primates suos quocunque commercio in alterutrū trāsferentes subsequentium suorum minuerent dignitatem, & * quem vltimum sibi ante posuerant, cæteris præmiuerit. Prædicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet priuari etiam sacerdotio mererētur, tamen, vt cū pro Apostolicæ sedis pietate parcatur, vltimi inter omnes Ecclesiæ Presbyteros habeantur. Et vt iudicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, cæteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem vnicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. Nec quisquam præter prædictos duos, imminuta dignitatis patiatur iniuriam sed in eorum statum tantummodo hoc recurrat opprobrium, qui nouello & immature ordinato inferiores fieri elegere, vt illam Euangelicam sententiā ad se sentiant pertinere, qua dicitur. Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: & qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Paulus vero presbyter ordinem suū, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat. nec vlterius aliquid in cuiusquam præsumatur iniuriam*

* Sacerdotio. * quibus sociabatur incipientes minorari, qui. * fauoris * maiorte minores esse * cohibentē * Primi secundisque. * tanta hæc. * cum * quia

Punitur presbyter qui sius loci sui alteri dedit.

Matt. 7 Marc. 4.

Cap. XVII.

Hæc ita de iure singulis Metropolitanis conseruanda, & vt posteriores se prioribus suis non præferant, sed ordinem sibi à Deo traditum quique conseruare procurent à Nicænis canonibus spiritu Dei conditis & totius mundi reuerentia consecratis, cæterisque sacris canonibus irrefragabiliter decrens, ac prouidentia & auctoritate Pontificum Apostolicæ sedis ex eisdem canonibus promulgatis, ad eorum quiscunt memoriam, vel nescientium forte notitiam commemorare debere putauimus, quoniam in Cisalpinis prouinciis delegatio vicium Apostolicæ sedis propter Simoniacam hæresin extirpandam, & ad præsumptionem, qua laici potentes repente tonsurabantur, & ordinabantur Episcopi, amputandam, sicut in Apostolicæ Sedis Pōtificum, maxime autem in B. Gregorii epistolis legimus, fuit exorta, priuilegiis singularum prouinciarum Metropolitanis incōcusse iuxta sacras regulas conseruatis. Quæ temporibus Theodosii & Honorii Imperatorum Pontificatu Papæ Zozimi per septem prouincias, scilicet, Viennensem, Lugdunensem, Nathonensem primam & secundam, & Alpinam, & nouam populanam, & secundam Aquitanicam emanauit, vt de his prouinciis honorati, vel possessores iudices, & Episcopi præfatarum prouinciarum ab Idibus Augusti quibuscunque mediis diebus in Idus Septembris in Vrbe Arelatensi, quæ & Constantina vocatur, ad Concilium forense vel Ecclesiasticum conuenirent. Ita vt de noua populana & secunda Aquitanica, quæ prouinciæ longius constitutæ sunt, si eorum iudices & metropolitanos occupatio certa retineret, legatos suos iuxta consuetudinem mitterent, sicut in edicto præfatorum imperatorum, & in epistolis Apostolicæ sedis Pontificum inuenitur. Deinde hic Primatus per præfatas prouincias Viennensi ciuitati commissus est, indeque hanc sollicitudinem Episcopus Arelatensis recepit.

Cap. XVIII.

Demum in regno Chlodouei nuper eum integra gente ad fidem conuersi per sanctam prædicationem B. Remigii Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis B. Ormisda vices suas eidem S. Remigio Remorum Durocortorum antiquæ Metropolis Episcopo, quæ præcedentibus temporibus habuit sub se 12. ciuitates, videlicet, Suessionsi, Catalaunorū, Veromandorum, Attebatum, Camaracensium, Tornacēsiū, Siluanectum, Belgiuagorum, Ambianensium, Morinum, idem Ponticum Bononiensium, & Laudunum clauatum. (In quo castro ex sua parochia idem S. Remigius Africanorum canonum, & Apostolica fultus auctoritate constituit Episcopum) per Belgicas & quasdam prouincias Gallicanas commisit vt Dei Ecclesias, quas Franci adhuc pagani deuastauerunt, & incenderunt, vuiuersa prædantes, & quæcunque perpetam gesta fuerant ad debitum statum reduceret, manente priuilegio Arelatensi Ecclesiæ in sibi antiquitus delegans prouinciis.

Cap. XIX.

Postea vero tempore B. Gregorii Virgilius Arelatēsis Episcopus petente Childeberto Rege in Regno ipsius, sicut decessores illius in præfatis prouinciis habuerunt, hac delegationem eodem B. Gregorio committente suscepit. Denique tempore Caroli Principis, quādo propter discordiam & contentionem de principatu inter eum & Raganfredum, & frequentia ac ciuilia, imo plusquam ciuilia, quia intestina & parricidalia bella, in Germaniis & Belgicis, ac Gallicanis prouinciis omnis religio Christianitatis pœne fuit abolita,

abolita, ita vt Episcopis in paucis locis residuis Episcopia laicis donata & rebus diuisa fuerint: (adeo vt Milo quidam tonsura clericus, moribus, habitu & actu irreligiosus laicus, Episcopia Remorum ac Treuirorum vsurpans insimul, per multos annos pessum dederit. & multi iam, maxime in Orientalibus regionibus idola adorarent, & sine baptismo manerent) Gregorius à primo secundus, sed & tertius Gregorius VVinfrid, cognomento Bonifacium Legatum Apostolicæ Sedis ad reformandam Christianitatis religionem, primo presbyterum, postea vero Episcopum ordinatum direxerunt. Cui per annos XXV. in eadem prædicatione sine cardinali sede laboranti, præfatorum successor Zacharias Papa inter cætera in priuilegio sibi directo scripsit atque * formauit ad locum ita dicens. *Vbi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluisti, vt tibi Episcopalem Ecclesiam, * vel successoribus tuis confirmare debeamus, iuxta eorundem filiorum nostrorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate B. Petri Apostoli sancimus, vt supradicta Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens sub se has ciuitates, id est, Tungris, Coloniam, VVarmatiam, Spirariam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen cognoscere fecit. Hæc à nobis diffinita, per huius nostræ confirmationis paginam in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro tua confirmatione hac * conseruari mandamus.* Sic enim & sacri Africæ prouinciæ canones decreuerunt, vt quos adminiculante diuina gratia Episcopus potuerit lucrari ad Catholicam vnitatem, ad ipsum pertineant.

Cap. XX.

De primatu quoque in aliis prouinciis item idem Zacharias Papa ad eundem Bonifacium scripsit hoc modo. *Et quia si deberes in Baioraria prouinciam habere prædicationis sciscitasti, an non, quam à decessore nostro habuisti concessam: Nos denique auxiliante Deo ea quæ tibi largitus est decessor noster non minuimus, sed augemus, & non solum Baioariam, sed etiam omnem Galliarum prouinciam, donec te diuina iusserit superesse maiestas, nostra vice per prædicationem tibi iniunctam, quæ repereris contra Christianam religionem, vel canonum instituta spiritaliter studeas ad normam rectitudinis reformari.*

Cap. XXI.

Sed & cum Ebbo quondam Remorum Episcopus se in Synodo XLIV. Episcoporum scripto & propria subscriptione ac viua voce pro criminibus suis damnauit, & à sacerdotali ministerio alienum reddidit: quem postea Sergius Papa, sicut etiam in gestis eius legitur, condemnauit, defuncto Domino Hludouuico imperatore contentione de Regno inter filios eius exorta, primum ad Hlotharium, deinde ad Hludouuicum damnatus idem Ebbo se contulit. Qui Reges quoniam per merita Sanctorum adminiculante Domino, & Domno nostro Karolo violentia non valebant, per insidias, tam apud Apostolicam sedem, quam & apud quoscunque valebant Episcopos, & quaqua versum poterant Remorum Episcopo laqueorum tendicula inuicere quæ præparauerant, & res ipsius Remensis Ecclesiæ, quæ in diuersis Regnis sitæ sunt, à pluribus vsurpari cœperunt: gratia & nomine Benedictus Papa in Priuilegio Remorum Episcopo, qui nunc eidem seruit Ecclesiæ B. Petri & Apostolicæ ipsius sedis auctoritate secundum sacros canones, & decreta decessorum, ac prædecessorum suorum collato, ita dicit ad locum. *Inter hæc quidem & hoc sancimus, ne quilibet tuæ diœceseos regulus subiectus Ecclesiæ te contempto impune audeat seu valeat aliena expetere, aut expectare iudicia, vt aliorum traditionibus Patrum canonumque promulgationibus est constitutum salua in omnibus iure Apostolicæ nostræ sedis, vt ab ipso velut Christo & sacræ sit cautum canonibus sed cuncti, sine in subditione debita ordinem ab Ecclesiasticis regulis traditum obseruantes obediant, & studiosius obtemperare procurent.*

Metropolitani iudicio sistenda lites.

Cap. XXII.

In quo decreto & B. Innocentii scribentis ad Victricium Rothomagensem Episcopum est secutus decretum, quo dicit. *Si quæ,* inquiens, *causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, vt secundum Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis* * *iudicium terminetur. Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod si quis forte præsumpserit, & ab officio Cleri summotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, &* * *beata consuetudo exigit post iudicium Episcopale referantur.* De qua hic specialiter reuerentia dicat, Apostolicæ sedi reseruari debere, cui in omnibus rebus debet reuerentia custodiri, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, & quos canones commemoret, sacri Sardicenses canones tertio & quarto ac septimo demonstrant capitulo.

Innoc. I, ep. 2. — ** iungit.* — *Maiores causæ ad sedem Apost. deferendæ.* — ** vetus.*

Cap. XXIII.

De quibus & S. Gelasius in commonitorio dato Fausto contra Orientales Episcopos dicit ita. *Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæterum isti qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt.* Et aliquanto superius. *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt:* & reliqua. Qui vero præfatam epistolam sancti Innocentii ad Victricium Rothomagensem Archiepiscopum ea sacris canonibus promulgatam, de qua præmissi decreti eius sententiã hic posuimus, diligẽter à principio sui vsque ad finem relegerit, inueniet eadem de priuilegiis singulorum Metropolitanorum scilicet Primatum prouinciarum: quæ & S. Bonifacius ad Episcopos Gallicanos & ad Hilarium Narbonensem Episcopum constituit, videlicet, vt nullus Metropolitanus duas Metropolitanas ciuitates duasque prouincias debeat habere subiectas, sed vnaquæque prouincia Metropolitani sui in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et de maioribus causis ad sedem Apostolicam singuli Metropolitani ex suis prouinciis post Episcopale iudicium referant, vt quicquid singuli Metropolitani cum suis suffraganeis duxerint decernendum, cum relatum ad sedem Apostolicam fuerit, eius, vt condecet & necesse est, auctoritate firmetur, aut emendetur.

Gelas. I, ep. 3. — *9. q. 3. c. ipsi sunt. A sede Apostolica appellari nequit.* — *Bonif. I. ep. 3.* — *Metropolitanus vna prouincia sit contentus.*

Cap. XXIV.

Sed & qui vigilanter eãdem epistolam recensuerit, reperiet B. Innocentium decreuisse ea, quæ in illa scripta sunt & cunctis prouinciarum Primatibus & ab omnibus Episcopis debere seruari. Et itẽ in præfato B. Benedicti Papæ priuilegio est decretũ. *Et hoc promulgamus atque statuimus, vt te, qui primas ipsius prouinciæ esse dinosceris, nullius vnquam infestatione contra canonica Apostolicaque decreta, sine iudicia Ecclesiastica tibi commissa, aut virtute vel facultate nudari, aut ante audientiam Romani Pontificis à quocumque damnari statuimus.* In eo enim, quo dicit, *nullius vnquã infestatione contra canonica Apostolicaque decreta, sine iudicia Ecclesiastica tibi commissa, aut virtute, aut facultate nudari, vel ante audientiam Romani Pontificis à quocumque damnari statuimus,*

Remensis Archiepiscopus soli Papæ subiectus.

omnem iudicandi ordinem comprebendit, vt suis videlicet libere vtens legaliter ac regulariter, si iudicandus est ad electorum iudicium, vel ad eius Vicarii cum fuerit specialiter ad hoc deputatus, iudicium intra suç terminos prouinciæ prouocetur pro certis existentibus causis, quibus maiores natu legaliter ac regulariter apud canonicos iudices accusari valent dierum & dilationum, atque in discussione personarum accusantium & testificantium, vtrum debeant, vel non debeât ad accusationem vel testimonium admitti, canonica & legali forma seruata; & sic demum legaliter vel regulariter conuictus vel confessus Apostolici Papæ iudicio Primas Remorum prouinciæ reseruetur: sicut S. Leo ad Anastasium, cui vices suas commisit de Metropolitano scripsit Episcopo. *Sed etiam, si quid graue intolerandumque gessisset, nostra erat expectanda censura, vt nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres.* Vnde & in præfato priuilegio sequitur. *Sed si compellatus appellare ad hanc sanctam Sedem voluerit Apostolici Papa iudicio reseruari, nostra, imo B. Petri Apostoli auctoritate præcipimus, nec alicui cuiuscunque iuri vel iudicio te subiici excepta potestate Sedis Romanæ Pontificũ.*

Leo ep. 85.

Cap. XXV.

Et in hac sententia canonici priuilegii Domni Benedicti attendat, si quis forte supra mensuram suam ire voluerit, & non de his de quibus dicit Dominus: *Ecce ego mitto vos*: sed de his esse delegerit, de quibus Dominus dicit: *Ipsi ibant & ego non mittebam eos.* quia Primas Remorum prouinciæ Apostolici Papæ iudicio reseruare Beati Petri Apostoli auctoritate cum anathematis interdictione præcipitur, & nec alicui cuiuscunq; iuri vel iudicio submitti permittitur excepta potestate Sedis Romanç Pontificum. Contra quç, si aliquis nostratium præsumere non voluerit, sed obaudiens Apostolũ dicentẽ. *Nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam*, caritate, sicut frater à fratre, quæ pacis & dilectionis sunt expetierit, audiet cum Apostolo. *Cum liber essem ex omnibus* (duntaxat vobis) *omnium vestrum me seruum feci. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed* Iesum *Christum Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per* Iesum salua memorata conditione priuilegii gratia & nomine Benedicti. Si autẽ non desierit digitum extendere, & loqui quod nõ prodest, audiet cum Apostolo. *Tu quis es, qui iudicas alienam seruum? suo Domino stat, aut cadit. Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illũ: & mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer*, ne illa, quæ auctoritate canonica atque Apostolica ædificata sunt in præfato priuilegio mea destruantur consensione, dicente magno Papa Leone ad Leonem Augustum, cum peteretur annuere, quæ illi fas non erat consentire. *Si quæ*, inquit, *destruxi hæc ædifico, præuaricatorem me constituo, & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ Principis* Martiani, *sed etiam ego mea consensione firmaui*, quia, vt idem alibi dicit, *sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur.* Sequitur in eodem Priuilegio.

Math. 10. Ioan. 20. Philip. 2. 1. Cor. 9. 2. Cor. 4. Rom. 14. 1. Cor. 4. Leo ep. 72. Gal. 2. Leo ep. 72.

Cap. XXVI.

Et hoc volumus, ne quilibet ex prouincia & diœcesi Metropoli tuæ tibique subiecta ius secundum Ecclesiasticas cõstitutiones Primatus Ecclesiæ tuæ & tibi debitum quoquo modo per contemptum conuellere, aut tibi, vel Ecclesiæ tuæ quãcunq; violentiam contra eadem canonica constitutá, & decreta Romanorum Pontificum pertinaciter inferre præsumat, cum anathematis interpositione, nostra Apostolica, & B. Petri Apostolorum Principis auctoritate prohibemus. Optamus fraternitatem tuam in Christo, nunc & semper bene valere. Quæ constitutio quantum sacris canonibus Nicenæ, Antiochenæ, Chalcedonensis, Sardicensis, & Aphricæ prouinciæ Synodis, sed & decretis Apostolicæ Sedis Pontificum, ac sacris legibus consonet, nemo est qui dubitat, si sacros canonęs & decreta Sedis Romanæ Pontificum, ac venerãdas leges cognitas habet. Quia enim scriptum est: *post concupiscentias tuas non eas.* Et *altiora te ne quæsieris*, & Beatus scribit Hormisda. *Elenatio semper adfert saluti periculum, per quam ipsius inuentor diabolus angelica potestate priuatus est*: satis superque sufficiet, semperque sufficiet præsignato Remorũ Ecclesiæ seruienti, quæ per sacros canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum vnicuique sunt Metropolitano collata.

Anathema minatur. Papaeis qui primatum Remensem negant. Eccl. 18. Ec.

Cap. XXVII.

Hæc tantum propter vitandam prolixitatem, (quia hinc sufficiẽter in canonibus sacris, & in decretis prædecessorum habetur) de priuilegio Domini Benedicti, quod in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ noscitur contineri, & in Synodo apud Suessionis ostensum est, & si necesse fuerit, adhuc valet ostendi, duximus commemoranda, non vt Domini & Patris nostri Apostolici Papæ Ioannis canonicis & Apostolicis præceptionibus quod absit, resultemus, qui etiam ante & post priuilegia hæc collata Sedis Apostolicæ iussione, & Domni tunc Regis Karoli, nunc autem, gratias Deo, Imperatoris Augusti: verum & inuitatione confratrũ ac coepiscoporum nostrorum sequentes Apostolicam regulam, quæ dicit. *Per charitatem seruite inuicem, subiecti inuicem in timore* Christi. per diuersa loca, diuersasque prouincias ad Synodos conuenire studuimus, & prout dederit Dominus, posse studebimus; vt prædictum est, & sæpe dicendum est, quia non ab re est sæpius verbo repetere, quod semper necesse est animo retinere seruato iure priuilegii Domni Benedicti, si nos fraterna caritas inuitauerit, potiusque iussio Apostolicæ Sedis, & præceptio Domini nostri Caroli Imperatoris Augusti nos ad Synodum, sicut præcipiunt regulæ vocare decreuerit pro talibus, quæ forte prouinciali nequiuerint examine diffiniri, maxime in causa fidei, vel generalis religionis: sicut in Apostolicæ Sedis Pontificum, & in epistolis legimus Augustorum. Quoniam Imperatorum auctoritate conuocatas generales Synodos, & in historiis Ecclesiasticis, & in epistolis Apostolicæ Sedis Pontificum reperimus.

CAROCAL. Gal. 5.

Cap. XXVIII.

Et S. Gregorius Reges Francorum Synodos in Gallicis & Belgicis prouinciis conuocare sæpe commonuit: Sed quoniam, vt Leo monuit: *mens potentia auida nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis*, & difficile est, vt cupiditas improborum non aliquid supra mensurã moliatur appetere, ne quis nostrum oblitus præceptionis Apostoli, immo per Apostolum, Domini, qui dicit. *In omnibus exhibeamus nos ipsos, sicut Dei ministros, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum*, aut improbitate, aut assentatione contra præfata priuilegia pertinaciter moliatur insurgere, & periculum intentatæ damnationis possit incurrere, decernente Zosimo Papa ad Aurelium, & vniuersos Episcopos per Africam constitutos, vniuersosque Episcopos per Gallias & septem prouincias constitutos, & vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis, à pari. *Cum aduersus*, inquit, *statuta Patrum venitur, non tantum illorum prouidentia atque sententia, qui in æuum victura sanxerunt, sed & ipsi quodammodo fidei & Catholicæ disciplinæ irrogatur iniuria.* Et S. Hilarius Papa, vt supra ostendimus, dicit. *Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in iniuriam ipsius Domini prosilitur.* Et S. Papa Symmachus ad Cæsarium Arelatensem Episcopum dicit. *Cum ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas vnum sit per diuersos antistites sacerdotium,*

Leo ep. 5. ad Anatol. 2. Cor. 6. Statuta Patrum sunt seruãda. Hilar. ep. 2. ad Leo. c.

quemadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quod hæc si eueniat sententiarum varietas ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à Sacerdotibus Domini semel statuuntur perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim Vicarius beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissoluantur? Et S. Leo Papa, in decretis suis præfixit. *Hoc itaque admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit, quod prætermissum à nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis: ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.* Quia enim in lege & in Euangelio duorum vel trium testium rata sententia comprobatur, quanto studio horum quatuor, de qualibus dicit Dominus. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re fiet*, de præstitutis anteriorum priuilegiis conseruandis vniformis sententia debeat conseruari, cordatus quisque attendat, & vnde quisque nostratium pro fideli reuerentia ac conseruatione meritum sibi beatæ remunerationis potest acquirere, ne præuaricando periculum incurrat, magnopere caueat.

Cap. XXIX.

Tandem breuiter commemorare censuimus, quia sancto & venerando viro Bonifacio in Frisia verbum Domini prædicante anno Incarnationis Dominicæ D.CCLIV. martyrio coronato, & Symoniacæ hæresis prauitate, & neophytorum præsumptione, ac cæteris quibusque pro temporum opportunitate & qualitate compositis, hactenus prouinciæ Cisalpinæ temporibus Pipini Regis, & Karoli ac Hludouici Imperatorum sine hoc primicerio vel Primate à Sede Apostolica delegato annos circiter XXIII. manserunt, & Metropolitanis singulis suo iure seruato, Apostolicæ Sedis fauore, & Principum suorum dispositione, secundum sacros canones & decreta eiusdem sanctæ Sedis Pontificum, quæque fuerunt agenda, venerabiles Episcopi per auctoritatem canonum sacrorum, & decreta Sedis Romanæ Pontificum peregerunt.

Cap. XXX.

Drogo interea Merensium Episcopus fastu regiæ prosapiæ subuectus hanc prælationem in Cisalpinis regionibus nacta quadam occasione, tempore Hlotarij Imperatoris apud Sergium Papam obtinuit, sed quod affectu ambijt, effectu non habuit: & quod efficaciæ vsu, non consentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientissime, vt eum decuit, tolerauit, ne scandalum fratribus, & consacerdotibus generans schisma in S. Ecclesiam introduceret. Quem tantæ generositatis ac dignitatis virum quisque nostrum imitari debuerat, ne indebite appeteret, quod non habebat, qui sine contentione non exequi pertulit, quod adeptus fuerat. Cum legamus, quia prauorum præsumptio non solum ex sua tortitudine, verum etiam ex comparatione rectorum, quam sit damnanda, monstratur: dicente Scriptura. *Probata autem virtus corripit insipientes*, quantumque fraternum scandalum, vt ex altitudinis nostræ rapina, si forte aliquis nostrum hoc morbo laborat, fratribus scandalum non generemus, vitare debeamus Domini sententia demonstrat dicentis ad Petrum, vt vitando scandalum exigentibus censum pro eo & pro se daret, quem non debebant. (Mat. 17.)

Cap. XXXI.

Et quoniam anni triginta secundum leges publicas, vt notum est, & iuxta constitutionem Ecclesiasticam, vt demonstrat Gelasius Papa, humanas adimunt quæstiones, & Iustiniana lege, ac decreto B. Gregorij ex eadem lege promulgato negotia inter venerabiles Ecclesias, ac monasteria, locaque religiosa anni quadraginta determinant, si superstitiosus appetitus excellentiæ auidarum mentium nostrarum sufferre valeret, non Sedem Apostolicam, vel aures imperiales sine vlla noua necessitate pro hoc indebito supercilio inquietaret, cum quies Episcoporum Cisalpinarum prouinciarum sine huius inquietudinis scandalo atque dispendio post tanta tempora manere valeret. (Gelas. r. ep. ad Episc. Sicil. c. 11 q. 3 c. facultates. Greg lib. 1 ep. 9.) Si enim quique nostrum Regulam Pastoralem B. Gregorij sequi per omnia, vt debueramus maluissemus, metas nostræ mensuræ nequaquam transcenderemus; &, quod cuiuscumque nostratium ciuitas vnquam non meruit, appetere deuitaremus. (Pastoralis regula B. Greg.) Timere quippe, ac cauere debemus, quæ passim B. Gregorius in epistola ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum Romæ scripsit, & vnicuique nostrum altiora se quærenti de cœlo dicit. (Greg li. 4. ep. 38.) *Perpende, inquiens, rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusa. In qua nimirum ipse tantum crescere poteris, quantum penes temetipsum decreueris: tantoque maior efficeris, quanto te à superbi & stulti vocabuli vsurpatione restringis, atque in tantum proficis, inquantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Quis rogo in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit, In cælum conscendam: super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* (Reprehenditur Episc Cõstantin. qui voluit dici vniuersalis. Isa. 14.) *Quid enim fratres tui omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cæli sunt? Quorum vita simul & lingua inter peccata, erroresque hominum quasi inter noctis tenebras lucent: Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi, in cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendam super altitudinem nubiũ? Pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgunt gentibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis terra dehiscente sorbetur, omnia enim quæ prædicta sunt fiunt. Rex superbiæ prope est: & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exercitus, quia ceruici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiamsi nostra lingua minime contradicat, illius virtus contra elationem in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Hinc enim scriptũ est, Deus superbis resistit, humilib. autem dat gratiam. Hinc rursus dicitur. Immundus est apud Deum, qui exaltat cor. Hinc contra superbientem hominem scriptum est. Quid superbis terra & cinis? Hinc per semetipsam veritas dicit. Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quæ vt nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in semetipsa dignata est, quod nos admonet, demonstrare, dicens. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Nunquidnam mente excidit, quod veritas dicit. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris?* (Episcopi sunt nubes. Superbia reprehenditur. Iac. 4. Eccl. 10. Luc. 14. & 18.)

Quod tamen si considerare negligimus contra tanta elationis tumorem indicia superna vigilabunt.

Cap. XXXII.

Leo ep. 61.

His ita se habentibus, quia, vt S. Leo dicit, *quoties ob occurrentes causas generalis congregatio facta fuerit sacerdotum, difficile est, vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere*, sicut sæpe, & etiam in vniuersalibus Synodis legimus accidisse: si quid in hoc humilitatis nostræ conuentu duorum vel trium fauore ac paucorum silentio fastu imperialis potentiæ contra supra scripta sacrorum canonum & Apostolicę sedis Pontificum decreta ex eisdem sacris canonibus promulgata, contraque singulis Metropolitanis antiqua priuilegia etiam & per sacras leges, quibus vna cũ venerandis canonibus sancta moderatur Ecclesia cõsetuanda immaturo atque inconsiderato iussu est superinductum, siue sancitum, prohibente Domino, vt non plantetur nemus secus templum suum, idem ne obumbretur, & decoloretur typo terreni principatus sinceritas & fulgor humilitatis Ecclesiasticæ iuxta decreta mysticæ Nicænæ Synodi, quo dicitur. Si duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum, spretisque, vt diximus, duo vel tres propter assentationem forte non corde, sed verbo, vel silentio conspirauerunt, generalitas nostra Deo auctore non annuit, sed corde, ac contradicente ore constantissime abnuit, & sententia plurimorum debitum robur atque vigorem obtinuit, obtinet, ac adiuuante Domino perpetim obtinebit. Quia, vt memoratus S. Leo ad Maximum Antiochenum Episcopum scripsit: *Si quid à quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacunque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicii potest inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolui, quam prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi.*

Pluriũ sententia præferenda paucis.

Leo ep. 62. In Synodis contra canones nihil statui potest.

Cap. XXXIII.

De eo autem quod quidam frater Imperiali edicto vel dato sibi collatum fuisse, quod non illi, sed nobis de illo, sicut lectionis auditu comperimus à sede Apostolica est directum, quibus non est donatum, visus est exultasse. idem S. Leo ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scripsit. *Alia*, inquit, *ratio est rerũ secularium, alia diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit.* Et vt Gelasius dicit, nunquam inuenitur de Pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse, & non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ principaliter constitutis Pontificibus, obsequi solere Principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere Principem solitum, non de eorum capitibus iudicare.

Leo ep. 54. ad Martiã. Aug. Gelas. ep. ad Anast. Principes sæculares subditi canonibus & Episcopis.

Cap. XXXIV.

Et in lege Valentiniani, Theodosii, & Archadii decretum est de Episcopis. *Habent*, inquiunt, *illi iudices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quãtum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi.* Quæ non dicimus, quod absit, potestati, ac per hoc Dei ordinationi resistentes, sed potius obsequentes: quia, sicut Dominus præcepit reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo: ita quæ sunt Imperatoris obsequia obedienter ipsius obsequiis exhibemus, & quæ sacerdotii sunt ordini sacerdotali dependimus, sicut memoratus S. Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem discreuit atque decreuit. *Duo sunt*, inquiens, *Imperator Auguste, quibus* A *principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis * expectas: inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque, vt competit, disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quã præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus humanis exclusa videantur obuiare sententiæ, quo, rogo te decet affectu eis obedire qui * prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro diuinitatis cultu, quod congruit: ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui, cum parere debeant, despiciunt.* B

Matth. 22.

Gelas. 1. ep. 4.

Dist. c. Mũ... Mũdus duplici potestate regitur. * expectis. Reges in sacris subditi iudicio Episcoporum. * prærogandis.

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

IN hac epistola vel Tractatu primo Hincmarus refert, quid Carolus Magnus consultis summis Pontificibus & Episcopis ad quæstionem de criminosis clericis diu olim agitatam responderit. 2. ait decretum illius consuetudine 70. annorum firmatum, Pontificumque, Synodorum & S. Patrũ responsis esse consentaneum. 3. ostendit decretum de contubernio suspectæ mulieris à clerico vitando cum veteribus canonibus consentire, addens quales, & quot accusatores ad hoc vel aliud crimen deferendum sint necessarii, & si in probatione deficiant, iuramentum à clerico, quo se purget, exigendum. 4. contendit clericum à laico, & maioris ordinis à minori, vt sacerdotem à Diacono, &c. accusari posse. itaque canones Synodi Romanæ sub B. Siluestro habitæ censendos nothos & suppositios. 5. docet Episcopos & Prælatos non debere iudicare nisi de criminibus clericorum manifestis, nec absoluere aut ligare nisi iuxta causarum merita, gradu deiectos in eo loco constituere, vbi pœnitentiam agant dignam culpa, Ecclesiasticum iudicium respuentes pro contumacibus habere, ad iudicium seculare prouocantes vel prouolantes & bona Ecclesiastica tanquam propria sibi vendicantes ac distrahentes punire. C

Cap. I.

QVid de Presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit, in libro primo Capitulorum Domini Karoli Imperatoris Augusti capite trigesimo quarto scriptum est. *Hoc nobis magno cum studio retractandum est, quid de illis presbyteris criminosis, unde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissime à nobis & progenitoribus, ac prædecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus diffinitum. Vnde ad consulendum Patrem nostrum Leonem Papam sacerdotes nostros misimus, & quicquid ab eo, vel à suis perceperimus vobis vna cum illis, quos misimus, renuntiare non tardabimus. Vos interim vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus vna cum prædictis sanctis Patris institutionibus, vt murmur cesset populi & nos his fauentes illæsi Domino auxiliante ab vtrisque maneamus.* Sequitur confirmatio memorata de sacerdotum purgatione, cap. in eodem libro, XXXV. D

Quæstio de criminosis sacerdotib. sæpe agitata.

Cap. II.

Omnibus vobis visu aut auditu notum esse non

dubitamus, quod sæpissime suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diuersa obiiciuntur: sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, (licet de rationabili examinatione & satisfactione presbyterorum tempore bonæ memoriæ Domini genitoris mei Pippini, siue priscis temporibus a sanctis Patribus & à reliquis bonæ deuotionis hominibus sæpissime ventilatum fuerit) nos tamen pleniter & ad liquidum diffinitum reperire minime quiuimus. Nostris quippe temporibus idipsum à sanctis Episcopis, & reliquis sacerdotibus & cæteris Ecclesiasticæ dignitatis ministris, nostris in regnis, siue in aliis degentibus, nobisque vna cum eis agentibus sæpissime propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diuersis partibus venerunt ventilatum est. Sed qualiter consultu Domini & Patris nostri Leonis Apostolici cæterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, siue Orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum, & sacerdotum, nec non & nostrorum Episcoporum omnium, cæterorumque sacerdotum ac Leuitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est, vobis omnibus ordinis vtriusque ministris scire volumus. Statutum est namque ratione & necessitate ac auctoritate prædicta consultu omnium, & quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur si ipse accusator talis fuerit, vt recipi debeat, (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expressum est) Si autem, vt dictum est, ille accusator, qui canonice recipiendus est, eum cum legitimo numero verorum & bonorum testium approbare in conspectu Episcoporum poterit, tunc canonice diiudicetur. Et si culpabilis inuentus fuerit, canonice damnetur. Si vero cum supra scripto præcepto approbare ipse accusator minime potuerit, & hoc canonice diffinitur,

Cap. III.

Ipse ergo sacerdos, si suspiciosus aut incredibilis suo Episcopo ac reliquis suis consacerdotibus siue bonis & iustis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimenis, aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, qui duodecim Episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse perspexerit, cum aliis bonis & iustis hominibus se sacramento coram populo super quatuor Euangelia dato purgatum Ecclesiæ suæ reddat Episcopus.

Cap. IV.

Si quis autem scire desiderat, quales accusatores ac testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus & legibus quibus vna cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, poterit reperire. videlicet, quos publicæ leges ad accusationem vel ad testificationem admittunt, tales admittantur, & quales publicæ leges non admittunt, non recipiantur, id est, infamiæ maculis aspersi non admittuntur ad accusationem, sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur in causis propriis, accusandi licentia non est deneganda. Et suspecti gratia testes, & illi vel maxime, quos accusator de sua domo produxerit, vel vita humilitas infamauerit, vel infra annos XIV. ætatis suæ non admittantur.

Cap. V.

Qui testes, vt lex Theodosii præcipit, priusquam de causa interrogentur, sacramento debent constringi, vt iurent, se nihil falsi esse dicturos, & honestioribus magis, quam vilioribus testibus fides debet admitti. Vnius autem testimonium, quamlibet splendida & idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum. Et lex Valentiniani & Theodosii præcipit, vt in criminalibus causis vel obiectionibus per mandatum nullus accuset, nec si per rescriptum Principis hoc potuerit impetrare, sed ipse, qui crimen intendit, præsens per se accuset inscriptione præmissa. Iudices autem puniendi sunt, & damnandum officium, si forte tacuerint, si innocentem, præmissa inscriptione subdendum crediderint quæstioni. Si autem clerici in Ecclesiasticis causis testimonium apud Ecclesiasticos dixerint, per cum promissi vinculum Episcopale iudicium non adeundum lege Martiani abrogatum est.

Cap. VI.

Et quia secundum sacras leges sententia sine scripto dicta, nec nomen scientiæ habere merebitur, & iuxta legem Valentiniani & Valentis nisi subscriptione celebrata eam quenquam non fieri, nec ad iudicium exhiberi. Quia sicut conuictum pœna constringit, ita & accusatorem, si non probauerit, quod obiecit, & legibus constitutum est, vt scriptura prolator affirmet, cum si non adstruxeret veritatem, vt criminis, quod probare nequiuerunt, delatores & periurii ac falsitatis rei damnandi sunt, sicut lex Honorii & Theodosii decreuit. Clericos, inquiens, non nisi apud Episcopos accusare conuenit. Igitur si Episcopus, Presbyter, Diaconus & quicunque inferioris loci Christianæ legis minister apud Episcopos, siquidem alibi non oportet, a qualibet persona fuerint accusati, siue ille sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, nouerit docenda probationibus, monstranda documentis, se debere inferre.

Clerici apud Episcopos tantum accusandi

Cap. VII.

Si quis ergo contra huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat se subditum famæ propriæ subiacere, vt damno pudoris, existimationisque dispendio discat sibi alienæ verecundiæ impune insidiari, saltem dicere, non licere. Nam sicut ab Episcopo Presbyteros, Diacones, cæterosque si his obiecta potuerint comprobari, maculas ab Ecclesia æquum est remoueri, vt contemptui posthac, & miseræ humilitatis inclinati despectui iniuriarum non habeant actionem: ita similes videri debet iustitia, quod appetita innocentia moderatam deferri iussimus vltionem. Itaque huiusmodi duntaxat causas Episcopi sub testificatione multorum acta audire debebunt. Et sacri Carthaginenses canones inter accusatores clericorum, & accusatos clericos ordinem, qualiter excommunicationis damnatio, vel examinationis purgatio agi debeat, manifeste diffiniunt, scilicet, vt presbyter, vel inferioris gradus clericus accusatus apud propriam Episcopum, & accusator in eo loco, videlicet in eadem parochia, vnde est ille, qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finitur. Et hinc leges dicunt. Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est. Nam alibi criminum reus prohibetur audiri: illi vero qui pulsatus fuerit si iudicem, id est, Episcopum suum suspectum habuerit, libet appellare, scilicet ad finitimos Episcopos ipsius prouinciæ vt Sardicenses & Carthaginenses canones decreuerunt, vel ad Metropolitanum Episcopum iuxta Antiochenum Concilium, siue ad prouincialia Concilia, sicut sacri Nicæni & Antiocheni canones constituerunt, & sicut Africanum Concilium in epistola ad Cælestinum Papam ostendit, vel à decreto Episcoporum numero secundum Carthaginense Concilium, vel à iudicibus, siue quos iuxta Africanos canones primas ille dederit, siue quos ipse cum Episcopi sui consensu delegerit, à quibus prouocari nō licet, regulariter iudicetur.

Accusator infamis fit, si probare crimen nequeat.

Dig. lib. 49. t. 17. §. 9.

Accusatus potest ab Episcopo suo appellare ad finitimos Episcopos vel Metropolit.

Cap. VIII.

Constat igitur, si iuxta Concilium Antiochenum ab vniuersali magna Synodo Chalcedonensi fauorabiliter in actione XII. receptum, & collaudatum perfectum Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes, multo magis perfectum & tenendum,

Concilium perfectum est, cui interest Metropolit.

atque sequendum est præcedens capitulum de presbyterorum comprobatione vel purgatione consultu Sedis Apostolicæ, & tantorum Episcoporum ac cæterorum Ecclesiasticorum ministrorum, Deique fidelium consensu firmatum, sicuti voce magni & orthodoxi Imperatoris legimus attestatum, & per tanta tempora sequentium Episcoporū vsu & consuetudine roboratum. Hanc auctoritatem in dispositione criminosorum Presbyterorum, vel purgatione criminatorum more consuetudinario secuta est generaliter Cisalpina Ecclesia Catholica iam per septuaginta & eo amplius annos.

CAROLI MAGNI.

Cap. IX.

Et de consuetudine S. Augustinus à Sede Apostolica, S. Cælestino scribente, inter optimos Ecclesiæ cōputatus magistros, in libro quarto de baptismo dicit. *Plane verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est, sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Ostendendum est igitur, si ratio & veritas atque auctoritas huic consuetudini suffragatur. Scriptum est in mystica Nicæna Synodo. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantummodo personas, quæ suspiciones effugiunt.* Hinc Valens Gratianus, & Valentinianus Augusti & Christiani Imperatores decreuerunt Legem cuius interpretatio talis est. *Quicunq; Clericatus vtuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur. matrum, sororum, vel filiarum tibi solatia intra domum suam nouerint tantū esse concessa.*

Cælest. ep. 2. c. 2. Aug. c. 5. Syn. Nicæn. l. 4. 3. Grat. d. 32. c. interdixit. Clericis vetita mulierū cohabitatio. Honor. & Theodos. Cod. l. tit. 3. de Epis. & cler. l. 19. Iustin. const. in nouel. 123.

Cap. X.

Sed quia sub occasione istarum personarum, aliæ mulieres subintroduci cœperunt, sancti Africani canones decreuerunt, vt nec ipsi Episcopi, aut Presbyteri soli habeant accessum ad viduas, vel ad quascunq; fœminas, sed vbi aut clerici præsentes sunt, aut graues aliqui Christiani. Vnde sicut B. Gregorius ad ministros Ecclesiæ Romanæ scripsit, B. Augustinus, nec cum sorore habitare consensit, dicens. *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Et ex hoc dicit S. Gregorius. *Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. Nam innouata præsumptionis est, quod fortis patet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non vti concessis.* Et ex hoc in lege Iustiniani decretum est capite 475. *vt si quis mulierem in sua domo habuerit, quæ potest suspicionem inferre turpitudinis, & ille à conclericis suis audierit, quod cum tali muliere non debeat habitare, si noluerit eā sua domo repellere, vel accusatore immergente probatum fuerit inhoneste cum tali muliere versari, tunc Episcopus secundum Ecclesiasticos canones à Clero eum repellat.*

C. Carth. 3. c. 25. C. Aphric. c. 8. dist. 18. c. clerici. Greg. ep. 39. l. 7. Possid. in vita. Iustin. constit. nou. 123.

Cap. XI.

Et in Synodis Romanis Eugenii Leonis & IV. decretum est. *Si quispiam Sacerdotum, id est, Episcopus, Presbyter, vel etiam Subdiaconus de quacunque fœmina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundamque & tertiam admonitionem Metropolitani, vel alterius Episcopi, aut eius, cui subiacere videtur, inueniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conuersari, canonice iudicetur. Quapropter vnusquisque Episcopus in tali re studiose ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi à propriis possit sordidari ministris, quia cum propriam vxorem habuere non permittitur, maxime ab omni fœmina sit abstinendus.* Proinde de cōcubitu presbyterorum cum fœminis per parrochianos vel vicinos cuiuscunque presbyteri inquirere non nobis est laborandum. Abolita enim est vetus hæresis, quæ Cynica, id est, canina propter impudentiam fuerat appellata, dicens, concubitum esse naturalem, & ob id agendum sine verecundia publice: cum legamus primos homines mox post peccatū inobedientiæ sensisse concupiscentiam in membris genitalibus, & à mutuis conspectibus ea contexisse. Nam licet humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis diuinis & angelicis, atque Sanctorum, qui in cœlis sunt, oculis abscondi non possit, tamen etiam quilibet rusticanus, concumbens, etiam cum propria coniuge, prout potest, plurimorum deuitat aspectus. Quanto magis Presbyter, si sensum hominis habet, malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum, scit se non solum Ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua quæ habet ex facultatibus Ecclesiæ perdere. Non igitur de hoc verecunde queremus, quod & Apostolus non nudo sed velato nomine loquens apud legitime coniugatos, studuit appellare dicens. *Et ne quis circumueniat in negotio fratrem suum.* Tantummodo autem de accessu & frequentatione ac cohabitatione Presbyterorum contra canonicum interdictum cum fœminis, si inde fuerint accusati, est inquirendum. Quia, vt S. Ambrosius dicit, *Iudicis non est sine accusatore damnare, quia & Dominus Iudam, cum fur esset, quoniam non est accusatus, minime abiecit.*

Vide Baron. tom. 9. ad an. 826. Dist. 81. c. si quis presb. suspicatus. Cynica hæresis. Gen. 3. 1. Thess. 4. Amb. c. 5. ep. ad Cor. 2. q. 1. c. si peccau.

Cap. XII.

Qualis ergo debeat esse ordo in accusatione & diiudicatione S. Augustinus exponens sententiam Apostoli: *Si quis frater nominatur fornicator*, &c. ostendit. *Noluit*, inquit, *Apostolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinarie vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei, siue secundum ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum eam nominationem voleas intelligi, quæ fit in quenquam cum sententia ordine iudiciario, & quæ cum integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quenquam crimen nominatur.* Qualiter autem sententia ordine iudiciario & cum integritate proferenda sit, sacri canones, vt supra dictum est, & S. Gregorius qui frequenter in epistolis suis causas ministrorum Ecclesiasticorum legaliter & regulariter præcipit diffiniri in commonitorio Ioanni Defensori eunti in Hispanias dato demonstrat dicens. *Diligenter quærendum est, primum, si iudicium ordinabiliter est habitum, aut si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas, si indigna exilio vel depositione fuit, aut, si eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actum est, vel ipse (accusatus) licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est, cuius vita, cuius conditionis, cuiusque opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra prædictum Episcopum inimicitias habuissent, & vtrum testimonium ex auditu dixerunt, aut certe se scire specialiter testati sunt, si scriptis iudicatum est.* Sic & leges diffiniunt, vt nemo per alium quenquam accusare, vel quis accusari possit, nisi forte ingratum libertum patronus accuset, & vt in causa capitali absens nemo damnetur nisi delegata secundum canones cognitione adesse prouocatus neglexerit, vt dilationem sententiæ de absentia non lucretur.

Amb. c. 5. ep. ad Cor. Aug. medic. Greg. l. 9. ep. 56. 3. q. 9. c. absens. Cod. qui accus. Dig. lib. 48. tit. 17. l. 1. de requirendis vel absentibus damnandis.

Cap. XIII.

A quibus accusatio vel testimonium debeat recipi sancti Africani canones patenter ostendunt, id est, quos publicæ leges ad accusationem, vel ad testimonium recipiunt, sicut plenius ac latius ex eodem Concilio & ex legibus non longe supra ostendimus de sæcularibus hominibus. De sacris autem ordinibus S. Gelasius in decretis suis dicit. *Ne clericorum quisquam*

3. q. 1. c. de accusat. Conc. Carth.

... suis offensa futurum confidat immunem, si in his quæ breuiter sequenda deprompsimus siue Episcopũ, siue Presbyterum, siue Diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre cunctauerit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, vt transgressoris vltio fiat, & cæteris interdictio delinquendi. Et sacræ Africæ prouinciæ canones, & Lex Iustiniana decernunt, vt clerici de iudiciis in cognitione non coguntur in publico dicere testimonium: non autem in Ecclesiastico iuditio dicere testimonium prohibentur. Sicut etiam de Episcopis in Chalcedonensi Concilio legimus. Vnde in Synodis Romanis ab Eugenio & Leone IV. celebratis decretum est. *Quanquam Sacerdotum testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non conuenit. Si autem euentu aliquo causa interfuerint, & aliquid viderint, aut audierint, vbi nulla ad illud idonea secularium inueniantur persona, ne veritas occultetur, & malus vt bonus existimetur, in prouidentia propria sit Episcopi, vt aut coram se & competentibus iudicibus, aut aliter veritatem honestifice testificentur.* Et huic sententiæ Iustiniana lex consonat.

Cap. XIV.

De Numero testium in Lege statutum est, quod & in Euangelio est confirmatum, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Et Apostolus Timotheo præcipit (*in cuius persona*, vt B. Leo dicit, *omnium Christi sacerdotum numerus eruditur*) *vt accusatio aduersus Presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus.* Et sacrum Nicænum Concilium neophytum Episcopum à duobus vel tribus testibus redargutum sclero abstinere præcipit. Sed quia in historia Susannæ duos testes qui idonei populis videbantur, & in historia Nabuthæ sed & in historia Passionis Domini duos testes dixisse falsum testimonium legimus, maiores nostri præter accusatores in accusatione Presbyterorum, de numero testium idoneorum, auctoritatem legum sequendam voluerunt, vt septem testes idonei requirantur; & si ratio vel causa coegerit, quatuordecim, vel viginti & vnus testes quærantur, vt veritas patefacta monstretur. Qui testes ad exemplum Danielis, sicut & leges præcipiunt, examinandi sunt, quoniam ipsa prophetæ examinatio iam quibusdam nota est, & sæpe inueniuntur pretio conducti & conspirati ad dicendum mendacium: & sæpe quidam inuidia vel odio ad Presbyterum accusandum emergunt, & testes mendaces producunt, quia, vt S. Augustinus dicit, *noua morborum genera noua quærere cogunt medicamentorum experimenta.*

Cap. XV.

A maioribus nostris accepimus, vt exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei, qui testimonium suum per Sacramentum verum esse confirment: ex quibus sex iurent, & septimus, si ratio, vel qualitas personæ permittit, ad iudicium exeat, quod illi sex inde veritatem per sacramentum dixerint. Et sic de comprobato Presbytero Apostoli sequatur sententia. *Si quis non obedit verbo nostro, siue per epistolam, siue per verbum, hunc notate, & nolite commisceri cum eo,* & reliqua. Et S. Leo Papa in decretis istis ad vniuersos Episcopos per vniuersas prouincias constitutos dicit. *Hæc admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel vetita tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec eum communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.* & reliqua. Sed & B. Augustinus suo Archiepiscopo Xantippo de Abundantio Presbytero suæ parochiæ ita scripsit ad locum. *Quia cum non ambularet vias seruorum Dei, non bonam famam habere cœpit: qua ego conterritus, non tamen temere aliquid credens, sed plane sollicitior factus operam dedi, si quomodo possent ad aliquam malæ conuersationis eius certa peruenire indicia. Ac primo comperi eum pecuniam cuiusdam rusticani diuino apud se commendato interuertisse, ita vt nullam inde posset probabilem reddere rationem. Deinde conuictus atque confessus est, cum secum nullum clericum haberet, se apud quandam malæ famæ mulierem, & prandisse, & cœnasse, & in vicina & eadem domo mansisse: nam quia negauit, Deo dimisi: quæ occultare permissus non est, indicaui.* Hoc modo veritate comperta de cohabitatione interdicta cum mulieribus conuictus Presbyter, legaliter & regulariter sacerdotali in istis Gallicis regionibus priuatur officio, sicut Zosimus Papa decreuit, dicens. *Sciat quisquis hoc, postposita Patrum & Apostolicæ Sedis auctoritate, neglexerit, à nobis districtius vindicandum, vt loci sui minime dubitet, sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones, impune posse tentari. Contumelia enim studii sit, quicquid interdictum toties vsurpatur.*

In Gallia priuatur officio clericus mulieri suspectæ cohabitãs.

Zosim. ep. 1 ad Hesych. Salon. Epis.

Cap. XVI.

Si autem mala fama ex veri similitudine per parrochias nostras de Presbytero exit, & accusatores atque testes legales non esse deprebenduntur, vel rei falsitatis conuincuntur, legaliter ac regulariter eis multatis, ne infirmorum corda de mala fama Presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores Presbyteri existentes licentius in peccatum labantur, secundum decretum Gregorii iunioris est iusiurandum in medio, vt habeat malæ famæ Presbyter in sacramento purgationis suæ eum testem, quem habebit & iudicem. Et quoniam frequenti experimento probatum est, Presbyterum à diabolo in fornicationem vel adulterium persuasum, procliuem ad periurium, & legalis atque Euangelica seu Apostolica atque canonica auctoritas trium testimonium recipit ad condemnationem, non iure visum est Patribus nostris, si recipiatur ad purgationem. In historia quoque sacra, & in epistola B. Gregorii ad Theoctistam patritiam, legimus, B. Petrum Apostolorum primum, cum à fidelibus reprehensus fuit, cur ad gentiles intrasset, humili eos ratione placasse, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuisse, dicens. *Venerunt autem mecum & sex fratres isti:* Et Carthaginenses canones decernunt, vt si presbyteri, vel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis proprios Episcopus legitimo numero collegarum, id est, vna secum in Presbyteri nomine sex, in diaconi tres, auctoritati conuenienter maiores nostri dixerunt, sicut supra ostendimus, in capitulo tempore Domini Caroli Imperatoris Augusti Apostolicæ sedis & Episcoporum auctoritate decreto, vt si Presbyter infamatus fuerit, & accusatores vel testes idonei defuerint secundum qualitatem vel quantitatem causæ atque personæ, & vtilitatem ac sanationem cordium infirmorum, aut cum aliis duobus testibus, ac cum aliis sex testibus seipsum sacramento à mala opinione purget.

Quid agendũ cum accusator in probatione deficit.

Greg. 3. ep. ad Bonif. 2, q. 4. v. Presbyter.

Deu. 19. Mat. 18

Greg. li. 9 ep. 39. Act. 11. C. Carth. 10 3. q. 8. c. suggero 2. q. 4. et si legitimi, & c. si mala fama, quo est Hincmari.

Sacerdos quot testes pro sui purgatione adhibere posit.

Cap. XVIII.

Et non est contrarium decreto Gregorii iunioris, si plures testes ad purgationem infamati Presbyteri requirantur, quia scribens idem Pontifex ad Bonifacium Moguntinum Episcopum per Denuoldum presbyterum dicit, *vt si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiuerit, sit iusiurandum in medio,* & non diffiniuit, vtrum ipse solus, an cum aliis iuret. Si enim beatissimus Petrus Apostolorum primus famam suam, quasi contra præceptum fecerit Domini dicentis, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis,* quoniam nondum à Deo per multos propalata erat præceptio Christi iubentis. *Ite, docete*

Greg. 3.

Mat. 19

Mat. 28. Act. 4. 11.

omnes gentes, baptizantes eos, cum sex testibus expurgavit, non videtur esse contra auctoritatem, si presbyter cum tot testibus Collegis suis suam opinionem studet purgare, ad quod iudicibus Episcopis iubetis per sacros canones iudicari, præcipiente Apostolo, *vt sine offensione omnibus simus, & ut pereat in nostra conscientia frater, propter quem Christus mortuus est*. Et item. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam in Christum peccatis*. Et ideo repleti Spiritu sancto statuerunt sancti Patres nostri, vt ministri altaris mulieribus non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres, ne vel concupiscentia conscientiam suam vrant, vel consensu pessimo polluant, & ne vel mala suscipione infirmorum conscientias maculent. Quoniam Augustino docente, *sanctorum, quibus Dominus dicit. Sancti estote, conuersatio non solum sancta debet esse, sed & cauta ne forte cum mala non sit per lasciuiam, sit mala per negligentiam.*

1. Cor. 10. 1. Cor. 8.

Clericorum conuersatio sit sancta & cauta. Leu. 19.

Cap. XIX.

De interdicto canonico aduersus Presbyterum, & interrogandi sui testes, & conuictus vel confessus iudicandus est presbyter. Et quoniam experti sumus quosdam Presbyteros ad inuicem conspirasse, vt se mutuo in sua purgatione adiuuent, reuera quidem noceant, non incôgrue visum est decessoribus ac prædecessoribus nostris, vt cum credibili misso Episcopi, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotia vna cum eo ad iusiurandum se obtulerunt, talem examinationem per Vicarium infamati Presbyteri recipiant, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam de periurio reuictos & degradatos comperimus, vel decernunt canones. *Episcopus*, inquiunt, *aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis, in idipsum.* Hæc de testibus, vel ad probationem, vel ad purgationem Presbyteri maioris nostri secundum tramitem Scripturarum prædicationemque maiorum tenenda viderunt, & sequenda nobis suis posteris reliquerunt secundum verba B. Gelasij. *Quicquid*, inquit, *pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica secundum Scripturarum tramitem prædicationemque maiorum Patres nostri Catholici videlicet, doctique Pontifices, facta semel congregatione, sanxerunt inconuulsum voluerunt deinceps, firmumque constare, nec in eadem hac causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt: sapientissime prouidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prauos errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper isdem furoribus * recidiuis omnis integra diffinitio turbaretur.*

Canon. Apost. c. 25. Dist. 81. c. presbyter. Nam. 1.

Gelas. ep. ad Episc. Dardan.

Decreta veterum nô sunt rescindenda.

* ædiuiuis.

Cap. XX.

Quod quidam dicunt, quia Parrochiani & subiecti Presbytero, vel Episcopo cum non valeant regulariter accusare, vt scriptum est, *vmbra aliorum vmbram suam protegunt*, ne ad eos valeat peruenire, quod in alios conantur defendere. Quorum defensio cassatur auctoritate & ratione. Auctoritate quidem, qua dicitur voce sancti viri. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent? Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Terra*, inquit S. Gregorius, *contra possessorem suum clamat si contra eum qui sibi præest aliquid iniustum, vel priuata domus, vel sancta Ecclesia murmurat. Clamare quippe terram est, contra regentis iniustitiam rationabiliter subiectos dolere. Omnis ergo qui præest, si peruersa in subditis exercet, contra hunc terra clamat, & sulci deflent: quia contra eius iniustitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro prauo eius opere se in fletibus affligunt, cum clamante ergo terra sulcos plangere, est per hoc, vnde multitudo fidelium iuste contra Rectorem queritur, vberiores vita homines ad lamenta peruenire*, & reliqua, quæ Lector in suo loco plenius præualet inuenire. Et longe ante S. Bonifacius ad Episcopos per Gallias, & septem prouincias constitutos de Maximo, à suis comprouincialibus & subditis accusato: Et S. Gregorius de Bonifacio Regitanæ Ecclesiæ à suis clericis & subditis æque accusato ad Sabinum & plures Episcopos pro causa diligenter inquirenda epistolas misit, & de Lucilli Episcopi accusatione inquisitionem regulariter facere præcepit, velut in eius Regesto Lector inueniet. Etsi de Episcopis ita admissa sunt, de presbyteris, videlicet, secundi ordinis viris non dimittenda sunt.

Job 40.

Episcopus & presbyter accusari potest à suis subditis.

Iob. 31. Greg. lib. 21. mor. c. 31.

Boni. 1. ep.

Greg. lib. 7. ep. 46. Indict. 1. ep.

Cap. XXI.

Verum quia non solum in doctorum secularium literarum dogmatibus, sed & in sanctis Scripturis à contrario quædam diffinienda inuenimus, sicut ex luce obscuriores tenebræ indicantur, ex sententia diuina conferenda est causa Ecclesiastica. Ait enim Dominus discipulis suis, *Vos mihi testimonium perhibebitis, qui ab initio mecum estis*, quoniam absque vlla ambiguitate prædicare valebant, quæ apud illum viderunt & audierunt. Vnde bene Petrus alium pro Iuda ordinare volens Apostolum talem voluit eligere, qui cum eis fuerit, ex quo intrauit & exiuit inter eos Dominus Iesus, & non alium. Sic è contra tales debent audiri accusatores ac testes de vita & conuersatione Presbyteri, qui eius vitam & conuersationem nouerunt in omni tempore, ex quo intrauit, & exiuit cum eis presbyter illis & præpositus ordinatus. Sufficiant ergo, ad refellendam vanam opinionem eorum, qui dicunt, quoniam à suis ouibus vel subiectis Prælatus regulariter accusari non valeat, hæc tanta & talia testimonia.

Ioan. 15.

Act. 1.

Cap. XXII.

Cæterum, quoniam quidam quasi in auctoritate proferunt sanctum Sylvestrum Papam decreuisse talia, quæ Catholica Ecclesia inter synodalia decreta non computat, quæ maiores nostri inde nobis tenenda suis posteris reliquerunt, hic necessarium ponere duximus. Scriptum namque est in quodam sermone sine exceptoris nomine de gestis S. Syluestri excerpto, quê Isidorus episcopus Hispalensis collegit cum epistolis Romanæ sedis Pontificum à S. Clemente vsque ad B. Gregorium, eundem S. Syluestrum decreuisse, *vt nullus laicus crimen clerici audeat inferre, & vt presbyter non aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolytus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolytum, nec lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam, & non damnetur Præsul nisi in septuaginta duobus. Neque Præsul summus à quoquam iudicatur, quomodo scriptum est. Non est discipulus super magistrum. Presbyter autem Cardinalis nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus Cardinarius constructus Vrbis Romæ nisi in viginti sex non condemnabitur. Subdiaconus, Acolytus, exorcista, lector, ostiarius: nisi, sicut scriptum est in septem testibus non condemnabitur. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia vxores ac filios habentes, & omnino Christum prædicantes. Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat.*

Conc. Rom. sub Const. pag. 33.

Mat. 10.

Cap. XXIII.

Quæ dicta quam aduersa sibi, & quam diuersa à sanctis canonibus & sacris legibus sint, nemo est qui dubitet, qui & hæc dicta cum ratione attenderit, & sacras regulas ac leges diligentius legit. Et primum

quidem scriptum est, *ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre*: deinde, vt *nullus clericus contra clericum testimonium accusationis ferat*, & mox subsequitur, in quantis testibus, presbyter, vel diaconus, seu subdiaconus, acolytus quoque & exorcista, lector & ostiarius valeant condemnari, & *testes, & accusatores sine infamia & vxores & filios habentes, & Christum prædicantes fiane. Quod quam absurdum sit vt vxores & filios habentes potius, &c. potius ad testimonium recipi debeant, quam continentes, & religiosi*, ratio aperta demonstrat, & contra id, quod subsequitur, & illud quod dicit, *vt vxores & filios habentes, & Christum prædicantes fiāt testes*: S. Leo Papa in epistola ad Maximum Antiochenum Episcopum decreuit. *Illud*, inquiens, *conuenit dilectionem tuam prædicare, vt præter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit ille monachus, siue sit laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandum est, vt omnes Ecclesiæ filii quæ recta & sana sunt, sapiant, non tamen permittendum est, vt quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat, cū in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat, vt in vno Christi corpore & excellentiora membra suum officium impleāt, & inferiora superioribus non resultent.* Dicit etiam, *& testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat*, quod, sicuti supra ostendimus, regula sacra, & sedis Apostolicæ definitiō, & leges Christianorum Principum Imperii Romani euacuant.

Cap. XXIV.

Sciendum quoque est, quia quidam præfatam constitutionem ex nomine S. Syluestri Papæ in auctoritatem non iudicandi quenquam clericorum ad confirmandam suam sententiam assumunt ex eo quod B. Gelasius inter ea quæ recipienda sunt, Actus B. Syluestri in canone recipiendorum posuit, non aduertentes, quid inde in eodem catalogo S. Gelasius scripserit. Ait enim inter alia. *Actus B. Syluestri Apostolicæ sedis Præsulis, licet eius qui conscripsit, non ignoretur, à multis in vrbe Roma Catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vsu multa imitantur Ecclesiæ. Item, scripturam de inuentione crucis Dominicæ: & aliam scripturam de inuentione capitis Ioannis Baptistæ nouellæ* quædam relationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus peruenerint. B. Pauli Apostoli præcedat sententia. Omnia probate, quod bonum est tenete.* Quæ Acta legi B. Gelasius permisit, sed ad auctoritatem, sicut sanctas Scripturas & sanctorum opuscula teneri non iussit. In quibus Actibus Syluestri, de talibus constitutionibus nihil legimus. In libro vero qui titulatur Gestorum Pontificum, legimus constituisse B. Syluestrum vt *nullus laicus clerico crimen audeat inferre*. Cætera autem, quæ subsequuntur, vt supra posuimus in regesto ipsius, constituisse eum non legimus. Quapropter credendum non est eundem sanctum virum talia constituisse, quæ in memorato sermone continentur scripta. Et licet propter hæreticos & gentiles, qui tunc persequebantur Catholicos, forte talia dixerit, tamen posteriorum sententia tenenda est, sicut S. Augustinus à sede Apostolica merito inter optimos magistros Ecclesiæ computatus in libro secundo de Baptismo demonstrat. *Quis*, inquiens, *nesciat sanctam scripturam canonicam tam veteris, quam noui testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteriorum Episcoporum litteris ita præponi, vt de illa omnino dubitari, & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem litteras, quæ post cōfirmatum canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorum auctoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deuiatum est. Et ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano sine vllis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuida inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.*

Cap. XXV.

Alioquin si nullus laicus aduersus clericum, nullus clericus aduersus laicum accusationem proferre valebit, secundum illa, quæ in memorato sermone ex verbis S. Syluestri sunt dicta, quomodo quis iudicabitur ab Ecclesiæ sanctæ, vel à legum publicarum iudicibus, cum nemo vel Ecclesiastico vel ciuili iudicio regulariter atque legaliter, nisi cum sententia ordine iudiciario, & quæ cum integritate profertur, debeat iudicari. Nam si presbyter approbari non poterit, nisi cum tot idoneis testibus, sicut ibidem scriptum est, nunquam probabitur. Sunt enim apud nos Presbyteri, qui tot Parrochianos non habent, qui mansa teneant & vxores, ac filios habeant, quot testes idoneos ad comprobandum Presbyterum sermo ille requirit. Frustra igitur sacri canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum expressa iudicia de singulis gradibus pro euidentibus culpis promulgauerunt. Et leges inaniter ad prauos coercendos vel puniendos decretæ sunt, si exequendæ non sunt, præsertim cum S. Leo de sacris canonibus dicat. *Igitur secundum sanctorum Patrū canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.* In eo enim, quod dicit, *vt nulla negligentia à regulis præstitutis discedant*, tradiderunt nobis magistri nostri intelligendū vt segnes non sint Episcopi ad exequenda statuta. In eo, quod dicit, *vt nulla præsumptione à præstitutis regulis discedant*, intelligendum dixerunt, vt statuta supergrediendo nequaquam excedant. Vnde idem B. Leo aliis verbis Scripturæ sententiam protulit, quæ dicit: *non declines ad dextram, neque ad sinistram.*

Cap. XXVII.

De Legibus autem Valentinianus, & Theodosius, & Archadius, decreuerunt, dicentes. *Perpensas Serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones nec ignorare quenquam nec dissimulare permittimus.* Interpretatio. *Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere.* Et S. Cælestin. paria de sacris canonibus dicit. *Nulli*, inquiens, *sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?* Non igitur frustra Ecclesiasticæ regulæ, vel sacræ leges inaniter sunt promulgatæ, sed regulari ac legali ordine sunt exequendæ. Quoniam sicut S. Augustinus & cæteri Doctores Catholici ex euangelica auctoritate ostendunt, de apertis commissorum nobis erratibus, non solum potestatem, sed & præceptum iudicandi, vt corrigantur, habemus, sicut sunt stupra, blasphemiæ, furta, adulteria, homicidia, ebrietates, rapinæ, & his similia, de quibus Dominus dicit. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, & Apostolus. *Manifesta autem sunt opera carnis.* De occultis vero fraternæ conscientiæ, & in dubiis maxime rebus & qua intentione vel necessitate geruntur, cum inspicere nequimus, temeritatem iudicandi cauere de-

Concil. priora aliquādo à posterioribus emendantur.

Leo ep. 84. 25. q. 1. c. Ita nos. — Statutā vetera nō violanda.

Prou. 4. 27.

Leges nulli ignorare licet nec canones.

Cæl. ep. 3. d. 8 c. nulli.

Matt. 7. Gal. 5.

Gelas. dist. 15. c. Sancta Romana.

1. Thess. 5.

Aug. l. 2. de bapt. c. 3.

bemus, sed & ambigoa eorum gesta & quæ in quamlibet partem interpretari possunt, diuino potius examini reseruare iubemur, sicut de genere ciborum, qui possunt bono animo & simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicunque humani cibi indifferenter sumi, ad quorum alimenta sicut ad medicamenta est accedendum. Quapropter sequentes Apostoli doctrinam Saluatoris nostri de manifestis iudicauerunt peccantes, sicut Petrus Simonem, Ananiam, & Saphiram, Paulus Elymam & fornicatorem apud Corinthios.

De occultis non iudicat Ecclesia.

Act. 5. 8. 13. 1. Cor. 5.

Cap. XXVII.

Quorum sequentes vestigia successores Apostolorum & iudicia de manifestis peccatis promulgauerunt, & peccantes coram omnibus redarguerunt, atq; iudicarunt. Et qualiter, ac quo ordine pro Patribus Apostolis Ecclesiæ nati filij, Episcopi videlicet, debeant in peccantes proferre iudicia, ss. Pontifices Leo & Gregorius exponentes sententiam Domini dicentis ad Apostolos, & per eos ad successores eorum. *Quæ ligaueritis super terram, erunt ligata in cælis.* &, *Quæ solueritis super terram, erunt soluta in cælis*, patenter ostendunt. *Beatissimo Petro*, inquit Leo, *à Christo dicitur, tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Transiuit quidem etiam in alios Apostolos* * *vis istius potestatis & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil ligatum, nihil solutum, nisi quod Beatus, aut ligarit, aut soluerit.* Et S. Gregorius, *Sæpe igitur vt qui nescit tenere moderamina vita sua, iudex vitæ fiat alienæ, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat, cum suæ voluntatis motum, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipse hac ligandi ac soluendi potestate se priuet qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus, exercet. Iudicare enim digne de subditis nequeunt, qui in subiectorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde recte per prophetam dicitur. Mortificabant animas quæ moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur. Causa ergo pensanda sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda.*

Mat. 16. Leo ser. 3. in an. assumptionis.

Cur B. Petro specialiter data potestas ligandi soluendique.

Greg. ho. 26. in Euang. Non sine causa danda absolutio.

Ezec. 13.

Cap. XXVIII.

Et in Synodis Romanis Apostolicorum Eugenij, atque Leonis IV. vbi sacerdotem post condemnationem esse oporteat constitutum est, vt sacerdos, aut quiuis alius in ordinem Ecclesiasticum prouectus, *si in eo scelere inueniatur, quo abiiciendus existat, depositus prouidentia Episcopi bene prouiso loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat.* Et Magnus Leo Papa longe ante auctoritate Scripturæ sacræ ad Hilarium Episcopum Narbonensem decreuit, *vt presbyteri vel diaconi lapsi ad promerendam misericordiam Dei priuatam expetant secessionem, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Hæc à maioribus nostris de infamati presbyteri depositione, vel qualitatis purgatione & auctoritate ac consuetudine in istis Cisalpinis regionibus exequenda & tradita nobis accepimus.

Eugen. II. Dist. 8. 1. c. Sacerdos.

Leo ep. 92. ad Rust. Narb. Epis.

Pœna clericorum lapsorum

Cap. XXIX.

Si autem presbyter vel diaconus de certis causis accusatus, & legaliter atque canonice ad iudicium prouocatus regulare iudicium subterfugerit, decretum est sacris legibus quas ex Euangelica auctoritate trina conuentione probant prima Ephesina Synodus, & magnum Chalcedonense Concilium, & S. Cælestinus in epistola ad Nestorium, & S. Gregorius in epistolis suis, vt trinis litteris, vel edictis quique conuentus, si ad iudicium suum, à quo de certis causis regulariter accusatus conuentus est, venire noluerit, sententiam contumacis suscipiat. Hinc & S. Bonifacius Papa ad Gallicanos Episcopos decreuit. *Vt conuentus quisque si adesse voluerit præsens, si confidit, ad obiecta respondeat: si adesse neglexerit, dilationem sententia de absentia lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato iudicio purgandi se occasione non vtitur. Nihil enim interest, vtrum in præsenti examine omnia, quæ dicta sunt, de eo comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia.* Quia, vt S. Gelasius dicit, *ideo vocatur ad iudicium certa quæcunque persona, vt aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis. Et ab ea sententia, quæ aduersus contumaces data est, neque appellari, neque in duplum reuocari potest, sicut leges diffiniunt.*

Iudiciū refugientes contumaces.

Greg. li. ep. 5.

Bonif. ep. 3. c. 9. de contumac.

Cap. XXX.

Et S. Gregorius in epistolis suis ex eisdem legibus promulgauit. *De cætero Presbyteri vel Diaconi pro causa pecuniaria, quæ alio nomine in regulis sacris ciuilis causa vocatur, pro peruasione rei alicuius, seu quibuscunque grauibus iniuriis ad iudicium fuerint prouocati, licet in criminalibus causis per alium nulli liceat respondere, Episcopis tamen & presbyteris sacris legibus præstatur vt in talibus causis misso procuratore, id est, dato pro se aduocato respondeant, sine dubio, vt ad eos redeat sententia iudicati. In reliquis vero criminalibus causis vbi de scelere persona conuincenda est, suam in iudicio præsentiam exhibere procuret. Quod si tertio conuenti per executorem ad iudicium venire noluerint, vt præmissum est, sententiam accipiant contumacis.*

Quidem in criminalibus & ciuilib. causis clerico licere per alium agere causam.

Cap. XXXI.

De peruasione autem quisquis Ecclesiasticorum relictis vel contemptis legibus res alienas peruaserit, secundum B. Gregorij Papæ decretum ante corpus B. Petri prolatum anathematis vinculo ligari præcipitur, sicut in eodem decreto, sed & in aliis suis epistolis non tantum semel & secundo, sed & tertio patenter ostendit, vt nemo Ecclesiasticorum, si putat Ecclesiæ sue res quaslibet debere competere, illegaliter eas peruadat, sed legaliter illas acquirat. Et in Synodis Romanis Apostolicorum Eugenij, atque Leonis IV. de peruasione quasi pro parte Ecclesiæ facta decretum est, *vt si quispiam inuasor comprobatus dicat pro parte Ecclesiæ se egisse de priuata sibi re pertinente ab ipso suoque hærede soluatur inuasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inuentus à proprio canonice iudicetur Episcopo, vt non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat, sed illæsa huius persuasionis temeritate permanere sancimus.* Et in eadem Synodo decretum est, vt Episcopi, vniuersique Sacerdotes habeant aduocatos, quia Episcopi, vniuersique Sacerdotes ad solam laudem Dei, bonorumque operum actionem constituuntur. *Debet ergo vnusquisque eorum tam pro Ecclesiasticis, quam etiam propriis suis actionibus excepto publico videlicet crimine, habere aduocatum, non male suspectum, sed bonæ opinionis & laudabilis artis inuentum: ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant.* Et item ibi de his qui aduocatos inuenire nequeunt. *Si enim fuerit quispiam Sacerdotum inuentus, qui aduocatum in iudicium proferre non valeat, circum plebe propria suum Episcopum eundem oportet discutere Sacerdotem, si bonæ aut malæ conuersationis existat: vt cum rei causa debite aduocatum habere non possit, male vero inuentum pro qualitate culpæ secundum canonum normam emendari curetur.*

De hac Synodo leg. Baron. 10. 9.

Epis. & Presby. debent habere aduocatos.

Cap. XXXII.

Si quis vero Presbyterorum, vel reliquorum cleri-

eorum de obiecto crimine, vel commota ciuili causa, relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, Carthaginenses canones capite IX. decreuerunt, & ex eisdem canonibus Leo, & Romana Synodus vniformiter decreuerunt, vt de criminali causa, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, in ciuili vero perdat, quod euicit, si locum suum obtinere maluerit.

Cap. XXXIII.

De proprietatibus autem, quas aut ante ordinationem Presbyteri habuerunt, vel post ordinationem quolibet modo acquisierunt, Carthaginenses canones capite XXXII. constituunt: *vt Episcopi Presbyteri, & Diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel Clericatus sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum inuasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicuius, vel successione cognationis obuenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. Quod si a suo proposito retrorsum exorbitauerint, honore Ecclesiastico indigni, tanquam reprobi iudicentur.* Sic & lege Iustiniani Constitutione CCCC. XXVII. capite CCCCL II. & capite XXXII constitutum est. Et S. Gregorius in epistolis suis ex eisdem sacris canonibus & legibus promulgauit, atque constituit.

Cap. XXXIV.

Sed quia negligentia vel indebito fauore ministrorum Episcopalium necessaria minus curante, & Presbyterorum cupiditate, & lasciuia inolescente per paruchias vitium solet excrescere, quod necesse est sollicitius resecare, videlicet, quidam Presbyteri de redditibus Ecclesiæ vel oblationibus ac votis fidelium res post ordinationem suam comparant, & in illis structuras faciunt, & quæ ad Ecclesiam pertinent ibidem collocant, & in eisdem mensis mulieres recipiunt, quæ lanificium suum exerceant, & domus curam gerant. Et hac occasione suas Ecclesias negligunt, & ad eosdem mansos recurrunt, & ibi commanent contra decreta canonum, fraudem facientes de facultatibus Ecclesiasticis: quoniam hoc agere sacrilegum est, & par crimen Ananiæ, & Saphyræ, atque Iudæ furis, qui sacras oblationes, quæ ad vsus fidelium ac pauperum mittebantur asportabat & furabatur. Eosdem etiam mansos, non Ecclesiis secundum sacros canones derelinquere, sed contra canones, vel propinquis suis, vel aliis, quibuscunque solent distrahere, cum nullam proprietatem Episcopus vel Presbyter melius vel firmius possit habere, quam quæ est Ecclesiæ attributa, si secundum ordinem suum viuere voluerit: si autem ordinem pro sua culpa perdiderit, nec alode, quem à die ordinationis suæ de Ecclesiasticis facultatibus acquisiuit, habere valebit, cui iuxta decreta S. Leonis ad pœnitentiam agendam secreta est expetenda secessio.

Cap. XXXV.

Vnde necesse est, vt per singulos annos ministri Episcoporum inquirant, quid pateat in singulis Ecclesiis de parte decimæ, quæ iuxta sacros canones Ecclesiæ competit, sed & de matricularis per singulas Ecclesias iuxta facultatem & possibilitatem loci curam adhibeant, ne Presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant, ne suos parentes sanos & robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matricularus exigant, non de matricularis bubulcos aut porcarios faciant, sed pauperes ac debiles, & de eadem villa, de qua decimam accipiunt, matricularios faciant. Si autem presbyter habeat fratrem, aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima alendus sit, Apostolica est sequenda sententia, qua dicit. *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Reliquos propinquos, si iuxta se habere voluerit de sua portione sine dispendio Ecclesiæ vestiat atque pascat: Nam aliud est sine dispendio Ecclesiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet necessitosis ex charitate cum mensura & canone subuenire, vel adiutorium ferre, & aliud cum destructione Ecclesiæ, vel dissipatione facultatum Ecclesiasticarum, quæ sunt Ecclesiæ, male dispendere. Prouidendum est etiam, vt de nihil habentibus promoti Presbyteri, non præsumant, quæ de facultatibus Ecclesiæ comparauerunt vendere, vel quasi ad casam Dei tradere, nisi ad Ecclesiam, cuius propriæ esse debent.

1. Tim. 5. 8.

Qui pauperes in clerum assumpti non possunt sua vendere.

EPISTOLA VIII.

In hac epistola, vel potius Appendice superioris epistolæ Hincmarus tractat speciatim exemplum criminosi Clerici, nempe Teutfridi Presbyteri, de furti & sacrilegii crimine delati. Ac primo quidem probat causam hanc debere secundum leges ciuiles & Ecclesiasticas, idque intra prouinciæ terminos in qua crimen admissum est ab Episcopo, vel certe à totius prouinciæ Episcopis agitari. 2. docet quam graue scelus committant secundum SS. Patres, qui res Ecclesiis oblatas diripiunt. 3. qua pœna Teutfridum maneat, si neglecto Ecclesiastico iudicio confugiat ad palatium Imperatoris, vel testes alios vi vel dolo in communionem sui periurii trahat.

Cap. I.

Sanctus Gregorius Papa in Regesto decretorum suorum multoties negotia Ecclesiastica, & causas Ecclesiasticorum legaliter ac regulariter debere diffiniri decernit. Vbi, vel à quibus causa de Teutfrido Presbytero agitanda vel diffinienda sit, leges decernunt, vt vltra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum iudicia agitari, vbi facinus dicitur admissum. Peregrina autem iudicia præsentibus legibus coercemus. Et Carthaginenses canones cap. 3n. *Placuit*, inquiunt, *vt accusatum vel accusator in eo loco, vnde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur.* Et Synodus Africæ prouinciæ in epistola ad Cœlestinum Papam. *Prudentissime*, inquit, *iustissimeque prouiderunt Patres, quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt finienda.*

Liter vbi orta sunt, finiendę.

3. q. 6. c. 1. & c. si quis.

Cœlest. c. 105.

Cap. II.

Presbyter confessus vel conuictus, à proprio episcopo, si contentiosus fuerit ab episcopis suæ prouinciæ iudicari debet, sicut Nicæni, Antiocheni, Sardicenses & Chalcedonenses, & Carthaginenses Africani canones decernunt, vnde Antiocheni canones capitulo decimosexto dicunt. *Perfectum concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.* Et capitulo vigesimo de Conciliis Episcopalibus. *In ipsis Conciliis adsint Presbyteri, & Diaconi, & omnes qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen.* Et capitulo nono. *vt Episcopus nihil agere tentet præter antistitem Metropolitanum, nisi quod ad propriam parrochiam pertinet. Nec metropolitanus sine cæterorum gerat consilio Sacerdotum.*

Presb. ab Episcopo, vel metropol. iudicandus.

Cap. III.

Quia de facultatibus Ecclesiasticis furtim vel sacrilege distractis Teutfridus confessus vel conuictus di-

Teutfridus presbyter de furto conuict.

citur, scilicet de planetis tribus, de tunica Immæ Reginæ, de balteo aureo cum gemmis, de bursa eburnea, de libra vna, de auro & de cæteris aliis rebus. Leges dicunt, confessi debitores pro iudicatis habentur: ideoque ex die confessionis tempora solutionis constituta computentur. Et canones Apostolorum capitulo 25. dicunt. *Episcopus, Presbyter aut diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur: non tamen communione priuetur. Dicit enim Scriptura, non vindicabit Dominus bis in idipsum.* Si enim fidelitatem ipsi casæ Dei iurauit, in periurio captus est. Quia vero sacratas Deo facultates distraxit, sacrilegium admisit sicut S. Anacletus Papa ab ipso B. Petro Apostolo Presbyter ordinatus postea in sede Romana successor illius factus Episcopus cum quamplurimis sacerdotibus iudicabat. *Qui,* inquiens, *Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum iusti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. Qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit,* & vt sacrilegus iudicandus est. Et S. Vrbanus Papa & Martyr. *Res & facultates Ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac precia peccatorum: si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Saphiræ,* & oportet huiusmodi tradere Satanæ, vt spiritus saluus fiat in die Domini. Et S. Lucius Papa. *Rerum Ecclesiasticarum & facultatum raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit.* Et S. Gregorius Papa. *Sacrilegum,* inquit, *& contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, praua voluntatis studiis suis tentauerit compendiis retinere.* Et S. Augustinus à sede Apostolica per B. Cœlestinum inter optimos Ecclesiæ magistros merito computatus in sermone Euangelij B. Ioannis dicit. *Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contemnas, fur sacrilegus, non qualiscunque fur, sed loculorum Dominicorum: loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro non qualiscunque fur, sed peculator. Peculatus enim dicitur furtum de republica. Et non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ. Quanto vehementius iudicandus est sacrilegus fur, qui ausus fuit non vndecunque tollere, sed de Ecclesia tollere. Qui aliquid de Ecclesia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur.* Et hinc sacri canones dicunt. *Clerici, vel etiam sæculares, qui oblationes parentum aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donauerint Ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur, & qui ab Ecclesiis excluduntur, in gradu Ecclesiastico manere non permittantur.*

Dist. 81. ca. presbyter. Nam. 1. Anac. ep. 1. Lucius ep. ad Gall. & Hisp. Episc. 17. q. 4. c. qui rapit. Sacrilegus est res Ecclesiæ tollens. Vrb. ep. ad oës Christianos. Lucius ep. ad Gall. & Hisp. Episc. Greg. ep. 6. lib. 8. 17. q. 4. c. sacrilegium. Aug. tract. 50. in c. 12. Ioan. Iudas fur sacrilegus. Pœna retinentiũ res Ecclesiis oblatas.

Cap. IV.

Si Teutfridus confessus vel conuictus fuerit relicto Ecclesiastico iudicio ob defensionem vel purgationem suam palatium expetisse, inferendum illi capitulum vndecimum Antiocheni Concilii. *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut quilibet regula subiectus Ecclesiastica, præter consilium vel litteras Episcoporum prouinciæ & præcipue Metropolitani, adierit Imperatorem vel Regem, hunc reprobari & abiici oportere non solum à communione, sed & ab honore, cuius particeps videtur existere, quia venerandi Principis auribus molestiam tentauit inferre contra leges Ecclesiæ. Si igitur adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio Metropolitani & cæterorum Episcoporum, qui in eadem prouincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.* Et Carthaginenses canones capitulo 9. *Quisquis,* inquiunt, *Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum seu clericorum, cum in Ecclesia crimen ei fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso prolata fuerit sententia, locum suum amittat, & hoc in criminalibus. In ciuili vero perdat quod euicit, si locum suum obtinere maluerit.* Et S. Leo Papa, & Synodus Romana. *Censemus, vt quicunque prætermisso sacerdote ecclesiæ suæ ad disceptationem venerit sæcularium sacris liminibus expulsus à cœlesti arceatur altario.*

C. Antioch. 10. 11. Capit. C. Cart. 3. c. 9. 11. q. 1. c. placuit.

Cap. V.

Si Teutfridus conuictus vel confessus fuerit, quod manifeste vel ingeniose proximos suos in periurium induxit, sciendum est, quia tot periuriorum reus est, quot homines malitiose in periurium induxit, & maius peccatum inde ille ipse habet, quam illi, qui pro eo ipso rogante iurauerunt, sicut Dominus loquens ad Pilatum manifestat dicens. *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Et S. Gregorius de huiusmodi in pastorali regula. *Scire enim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas prauis exemplis destruxerunt, rei sunt.* Et presbyter quanto gradu quolibet Christiano laico est celsior, tanto culpa illius est grauior, & qui illorum periurio est colligatus, in illorum est periurio captus, ac per hoc secundum capitulum 24. Apostolicorum canonum de periurio iudicandum. Vnde S. Hieronymus exponens sententiam Ezechielis prophetæ de præuaricato iuramento à Sedechia rege dicit. *Multo enim fidelior inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit & deceptus est te, qui per occasionem diuinæ maiestatis hostis tuo, imo iam amico molitus es insidias. Propterea Scriptura dicit. Iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Legimus enim Sedechiam captum ductum esse in Reblata, ibique interfectis filiis excæcatum, & instar feræ clausum cauea translatum in Babylonem. Rex quippe Babyloniis,* vt B. Gregorius exponit, *est antiquus hostis possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit vt hæc se amittere ipse qui captus est dolens cernat. Nam* * *bona gignit plerumque animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus bona quæ genuit amans perdit, & quæ patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonium leuat, sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati vsu perducitur, vt ipse quoque rationis lumine priuetur, vnde Babylonius rex, extinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus post & intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur, Reblatha quippe multa hæc interpretatur. Is enim quandoque & lumen rationis clauditur, qui prauo vsu ex iniquitatis suæ multitudine grauatur.* Hæc omnia iusto Dei iudicio patitur, qui iuramentum in nomine Domini præuaricatur, *quoniam qui contemnit iuramentum,* vt beatus dicit Hieronymus, *ipsum despicit per quem iurauit, illique facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius,* hoc est, ille cui iuratum est in nomine eius, qui dicit. *Non accipias nomen Domini Dei tui in vanum, neque polluas illud.* Et, *reddes Domino iuramenta tua.* Et psalmus dicit, illum futurum in loco sancto, *qui iurat proximo & non decipit.*

Cap. VI.

Si autem dicere voluerit, quia necessitate coactus illud iuramentum facere iussit, quod tamen seruare potuit & debuit, & ideo reus periurij non teneatur, audiat, quid S. Gregorius dicat de illo qui iurat, vel anathematizat. *Qui iurare vel anathematizare debet, & blanditur tibi, quod non teneatur reus, si præuaricatus fuerit,*

fuerit quod iurauit, vel anathematizauit, quia inuitus hoc egit si qui sunt, qui dicant, quod compulsus quispiam necessitate, si anathematizauerit anathematis vinculo non teneri, ipsi sibi testes sunt qui hoc dicunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant cunctibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus veram putant, si ligatio eius valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur: eosque & ego, & omnes Catholici Episcopi atque vniuersalis Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur.

Cap. VIII.

Si autem dixerit, quod plures solent dicere, quia per ingenium iurare iussit, non putet verbi arte se posse fallere Dominum, cui nihil occultum est, & qui non verbum quis, attendit, sed vt is putauit, cui iuratum est. & proximi iuramento credidit. Qui autem per dolum iurat, vt Catholici Doctores dicunt: primum Deo reus est, cuius nomen contra præceptum legis assumit in vanum, deinde proximo, quem ita fraude fallere putat, dicente Psalmista. quia *innocens manibus & mundo corde qui non iurat in dolo proximo, accipiet benedictionem à Domino* Sed & sibi ipsi reus est, qui accipit *in vano animam suam* contradicente Psalmista.

B

EPISTOLA IX.

AD IOANNEM VIII PONTIF. MAXIMVM.

C

ARGVMENTVM.

CArolus II. Imperator, primo conqueritur, quæ de criminosis sacerdotibus à Carolo Magno olim statuta erant, & ab Eugenio 2. & Leone 4. Pontificibus Rom. renouata non obseruari. 2. quæ de honore Episcopis deferendo, & appellationibus scriptum est iudicio Ioan. VIII. Pontificis subiicit. 3. quia Episcopi Apostolis succedunt, & semper à Constantino Magno aliisque imperatoribus in magno honore sunt habiti, merito à se quoque & ab ipso illis debitum honorem deferendum: & si vt homines sunt, lapsi fuerint, causam eorum à comprouincialibus Episcopis & Metropolitano propter tractandam, negotia siquidem, vbi orta sunt ibi finienda, iuxta canones. Quod si ab eorum iudicio ad Papam appellatum fuerit, tum Papam secundum eosdem canones, cognita vtrinque causa vel probare debere iudicium Episcoporum, vel renouare. Si enim secus fiat, facile in tanta locorum distantia posse in informatione fraudes obrepere. 4. docet cæteros clericos accusandos apud Episcopum, illosque ab eo posse appellare ad finitimos Episcopos, vel Synodum prouincialem. Denique monet Papam vt secum tueatur obseruationem veterum canonum, caueatque ne Episcopi facile aliquem excommunicent.

D

A *SANCTISSIMO AC REVERENDISSIMO Patri Ioanni summo Pontifici & Vniuersali Papæ Karolus gratia Dei Imperator Augustus, & specialis filius vester.*

Ioan. 8. Car. Calu.

Cap. I.

ANequam prouinciæ Transalpinæ propter seditiones & bella frequentia progenitorum nostrorum temporibus sacrarum legum ac regularum notitiam & obseruationem plene caperent, sicut postea per incrementa studio illorum ab hac sancta sede gratia Dei cœperunt: gloriosæ memoriæ auus noster Karolus Imperator Augustus diu per egregios ac præcipuæ auctoritatis & sapientiæ viros de Presbyteris ex criminibus diffamatis qualiter iudicari, per purgare se debeant perquisiuit & repperit: sicut in suæ Imperialis auctoritatis edictis. quæ in alia schedula habemus scripta, posteris seruanda reliquit; quæque vsque ad nostra tempora ex tunc in Transalpinis regionibus seruata, & quando necessitas postulauit, executa fuerunt.

Karolus magnus de Clericis criminosis quid agendum inquisiuit.

Cap. II.

In diebus autem Domini & genitoris nostri piæ memoriæ Hludouuici Imperatoris, cum ipsa tepescit executio aliquatenus cœpit, apud Papam Eugenium inde ab eo commonitio facta est. Quia de re Synodum isdem vniuersalis Papa conuocans inter alia generalia decreta promulgare curauit, quæ Leo IV. tempore fratris nostri Hlotharij, & nepotis nostri Hludouuici obseruanda decreuit, sicut in gestis Synodalibus, & in huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ archiuo haberi credimus, & ab hac sancta Sede nostris decessoribus directa venerabili sanctione habemus. Cum autem non longe ante hos annos nepos noster Hludouuicus Italiæ Imperator instinctu quorundam contra nos se commouit, missæ sunt nobis epistolæ quasi ex Apostolicæ huius Sedis auctoritate ac nomine, quas tenoris inconuenientia hanc sanctam & discretissimam Sedem non misisse ostendit.

Ludou. II. Eugen. I. Papa vniuersalis.

Vide Baron. vol an. 8... Ludou. II.

Cap. III.

Et quoniam prauis sæpius praua quam recta innotescere solent, nacta hinc occasione Transalpinarum regionum Presbyteri à suis Episcopis de certis criminibus regulariter ab ordine Sacerdotali deiecti, & pœnitentiæ subacti sine licentia & conscientia Primatuum & Episcoporum suorum huc venire, & hinc epistolas, quæ regulis non conueniunt, referre cœperunt. Quas non iussione Apostolica; sed, vt assolet, etiam in republica propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumcumque ministrorum quasi pia miseratione factas, & nos, & illius regionis putant Episcopi. Quapropter, quia, vt S. Augustinus dicit, *cogunt multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum*, intermissis propter prolixitatem sacrarum legum capitulis prædecessorum nostrorum Imperatorum quibus Ecclesiasticæ regulæ consonant; necessarium duximus pandere Sanctissimæ vestræ Paternitati, ac summæ auctoritati, qualiter regulas de honore in suo statu Episcoporum, & de appellatione, si necessitas & ratio in deiectione illorum poposcerit, sed & de appellatione Presbyterorum intelligimus & intelligi à Rectoribus transalpinarum Ecclesiarum didicimus: quatenus ab huius sanctæ Sedis auctoritate nostra sana, vt credimus, intelligentia confirmetur, à qua fidei ac religionis sumpsit initium, &

Hoc, id est, Romam.

Aug. ep. 50. ad Bonif. comitem.

Expositionem de priuilegio episcop. subiicit Pontif. A Romana Sede fidei Christianæ est initium.

Oo

quotidie, gratias Deo, sumit augmentum. Et si quid male in agro Dominico pullulat, decreti vestri falce recidatur. Si etiam quorumcumque negligentia vel præsumptione à præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industria sit reformatum.

Cap. IV.

Sicut Dei virtus Christus & Dei sapientia ordinem ac dignitatem Apostolorum, & septuaginta discipulorum in carnis præsentia distinxit, vt lectio S. Euangelii patenter ostendit: ita idem ipse, *per quem Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt* sacris legibus & canonibus spiritu suo conditis, & totius mundi reuerentia consecrans ordinem & dignitatem Episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent Apostolorum, & Presbyterorum, qui subrogantur loco septuaginta discipulorum & in administratione & in honore: sicut & in veteri Testamento inter summos Pontifices, & inter minoris ordinis Sacerdotes discreuit. Quapropter ab omnibus honorandi ac venerandi sunt *pro Patribus nati filii*, id est, pro Apostolis ordinati Episcopi & ordinis dignitate, & illius honore qui eis Apostolis dixit: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* Et. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et de eis. *Ite, nunciate fratribus meis.* Et alia, quæ de illorum veneranda honoratione sacræ Scripturæ textus eloquitur.

1. Cor. 1. Mat. 10. Luc. 10. Prou. 8. — Episcopi Apostolis presb. 70. discipulis succedunt. — *Aug. in Ps. 44.* — *Ioan. 15. Luc. 10. Mat. 28.*

Cap. V.

Qui forte, si aliqui temporalibus rebus sunt pauperes, forte merito diuites, pro certo autem sunt ordine sacro sublimes, à nullo quolibet, siue Ecclesiastica, siue sæculari potestate prædito debent vilipendi, nec potentibus sæculi modo quocumque postponi, præcipiente omnibus Apostolo Iacobo. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ*, quia non qui ditiores ad sæculum, hi in diuino examine sunt meliores. *Nonne*, inquit, *Deus elegit pauperes in hoc mundo? diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit diligentibus se.* Et Paulus. *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus, & reliqua.* Et sanctus Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem. *Sacerdotibus*, inquit, *non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquiis aliquando Sacerdotes Dii, aliquando angeli vocantur. Nam & per Moysen de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur. Applica illum ad Deos, id est, ad Sacerdotes. Et rursum scriptum est. Diis non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et propheta ait, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino Principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent: libellos, quos acceperat, incendit, dicens. Vos Dii estis, à vero Deo constituti: ite, & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. In qua tamen sententia, pie Domine sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in Republica Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, Deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum Sacerdotibus maximum honorem tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, vt prædiximus, Principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui diis ligneis & lapideis seruiebant?* Et idem sanctissimus atque facundissimus & discretissimus, veraciterque in oculis Dei humillimus in epistola ad Ioannem Episcopum Syracusanum scribens de Episcopo Constantinopolitano inter alia dicit. *Quod Sedi Apostolicæ dicat se velle subiici, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cum vero culpa non exigit omnes secundum rationem humilitatis æquales sumus.*

Episcopi pauperes nō sunt spernendi. — *Iacob. 2.* — *1. Cor. 1. Greg. l. 4. reg. ep. 31. 1. q. 1. c. Sacerdotib.* — *Exod. 22.* — *Malac. 2.* — *Ruffin. li. 10. c. 2.* Cōstantinus episcop. Deos vocat. — *S. Greg. laudatur. Greg. l. 7. ep. 64.*

Cap. VI.

Post CONSTANTINVM autem quique Christiani Imperatores decessores ac prædecessores nostri leges de Episcoporum honore ac priuilegio condiderunt. Proinde PATER sanctissime, quia, vt sanctus GELASIVS dicit. *Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas*, ad quas appellari potest, & à quibus nemini permittitur appellare sub oculis districti & æquissimi iudicis Dei, qui sine personarum acceptione iudicat, nostra ponderemus iudicia: quia etsi plærumque existunt inter negligentes vel desides fratres, quæ oporteat maiore auctoritate curari, *sic tamen est*, vt S. LEO dicit, *adhibenda correctio, vt semper sit salua dilectio, & plus erga corrigendos agat beneuolentia quam seueritas, plus cohortatio, quam commotio, plus charitas, quam potestas.* Episcopos sane in suo statu manentes debita veneratione colamus, & à nobis eis competenti honore impenso cæteris exemplum reuerentiæ erga Sacerdotalem ordinem præbeamus: quia si nos sacrum ordinem in personis eorum vilipendimus, qui velut in speculo ad sumendum exemplum omnium, qui subiecti nobis sunt, oculis positi sumus, pro tantorum culpis à districto iudice, Summo videlicet Pontifice, & Rege regum diiudicabimur, quot nostro facto delinquendi, quod absit, exempla præbuerimus, sicut idem B. GREGORIVS in Regula Pastorali terribiliter intonat, dicens. *Scire etenim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua, quæ faciunt, non soli moriuntur, sed aliorum animarum quas prauis exemplis destruxerunt, rei sunt. Et contra, quot suo verbo, vel exemplo, vel, quibus potestas est data correctionis, correctione (quia sæpe inuitis bona præstantur dicente summo patrefamilias ad seruum, id est, Prælatorum chorum, ex ito in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea) Domino lucrati fuerint, pro tantis gloria coronam accipiant, attestante Apostolo. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Leo ep. ... — *Luc. 14.* — *Iac. 5.*

Cap. VII.

Cæterum quia *non est homo in terra, qui faciat bonum & non peccet*, & nec ipsi sine peccato fuerunt, qui cœlesti magisterio adhærebant, dicente Ioanne. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Iacobus Apostolus dicit. *In multis offendimus omnes.* Et, vt scriptura ostendit, *in angelis reperta est nequitia*, si necessitas cum multa ponderatione atque examinatione coegerit Episcopos ab Episcopis iudicari, vel Presbyteros ab Episcopis à gradu Ecclesiastico deiici, sicut in honore atque administratione, sic & in diiudicatione, atque appellatione discretionem auctoritas sacra distinxit, decernens, vt si necessitas & pondus legalis legalis ac regularis accusationis exigit Episcopum iudicari debere à sua

Eccles. 7. — *1. Ioan. 1.* — *Iac. 3. Iob. 4.* — Episcopus p... ...

iudicibus Epiſcopis, à quibus regulariter vna cum cum Primate prouinciæ potuit ſecundum Nicænos & Antiochenos canones,& decreta Sedis Romanę Pontificum ordinari, congregatis vna cum Primate prouinciæ ipſius regionis Epiſcopus ſecundum Sardicenſes canones, atque à conſtituto, iuxta Carthaginenſes canones, duodecim Epiſcoporum numero, ſi plures nequiuerint congregari, canonice iudicetur.

Cap. VIII.

Et ſi iſdem accuſatus & iudicatus epiſcopus congregatis eiuſdem regionis epiſcopis de gradu ſuo deiectus Apoſtolicam Sedem appellauerit, & confugerit ad epiſcopum Romanæ eccleſiæ, & ab eo ſe audiri voluerit, poſt iudicium iuxta Sardicenſes canones, & decreta Innocentii ad Victritium, & Bonifacij ad Gallicanos Epiſcopos, & Leonis ad Anaſtaſium, *ſcribendum eſt ab his, qui cauſam examinarunt, Romano Pontifici. Et ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices: ſi autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non retractentur ea quæ acta ſunt, quæ decreuerit, confirmata erunt. Et ſi iuſtum putauerit, vt renouetur examen, ſcribere his dignetur epiſcopus, qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant.* Quod ſi is qui rogat cauſam ſuam audiri iterum deprecatione ſua mouerit epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate epiſcopi, & quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum epiſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si vero crediderit epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant faciet, quod ſapientiſſimo conſilio iudicauerit. Interim tamen aliter epiſcopus in cathedra depoſiti epiſcopi poſt appellationem eius non ordinetur, antequam cauſa eius fuerit in iudicio epiſcopi Romani determinata.*

C. Sard. cap. 7. Epiſcopo de gradu deiectu appellà ad Papam, quid fieri debeat. Innoc. ep. 2. Bonif. ep. 1. Leo ep. 84. c. 21 & 9. ſi quis. C. Sard. c. 1. In loco epiſc. depoſiti poſt appellationem alius non eſt ſubrogandus.

Cap. IX.

Quæ Conſtitutio Appellationis ad Apoſtolicam Sedem non diſcordat à ſacra & myſtica Nicæna Synodo, de qua magnus Leo Papa ad Anatolium ſcripſit. *Illa*, inquiens, *Nicænorum canonum per ſanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla vnquam parte eſt ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum comparare ſe audeat vel præferre, cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.* De cuius priuilegio & B. Ambroſius dicit. *Non humana induſtria, non compoſitione aliqua, trecenti decem & octo epiſcopi ad Concilium conuenerunt, ſed vt in numero eorum per ſignum ſuæ paſſionis, & nominis Dominus Ieſus ſuo ſe probaret adeſſe Concilio, crux in trecentis, Ieſu nomen in decem & octo eſt Sacerdotibus.* Et mihi, inquit Hilarius, *ille ipſe numerus hic ſanctus eſt in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni Sacerdotii eſt forma benedicitur.* Et hinc item B. Leo Papa ad Anatolium. *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato manſuras vſque in finem mundi leges eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt: & ſi quid vſquam aliter quam illi ſtatuere præſumitur, ſine cunctatione caſſatur.*

Leo ep. 53. Auctoritas Conc. Nicæni. Ambr. l. 1. de fide c. 9. Hilar. l. de Synodis in fine.

Cap. X.

Quod ſanctum & myſticum Concilium præcipit *de his, qui communione priuantur, vt ſiue ex clero, ſiue ex laico ordine ab epiſcopis per vnamquamque prouinciam ſententia regularis obtineat, vt hi qui abſcinduntur, ab aliis non recipiantur: requiratur autem, ne puſillanimitate, contentione, vel alio quolibet epiſcopi vitio, videatur à congregatione ſecluſus. Vt hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis ſingulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus ſimul epiſcopis congregatis prouinciæ diſcutiantur huiuſmodi quæſtiones: & ſic, qui ſuo peccauerunt euidenter epiſcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, vſquequo vel in communi, vel epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam.*

Decretum C. Nicæn. c. 5. 11. q. 3 c. ſeruetur.

Cap. XI.

Cuius ſanctæ Synodi conſtitutionem Sardicenſes canones non conuellunt, qui cum Pontificis Romani Vicario, vel arbitrio cauſam Epiſcopi in prouinciali Synodo iudicati etiam epiſcoporum arbitrio vel iudicio, qui eum iudicauerunt cum Epiſcopis, qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, præcipiunt terminari, quatenus ſiue in manendo, ſiue in immutando ſententia iuxta Nicænos canones commune ſit placitum. De quibus ſacris canonibus Nicænis Africanum Concilium ad S. Cœleſtinum Papam ſcribens. *Prudentiſſime*, inquit, *iuſtiſſimeque prouiderunt, quæcumque negotia in ſuis locis, vbi orta ſunt, finienda: nec vnicuique prouinciæ gratiam Spiritus ſancti defuturam, qua æquitas à Chriſti ſacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſime teneatur.*

C. Sard. ca. 3. 4. 5. 7. C. Afr. ep. c. 105.

Cap. XII.

Beatus quoque Innocentius ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum duo capitula magni Concilii Nicæni. *De his*, videlicet, *qui communione priuantur ex clero*: & aliud. *Vt per ſingulas prouincias ſua priuilegia ſeruentur eccleſiis*. Et capitulum Sardicenſis Concilij de Epiſcoporum ad Apoſtolicam ſedem appellatione vno capitulo ſagaciter atque parenter explicat, dicés. *Si qua autem cauſa vel contentiones inter clericos tam ſuperioris* * *gradus, quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, vt ſecundum Synodum Nicænam congregatis omnibus eiuſdem prouinciæ epiſcopis* * *iudicium terminetur. Nec alicui liceat, ſine præiudicio tamen Romanæ eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debetur reuerentia, cuſtodire, relictis his ſacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod ſi quis forte præſumpſerit, & ab officio cleri ſubmotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores cauſæ in medio fuerint deuolutæ ad ſedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt iudicium epiſcopale referantur.* In eo enim, quod dicit, *vt ſecundum Synodum Nicænam congregatis eiuſdem prouinciæ epiſcopis de exortis cauſis* * *iudicium terminetur*, capitulum Nicæni Concilii de excommunicatis explanat. In eo, quod *ad alias* quemcumque de Eccleſiaſtico ordine prohibet *conuolare prouincias*, aliud capitulum Nicæni Concilii explicat, quod iubet, vt per ſingulas prouincias ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis, ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, vt ſi maiores cauſæ, quarum vna eſt de Epiſcopi dijudicati appellatione in medio fuerint deuolutæ ad ſedem Apoſtolicam, ſicut Synodus, quin Sardicenſis ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit poſt iudicium Epiſcopale, referantur. Scilicet, vt aut iuxta præmiſſum ſeptimum Sardicenſis Concilij capitulum appellantis Epiſcopi cauſa in prouincia, in qua fuit exorta diffiniatur, aut iudicium Epiſcoporum prouinciæ ſecundum decreta Bonifacij Apoſtolicæ ſedis auctoritate confirmetur: &, ſicut Leo ſcripſit, eiuſdem ſedis ſententia roboretur. Quia vero S. Innocétius non Nicæ-

Innoc. I. ep. 2. c. 1. Grat. 11. q. 1. c. ſi quæ cauſa. * ordinis. Nic. Sy. c. 1. * iurgiis * vetus. * iurgiis. Maiores cauſæ ad Papam deferendæ. Syn. Sardic. can. 4. & 7.

nam, sed Sardicensem Synodum de appellatione Episcopi ad sedem Apostolicam in auctoritatem traxit, qui vtrasque Synodos legit, aperte intelligit.

Cap. XIII.

Sacræ leges ac Regulæ Presbyteros, & cæteros inferioris gradus clericos non alibi, qoam ad suos Episcopos præcipiunt accosari: à quibus sicut Africæ prouinciæ canones decernunt, eorum causa debet audiri: & sicut S. Gregorius constituit cum presbyteris vel clericis suæ Parrochiæ iudicari: qui forte si de Iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, ad quos eis sit prouocandum de appellatione presbyterorum ac diaconorum ad vicinos & finitimos Episcopos Papa Zosimus in commonitorio per Faustinum Episcopum & Philippum ac Asellum Presbyteros directo Carthaginensi Concilio in Concilio Sardicensi capitulo xvii. continetur hoc modo. *Osius Episcopus dixit: Quod me adhuc mouet, reticere non debeo. Si Episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito & aspere commouetur aduersus Presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, prouidendum est, ut innocens damnetur, aut perdat communionem, & ideo habeat potestatem is qui abiectus est, vt Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, & diligentius tractetur: quia non oportet negari ei audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui iuste aut iniuste eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, vt vel probetur sententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione separatus ante cognitionem nullus debet præsumere, vt eum communioni societ. Hi vero, qui conueniunt ad audiendum si viderint clericorum esse fastum & superbiam, quia non decet vt Episcopus iniuriam vel contumeliam patiatur, seuerioribus eos verbis castigent, vt obediant honesta præcipienti Episcopo, quia sicut ille clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.*

Clericus iniuste à suo Episcopo damnatus potest appellare ad finitimos Episcopos.

Cap. XIV.

Nec hoc capitulom Sardicensis Concilii dissentire videtur à capitulo Nicæni Concilii, quo expressius & apertius, quam Sardicense Concilium, decreuit de his, qui communione priuaotur à proprio Episcopo, sicut supra posuimus, & de priuilegiis singulorum Metropolitanorum dicens. *Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim: ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis.* Quod exponit Antiochena Synodus dicens. *Per singulas regiones conuenit episcopos nosse, Metropolitanum episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere concurrant.* Et Constantinopolitanum Concilium dicens. *Vt illa quæ sunt per vnamquamque prouinciam, ipsius prouinciæ Synodus dispensset, sicut Nicæne constat decretum esse concilio.*

Ad metropol. negotia prouinciæ deferenda.

Cap. XV.

Et hinc Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopum. *Reuoluentes*, inquit, *auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vnam omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum: quæ censuit de Antiochena ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus esse necessarium custodire quæ super diœcesin suam prædictam Ecclesiam non super aliam aliquam prouinciam recognoscimus constitutam.* Et Bonifacius Papa ad Hilarium Narbonensem. *Nulli*, inquit, *videtur incognita Synodi Nicænæ constitutio: quæ ita præcipit (vt eadem proprie verba ponamus) per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec vnquam duas esse subiectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum spiritu sancto suggerente sibimet censuerunt. Quod ideirco dicimus vt aduertat charitas tua, adeo nos canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquaque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.* Et his consonanter Cœlestinus. *Iuxta decreta*, inquit, *canonum vnaquaque prouincia suo Metropolitano contenta sit, vt decessora nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta. Nec vsurpationi locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit conersus sibi contentus vnusquisque limitibus, alter in alterius prouincia nihil præsumat.* Et Leo ad Maximum Episcopum. *Etsi*, inquit, *diuersa nonnunquam sunt merita Præsulum, iura tamen permanent Sedium.*

Cap. XVI.

Et Antiochenum Concilium à magna Synodo Chalcedonensi actione duodecima fauorabiliter collaudatum sequens decreta Nicæni Concilij. *Si quis*, inquit, *à proprio episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur episcopo, aut certe ad Synodum quæ congregatur, occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem diffinitio maneat circa laicos, & presbyteros, & diaconos, omnesque qui sub regula esse monstrantur.* Et loquens de Conciliis capitulo vigesimo, dicit. *In ipsis Conciliis adsint presbyteri, & diaconi, & omnes, qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. Nullis vero liceat apud se celebrare Concilia præter eos, quibus Metropolitana iura videntur esse commissa.* Et capitulo decimosexto. *Perfectum vero Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.*

Cap. XVII.

Appellantes autem presbyteri, vel diaconi, à qoibus, & qualiter sint iudicandi sacri Carthaginenses canones capitulo xx. & capitulo xxviii. euidenter ostendunt. Vbi autem inter accusatores & accusatos causa debeat agitari Carthaginense Concilium statuit, dicens. Vt accusatus, vel accusator in eo loco, vnde est ille qui accusatur locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur. Et hinc leges dicont. *Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est*: nam alibi criminum reus prohibetur audiri. Et item. *Si quis aduersarium, aut repetitione, aut criminis obiectione pulsauerit, prouincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet aduersarium suum alibi aut longius pertrahendum.* Illi vero, qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum haboerit, liceat appellare scilicet, Ecclesiasticis ad finitimos Episcopos, vt Sardicenses & Carthaginenses canones, vt præmisimus, decreuerunt, vel ad prouincialia Concilia, sicut Sacri Nicæni & Antiocheni canones constituerunt: & sicut Africanum Concilium in epistola ad Cœlestinum Papam ostendit. *Vnicuique*, inquiens, *concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilium suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare, nisi forte quisquam est, qui credat vnicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare, aut quomodo ipsum transmarinum iudicium* (qood tantumdem est, transalpinom) *ratum erit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem vel* multis aliis incurrentibus impedimentis adduci non poterunt?*

Cap. XVIII.

A Iudicibus autem, ſiue quos, iuxta Africanos canones Primates dederint, ſiue quos ipſi vicinos ex conſenſu delegerint cauſa finienda regulariter prouocari non poteſt. Et ſanctus Gregorius in epiſtola ad Gallicanos epiſcopos. *Ne hoc*, inquit, *in hac ſollicitudinum parte relinquimus, quod de habendis per prouincias conciliis Patrum prouidentia vtilitatis cauſa ſancitum eſt. Vnde ne qua inter fratres diſſenſio, ne qua inter Præpoſitos ſubiectos ſint fomenta diſcordiæ in vnum Sacerdotes conuenire neceſſe eſt. Vt de incidentibus cauſis diſceptatio, & ſit ſalubris de Eccleſiaſtica obſeruatione collatio: quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura ſuſcipiunt, omnipotens vbique Dominus fratrum concordia collaudatur: eius vobis adeſſe præſentiam, ſi hæc obſeruabitis, ſcitote, quia ſcriptum eſt. Vbi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Si ergo adeſſe dignatur, *vbi duo vel tres fuerint, quanto minus non deerit, vbi plures conuenerint Sacerdotes? Et quidem, quia de adhibendo bis in anno Concilio Patrum ſit regulis ſtatutum non latet, ſed ne forte aliqua implere hoc neceſſitas non permittat, ſemel tamen ſine excuſatione aliqua diſternimus congregari, vt expectatione Concilii nihil prauum, nihil præſumatur illicitum. Nam plerumque, etſi non amore iuſtitiæ, metu tamen examinis abſtinebitur ab hoc quod omnium notum eſt poſſe diſplicere iudicio.*

Greg. 110 ad. 7.

Matt. 18. * dignabitur. Conci. liaquo. tannis bis habenda.

Cap. XIX.

Hæc itaque tranſalpinis Eccleſiis, earumque Rectoribus à ſede Apoſtolica de appellatione Epiſcoporum ad hanc ſedem Apoſtolicam, & de Presbyterorum ac Diaconorum appellatione, ſi de iudiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint ad comprouinciales Synodos & diiudicatione regulari eorum in iiſdem Synodis ante longiſſimæ ætatis annos vſque ad noſtra tempora ſeruata, & à deceſſoribus ac prædeceſſoribus eorum ſecuta & executa fuerunt. Quæ ſi etiam illis ſeruata, & ab eis ſecuta & executa non fuerint, nihil prodeſt eos ſecundum ſacros canones & decreta ſedis Romanæ Pontificum pro accuſatis Presbyteris de manifeſtis criminibus comprouinciales Epiſcoporum Synodos frequentare, ſed faciet licenter quiſque Presbyterorum quodlibet. Vnde ſi fuerit redargutus, veniat Romam.

Cap. XX.

Et quia pro ſingulis Presbyteris Epiſcopi tranſalpini regulariter iudicatis miſſos dirigere, & actionum documenta ſcribere non valent, nec teſtium neceſſarias perſonas, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel pro multis aliis impedimentis huc producere, fiducialiter poterit mentiens quique innocentiam ſuam aſſerere, cum non erit, qui mendacia eius poſſit refellere. Vnde ſicut præmiſimus, Legum & Canonum conditores prudentiſſime, iuſtiſſimeque viderunt quæcunque negotia in ſuis locis, vbi orta ſunt, finienda, & per expreſſa regularum iudicia diſcretiſſime iudicanda, & poſt iudicium conſeruanda. Maxime de ſubintroductione, contra regulas, mulierum: pro qua ab Epiſcopis Tranſalpinis Presbyteri regulariter iudicati ad hanc ſanctam Romanam ſedem inſciis ſuis Epiſcopis veniunt, & eis epiſtolas eorum refragantes iudicia deferunt, eoſque vel comminiſtros illorum ad hanc ſedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt, quod nullis antiquorum legibus vel Patrum regulis decretum fuiſſe legimus.

ab ... ta. Romam ſemper defenſ.

Cap. XXI.

Quas epiſtolas ſacris regulis obuias, vt in præfatione huius Opuſculi commemorauimus, nec auctoritate Apoſtolica fuiſſe miſſas, ſed compilatas quorumcumque vafricia credimus. Non enim ſibi ipſi ſedes Apoſtolica poteſt eſſe contraria vel diuerſa. De qua Gelaſius Papa dicit. *Confidimus, quod nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus nullam magis exequi ſedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ & vnamquamque Synodum, & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo, ſcilicet, principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet.* Et item, *Cumque nobis contra ſalutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nil licere & cum ſedes Apoſtolica * ſuperior his omnibus fauente Domino quæ paternis canonibus ſunt præfixa pio deuotoque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt, quenquam vel Pontificum vel Ordinum ſubſequentium hanc obſeruantiam refutare, quam B. Petri ſedem & ſequi videat, & docere, ſatiſque conueniens ſit vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.* Poteſt enim fieri, vt illi, qui in vicinis parrochiis ſunt huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quique iuxta ſacras regulas ad manus impoſitionem, & ad Synodos huc conuenire ſolent, ipſi pro reclamatione contra Presbyterorum ſuorum ad præfatam examinationem conueniant, ſicut ſacri canones ac leges præcipiunt, vt ad Primatem vniuſcuiuſque prouinciæ qui negotia videntur habere, concurrant, vel ad Synodum qui ſe læſos exiſtimant, quo non ſit difficile teſtes producere, inuitentur. Tranſalpinis autem, & aliis qui in ſimiliter longinquis regionibus commorantur, Apoſtolica Sedes, & ſacrorum canonum promulgatores loquente in eis ſancto Spiritu, quæ ſunt vnicuique prouinciæ poſſibilia, & auctoritati conuenientia, atque paci Eccleſiæ congruentia tenenda, & exequenda diſcretiſſime præfixerunt.

Gelaſ. e. p. ad Epiſc. Dardan.

Idē ep. 1. c. 11. * ſuper.

forte contraria.

Aliarratio eſt Tráſalpinorū & eorū qui vicini ſūt Romæ.

Cap. XXII.

Legimus etiam, quamuis rariſſime, præceptum à Sede Apoſtolica quoſdam de longinquioribus parrochiis ſpecialis diœceſeos Romani Pontificis, ad cuius ſollicitudinem vniuerſalis Eccleſia pertinet, propter contumaces contentiones aliquos inuitatos fuiſſe: ſed de Tranſalpinis regionibus, quibus de cætera priuilegia ſeruari debent, tale quid pro Presbyterorum & Diaconorum appellatione à Sede Apoſtolica præceptum fuiſſe non legimus. De Eccleſiaſticis nihilominus priuilegiis in epiſtolis B. Gregorii legimus ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum. *Veſtra fraternitas*, inquit, *hoc poſtpoſita dubitatione retineat, quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua iura ſeruamus. Nec cuilibet fauente Chriſti gratia, vltra quam meretur, impertior, Nec vlli hoc, quod ſui iuris eſt ambitu ſtimulante derogabo, ſed fratres meos honorare per omnia cupio: ſicque ſtudeo eos in honorem ſubuehi, dummodo non ſit, quod alteri iure ab altero poſſit opponi.* Et alibi idem hinc dicit. *Quod vero dicitis veſtris temporibus debere ſeruari, quæ à meis quoque deceſſoribus tradita atque cuſtodita ſunt; abſit hoc à me, vt ſtatuta maiorum conſacerdotibus meis in quolibet Eccleſia infringam, quia mihi iniuriam facio, ſi fratrum meorum iura perturbo.*

Greg. ep. 39. lib. 2. 25. q. 2. c. de Eccleſiaſticis.

Idē ep. 37. lib. 2. 21. q. 2. c. quod vero.

Cap. XXIII.

Tandem hinc præter antiquas regularum ac legum

Eugen. II. & Leonis IV. decreta: Baron. tom. 9. ann. ad an. 826.

constitutiones in promptu habemus Synodalia capitula Apostolicorum, Eugenii, anno Imperii decimotertio Domini & genitoris nostri Hludouuici, & anno decimo imperii Hlotharii fratris nostri mense Nouembrio, atque Leonis IV. anno Hlotharii trigesimoseptimo, & Hludouuici nepotis nostri anno quinto mense Decembrio decreta, quibus præcipiút, *vt, si quispiam Sacerdotum, id est, episcopus, presbyter, diaconus: vel etiam subdiaconus, de quacunque fœmina crimine fornicationis* * *suspectus, post primam, secundamque & tertiam commonitionem (Metropolitani, vel alterius episcopi, aut eius, cui subiacere videtur) inuenitur fabulari cum ea, vel aliquo modo conuersari, canonice iudicetur.* Quapropter vnusquisque episcopus in tali re studiose ac diligenter curam habere debet, ne ecclesia Christi à propriis possit sordidari ministris, quia cum propriam vxorem habere non permittitur, maxime ab omni fœmina sit abstinendus. Et item. *Sacerdos etenim, aut quiuis alius in ordinem ecclesiasticum promotus, si in eo scelere inuenitur, quo abstinendus existat, depositus prouidentia episcopi bene prouiso loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat.* Sic & magnus Leo Papa longa ante hanc constitutionem auctoritate sacræ Scripturæ ad Hilarium Narbonensem decreuit, *vt presbyteri vel diaconi lapsi ad promerendam misericordiam Dei, priuatam expetant segregationem, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

Grat. d. 81. c. si quispiam. * suspectus. Clericis vetitum versari cum fœminis. Grat. d. 81. c. Sacerdos. Pœna clericorũ fornicantiũ. Leo epi. 92. ad Rustic. cũ Narbon. Episc.

Cap. XXIV.

Cum hæc ita se habeant, non est perfunctorie attendendum vestræ Pontificali auctoritati, & nostræ Imperiali potestati, quid prædecessores nostri de seruandis sacris Legibus, & sanctis Regulis decernentes constituerunt: ex quorum pluralitate, pauca numero, non pauca pondera hic censuimus ponere. De legibus namque Valentinianus, Theodosius, & Archadius decreuerunt dicentes. *Prepensas Serenitatis nostra longa deliberatione cõstitutiones, nec ignorare quenquam, nec dissimulare permittimus.* Interpretatio. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Et S. Cœlestinus paria de sacris canonibus dicit. *Nulli,* inquiens, *Sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare.* Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? Quia, vt Hilarius Papa dicit. *Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in iniuriam ipsius Domini prosilitur: cum expectatio fructu nostri ministerii non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponitur animarum.* Et item, de legibus, præfati Augusti. *Omnia constituta non præteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam ponunt.* Interpretatio. Omnes leges non ea, quæ anteriori tempore facta sunt damnant, sed in futurum obseruanda constituunt.

Leges nulli licet nescire. Cœlest. 1. ep. 1. Grat. d. 38. cap. nulli. Hilar. ep. 1. ad Leone.

Cap. XXV.

Et hinc Symmachus Papa. *Dum ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas vnum sit per diuersos antistites Sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari?* Huc accedit, quod hæc, si eueniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctã Catholicam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à Domini Sacerdotibus semel regulariter statuuntur, perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim vicarius beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, ea hisdem transeuntibus dissoluantur? Hæc igitur seruemus nostris temporibus, tanto gratius, quanto & Ecclesiæ & Imperio erit capacius, & seruando, quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus, quæ legaliter ac regulariter gessimus.

Vnum est sacerdotiũ Episcoporum. Anaclet. ep. 2. Statuta decessorũ seruanda.

Cap. XXVI.

Suggerendum etiam vestræ summę auctoritati necessarium credimus, vt de quorundam Episcoporum coercenda inconsideratione alios decreto generali instruentes cautos efficiatis, vt quorum debent esse matura & perpensa iudicia, non sint præcipites in proferendis sententiis, nec facile ac indiscrete, neque aliter, nisi iuxta sanctarum Scripturarum tramitem, traditionemque maiorum, & pro euidentibus culpis quemcumque à communione corporis & sanguinis Domini Dei nostri Iesu Christi, in quibus post viuum baptismum præcipue humanæ salutis reconciliatio & summa consistit, pro suis iniuriis, vel animi sui motibus ac iracundia separent. Quoniam *ora Sacerdotis,* vt sanctus dicit Gregorius, *nequaquam debet esse preceps, & perturbata, sed magis ex consilio grauitate* * *metuenda, nec debent temere indiscussa iudicare, nec passim dicta sine probatione credere, sed auctoris nostri facta pensare. Cui cum omnia nuda & aperta sint, mala tamen Sodoma noluit ante iudicare, sicut sacra docet historia, quam probare, nos instruens, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare.*

Cælesti summi auctoritate bene Papa. Greg. hom. ep. in euãg. * magnis. Idem 11. mor. c. 2. Gen. 18.

Cap. XXVII.

Sequantur autem in proferenda iudiciali sententia Sanctorum Romanæ Sedis Pontificum documenta, Leonis, atque Gregorij. *B. Petro,* inquit Leo, *à Christo dicitur. Tibi dabo claues regni cœlorum: & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Transiuit quidem etiam in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma* * *præponitur. Manet ergo Petro priuilegium, vbicunque fertur ex ipsius æquitate iudicium. Nec nimia est,* * *vel seueritas, vel remissio, vbi nihil ligatum, nihil est solutum, nisi quod beatus Petrus, aut ligarit, aut soluerit. Hinc certa consideratione datur intelligi, quia in iudicãdo non est Petri priuilegium, vbi non ex ipsius fertur æquitate iudicium, est igitur præiudicium, non iudiciũ, quia non iure dictum, id est, non iustitia lege prolatum.* Et S. Gregorius. *Sæpe agitur, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat, cum suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipse hac ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet. Iudicare enim digne de subditis nequeunt, qui in subiectorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Vnde recte per prophetam dicitur. Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda.*

Leo ser. 3. in anniuers. assumpt. * potestas. Ezech. 13.

Cap. XXVIII.

Qui beatissimus Doctor Spiritu sancto repletus passim in dictis suis ostendit, quoniam Episcopus, qui in ligando & soluendo interim arbitriũ non sequitur iudicis, ipse ligãdi & soluendi potestate, quin & regno Dei se priuat; si alligationis maledictum non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ depromit.

Paulo attestante, qui dicit. *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Quia vero sacra Scriptura duobus modis maledictum memorat: aliud videlicet, quod approbat, & aliud quod damnat: *aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Sancti viri cum in excommunicationis alligatione maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto liuida vltionis, sed ex iustitia examine erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foras exurgentia, quia maledicto* alligandæ excommunicationis *ferire debeant, cognoscunt, & eo* in alligationis ac excommunicationis *maledicto non peccant, quod ab interno iudicio non discordant.* Contra excommunicationis maledictum liuore vindictæ depromptum voce Pauli prædicantis admonemur: qui ait: *Benedicite, & nolite maledicere, quia neque maledici regnum Dei possidebunt.* Nam si à quolibet non fortasse ex linguæ incuria maledictionis verbum iaculatur in proximum, apud districtum iudicem, à quo de otioso verbo ratio in die iudicii poscitur. damnabilis est ille sermo qui malitia non caret, & pœnalis est ille, qui ab vtilitatis bonitate vacat. pensandum est magnopere, quanta animaduersione plectenda est ab Episcopo, cuius sermo semper sale, id est, sapientia conditus esse percipitur, iaculata in proximum iniustæ alligationis excommunicatio, quæ potius vocanda est maledictio.

Cap. XXIX.

Sequamur itaque Ecclesiæ sanctæ Rectores, quorum dorsa mentium incudes sunt hominum peccatorum, dicente Psalmista. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, in separatione à communione & reconciliatione Sacramentorum Christi, sacrum Nicænum Concilium, & Africæ prouinciæ canones, Siricii quoque, & Innocentii, atque Leonis decreta, & epistolam ipsius Leonis ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum. Sed & quem de Ecclesiastico ordine clericis ex tibus grauioribus culpis, gradu priuauerint, communione corporis & sanguinis Christi, vt canones præfixerunt, non priuent. Hæc est enim, Scriptura dicente, *directa via, ita vt recto ambulent in ea, & nec stulti errent per eam.* De iniuste si quidem excommunicantibus, vel excommunicatis quid etiam Lex Iustiniana decernat, vestram sapientiam latere non potest.

HINCMARI

RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI Epistolæ duæ.

AD LECTOREM.

Ioan. Busæus S.I.

Anno M DCII. amice Lector, Moguntinis typis editæ sunt nonnullæ Hincmari Rhemensis quondam Archiepiscopi Epistolæ: post quas editas, vir quidam eruditus mihi subministrauit binas alias, quas in Antiquitatis Studiosorum gratiam existimaui hoc quoque loco inserendas.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

Docet Episcopos Apostolorum successores esse religionis vera defensores, Reges vere patrones pudicitia & castitatis Ecclesiæ, immo omnes fideles ex zelo debere tueri Ecclesiæ puritatem monialium, aliarumque puellarum raptores grauiter puniendos matrimonia legitima esse ab Ecclesia benedicenda celebrato Missæ sacrificio, eadem ante copulam carnalem effecta, coniugia inter raptorem & raptam vera non esse, sed esse latrocinia. Excommunicatum ab vna Ecclesia alibi non posse admitti ad nuptias. nemini licere adulteram vel adulterum proprio iudicio occidere, sed nec Domino fas esse occidere vel lædere seruum, aut ancillam. inter virum & vxorem summam debere esse dilectionem: leges ciuiles non pugnare cum legibus Christi sanctimonialium nuptias esse sacrilegas. raptores alienarum vxorum non esse securi exemplo Dauidis & Beniamitarum.

Auct. Biblioth. Vet. Pat. Tom. 2.

EPISTOLA IX.

DOMINO CHRISTIANISSIMO, glorioso & piissimo Principi, humiles serui Christi, Galliarum & Germaniarum Episcopi, pro cultu & sanctimonia domus Domini, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.

Cap. I.

Maxima & grauissima necessitate compellimur omnes nos, qui in his nouissimis & periculosissimis temporibus Episcopale ministerium & gubernationem Ecclesiarum Dei licet indigni & minimi, sortiti sumus, vt periclitanti gregi Dominico, & nouis insidiis atque infestationibus hostis antiqui de die in diem miserabiliter laboranti, communi intentione & studio, in quantum Deus facultatem tribuit, vigilanter & strenue prospiciamus. Quamuis enim potestas regni temporalis diuino iudicio in hoc Christianorum regno ad præsens videatur diuisa, vna est tamen in omnibus & ex omnibus Christo Domino protegente Ecclesia. *Vnus Dominus, vna fides*, vnum genus electum, regale sacerdotium, vna gens sancta, vnus populus acquisitionis, quem ipse Dominus & saluator de tenebris vocauit in admirabile lumen suum; pro cuius acquisitione & perpetua vnitione etiam mortem gustare dignatus, dicente Euangelio: *Quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Vnde & ipse admirabili dignatione loquitur, dicens: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Cum ergo omnis populus Dei, tanto pretio redemptus & adunatus, vnus grex sit sub vno pastore, & omnes huius gregis pastores per vnitatem fidei & vnanimitatem solicitudinis, tanquam vnus pastor existere debeant, sub vno & in vno Principe pastorum; tanta necesse est sint charitate vniti, tanta spiritus societate copulati, vt inuicem onera sua liberrime compartiantur & portent, & sit eis instantia cottidiana solicitudo omnium Ecclesiarum; vt si quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra, siue gratulatur vnum membrum, congaudeant omnia membra. Hæc enim semper sollicitudo in beatis Apostolis, hæc in beatorum Apostolorum successoribus, id est, Ecclesiarum Dei rectoribus fuit. Vnum gregem Dominicum, vnam religionis custodiam, vnam matrem Ecclesiam vna mente diligere, atque vnanimi deuotione seruare.

Cap. II.

Episcopi religionis diuinæ defensores.

QVapropter obsecramus Christianissimam pietatem, & gloriosam sublimitatem vestram, vt religiose regni Dei constitutos ministros & populi Christiani rectores, & diuinæ religionis atque Ecclesiasticæ sanctitatis conseruatores ac defensores, vt ea quæ pro salute animarum fidelium, & Christiani regni conseruatione, ac tranquillitate emendanda suggeruntur, cum diuini timoris honore & metu futuri iudicii audiatis, audita iusto iudicio examinetis, examinata competenti seueritate resecetis. Nihil enim ita omnipotentis Dei iracundiam exasperat, & regni pacem perturbat, vt contemptus diuinæ legis, & conculcatio paternæ auctoritatis, & profanatio Ecclesiasticæ munditiei & sanctitatis. Vnde aduersum impios legis suæ contemptores ipse Deus loquitur, dicens: *Et oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.* De quibus & alibi scriptum est: *At illi subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermones eius, donec ascenderet furor Domini in populum suum, & esset nulla curatio.* Redeat ergo semper in memoriam Lex Dei, sancti videlicet Patres antiqui, de quibus ipse Dominus in Euangelio dicit. *Qui vos audit me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Habeat vos sancta mater Ecclesia pios pudicitiæ & castimoniæ custodes ac defensores. Quæ in tantum ab illa omnipotens Deus exigit, vt terribiliter Apostolos testetur, & dicat: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Et iterum. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et iterum. *Nescitis, quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit.* Et iterum. *Et non estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Dominum in corpore vestro.* Illud est templum Dei & domus Dei viui, de qua scriptum est: *Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierum.* De qua & beatus Patriarcha Iacob, qui cognominatus est Israel, in mystica laude ait: *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Quia videlicet & nunc habet habitatorem Dominum, & post præsentem vitam de mundo mittit ad cœlum.

Legis diuinæ contemptus exasperat Deum. — Osee 4. — 2. Par. — Et contemnus Patrum — Luc. 10. — Reges sunt castitatis Ecclesiæ defensores. — Heb. 10. — 1. Cor. 3. — 1. Cor. 6. — Ibid. — Psal. 92 — Gen. 28.

Cap. III.

Ecclesia debet esse sancta & pura. — Eph. 5

PRopter hanc sanctimoniam & munditiem à contagiis diabolicis, Ecclesia à Christo dilecta, & eius passione comparata, & lauacro baptismi purgata est & expiata. Testante Apostolo ac dicente: *Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata.* Quicunque igitur huius matris filius, huius corporis membrum, huius templi portio veraciter esse desiderat, audiat & obaudiat fideliter eidem Apostolo admonenti atque dicenti. *Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus, & inhabitabo, & inambulabo in illis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Et post paululum, *Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* De talibus enim membris & lapidibus viuis constituitur illa ciuitas Regis magni, noua nupta & sponsa agni, de qua in Apocalypsi legitur. *Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ & portis intrent in ciuitatem, foris canes & impudici & venefici, & omnis qui amat & facit mendacium.* Huius gloriosæ domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ eius fidelissime diligere & zelari debent, non solum Episcopi & Sacerdotes in sedibus, sed etiam Reges in regnis & palatiis suis, & Regum Comites in ciuitatibus suis, & Comitum Vicarii in plebibus suis, & quicunque patres familias in domibus suis, in vnum diues ac pauper, in mente & actibus suis. Hunc zelum præcipue Apostolus exercuit, & nobis suo exemplo exercendum commendauit, dicens: *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* De hoc & ipse Dominus loquitur in Psalmo: *Zelus domus tuæ comedit me.* Quem zelum tam terribiliter exercuit, vt non verbo, quo etiam Dæmonas fugabat; sed manu & flagello profanatores domus Dei simul cum suis oblationibus, & sacrificiis quæ præparare videbantur, extruserit.

2. Cor. 6 — 2. Cor. 7 — Apoc. 20 — Omnes fideles tueri debent decorem Ecclesiæ. — 2. Cor. 11 — Psal. 68. — Ioan. 2.

Cap. IV.

OBsecramus igitur, vt & pietas vestra ex hac sancta matre generata ipsius Saluatoris imitatrix effecta, cuius misericordia & tuta & exaltata consistit, arripiat zelum pro domo Dei, & æmuletur eam Dei æmulatione; coercens & exturpans, & flagello iustæ seueritatis exterminans quorundam hominum impudentissimam audaciam, qui calcatis Dei legibus, & sanctissimorum Patrum auctoritate contempta, absque vlla diuini siue humani pudoris reuerentia tanquam bruta & irrationabilia iumenta templum Dei, quod est sanctimonia fidelium, violare non metuunt, & ipsum altare Domini, quod est sacerdotale ministerium illi dicatum & eius cultui sequestratum, suis calcibus, quantum in se est, destruere & euertere moliuntur? Dum in nonnullis regni huius partibus propter eorum publicam infestationem, nec viduarum miseranda desolatio legitimam habere libertatem permittitur, nec filiæ in ætate puellari & parentum domibus constitutæ, iuxta leges diuinas & humanas, eorundem parentum suorum votis atque auctoritate matronalibus nuptiis honestari vllatenus sinuntur: ipsarum quoque sanctimonialium Deo dicata deuotio, contra professionem sanctitatis & reuerentiam diuinæ consecrationis, dissoluitur & profanatur. Ita ille antiquus humani generis hostis, quondam per Balthasar impium & sacrilegum Regẽ vasa domus Dei aurea atque argentea polluit. Nunc per istorum profanam insolentiam atque impietatem multo pretiosiora & Deo cariora commaculare, & ludibrio atque insultationi Dæmonum subiicere non cessat. Hi sunt publici raptores & prædones, cum satellitibus & sociis impietatis suæ, non alicuius hominis exteriores res vel substantiã deuastantes, sed ipsius omnipotentis Dei familiam depopulantes. Cum quibus vtique nec cibum sumere oportet, sicut de omnibus rapacibus Apostolica auctoritas præscribit. In quibus isti primum obtinent locum raptores videlicet viduarum & puellarum & sanctimonialium, contemptores sacerdotum, violatores templi Dei non timentes illud Apostolicum: *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Et recte si aliquod templum Dei ex lignis & lapidibus manu factum incenderent, siue destruerent, ab omnibus sacrilegi & puniendi iudicarentur quanto magis qui Dei viui templum viuum subuertere & dissipare non metuunt, dum ex raptu arbitrantur fieri posse coniugium, & ex iniquo contubernio legitimum matrimonium: quod nulla vnquam lex, nulla humanitatis consuetudo permisit. Nam & in exordio mundi ad propagationem generis humani masculum & fœminam Deus fecit, eosque sua benedictione coniunxit, dicens: *Crescite & multiplicamini,*

Abusus in regno. — Dan. 5. — 1. Cor. 5. — 1. Cor. 3. Inuehitur in raptores monialium & aliarum puellarum. — Gen.

Cap. V.

CVius rei imitatione etiam sancta Ecclesia antiquitus solenniter & venerabiliter custodiuit, eos qui in illa velut in paradyso Dei coniugio copulandi essent, diuina benedictione & missarum celebratione coniungens. Quæ videlicet honesta & religiosa coniunctio, Deo auctore cœpta, & eius benedictione firmata, etiam inter gentes quæ nullam legem acceperunt, nullam Dei habuerunt notitiam, legitimo ordine & naturali lege seruata est. Nec vnquam rem pacis, charitatis atque concordiæ, per discordiam & violentiam & impietatem fieri licitum fuit. Testantur hoc publicæ Romanorum leges, quibus orbem vniuersum viuere sub sua dominatione constituerunt: in quibus manifeste præcipitur, & viros raptores, & fœminas raptas, si eis, siue ante raptum siue post raptum consensum præbuerint, pœnis vltimis esse puniendos: adiutores quoque & ministros raptorum ignibus concremandos, & conciliatorum ac mediatorum tanti facinoris plumbo liquenti atque feruenti ora damnanda. Nec vllo modo illam quæ se raptam esse conqueritur, excusari posse, quæ se nec dormituram custodire studuit, nec vocibus vicinorum solatia atq; auxilia flagitauit. Quod mirabiliter diuinæ legi consonat, vbi puella desponsata, si ab aliquo in ciuitate oppressa fuerit lapidibus obrui iubetur, quia non clamauit, cum esset in ciuitate, vbi vel concursu ciuium, vel subsidio domesticorum poterat liberari. Vnde & beata illa Susanna laudatur, quam parentes eius cum essent iusti, erudierant secundum legem Moysis, quia cum lauaretur sola in pomario viri sui, non solum iniquis senibus non præbuit assensum adulterii, sed etiam voce magna exclamauit, vt famuli domus audirent, & succurrerent, atque ita ab impiorum impietate protegeretur: sicut & factum est.

Cap. VI.

SEd & tam sanctum atque inuiolabile voluit esse lex Dei fœdus & vinculum nuptiarum parentali auctoritate & legitima postulatione initiatū, vt puellam desponsatam etiam ante copulam nuptiarum, vxorem eius cui desponsata est, esse confirmet, dicens. *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & cubuerit cum illa, educas vsque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit cum esset in ciuitate, vir, quia humiliauit vxorem proximi sui.* Inde est quod etiam in Euangelio de beata & gloriosa Dei genitrice Maria, cum esset desponsata Ioseph, dicitur illi per Angelum. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et in Hosæa Propheta, si puellæ desponsatæ ab aliis violatæ fuerint, adulteræ nuncupantur, dicente Domino. *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, neque super sponsas vestras, cum adulterauerint.* Vos autem raptores & oppressores ac violatores, Lex Dei latronibus & homicidis comparat, & interfici iubet, vbi de puella quæ in agro violenter oppressa fuerit loquitur, dicens: *Sin autem in agro vir repererit puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum illa, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis. Quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, vt occidat animam eius, ita & puella perpessa est, sola erat in agro, clamauit & nullus adfuit, qui liberaret eam.*

Cap. VII.

AGnoscant se ergo, qui eiusmodi sunt, & latrones & homicidas, & animarum interfectores, & dignos morte. Nec distat aliquid inter illos qui in agro tantam violentiam perpetrant, & istos qui siue in ciuitatibus, siue in viis vel domibus, etiam cum turba & armis similia committunt: nisi quod illi similes sunt latronibus, qui in sylvis & desertis locis occulte insidiantur, isti vero similes atrocissimis & apertissimis prædonibus, qui vel nocturno silentio vel clara luce ciuibus infesti & perniciosi existunt. Qui cum nec diuinæ legis ordine, nec parentalis voluntatis auctoritate, nec Ecclesiasticæ sanctitatis pietate, coniugalem copulam sortiti sunt, sed insuper pro benedictione sacerdotali excommunicationem publicam ex auctoritate Canonum meruerint, qua fronte sacrilegium videri volunt esse coniugium, & latrocinium matrimonium, & violentiam pietatem? Cum nec sine fundamento possit consistere ædificium, & extirpata arboris radice nequaquam rami virides pullulēt. Et de huiusmodi nequaquam legitimo connubio, sed adulterino contubernio, nullatenus dici possit, quod Dominus in Euangelio ait: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet:* Sed potius. *Quod homo impie & improbe coniunxit, Deus sua æquitate dissociet.* Isti sunt, qui per violentiam & potentatum suum post contemptum omnipotentis Dei, contemnunt etiam Ecclesiā Dei, contemnunt sacerdotes Dei, nullam excommunicationis Christi reuerentiam habentes, qui ministris & rectoribus Ecclesiæ suæ hanc potestatem contulit, dicens: *Quod si Ecclesiam non audierit* (videlicet quilibet præsumptor & contumax,) *sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et statim subiunxit: *Amen dico vobis, Quia quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Isti autem è contrario Ecclesiæ inobedientes, ac per hæc velut ethnici & publicani habendi, & temporali iudicio excommunicati, violenter Ecclesias ingrediuntur, & diuinis mysteriis iniuriam facere non timent, & ad Christianitatis cultum non humilitate & pietate, atque obedientia, sed contumacia & improbitate seipsos aggregare conantur, non recogitantes scriptum etiam ipso Domino Christo dicente. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Et facientes præuaricationes odi.* Et iterum. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et *quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Si enim hæc cogitare dignarentur deponerent superbiam suam, & illud potius per piam humilitatem promereri studerent, quod scriptura alibi promittit, dicens: *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.* Et Iacobus Apostolus, qualiter vnusquisque & à Diabolo longe fieri, & Deo appropinquare valeat, ita admonet, dicens: *Subditi igitur estote Deo, resistite autem Diabolo, & fugiet à vobis, appropinquate Domino, & appropinquabit vobis, Emundate manus peccatrices, & purificate corda duplices animi. Miseri estote, & lugete & plorate. Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.*

Cap. VIII.

NVnc autem violenter in Ecclesias irruunt, cum se turbæ fidelium indisciplinate & improbe permiscent cum ipsis sacerdotibus, nisi illis præsentibus diuina sacrificia celebrauerint, exitia comminantur, quid aliud faciunt, nisi quod bis se suo gladio confodiunt, Ecclesiasticum contemnendo iudicium, & sacri altaris mysteria temerando? Quæ sicut fidelibus & humilibus, ac piis ad remedium, ita contemptoribus & impudentibus proficiunt ad iudicium, & tormentum. Quibus etiam illi stulti & improbi sunt sociandi, qui ab aliis Ecclesiis & Sacerdotibus excommunicati, in aliis, atque apud alios fraudulenter communicare posse se credunt. Cum omnibus fidelibus certissime manifestum esse debeat, in vniuerso mundo & ciuitatibus & populis non esse nisi vnam Christi Ecclesiam, & vnum Christi altare, &

Nullum inter raptores & raptã matrimonium.

In mundo vna tantum Ecclesia, altare, sacrificium.

vnum sacrificium, quod vbique vni Deo & vna religione constituitur & offertur. Et ideo nullus omoino potest in parte esse excommunicatus, & in parte communicans: sed vnde in vna Ecclesia meruit separari, in nulla protsus, nisi per legitimam satisfactionem poterit sociari, sicut membrum de loco suo præcisum in nulla vlterius corporis parte valet aptari, nisi forte diuinæ virtutis miraculo, vnde diuulsum fuerat, potuerit reformari.

Ex his noonulli tam immite, & non humanæ affectioois, sed belluinæ immanitatis inueniuntur, vt prioribus vxoribus ex suspicione adulterii, nulla lege nulla ratione, nullo iudicio, sola sua animositate & crudelitate occisis, adhuc cruenti & sanguine madentes, non solum nulla pœnitentia compungantur, aut aliqua humilitate Deo & Ecclesiæ satisfaciant, sed exultantes in superbiis suis iocunctanter ad altare Domini accedant, & indifferenter sacra mysteria contingere præsumant. Cum etiamsi illæ miserrimæ mulierculæ veraciter adulterium perpetrauerint, & ob hoc iustæ punitæ esse videantur, tamen Lex Dei (ex qua omnis Christianus in die iudicii iudicabitur, vt recipiat secundum opera sua) nullum reum, nec ipsos adulteros, vel adulteras puniri permittit, nisi sub legitimis iudicibus, & testibus, quos coram publico iudicio à populo lapidari præcipit. Vnde & admirabilis illa Susanna, cum falso adulterii crimine accusaretur, & publico iudicio condemnata, & publico legitur absoluta. Et illa mulier in Euangelio, quæ veraciter in adulterio fuerat deprehensa, primum iuxta legem ad Pharisæos qui potestatem iudicii in populo exercebant: deinde etiam tentandi gratia ad Domini iudicium perducta est, vbi eius admirabili pietate, & à lapidationis supplicio, & à criminis reatu meruit liberari. Et in libro Numeri præcipitur, vt si qua mulier vel adulterii rea, vel falsi suspicione fuerit appetita, & vir eius zelo aduersus eam adductus concitetur, illam ad sacerdotem, & diuino iudicio vel damnandam offerat, vel liberandam.

Ex lege Dei in die iudicii omnes iudicandi. Adulteram vel adulterum nemo occidere potest proprio iudicio. Dan. 13. Ioan. 8. Num. 5.

Cap. IX.

QVod etiam antiqui Romani legitimo coniugio fieri debere, legibus suis antiquitus statuerunt, & seruauerunt non solum iam effecti Christiani, sed etiam cum adhuc essent pagani, sicut apertissime ostendit lex Antonini pagani Imperatoris, quam B. Augustinus quodam loco hoc modo commemorat, & commendat, dicens: *Quibus displicet vt inter virum & vxorem par pudicitia forma seruetur, & potius eligunt, maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam iura forensia non eisdem, quibus fœminas, pudicitiæ nexibus viros videntur distringere, legant quid Imperator Antoninus, non vtique Christianus de hac re constituerit, vbi maritus vxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, * qui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse conuicerit. Nam supradicti Imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur:* Sane, inquit, *literæ meæ nulla parte causæ præiudicabunt. Neque n. si penes te culpa fuit, vt matrimonium soluerêtur, & secundum legem Iuliam Euphasia vxor tua nuberet, propter hoc * rescripto meo adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet: quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel causam facti tollere. Si hæc obseruanda sunt propter decus terrenæ ciuitatis, quanto castiores quærit cælestis patria & societas Angelorum.* Hæc de legibus pagani Imperatoris Antonini B. Augustinus scribit. In libro Esther manifeste legitur, reginam Vaste vxorem potentissimi & ferocissimi regis Assueri, cum eius animos contemptu & contumacia offendisset, nequaquam sola illius indignatione & furore ex impetu honore depositam fuisse; sed publico iudicio & sententia principum ac iudicum Medorum atque Persarum. Ita cum essent pagani & idolorum cultores naturaliter quæ legis sunt facientes, etiam in causis coniugum non crudelitatem & sæuitiam, sed iustitiam & æquitatem decernere ac definire debere docuerunt.

Aug. l. 2. ad Pollent. c. 8. * cui. * rescriptum. Esth. c. 1.

Cap. X.

CErte diuina Lex etiam inter dominum & seruum siue ancillam, iustitiam & iudicium conseruari præcepit & cum præcipiat publico iudicio talionis legem oculum pro oculo, & dentem pro dente restitui; tamen si quis Dominus seruo vel ancillæ suæ priuata indignatione & furore vel oculum erueret, vel dentem excuteret, statim eum eiusdem serui vel ancillæ amissione damnabat. Ita namque scriptum est; *Si percusserit quispiam oculum serui sui, aut ancillæ & luscos eos fecerit, dimittet liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.* Noluit itaque & æquissima & misericordissima lex Dei, neque ipsis seruis & ancillis à dominis suis absque iudicio aliquas debilitates vel deformitates infligi: ita vt si quis hoc præsumeret, eiusdem serui iusta amissione plecteretur, cuius subiectione iniuste abusus fuisset. Multo minus occidi eum permisit priuata Domini sui indignatione & furore: quod si fecerit, reatu homicidii condemnatur, dicente eadem lege; *Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manib. eius criminis reus erit.*

Impune licet & seruo & ancillæ iudicis. Exo. Ibid.

Cap. XI.

HAnc iudicii & iustitiæ æquitatem beatus Iob, erga familiam suam etiam antequam lex illa per Moysen daretur, diuina inspiratione, & naturali consideratione, seruabat, sicut testatur, dicens: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me. Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit quid respondebo illi? Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est, ac formauit in vulua vnus?* Inde & sancti Patres nostri pro istiusmodi reatu, ita in sacris Canonibus statuerunt: *Si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit.* Nam & liber Ecclesiasticus loquens de disciplina Domini & serui hoc ipsum præscribit, dicens: *Veruntamen sine iudicio nihil facias graue.* Et præcipue Apostolus ita admonet, dicens; *Domini, quod iustum est & æquum, seruis præstate, remittentes minas, scientes, quod & vos dominum habetis in cælo.* Si igitur in domo vniuscuiusque Christiani tanta æquitas & bonitas etiam erga seruilem conditionem seruanda est, inter dominum & seruum; quanto maior & vberior, ac plenior custodienda est inter virum & coniugem, inter caput & corpus? Quoniam sicut Apostolus docet, *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse, saluator corporis. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut & Christus Ecclesiã.* Vnde rursum idem Apostolus dicit, *Viri diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Certe in his Apostolicis verbis tanta inter virum & vxorem & tam præcipua atque excellens dilectio commendatur, (salua tamen in ipso coniugio prælatione viri, & subiectione fœminæ,) vt in illa coniunctione semel à Deo instituta & legiti-

Iob. 31. Viri & vxoris quanta esse debeat dilectio. Eph. 5.

me conciliata maior esse nec debeat, nec possit. Quid enim venerabilius, quam vt coniugum mysterium sit Christi & Ecclesiæ? Quid sanctius, quam vt sic diligant viri vxores suas, sicut Christus dilexit ecclesiam, tradens se ipsum pro ea vt illam sanctificaret atque mundaret? Quid carius atque coniunctius, quam vt vir caput sit mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis? Qui etiam in Euangelio de hac coniugii vnione testatur, dicens: *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Erunt enim*, inquit, *duo in carne vna.* Addit adhuc Apostolus, dicens: *viri diligite vxores, & nolite amari esse ad illas.* Si ergo viri erga vxores suas non debent esse amari, quanto minus sæui, crudeles, cruenti, nullam eis seruantes legem, nullum iudicium, (quod etiam erga seruos Christiana religione custodiendum est) sed mox vt eis placuerit, indignatione & furore impio concitati, tanquam ad macellum illas deduci faciant laniandas, & cocorum suorum gladiis more veruecum atque porcorum emactari præcipiant, vel ipsi etiam manu & mucrone proprio eas trucidauerint, nequaquam semetipsos ad imitationem Domini Iesu Christi tradentes pro eis vt illas sanctificent & mundent, sed potius zelo libidinis suæ ipsas in æternum disperdentes, & se earum sanguine impie polluentes. Cum in eiusmodi causa tanto iustius expectandum esset legitimum iudicium, quanto facilius maritali zelo potest perpetrari homicidium.

Math. 19.

Colos. 3.

Cap. XII.

DEfendant se quantum volunt, qui huiusmodi, sunt siue per leges (si vllæ sunt) mundanas, siue per consuetudines humanas; tamen si Christiani sunt, sciant se in die iudicii nec Romanis nec Salicis, nec Gundobadis, sed diuinis & Apostolicis legib. iudicandos. Quanquam in regno Christiano etiam ipsas Leges publicas oporteat esse Christianas conuenientes videlicet & consonantes Christianitati. Lex namque omnipotentis Dei in tres species diuidit omnia, quæ homines in mundanis rebus subdita habere vel possidere videntur, cum in Decalogi præceptis definit & dicit: *Non desiderabis vxorem proximi tui, non seruum non ancillam, non bouem, non ouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* In quibus verbis sine dubio aliter consideranda est dignitas vxoris, aliter conditio seruorum & ancillarum & aliter vilitas brutorum animalium, siue insensibilium rerum, & ideo omnia ista suis meritis tractanda, suis gradibus discernenda ac diuidenda sunt. Hæc dicimus vt considerent, qui eiusmodi sunt viliorem apud se esse conditionem vxorum quam seruulorum. Et de seruo absque conscientia iudicis occiso, Dominus eius homicidii reus existit, nec effusionem sanguinis nisi per pœnitentiam potest expiare: quid de coniuge statuendum sit. Qui etiam vsque ad tantam stultitiam & cæcitatem prorumpunt, vt eas quas imprimis contra omnes & diuinas & humanas leges, & contra ipsius iura humanitatis per violentiam & raptum sibi coniungunt, vel etiam ex professione & habitu sanctimoniali sacrilega impietate commaculare non metuunt, postea blandiuis delinitas & parentibus earum artificiosa, imo ignominiosa adulatione placatis, putant se & diuinum & humanum euasisse iudicium. Et tam illicitum atque iniquum contubernium, volunt videri velut legitimum & honestum coniugium; cum (sicut iam supra ostensum est) & feminas quæ raptoribus suis consensum præbuerint, & parentes earum, nisi reclamauerint, etiam antiquæ Romanorum leges pari seueritate iudicent puniendos & per Ecclesiasticum iudicium, quicunq; eiusmodi sint vel vsque ad separationem excommunicandos siue anathematizandos, vel etiam post separationem ab omni aspectu publico arcendos, & vsq; ad diem mortis sub arctissima pœnitentia in ergastula iubeat contrudendos, in tantum vt etiamsi timore publicarum rerum ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, ipsa quidem quæ violentiam perpessa est intercessu Ecclesiæ excusata parentibus restitui iubeatur, raptor vero, quia manifeste vim intulit, similiter ob reuerentiam sanctuarii legum impunitate concessa, in seruitutem parentum eius quam rapuit, redigatur, nisi forte illi, vt se redimat, concedatur.

Leges publicæ christianorum debent congruere cum dogmate Christiano.

Exo. 10.

Nuptiæ cum sanctimonialibus illicitæ. Pœna in raptores.

Cap. XIII.

NVnc autem his omnibus & diuinis & humanis legib. contemptis atque calcatis, publicam per eos Ecclesia impugnationem, publicam iniuriam & contumaciam patitur: in tantum vt etiam sacerdotibus suis tam iniqua & funesta prohibentib. insidias moliri, & seditiones concitare non metuant. Quod si quis tam insanus est, vt istud profanum & violentum contubernium idcirco putet legitimum fieri posse coniugium, quia Dauid Regem iustum & sanctum, sed in quibusdam vt hominem delinquentem, scriptura refert, vxorem Vriæ Hethæi adulterasse, & postea ipso Vria crudeliter interfecto etiam in coniugium sumpsisse, attendat quam grauiter & terribiliter omnipotens Deus hoc totum per Prophetam suum increpauerit, improbauerit atque damnauerit, dicens: *Vriam Hethæum occidisti, & vxorem illius accepisti vxorem, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua.* Et quidem statim illi alto dolore compuncto, & pœnitenti atque humiliter confitenti, tantæ iniquitatis reatus dimissus est. Ait namque breui sermone, sed magno, & profundo cordis gemitu: *Peccaui Domino.* Et statim audire meruit per Prophetam: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Veruntamen sic ei dimissum est peccatum, vt non euaderet temporale flagellum, quod ei fuerat denunciatum. Nam & filius qui ex inde natus fuerat, confestim diuino iudicio percussus est & mortuus: & ipse postea grauissimis tribulationibus, & regni sui amissione, per filium suum Absalon ita afflictus est & vexatus, ac velut in fornace ignis excoctus atque purgatus, vt vere sola diuina clementia euasisse videatur. Quod autem coniugium illud tam grauiter increpatum, & improbatum, atque flagellatum, ita manere permissum est, manifeste non est cuiquam ad imitandum propositum, vt quilibet in iusto * ordine credat se habere iustum coniugium, sed potius diuinum extitit miraculum vel sacramentum, ita illum virum vera & admirabili pœnitentia fuisse purgatum, atque ab omni adulterina subreptione sanatum, vt posset & ex tali coniunctione castum & legitimum esse coniugium. Sicuti & in extremo vitæ suæ tempore mira & speciali virtute Abisag Sunamitidem speciosissimam virginem, & ex cunctis finibus regni Israel electam habuit sibi assidue ministrantem, & secum assidue cubantem, atque dormientem, quam tamen nunquam cognouit.

2.Reg.11

2.Reg. 12.

Post dimissam culpam relicta pœna.

Ad coniugium Dauidis sit imitandum.

** f. isto, vel iniusto.*

3.Reg.1.

Cap. XIV.

HÆc ergo vel ita admiranda sunt, vt penitus non possint esse imitanda, vel ita illi tempori Mosaicæ legis concessa, vt adueniente Domini & Saluatoris nostri euangelica gratia sint penitus remouenda: vel quoniam (sicut Apostolus dicit) omnia hæc in figura contingebant illis, diuinis sint mysteriis applicanda. Quanquam si non præcessisset in illa muliere adulterium, nec viri eius interfectio fuisset adiuncta; quis non videat potuisse eam mortuo viro proprio, & debita iam curatione deplorato, cui vellet honesto & legitimo matrimonio copulari? Sed & Regem, qui pro conditione temporis illius non prohibebatur plures habere vxores, potuisse legitime ac-

1.Cor.10

1. Reg. 16. David nonco-gnouit vxores suas ab Absalo ne pollutas. accipere cuiuslibet defuncti vxorem. Illud vere in gestis eius magnificum & valde imitandum claret, quod vxores, siue concubinas, quas fugiens reliquerat ad custodiendam domum, à filio impio incestatas atque pollutas nunquam vlterius agnouit, sed tanquam vim perpessas aluit eas tantummodo clementer, & fecit eas habitare clausas vsque ad diem mortis suæ in viduitate viuentes. Sed&illud nequaquam abhorret ab ordine & obseruantia religionis, cum adhuc regnaret in Hebron super tribum Iuda tantummodo, & Isboseth filius Saul obtineret regnum Israel, misit ad Abner principem militum, & gubernatorem domus regiæ, vt restitueret ei Michol filiam Saul, quæ fuerat vxor eius, & quam sibi desponsauerat centum præputiis Philisthinorum, quamque Saul pater ipsius illo hostiliter & tam extra terminos regni sui effugato, alteri viro tradiderat coniugem. Iustum namque erat vt illa persecutione & effugatione finita, regressus in patriam, quod sibi iure competebat, reciperet; etiam in qualibet professione terrena, quanto magis in coniugii societate. Sicut etiam sacri Canones simili æquitatis deliberatione obseruandum esse decernunt.

2. Reg. 3. David instetit petitu-xorem suam Michol

Cap. XV.

POssunt etiam istiusmodi praui atque distorti homines, siue fautores ac deceptores eorum, illud quasi iuste & licenter assumere in exemplum, quod de viris tribus Beniamin refertur in libro Iudicum: qui cum pro culpa superbiæ & prauitatis suæ, qua ciuium suorum detestandum atque immanissimum scelus, aduersus Deum & totius populi iudicium, improbe & impie defendere ausi sunt, & contra omne regnum rebelli obstinatione pugnare, diuino iudicio in bello corruissent, & vsque ad internecionem pene fuissent deleti, cum vniuersis vxoribus & filiis suis, remanserunt ex tota illa tribu sexcenti viri tantummodo. Vnde vniuersus populus Israel, qui in illo certamine aduersus eos processerat, eosque prostrauerat gladio, iuxta diuinam iussionem, in vltionem nefandi sceleris vehementi & religioso dolore permotus est. Quod ex duodecim trib. eiusdem populi sicut ab initio à Deo fuerant institutæ, & de Ægypto liberatæ, & in terram repromissionis inductæ, & sortis distributione hæreditatem adeptæ, vna trib. tam nobilis atque præclara videretur etiam sublata. Quapropter nimium dolentes & flentes, atque vlulantes, quòd videlicet illud sacrosanctum mysterium duodecim tribuum, quod in humeris summi sacerdotis intrantis in sancta sanctorum gestabatur in duob. pretiosis lapidib. in pectore, & etiam in aliis duodecim lapidib. pretiosis, sed & in mensa in duodecim panibus incessanter offerebatur, & futuro gloriosissimo Apostolorum choro hæc omnia præparabantur: tam subita clade & lugubri casu videretur esse decurtatum atque truncatum; altare extruxeruut, victimis atque oblationibus & sibi & illis Dominum placauerunt, & diuina gratia miserante & cooperante omni cura ingentique studio egerunt, vt vel plenitudo populi Dei, vel tanti mysterii insigne apud eos nullatenus deperiret. Sicut mirabiliter postmodum etiam nouo testamento per beatos Apostolos S. Spiritu agente procuratum est, vt eiusdē duodenarii nomen sacramentum, quod pereunte Iuda videbatur esse mutilatum, electione & subrogatione Mathiæ maneret instauratum atque perfectum. Et quoniam (vt iam dictum est) ex tota illa tribu, sexcenti viri tantummodo superfuerant, quadringentis ex eis quadringentas virgines prouiderunt, atque in coniugium tradiderunt; ducentis vero qui remanserant, quia nec filias suas tradere poterant, constricti iuramento & maledictione qua iurauerant

Iud. 10. & 21.

Actor. 1.

A nequaquam se eis daturos de filiabus suis vxores, nec alias inuenire poterant, quas eis libere traderent, sicut fecerant; ex habitatoribus Iabes Galaad, qui nec in illo iuramento interfuerant, & postea in tam publico & religioso bello adesse neglexerant, ac per hoc legitime interfici iussi sunt, & ex eis quadringentæ tantum virgines resignatæ, quæ ad reparationem tribus Beniamiticæ adducerentur. Erant itaque residui habitatores Silo, vbi tunc constitutum erat tabernaculum Dei, qui nec in illo iuramento, nec in illa pugna forsitan immunitate sanctuarii, cui pro vicinitate famulatus vel etiam assiduo famulabantur, fuisse, credendi sunt, Et tamen licenter dare potuisset istas filias suas in coniugium, sed quadam durittia, & execratione illius facinoris, quod à tribu Beniamin fuerat perpetratum, facere noluisse.

Cap. XVI.

B REstabat igitur, vt quia nec parentes legitime cōpelli poterant, vt nolentes darent filias suas, & rem voluntatis ex necessitate facerent, nec ipsæ filiæ hostiliter eis essent auferendæ, ipsis virginibus procedentibus solennissimo die ad sanctuarium Domini, choros que ducentibus ducenti illi viri absque cōiugibus ex consultu & consilio atque auctoritate populi & seniorum, pro redintegratione eiusdem populi, & euersatione diuini ministerii, repente eis occurrerent, & ex his singuli singulas sibi vxores caperent. In qua re iam nulla metuenda esset diuina indignatio, cum pro amore & honore diuino, & pro Dei causa totum ageretur. Qui illi tribui pene vsque ad internecionem deletæ, & tu transacto bello tam restituerat quod merebatur, & in præsenti consultu occulta eis inspiratione & prouidentia miserebatur. Seruata ergo vbique iustitia; cum neque illæ puellæ aliqua lasciuia vel contumacia, sed necessitate sola à parentum suorum regimine abductæ essent; nec

C illi qui eas ceperant, aliquid suo libitu vel temeritate, sed populi & seniorum iussione atque auctoritate fecissent: restabat sola parentum querimonia rationabili satisfactione sopienda, de qua eis maiores natu ita dixerunt, *Cumque venerint parentes earum, & aduersum vos queri cœperint, atque iurgari, respondebimus eis: Miseremini eorum. non n. ceperunt eas iure bellantium atque victorum, sed rogantibus vt daretis, & non dedistis: & à vestra parte peccatum est.* Totum igitur istud rationabiliter prouisum, rationabiliter factum, rationabiliter finitum pro publica vtilitate, publica auctoritate atque intercessione. Ita singulare est & minime imitandum, vel potius mysticum vt semel legatur gestum, & nunquā vlterius iteratū.

consultu. *al.*

Iud. 21.

Cap. XVII.

D QVapropter quod scriptura Dei narrat ad memoriam pietatis, vel ad commendationem mysterii spiritualis; absit vt stulti, & impudenti petulantia dissoluti vsurpare permittantur ad exemplum vel defensionem suæ procacitatis, vt potent se isto exemplo, cum non facile impetrant à parentibus, licere sibi rapere quas voluerint, & postea complacere parentibus quasi legitimo eas matrimonio detinere: cū hoc (sicut iam dictum est) non sit scriptum ad exēplū, vnde nec vnquam postea est vsurpatum, sed sit in his admiranda deuotionis commemoratio, & profundi mysterii commendatio. Et ibi quidem propitiato & placato omnipotenti Deo, cuius cultu & honore totum gerebatur, sola parentum misericordia implorata est, vt parcerent illis ducentis viris, ne vel in hac parte inueniret in eis diuinæ legis æquitas quod damnaret. Quanquam & à parentum parte vere peccatum esse videatur, quia in consulendo rantæ & tam publicæ necessitati duriores extiterunt in tantum, vt nec rogantibus primo dare voluissent.

Disc. defensionem. *& mox* ex eo raptū. *al.*

Hic

Hic vero Deo exasperato, & ad iracundiam pronocato, cuius lex contemnitur, cuius Ecclesia & sacerdotes conculcantur, cuius sanctũ tẽplum sacrilega & nefaria præsumptione violatur, qua stultitia atq; dementia putãt, placatis & pacificatis parentibus pacatã se habere posse Ecclesiam Dei, & eorum auctoritate stare posse confidunt, quod diuinæ legis & sanctorum Patrum auctoritate destruitur? Cum tantæ præuaricationis & impietatis malum, aduersus Deum & Ecclesiam eius commissum, nulla ratione, nullis argumentis emendari possit, nisi omnipotentis Dei & Ecclesiæ iudicio ac satisfactione. Ibi igitur ostendenda est tanti facinoris emendatio, ibi suppliciter venia postulanda, ibi sollicite satisfactio exhibenda, id est in Ecclesia Dei, apud sacerdotes Dei, vbi solummodo veraciter obtineri potest, & remissio peccati, & propitiatio eius qui offensus, est omnipotentis Dei.

Apud Deum est obtinere remissio peccati.

Cap. XVIII.

Adiiciunt istiusmodi homines malis suis etiam illam nimis audacem & puniendam præsumptionem, vt adulterinis & execrandis non coniugus, sed colluttionibus suis, postulando & supplicando auctoricatem vel meditationem * religiosorum Principum adquirant: quod absit à fidelibus & ministris regni Christi Principibus, vt cuiusquam improbitas eorum interdictis vel interuentionibus adiuuetur. Cum leges Romanæ, & Christianissimi illorum temporum Imperatores manifestissime, & iustissime censuerint, eos qui iniustis & fraudulentis petitionibus, & maxime in tali causa principales aures inquietauerint, & indulto beneficio carere, & insuper exilio deportari: & filios qui ex huiusmodi ignominiosis & adulterinis coniunctionibus fuerint procreati, nequaquam legitimos deputandos, nec hæreditatis successione honestandos. Obsecramus igitur mansuetissimam tranquillitatem vestram Christianissime & gloriosissime Princeps, vt preces & supplicationes nostras, quas pro Ecclesia Dei & sanctificatione atque honore corporis Iesu Christi, Domini & Saluatoris nostri deferimus, clementer audiatis, prompta deuotione suscipiatis, & insitæ religionis affectu ac zelo, strenue atque solicite effectui mancipetis. Nec reprehendendam iudicetis curam & solertiam pusillitatis nostræ, quod hæc Deo protegente noo vbique, sed in plerisque regni huius partibus contagia funesta grassantur, Quia nobis, licet indignis & minimis, & exemplo Apostolico, cura debet incũbere omnium Ecclesiarum, & omnino vigilanter admonenda & prædicanda sunt ista, etiam vbi non fiunt. Quoniam & ante venenum est adhibendum antidotum; & vulnus dum adhuc crescendo male proficit, vel resecandum est, vel curandum. Oramus itaque & imploramus à vobis auxilium, quod illi sine dubio debeus, cuius munere florens atque polletis, vt tres Ecclesiæ ordines, imo triplex agri diuini fructus, videlicet tricesimus, sexagesimus, atq; centesimus, etiam vestro terrore atque præsidio, velut quadam sepe atque munimento, integer & sincerus custodiatur, crescat atq; proficiat, Tricesimus in copulatione coniugii, sexagesimus in continentia viduali, centesimus in pudore atque integritate sanctimoniali. Vt quicunque his fructibus tanquam brutæ & perniciosæ bestiæ insidiantur, vestra custodia tẽpellantur, vestra etiam seueritate corrigantur.

*al. meditatorum.

Cap. XIX.

Audiatur & teneatur, quod sancti Patres definiũt de bono connugali, ita dicentes: *Quod bonum habent nuptiæ, peccatum esse nunquam potest, hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera vel altero concũbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In sacramento, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri cõiungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, quia vel natura decoratur fœcunditas, vel innocentiæ regitur prauitas.* Audiatur & illud quod de reliquis duobus ordinibus, in quanta sanctitate & reuerentia haberi debeant, his verbis iterum dicunt: *Dauid enim magno sui pudore furtim ad militis sui intrasse fertur vxorem, nec tamen euadere potuit vltionem. Tu ad sponsam Regis Christi temerandam cubiculum Domini Dominorum impudenter ingressus, quomodo esse poteris impunitus?* Ac si forte vidua, aut quæcunque fuerit illa, nondum professa continentiam castitatis, quælibet illa sit vxor dici n n potest prostituta, vterque vestrum nota semper inuretur infamiæ, nec aliter tanti criminis macula poterit aboleri, nisi aut publica legum sæcularium sæuiente censura adulterium mortibus expietur, aut terræ profundis afflicti cordis gemitibus & veræ pœnitentiæ iugibus, dum viuitur, lacrymarum fontibus abluatur. Extat rogo qui dicat, crimen hoc nuptiis emendandum, & de scelere statim nomine coniugium censeat esse vocandum. A me inuitus veraciter audiet, *Adulterium nullatenus dici coniugium*, coniugium enim religiosi nominis vocabulum est.

August. l. 9. de gen. ad lit. cap. 7. & ca. 27. q. 2.

Cap. XX.

His sanctorum Patrum verbis atq; sententiis subiungemus adhuc paucas ex sacris Canonibus, sententias; quas in contemplationem Domini nostri Iesu Christi, & honorem ac pietatem S. matris Ecclesiæ, cuius visceribus Deo nati, cuius honoribus illustrati estis, & æternaliter illustrandos vos esse confidimus, religiosa quæsumus deuotione audiatis, & instantissima cura atque industria in commisso vobis Christiano populo agnosci, intereri atque obseruari, Domino in omnibus protegente & cooperante, faciatis. Tanta namque res ista est, pro qua fatagimus & supplicamus, id est, castimoniæ & sanctitatis custodia, vt pro ea commendanda atque tuenda etiam nos ipsos offerre libenter debeamus, exemplo beati & gloriosi Baptistæ Ioannis, qui inter cætera prædicationis suæ præconia etiam Regem ipsum Herodem, propter istiusmodi adulterinum coniugium tanta constantia increpauit atque corripuit, instanter annuncians & dicens illi de vxore fratris sui Herodiade, quam plus quam raptor, etiam virture & potentia regia potestatis obtinebat & detinebat: *Non licet tibi habere eam*: vt pro huiusmodi causa & vincula & carcerem æquanimiter sustinens, nouissime gladio maluerit obtruncari, quam à veritatis & iustitiæ prædicatione cessare. Et ideo vere Martyr Christi, quia ipsius veritatis & Iustitiæ Martyr.

Matth. 14.

EXCERPTA

EX SACRIS CANONIBUS, ET SANCTORUM PATRUM GESTIS, DE cultu sanctimoniæ & constantia annuncianda veritatis.

In Decretis Papæ Syricii, Cap. IV.

Ex ep. 1. c. 4. to. 1. Conc.

Quod non liceat alterius sponsam ad matrimonii iura sortiri.

De coniugali autem violatione requisiti, si desponsatam alii puellam alter in matrimoniũ possit accipere; hoc ne fiat, modis omnib. inhibemus. Quia benedictio quã nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusquã sacrilegii instar est, si vlla trãsgressione violatur.

27. q. 2. c. de coniugali.

In Ancyrano Concilio, Cap. X.

De desponsatu puellæ, & ab alio corruptu.

26. q. 2. de sponsat.

Desponsatas puellas & post ab aliis raptas, placuit erui & eis reddi quibus ante fuerunt desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis inlata constiterit.

Ex decretis Innocentii Papæ & ep. 2. ad Victr. c. 13. c. Tur 27. q. 1. c. ha vero * debet 1. Tim. 5.

Cap. XX. *De virginibus non velatis, si deuiauerint.*

HÆ vero quæ necdum sacro velamine tectæ, tamē in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licet velatæ non fuerunt, si forte nupseriot, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine vindicta noo * poterit. Nam si Apostolus Paulus, quæ ex proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quanto potius virgines quæ prioris * promissionis fidem * frangere sunt conatæ?

* pactionis. * al. minime seruaue runt.

In Decretis Papæ Leonis, Cap. XXVII.

Quod illæ quæ non coactæ, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, delinquant cum nupserint, & si nondum fuerunt consecratæ.

Excep. 90. ad Rustic. c 14. Tom 1. Concil. 20. q. 1. c puellæ.

PVellæ, quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit: cuius vtique noo fraudarentur munere, si in proposito remanerent.

Ibid. c. 15.

Item eiusdem Papæ Leonis ad Rusticum.

De puellis quæ iam consecratæ sunt, si postea nupserint, & propositi & consecrationis duplex crimen admittunt.

20. q. 1. c. puel a. * al. cal cari. * contrupuerint.

DE his quæ iam consecratæ sunt, si postea oupserint, ambigi non potest, magnum crimen admitti: vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impune * violari, quid eos manebit, qui * ruperunt diuini fœdera sacramenti?

Ex Decretis Papæ Gelasij.

ex ep. 1. Gelas. c. 21. Tom. 1. Concil.

Quod hi qui se sacris virginibus sociant, & fœdera incesta commiscent, communicare non possunt, nisi publicam pœnitentiam gesserint.

VIrginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognouimus, vt post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscerent, quos protinus æquum est à sacra communione * detrahi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non * negari.

* al. detrudi. * al. negetur.

Ex ep. 4. c. 6.

Ex Decretis Papæ Siricij.

De Monachis & virginibus propositum non seruantibus.

PRæterea Monachorum quosdam atque Monacharum abiecto proposito sanctitatis, in tantam potestatis demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo velut sub monasteriorum prætextu inlicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum * conscientiæ desperatione perducti de inlicitis amplexibus libere filios procreant: quod & publicæ leges & Ecclesiastica iura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas à monasteriorum cœtu Ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subuenire.

Item ex Concilio B. Papæ Gregorii.

GRegorius Apostolicus Papa ante corpus venerabile Christi Apostolorum Principis in sedendo sententiam dixit: Si quis Monacham, quam Dei an cillam appellant, in coniugium duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit. Si quis commatrem spiritualem duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis fratris vxorē duxerit in cōiugio, Anathema sit. Et respoaderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis consobrinam duxerit in coniugium, Anathema sit. Et responderunt omnes, anathema sit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, Anathema sit. Si quis viduam * furatus fuerit in vxorem, vel consentiens ei, Anathema sit. Si quis virginem, quam sibi non desponsauerit, furatus fuerit in vxorem, vel consentiens ei, Anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Gregorius Episcopus sanctæ Catholicæ atq; Apostolicæ Romanæ, huic constituto à vobis promulgato subscripsi. Et subscripserūt alii Episc opi XXI Presbyteri XIV. Diaconi V.

Ex Concilio Aurelianensi. Tit. II.

DE raptoribus autem id custodiendum, esse censuimus, vt si ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa * ad seruiendi conditionem subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quæ rapitur, patrem habere constiterit & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur: & raptor * à Patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.

* al. aut seruitio conditione * al. patri.

Ex Concilio Valentino, Cap. VII.

De sacris virginibus non velatis & corruptis, & de corruptoribus earum.

SI deuota maritauerit vel mediauerit * pœnitentiæ deputetur. De puellis vero quæ se vouerint, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id enstodiendum esse decreuimus, vt pœnitentiæ necessitati dentur, & cum datæ fuerint, nisi plene satisfecerint Deo, in quantum ratio poposcerit, earundem communio differatur.

* Ex Concilio Eliberitano, Cap. XIII.

De virginibus Deo sacratis, si adulterauerint.

VIrgines quæ se Deo dicarunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidē libidini seruierint,

27. q. 1. c. virgi-

non intelligen... qu..d * admiserint, placuit nec in fine ei dandam communionem. Quod si simel persuasæ aut infirmi corporis lapsu vitiatæ fuerint & omni tempore vitæ suæ huiusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, vt abstineant se à coitu, * eo quod potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.

Ex Concilio Toletano, Cap. XVI.

Deuotā si adulterauerit, decem annis pœniteat. Si maritum duxerit, non permittenda ad pœnitentiam, nisi maritus decesserit.

DEuotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit, & desinens egerit * pœnitentiam apertam decem annis: sic accipiat communionem. Prius autem quam in Ecclesiam admittatur ad orationem, ad nullius * commercium Christianæ mulieris accedat: quod si admissa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit, habeatur abstenta. Corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc viuente ipso marito, caste viuere cœperit, aut postquam ipse decesserit.

Ex Concilio Toletano.

De discretione sæcularium viduarum ac virginum.

DVo sunt genera viduarum, sæculares & sanctimoniales. Sæculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt, quæ iam mutato habitu sæculari sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel Ecclesiæ apparuerunt. Hæ si ad nuptias transierint, iuxta Apostolum, non sine damnatione erunt: quia se primum Deo vouentes, postea castitatis propositum abiecerunt.

Ex Concilio Toletano.

OMnes fœminæ quæ iam in præteritum religionis veste fuisse probantur indutæ, nihil ad excusationem valeat oppositionum quælibet obiectio, quamuis diuersis aut callidis adombrare se velint fallaciæ argumentis: sed ad sacratissimas sanctiones disciplinæ sanctior eas teneat * religiositas atq; subiugat. Cōmoueantur sane sacerdotis auctoritate vt sponte redeant: quæ si redire noluerint, impulsu sacerdotis ad religionis habitum reducantur, & in monasteriis redactæ excōmunicationis condignæ sententia feriantur.

In Edictu piorum Imp. Cap. CCC.XXV.

SI quis diuinis mysteriis vel aliis sanctis mysteriis celebrandis in sanctam intrauerit Ecclesiam, & Episcopo vel Clericis vel aliis ministris Ecclesiæ iniuriam fecerit, iubemus eum tormentis subiectum in exilio mitti. Sed & si quis sancta oratoria vel diuina mysteria in aliquo conturbauerit, capitali supplicio puniatur. Hoc eodem obseruando & in Letaniis, in quibus Episcopi vel Clerici inueniuntur: vt si quidem contumeliam fecerit, tormentis & exilio tradatur: sin autem Letaniam turbauerit, capitali periculo subsistat. Non enim tantum volumus omnia loca Deo dicata ab omni incursione libera, sed multo magis omnes Episcopos & Clericos eorum ab omni periculo esse tutissimos, vt quicunque præses vel iudex aut militaris, si contra eos manus aut contumelias inferre ausus fuerit, nullo pacto illud aliter expiare possit, nisi aut æterno exilio, aut sanguine.

Auct. Biblioth. Vet. Pat. Tom. 2.

In Taurinensi vel Aquilegiensi Concilio, Cap. IX. & XV.

SI peccatis agentibus contigerit post obitum alicuius sancti Episcopi, vt annus trāseat, antequam substituatur in ciuitate ipsa vnde decessit Episcopus alter, quia hoc munus præuidere debent Metropolitani, ne vltra mensem vel multo plus tres menses sine pastore vacua remaneat ciuitas, placuit nobis, vt absque modo culpetur Metropolitan. pro tanta negligentia sua, & clerus ac populus pro eo quod salutis memor non fuit ad Metropolitanum petiturus Episcopum accurreret, & deinde ordinetur Episcopus eis. Si autem ipsi de se talem non habuerint, aut prouidere sibi & eligere iubente Metropolitano suo neglexerint, tunc iudicio & potestate sua electa apta persona Metropolitanus cum aliis Episcopis ordinet & faciat Episcopum, ne plebs Dei sine pastore sit vacua, & facultates Ecclesiæ dispereant. Si tunc Presbyteri aut maiores ciuitatis non adquieuerint, vt rebelles anathematizentur.

In edictu piissimorum Imperatorum.

IVrent maiores ciuitatis ad Euangelia de persona electa ad Episcopatum, quod neq; vxorem habuerit procertam * neque concubinam, neque sit curialis vel taxiota, sed sanctus & litteratus, & canonicas leges intelligens, & in clero vel monasterio nutritus, & tunc ordinetur. Sin autem hi, qui debent Episcopum eligere, talia decreta intra VI. menses non fecerint, tunc Metropolitanus, propter periculum animæ suæ omnibus his exquisitis, quæ diximus, ordinet & consecret sua potestate clero & populis Episcopum.

HINCMARI RHEMENSIS ARchiepiscopi epistolæ X. Fragmentum.

ARGVMENTVM.

VIdetur hæc epistola ab Hincmaro, vt alia quadam, ad Episcopos & Reges, hoc est, ad vtrumque magistratū politicum & Ecclesiasticum scripta. Vtrosque enim instituit, qua ratione munere suo fungi recte possint.

DESVNT NONNVLLA.

VT potēs sit & exhortari in doctrina sana, & eos qui cōtradicūt arguere. Quod enim ait, *per ciuitates cōstituēdos presbyteros*, sicut & omnia ei⁹ dicta, non vacat, sed cœlitus sanciendū videtur alibi nō licere Episcopos constitui, quos nouiter... presbyteri, qui tales esse debēt, vt ab amore vel amicitia mundi se abstineāt: & omnes Christianos hæc fugere doceāt. De qualibus etiā B. Hieronymus in Micheā Prophetā loquitur, dicens: *Et contēdo indicere, vt sine montes siue colles reperti fuerint non * digna populo procurasse, vel meum * videas esse, qui tales præposui, vel culpa tollatur à populis, & referatur ad Principem.* Et iterum idem. *Legamus Apocalypsin Ioannis Apostoli in qua laudantur, accusanturque Angeli Ecclesiarum pro virtutibus vitiisque earum, quibus præesse dicuntur. Sicut enim interdum Episcopi culpa est, interdum plebis, & sæpe magister peccat, sæpe discipulus & nonnunquā Patris vitiū est, nonnūquā filii, vt vel bene, vel male erudiātur: ita in iudicio Dei vel ad Angelos: quorum refertur, si non egerint cūcta, quæ ad suū officium pertinebant: vel ad populū, si illis vniuersa facientibus, ipsi audire contempserint.* Item idem ad Oceanū de silētio sacerdotis. *Innocens enim & absq;*

Tit. 3.

Locus mendosus.

Hier. in c. 6.

* digne populos

* videatur.

sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. nam latratu canum, baculoque pastoris luporum rabies deterrenda est. Profecto, qui cæteris forma & exemplum debét esse, primum facere debent, quod docent. Vnde Lucas de Domino nostro in actibus Apostolorum. *Primum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere.* Primum intulit, *facere*: deinde subiunxit, *docere*. Quos sequi debet omnis, qui fideliter Christo ministrare in Ecclesia desiderat. Hi etiā modis omnibus declinare debent, ne agant, quod prohibent, ne in illud incidant, quod Dominus per Prophetam exprobrans, dicit: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Peruersæ enim consuetudines difficile corriguntur: quarum longa consuetudo, quod peius est, etiam pro auctoritate habetur.

Quamobrem quod in baptismo generaliter promisimus, diligentissime necesse est conseruemus, id est, pompam mundi, quæ est, & pompam diaboli à nobis funditus respuamus, maxime quorum doctrinam & exemplum cæteri imitari debent. Pompa autem mundi est omnis superfluitas vanis insidens mentibus, vsibúsque: de qua crescit elatio, quam multotiens honestati, vel compositioni solemus adscribere. Decet præterea Dei sacerdotes amicitiam fugere mundi, quo à seipsis cæteros instruant. Vnde & Dominus eos quos elegit à mundo segregauit, dicens. *Ego vos elegi de mundo: & quia non estis de mundo propterea odit vos mundus.* Et B. Ioannes dicit. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Hinc & Iacobus ait. Amicus huius sæculi, inimicus Dei constituitur. Necnon & B. Gregorius in expositione Euangelica. *Leuate capita vestra, id est, exhilarate corda, quia dum finitur mundus, cui amici non estis, probe fit redemptio, quam quæsistis.* Et post pauca. *Absit enim vt fidelis quisque qui Deum videre desiderat, de mundi percussionibus lugeat. Ex mundi quippe destructione lugere eorum est qui eadicos cordis in eius amore plantauere: qui sequentem vitam non quærunt neque esse suspicantur.* Generalis enim Domini sententia auaritiam in omni homine condemnat, quanto magis in sacerdotibus, his verbis dicens. *Videte, & cauete ab omni auaritia*, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet. Et B. Paulus in Epistola ad Ephesios. *Auarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Et iterum *Auaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.* Et iterum Dominus in Euāgelio ad discipulos ait. *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt?* Et post pauca. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.* Et ne cupiditas locum reperiat, maxime inter Domini sacerdotes excellenti eam Apostolus verbo repellit inquiens. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitū & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei hæc fuge.* Veruntamē, vt ait Prosper, non videtur Apostolus in hoc contrarius Prophetæ, qui ait: *Initium omnis peccati superbia*; sed expositor quodammodo. *Seu enim initium omnis peccati, siue radicem omnium malorum dicas, vnum idemque significatur: qui cupiditas atq; superbia in tantum vnum est malum, vt nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia cupidus possit inueniri.* Quo iure, cum in omnibus turpis atque interfectrix videatur cupiditas: in sacerdotibus multis modis turpior est, qui cæteris illam interdicere debent.

Et vt negligentia tam à sacerdotibus, quam & ab omnibus caueatur, Apostolus in Epistola ad Romanos admonet dicens. *Hora est iam nos de somno surgere.* Et post pauca. *Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Idem ad Philippenses. *Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi.* Et B Hieronimus in Michea Propheta. *Surge inquit, iudicio contende ad montes, & audiant colles vocem tuam. Iubetur surgere, qui vel sedet, vel iacet, vel dormit, vel mortuus est, secundū illud quod Apostolus ait. Eleuare, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Surge à mortuis vt in nouitate ambules vita, vt terram deserens ad altiora uitaris.* Idem in Malachia, *Debilis quidem est & maculata nostra oratio, quando ira, inuidia, inimicitiis & alia animi perturbatione, nobis in negligentia iacentibus, corrumpitur, si offerentes munus ad altare, & recordati, quod aliquid frater noster habeat aduersum nos non ante * pergamus, quam vt satis ei faciamus.*

Secundus vero ordo habet specialiter Regale ministerium ad populum Dei regendum & gubernandum. vnde & Rex nomen habet, vt Isidorus ait. *Rex à regendo vocatus, sicut sacerdos à sanctificādo.* Non autem regit, qui non corrigit. Recte igitur faciendo hoc nomen tenetur, peccando amittitur, Quare apud veteres tale erat prouerbium: *Rex eris, si recte facias, si non facias, rex non eris.* Regis virtutes præcipue duæ sunt, iustitia, videlicet & pietas. Veruntamen in regibus plus laudatur pietas. Nam iustitia per se sine pietate seuera est De hoc & B Augustinus 10 epistola ad Marcellinum de moribus bonis, & de Repub agenda dicit. *Ex parua Repub. & inopi magnam opulentamque fecerunt. qui accepta iniuria ignoscere, quam persequi malebant. Quomodo Cæsar vtique administrater Respublica, cuius mores extollens Cicero, dicebat, quod nihil obliuisci soleret nisi iniurias. Dicebat enim hoc, aut tanquam magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsarem nouerat: si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem reipublicæ, qualem illum fallaciter prædicabat.* Item ide[m] i[n] epistola ad Bonifacium. *Imperatores quando pro [f]alsitate contra veritatem constituunt malas leges probātur bene credentes, & coronantur perseuerantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sæuientes, & corriguntur intelligentes*, Item eiusdem S. Augustini ad eundem Bonifacium de Bellis, nulli æstimandum neminem Deo placere posse qui in armis bellicis militat. In his erat S. Dauid cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti. In his erat & ille centurio, qui Domino dixit. *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, & reliqua. De quo & Dominus, *non inueni tantam fidem in Israel.* In his erat & ille Cornelius, ad quem missus angelus dixit. *Corneli accepta sunt eleemosynæ tuæ, & exaudita sunt orationes tuæ.* In his erant & illi qui baptizandi conuenerant ad Ioannem S. Domini præcursorem & amicum sponsi, de quo ipse Dominus ait. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Et cum quæsissent ab eo milites quid facerent, respondit eis. *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum* Non eos vtique sub armis militare prohibuit, quibus stipendium suum sufficere debere præcepit. Maioris quidem loci sunt apud Deum, qui istis sæcularibus actionibus derelictis etiam continentes in castitate ei deseruiunt: sed *vnusquisque* sicut dicit Apostolus, *proprium donum habet à Deo alius sic, alius autem sic.* Alii ergo pro vobis orando pugnant contra inuisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros.

De regia quoque dignitate B Hieronymus in Isaia. *Quærite iudicium. Quando dixit, quærite iudicium ostendit non omnium esse recte iudicare, sed eorum, qui prudentes sunt. Denique & Salomon in visione per somnium hoc à Domino postulauit: vt accepta sapientia iuste populum iudicaret.* Vnde in iudicio sedeos de duabus mulieribus iudicauit. De quo & August. in lib. de ciuitate Dei quinto. *Neque enim inquit, nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel*

*hoſtes Reipub. domuerunt vel inimicos ciues aduerſus ſe inſurgentes & cauere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vita huius ærumnoſa, vel munera, vel ſolatia quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent iuſti. Et hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus ſi iuſte imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, * ſi ſe homines eſſe meminerint, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultũ maxime * dilatant, dũ maieſtatē eius famulam faciunt, ſi Dominum Deũ timent, diligunt, colunt, ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortes, ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt, ſi eandem vindictā pro neceſſitate regenda, tuendaque reipub. non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt, ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quid aſpere coguntur plerumque decernere, miſericordia lenitate, & beneficiorum largitate compēſant: ſi luxuria tanto eis eſt caſtigatior, quāto poſſit eſſe liberior. Si malint cupiditatibus prauis, quam quibuslibet gentibus imperare: & ſi hæc omnia faciunt nō propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter caritatem felicitatis * miſerationis, & operationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligant. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices, interim ſpe, poſtea re.* Qui etiam in throno vel ſolio ſedent ad iudicium, vt per ſe prouideant & perquirant ne in iudicio aliquis à veritate & æquitate decliuet. Oportet eum, vt qui iudex eſt iudicum pauperes ad ſe ingredi permittat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem eius agere debent in populo, iniuſte, aut negligēter pauperes oppreſſiones pati permittant, terrorque eius iniquos comprimat, & beniuolos atque indigentes ſua auctoritate ſubleuet. Periculum quippe eſt cuilibet officium ſuum per alios in tantum peragere, vt ſe ab eo diutius ſubtrahat.

Legimus antiquitus iudices in porta ad iudicādum ſediſſe, vt nullus accedendi difficultatem haberet. Vnde B. Hieron. in Zacharia propheta. *Veritatem*, inquit, *& iudicium pacis iudicate in portis veſtris. In iudicio prima ſit veritas atque iuſtitia, deinde ſequatur miſericordia. Quodque ſequitur, in portis veſtris, illo prophetico congruit. Oderunt in portis corripientem & verbum ſanctum abominati ſunt. Et in alio loco, non confundentur, cum loquentur inimicis ſuis in porta. Dauid quoque iudicabat, in portis quando Abſalon veritatem iudicii corrumpens patri tendebat inſidias. Et quæritur quare apud Iudæos in portis locus fuerat iudicandi? Ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod ſubire diſpendium, & ideo iudices in portis reſidebant, vt tam vrbanos, quam ruſticos in exitu & introitu vrbis audirent, & finito negotio vnuſquiſque confeſtim ad ſedes proprias reuerteretur.*

Qui autem poſt regem populum regere debent, id eſt, Duces & Comites neceſſe eſt, vt tales inſtituantur, qui ſine periculo eius, qui eos conſtituit, quos ſub ſe habent, cum iuſtitia & æquitate gubernare intelligant, atque cum bona voluntate, quod intelligunt, adimplere procurent, ſcientes ſe ad hoc poſitos eſſe, vt plebem ſaluent & regant, non vt dominentur & affligant: neq; vt populum Dei ſuum æſtiment, aut ad ſuam gloriam illum ſibi ſubiici, quod pertinet ad tyrannidem & iniquam poteſtatem. Valde enim exigit neceſſitas quia Rex æquiſſimo iudici de commiſſo ſibi miniſterio rationem redditurus eſt, vt etiam ſinguli qui ſub eo ſunt miniſtri, diligentiſſime ab eo inquirantur, & tales conſtituantur, ne ipſe pro eis iudicium incurrat Dominicum. De oppreſſione pauperum prouidendum eſt quoniam in eorum afflictione Deus offenditur, ſicut Pſalmiſta dixit. *Propter miſeriam inopum*, & reliqua. Affliguntur enim in ædificiis ſuperfluis, & in exactione hoſtili: quia quamuis Deus pacem pro ſua miſericordia tribuat, ab ipſis tamen hoſtilis cenſus inquiruur; & ſi vnum pro peccatis noſtris in vineis non creuerit, eos ſoluere cogunt. Et cũ Dominus Imperator quondam Karolus ex iſta cauſa miſericordiæ capitula cōſtituit, inter ipſa poſuit, vt nemo ad mallũ, vel ad placitum cogeretur venire, niſi ſcabini, & qui cauſam ſuam quærit, & cui quæritur. Comites & Vicarii, vel etiam Decani plurima placita conſtituunt, & ſi ibi nō venerint compoſitionem eis exſoluere faciūt. Et quia prius per manninas veniebant, excogitarunt vt per bannos venirent ad placita, & dixerunt domino Imperatori, quod propterea melius eſſet, ne ipſas manninas alterutrum ſoluerent. Hæc autem ideo fecerunt, vt ipſi bannum acciperent. Et in tantum exinanitati ſunt pauperes, vt vnde prius centum in exercitu ire poterant, vix quinque aut ſex pergant. Et in his omnibus non ſolum ſoluunt *faſciculos*, ſecundum Iſaiam, *deprimentes*, ſed etiam ſuperaddunt faſciculos ſuper miſeros & egentes. Quando enim ſperant aliquid lucrari, ad legem ſe conuertunt: quando vero per legem non æſtimant acquirere, ad capitula confugiunt: ſicque fit, vt nec capitula pleniter obſeruentur, ſed pro nihilo habeantur, nec Lex. Omnia enim mala lex veteris teſtamenti damnāt. Sed Dominus dixit diſcipulis ſuis, id eſt, omnibus Chriſtianis. *Amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Illis enim dictum eſt, non occides, nobis autem, non iraſceris. Illis dictum, eſt non adulterabis: nobis autem, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Illis dictum eſt, non periurabis: nobis autem, nolite iurare omnino. Illis dictum eſt, oculum pro oculo, dentem pro dente, & reliqua. nobis autem, *dimittite & dimittetur vobis. Et ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram.* Illis prohibetur rapere, nobis autem propria dare. ſicut Dominus dixit. *Date eleemoſynam, & omnia munda erunt vobis.* Et Iacobus. *Qui viderit fratrem ſuũ neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo*, & reliqua. Illis conceſſum eſt ferire ſuos prædatores & compoſitionem ab eis exquirere: nobis dictum eſt, *auferenti quæ tua ſunt ne repetas.* Quid plura? Omnia, quæ illi vindicabant, & puniebant iuſtitia diſcipulorum Chriſti ſuperabundans indulgebat & dimittebat ſicut ipſe Dominus dixit. *Dimittite, & dimittetur vobis.* Et in oratione. *Dimitte nobis debita noſtra. Et, ſi non dimiſeritis hominibus peccata eorum*, & reliqua. Nam eum ex perſona interrogantis Dauid propheta quæreret, dicens. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* diuinum reſponſum accepit. *qui ingreditur ſine macula*, & reliqua.

Sed eum iuſtitia Chriſtianorum ſuperabundare debet pro peccatis, iniquitas & malitia ſupercreſcit. Scriptum eſt enim. *Abundabit iniquitas, & refrigeſcet caritas multorum.* Et, ſicut Apoſtolus dixit. *Erunt homines ſemetipſos amantes, & multi diſcedēt à fide, ſua quærentes, & non quæ ſunt Ieſu Chriſti, ſeruientes ſuo ventri non Domino.* Dum enim præcipitur, vt qui ieiunat *vnde ſua caro affligitur*, ſicut B. Greg. docet, *inde caro proximi reparetur*: è contrario multi pauperes penuria famis & egeſtate moriuntur. Et nōnulli potentes non ſolum ab epulis & dignitatibus ſibi parcunt: verumtamen quanto plus & maiori penuria iuſto Dei iudicio mundus atteritur, tanto magis ſe erigentes contra vim furoris eius eleuant, & violenter exaggerant, vt maiores dignitates ſibi, ſuoque ventri præparent, non memorantes de diuite purpurato cottidie ſplendide epulante, & Lazaro paupere fame deficiente. *Eſca ventri & venter eſcis, Deus & hunc & has deſtruet*: Et, *Væ his quorum Deus venter eſt.* Si enim potentes aliquid ſubtraxiſſent de dignitatibus, plurimi vixiſſent, qui mortui ſunt fame & illi & iſti in præſenti vita ſubſidiũ haberent, & non deficerent. Sed erit, quando *potentes potenter tormenta patientur*, & eſurientes bonis replebūtur. Super his etiam Dominus per Sapientem ait. *Sex ſunt, quæ odit Dominus & ſeptimũ deteſtatur anima eius,*

Quid mallũ, placitũ, banni & manninæ. vide in Conſtit. Caroli M.

Abuſus miniſtrorum regiorum.

oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mẽdacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Et, vt deceptio in mensuris modis omnibus declinetur, testatur Dominus per eundẽ sapientem: *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumq; abominabile est apud Deum*. Et iterum, *põdus & statera iudicia sunt Domini, & opera eius omnes lapides sacculi*. Item in libro Sapientiæ de inuidia cauenda. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*. Quod Dominus abominatur, nemo debet vti, habere, ne abominabilis fiat, si in abominatione Domini delectatur. De fornicatione inhibenda B. Apostolus Paulus ad Thessalonicenses. *Hoc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, & sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*. A concubinis omnino abstinendum est sicut diuina docet auctoritas, quia nec coniuges sunt, nec virgines. Restat ergo illicitam esse copulationem, quia propter incontinentiam miscentur, sicut animalia irrationabiliter, à quibus prohibẽtur homines, vt per prophetam dicitur. *Nolite fieri, sicut equus & mulus in quibus non est intellectus*.

Prou. 20. Prou. 16. Sap. 1. 1. Thess. 4. 1. Cor.

FINIS.

OPVSCVLA ET ALIÆ EPISTOLÆ

HINCMARI RHEMENSIS

ARCHIEPISCOPI,

Item aliorum quorundam eiusdem æui quædam Epistolæ & scripta.

IOANNES CORDESIVS ECCLESIAE LEMOVICENSIS PRESBYTER & Canonicus ex MSS. Codicibus primum euulgauit, anno 1615. Parisiis, nos hic eadem in Bibliotheca nostra iterum exhibemus, omissis tamen Epistolis aliquot Nicolai Pap. I. & alior. Pontific. & Synodicis quibusdam, quæ in Conciliorum postrema huius anni editione habentur.

LOCI

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI insertiab Iuone, & Gratiano Decretis suis.

Part. VI. ca. 420. Quomodo purgare se debeant accusati Sacerdotes Hincmarus Rhemorum Episcopus & plebis Dei famulus dilecto fratri & venerabili Coepiscopo Ioan. & II. quæst. V. can. XVI.

SI mala fama ex similitudine per parœchiã de presbytero exierit, & accusatores ac testes legales defuerint, ne contra Apostolum, infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & *ne vituperetur ministerium nostrum*, neve securiores presbyteri existentes licentius in peccatum prolabantur, secundum decreta maiorum, cum denominatis sibi vicinis presbyteris, quos scimus se nolle periurare, sacramento famã suam purget.

1. Cor. 6

Part. VII. c. 194. Quid agendum sit, si per sortiarias vel maleficas concubitus impeditus fuerit, Hincmarus Remensis Episcopus, & XXXIII. q. I. can. IV.

SI per sortiarias atque maleficas, occulto, sed nunquam iniusto Dei iudicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus ista eueniunt, vt corde contrito, & spiritu humiliato, Deo, & sacerdoti de omnibus peccatis suis duram confessionem faciant, & profusis lachrymis, & largioribus eleemosynis, atque ieiuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos ac cætera Ecclesiasticæ medicinæ munia, ministri Ecclesiæ, tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum eius Abrahæ orationibus sanauit, sanare procurent. Quod si forte sanari non potuerint, separari valebunt, sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viuentibus, quibus iuncti fuerint, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.

Gen.

Testimonium Nicolai PP. I. de Hincmaro, ex eiusdem Nicolai Epistola ad eundem Hincmarum, in decreto Iuonis Part. XIV. c. 46. & apud Gratianum XI. quæst. III. can. CII.

EXcellentissimus Rex Carolus Apostolatum nostrum consuluit, quid agẽdum sit de his, qui communicant cum his, qui cum Engeltrude sæpe damnata fœmina communicant: quoniam eam cum communicatoribus suis, & fautoribus pari vinculo anathematis cõstat esse astrictam. Quapropter nunc beatitudini tuæ iniungimus, vt super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas: Quia docta diuinitus sanctitas tua valde nouit, aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, istudque posterius duobus prioribus districtius esse puniendum: idcirco solerter inuigilet, & cauta discretione singulorum modos diiudicet, &c.

Gerbertus, qui postea Syluester PP. II. VVilderodo Argentinæ ciuitatis Episcopo, in Apologia pro Synodo Rhemensi.

HVnc locum differẽtiatum etiam Hincmarus Rhemorum venerabilis Antistes nepoti suo æquiuoco scribens ita interpretatus est, *Animaduertenda igitur est discretio*, & cætera quæ reperiuntur in sra XXV. capit. Opusculi ad Hincmarum Laudunensem.

Item idem Hincmarus sacrarum legum differentia loquens, inter cætera sic dicit; *Quædam denique*, & cæt. eodem capit.

Item idem Hincmarus ad eundem, *Repetam tibi*, & cæt. eodem capit.

Ex historia Treberorum MS.

ANno Dominicæ Incarnationis Dcccli. Cathedram Hetti Tietgaudus obtinuit. Hic simplex seductus est à Lothario Imperatore adultero, & Gunthero Coloniensi Archiepiscopo, & consensit in deiectione Tietbergæ vxoris eiusdem Lotharij falso accusatæ, immo diffiniunt in Synodo quod scilicet ipsa fuisset confessa semetipsam germani fratris incestuoso pollutam fuisse concubitu. Hanc enim falsam infamiam Lotharius eum bis Episcopis composuerat, cupiens hoc modo Reginam abiicere, & Vualdradam in Regnum assumere, quam ipse adolescens concubinam habuerat. Quod cum indicio Episcoporum adeptus fuisset, Tietgaudus, & Guntherus à Papa Nicolao pro his causis Romam euocati sunt, ibique omni Ecclesiastica dignitate priuati depositi sunt. Cumque iterum & tertio sedem Apostolicam institutionis gratia adiissent, & non profecissent, nouissime Nicolao defuncto Adrianus successit, cuius liberalitate Tietgaudus in monasterio sancti Gregorii mansionem suscepit, cui sanctus Gregorius in somnis monuit semel & iterum, vt recederet, & mansionem sancti non perturbaret, quod quam illicitum esset, ipse Gregorius exposuit vt desineret: & cum hoc facere Tietgaudus dissimularet: tertio est correctus de inobedientia & de fatigatione Apostolica. Apparuerat enim huic ductu dextræ manus Petrus, præeunte cum lumine B. Andrea Apostolo, & responsum accepit quod à momentanea morte liberaretur, sed patria cum suis omnibus priuaretur. Quod cum omnibus quibus potuit reuelaret, & aliud hospitium à Pontifice impetrare non potuisset, apud Sabinos concedens eodem anno cum Gunthero & suis omnibus vita priuatus est. Lotharius quoque Imperator apud Placentiam diuinitus percussus moritur, eum quo pariter totum regnum, quod ex eius nomine Lotharingiũ appellatur, corruit. Castellum etiam Lotharij non longe à Treberis super Saraom ex illo tempore desertum est. Anno vs. Tietgaudi Treberis visus est canis super cathedram eius sedere. Anno Dominicæ Incarnationis Dccclviii. Bertholfus Abbas Mediolanensis fit Episcopus Treberis, consanguineus Aduentii tunc temporis Metensis Episcopi. Qui Aduentius cum Lotharium Regem Placentiæ mortuum cognouisset, Carolum fratrem eius, qui in Prouincia regnabat, Metis euocatum, adiuncto sibi cum aliis Episcopis Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, Regem Lotharingiæ & Prouinciæ consecrauit, cognatoque suo Bertholfo vt daret Archiepiscopatum obtinuit. Hic villam, quæ Marcia dicitur, de manu regia comparauit. Anno V. Bertholfi moritur. Aduentius Metensis Episcopus, Vvalo ei substituitur, cui ordinationis suę anno secundo transmissum est pallium à Ioanne Papa cum litteris docentibus quibus hoc festis foret vsurus. Bertholfus vero metropolitanos audiens Vvalonem in secundo die Paschæ cum pallio procedere, missis literis euocatum Treberis percunctatus est quando, vel quomodo, vel à quo procedere cum pallio fuerit concessum? Vvalo lecto in auribus omnium, qui aderant, quod sibi à Papa transmissum fuerat de vsu pallii priuilegium, asseruit non se primum, sed quintum fuisse, quem Apostolica sedes hoc honore dignata sit sublimare, salua tamen in omnibus Metropolitani subiectione, primũ Vrbicium, secundum Pipini Regis ex sorore nepotem Crodegangum, tertium Angelramnum, quartũ Drugonem Caroli Imperatoris filium. Bertholfus his assertionibus non flexus, capitulo canonum lecto, quo asseritur; *Nulli suffraganeorum nouum, & quod non ab omnibus in Ecclesia sua prædecessoribus habebatur, absque Metropolitani sui consilio & licentia præsumendum;* interdixit ei per sanctam, quam in omnibus Ecclesiasticis negotiis sibi deberet, obedientiam, ne vlterius, nisi ab eo petita & concessa licentia, pallio vteretur. Cumque Vvalo Apostolicam auctoritatem prætenderet, Archiepiscopus Metropolitanorum iura defenderet, grandes vtrinque conflatæ sunt inimicitiæ. *Hincmarus igitur Reuerendissimus Remorum Archiepiscopus, & eloquentia clarus, audiens dissidentiam, Epistolam Vvaloni transmisit, sapientia ac sani consilii sale conditam per quam eum ad Metropolitani sui instruxit obedientiam, & sic restituit concordiam.* Fuit est Bertolfus multum acer & impatiens in talibus suffraganeorum suorum præsumptionibus, & suæ Ecclesiæ priuilegium nõ passus est in aliquo temerari. Nam litteras Romani Pontificis pro eadem Vvalonis præsumptione, vel Episcopi Virdunensis, contra suam voluntatem sibi transmissas, suscipere noluit.

SI quis plura scire velit de Hincmaro, legat III. librum historiæ Rhemensis, quem ex solius Hincmari scriptis, ac de eius vita composuit Flodoardus, & inueniet qualis quantusque vir fuerit iste Archiepiscopus, Vtinam habuissemus omnia illa eius scripta à Flodoardo indicata, de quibus sic G. C. in quadam Epistola nondum excusa ad Ioannem Sambucum, Iamdudum quoque à clarissimo viro Gasparo à Nidbruux piæ memoriæ spes nobis facta fuit operum Hincmari Archiepiscopi Remensis, cuius quædam Opuscula ex Bibliotheca Leodiensi vidimus, sed insigne illud opus, quod scripsit contra Hincmarum Episcopum Laudunensem de prouocatione ad Ecclesiam Romanam, desideramus, quo si per te, vir clarissime, potiri possimus, esset quo nos plurimum tibi debere fateremur.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI OPVSCVLVM LV. Capitulorum, ad Hincmarum Laudunensem Episcopum.

IN EPISTOLAE CAPITE ostenditur quæ mihi mandauit, & quæ illi remandaui, quam insulsa illius mandatio fuerit, dicens, quod ego illi insinuaui, vt suam excommunicaret parrochiam, & non attendit qualiter seipsum inlaqueauit.

I.

Redditur ratio de Capella de qua mihi mandauit.

II.

De administratione Palatii, & Abbatia adeptis contra Canones: & quoniam vocatus ad Episcopi ordinationem non venit, & quid inde correctus respondit, & de irregulari excommunicatione Amalberti.

III.

De irregulari excommunicatione in diuersorum Episcoporum parrochianos intentata.

IV.

De hoc quod mandauit vt scripta, pro dissoluenda inclita excommunicatione illius, sibi & parrochia sua directa, incenderem.

V.

De eo quod gloriari dicitur, quia mihi potest resistere, & me ausus est contemnere, & quia duo mea iudicia à sede Apostolica sunt cassata, mihi non debeat respondere.

VI.

De eo quod dicitur solere dicere, quoniam degradari debeam, quia in sua parrochia solui quæ ipse ligauit.

VII.

De eo quod non Ecclesiastico, sed sæculari consultu, à sibi impetitis purgari quæsiuit.

VIII.

De epistolis domno Regi, & mihi pro reclamatione sua à domno Apostolico missis.

IX.

De monacho à se excommunicato.

X.

De compilatione ex Epistolis Apostolicæ sedis mihi in quaternunculis missis, & verbo [promulgo] & capitulo Leonis Papæ.

XI.

Quod latinis de sacris ordinibus, & Canonum disciplinis & orthodoxorum verbis, & sensibus sit dicendum.

XII.

Qui sint ordines in cælo, & in Ecclesia, & in terrena republica.

XIII.

Quod si ordo generalis est omnibus Episcopis, non tamen communis est dignitas omnibus.

XIV.

Quod & in republica ad instar cælestis militiæ diuersi sint ordines.

XV.

De paternitatibus, & incolatibus à Deo constitutis in cælo, ad quorum instar sunt paternitates, & incolatus diuinitus distributa in Ecclesia, & in republica.

XVI.

De certa metropoli Remorum Prouinciæ, & Castro Lauduno & quia licet tribus principalibus sedibus Episcopi tres præsideant, vna tamen sedes sunt Petri, & de Epistola Ormisda sancto Remigio directa, & quod sanctus Remigius ordinans Episcopum in castro Laudum, in subsellio suæ metropolis considere, & inter sedes computari fecit.

XVII.

De rebellione minorum Sacerdotum erga potiores, & in veteri, & in nouo testamento, & de metropolitanis, & Archiepiscopis & Primatibus, ac Patriarchis, & de Apostolica sede, & de Constantinopolitana Ecclesia rebellante aduersus Apostolicam sedem, & vsurpante sibi nomen vniuersalitatis, & quid de eodem nomine sanctus Gregorius Papa ad diuersos scribens decreuerit.

XVIII.

Quod humilia videre non possit albuginem habens in oculo, id est, arrogantiam in mente: & qualiter insanæ mentis homines per indiscretionem in scripturis sanctis errauerint.

XIX.

Quod similiter in sanctarum traditionum sanctiones homines vesani male intelligentes errauerint, & delectantes vocum nouitates per diuersas occasiones se ab Ecclesia separauerint.

XX.

Qualiter caueat ne scandalum sibi sumat in intelligentia scripturarum, atque sacrorum Canonum, & quomodo propagata sit processu temporum doctrina Ecclesiastica. Et de Epistolis Pontificum Apostolicæ sedis ante sacra Concilia ad diuersos pro diuersorum consolatione datæ: Et quod sicut in publicis legibus quædam sint abrogata, & quædam immutata, quædam etiam superadiecta, ita & ex decretis Catholicorum pro tempore & ratione atque necessitate prolatis postea quædam abrogata vel immutata fuerunt, & de quibusdam formis Canonum. Et de eo quod sanctus Augustinus ad Bonifacium de pœnitentia scripsit, & de diuersitate constitutionum in prædictis Epistolis, vnde suam compilationem confecit. Et de sex generalibus Synodis. Et de nomine vniuersalitatis. Et quid de Canonibus Gallicanis Apostolica sedes senserit. Et de priuilegio ac clauibus regni cælorum beato Petro traditis, & in eo omni electorum ecclesia. Et de epistolis Iulii, & Felicis, & Sardicensi Concilio, & vnde opinio sit exorta plura quam XX. fuisse capitula in Nicæno Concilio facta.

XXI.

Qua ratione, quædam ex his, quæ in Apostolis antiquorum Apostolicæ sedis pontificum scripta inueniuntur, à successoribus eorum vsa non fuerint. Et quædam in decretis eorum posita, & à Conciliis inter Canones sacros inueniuntur adsumpta: & quod non nisi XX. capitula, quæ habemus in Nicæno Concilio fuerunt constituta.

XXII.

De quatuor capitulis à beato Gregorio in epistola ad Theoctistam patricium memoratis, de quibus quædam imposturans hic frater noster praue interpretatus est, sicut quondam & alii fecisse leguntur, vnde in generali Synodo reuicti & degradati fuerunt.

XXIII.

Quod Apostolica sedes partem noni capituli cum recapitulatione ipsius in cap. XVII. non recipiat, sicut beatus Leo Papa demonstrat.

XXIV.

Quod ea, quæ inde Apostolica sedes refutauit, quidam releuare ac restituere conati sint, allegantes quoniam Synodus Calcedonensis aut rata in totum tenebitur, aut in totum annullanda ducetur; & quod Apostolica sedes fidem Constantinopolitani Concilii temporibus Damasi Papæ, & Gratiani Principis celebrati recipiat, Canones autem ipsius Concilii non recipiat. Et quod Canones Calcedonensis Concilii, præter illud vnũ capitulum in xvij. recapitulatum, recipiat. Et de Canonibus qui dicuntur Apostolorum. Et de sententiis, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus, & Synodis Romanis atque decretis præsulum ac ducum Romanorum, collecta ab Adriano Papa, & Angelramno Metensium episcopo data. Et de præfatione Isidori in libro epistolarum. Et de eo

quod dicit hic frater noster, quia non ego solus sapio Canones: Et quia me reprehendit, quoniam dico, ante me cognouisse Canones quam ipse natus fuisset, & quia necessaria ea possit quaerere quam talia quae sibi ad suam intentionem non sunt pro futura. Et de scedula quam illi in Gundulfi villa per dominum Vuenilonem direxi. Et de eo quod dicit, si quis contra Romanorum pontificum decreta eloqui praesumpserit: & quod (sicut ipse dixit ordine praepostero) suam compilationem texuerit, & ego coactus sum anfractuosos vestigando mille vias, ut dicatur, explicare.

XXV.

Dan. 1. *Danielis explicatur sententia dicentis:* Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. *Et de eo quod B. Gelasius dicit in Catalogo, in quo descripsit, qui libri ab ecclesia Catholica recipiantur: & quam differentiam faciat inter sacra concilia, & memoratas epistolas pontificum Apostolicae sedis ad diuersos pro diuersorum consolatione datas. Et quod Apostolus de lege veteri dicit, & de ceremoniis ipsius legis veteris. Et quid sanctus Augustinus ex verbis Cypriani de consuetudine dicat, & quam differentiam in libris de baptismo demonstret inter epistolare colloquium, quo ista epistola Apostolicorum de quibus agitur, condita sunt, & regionalia ac plenariorum conciliorum: & inter priora, & posteriora concilia: & inter sacram scripturam, & episcoporum concilia. Et de mystica Nicaena Synodo. Et quid de conciliis in aliis libris suis beatus Augustinus dicat.*

XXVI.

Adiectio ex supererogatione ponitur, quid de conciliis beatus Augustinus ad Ianuarium dicat, & quid inde in edicto Iustiniani super quintam Synodum dicatur. Et quid de Antiochena Synodo beatus dicat Hilarius. Et quod de Nicaeno concilio nihil à Catholicis sit abrogatum vel immutatum. Et quid Apostolicae sedis pontifices de metropolitanis & suffraganeis episcopis decreuerunt: & quid beatus Ambrosius & Hilarius de priuilegio Nicaeni concilii dicant. Et quid inde passim Leo scripserit.

XXVII.

De eo quod hic frater noster dicit in metrica titulatione compilationis suae, responsum à vincto rite nec exiget. *Sed & de eo quod mihi per commissitios meos ad se directos mandauit, quia respondere de sibi mandatis non debuerit. Et quid de obedientia suffraganei erga metropolitanum sacri canones, & Apostolica sedes decreuerint.*

XXVIII.

De irregulari excommunicatione ab hoc fratre nostro intentata in ministros ecclesiasticos suae parrochiae. Et qui, ac qualiter ab episcopo excommunicari debeant. Et quia sicut duo sunt peccata, & duo genera peccatorum, & duo sunt aduentus Domini, vnus occultus, alter manifestus: ita & duo sint iudicia, vnum occultum, alterum manifestum, & duo iudicarii ordines, & qualiter ipsi duo ordines sint exequendi.

XXIX.

Quid sacri canones dicant de his qui à singulis episcopis prouincialibus pro incognitis causis primati prouinciae, & caeteris episcopis excommunicantur, quos ante cognitionem nullus debet praesumere ut eum communioni faciet. Et qualiter agendum sit erga eos quorum causa manifesta sunt & plurimis cognita, & irregulariter excommunicantur.

XXX.

Qua ratione & auctoritate per sacras regulas solui queant irregulariter in parrochia sua hic frater noster ligauit: & quia suae excommunicationes, non ecclesiasticae alligationes, sed commoti animi sui contra euangelicam veritatem & Apostolicam atque sacrarum regularum constitutionem maledictiones fuerunt: & quos sacri canones excommunicatos ab aliis recipi non prohibeant, vel quos recipi vetent: & quid beatus Gregorius de episcopali alligatione decreuerit: & quid inde sacri canones dicant: & quid leges, quas ecclesia recipit, de eo, qui iniuste excommunicauit, decernent: & quid ex eisdem legibus sedes Apostolica promulgauerit.

XXXI.

De eo quod paruulos, qui saepe discrimine mortis periclitantur, baptizari prohibuit.

XXXII.

De eo quod poenitentiam denegari, & viatico munere subueniri morientibus contra Nicaenos & Africanos canones, & decreta Syricii, & Innocentii, atque Caelestini, necnon & Leonis praecepit. Et de capitulo Caelestini in quo quiddam praetermisit. Et quid S. Gregorius de anathemate dixit in quemcumque, qui contra sacrum Nicaenum concilium & caetera veneranda concilia eas personas ligant quas ipsa soluunt, & eas soluunt quas ipsa ligant: & sacrum Nicaenum concilium dicit, vt generaliter omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam non denegari; *& beatus dicit Gregorius,* Quisquis aliud sapit anathema sit.

Cor. 15. l. 3 ep. 24

XXXIII.

De eo quod sepulturam mortuis, sicut in petitione à Laudunensi ecclesia mihi porrecta continetur, denegare coepit.

Cap. XXXIV.

Quia de certis & manifestis causis, quae in nullo nobis sunt dubia, vel obscura, de quibus diffinitiuas sententias, quae nulla possunt ratione conuelli, à sanctis patribus promulgatas habemus, Synodalem consultum, vel coepiscoporum nostrorum prouinciae nostrae consilium vel consensum non debeo expectare, nec a regulis praestitutis vlla aut negligentia, aut praesumptione discedere: nec etiam sedem Apostolicam inde requirendo inquietare, sed secundum ipsas diffinitiuas sententias, quae sunt praestituta, decernere, & ligare, vel soluere.

XXXV.

Quod quicumque Primates prouinciarum à Domino constituti, & Apostolica auctoritate confirmati sumus, sed & quique Catholici episcopi de certis & manifestis rebus, de quibus expressa iudicia, & irrefragabiliter atque inconuulse conseruandas diffinitiuas habemus sententias, secundum sacros canones, & decreta sedis Romanae pontificum, quaeque decernimus, & iudicamus, Apostolica sedes, & Catholica ecclesia Apostolorum fundamento fundata, ut in ordinandis coordinat, ita & in decernendis canonice condecernit, & in iudicandis coniudicat. Et quod firmatis legibus, non de eis, sed secundum ipsas sit iudicandum. Et quod sua irregulari subscriptione hic frater noster ligari non valeat quod secundum sacros canones, & decreta sedis Romanae Pontificum regulariter soluit. Et de his quos ex Lucio, & diuersis decessoribus, & praedecessoribus eius, qui ante sacrum Nicaenum concilium extiterunt, in suis compilationibus misit. Et quod non bene intelligit, ut nullus Metropolitanus absque caeterorum omnium prouincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas: & de differentia inter auditionem, & auditionem vel audientiam, & de differentia inter nominationem, & nominationem atque cognitionem, & item de differentia inter cognitionem, & agnitionem. Et quid sit columbas vendere? & quam graue periculum sit de impositione manus, qua Spiritus sanctus accipitur, munus quodcumque accipere.

XXXVI.

De eo quod me replicare cogit necessitas, quia si quod male admisit corrigere detrectassem, à praestitutis regulis negligentia discederem, à quibus praesumptione ipse discessit. Et de capitulo Papae Leonis. Et qualiter se habeat ipsius irregularis subscriptio, de qua per singula quid sentiendum sit, ex sacris scripturis, & traditione maiorum ponere me coegit necessitas. Et quia contra institutionem beati Hilarii illic litteram postulauit, vbi sensus conscientia non periclitabatur, & fecit subscribi quod salutare non est confiteri, si tamen sacro Nicaeno concilio, & Romanae Sedis Pontificum decretis post Nicaenum concilium habitis, & ex sacris canonibus promulgatis in aliquo est contrarium, quod ab eo & suis complicibus constat esse subscriptum.

XXXVII.

Monetur, ut contra Prophetam, & Apostolum non sit prudens apud semetipsum, & de discretione in pace tenenda.

XXXVIII.

Monetur, ut sacra scripturæ verba, sed & sacras regulas, sicut à sancto Spiritu, quo & sacra scriptura sunt condita, intelligat.

XXXIX.

Admonetur & obsecratur, ut removeat a me dolorem, à se periculum, & ab utrisque nostrum a pluribus illatum improperium.

XL.

De eo quod dicit, quoniam quicquid illi de suis hominibus, & de hominibus à Rege ad Laudunum directis, contrarii actum est. Et quod eum Rex commendavit, hoc meo instinctu, & consilio atque consensu patratum extiterit.

XLI.

Quod si inde me recognoscerem, quia prima salutis spes est confessio, deinde dilectio, non dimitterem quin inde salubrem indulgentia medicinam expeterem, non pro humano, sed pro divino timore, & fraterno amore.

XLII.

De auferendo à nobis ambobus opprobrio à multis inlato.

XLIII.

De eo quod audio, illum me apud multos infamare, quoniam sacras scripturas soleam detruncare, & ad meum sensum inflectere, quod illum egisse iam quater possum ostendere. Et de epistola à me illi directa de duobus à mea parrochia (quoniam de aliena erant Provincia) excommunicatis, quod satisfactionem de quibus reputabantur in mea parrochia agere contempserunt. Et de eo quod commemoratis dictis Anacleti, Victoris, Callisti, & Eleutheri, quæ ante Nicænum Concilium pro quorundam consolationibus (sicut dicit Gelasius) ad diversos suas Epistolas direxerunt, subiunxit, Ecce, pater, qui Canones recipiendi, venerandi, ac observandi habeantur. *Et quid de Canonibus Apostolicæ sedis Pontifices senserint. Et de eo quod posuit de prosecutione secundum leges accusatoris adversus accusatum: & de differentia inter admonitionem, & de accusatione vindicationem, & inter hoc quod dixi, si ita est, ut passim à multis & etiam publice in publicis placitis divulgatur: & quid de petitione porrecta senserit Apostolica sedes, sed & de auditione sine petitione vel accusatione, verum & de accusatione Episcopi aut cuiuslibet ordinis Clerici; & quod per mandatum nullus accuset, & apud quem Episcopus accusandus debeat accusari. Et quod sæpe dicta Epistola venerabiliter suscipienda sunt à sede Apostolica pro diversorum consolatione data, quas ipse Canones vocat: & Concilia à sanctis patribus instituta ad auctoritatem sunt custodienda & recipienda. Et quod verba obstrusa, & undecunque per glosulas collecta ad ostentationem suis dictis immiscet. Et de instructione quam ironice ex Bertrico mandavit. Et de hoc, quod mihi obiicit, se scisse atq; sensisse sæpius me audisse, ac falsa audita pro veris recepisse, atque tenuisse: & quia voluntarie audio verba mendacii, & detractoribus sum aurem libenter accommodo. Et quia sæpe illum verbis & scriptis secreto admonui, sicut & in hoc capitulo documentis sanctorum facio.*

XLIV.

Qualiter reddire valeat ad paternæ charitatis dulcedinem a me quondam sibi impensam. Et qui ordines, & distinctiones Episcoporum, ac sacros Canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, nec non & leges, quas Ecclesia probat & servat, præsumit convellere, seipsum ab universali ecclesia studet præcidere.

XLV.

Admonetur, ut reducat ad memoriam cum quanta benignitate in primis diebus, quando ad Episcopatum venit, à domno Rege suscipiebatur, & quanta dulcedine mea fruebatur, quanta unanimitate cum fratribus & coepiscopis nostris utebatur, cum quanto amore à Palatinis & ab aliis huius terræ hominibus colebatur, cum quanta amoris reverentia a sibi commissis, sed & à nostris & quibus, & cum quibus, & inter quos nutritus fuerat, venerabatur, qui nunc est omnibus in cantico tota die. Et quia dicit, se mihi nolle consentire, ut sedes Apostolica suam potestatem non habeat.

XLVI.

De eo quod dicitur per vanitatem iactitare, quoniam quæcumque incœpit, aut contra Regem, aut contra me, aut contra quoscumque suorum, sive clericos, sive laicos, qui contra suam voluntatem fecerunt, vel contra vicinos suos qui se contra eum erexerunt, totum ex parte maxima semper vicit, & quod restat evincet.

XLVII.

Et quia victum se dicere non dignabitur: & quæ ad instructionem suam & correctionem sibi scripta sunt, non ad ædificationem suscipiet, sed ad contentionem, ex verbis beati Gregorii tria illi proposui, peccatum scilicet, & causam peccati, ac pœnam peccati, qui etiam si negare volet admisisse convincetur: sed & alia tria ex verbis B. Augustini illi proponuntur, ut (sicut scriptum est) videat, & sciat, & recogitet, & intelligat pariter: & de differentia quam B. Augustinus in libro de baptismo ostendit inter idolum fabricatum atque adoratum, & incensionem Prophetici libri seu Regis contemptoris, & schisma attentatum: & de eo quod in sua perversa subscriptione misit, si aliquo sedis nolentes fieri socii huius disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. Et quia in sola Catholica unitate per hæresis vel schismata non divisa vera sunt ligamenta, ut vera sunt Sacramenta. Et quia spiritales etiam ab aliis iniuste eiecti non dividuntur ab Ecclesia, nisi seipsi dividant: & quid sacri Canones de seipsos dividentibus ab Ecclesia Presbyteris, diaconib. & Episcopis dicant. Et quod sicut in latrone in cruce conuerso monstratur, aliquando baptizati vicem passio implet: & de Cornelio cum suis ante baptisma Spiritum accipiente, & de baptismate Ioannis, & quia in latrone perfecta salus est, quoniam per pietatem spiritaliter ei adfuit quod per necessitatem corporaliter defuit, sicut & parvulis cum pro eis ab aliis respondetur, & non tantundem valeat si quis pro se valeat respondere. Et quod parvuli participatione corporis & sanguinis Christi ac beneficio non privantur, etiamsi antequam panem illum comedant & calicem bibant de hoc sæculo in unitate corporis Christi constituti abscedant, & quod Beatus Ambrosius de Valentiniano sine corporali baptismate obeunte dicat.

XLVIII.

Monetur, ut ex his diligenter attendat, quid illi sentiendum sit de parvulis sua iussione sine baptismate mortuis: & de his qui eius præceptione sine viatico mortui obierunt, & quid inde regula sacra dicant & quid sanctus Augustinus dicat de his qui nimis amant sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium perveniunt: & beati Cypriani pulchra laudatio, qui licet aliter de baptismo senserit quam debuerit, tamen ab unitate Ecclesiæ se per contumaciam non divisit. Et quod primatus non sit nisi in sancta conversatione & vita bona. Et quod in hæresi, vel schismate nec ligari aliquid possit nec solvi. Et quod Spiritus sanctus, qui in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, maiores nostri charitatem intelligi voluerunt, quam charitatem non habet, qui ab Ecclesiæ Catholicæ unitate se segregat. Et quod communio corporis & sanguinis Christi signum sit unitatis. Et quod qui schismatico assenserit schismaticum esse negari non poterit, & si de pane cœlesti gustat iudicium sibi manducat, & quod post revelationem factam qui in eo quod erraverat perseverat prudens & sciens, sine venia ignorantia peccat. Et sequitur consilium orthodoxorum qualiter ipse quod perperam egit, sed & ab illo traducti vel illecti se corrigant.

*f. consultationibus.

Cap. XLIX.

Admonetur, vt talentum intellectus, quod Dominus sibi gratuito dedit, non negligat.

L.

De eo quod dicitur à quibusdam, quia portare patienter non potest, vt ei à quoquam dicatur, quod quisquam sibi bonum aliquod sine suo merito exhibuerit.

LI.

De eo quod à multis dicitur, quia clericos & laicos sibi commissos in multis exenius per diuersas occasiones graues, vnde ex sanctorum verbis monetur, vt si verum est, à talibus resipiscat & de cætero caueat.

LII.

De eo quod à multis denotetur, quia superbia efferatur, & vana gloria iactitetur atque arrogantia superetur, vnde admonemur, vt se corrigat: & qui ad humilitatis exemplum positus est, locum detractionis non præbeat. Admonetur etiam de eo quod dicitur apud plurimos gloriari de fortitudine & agilitate sui corporis, & quia de præliis, atque (vt nostratium lingua dicitur) de vassaticis frequenter ac libenter sermonem solet habere, & qualiter ageret si laicus fuisset inreuerenter referre. Sed & alia quæ sibi non conueniunt dicere & agere, nec mihi enunciare.

LIII.

Et quoniam à multis reprehenditur de motibus corporis inordinatis, ex verbis sanctorum monetur qualiter illa caueat.

LIV.

Monetur, vt non se permittat decipi à flore iuuentutis & sanitate corporis & mundi inlecebris, habens semper ante mentis oculos quod hinc sanctus Spiritus dicit.

LV.

In conclusione horum omnium illi dicitur quod beatus Helias Spiritu sancto repletus ad Helisæum eodem Spiritu sancto replendum dixit: quod meum fui, feci tibi. *Qua conclusio epistolæ in oratione terminatur*, Vt quod nostris meritis non valemus, diuina gratia, *scilicet gratis data*, obtineamus.

TITVLATIO

METRICA COMPILATIONIS HINCMARI Laudunensis Episcopi ad Domnum Regem Carolum ficta.

Esse piratiolus plane depromit & apte
Sedem appellandam libere Apostolicã,
Quin appellantẽ haud vinclis artarier vllis,
Responsum à vincto rite nec exigier.
Archique Pontifici distinguit iusque modumque
Cum compræsulibus ceu teneat sobrius.
Sitque Pio Regi Carolo pax, vita, potestas,
Qui probus hæc cernens præ probitate probet,
Cui si surripitur humanis nisibus vllis
Cassando reiicit, res vbi certa redit:
Si sua mens adeo veri deferuet amore,
Recte frustrandum ne sinat esse ratum.
Namque animum seruat mitis sapientia fortem.
Præcunctis proprie quem redimit pietas.
O quam Rex fœlix, virtutum fortis amator,
Tam bene quem superat sola boni pietas.
At te, Christe, Deum noscens dum diligit vltro,
Quæ spernis spernit, quæ statuis statuit;
Se tibi committens in te tua verba veretur,
Nunc & in æternum tuque tuere tuum.

RESPONSIO.

Hoc tibi de titulo, iuuenis Hincmare Sacerdos,
Respondere mihi conuenit arte pari.
Ne tibi sis sapiens multum, quod cæcat homonem,
Collige de veris hæc tua ficta fore,
Sicut & ipsa tui primordia carminis esse
Clare demonstrant degeneri genere:
Namque pitariolum neutro dixere priores,
Et caput hoc languens cætera fluxa docet.
Quæ compilasti vario pro tempore & actu
Condita de verbis sedis Apostolicæ,
Conciliis certis præponens talia sensu,
Cui bonus interpres Spiritus almus abest.
Cor fugiens fictum, quod disciplina salubris
Non regit, atque simul quæ tua vota vomunt,
Congruit, vnde tibi sapiens, quod dixerat olim,
Non tenuem sensum venter obesus habet:
Et mens inflato sensu distenta videre
Noxia gesta nequit, quæ tamen ipsa gerit:
Hinc alios gestit semper clamare nocentes,
Seque putat mundam, si nitidos maculat.
At cor contritum Domino placabile munus
Dat mala cuncta sibi, dat bona cuncta Deo.
Tu fugiens culpam, culpam nihilominus addis,
Innocuos carpens, conscius vnde tibi
Moribus & factis turgens, vt corpore, corde,
Motibus atque nimis diceris ore leuis,
Viscera qui matris dum te gestaret in aluo
Rumpere non quisti, nunc laniare cupis,
Parta pie suboles donorum oblita parentis,
Quę te nutritam fecit honore sacram,
Non Rex vt dicis, surreptus nisibus vllis
De te reiecit quæ bene nota tenet.
Sæpius expertus quam sit laudatio fixa
Hæc tua, quæ variat tempore & ore simul.
Sed prudens animo pariter non omnia profert,
Qui discreta tenet tempora mente sua,
Et pardi pellem noscens te linquere nolle
Sustinet, vt propriis casibus ipse ruas.
Congeris & quædam tibimet quæ valde resistunt,
Teque magis pungunt, quæ tibi grata putas.
Multa quidem ex studiis à re dimissa videntur.
Quæ quia contemnis fraude doloque taces,
Imputus quædam falsasti, immittere mendas,
Non veritus, quoniam non tibi puta placent.
Nam sacra depromunt Canonum decreta patenter,
Iuraque confirmant sedis Apostolicæ,
Metropolitanum curam regionis habere,
Vt præsit solers ore, manuque sagax,
Ad quem concurrant quæcunque negotia iuris,
Cuncti poscentes, præminet ipse quidem
Regmine sub cuius constat prouincia tota,
Vt sanctis semper legibus aptet eam,
Rebus in obscuris, dubiis quoque certa requirat
Consilio fratrum, sicque tenenda legat.
Quæ scriptura tamen, sanctorum & dicta perennes
Leges duxerunt, nulla molesta ferant.
Cui quia subiicitur regionis Episcopus omnis,
Sit humilis humili, sit rigidus rigidis.
Corde manens, mitis, zelo sit feruidus, atque
Sollicitus seruet quæ Canones statuunt,
Ætates, causas, personas, tempus, & actus,
Et loca discernens, penset agenda simul,
Illius in cunctis semper moderamina fratres
Expectent, sicut regula sancta docet.
Vt pater, & fratres, charitatis nexibus, vnum
In Christo facti, schismata nulla fient.
Angelicæ sortes cœlo nam culmine præstant
Suppositis aliis ordine composito,
Vnde sacerdotum constat distinctio certa,
Et mundi populos ordo regit varius.
Plurima membra tua gestas in corpore toto

Quæ seruire vides officiis propriis:
Quapropter sensus, pompa fallente, superbos
Deprime sub Domini iussibus almificis,
Cuius non metuis postponere dicta tremenda,
Insuper ipsa tumens euacuare cupis,
Idque proculdubio nequam tibi Spiritus omne
Suggerit, & semper quæ sua sunt adhibet.
Qui Rex est horum quos cæca superbia vincit,
Cuius sunt facti sponte sua geniti.
Denique quod dicis depromptum rite vel apte
Sedem appellandam libere Apostolicam:
Quis hæc ignorat quæ tu te nosse fateris?
Aut tibi sunt soli cognita quæque Dei?
Nempe sacri Canones, nec non & Romula dicta:
Ac leges clamant, omnibus atque liquet,
Qualiter, & quando, atq; vbi, quis quoq; de quib. ipsā
Appellet sedem, non leuitate vaga,
Et quis, proque quibus sedem appellauerit illam,
Vinciri nullo debeat ab homine.
Et quis, proque quibus, proprius nudatus ad vlla
Non det responsum, cum fuerit monitus,
Indicat ipsa tibi manifeste regula sancta
Qualiter* is fieri debitus ordo queat.
Si leges scires Canonum, quas trames honorat,
Perspicue nosses quæ bene cuncta patent, *M.S. his*
Et tu conspiceres, nisi magna albugine plenus
Muleeter visus, hæc tibi nota fore:
Quæ tibi dum tribuis, iactas, & scire superbe,
Cordis inest oculo nox tenebrosa tuo.
Hinc etenim Domino panes offerre vetaris;
Tangere quinetiam iura ministerii:
Hanc auctore geris lapso de luce superbo,
Qui sublime quidem lætifer omne videt.
Hic te mirari monitat, quod perficis ipse,
Quod non est mirum, sed potius miserum,
At detestandum veri ratione tenoris,
Non attestandum prorsus vt illicitum.
Propter hoc autem tantum clamare videris
Securos aditus sedis Apostolicæ,
Vt quod valde libet valeas patrare licenter:
Non tamen omne licet, quod tibi forte libet;
At magis id certas, quia non vis ipse subesse
Vlli, seu possit regula iustitiæ;
Hinc imitans illum, qui nolli sponte subesse
Gestiuit, habens per mala quæque miser;
qui vitio proprio talis iam factus habetur,
Vt nullum timeat, nec mala post metuat:
Hunc & in hoc sequeris dum non resipiscere quicquā
A praue cœptis vel tibi sero placet,
Sicut & ipse nequit postquam super omnia sese
Extulit, & misere primus ad ima ruit.
Sed si forte animos vincas ad cuncta proteruos,
A quibus ex studio valde tenere tuo,
Confestim poteris secure vera tenere,
A quibus & nolens vinceris ipse modo.
Vtque duplex animo inconstans per cuncta viando
Lingua assentantis regia corda linis,
Quem contemnendo nosti te lædere crebro,
Non parens dicto legis Apostolicæ,
Quod demum sancti Canones seu publica iura,
Et quod hinc sedes sancit Apostolica,
Scilicet, vt subsit quævis prouincia sedi
Metropolitanæ semper vbique suæ.
Si vis, si non vis, firmum constabit in æuum,
Sic vere sanctus Spiritus instituit.
Vt tibi conscripta in parua diplomate misi
Remotum præsul Metropolita tuus:
Quæ mundus totus sequitur, venerantur, honorat,
Et reprobare nequis, si male forte velis.
Versibus inuersis, iuuenis Hincmare Sacerdos,
Reddita sume tuis fontibus hausta sacris.
In finibus propriis capiens, hinc septupla vates,
Vt poscit iuste de manibus Domini.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI OPUSCULUM LV. CAPITULORUM.

AD HINCMARUM LAUDUNENSEM EPISCOPUM.

HINCMARUS SANCTÆ METROPOLIS ECCLESIÆ RHEMORUM EPISCOPUS, *Hincmaro Laudunensi Coepiscopo nostro, salutem.*

Nuper quando transacto tempore (sicut tibi & aliis multis est cognitum) apud Gundulfi villam in obsequio domni nostri Regis cum plurimis Archiepiscopis, & Episcopis, ac cæteris fidelibus suis fuimus; quia me, sicut alij tui Priores ordine, & potiores ordinis dignitate, ac seniores ætate, consacerdote anostri, & venerabiles Archiepiscopi, atque Episcopi fecerunt; & te specialius oportuerat facere exiguitatem meam adire, mihique pacis osculum dare noluisti, nec etiam vllum verbum meum loqui dignatus fuisti, non dicam magnum, sed miserum multis spectaculum præbuisti. Qua de re, sicut mihi dixit venerabilis Archiepiscopus Vvenilo, tecum locutus interrogauit te, cur mecum debitam pacem non haberes, & debitam obsequij venerationem impendere detrectares? Vnde à te responsum accepit, quoniam si scripta, quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ, de à te intentata excommunicatione tuæ parrochiæ transmiseram, quæ ibidem tecum habebas, coram aliis incenderem, & annullanda dicerem, meque contra rationem fecisse profiterer, tunc mecum pacem habere velles. Dixit enim, te mihi mandasse, quia quod de illa excommunicatione fecisti, ego tibi insinuaui. Habes enim quandam villam in mea parrochia, & quia homines eiusdem villæ rogasti ad illam Ecclesiam dare illorum decimam, ad quam eam dare debebant, excommunicauerim illos, & habebas imbreuiatos quot infantes sine baptismate, & quot homines sine communione inde obierint, quæ mihi in publicum obiicere nolles, ne postea tibi improperatem, quod si alia mala de me scires, illa etiam diceres. Vnde tibi statim per eum remandaui, quia & inde, & quibuscumque velles, quæ tibi viderentur, obiiceres, sed de hac causa verum non diceres. Habeo enim scriptum peruersum à te collectum, & peruersius quæ collegisti interpretata, quod per manus Hadulfi Archipresbyteri tui accepi, sed & gesta, quæ de ipsa Ecclesia tu egisti, & qualiter, & quæ inde ego egi vera narratione conscripta & quandocumque velles, aut cum quibusdam fratribus & consacerdotibus nostris, aut si velles, in Synodo tibi ostenderem. Tacite autem in hac confessione tua, qua dixisti, quia quod de illa excommunicatione fecisti, ego tibi insinuaui; tria consideraui. Primum quidem, quoniam si ratio inter te, & clericos Laudunensis Ecclesię agitanda foret de petitione ex causis in ea continentibus ab eisdem mihi porrecta, verum esset an non veritate subnixa, nullam quęstionem deberet recipere, postquam tuę confessionis attestatione firmatur. Aliud vero, quia silentio suppressis bonis, quæ tibi insinuaui, atque insinuari feci, imputando mihi quod male tibi de hac excommunicatione, quam perpetrasti, insinuauerim, reum te confessus es, quia scienter male fecisti, ac per hoc secundum decreta Hilari Papæ, tuum contra regulas factum deberes ipse dissoluere,

dissoluere, quod si nolles, auctoritas Metropolitana illud deberet annihilare. Tertium, quia vt tecum me posses inlaqueare, si forte (vt adsolet improuisæ menti accidere) tibi statim hæc falsa de me reuerendo, imparatus & ira commotus non responderem, & te iactitare valeres, me in aliquo inde concedidisse, voluntarie tibi de tali confessione laqueum studuisti inducere, & pro bonis mala retribuens, non vt quondam proditorum primicerius simulando pacem osculo, quam non habebas in pectore; sed exerto linguæ gladio me aperte ac impudenter decreuisti impetere, & quasi me qualicumque patrono, ac benefactore, atque ordinatore tuo tradito, talis confessionis de tantis impietatibus laqueo te suspendere: sed benedictus Dominus qui secundum promissionem suam, qua dixit; *à flagello linguæ abscondere*. *Liberando animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa; adiuuit & consolatus est me*: mox telum falsitatis, scuto veritatis respondendo reieci: quæ animi dolore compunctus, non amaritudinis liuore stimulatus dico, sciens capiti ac Saluatori nostro mendaciter multa fuisse obiecta, sed & productos aduersus eum falsos testes fuisse, nam & Romanæ sedis Pontificibus Damaso, Sixto & Leoni III. verum & aliarum insignium Ecclesiarum præsulibus, Athanasio scilicet Alexandrino, Ioanni Constantinopolitano, Cæcilio Carthaginensi, sanctitate fidei & operationis; atque scientiæ doctrina præclaris, necnon & quamplurimis aliis venerandis Episcopis, ab hominibus inuidis, & eorum locum ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus, sed non habere meritum illorum studentibus, mortalia & nefaria crimina falso impacta, & vsque ad Ecclesiastica iudicia, & cognitionem publicam fuisse perducta legimus. Sunt enim huiusmodi operæ nequitiæ homines, qui, licet prius eorum mentes propria rodat inuidia, in hoc tamen suas tegere posse iniquitates putant, si alios infamia modo quolibet maculare curauerint, quorum criminationes iidem viri Sancti patientissime tolerauerunt, & constantissime adiuuante Domino reuicerunt; & horum (sicut scriptum est) intuens exitum conuersationis, fidem mihi necesse est imitari, & vsu compertus, & de te iam me prorsus expertus, quia freneticus sæpe sæpe nulli maiorem alapam dare solet quam ipsi medico qui eum curare volet. Sed & multum miratus sum, vbi sensum tuum habuisti, quando de tantæ auctoritatis & sapientiæ atque religionis viro (sicut domnus est Vvenilo) dixisti, & ad plurimorum Episcoporum notitiam peruenire fecisti, quod si in iudicio regulari dixeris, probare non poteris; præsertim tereum de hoc ipso confessus, & confitendo te talia egisse; quæ etsi non confiteris perpetrasse negare non posses, teipsum inlaqueasse videre non potuisti, cum leges quas probat Ecclesia dicant. *Sane hi, qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis, si dicere voluerint, a iudice non credantur: quia iure & legibus constitutum est, vt spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est.* Et item, *Non credendum est contra alios reum confessionis, qui in criminibus accusantur, nisi se prius probauerint innocentes, quia periculosa est, & admitti non debet, rei aduersum quemcumque professio.* Et Canones dicunt, *Vt ad accusationem non admittantur, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Et quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, & vnum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cætera iam non admittatur.* Et item Canones dicunt, *Vt ordinandis Episcopis vel clericis, prius ab ordinatoribus suis super placita Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteant*; Quæ à me tibi ordinando inculcata sunt, inter quæ habentur & illa, quibus & in hac inclita excommunicatione, & in contemptu obediendi coo so-

lum semel & secundo, sed & tertio, ex scripturis, & regulis sacris conscriptis admonitus, vt eam corrigeres obuiasti, cum scriptum sit, *Melior est obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere.* Sed & tu coram Rhemensi Ecclesia, in qua nutritus fuisti, & coram Ecclesia Laudunensi tibi committenda, sed & coram Episcopis qui adfuerunt, & coram legatis eorum Episcoporum, qui corporali præsentia defuerũt, post fidei confessionem, ea, quæ tibi inculcata erant & specialiter de obedientia tuæ metropoli atque tuo metropolitano regulariter exhibenda, te obseruaturum manu propria confirmasti: & quando tibi librum sacrorum canonum & regulam pastoralem beati Gregorii coram altare sanctæ Mariæ, in præsentia omnium qui adfuerunt, in manum misi, obtestans, vt ita quantum tibi Deus scire & posse daret, seruares in viuendo, docendo, & iudicando, sicut ibidem descriptum erat, & ipsos libros sub testimonio diuino, & prædictæ fidelium ecclesiæ susceptos, te ita obseruaturum consensione tua confirmasti. Vnde sacri Canones dicunt: *Si quis contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore priuabit.* Et sanctus Leo Papa ad Leonem Augustum scribit de sua erga leges consensione si contra illam fecerit. *Eis*, inquiens, *me vltroneum conditionibus subdo, quas me non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui.* Et canones Carthaginenses dicunt: *Quæ vel facta vel dicta superius comprehensa sunt, vel ab aliis Conciliis conscripta, quæ secundum legem inueniuntur, custodire nos oportet? Si quis vero statuta super gressus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, si laicus est, communione, si clericus, honore priuetur. Vniuersi dixerunt, placet, placet.*

Cap. I.

Cæterum, causa de ipsa capella, de qua mihi mandasti, hoc modo se habet: Nam & cum à longo tempore ipsa capella in Attolæcurte sita, subiecta fuerit ecclesiæ in Iuuiniaca villa (sicut infra ostendam) Berthatius præpositus tuus (vt dicebatur à plurimis, & etiam rei effectu claruit,) tua iussione ad eandem capellam venit, & decimam dari presbytero parrochiæ nostræ, cui commissa erat, & qui in ea ordinatus iam ante triginta annos fuerat, prohibuit; & sicut sibi visum fuit, eandem decimam dispertiri præcepit: insuper & scutiam ipsius presbyteri interclusit, & annonam de terris dominicatis collectam sine licentia ipsius presbyteri in ea misit, omnemque potestatem inde presbytero abstulit, antequam aliqua quæstio inde ad me, aut ad comministrum meum veniret: cum etiam, si aliquid inde rationis haberes, Canones Africani dicant: *Vt Episcopi quascumque ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram existimant pertinere, non ita repetierint, vt causas suas Episcopis iudicantibus agant, sed alio renitente irruerint, siue volentibus; siue volentibus plebibus, causa sua detrimentum patiantur*, & cętera quę ibidem sequuntur. Audiens autem quę hinc gesta fuerant frater & compresbyter noster Ausoldus, cui delegata est pars parrochię nostrę, in qua ipsa capella consistit, sępe inde ad Berthatium misit, sed nullam rationem regulis congruentem obtinere pręualuit: Vnde quia tunc in parrochia Rhemensi non eram, pręcepit vt in ipsa capella missa non celebraretur, antequam homines villæ ipsius suam decimam presbytero suo secundum antiquam consuetudinem darent. Si autem missam vellent audire, ad Ecclesiam, quę est in Iuuiniaca villa, pergerent: Nulli autem baptismus, vel communio est denegata, & quantum rescire veraciter potui, quod mihi mandasti: *quosdam infantes sine baptismate, & quosdam sine viatico muneri*

exisse de saeculo, non est verum. Nam, & si inde aliquid verum esset, quia sæpe per iode transitum habui, & ijdem homines frequenter ad confirmationem, ac prædicationem ad me venerunt, sine dubio inde aliqua reclamatio ad me veniret: postea etiam quando mihi ea, quæ præmisi, per præfatum venerabilem Archiepiscopum, mandasti diligenter inquirere, si inde aliquid verum esset, curaui: & per omnia, quod mihi mandasti, mendacium esse inueni. Ipsa quidem capella in villa quæ nominatur Attolæcurtis, quam (sicut fertur) Attola Episcopus Laudunensis ecclesiæ partem inde, quæ suæ proprietatis fuit, ad ipsam ecclesiam in qua fuerat ordinatus, donauit, excepto atriolo ad sepulturam, & excepta sellula mansellt ipsius capellæ, cum hortulo ex potestate sanctæ Mariæ Laudunensis ecclesiæ, non habet nisi de terra arabili bunouaria. * IIS. & de alia terra, quam Franci homines in eadem villa in suis proprietatibus commanentes dederunt, pro loco scripturæ ad ipsam capellam bunnuaria. * IVS. quæ in summa sunt de terra arabili bunouaria. VII nihil autem de vinea, nihilque de prato, vel quiddam de pascuali, sed & mancipium nullum habet: & sunt in eadem villula de potestate sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ mansi ingenuiles VIV. seruiles XI & ipsa capella à longo tempore vnita fuit. Ecclesiæ sitæ in Iuuiniaca villa, & parrochiæ illi subiecta (quia sine sylua, vel aqua, aut palude, aut spatij longinquitate, vel alicuius alterius interpositione impedimenti sunt contiguæ) tempore seniorum istorum, quorum subscripta sunt nomina, præter illos, quos commemorare non possumus, qui ambas illas villas per regium beneficium tenuerunt, videlicet tempore Remegaudi Comitis, Bertmundi Comitis, Bernardi, Odonis, Gibuini, Rotbardi, Godefridi, Angelboldi, Frederici, in quorum temporibus (præter eos quos commemorare non possumus) isti presbyteri easdem Ecclesias in simul habuerunt, Tergnimmus presbyter, Ermenricus presbyter, item Ermenricus presbyter; in qua Ecclesia sita in villa Iuuiniaca simul cum præfata capella, istum presbyterum, qui adhuc eas tenet, nomine Ermericum, Ebo, quando Bertmundus omnes easdem villas in simul per beneficium Imperatoris Hludouuici tenebat, quarto anno ante depositionem suam ordinauit; qui Ebo depositus fuit anno incarnationis dominicæ DCCCXXXV. & tempore præfatorum seniorum, qui Bertmundo in eadem villa successerunt, eandem capellam simul cum ecclesia tenuit, vsque dum Pardulus Episcopus apud istum dominum Karolum ipsa mansa impetrauit ecclesiæ Laudunensi restitui; & iste ipse Ermenricus, quamdiu Paudulus vixit, ipsam capellam ecclesiæ suæ subiectam sine vlla inquietudine tenuit, & hoc regulariter per presbyteros, quorum habemus nomina, approbatum fuit, inter quos, quidam Ratbramnus presbyter iam nonagenarius testatus est, quia ex quo sensum habuit quod hoc cognoscere potuisset, semper vidit presbyterum de Iouiniaca villa habere cum illa etiam ecclesia capellam de Attolæcurte, nec non & legaliter per Francos in eadem villa commanentes, sed & per vicinos circummanentes, etiam & per colonos quorum habemus nomina, hoc in tuorum missorum præsentia comprobatum fuit. Quod autem à quibusdam tuorum dicitur, quod ipsa capella antiquior sit quam ecclesia in Iuuiniaca villa, etiam si verum foret, tunc illi antiquitas sua suffragium adferret, si in antiquitate sua vsque ad tempora moderna persisteret. Nam Atrebatis, Viromandis, & Bononia, ex cuius territorio es natiuus, antiquiores sedes cum Episcopis propriis in Remorum Prouincia extiterunt, quam castrum Montis Lauduni inter sedes computaretur, in quo es ordinatus Episcopus: sed quoniam à longo tempore, certis euentuum ac necessitatum causis accidentibus, sicut & da pluribus ciuitatibus in quibusdam Prouinciis legimus, illæ aliis subiectæ ciuitatibus suum priuilegium perdiderunt quod non recuperant, & castrum Montis Lauduni conualuit: quia secundum leges, ac sacros Canones, atque decreta sedis Romanæ Pontificum, per id appellare, idque refragari non licet, quod legum tempus excludit.

II. semis. — IV. semis. (margin)

Cap. II.

Sed & tempore tuo nullam inde inquietudinem habuit, quo vsque te commouisti contra me, quia redarguere te præsumpsi, quoniam contra sacras Antiochenas regulas præcipientes, *vt præter me agere non debeas, secundum antiquam patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad tuam parrochiam pertinent, possessionesque subiectas*: sine mea vel coëpiscoporum nostrorum conscientia administrationem in palatio Domini Regis obtinuisti, sed & his, quæ inde de sacris regulis tibi legerem, contemptis, postea contra interdictum meum Canonicum, eandem administrationem Palatij readeptus fuisti contra Sardicenses Canones redarguentes passim Episcopos, *Qui Archiepiscopi sui salutaria consilia spernunt atque contemnunt, vt non solum ad comitatem multas & diuersas Ecclesiæ non profuturas perferunt causas, sed & dignitates sæculares & administrationes quærunt, sed & scandala excitant. Quicumque ergo preces habuerint, vel acceperint, per diaconum suum mittant, quia persona ministri inuidiosa non est, & quæ impetrauerit* (scilicet de pauperum, & viduarum, ac pupillorum causis, & Ecclesiæ suæ necessariis, vel profuturis) *celerius poterit referre: & hoc consequens esse videtur, vt de qualibet Prouincia Episcopi ad eum fratrem & coepiscopum preces mittant, qui in metropoli consistit, vt ille & diaconum eius & supplicationes destinet; tribuens commendatitias Epistolas pari ratione ad fratres & coepiscopos, qui illo tempore in his regionibus & vrbibus morantur, in quibus fælix & beatus Augustus rempublicam gubernat. Si vero Episcopus habet amicos in palatio, qui cupit aliquid, quod tamen honestum est, impetrare, non prohibetur per diaconum suum rogare ac significare his, quos scit benigna intercessione sibi absenti posse præstare. Scimus enim & ipsi sæpissime propter paucorum impudentiam, religiosum Sacerdotale nomen fuisse reprehensum. Si igitur aliquis contra omnium sententiam nisus voluerit ambitiosus magis placere, quam Deo: is debet scire, causis redditis, honorem dignitatemque se amissurum.* Et paulo post, *Si vero, vt superius memorauit sanctitas vestra, propter desideria & ambitiones ad comitatum pergit, neque in litteris eius subscribatur, neque in communione recipiatur: Si vobis placet, omnium sententia confirmari debet. Et vniuersi dixerunt, honestum esse, & placere sibi hanc constitutionem.* Sed & cum eadem administratione Palatii, Prælationem Monasterii in tertia Prouincia sine meo consensu, vel ipsius Episcopi, in cuius parrochia idem Monasterium erat, obtinuisti contra sacros Antiochenos Canones, qui dicunt etiam Metropolitano non licere, quod tu Prouincialis Episcopus præsumpsisti, *Nullus*, inquit, *Episcopus ex alia Prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministeriis aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli, nisi literis tam metropolitani, quam cæterorum, qui cum eo sunt, Episcoporum, rogatus aduenerit, & sic ad actionem ordinationis accedat. Si vero, nullo vocante, inordinate more deproperet super aliquibus ordinationibus, & Ecclesiasticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidem, quæ ab eo geruntur, existant: ipse vero incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à Sancto Concilio.* Attende intelligenter, quia sicut non tibi licuit in eodem monasterio

C. Ant. c. 9. — C. ad c. 1. — 11. c. 9. — Ibid. c. 9. — Ibid. c. 10. — C. Ant. c. 1. (margin)

quenquam irregulariter ordinare, ita & non licuit Ecclesiastica quæcumque negotia ad te non pertinentia inconsulte componere. De quibus negotiis à te ibidem inregulariter actis, per eos, quorum intererat, gesta, mihi, quæ habeo, fuere oblata, sicut tibi paterna dilectione innotescere studui; sed quia principalis potestas, te exaggerante, contra te admodum erat commota, ne super vulnerum dolorem tuorum adderem, inde agere satis omisi spe ac studio cautelæ ac correctionis tuæ, in reliquum excusationem rationabilem, ne inde satagerem proferens, quia gesta illa non constitutis pariter partibus, sed ex vna parte confecta fuerunt; & ideo secundum leges ac regulas exinde quæstionem agere & iudicium Synodale proferre non possem. Ad quod monasterium inregulariter adeptum in tertia Prouincia sine mea licentia, quotiens tibi placuit etiam inregulariter perrexisti, contra Hilarij Papæ decreta dicentis: *Illud non potuimus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter metropolitanorum suorum literas, aliqui ad quamlibet Prouinciam audeant proficisci; quod etiam in omni genere officij clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri*: Et sanctus Gregorius ad * Vincentium & cæteros Episcopos. *Hortamur*, inquit, *fraternitatem vestram, vt si quenquam vestrum pro causis propriis, vbicumque longius compulerit ambulare necessitas, à metropolitano vestro, secundum * inditam à Sanctis patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si (quod non optamus) contra eundem metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contingat, vt ob hoc sedis Apostolicæ iudicium requiratis; Nam iis qui petere festinant licentiam, quod scitis, per Canones, etiam antiquorum Patrum institutione habere permissum est.* In eodem denique Monasterio in tertia Prouincia sito, ad quod inregulariter (vt dixi) sine mea licentia, quotiens tibi placuit, perrexisti, diutius, contra Canones Sardicenses, immorans, & semel ac secundo litteris Canonicis euocatus ad ordinationem Episcopi in Ecclesia Cameracensi Prouinciæ nostræ pastore destituta (vnde Apostolica sedes, me suggerente, non modice laborauit) nec ipse venisti, nec pro te Vicariam personam (vt regulæ sacræ præcipiunt) ad me direxisti; vnde Symmachus Papa ad Eonium ex sacris Canonibus promulgauit; *Vt si quilibet Episcopus metropolitano Pontifici iuxta Canonum diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, nouerit succidendum se (quod non optamus) Ecclesiastica disciplina.* De persona autem pro te cum * tractoria & rationabili excusatione, si venire non potuisti, dirigenda, sacri Nicæni Canones dicunt. *Quia Episcopum conuenit maxime quidem ab omnibus; qui sunt in Prouincia, Episcopis ordinari: Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum conuenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur: firmitas autem eorum, quæ geruntur, per vnamquamque Prouinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.* Et Antiocheni Canones explanantes sententiam Nicæni Concilij dicunt: *Episcopus præter Synodum & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus coram posito, melius quidem est, vt omnes simul adsint eiusdem Prouinciæ Sacerdotes, quos Metropolitanus Episcopus aduocare debebit*; & reliqua, quæ sicut & præcedentia Nicænis concordant Canonibus. Et quoniam hunc conuentum Episcoporum, Antiocheni Canones explanantes (vt diximus) sententiam Nicæni Concilii, Synodum vocant, & perfectum esse Concilium dicunt, vbi interfuerit Metropolitanus Antistes, quo regulariter euocatus venire, aut pro te personam consensum tuum deferentem mittere, neglexisti: non te pertransire debet quia Prouinciæ Africæ Canones decreuerunt; *Vt Episcopus à Primate suo vocatus ad Synodum competenter occurrat: quod si non potuerit occurrere, nisi rationem impedimenti sui apud suum Primatem reddiderit, Ecclesiæ suæ communione debere esse contentum.* Et qui non fuerit concors circa Metropolitanam Ecclesiam, & circa Sacerdotale Concilium, sed inflatus, & ab hoc consortio separatus, putat propriæ plebi incubandum, & nonnunquam conuentus ad Concilium venire detrectat, circa hunc non tantum diœcesim non esse seruandam, verum & de propria Ecclesia, quæ illi male fauerit, omnimodo adnitendum, vt etiam auctoritate publica reiiciatur, atque ab ipsa principali cathedra remoueatur. Quia vero semel ac secundo, cæteris coëpiscopis nostris ad ordinationem secundum sacras regulas conuenientibus, & absentibus per scripta consentientibus, tu semel ac secundo regulariter conuocatus, venire vel regularem consensum tuum mittere detrectasti, secundum præfatos sacros Canones, prædictum Ecclesiæ Cameracensis regulariter electum cum his, qui conuenerant, vel per scripta consenserant, ordinauimus. *Si*, inquiunt, *communi cunctorum decreto rationabili, & secundum regulam Ecclesiasticam comprobato duo aut tres, propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum*: præsertim cum nec tuam contentionem audierimus, sicut nec consensionem habere meruimus. Vnde, quia fratres nostros non modice scandalizasti, adhibito mecum fratre Hodone venerabili Ecclesiæ Beluacensis Episcopo, te corripiens dixi tibi quantum inde incurreris, sed aliam recognitionem, vel satisfactionem à te recipere non potui, ostendens quia hinc te regulæ non modice succenseant; nisi quod indignatione plenus respondisti; *Non sumus adhuc*, inquiens, *adhoc*: Et post hanc & alias correctiones à me tibi litteris ac verbis adhibitas, in eadem contumacia permansisti, & hactenus permanes, qua & ante parrochianum meum Amalbertum contra regulas pro causa tibi incita excommunicasti, scilicet quia vxor illius, quam in tua parrochia legaliter obtinuit, & in meam parrochiam adduxit, post plures annos quam illam habuit, per mandatum cum apud te accusauit, quod cum illa non posset concumbere, cum leges diffiniant: *Vt neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest, nisi ingratum libertum patronus accuset, aut rei absentia defendatur.* Et item: *Obseruare iudices specialiter debent, vt in omnibus causis sententia, quæ deliberata fuerit, constitutis pariter partibus, recitetur, vt ab his, à quibus causa dicta est, ad integrum quæ dicta fuerit sententia cognoscatur.* Et regulæ dicunt, *Vt ad accusationem non admittantur, quos leges publicæ non admittunt.* Et hanc quoque inrationabilem excommunicationem à te factam, etiam scriptum contra rationem & auctoritatem, & non veritate subnixum, sed à te fabulose conscriptum, ostēdit, quod mihi inde dedisti: vnde etiam tertio tibi suasi, vt sententiam tuam contra regulas prolatam immutares, decernente Antiocheno Concilio, *Vt si episcopus, nullo vocante, inordinato more depreperet super aliquib. ordinationibus, & ecclesiasticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant: ipse vero incompositi motus sui, & inrationabilis audaciæ subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à sancto Concilio.* Non enim metropolitanus eras, vt sollicitudo totius prouinciæ ad te pertineret; sed quod tibi honestum fuerat, & præcipiunt regulæ, obtinere non potui donec placitū, te propter pacis charitatisq; custodiam, cōhibente, * in confinio parrochiarū nostrarū condixi, quo quidā ex coëpiscopis nostris, & multi ecclesiastici, & laicalis ordinis, ac nobiles, & mediocris cōditionis viri conuenerunt, vbi causa inrationabiliter & in honeste à te acta, regulariter atque legaliter diffinita

Marginalia: A; B; C; D; Cap. 41.; C. Nic. c. 6.; * Ed. Rom. Innocē. ... Id Rō... ; Can. 14. 15.; * Tractatoria.; C. Nic. c. 4.; C. Ant. c. 19.; C. Ant. c. 13.; * Conniuente

non solum mihi, & aliis Coëpiscopis ac confratribus nostris, verum etiam permultis laicis morigeratis maximam verecundiam de tuis verbis verecundosis, ac motibus incompositis, & clamoribus inconditis, contra bonum nomen, quod Apostolus iubet habere Episcopum, incussisti; quam turpis rei Episcopo indecentem historiam, pro dolor! multis nimium cognitam pudet me scribere.

1. Tim. c.3.

Cap. III.

Verum nec isti excessus tibi suffecerunt admittere, nisi etiam his alios superadderes, quæ non ad tuam (quod absit) damnationem, si non tu ipse in contumacia perseuerando exegeris, sed ad correctionem, sicut & sequentia dico. Cum enim Princeps Apostolorum beatus Petrus dicat, *Quæ est enim gratia, si peccantes & colaphizati suffertis, sed si benefacientes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum.* Causa iniuriarum tuarum meos, & aliorum Primatuum atque Episcoporum diuersarum prouinciarum parrochianos, non confessos, neque conuictos de aliquo crimine in parrochia tua vel alicubi admisso, sine meo, vel eorum, ad quorum curam pertinebant, consensu, contra diuinas & humanas leges anathematizare, & ab omni omnium Christianorum societate alienare præsumpsisti, vnde multos scandalizasti, & maximum scandalum non solum ecclesiæ, sed & Regi ac regno intulisti; cum lex prohibeat, *Vt per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras & manduces. Falcem*, inquit beatus Gregorius, *iudicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis spolia, & in ecclesiæ corpus monendo, & persuadendo, quasi mandendo conuerte.* Leges etiam seculi, quas probat ecclesia, & sacri Canones, atque decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificum, certa & fixa depromunt iudicia de his, qui aduersus ea per contumaciam pertinaciter agunt, sicut egisti.

1. Pet. c.2 — Deut. 23 — Greg. ep. 21. lib. 12 regist. ad 9 interrog. Augustini.

Cap. IV.

De aliis etiam, quæ mihi per supradictum venerabilem Archiepiscopum Vuanelonem mandasti, scilicet, quoniam si scripta, quæ tibi & ecclesiæ tibi commissæ, de à te intentata excommunicatione tuæ parrochiæ, transmisi, quæ ibidem tecum habebas, coram aliis incenderem, & annullanda dicerem, meque contra rationem & auctoritatem fecisse profiterer, mecum pacem habere velles; meditatus cum corde meo, satis apud me mirari non potui, vnde & quomodo hæc tibi in sensum venerint, vt talia mihi mandare posses. Nam diabolus loquens ad primos parentes nostros, sed & ad Redemptorem ac Saluatorem nostrum, non ex deiectione, sed prouectus & sublimitatis auaritia eos tentauit, tu supergressus (si dici fas est) diaboli malignitatem oblitus scriptum esse, *Qui malignantur exterminabuntur*, me stultissime nimis ex deiectione tentasti, sciens quia quæ tibi & ecclesiæ tibi commissæ in eisdem scriptis direxi, de euangelica veritate, & apostolica atque prophetica, necnon & Canonica auctoritate, sed & de Apostolicæ sedis constitutione, sicut acceperat eadem sancta sedes beatorum Apostolorum traditione, constant esse conscripta, Et sanctus Hieronymus ex sanctarum scripturarum auctoritate comprobat, *quia ignoratio scripturarum, ignoratio Christi est.* Et Apostolus: *Si quis ignorat, ignorabitur. Profecto*, inquit Gregorius, *hi, qui ea, quæ sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur*, & sanctarum scripturarum traditores & incensores inter sacrilegos computari debere, legimus. Si ergo illa, quæ de Euangelio, & Apostolis, atque Prophetis, necnon & sacris regulis Spiritu Dei conditis, sine admixtione alicuius hæreseos vel schismatis conscripsi; videlicet, mensuram tritici à comburendis paleis & zizania puri, reuera de horreo dominico in tempore tibi ac ecclesiæ tibi commissæ, & sollicitudini meæ subiectę prolata incenderem & vera negarem: sine dubio Christum, qui in eis prænuntiatus & ostensus est, & per quæ Christum cognouimus, quique illa locutus est, me nosse & in eum credere, ac per hoc me Christianum negarem, & si sacros Canones & decreta Catholicæ ecclesię incenderem & abdicarem, me proculdubio non solum ab episcopatu ipse deiicerem, verum & ab Ecclesia Catholica dimissum & alienum, id est, schismaticum & anathematizatum publicis & ecclesiasticis legibus efficerem, sicut sanctus Leo Papa scribens ad Leonem Augustum etiam de se dicit: *Si secundum Apostolum*, inquit, *quæ destruxi hæc adifico præuaricatorem me constituo; & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui.* Quapropter etsi me infirmum ac fragilem atque imbecillem, vt reuera sum, adeo æstimasti, vt minis vel promissionum blanditiis ad hæc agenda trahi vel inuitari valerem; non tamen Episcopus dubitare debueras verum esse quod ab eo, qui perficit in infirmitate virtutem, ore veridico promittitur: *Dominus*, inquit, *dabit verbum euangelizantibus virtutem multam.* Verumtamen quia sicut legimus; *In discendo mora nulla est, vbi Spiritus sanctus doctor adest*, ipso inspirante, qui dicit; *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarii vestri.* Non meo merito, sed gratia sua dedit mihi Dominus subito recogitare, quia scriptum est, *tempus tacendi, & tempus loquendi.* Et quod prænoscens æquanimiter te portare non posse ab aliquo reprehendi vel argui, & non audens authenticæ scripturæ verba mutare, ne me ipsius notes falsarium, ratione coactus (cum venia sacerdotalis reuerentiæ dicam, *ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis; & responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*) distuli tibi quæ tunc poteram respondere, & de his, quæ mihi mandasti, tibi mox remandaui, vt quoniam confratribus nostris, quibus ea ostendisti, audieram te contra me, & contra eadem scripta quædam collegisse, & etiam cuidam scripto te subscripsisse, & à Canonicis Ecclesiæ Laudunensis, & postea à presbyteris tuæ parochiæ contra me, & contra eadem scripta subscribi fecisse: sed & te dicere, quia ipsa scripta, quæ ego tibi, & Ecclesiæ Laudunensi de præfata excommunicatione à te facta direxeram, membratim dissoluisse, & secundum sanctarum tramitem scripturarum, traditionemque maiorum, nullius esse auctoritatis vel rationis monstrasse coram tantis & talibus de confratribus & coëpiscopis nostris, qui ibi aderant, quos & quantos tu eligeres, eadem scripta, quæ ego tibi, & Laudunensi ecclesiæ pro ratione prædicta transmiseram ostenderentur. Sed & tu ea, quæ collegeras, verum & illa, quibus subscripseras, & subscribi feceras, nec non & illa, per quæ, scripta à me directa te dissoluisse dicebas, in medium nostri deportares, & legerentur per ordinem, & quicquid tunc ibi à præfatis fratribus & coepiscopis nostris iuste & rationabiliter secundum sacram auctoritatem, & Catholicæ fidei conuenientiam inuentum & decretum, & inter nos conuentum foret, voluntarie sequerer, & pacem quam tecum in corde habebam, & exterius, si velles, eam tibi non denegarem, & à te mihi oblatam susciperem, & tibi dilectionem sinceram, vt fratri & filio exhiberem. Ad quam meam responsionem tibi referendam, iisdem venerabilis Archiepiscopus Vuenilo domnum Aduentium gloriosum Pontificem, qui vna cum eo meam res-

Psal. 36. — proœm. in Isaiā. — 1 Cor. 14 — Psal. — Prou.

ponsionem audierat, ite poposcit, quod & isdem venerabilis Episcopus libentissime egit; & post communem collocutionem vestram, detulit mihi ex tua parte venerabilis Archiepiscopus Vvenilo quosdam quaterniunculos sibi à te in præsentia mea datos, & versibus ad domnum nostrum Regem Carolum titulatos; & dixit mihi, te sibi respondisse, quoniam illa alia scripta, quæ tequircbam, te ibi non habere, & propterea illa mihi non mitteres. Ego autem ipsos quaterniunculos, ad mansionem nostram iam vesperi veniens, lectione citissima perlustraui, de quibus tibi in crastina in scedula breui respondi, quam tibi per præfatum venerabilem Archiepiscopum Vvenilonem transmisi, per quem mihi eosdem quaterniunculos miseras, quos secundum auctoritatem ac morem, vt prouincialis Episcopus suo Archiepiscopo facere debet & solet, offerre non voluisti, & (velut quibusdam visum fuit) dedignatus fuisti. Ego autem præfatam scedulam ideo per meipsum tibi non dandam, sed per eum, per quem mihi sæpefatos quaterniunculos miseras, dirigendam necessario duxi, ne, si de mea manu ipsam scedulam recipere refutares, maliuolis (si forte aliqui aderant) plausus excitaretur, & beneuolis (qui plurimi aderant) dolor incuteretur. Expectaui autem postea vsque modo, vt mihi illa scripta, quæ tunc apud te non habere mandaueras mitteres; sed quoniam illa hactenus non misisti, dignum ceusui, vt à te mihi ea mitti reposcerem: & idcirco has literas exiguitatis meæ tuæ fraternitati dono, petens vt ipsa scripta mihi per teipsum tribuas, & ne diutius differas, quatenus illis inspectis, salua fide & auctoritate, inde simul sequamur quod Catholicæ & fraternæ paci atque dilectioni conuenire dignoscitur, sequentes Apostolum dicentem: [Hebr. 12] *pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. Ipse enim frater nosti dicere veritatem, quia [Ioan. 3] *omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta*. Propterea sicut (licet non regulariter) ostendisti mihi quæ collegisti ex Apostolicæ sedis Pontificum Epistolis, vnde tibi succincte respondi, si necesse foret, latius responsurus: ostende etiam scriptum cui subscripsisti, & subscribi fecisti, sed & illa per quæ te dissoluisse dicis scripta à me tibi, & ecclesiæ tuæ directa, vt manifestum sit, cum ad lucem venerint, si in Deo sint facta. Ego autem quæ tibi, & Ecclesiæ tibi commissæ scripsi de præfata excommunicatione à te facta: primum quidem ad te illa direxi, quæ non ex me illa scripsi, sciens dictum, [Ioan. 7] *qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit*: per me autem ex Euangelica veritate, & Apostolica atque Prophetica auctoritate, sed & Apostolicæ sedis, & sanctorum Conciliorum constitutionibus illa scripta & à me tibi, & ecclesiæ tibi commissæ directa non denego, sciens dictum à Domino: [Ezech. 3. Psal. 39] *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me, ea propter iustitiam eius non abscondo in corde meo, veritatem eius & salutare suum dixi. Non abscondi misericordiam eius & veritatem eius à concilio multo, vt non elonget à me miserationes suas, sed misericordia & veritas eius susceperunt me*. Sed quia vt homo, & in multis diuini sensus ignarus errare possum, quod in hac causa me adhuc fecisse non concredo; si mihi rationem, & auctoritatem ostenderis secundum sanctarum scripturarum tramitem, traditionemque Catholicorum patrum, quam hinc debeam sequi, debitum assensum præbere non abnuo, qui etiam à minoribus meis corrigi, & eorum bene dicta sequi non renuo, quia sæpe iuniori Dominus reuelat quod melius est, & Apostolus dicit: *si alii reuelatum fuerit, sedenti, prior taceat*. Venerandum quippe, ac cum omni deuotione imitandum teneo quod beatum Gregorium dixisse lego: [1. Cor. 14; lib. 7. ep. 63. ind. 2] *Ego, inquit, & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum: stultus est enim qui in eo se primum existimat, vt bona, quæ viderit, discere contemnat*.

Cap. V.

Denique dictum est mihi, quoniam apud plurimos glorieris, quia mihi potes resistere, & me audes contemnere, sicut de iuuene iactantiæ vento repleto legitur, qui Ephesi domum Dianæ incendit, & interrogatus, cur hoc egerit? respondit, vt quia bonis non poterat, vel malis innotesceret. Ad hanc gloriationem tuam respondeo tibi ex verbis Apostoli: [1. Cor. 5] *Frater non bona gloriatio tua*. Quid enim quantum sibi à potentia superna permittitur, non potest homo temporali potestate suffultus? [Luc. 18. Philip. 4] *qui Deum non timet, & hominem non reueretur*. Nam & nos aliquid possumus, sed vtinam semper in Deo possimus qui nos confortat. Et [Rom. 13] quoniam *non est potestas nisi à Deo*; discernendum est in potestate, quid nobis Deus concedat propitius, & quid permittat iratus, vt concessa cum timore & tremore humiliter exequamur & permissa in nostri perniciem non abutamur, & [2. Cor. 10] *qui gloriatur* in potestate, *in Domino* sicut & in aliis *glorietur*, atque iuxta dictum [Boet. de cons. Phil. l. 3. met. 5] Sapientis: *Qui se volet esse potentem, animos domet ille feroces*. Quia [Mat. 5] *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, [Rom. 13] æternæ scilicet hæreditatis. Si enim gloriaris, quia mihi potes resistere, time, quia in quo contra regulas sacras resistis, *Dei ordinationi resistis*, qui per sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, me tibi præposuit, & te mihi supposuit. Et si gloriaris, quia me audes contemnere, time, quoniam illum, qui suo vitio factus est, vt nullum timeret (& specialiter in illo filio perditionis, qui Antichristus dicitur, operabitur) imitaris: *& nunc*, (inquit Ioannes Apostolus) *Antichristi multi sunt*. Et vt [1 Ioan. 2. Sap. 2] item scriptum est: *Imitantur illum qui sunt ex parte ipsius*. Vnde si gloriaris quia contra me tumes, meque tumendo contemnis, ac per hoc [Rom. 13] *Dei ordinationi resistis*, quoniam [Iacob. 4] *humilibus*, quibus *Deus dat gratiam*; & pro veritate loquentibus, & his, qui contra veritatem se erigunt, resistentibus, aperitur cœlum, vel occulta nobis, vel manifesta diuina operatione, sicut de beato Stephano legimus: [Act. 7. Iacob. 4] *superbis* autem quibus *Deus resistit*, & Dei ordinationi resistentibus, contraque maiores suos tumentibus, vel occulta nobis, vel manifesta diuina operatione, infernus aperitur, sicut de Chore, Dathan, & Abiron legimus quos, dehiscente sub pedibus eorum terra, infernus absorbuit. Dementia quoque tua (sic enim vocatur à plurimis) per ora multorum volitat dicentium, te quasi mente captum dulleminare, quoniam si de aliqua causa te in Synodo compellauero, si visum tibi non fuerit, mihi non respondebis, pro eo quod iam duo mea iudicia à sede Apostolica sint cassata. Vnde tibi breuiter, potius significando, quam plenam rationem reddendo, ceusui respondere, donec aut ipse mihi hoc dicas in Synodo, aut quod nudo sermone diceris susurrare, allegatum scripto deliberes (quod non æstimo) intimare. Nam, vt scriptura dicit: [Prou. 19] *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus*: habeo hinc paratas iudiciales sententias, malleorum vice, socordiæ tuæ stultitiam percutientes, si ratio postulauerit, in medium proferendas, & velut item scriptum est: [Prou. 26] *Sicut spina in manu temulenti, ita in ore stulti parabola*: quia temulentus spinam in manu gestans prius seipsum vulnerat; ita & tu, si hæc dicis, non me tantum, sed & plurimos plurimarum prouinciarum Episcopos, immo & teipsum, quod non denegas, quia & denegare non potes, comparticipem in omnibus iudicio nostro mendaciter impetis, non

videns quo te laqueo strangules, quoniam iudicium nostrum à maioris auctoritatis iudice immutati, noo autem aliter cassari, Canonice poterat, si contra regulas inimico animo, vel aliqoa cupiditate, aut gratia depeauatum nobiscum te iudicasse confiteris; decerneote Afeicano Coocilio de Episcopo, *qui se dixerit mentiendo eoe communicasse, quos eo se sente non communicasse constiterit, etiam Episcopatum amittat.* [C. Aph. c. 91.] Quia vero apud se humilis & discretus, sciens scriptum: *Tempus tacendi, & tempus loquendi,* [Eccl. c. 3.] *gloriatur in Domino*, dicens: *Dedit mihi Dominus linguam eruditam*, vt sciam in tempore proferre sermionem, [1. Cor. 1. Esai. 50.] succincte tibi respoodeo, quia nostrum iudieium per regulas executum sedes Apostolica non cassauit, sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter posceoti, quoniam legati oostri, qui causam eius examinauimus, cum litteris, sicut præcipiuot Canonea, prius oon venerunt, elusas transire prohibiti, quam ab eo, sed & ab alua plurimis suggestiooem inde susciperet, sicut suo sapieotissimo consilio iudicauit, solatii benignitatem impendit: *Quoniam vniuersa,* ioquit Leo Papa, *via Domini misericordia & veritas:* [Psal. 24] *Cogimur secundum sedis Apostolica pietatem, ita nostram temperare sententiam, vt trutinato pondere delictorum, qua constant non vnius esse mensura, quadam diffiniamus vtcumque toleranda, quadam vero penitus amputanda: & remissio peccati non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, amplius patiemur impune committi.* Et oostra vnanimitas (vt par est, & regulæ præcipiunt) venerabiliter ac humiliter præcelleotis auctoritatis decretum Apostolicæ sedis, *cui* (vt Innoceotius scribit) *in omnibus causis debet reuerentia custodiri;* & ad quam de maioribus causis, si fuerint in medium deuolutæ, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post iudicium Episcopale debet referri, sicut & scribentes, Bonifacius ad Gallicanos, & Leo ad Anastasium, & ad Mauros Episcopos, decreuerunt: *Sine vlla contentione vel resultatione suscepit, quoniam sic & Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit:* Quoniam quidem sacra & mystica Nicæoa Synodus (cui cessit in decretis Syoodalibus omnis antiquitas, & quam in fidei diffinitione, vel legum latione conuellere noo præsumpsit Catholica vlla posteritas) suggerente sibi sancto Spiritu, censuit. *Vt secundum antiquam consuetudinem, Alexandrinus Episcopus suorum omnium habeat potestatem, quia & Episcopo Romano parilis mos est: similiter & apud Antiochiam, cæterasque Prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis:* [C. Nic. cap. 6.] Et inde sequentes sancti Canones, & in decretis suis Romanæ sedis Pontifices promulgauerunt; *Vt vnaquaque Prouincia suo metropolitano contenta sit, nec vsurpationi locus alieni Sacerdoti in alterius concedatur iniuria, sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus; alter in alterius Prouincia nihil præsumat; sed metropolitani sui vnaquaque Prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.* [Cælest. ep. 2. c. 4. Bonif. ep. 3.] *Et quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem Prouincia ipsius accusationem deferat accusator, & accusatus die statuta litteris regulariter euocatus præsens (si confidit) ad obiecta respondeat. Sed & si qua causa vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exorta, congregatis eiusdem Prouincia Episcopis, iurgium terminetur, nec alicui liceat relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias.* [C. Carth. c. 19. Bonif. ep. 2. Inno. ep. decret. c. 10.] Eodem sancto Spiritu inspirante, quo & præmissa diuersis oribus, diuersisque temporibus decreta suot, venerandum Sardicense Concilium statoit: *Vt si in aliqua Prouincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, ne vnus è duobus ex alia Prouincia aduocet Episcopum cognitorem. Quod si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum Concilium renouetur, sancti Petri Apostoli* [C. Sard. cap. 3.] (cui, [Mat. 16.] ob robur solidissimæ fidei, Christus Petra à se oomen Petro indidit, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, scilicet rectæ fidei, quam patre tibi reuelante coofessus es, *Ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, videlicet *Pasce oues meas*) [Luc.] [Ioan 21] memoriam honorari constituit: *Vt scribatur ab his qui causam examinarunt Romano Episcopo, etsi iudicauerit renouandum esse iudicium renouetur, & det iudices: si autem probauerit talem esse causam, vt non refricentur qua acta sunt, qua decreuerint confirmata erunt. Et cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur; & proclamauerit agendum sibi negotium in vrbe Roma, alter Episcopus in eiusdem Cathedra, post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.* [Ib. c. 4]

Iustum namque ac ratione plenissimum Sardicense vidit Concilium, vt quia secundum Nicænos Canones, vnaquæque Prouiocia suo metropolitano debet esse contenta, nec vsurpationi locus alicui sacerdoti in alteriua coocedituir iniuria, oeque vt alter in alterius Prouincia quiddam præsumat. Sed vnaquæque Prouincia metropolitani sui in omnibus rebus ordinationem semper expectet; ne iudicatus in Prouinciali iudicio quilibet innocens damnetur Episcopus, si necesse illi fuerit, Apostolicam beati Petri sedem appellet, & cum appellatiooe sua ad successorem illius confugiat, vt ipse de Prouincialium metropolitanarum sedium, atque Episcoporum iudiciis, misericors & iustum decernat iudicium, quia in illius Primatu ipse beatus Petrus cunctorum onera portat, cuius Principatus auctoritate mediator Dei & hominum homo Christus Iesus sedem Romanam super omnes sedes sublimauit, Alexandrinam decorauit, Antiochenam confirmauit; & per cæteras Prouincias priuilegia suis Ecclesiis conseruari ac corroborari decreuit: ordinem autem exequendi iudicij de appellante Episcopo idem Concilium explanat diceos: *Placuit vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romana ecclesia, & voluerit se audiri; Si iustum putauerit vt renouetur examen, scribere his episcopis dignetur qui in finitima & propinqua Prouincia sunt; vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis diffiniant. Quod si is, qui rogat causam suam audiri iterum, deprecatione sua mouerit episcopum Romanum, vt è latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi quid velit, & quid æstimet: & si decreuerit mittendos esse qui præsentes cum episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio iudicauerit.* [C. 7.] Lege Epistolam ipsius Sardicensis Coocilij ad omnes vsquam Episcopoa, & iouenies hoc modo Athanasium Alexandrinum, & Paulum Constantinopolitanum, sed & alios Apostolicæ sedis auctoritate in eadem Synodo absolutos ac restitutos. Lege decretalem Epistolam Leonis ad Episcopoa per Cæsarieosem Mauritaniam constitutoa, & iooeoiea Lupicinum secundum huius Syoodi tenorem io Prouincia iussum audiri, cum ratiooe reddita quare communionem ante auditiooem meruerat: [Leo. ep. 1] Et oon præiudicatis Apostolicæ sedis statutis, nec prædecessorum suorum, suisque decretis, Donatū Saiacensem coouersum directæ fidei libello gregi Dominico præsedisse, Maximum etiam ex laico reprehensibiliter ordinatum, similiter dato libello ab Episcopali (quam quoquomodo adeptus fuerat) dignitate noo repelli. Aggari denique & Tyberiani causam, qui per tumultus & sedioones dicebantur ordinari, Prouincialium Episcoporum iudicio

commissam fuisse, & ad Apostolicam sedem statuta referenda, præceptum fuisse inuenies, & si quæ causæ emerserint, quæ ad statum Ecclesiarum, & ad concordiam pertineant Sacerdotum, in Prouincia sub timore Domini ventilari; & de compositis ac componendis omnibus ad sedem Apostolicam plenissimam relationem mitti, vt ea quæ iuxta Ecclesiasticum morem iuste & rationabiliter fuerint diffinita, ipsius sententia roborentur. Sed & de altero Maximo à Sancto Bonifacio decretum inuenies; *intra Prouinciam esse debere iudicium, & congregari Synodum, vt si adesse voluerit præsens, si confidit, ad obiecta respondeat, si adesse negligeret, dilationem sententia de absentia non lucraretur:* Et quicquid de eo Prouinciales Episcopi ducerent decernendum, ad Apostolicam sedem referrent, vt eius auctoritate firmaretur. In decretis quoque Innocentij, Fotinum, de quo sedi Apostolicæ, per falsum rumorem subreptum & elicitum, per insidias dicebatur, quia causa ad salutem redierat, inuenies restitutum. Sed à Felice Papa, non per subreptionem, sed per rationem damnatum Misenum, suscepto ab eo libello pœnitentiæ, legimus à beato Gelasio absolutum. In regesto nihilominus beati Gregorij in Epistola ad Maximum, manifesta lectione reperies dicere. *Nullomodo posse ordinationem, qua ab excommunicate in excommunicato est acta.* Et in Epistola ad Columbum, oblata sibi petitione à diaconibus Ecclesiæ Pudentianæ jussis in Numidia Prouincia cum misso suo vniuersale Concilium congregari, & Maximianum Episcopum regulariter conuictum deponi, *Et si accusatores pro sua culpa feriendi ferent pro eo quod se Romam fatigauerunt, nomenis esse parcendum.* Et in Epistola ad Ioannem Syracusanum, *Lucillum Melitanæ ciuitatis Episcopum, adhibitis secum tribus, vel quatuor coepiscopis, vt ipsis præsentibus, satisfacta veritate, debere deponi, & alter in eius loco præcipitur eligi:* Quia vt ipse beatus Gregorius ad Neapolitanos scribit: *Canonicis est regulis constitutum, vt defuncto, vel sublato pastore, Ecclesia diu Sacerdote priuari non debeat.* Et in Epistola ad Natalem Salonitanum Archiepiscopum; sed & in Epistola ad Antoninum subdiaconum, habes, vt Florentium Episcopum à quibusdam in criminalibus causis accusatum, & nullis Canonicis probationibus exquisitis, nec Sacerdotalis concilii proueniente iudicio, à sui eum honoris officio, non iure, sed potestate depositum: quia non potest quisquam Episcopatus gradu, nisi iustis ex causis, concors Sacerdotum submouere sententia, eundem Florentium Episcopum ab exilio, quo erat retrusus, debere eijci, & causam eius Episcopali disceptatione perquiri: & si in his, in quibus accusatus fuerat, Canonica foret probatione conuictus, Canonica proculdubio vltione plectendum: Et præfati Archiepiscopi in eum proprium robur obtinere debere sententiam; sin autem generali iudicio fuisset absolutus, nullius deinceps præiudicio subiaceret, & suæ res sibi restituerentur. Et in Epistola ad Ioannem Primæ Iustinianę Archiepiscopum, de Paulo Diadinæ ciuitatis Episcopo inuenies, vt qui post depositionem suam, inuerecunde, ac mente peruersa, de Episcopato loqui est ausus, & rursus ad hoc adspirare præsumpsit, vt dominici corporis & sanguinis communione priuatus, in monasterio vsque ad diem sui obitus deberet retrudi, viatico tantum munere redonatus. Lege quoque decreta Gelasij, & inuenies eum commemorare quæ longe ante sua tempora constiterunt, de Athanasio, de Ioanne Constantinopolitano, atque Flauiano, eandem primam sedem egisse; sicut & de multis aliis in documentis certissimis reperimus. Lege etiam qualiter Athanasius in Synodo Hierosolymitana, sed & in Alexandrina suæ absolutionis, ac restitutionis auctoritatem à sede Apostolica sumptam, & in Sardicensi Synodo execntam relegit, & vnanimitatem fraternitatis quæsiuit, sicut

& in nostra Synodo de fratre & consacerdote nostro (de quo agitur) factum fuit: sicut & de Redemptore nostro in Ezechiele Propheta legimus, Apostolica sedes funiculum in manu tenens, diuinæ dispositionis intuitu; alterum intra mensuram electorum misericordia adsciscit, & alterum iudicio foras relinquit: vt & Redemptor noster, dum alios à suis iniquitatibus abstrahit, & alios in sua iniquitate derelinquit, alibi funiculum trahit, & aliunde retrahit, & huc ducit quem aliunde subducit: quoniam in eadem sede, Dominus, velut in throno suo præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter, vt videlicet de sede sua, dispensat. Verum sicut nos ipsius Apostolicæ sedis præstantiam fuimus amplexi, ita & ipsa sedes Apostolica scripto sacrorum Canonum auctoritatem nobis rependit, & benignitatem paternitatis exhibuit, velut Concilium Carthaginense decreuit: *Placuit,* inquiens, *vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia deprauati. Sane si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciore numero quam constitutum est,* scilicet in superiori capitulo, *non liceat prouocari.* Quapropter quoniam benignitas Apostolicæ sedis nos inimico animo, vel aliqua cupiditate, aut gratia deprauatos iudicasse non inuenit, neque succensere decreuit; & sicut Sanctæ memoriæ domno Papæ Nicolao literis nostris communiter intimauimus, causa huius sententiæ, in loco fratris nostri ordinatus decessit, ad se confugienti suæ auctoritatis manum porrexit, & quod sapientissimo suo consilio iudicauit, exequi procurauit, & nobis executa seruare mandauit, cuius præceptionem nostra humilitas, vt dignum fuit, obedienter suscepit. Quis enim cum Christo, qui est pax nostra, & soluto medio pariete, fecit vtraque vnum, pacem habere desiderans, non amplectatur quod Apostolus: *Solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis?* Quod ab Apostolo recte dictum, tu in quadam præsumptuosa subscriptione tua incongrue posuisti. Quis Ecclesiæ Catholicæ filius non potissime desiderat fratris correctionem, atque erectionem, & non doleat deiectionem? Quis non totis præcordiis congaudeat in omni Christiano, maxime autem in ministerij collega, benignissimis Euangelicis sententiis piissimi Domini ore prolatis? *Oportet & te,* inquit, *fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est;* Et quod sanato dicit: *Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et *vade in domum tuam, & adnuncia quanta tibi fecerit Dominus.* De altero autem quasi meo iudicio, quod dicere diceris ex Vulfado, & eius collegis, cassato à sede Apostolica, sentiri potest quod Salomon dicit: *Qui,* inquiens, *quod nouit loquitur, index iustitiæ est; qui autem mentitur, testis est & fraudulentus* Et item, *Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* Et vt ostendit Apostolus: *His qui charitatis veritatem non recipiunt, immittit illis Deus,* scilicet ex retributione iustitiæ, *operationem erroris, vt credant mendacio; vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Non debueras namque fallere, aut falli posse quod auribus audisti, manibus contrectasti, oculis legendo vidisti, sed non illis auribus, neque illis oculis, de quibus Dominus Prophetæ dicit: *Auribus tuis audi, & oculis tuis vide:* Quia vnde agitur, iudex non fui, inter iudices connumeratus non extiti, in loco iudicis non sedi, iudicium inde non terminaui, cum iudicibus, vel aliis consentientibus non subscripsi. Sed quoniam sedi Apostolicæ non placuit, inde cum his, qui iudicauerunt, & iudicio illi subscripserunt, tandem habere, & quibusdam suadentibus, me voluit, quod sibi

Ezech. 47. — C. Carth. c. 13. — Ephes. 2. — Ephes. 4. — Luc. 15. — Ioan. 5. — Mar. 5. — Prou. 12. — Ibi. c. 25. — 2. Thess. 2. — Ezech. 44.

bonum videbatur, & Episcopi regionum nostrarum, & Princeps terræ volebat vnanimiter consentire, secundum auctoritatem sacri Nicæni Concilii, & Africanæ Prouinciæ Canonum, quæ de quibusdam iuxta instantiam temporis decreuerunt, consensi, obtestante Apostolo; *vt idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata*; Qui ostendit quod iussit, iterum dicens etiam suis minoribus: *si cui aliquid donastis, & ego: & ego quod donaui, propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à Satana. non enim ignoramus astutias eius*; Qui sæpe suadet, vt vnde alter miseretur, alter irascatur. Contra quas Diaboli astutias, *Pacem sequi debemus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*: Quod pro modulo meo sequi etiam in hoc negotio studui, sicut aduertere poteras, si de alia sagina, quam Sanctus postulat dicens: *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*, cor impiguatum non haberes; quia Synodalis Epistola hinc à nobis communiter missa, ita per omnia sincera, ad sedis Apostolicæ lectionem, meæ infirmationis, & alterius confirmationis causa non venit, veluti ex Epistolis nobis à sede Apostolica de ea re scriptis euidenter ostenditur, sicut coram Rege, & nobis in Synodo relecta fuit; & tamen inde nullam quæstionem mouere, vel contentionem conserere volui; nec de his, quæ à nobis vnanimiter in Synodo consensa, & à sede Apostolica diffinita sunt, in perpetuum volo; quia bonæ memoriæ Nicolai Papæ litteræ, postquam inde veritatem resciuit, per meum missum directæ, mihi abundantissime suffecerunt; sed ad alias litteras Synodicas, quas audisti, per eundem meum missum mihi direxit, quibus de collectionibus ab eo præceptis, non nihil, vt iusserat, sed Regi, vt tibi ad ostentationem tuam placuit, porrectis: quamquam eis non indiguerim, sicut solitus es, obedisti; quin & de his quæ in Synodo Tricassina, in qua, *quæ non rapui*, de his rationem reddendo, quæ ad me non pertinebant, relictis eis quorum inde intererat, *exsolui*: Sed & de his, quæ post eandem Synodum est aduersum me actitatum, domni Adriani Papæ per Actardum venerabilem Episcopum Epistolæ missæ, adeo omnem angoris nebulam à mente mea sudario suæ magnæ benignitatis absterserunt, vt placidissima voluntate sequi me libeat quod admonet Apostolus: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam*: *Et, non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes*. Et quod item scriptum est: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*, atque totis medullis cordis Domino dicere: *exultauerunt filiæ Iuda in omnibus iudiciis tuis Domine*: Et, *fiat pax in virtute Hierusalem*; quæ virtus, vt Augustinus exponit, *charitas est*. Cui sanctæ ciuitati, videlicet sanctæ Ecclesiæ, dictum est: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*: Intento mentis oculo, sollicitudine pia suscipiens quod de actione huiusmodi Leo dicit: *Superest vt concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus seruatis, & in nullo patiamini pia Canonum decreta violari: quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta posthac vltione plectamur*, & reliqua.

Cap. VI.

Dictum est etiam mihi, te plurimis solere dicere, vt quoniam quæ in tua parrochia ligasti, sine tuo consensu dissolui, quin potius quæ contra regulas exordinasti, secundum regulas ordinaui, hoc agere & obtinere poteris, & ages & obtinebis, vt ego Missam non cantem: & si ego illam cantauero, tu illam non cantabis. Ad quod tibi mitius responderem, nisi iratum fuisse Dominum contra Heli, qui filios suos lenius, quam debuerit, corripuerat, legissem: & proinde hinc tibi: si tamen hoc dicis, respondeo quod de Moab scriptum est: *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde, superbia eius, & arrogantia eius, plusquam fortitudo eius*. Et si tu me degradare posse te minaris, arrogas tibi plusquam possis, ac per hoc, in hac causa superbia tua. Citius enim facere potes, vt tu missam non cantes, quam facere, vt ego degradatus fiam: immo hoc facere potes, vt tu missam non cantes, sed hoc facere non potes, vt ego degrader. Non es enim mihi Prælatus, sed velis nolis, in ordinis dignitate subiectus, & de illorum societate, in ordinis qualitate, quibus sacri Canones non permittunt apud se celebrare Concilia, & de quibus magna Synodus Calcedonensis dicit: *Decreuit sancta Synodus, secundum Canones patrum, bis in anno Episcopos in idipsum in vnaquaque prouincia conuenire, quo metropolitanus Antistes probauerit, & corrigere singula, si qua fortassis emerserint*, & reliqua. Ego te ad Synodum debeo conuocare, tu me non potes ad Synodum regulariter prouocare, & si ad Synodum à me vocatus non veneris, aut dignam excusationem cum * tractoria per comministrum tuum mihi directa, in qua impossibilitatis, vel necessitatis tuæ causas ostendas, cur ad Synodum non venistı, non miseris: Ego te valeo & debeo iudicare, tu pro huiusmodi, vel pro alia causa, tua auctoritate me non præuales iudicare. Et si accusandus fueris, accusator tuus ad me Primatem Prouinciæ de te accusationem debet deferre, nemo autem me apud te regulariter ad iudicandum præualet accusare. Non enim tuum est de me iudicare, nec mihi iudices dare; quia sicut scriptum est: *minor à maiore benedicitur*, ita & iudicatur. Vnde sacri canones, & decreta Apostolicæ sedis, me ad sequentis ciuitatis Episcopi iudicium ire inuitum non patiuntur. Et si de meo quis iudicio queritur, euidenter regulæ monstrant, qualiter, & à quibus debeat retractari. Ego vero tibi iudices, aut consentire electos, aut à me etiam deputatos dare debeo, si causa poposcerit. Ego locum debeo & possum eligere, vbicunque mihi visum fuerit, in tota mea Prouincia ad Synodum conuocandam, vel ad ordinationem celebrandam, quo, si te vocauero, debes concurrere: tuū non est, locum ad Synodum conuocandam, vel ad ordinationem celebrandam, eligere, nec me quo tu decreueris euocare. Si in Remensi Prouincia præter meam sententiam, quis fuerit à quibuscunque & quantiscunque Prouinciæ huius Episcopis factus Episcopus, sicut mystica Nicæna Synodus diffinivit, *Non oportet eum esse Episcopum*. Si autem communi cæterorum decreto Episcoporum rationabili, & secundum regulam Ecclesiasticam comprobato, tu, aut alij duo tui complices tecum propter contentiones proprias contradixeritis, mea cum pluribus ad ordinandum Episcopum obtinebit sententia, & mihi, non tibi, firmitas eorum quæ geruntur, de ordinationibus, vel aliis rebus Ecclesiasticis, in Rhemensi Prouincia tribuetur, in qua fuerit defunctus Episcopus, ego, & non tu, visitatorem ipsi viduatæ designabo Ecclesiæ, & electionem cum decreto Canonico præcipiam fieri. Etsi in partes se eligentium vota diuiserint, meum, & non tuum, erit eligere, qui maioribus ad ordinandum studiis iuuetur & meritis, & meum est, ordinandum examinare, non tuum: tuum est autem cum aliis mecum ordinare Episcopum, & litteris canonicis, quas ordinatoribus suis iubetur accipere, post me in tuo loco subscribere qui non debes vlli nouæ rei, quæ ad generalem obseruantiam Domini Sacerdotum pertinent, sine conscientia, vel sententia mea subscribere. Tu iuberis à sacris regulis, decreto, vel relationi meæ, si præcepero tibi, salua fide subscribere; & non ego tuo decreto, vel relationi subscribere debeo: quia tu decreto, vel relationi cuicumque, vel cuiuscumque, dabis, quæ ad parrochiam tuā

non pertinent, præter me non debes subscribere; sed & nec de tua parrochia, nisi de rebus & possessionibus, quas cum norma Presbyterorum, & Diaconorum Ecclesiæ tuæ regere debes, & dispensare, vel commutationibus earum cum * cohibentia clericorum subscribere; de tuo iudicio iudicati vel iudicandi, ad me possunt, & si necessitas eis fuerit, ad me prouocare debent; non autem de meo iudicio ad tuum iudicium quis prouocabit. Tu de rebus Ecclesiæ tuæ vendendis vel distrahendis me iuberis consulere, ego de huiusmodi causa ad tuum consultum ire non iubeor. Si tu Presbyterum, vel Diaconem, vel alium quemcumque excommunicaueris, & patienter accipere nolueris, vt per finitimos Episcopos negotium discutiatur, & vel probetur sententia tua à plurimis, vel emendetur, & tibi ante Synodum non placuerit humaniorem pro eo ferre sententiam, congregatis Prouinciæ Episcopis, vna cum eis (si rationabile nobis visum fuerit) possumus & debemus, etiam si nolueris, tuam immutare, & alteram proferre sententiam. Sed & illa non bene intelligis, vt in tuis collectionibus, potiusque compilationibus, inueni, vt ego ad tuam parrochiam, nisi à te inuitatus, non veniam, & quæ corrigenda ibi sunt, corrigam & hunc prauæ intelligentiæ tuæ sensum, & plura sacrorum Concilia Canonum, & Apostolicæ sedis decreta redarguunt, reuincunt, atque repellunt. Si causa in prouincia mea orta fuerit, aut in Concilio perfecto debet finiri (*perfectum*, inquit Canon, *Concilium illud est, vbi interfuerit metropolitanus antistes*) aut per Episcopos iudices, siue quos ego conquirentibus dedero, siue quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. Mihi sollicitudo totius prouinciæ est commissa, propter quod, ad me omnes vndique ex tota prouincia, qui negotia ecclesiastica videntur habere, debent concurrere, & ego illorum causas, sicut & de tua parrochia, debeo regulariter diffinire. Tu autem contentus esse debes, vt regas tuam parrochiam iuxta reuerentiam singulis competentem; & prouidentiam geras omnis possessionis, quæ sub tua est potestate, ita vt presbyteros, & diaconos ordines, & non exordines; & singula, non autem prouinciæ generalia, tuo iudicio comprehendas. Nec tibi licet, si contra fratrem tuum aliquem Episcopum litem habueris, ex alia prouincia aduocare Episcopum cognitorem; nec etiam tibi licet, pro terminando iurgio præter me, ad alias conuolare prouincias; sed si necesse fuerit pro meæ prouinciæ ambiguitatis absolutione ego à vicina prouincia iudices, si decreuero conuolare præualeo; & si cum Episcopo alterius prouinciæ de causa contenderis, & in mea prouincia causa eminet finienda, ego debeo dare iudices, qui eandem causam regulariter finiant: nihil autem horum tui est pontificij. Ego de dubiis & obscuris rebus, de quibus certam diffinitionem non habemus, si forte emerserint, & de his, quæ sine plurimorum iudicio Episcoporũ finiri non possunt, cum coepiscopis prouinciæ, inter quos annumeraris, debeo consilium quærere, qualiter ita finiantur, *vt nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inueniatur aduersum.* Tibi autem in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent Domini sacerdotum, nihil præter me agere licet, quia nec vales implere. Si in causis dubiis, vel obscuris, aliquid dubitas, me debes interrogare, & si ego nesciero, ego apud alios, vel si necesse fuerit, apud sedem Apostolicam debeo requirere, & tibi absoluere. Tu autem sine me de causis generalibus, nec etiam ad sedem Apostolicam debes requirere, antequam studeas me inde consulere, & si pro causis propriis vbicumque longius, cogente necessitate, tibi fuerit ambulandum, à me secundum inditam à sanctis Patribus regulam petere licentiam debes. & ad quamlibet Prouinciam sine meis litteris regulariter proficisci, vel mittere longius ad comitatum comministrum tuum non potes in aliquo, nec me postponere debes præsumere, excepto si contra me aliquid causæ non habueris, vt ob hoc Apostolicæ sedis iudicium regulariter expetas, sicut Sardicenses Canones monstrant, & Innocentius ad Victricium, & Gregorius, ac cæteri Romani Pontifices in decretis suis commemorant atque leges Imperatoriæ, quas Ecclesiasticæ regulæ approbant, euidenter ostendunt. Ego pro huiusmodi negotio, nec tua licentia, nec litteris tuæ singularitatis indigeo. De his denique, ex quibus certas, & manifestas, atque inuiolabiliter & irrefragabiliter sine vlla immutatione tenendas secundũ tramitem scripturarum, sanctorum Conciliorum, & Apostolicæ sedis habemus sententias, si contra eas feceris, non debeo expectare prouinciale, vel generale Concilium, vel Coëpiscoporum nostrorum consultum siue consilium, sed statim secundum maiorum & Orthodoxorum Patrum sententias, ea corrigere debeo, quæ contra eorum diffinitionem admiseris, quia vt beatus monstrat Gelasius; *In his non nouæ constitutionis auctor sed veteris constituti executor existam.*

Cap.1. & 7. Cap.10.

Cap. VII.

Tu autem contra veteres constitutiones, non solum totiens, vt præmisi, à Prouincia Remorum, sine licentia regulari, inordinato more, pro quibusdam negotiis, sicut tibi visum fuerat, deproperasti: sed & postea inde sine meo ac Coëpiscoporum nostrorum consultu siue consensu, non Ecclesiastico, sed sæculari comitatu ascitus in aliam Prouinciam perrexisti, & si vim ab aliquo fuisti perpessus, vt ab ea irregulariter vel coactus exires, nihil apud me, sicut præcipiunt regulæ, inde questus fuisti, sed antequam scires quid ex eodem negotio acturus essem, vel quid obtinere valerẽ, sine mea conscientia, & iam altera vice fecisti, reclamationem ad Apostolicam sedem misisti, cum præcipiant regulę: *Vt nullus Episcopus Metropolitanum suum in aliquo præsumat postponere, excepto si contra eum aliquid causæ non habuerit, vt ob hoc sedis Apostolicæ petat iudicium, quod per Canones antiquorum Patrum est institutione permissum.* Verum & priusquam inde responsum acciperes, relicto Ecclesiastico publico iudicio, videlicet, Principalis potestatis Reipublicæ Pręsidentis, de his, quæ tibi inlata fuerant, purgari, vt quorundam etiam sæcularium interuentu, ac rei prouentu clarum, expetisti; quia cum bis ad te missos, & litteras miserim, & quidam tuorum tecum loquendi habuerint facultatem, & tecum locuti fuerint, nec meum vel Coëpiscoporum nostrorum expetisti auxilium, nec nostro voluisti vti concilio, sicut iam aliis vicibus egisti, quando pro te, & verbis & scriptis apud domnum Regem sategimus, & commotionem illius, à te sine causa, & irrationabiliter excitatam placauimus.

Greg. l. 7. Ind. 2. ep. 8.

Hinc autem Ecclesiasticum expetere contempsisti iudicium, & Episcopali (sicut præcipiunt regulæ) vti noluisti consilio; neque vllam inde postea satisfactionem Ecclesiæ Ecclesiasticis regulis exhibuisti; sed, vt scriptum est de ea quæ tergit os suum & dicit, non sum operata malum; ita aut non intelligens, aut intelligere peruicacia tua dissimulans, hactenus in indomabili contumacia tua persistis, me quoque postposito, ac relictis Prouinciæ meæ communibus Coepiscopis, scilicet, & meis auctis, in alia Prouincia, & aliarum Prouinciarum, Episcoporum, inde vti consilio magis quam nostro, contra regulas delegisti, cum ego in vicinitate loci, vbi domnus Rex immorabatur, tunc fuerim, & quidam Coepiscoporum nostrorum cum illo degerint; sicque sine mea ac Coepiscoporum Prouinciæ meæ sententia, ac conscientia transiens secus locum, in quo eram, adeo tibi proximum, vt me videre posses, si velles, quia te vidi, quando sine vlla necessitate, velocius quam Episcopali grauitati conueniat, perinde trãsiens, irregulariter ad sedem tuam redisti,

antequam Episcopali examini redderes rationem, qua de re à Parrochia tua, & Remensi Prouincia irregulariter aut voluntate abscesseris, aut de quacunque causa à quocunque reputatus, vi abductus extiteris; *Ideo* (inquit sanctus Gelasius) *vocatur ad iudicium certe quacumque persona vt aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis.* Et Antiocheni Canones, *In Conciliis* (inquiunt) *adsint omnes, qui se læsos existimant & Synodi expertantur examen.* Debueras igitur de noua nouiter causa, vel à te acta, vel tibi inlata, expetere Synodum, aut de quacunque obiectione, aut de læsione Synodi expetireris examen, sed tu è contra inconsulte rediens ad sedem tuam, decreto contra sacros Canones, & constituta sedis Romanæ Pontificum subscripsisti, & Ecclesiæ tuæ Clericos subscribere fecisti.

Cap.20.

Cap. VIII.

Epistolas quoque Domno Regi, & mihi pro reclamatione tua à Domno Apostolico per missos tuos directas, non secundum Domni Papæ iussionem, mihi, vt iussa illius exquerer, dari fecisti, sed per aliarum, & etiam longinquarum regionum Archiepiscopos domno Regi, & mihi, in Parrochia mea, in qua degebamus dari obtinuisti; & cum domnus Rex de his, ex quibus eum ad sedem Apostolicam accusasti, sicut in domni Apostolici Epistola sibi directa inuenit, apud me Primatem Remorum Prouinciæ querelam deposuerit, quia contra rationem & veritatem, inconsulte, atque inregulariter illum accusaueris, etiam post sibi à te præstitum sacramentum, cui accusatio tua dicitur obuiare, sine meo, vel Coëpiscopotum nostrorum Consilio ac iudicio, & in alia Prouincia, eidem principali potestati satisfactionis modum, sicut tûc vobis visum fuit, exhibere maluisti; cum notum sit, quid sacræ regulæ de cuiuslibet ordinis clerico dicant: *Qui, siue de criminali, siue de ciuili causa, relicto Ecclesiastico publico se iudicio purgari voluerit, vel qui, pro terminando iurgio, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias præsumunt conuolare Prouincias.* Quæ ignorare non poteras, quoniam quando te ad me reclamasti, quædam à domno Rege, sed ab aliis quibusque tibi inlata, quid de eiusdem tibi inlatis, & Ecclesiasticæ regulæ, & iura publica dicant, sufficienter in scripto domno Regi, à me vna cum venerabilibus Coëpiscopis nostris apud Pistas porrecto legisti; vnde obtinuimus quod nobis visum fuit tibi tunc suffecisse. Nam & quando eadem principalis potestas nec non & omnis præfectura totius regni sui, insolentia tua exigente, contra te fuere commotæ, in Vermeria Palatio iterum inde scriptum, quod legisti, porrexi.

Cap. IX.

Sed & cum domnus Rex Monachum ac Presbyterum quendam inter suos Religiosum, ex venerabili Monasterio sancti Dionysii ad Monasterium in Lauduno situm, ad doctrinæ atque religionis institutioné, non autem ad inregularem prælationem accersit, & inconsulte illum pro animositate, quam contra Regem habebas, excommunicasti; iussus à domno Rege, adhibito mecum fratre & Coëpiscopo nostro Hodone, te monui, quatenus irrationabilem tuam mutares sententiam; sed nihil apud te inde obtinere prævalui. Quapropter domnus Rex misit alios Episcopos aliarum etiam regionum ad te, pro hac eadem causa, quorum monitis obedisti, ostendens quod Metropoli tuæ obedire in me non digneris, qui secundum morem Ecclesiæ nostræ, cum fidei professione, ac subscriptione professus fuisti, ac subscripsisti, te obediturum regulariter priuilegio Metropolis sedis Remorum. Et si iurgium aliquod inter te, & alium aliquem, tam superioris, quam & inferioris ordinis foret, meo ac Coëpiscoporum nostrorum consilio, ac iudicio terminari debuerat, & de à te excommunicato in tua, vel à tua parrochia, si antea tibi non placeret, tua sponte, vel finitimorum Episcoporum consilio, tuam immutare sententiam, meo ac Coëpiscoporum nostrorum consilio vel iudicio confirmari, vel immutari secundum regulas sacras debuerat. Quæ vero iudicia de huiusmodi excessibus regulæ sacræ sententiis diffinitiuis decernant, hic intentando ponere differo, quia sicut Papa Simplicius dicit, *Nolumus exaggerare quæ gesta, sunt ne cogamur iudicare quæ iusta sunt.*

Cap. X.

Hæc autem, quæ nuper contra regulas sacras egisti in subscriptione detestandi decreti, & in compilatione quarundam sententiarum ex Epistolis Apostolicæ sedis Pontificum, quam mihi, vt supra commemoraui, misisti, contra priuilegium metropolis tuæ, volens illa aduersum Sancti Spiritus scita defendere, quæ tibi non licuit agere, silentio prçterire non valeo. Attende igitur diligenter atque intelligenter, quid beatus Leo ad omnes Episcopos per vniuersas Prouincias constitutos dicat de omnium decessorum suorum Epistolis; *Omnia* (inquiens) *decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.* Aduerte quoniam illa dicit obseruanda, quæ à decessoribus suis de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis. Quapropter, quoniam de nouo vtre tuo adhuc grammaticæ artis, mustum & ponderationes verborum ebulliunt, Primo videamus de verbo, *Promulgo*, vnde fit per coniugationis deductionem, *Promulgatum*; Ex cuius plurali numero hic Leo posuit *Promulgata.* Quia etiam panni veteres quæsiti sunt, quibus Hieremias suffultus, sanius ac suauius educeretur de lacu, in quo missus fuerat, quia locutus fuit in nomine Domini; quçrenda nobis est priscorum auctoritas & doctrina, quibus valeamus tutius expediri à circûposita nobis omnibus metropolitanis à te muscipula: & vt certius credas quæ de hoc etiam verbo dicemus, reuolue libros veterum, & illum nihilominus codicê quondam meum, à sobrino tuo Anselmo receptum, & tibi à me præstitum, sed postea, sicut nec quosdam alios tibi à me commodatos obtentum, & inuenies dixisse veteres, *Promulgo*, *Promo vulgo*, siue *Primum in vulgus edo.* Et esse hoc verbum, *Promulgo*, secundum regulam Grammaticç artis, compositum, vt quibusdam placuit, ex duobus corruptis, *Promo & vulgo*: Et, vt quibusdam placuit, ex duobus integris, scilicet *Pro*, præpositione, & *Vulgo*, sicut & *Produco*; à quo simplici verbo, *Vulgo*, componitur & *Diuulgo*. Vnde Cicero explanans verborum sensum dicit *Proditum, memoria traditum, promulgatum; promulgauit, exposuit, prodidit, elocutus est, effatus est, retulit, narrauit, nuntiauit, indicauit, locutus est, verbum fecit, disseruit, disputauit, tractauit, sermonem habuit, orationem habuit, orsus est, & huius verbi simplicis præteritum.* Nonius Marcellus in libro, quem inscripsit de proprietate sermonum ponens, dixit, *vulgauit, honeste positum vile habuit, & quasi in vulgus dedit.* De composito autem hoc verbo, quod est, *Promulgo*. Paulus in glossis suis dicit hoc modo; *Promulgari leges dicuntur, cum primû in vulgus eduntur.* Habet igitur sensum compositio, *Promulgare, in vulgus promere, dare, manifestare, & edere*: glossa autem *promulgauit ac si primum in vulgus dedit, protulit ac prorogauit.* Et huius verbi simplicis sensum, id est, *vulgo, vulgas*, Sanctus Hieronymus pro *manifesto* posuit, & inde vulgatam editionem, id est,

Hier.38

Paulus Festi breuiator.

omnibus notam & manifestam dici ostendit. Compositi autem verbi huius sensum & Euangelium Lucæ demonstrat, dicens: *Et super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc.* Cuius verbi, *diuulgabantur*: sensum Beda sequens, beatum Ambrosium ita exposuit; *Quia nota facta fama, innotuit.* Isidorus quoque, vt ipse dicit, auctore Tullio, exposuit, dicens: *Promulgatum est foras prolatum, vt lex dicitur promulgata, & promulgatum proprie, ad omnium notitiam & totius vulgi intimatum.* Et PLANC. vnum superadiiciens verbum cætera dicit similiter; *Promulgatum* (inquiens) *est foras prolatum vel constitutum, vt lex dicitur promulgata, promulgatum autem, ad omnium notitiam, & totius vulgi intimatum*, Præterea Glossæ antiquorum taliter hoc verbum explanauerunt, *Promulgans, porrigens: promulgare, edere: promulgat, profert, promulgat, crescit, incrementat, promit, prædicat, pronuntiat, promulgata, prolata, deprompta, propagata patefacta.* Et hoc, vt Priscianus, præpositis de verborum explanatione auctoribus, dicit, ipse omnibus validior vius ostendit. Differentiam vero sensus inter *diuulgata*, & *promulgata*, siue *promulgata*, enucleatores verborum hanc voluerunt esse, vt *diuulgata* simpliciter tantum dicantur ad notitiam omnium propalata, *promulgata* vero, vel *promulgata*, ad conseruandum decetera, & in omnium notitiam, vt illa sine refragatione conseruent, deprompta, intelligantur. Vnde beatus Gregorius exponens sententiam Domini ad Iob dicentis; *Numquid alligabis Rinocerota ad arandum loro tuo?* Sæpe; inquit, *vidisse me memini, quod cum se ad feriendum grauiter hic Rinoceros accenderet, & quasi eleuato cornu bestiolis minimis mortis exilia, damnationemque subiectis immensis terroribus intentaret, repente frontis signo crucis impresso omne in feriendum furoris extinxit, conuersum minas deposuit; & quia ad deliberata progredi non posset, ligatum agnouit: & non solum in se iras edomat, sed subiectorum etiam sensibus omne quod rectum est inserere festinat, vtque omnes sanctam Ecclesiam ex intima cogitatione venerentur, exemplo ipse sua humilitatis demonstrat.* Et post aliquanta; *Ad horum duritiam dissoluendam nonnunquam sancta Ecclesia, quia propria virtute non sufficit, Rinocerotis huius, id est, terreni Principis opitulationem quærit, vt ipse superiacentes glebas conterat, quas Ecclesiarum humilitas, quasi planities vallium portat; has itaque glebas Rinoceros pede premit ac comminuit, quia prauorum potentiumque duritiam, cui Ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissoluit; quod, quia sola diuina virtute agitur, vt terrenis regni culmina ad prouectum regni cælestis inclinentur, recte nunc dicitur; aut confringet glebas vallium post te.* Et paulo post: *Quis ergo initio nascentis Ecclesiæ crederet, dum contra eam ille indomitus Principatus terræ tot minis & cruciatibus sæuiret? quia Rinoceros iste Deo sementem redderet, id est, acceptum prædicationis verbum operibus repensaret, quis posset tunc infirmorum credere quod eius aream congregaret? Ecce enim modo pro Ecclesia leges promulgat, quæ dudum contra eam per varia tormenta sæuiebat. Ecce quaslibet gentes capere potuerit, ad fidei illas gratiam suadendo perducit, eisque æternam vitam indicat, quibus captis præsentem seruat.* Ecce de origine sermonis, & proprietate sensus eius quid sensere Maiores. Nunc videamus de proprietate dictorum beati Leonis, qui mandauit, *Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum suorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, custodiri.* Vnde primum nobis sciendum est, aliud esse promulgare sacros ordines, & Canonum disciplinas, aliud promulgare de sacris ordinibus, & Canonum disciplinis: sicut aliud est promulgare leges, & aliud promulgare de legibus. Promulgare vero de legibus, est de illis iudicia sumere, & secundum illas iudicare, earumque obseruationem, & iudicia omnibus intimare, sicut Sanctus Augustinus in libro de vera religione ostendit, dicens: *Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est. Lex ipsa etiam ipse fit secundum quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest; sicut in istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas instituunt; tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est, vt secundum eius immutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum, vetandumque discernat:* Et in libro Confessionum *Spiritales ergo, siue qui præsunt, siue qui obtemperant, spiritaliter iudicant.* Sacros vero ordines promulgare, est à Domino constituere. *Ipsi* (inquit) *inuocabunt me & ego benedicam*: Scilicet Episcopos per Episcopos, sicut per Apostolos à Domino ordinatos, Matthias est ordinatus Apostolus; & per Prophetas ac Doctores, qui & Episcopi, ac Apostoli erant, apud Antiochiam iubente Spiritu Sancto atque dicente; *separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ministerii ad quod elegi eos.* ipsi Barnabas, & Saulus sunt ordinati. Et per Moysen à Domino ordinatum Aaron & filium eius Eleazar, & per eos reliqui minores Sacerdotes ordinati sunt. *Et congregauit* (inquit sacra historia) *Moyses LXX. viros de senioribus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum descenditque Dominus per nubem & locutus est ad Deum, auferens de spiritu qui erat in Moyse* (scilicet non tollendo, sed in alios propagando, vel promulgando) *& dans LXX. viris.* Qui spiritus Moysi dicitur, sicut & spiritus Heliæ vocatur, eo locutionis genere, quo & Dominum in oratione petimus; *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Dei enim idem panis est & spiritus, à quo illum ex munere dantis accipimus, & noster fit veraciter per acceptationem, qui illum ab eo accipimus. *Cumque* (inquit historia) *requieuisset in eis Spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.* Quod sicut Moyses Domino (in quem non cadit obliuio, qui tamen dicit; *Recordabor pacti fœderis mei*) ad obtinenda quæ petebat, Patres obtulit, dicens; *Memento Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti*, id est, firma pollicitatione dixisti. Et Episcopi commemorant in ordinatione presbyterorum, vt ipse, quod suum est, in eorum [videlicet Episcoporum] ministerio exequatur, dicentes: *Sic in Heremo per LXX. virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adiutoribus vsus in populo, innumeras multitudines facile gubernauit; Sic & in Eleazaro, & Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, vt ad hostias salutares, & frequentioris officii sacramenta sufficeret ministerium Sacerdotum. Hac prouidentia, Domine, Apostolis filii tui doctoribus fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleuerunt.* Qui scilicet Episcopi, & presbyteri in primordio nascentis Ecclesiæ, & vsque non ad paruum temporis progressum, vno nomine in singulis officiis vocabantur, sicut in Epistola Petri, & in Epistolis Ioannis, & in Epistolis Pauli manifestatur; Et sicut Hieronymus ad Euagrium presbyterum ex auctoritate scripturarum ostēdit. Sed & reliqui per eos, qui à Domino ad hoc constituti sunt, Ecclesiastici ordines promulgantur, eorum scilicet ministerio, Domino quod suum est exequente. De sacris autem ordinibus promulgare, est, qui, & quot sint, & quales, ac qualiter, & à quibus, vel quando sint ordinandi, & quomodo, ac quantum in singulis gradibus debeant ministrare; qualiter etiam ab ostiario vsque ad summum Sacerdotium quique valeant prouehi; & quæ sint ex eis à sedis Romanæ Pontificibus promulgata, omnibus in Ecclesiasticis dogmatibus exercitatis constat esse notissimum. Et quia inde quæstionem non moues, superfluum duco ea disserere. Quia vero, vt superius dixi de legibus, & sacris ordinibus (quoniam aliud est, leges; & sacros

ordines promulgate; & aliud, sicut ostendi, de legibus & sacris ordinibus promulgate) ostendendum est, quia similiter aliud est, sacros Canones promulgate; & aliud est, de sacrorum Canonum disciplinis constituta decretalia promulgate; qui namque sunt Canones de quorum disciplinis promulgata adeo cōseruari à Sancto Leone Papa iubentur, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari; memoratus ab eo beatus Innocentius in disciplina ex eisdem sacris Canonibus decreta, ad Victricium Rothomagēsem Episcopum patenter ostendit: Si qua (inquiens) causa, vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exorta, vt secundum Synodum Nicanam, congregatis eiusdem Prouincia Episcopis, iurgium terminetur, & reliqua. Et ibi post aliquāta. Si qua autem maiores causa in medio fuerint deuoluta ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, scilicet, Sardicensis, & vetus consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referatur. Et ad Alexandrum Antiochenum Episcopum: Reuoluentes, inquit, auctoritatem Nicana Synodi, qua vnam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, qua censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus; esse necessarium custodire, quia super diocesim suam pradictam Ecclesiam, non super aliquam aliam Prouinciam recognoscimus constitutam. Et inde promulgauit de ordinatione metropolitanorum, quorum plures ipsa Ecclesia subiectos sibi habet, sicut & Alexandrinus Episcopus ex antiqua consuetudine, & Thessalonicensis Episcopus ex delegatione sedis Apostolicæ. Et ad Macedones Episcopus, ex eisdem sacris Canonibus apud Nicæam constitutis, promulgauit Nouatianos ad Ecclesiam venientes per manus impositionem in suis ordinibus recipi, & opinionem eorum, qui ne in Ecclesia scandalum fieret, Anisium sequendum in recipiendis Bonosiacis, ab eodem Bonoso post damnationem suam ordinatis, manifeste refellit. Sed & ex præfatis Nicænis Canonibus promulgauit Paulianistas ad Ecclesiam venientes baptizari; alios autem ab Hæreticis in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos non baptizari debere. Et Zosimus ad vniuersos Episcopos per Gallias, & septem Prouincias constitutos, decretas inde disciplinas promulgatas direxit. Bonifacius quoque ad Rnsticum Narboneosem Episcopum hioc ita dicit: Nulli (inquiens) videtur incognita Synodi constitutio Nicana, qua ita pracipit, vt eadem proprie verba ponamus; per vnamquamque prouinciam ius metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas: quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum, sancto Spiritu suggerente, sibimet censuerunt. Et paulo post: Quod idcirco diximus, vt aduertat charitas tua adeo nos Canonum pracepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitanus sui vnaquaque Prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet: Et Cælestinus ad vniuersos Episcopos per Viennensem, & Narbonensem Prouinciam cooftitutos scribit, similiter & ad vniuersos Episcopos per Apuliam & Calabrum constitutos: Nulli [inquit] Sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit regulis obuiare. Qua enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur? Et non solum isti sui decessores, sacrorum Canonum, de quorum disciplinis decretalia constituta promulgauerunt, hoc modo (vt præmisi) eosdem sacros Canones ad auctoritatem duxerunt, sed & Damnasus ad Paulinum, ita in obseruatione sacrorum Nicænorum Canonum, sicut & in fide ad Ecclesiam redeuntes subscribere iusserit, verum & successores eiusdē beati Leonis, vt de multis quosdam designem ex nomine, Hilarius scilicet, Simplicius, Felix, Gelasius, Symmachus, Ormisda, & beatus Gregorius, eosdem sacros Canones, sed & alia Concilia, quæ Catholica Ecclesia recipit, seruat ac venerantur & Apostolica sedes docuit esse seruanda, in suis decretis, quæ ex eorum disciplinis promulgauerunt, ad auctoritatem deducunt; præcipientes, vt in singulis sacris ordinibus, atque in singulis sacrorum ordinum dignitatibus, Canonicam normam tenere, seruare, atque sequi procurent, Et nulli ab eorum constitutione deuiare prasumant. Nullique eisdem sacris Canonibus impune obuiare pranaleant. Nulli etiam suum arbitrium ad quoslibet iudicandos sequantur, sed per rectum eorum tramitem, non declinantes ad dexteram neque ad sinistram, incedant, & singuli, [sicut iidem venerandi Canones decreuerunt] obedientiam, quam à suis minoribus exigunt, suis maioribus reuerenter dependant, & sicut non volunt graui oneris sartinam ferre, ita non audeant aliis importabile pondus imponere. Nec de obscuris, vel dubiis constituere, quod praceptis Euangelicis contrarium, & decretis Sanctorum inueniatur aduersum. Et singuli mensuram & ordinem à Deo sibi decretum per eosdem sacros Canones seruent. Sed & isdem beatus Leo scribens ad Anatholium Constantinopolitanum Episcopum, sacros Canones, de quorum disciplinis sua decretalia constituta promulgauit, ita commemorat: Sancti [inquiens] illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicana, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt: & si quid vsquam aliter quam illi statuere prasumitur, sine cunctatione cassatur. Et item idem ad eundem: Illa Nicanorum Canonum per sanctum vere spiritū ordinata conditio, nulla vnquam est parte solubil; nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat, vel praferre cum tanto diuinitus priuilegio Nicana sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni pemtus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Et item idem ad Maximum Antiochenum: Quicquid (inquit) propter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicaeam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, Apostolica sedis nunquam poterit obtinere consensum. Et Calcedonense Concilium dicit: Regulas sanctorum Patrum per singula nunc vsque concilia constitutas proprium robur obtinere decreuimus. Et item Leo ad Anastasium dicit: Secundum sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tua cura pratenditur, ius tradita sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis prastitutis nulla aut negligentia aut prasumptione discedant. Et quia non necesse est tibi exponi ab aliquo quid intelligere debeas, in eo quod dicit, à regulis prastitutis; inspice canonum libros, & videbis omnia illa concilia, quæ à maioribus seruāda suscepimus, celebrata ante Calcedonensem Synodum, quæ decreuit regulas sanctorum Patrum per singula catenus concilia constitutas proprium robur obtinere; à quibus omnibus Leo præcipit, Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos nulla aut negligentia aut prasumptione discedere. Et hinc Gelasius in generali decreto ad omnes Episcopos de institutis ecclesiasticis dicit, Cum nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nil licere; & cum sedes Apostolica super his omnibus, fauente Domino, qua paternis Canonibus prafixa, pio deuotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quenquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videat & docere; satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesia in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciet, vbi Dominus Ecclesia totius posuit prin-

principatum. Et sanctus Gregorius ad Gallicanos scribens Episcopos inter alia & cum aliis dicit: *Omnia* inquiens *quæ sanctis Canonibus, sicut prædiximus, sunt aduersa, districte sub anathematis interpositione damnentur.* Qui beatus Gregorius sæpenumero in suis decretalibus Epistolis præstitutas conciliorum regulas obseruari, & ab eis in nullo declinari decernit. Et beatus Ormisda sancto Remigio, vices Apostolicæ sedis ei committens, inter alia ita scripsit: *Paternas scilicet regulas & decreta sanctissimis definita conciliis, ab omnibus seruanda mandamus, in his vigilantiam tuam, in his curam fraterna monita exhortationis ostendimus.* His, ea quanta dignum est reuerentia, custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ obseruationis obstaculum, ibi fas, nefasque perscriptum est. ibi prohibitum ad quod nullus audeat adspirare: ibi concessum quod debeat mens Deo placitura præsumere. His, frater, appone sensum tuum; His suppone mentem tuam: His accommoda animum tuum: His subde intelligentiam tuam, & non errabis, neque diffiues per vanas autumationes tuas, quibus es quasi vento pastus, potiusque inflatione distentus, dum tuis compilationibus nihil tibi ad ea quæ intendis profuturis, quinimo plurimum obfuturis incumbis. *Quid* (inquit beatus Leo) *iniquius, quam impia sapere, & sapientioribus doctoribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, nec ad Euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt.* Audis, quia venerabiles Patres leges vsque in finem sæculi mansuras condiderunt. Audis, quia quicquid ab eorum regulis fuerit aduersum, esse penitus irritum? Audis sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos à quibus nulla negligentia aut præsumptione à quolibet deuiari conceditur. Audis quia contra eosdem canones nec etiam Apostolica sedes sibi licere aliquid temere cupiat. Audis, vt omnia quæ sanctis canonibus sunt aduersa districte sub anathematis interpositione damnentur. Audis, quoniam ibi fas nefasque perscriptum est: ibi prohibitum, ad quod nullus audeat adspirare: ibi concessum quid debeat mens Deo placitura præsumere; & studes tergiuersationes exquirere, vt nulli possis subesse, qui non potes cunctis præesse. Audi etiam quid de his sacrorum conciliorum canonibus cum aliis Orthodoxis etiam beatus Augustinus, vt in omni Catholica scientia & doctrina opinatissimus ad Ianuarium scribens, sentiat: *Illa* (inquiens) *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem in toto terrarum orbe seruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur: nec conciliis Episcoporum statuta inueniuntur; nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis constituendis homines secuti sunt, vbi facultas tribuitur sine vlla dubitatione resecanda existimo.* Et Damasus Papa, ex cuius Epistola quædam tuis commentis inseruisti, non intelligens, vel intelligere nolens quæ ipse dixit, & quæ tu loqueris, vel de quibus affirmas, scribens, vt præmisimus, per Vitalem ad Paulinum Antiochenum Episcopum, ita de obseruatione canonũ; sicut & de integritate fidei iubet resipiscentes, & ad ecclesiam Catholicam reuertentes profiteri, atque propria subscriptione firmare, post alia: *Quicunque* (inquit) *huic Epistolæ subscribere voluerit, ita tamen vt in Ecclesiasticis canonibus, quos optime nosti, & in Nicæna fide ante subscripserit, hunc debebis absque aliqua ambiguitate suscipere: non quo hæc ipsa quæ nos scripsimus non poterint conuertentium susceptioni prouenire, sed quo tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum.* Et sanctus Leo ad Rauennium Arelatensem episcopum: *Ecclesiasticarum* (inquit) *legum non ignara est dilectio tua, vt intra earum regulas atque mensuras omnium potestatis tuæ iura contineas. Iusto quippe* * *ideo dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet iudicio voluntatis, cum verus recti amor in semetipso habet, & Apostolicas auctoritates, & canonicas sanctiones, quarum deuotus sectator, & diligens executor in eorum proculdubio consortio gloriabitur, qui creditorum sibi profectibus talentorum audire meruerunt: Euge serue bone & fidelis*, & reliqua. Et sanctus Gregorius Quiriaco, & cæteris Episcopis Catholicis in Hibernia, ita scripsit, dicens: *Quicunque à peruerso errore Nestorii reuertuntur, coram sancta fraternitate vestra congregatione eundem Nestorium cum omnibus suis sequacibus ac reliquas hæreses anathematizantes, venerandas quoque Synodos, quas vniuersalis Ecclesia recepit, recipere & venerari promittant, & absque vlla dubitatione sanctitas eos vestra, seruatis eis propriis ordinibus, in suo cœtu recipiat.* Et hinc sanctus Gelasius in Epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos: *Confidimus* (inquit) *quod nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere quam primam quæ vnamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.*

Ep. 94. — * Ed. Rom. tamen. — 1. Tim. 1. Matth. 15. — Luc. 19. — Lib. 9. in d. 4. Ep. 61. — Epist. 2.

Cap. XI.

Hæc quidem sufficere posse credo non alta sapienti, sed humilibus consentienti: Verum quia ista tibi non credo debere sufficere, non dicam perfectius siue plenius, quia (vt iam longe ante nos dictum est) *perfectio incrementum, & adiectionem plenitudo non recipit.* Latius de præfatis sacris ordinibus, & canonum disciplinis hic quædam ex Orthodoxorum verbis ac sensibus ad reprimendum sensus tui tumorem, & ad repellendam compilationum tuarum caliginẽ, ponere dignum duxi. Sancta quippe Ecclesia, quam beatus Paulus Apostolus *supernam Hierusalem, vel matrem nostram; & manentem ciuitatem; & ædificationem ex Deo; domum non manufactam* appellat, ex Angelis & hominibus constat; quæ partim ex hominibus societate Angelica 10 ordinibus distinctis perfruens, iam cum Deo in cœlo regnat: partim vero in ordinibus distinctis adhuc peregrinatur in terra, & ad supernam societatem suspirat, vbi est secundum Apostolum, *tabernaculum non manufactum, neque huius creationis.* Ad cuius instar per Moysen factum est tabernaculum, de quo dixit ad eum Dominus: *Omnia fac iuxta quod tibi in mente ostensum est.* In quo superno & vero tabernaculo, quod fixit Deus, & non homo, & interiora velaminis, id est, in ipsum cœlum. *Confessionis nostræ Antistes summus, & sempiternus Pontifex, sempiternum habens sacerdotium, sacerdosque magnus secundum ordinem Melchisedech, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta: sedensq; ad dexteram Patris,* id est, in gloria paternæ maiestatis, *interpellat,* non voce, sed miseratione, *pro nobis. Idemque Rex Regum, & Dominus dominantium, per quem Reges regnant & conditores legum iusta decernunt,* cœlestem ac terrenũ Principatum, cunctam videlicet Rempublicam regẽs, & vniuersam militiam tam cœlestem & spiritalem, quam terrenam & temporalem distinctis in ordinibus disponens ac moderans, & supernæ atque mundanæ curiæ præsidens, miro ordine, Angelorum hominumque ministeria, pro temporum varietate &

Gal. 4. Heb. 8. 2. Cor. 5. — Heb. 9. Heb. 8. — Heb. 3. 7. & 9. Rom. 8. — Apoc. 19. Prou. 8.

opportunitate dispensat, & quæ singulis quibusque temporibus, vel personis congruit sua vel occulta inspiratione, vel euidentiori inlustratione, vel patefacta præceptione decernit.

Cap. XII.

Et quia legimus sacros ordines in cœlo & in terra, & in testamento veteri & in nouo dispositos à Deo, ex quo, iuxta Apostolum; *omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Qui sint ordines, id est, paternitates in cœlo, & in Ecclesia, & in terrena Republica; sancti Doctores nostri; *haurientes aquas de fontibus Saluatoris*, id est, bibentes scientiæ doctrinam de sanctis scripturis, patenter ostendunt. Vndè beatus Dionysius Areopagites, antiquus videlicet & venerabilis pater, sicut didicit à Paulo Apostolo (*qui raptus vsque ad tertium cælum, vidit secreta cælestia*) duos libros de Angelico & Ecclesiastico principatu scripsit. Et beatus Gregorius in libris moralium, & latius in Homilia Euangelij, *Erant adpropinquantes ad IESVM publicani & peccatores*, quæ in suis locis lector inueniet: succinctius autem in Epistola ad Episcopos Galliarum scribens ostendit, in qua dicit: *Ad hoc diuinæ dispositionis prouisio gradus diuersos & ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordia fieret ex diuersitate contextio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum, neque vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia vero creatura in vna eademque æqualitate gubernari vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sint Angeli, sint Archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio: quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere? hinc etenim pax & charitas mutuo se inuicem complectuntur, & manet firma concordia in alterna & Deo placita dilectione sinceritas, quia vnumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit vnus, ad quem possit recurri, præpositus.*

Ephes. 3. *Isa. 12.* *2 Cor. 12.* *Luc. 15. Hom. 34. Lib. 4. ind. 13. ep. 52.*

Cap. XIII.

Ordines quoque ministrantium in Ecclesia veteris populi, quæ vsitatiore nomine Synagoga vocatur, fuisse legimus per Moysen à Deo dispositos, qui quales, & qualiter, ac quando ordinari deberent & quãdo, ac qualiter, & quantum in singulis officiis ministrare deberent, historia sacra demonstrat. Sed & nunc in Ecclesia, quæ regnum cœlorum appellatur, adinstar cœlestium ordinum, ministros Domini institutione & Apostolica traditione legimus, & cognoscimus distinctè esse dispositos, qui, quales, & qualiter, & à quibus debeant ordinari: & qualiter quique in suis officiis debeant ministrare, vt superius memorauimus, apertissima nobis lectione monstratur, de quibus modò non est dicendum per singula. Tantum de eo vnde agitur ordine, & vnde ad rē de qua agitur pertinet, beatus Leo, sicut tibi nuper in suprafata scedula inter alia scriptum dedi, veluti traditione Apostolica decretum didicit, ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scripsit: *Etsi ordo* (inquiens) *generalis est omnibus sacerdotibus, non tamen communis est dignitas omnibus: quia & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent: sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursum quidam in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluerèt, & nihil vsquam à suo capite dissideret: Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat sibi aliquem esse prælatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.* Nam si (vt legimus) Angelus Angelo dicit: *curre & loquere*: & Angelus obedit Angelo; non debet homo dedignari homini obedire: præsertim cum inobedientia parentis primi, perditionis causa sit generis humani, & obediētia Saluatoris nostri (*qui factus est obediens Patri vsque ad mortem crucis*) reparatio sit humanæ salutis. Diabolus quippe superbus hominem superbientem perduxit in mortem: Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem, sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.

Epist. 84. *Zach.* *Philip. 2.*

Cap. XIV.

Quia etiam sunt Angeli gentibus prælati, doctores Catholici ex verbis Angeli per Danielem Prophetam ostendunt dicentis: *Ego veni propter sermones tuos; Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti vno diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi.* Et paulo post: *Nunc reuertar vt prælier aduersus principem Persarum. Cum enim regrederer, apparuit Princeps Græcorum adueniens. Quos* (inquit beatus Gregorius) *alios principes gentium, nisi Angelos appellat? quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata: Cum subiectorum mores aduersus se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur. Is namque Angelus, qui Danieli loquebatur, captiuo Israelitico populo in Persida constituto prælatus agnoscitur: Michael autem, eorum qui ex eadem plebe in Iudæa terra remanserant, præpositus inuenitur vnde ab hoc eodem Angelo paulo post Danieli dicitur. Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, de quo dicit: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi, qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adiutorium dicitur, aperte is populo prælatus agnoscitur, qui captiuus in alia parte tenebatur. Quid est ergo Angelum dicere, ego veni propter sermones tuos, Princeps autem regni Persarum restitit mihi, nisi sua subditus opera nuntiare?* Et his beatus Hieronymus consonà dicit, quæ plenius qui voluerit in suis locis legere potest. Ad quod instar sunt ordines in sæculo Dei ordinatione distincti, sicut monstrat Apostolus, dicens: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti: siue ducibus tanquam ab eo missis. Liquet* (inquit beatus Gregorius) *quod omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit: Ipsa autem diuersitas, quæ accessit ex vitio, diuino iudicio dispensatur; vt quia omnis homo æque stare non valet, alter regatur ab altero.*

Dan. *1. Pet. 2.*

Cap. XV.

Et quia per distinctos ordines sunt paternitates & incolatus à Deo constituti in cœlo, de quibus per Danielem dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia adsistebant ei*: quibus electorum quoque hominum numerus iungitur; & aliud est ministrare, aliud adsistere, ad instar huius cœlestis dispositionis: Et in mundo non solum dimensiones Ecclesiasticorum incolatuum, sed & terrenorum dispositæ à Deo existunt, sicut & in veteri populo extiterunt, veluti libro Pentateucho demonstratur in dimensione terræ promissionis per duodecim tribus filiorum Israel. Vnde & Paulus in Synagoga apud Antiochiā faciens sermonē, dixit: *Deus plebis Israel elegit patres nostros.* Et paulo post: *Destruēs gētes septem in terrā Chanaam, sorte distribuit eis terram eorum. Eiecit* (inquit Psalmus) *à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terrā in*

Dan. 7. *Act. 13.*

maiores comitibus essent haberent metropolitanos suos, fauiculo distributionis. Et beatus Ioannes in Apocalypsi dicit audisse se numerum *de vnaquaque tribu* XII. *millia signatorum*. Hoc enim numero definito, vt Catholici doctores exponunt, innumerabilis significatur totius Ecclesiæ multitudo, quæ de Patriarchis, vel prosapia carnis, vel fidei est imitatione progenita. *Si enim* (inquit) *vos Christi, ergo Abrahæ semen estis*. Ad augmentum autem perfectionis pertinet ipsa duodecim duodecies multiplicati, & ad summam millenarium perfici, qui est denarius numerus quadratus solidus significans stabilem Ecclesiæ vitam. Propterea quippe duodenario numero sæpius Ecclesia figuratur; quia per orbem quadratum in fide consistit sanctæ Trinitatis: Ter enim quaterni decusdipondius faciunt. Denique & Apostoli eandem mundo fidem prædicaturi, duodecim sunt electi, numero scilicet mysterium operis sui figurantes. Missi sunt enim per quadratum mundum prædicare fidem sanctæ Trinitatis, & incarnatum de Spiritu sancto ex Maria Virgine Dominum Iesum Christum, & hunc crucifixum, sicut in symbolo continetur: quo signo crucis, & per Ezechielem in figura, & per Ioannem in speciei veritate fideles signati monstrantur. Nam & ipsa crucis figura dilatatum vbiq; Domini significat regnum, & monarchiam fidei ipsius signi, sicut vetus distichon probat.

Respice distinctis quadratum partibus orbem,
Vt signum fidei cuncta tenere probes.

Neque enim frustra in fronte Pontificis nomen Domini Tetragrammaton scribebatur, nisi quia hoc est signum in fronte fidelium, de quo in Psalmo pro torcularibus canitur; *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*, &c. vsque dum dic; *Vt destruas inimicum & defensorem*. Ipsosque incolatus parrochiarum, ac regionum olim Sancto Spiritu ante incarnationem Christi per Prophetam prædictos, & post ascensionem in cœlum eodem Sancto Spiritu per Sanctos Dei homines dimetiendos fore demonstrat Sanctus Basilius tractans versum, quo dicitur; *Conuallem tabernaculorum dimetiar. Hanc* [inquiens] *præcipuam & velut priuatam quondam plebem, scilicet Israeliticam hereditatem populi in diuisionem eius vocabo, & communem cum cæteris omnibus faciam. Cum autem diuisum fuerit testamentum in omnes, & eius vtilitas vniuersis cœperit esse communis, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, tunc etiam conuallis tabernaculorum dimetietur, hoc est, vniuersus orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus est, hic velut quadam sorte diuisus atque dimensus per singula loca Ecclesiarum Dei, parrochiis & incolatibus diuidetur. Tunc etiam ea, quæ diuisa sunt, in vnitatem fidei congregabit ille qui pacificat per sanguinem crucis sua, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis; & qui mediam parietem soluens, fecit vtraque vnum: Hinc iterum scriptum est, Destruite domos eius, videlicet vniuersalis Ecclesiæ, per custodiarum parrochias prædicando, vt enarretis in progenie altera, quoniam hic est Deus noster, & ipse reget nos in sæcula*. Ad quod instar, secundum constitutionem Anacleti, Dionysius Papa rusticanis parrochiis terminos certos posuit, ac ponendos disposuit, de quibus etiam Calcedonense Concilium quæ sunt nota decreuit. De Prouinciarum autem dimensione, & ciuitatum priuilegiis, quæ ad instar duodecim tribuum Israelitici populi, Ethnici statuerunt, & Apostolica sunt postea constitutione firmata, Sanctus Clemens in prima Epistola ad Iacobum Hierosolymitanum Episcopum, qui & frater Domini appellatur, scripsit, quod tu in compilatione tua, sicut & nec præcedentia verba Leonis ponere voluisti, ne inueniretur in eis quod tu alicui, præter Apostolicæ sedis Pontifici, deberes aliquo modo subdi, inaniter putans, quod si tu hæc in tuo Pitaciolo non poneres, alii non haberent libros, vbi ea legere potuissent. Sed quis ea quæ nosti ignorat? Prius enim quam formareris in vtero, illa nouimus; & antequam exires de vulua, sæpissime legimus; & discretius quam tu scripturas sacras & Canones sacros intelligas, intelleximus. Ait enim beatus Clemens inter alia, in præfata Epistola, iussisse beatum Petrum: *In illis* (inquiens) *ciuitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum primates poni vel Patriarchas, qui reliquorum Episcoporum iudicia, & maiora, quotiens necesse foret, negotia in fide agitarent, & secundum Domini voluntatem, sicut constituerunt sancti Apostoli, ita vt ne quis iniuste periclitaretur, diffinirent. In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Ethnicos eorum Archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos Primates, Archiepiscopos institui præcepit, qui non tamen Primatuum, sed Archiepiscoporum fruerentur nomine: Episcoporum quoque iudicia, vt superius memoratum est, & maiora Ecclesiarum negotia, si ipsi reclamauerint, aut aliquem timent, aut istos, vel alios suspectos habuerint, ad iam dictos Primates vel Patriarchas, ne aliquis innocenter periret, transferri perdocuit. In singulis vero reliquis ciuitatibus, singulos, & non binos, vel ternos, aut plures Episcopos constitui præcepit, qui non Primatuum, aut Archiepiscoporum, aut metropolitanorum nomine, quia matres ciuitatum non tenent, sed Episcoporum tantum vocabulo potirentur: quoniam nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed vnus omnibus præfuit. Hoc tamen prauidendum instituit, ne in villis, aut castellis, vel modicis ciuitatibus instituerentur Episcopi; ne vile eorum nomen fieret: Episcopos ergo vicem Apostolorum gerere Dominum docuisse dicebat, & reliquorum discipulorum vicem tenere presbyteros insinuabat debere*. Et sanctus Anacletus successor Clemens, à beato Petro Apostolo presbyter ordinatus, in prima Epistola ad omnes Episcopos & cæteros fideles: *Priuilegia* [inquit] *ecclesiarum & Sacerdotum sancti Apostoli iussu Saluatoris intemerata & inuiolata omnis decreuerunt manere temporibus: Leges Ecclesiæ Apostolica firmamus auctoritate, & peregrina iudicia submouemus. Vnde & Dominus mentionē faciens Loth, per Moysen loquitur dicens. Ingressus es quidem inquiunt, vt aduena, numquid vt iudices? Vnaquæq; enim Prouincia, tam iuxta Ecclesiasticas, quam iuxta sæculi leges, suos debet iustes & non aliquos habere iudices, & non externos, nisi Apostolica huius sedis decreuit auctoritas, quatenus quicunq; causā habuerit, apud suos iudices iudicetur, & nō ad alienos, causa vagādi, stimulante proteruia, suam despiciens patriam, trāsfratz sed ad duodecim eiusdē Prouinciæ iudices, ad quorum iudiciū omnes causæ ciuitatum referuntur, referatur negotiū. Si ante fuerit Ecclesiasticū, apud Episcopos, interueniente Primate, si maior causa fuerit; si vero minor, metropolitano. Si vero fuerit sæculare, apud eiusdem ordinis viros iudicio tamen Episcoporum, cum Apostolus priuatorum Christianorum causas magis ad Ecclesias deferri, & ibidem Sacerdotali iudicio terminari voluit*. Et in secunda Epistola ad Episcopos in Italia constitutos, dicit; *Prouinciæ autem multo ante Christi aduentum tempore diuisa sunt maxima ex parte; & postea ab Apostolis, & beato Clemente prædecessore nostro ipsa diuisio est renouata: & in capite Prouinciarum, vbi dudum Primates legis erant sæculi, ac prima iudiciaria potestas, ad quos qui per reliquas ciuitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatorum, vel Regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugere pro oppressionibus vel iniustitiis suis, ipsosque appellabant quotiens opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat, ipsis quoque in ciuitatibus vel locis, nostri, Patriarchas vel Primates qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ & Ecclesiastica, poni & esse iusserūt; ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, & ipsi nomine Primatum fruerentur, & non alii. Reliqua vero metropolitanæ ciuitates, quæ minores iudices habebant, licet*

qui prædictis iuste obedirent Primatibus, sicut & in legibus seculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, sed aut metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet singulæ metropoles ciuitates suas Prouincias habeant, & suos metropolitanos habere debeant Episcopos, sicut prius metropolitanos iudices habebant sæculares, primates tamen, vt præfixum est, & tunc, & nunc habere iussa sunt, ad quos post sedem Apostolicam summa negotia conueniant, vt ibidem, quibus necesse fuerit, releuentur & iuste restituantur; & hi, qui iniuste opprimuntur, iuste reformentur atque fulciantur, Episcoporumque causæ & summorum negotiorum iudicia, saluа apostolicæ sedis auctoritate, iustissime terminentur. Et in tertia Epistola: *De primatibus* (inquit) *clarissimi, super quibus me quidam vestrum consuluerunt, aut si esse deberent, an non; quantum hactenus de his à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, & à beato Clemente nostro sancto prædecessore & martyre nouimus statutum, denegare vobis minime possumus. Et quis est, qui quærentibus fratribus denegare possit dubitationem vel necessitates eorum? Sacerdotum (fratres) ordo bipertitus est; Et sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem à Domino Apostolos esse electos & constitutos, & postea per diuersas Prouincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœperat crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi vero Domini Apostolorum, Presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis, aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella & modicas ciuitates atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni, singuli tamen per singulos titulos suos, & Episcopus non ab vno, sed à pluribus debet Episcopis ordinari. Et, vt dictum est, non ad modicam ciuitatem, vt vilescat nomen Episcopi, aut alicubi; sed ad honorabilem vrbem titulandus, & denominandus est. Presbyter vero ad qualemcunque locum vel Ecclesiam in eo constitutam est præficiendus, atque in ea diebus vitæ suæ durandus. Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum, nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt. Episcoporum vero ordo vnus est, licet sint Primates illi qui primas ciuitates tenent, qui & in quibusdam locis Patriarchæ à nonnullis vocantur. Illi autem, qui in metropoli à beato Petro ordinante Domino, & à prædecessore nostro prædicto sancto Clemente, siue à nobis constituti sunt, non omnes Primates vel Patriarchæ esse possunt, sed illæ vrbes quæ præfatis & prisсis temporibus Primatum tenuere, Archiepiscoporum, Patriarcharum, aut Primatum nomine fruantur: Reliquæ vero metropoles Archiepiscoporum, aut metropolitanorum; & non Patriarcharum, aut Primatum vtantur nominibus, quia hæc eadem & leges sæculi in suis continent Principibus. Aliæ autem primæ ciuitates, quas vobis conscriptas in quodam tomo mittimus, à sanctis Apostolis & à beato Clemente, siue à nobis Primates Prædicatores acceperunt. Hæc vero sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab aliis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et paulo post. *Prima ergo sedes est cælesti beneficio Romana Ecclesia; quam vt memoratum est, beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius discipulo, atque Euangelista consecrata est, quia ipse & in Ægypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicauit, & gloriosum suscepit martyrium, cui venerabilis successit Habilius. Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem beati Petri Apostoli habetur honorabilis, quia illic prius quam Romam veniret, habitauit, & Ignatium Episcopum constituit, & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est. Reliquas vero, vt prædiximus in quodam tomo, prolixitatem vitantes Epistolæ, vobis conscriptas direximus: inde namque & beati Apostoli inter se statuerunt, vt Episcopi singularum scirent gentium quis inter eos primus esset, quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam & inter beatos Apostolos quædam fuit discretio, & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus, quia & eandem formam suis successoribus, & reliquis Apostolis tenendam tradiderunt, & non solum hoc in nouo testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit, vnde scriptum est; Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, id est, primi inter eos fuerunt.* Inde factum Nicænum Concilium paucioribus quidem verbis, sed non minore auctoritate decreuit: *Quoniam antiqua consuetudo* scilicet quæ apud Ethnicos statuta fuerat, & Apostolica est postea constitutione firmata, *seruetur, vt Alexandrinus Episcopus suorum omnium habeat potestatem; quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est, similiter & apud Antiochiam, cæterasque Prouincias sua priuilegia seruentur Ecclesiis.* His autem prætermissis, sed & quæ Zepherinus decreuit, *Vt quilibet Episcopus accusatus à XII. iudicetur Episcopis;* Ad Calistum, & ad Lucium te contulisti, & quæ Stephanus statuit, qui post eos fuit, contingere noluisti; qui dicit; *Nullus præfati ordinis, videlicet Episcopalis, vir accusari potest, aut respondere suis accusatoribus debet, priusquam regulariter à suo Primate vocatus sit, locumque defendendi & inquirendi accipiat ad abluenda crimina. Nulli enim metropolitani, aut alii Episcopi appellentur Primates, nisi hi, qui primas sedes tenent, & quorum ciuitates antiquitus Primates esse consueuerunt. Reliqui vero, qui ciuitates metropolitanas adepti sunt, non Primates, aut Archiepiscopi, sed metropolitani vocentur. Vrbes enim & loca, quibus Primates præsidere debent, non modernis, sed etiam multis ante aduentum Christi sunt statuta temporibus, quorum Primates etiam gentiles, pro maioribus negotiis appellabant. In ipsis vero vrbibus post Christi aduentum Apostoli & successores eorum Patriarchas vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia, salua in omnibus Apostolica auctoritate, & maiores causæ post Apostolicam sunt sedem referendæ. Et licet, Apostolo prohibente, inter Christianos non debeant accusationes exercere si prohiberi non poterint, accusationes Episcoporum ad memoratos Primates debent ab accusatoribus deferre. Studendum est tamen Episcopis, vt dissidentes fratres magis ad pacem, quam ad iudicium cohortentur. Episcopus autem aliter non debet audiri vel iudicari, nisi in præsentia omnium comprouincialium, & ab omnibus comprouincialibus Episcopis, qui, ipsis absentibus, iudicari nec debet, nec potest.* Deinde plurima ex plurimis exponent, quæ tibi visa fuerunt tecum facere, sed reuera probantur redarguere, Pelagium decessorem sancti Gregorij transilisti & verba successoris eius B. Gregorij ad Theoctistam Patriarcham, à suo sensu, quantum ex te fuit, alienans, alienis à beato Gregorio verbis imposturasti. Ait enim idem Pelagius ad Episcopos, qui iniusta vocatione Ioannis ad Synodum Cõstantinopolim, vt decernerent eum vniuersalem vocari, conuenerunt: *De cætero* (inquiens) *fratres, super Prouinciæ causa, vnde sedem Apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tractatum à sanctis Prædecessoribus nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis; scitote certam Prouinciam esse quæ habet decem vel vndecim ciuitates, & vnum Regem, & totidem minores potestates sub se, & vnum Episcopum, aliosque suffragatores decem vel vndecim Episcopos iudices, ad quorum iudicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac ciuitatum causæ referantur, vt ab his omnibus iuste cõsona voce decernãtur, nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his, qui iudicandi sunt, appellatum. Vnde non oportet vt degradetur vel dehonoretur vnaquæque Prouincia, sed apud semet ipsam habeat iudices Sacerdotes, & Episcopos singulos, videlicet iuxta ordines suos, & quicumque causam habuerit, à suis iudicibus iudicetur, & nõ ab alienis, id est,*

à suæ iustis iudicibus Prouinciæ, & non ab externis, nisi, vt iam prælibatum est, à iudicandis fuerit appellatum. Si vero in qualibet Prouincia orta fuerint quæstiones, & inter ipsius Prouinciæ Episcopos discrepare cœperit ratio, atq; inter ipsos dissidentes non conuenerit, ad maiorē tunc sedē referātur. Et si illic facile & iuste non discernuntur; vbi fuerit Synodus regulariter congregata, Canonice & iuste discernantur. Maiores vero & difficiles quæstiones, vt sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad sedem Apostolicam semper referantur.

Cap. XVI.

Vide, frater, vtrum certa sit Prouincia metropoli Remorum ex antiquo subiecta, quæ Metropolis XI. ciuitates sub se habuit, etiam antequam beatus Remigius auctoritate Africani Concilij ordinaret Episcopum in Castello, in quo & tu metropolis tuæ suffragator, es ordinatus Episcopus. & refragator ipsius dignitatis atque auctoritatis, asse, vt dicitur, exeremisti de pusillo magnus apud te, oppidanus Episcopus. Quod; sicut Eutropius antiquus Historiographus dicit, auctore Marcobrio prætore conditum, ab exordio sui in paganismo inter ciuitates vel Prouinciales sedes nomen & locum non habuit. Et postquam beatus Sixtus à Sixto sedis Romanæ Pontifice primus ad Remensem metropolim fuit directus Episcopus, in Christianismo per XV. Archiepiscoporum tempora, plurimis annorum euolutis curriculis, in Remensi parrochia, sicut & alia municipia, quæ hodieque ibidem consistunt, municipalem locum tenuit, sicut & tomus, quem Anacletus Episcopis de sedium priuilegiis se interrogantibus se misisse dicit patenter ostendit, veluti ipse legere potes in eodem breuiario, in quo descriptis ciuitatibus metropoli Remorum subiectis, nomen Castelli, in quo es ordinatus Episcopus, nequaquam inuenies; sed & per plures annos tempore eiusdem beati Remigij, qui vt veraces nostratiū historiæ monstrant, LXXIV. & eo amplius annos in Episcopatu degens, & multis insignis virtutibus clarus, iam in senecta sua ibidem ordinauit Episcopum, & rebus ecclesiasticis quoniam secundum sacras regulas quicquid rerum & manciporum in ordine Episcopatus adquirit Episcopus, sicut & illæ, quæ ante fuerunt Ecclesiæ habentur Ecclesiasticæ, idem Episcopium sufficienter ditauit. Quamobrem sicut sedes ecclesiarum, scilicet Romanæ, Alexandrinæ atque Antiochenæ idcirco specialiter legimus sedes dici, cum plurimæ sedes & Apostolorum, sicut Iacobi Hierosolymæ, & Ioannis apud Ephesum in qua sedit, & Timotheus beati Pauli discipulus, & multæ aliæ principalium ciuitatum, quoniam sedes sunt quin potius licet disparentur longinquitate terrarum, vna sedes sunt magni Petri Apostolorum principis: Ita pro modo suo Remorum metropolis, & Laudunensis parrochia specialiter inter cæteras sedes Prouinciales Remorum Prouinciæ vna est sedes; quia beatus Remigius eandem sedem Laudunensem in subsellio Remensis metropolis consedere fecit, quam à sua Parrochia, non autem à diocesis Prouincia scidit. Quia vero Alexandrina, & Antiochena sedes, sicut & Romana, beati Petri sint sedes, Leo ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum monstrat, dicens, *Cum enim beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit Principatum, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere quod sanctus discipulus ipsius, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, aliis regulis traditionum suarum decreta formauerit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus & discipuli fuerit & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, vt cum vnius corporis & fidei fateamur, in aliquo discrepemus, & alia doctoris, alia discipuli instituta videantur.* Et sanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum Episcopum: *Veritatis* (inquit) *minister, Petri sequax, & sanctæ Ecclesiæ prædicator illa scire, quæ loqui potuisti quæ de sede Petri Apostoli per os doctoris sonare debuerunt.* Et item idem ad eundem: *Sit ergo illi laus, sit in excelsis gloria, cuius dono adhuc in sede Petri clamat vox Marci.* De Antiochena autem Ecclesia sanctus Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopum dicit; *Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vnam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus esse necessarium custodire, quia super dioecesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliam aliquam Prouinciam recognoscimus constitutam. Vnde aduertimus non tam pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur, vbi & nomen accepit religio Christiana, atque conuentum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitum meruit, ista susceptum apud se consummatumque gaudet.* Et Leo ad Maximum Antiochenum Episcopum: *Oportet* (inquit) *dilectionem tuam toto corde conspicere, cuius Ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluit præsidere, & eius meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus per totū quidem mundum vniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena, & Romana vrbe fundauit, vt illum in suæ glorificationis domicilio præeminentem ea intelligas reposcere constituta, quæ tradidit; sicut ab ipsa, quam confessus est, veritate suscepit. Neque vllo modo sinas in Orientalibus Ecclesiis maximeque his, quas Antiochenæ sedi sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputarunt, ab improbis hæreticis Euangelio resultari.* Et post aliquanta: *Dignum est enim te Apostolicæ sedi in hac sollicitudine esse consortē, & ad agēdi fiduciam priuilegia tertiæ sedis agnoscere, quæ in nullo cuiusquam ambitione minuitur: quia tanta apud me est Nicænorum canonum reuerentia; vt ea quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari: Et si enim diuersa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen iura permanent sedium, quibus possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem.* Et sanctus Gregorius ad Anastasium Antiochenum Episcopum: *Ecce in sancta senectute beatitudo vestra multis tribulationibus laborat, sed perpendat cuius sedem teneat: nunquid non illius, cui voce veritatis dictum est, Cum senueris alius te cinget, & ducet quo non vis?* Et item ad eundem: *Amen gratia, quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta idcirco in meis epistolis pono, vt de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solum vester est; sed etiam noster: sicut enim magistrum eius Apostolorum principem habemus communem; ita quoque eiusdem principis discipulum nullus nostrum habet priuatum.* Hunc enim Ignatium beatus Petrus quādo Romam petiit, Antiochiæ pro se ordinauit Episcopum. Et licet beatus Petrus antea in Antiochia sederit, quam Romam venerit, vnde Marcum Alexandriā misit. Non tamen ideo Antiochia secunda, sed tertia sedes; & Alexandrina Ecclesia secunda sedes dicitur propter priuilegium Euangelii, quod sanctus Marcus Euangelista ore Petri excepit atque conscripsit, quod & in Alexandria prædicauit, & Alexandrinum populum cum subiectis eidem magnæ ciuitati vrbibus veræ fidei fundamento fundauit, sicut & sanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum Episcopum inter cætera scribit dicens: *Est aliquid quod me erga Alexādrinā Ecclesiā quadam peculiaritate constringit, & in eius amore promptiorem existere speciali quodammodo lege compellat. Nam sicut omnibus liquet quod beatus Euangelista Marcus à sancto Petro Apostolo magistro suo Alexandriā sit transmissus, huius nos magistri & discipuli vnitate constringimur, & vt ego sedi discipuli præsidere videar pro-*

Ioan. 21.

per magistrum, & vos sedis magistri propter discipulum. Ad hanc autem vnitatem cordium etiam vestræ sanctitatis meritis ligamur, quos auctoris sui salubriter sequi instituta cognoscimus, & semper ad magistri sui gremium vnde illic prædicatio salutis exorta est, tota se conferre deuotione sentimus. Et item quod tres illæ sedes, scilicet Romana, Alexandrina, & Antiochena, vna sit Petri sedes, ad eundem Eulogium Alexandrinum Episcopũ scribit: *Suauissima* (inquiens) *mihi sanctitas vestra multa in Epistolis suis de sancti Apostolorum Principis Petri cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc vsque in suis successoribus sedeat, & quidem ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco: sed cuncta quæ dicta sunt in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet, & cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum, quia vos sanctissimi quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate confirmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus a Petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur; Tibi dabo claues regni cælorum: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos; iterum, Symon Ioannis amas me, Pasce oues meas.* [*Matth. 16. Luc. 22. Ioan. 21.*] *Ita & cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu, sola Apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem in qua etiam quiescere, & præsidendo vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem in qua Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis quamuis discessurus, sedit. Cum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex auctoritate diuina, tres nunc Episcopi præsident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo; si quid de me boni creditis hoc vestris meritis imputate, quia in illo vnum sumus, qui ait; Vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* [*Ioan. 17.*] Si ergo, frater, immemor beneficiorum à me tibi impensorum oblitus, aduersum me rebellare non times: time tamen rebellare aduersus beatum Remigium, qui, sicut modo audisti, nunc vsque in suis successoribus qualibuscumque sedeat: & quia sedes illius est, in qua resides ex auctoritate diuina & ipsius beati Remigij benignitate tota sedes, quod antea non fuerat, computata: quicquid de me, qui sedeo in sede illius, boni audis, tibi imputare debes, quia quicquid de te boni audio, mihi imputo: & quicquid de te sinistrum audio, non tantum tuis, sed & meis peccatis imputo, per cuius manus impositionem Dei iudicio te in illa sede residere cognosco. Desine ergo ab ea, quam cœpisti, mentis improbitate, & adsu mementis humilitatem cum virtute sanctæ obedientiæ, vt in illo vnum simus, qui ait; *Vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint.* [*Ioan. 17*] Quoniam, sicut & ex verbis Apostolicæ sedis audisti, licet harum Ecclesiarum, Alexandrinæ scilicet, & Antiochenæ præsules beati Petri sedes tenere se cognoscant, quod & Romani Pontifices attestantur: non tantum subditas easdem sedes Romanæ sedi denegant, nec ipsi Romano Pontifici subdi modo quolibet dedignantur; nec tui decessores ac prædecessores subdi dignati sunt Remorum Episcopis, & de rebus Ecclesiæ Remorum metropolis; de quibus ditatum est Episcopium Laudunense, quando in ipsam venerunt parrochiam, humiliter, ac benigne Remensi Ecclesiæ famulari, ex quo beatus Remigius sanctum Genebaudum in Laudunensi castello Episcopum non solum constituit, sed etiam, vt ostendit antiqua traditio, & monimentum reclusionis, quæ eum propter excessum notissimum secundum regulas reclusit, post dignam satisfactionem restituit, sicut & mihi decessores tui Simeon, & Pardulus, cui successisti, exhibuerunt vsque ad tuam prælationem, quem Remensis Ecclesia ab ipsis (vt ita dicam) cunabulis dulci benignitate nutriuit, & pannis infantiæ eluit, atque exuit, & ad virum perduxit, atque ad Episcopatum prouexit, de quo nunc per ea sibi seruientium eum suspirus ac gemitibus dicit, *Ex nobis exiit sed non erat ex nobis; si enim fuisset ex nobis, permansisset vtique nobiscum.* [*1 Ioan.*] Et attendens qualiter Episcopi ciuitatum suæ Prouinciæ, quos non nutriuit, sed regulariter ordinauit, ei benignitatis, & humilitatis atque obedientiæ impendant obsequia, dicit: *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, filij autem alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterauit,* [*Psal. 17.*] videlicet, quia quod agit, ad hominem vetus pertinet, *& claudicat a semitis suis;* quas in mandatis Domini per humilitatem & obedientiam debuerat currere, & sumens lamentum Domini de Esaya: *Filios* (inquit) *nutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* [*Esai.*] Et licet tu hoc forte non recogites, neque timeas, certus tamen esse potes, quia sanctus Remigius à te reposcet in conspectu Domini obedientiam dependendam suis successoribus, & tuis præpositis, quam instituit, quando in eodem castello, in quo ordinatus es, consecrauit Episcopum, sicut de verbis beati Leonis ad Maximum Antiochenum Episcopum, *Præposuit beatum Petrum in sua glorificationis domicilio præeminentem ea reposcere instituta, quæ in Antiochia tradidit.* Attamen, velis nolis, sanctus Hormisda Papa tibi ostendet Primatem esse huius Prouinciæ illum, qui in sede beati Remigij apud Remorum Metropolim est ordinatus Episcopus. Ait enim in Epistola ad eum directa *Dilectissimo fratri Remigio Hormisda: Suscipimus plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germana salutis tuæ lætificauit indicio corporali cum spiritualibus effectis incolumitate subnixo, congruum hanc ipsam quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prerogatiuam igitur de nostri sumpsimus electione iudicij, quando id operatum te esse dicimus, quod ceteris agendum obnixius imperamus, vt in Prouinciis tanta longinquitate disiunctis, & Apostolicæ sedis vigorem, & Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filij nostri Clodouei, quem nuper adminiculante superna gratia, plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam concomitantibus ad fidem cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, salutis priuilegiis quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti auctoritate committimus; augentes studiis huiusmodi participatione ministerij dignitatem, reuelantes nostras eius remedio dispensationis excubias, & licet de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probauimus acutius vniuersa seruari, gratius tamen esse solet, si cunctis teames ostenditur, & laboraturis in iunctis operis forma monstratur. Paternas igitur regulas, & decreta sanctissimis diffinita Conciliis ab omnibus seruanda mandamus; in his vigilantiam tuam, in his curam fraterna monita exhortationis ostendimus: his ea quanta dignum est reuerentia custoditis, nullum relinquit culpa locum sancta obseruationis obstaculum; ibi fas nefasque perscriptum est ibi, prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare; ibi concessum quid debeat mens Deo platitura præsumere. Quotiens vniuersa poscit religionis causa concilium, te cunctis fratres euocante conueniant; & si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra legis determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel persona nostra auctoritate confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat, eò fit vt noster animus officiis caritate datis, & tuis securitate perfruatur acceptis. Deus te incolumẽ custodiat, frater carissime.* Sed & Adrianus Papa Tilpino prædecessori nostro talia suæ auctoritatis priuilegia, & sibi commissæ Ecclesiæ dedit,

sicut scripta quæ habemus, demonstrant, quæ exigui tas mea nec meruit, nec ambit, nec appetit, nec requirit. quanquam & quarti Leonis, & nomine ac gratia Benedicti auctoritas, mihi priuilegia non à me quæsita contulerint, quia sufficiunt mihi quæ per sacros Canones vnicuique sunt Metropolitano conlata: vnde sicut omnibus generaliter Episcopis conuenit pro Romano Pontifice, & speciali Petri Vicario Dominum exorare, veluti & traditio demonstrat Ecclesiastica, de qua Cœlestinus dicit: *Obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex statuat supplicandi, eidem ab omnibus obediri oportet, sicut ex Euangelica & Apostolica auctoritate, maiorum traditione, atque antiqua consuetudine noscitur esse decretum, sic ab omnibus Prouinciæ Coepiscopis, qui à Primate sua Metropolis ordinantur, conuenit secundum sacras regulas obediri, & pro eo Dominum supplicari, quoniam incolumitas præsidentum, salus est subditorum.* Sed & te in his vigilantiorem curam exhibere conuenerat, quem taliter, vt præmisi, à se nutritum Rhemorum Metropolis in subsellio sedis suæ ordinauit Episcopum, quæ non meo, sed ex scripturarum sensu beati Leonis institutione profero: *Instante*, inquit, *passione sua, Dominus quæ discipulorum erat turbatura constantiam ait: Symon, ecce Sathanas expostulauit, vt vos cerneret velut triticum: ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos; & omnibus Apostolis, Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Communis erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant: quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, vt pro fide Petri proprie supplicetur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Cum itaque & vobis Prouinciæ Coepiscopis per Primatem eius orationibus, & manus impositione in ordinatione gratia sancti Spiritus, & Episcopalis ordo tribuitur, iustum esse perpenditur, vt Papa Romano Prælato, ei à vobis orationis deuotio, & obeditionis dilectio rependatur, quod & in illis temporibus actum legimus, in quibus non adeo abundauit iniquitas, & refriguit charitas, sicut modo in nostris agitur. Lege nimirum Epistolam Leonis ad Anastasium, & inuenies cum Attico Metropolitano Episcopos Prouinciæ suæ Romã venisse sine datis inducus, non retardatos metu sublimissimæ inter mundanos apices potestatis, per sæuitiam hyemis, per iter asperum & periculis plenum, per inuias niues, cum tanto labore atque discrimine, vt ex his, qui Episcopum comitati sunt, quidam defecerint, vt cum eo de indignissima afflictione quam pertulit lacrimabili actione conquererentur: quod tu quomodo ageres si Metropolitanum tuum hoc indigere videres, qui quantiscumque potes molitionibus certas, vt tuæ Metropoli auctoritatem ex antiquo per sacras regulas attributam deroges, ac per hoc omnibus Metropolitanis debita iura tollas. Sicut enim Apostolus Corinthiis dicit: *Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.* Et si aliis Primas forte non essem, tibi tamen apud te Primas esse debueram: nam signaculum primatus mei tu es, quem sine interrogatione primatis alterius, cum consensu Coepiscoporum Rhemensis Prouinciæ potui ordinare Episcopum, qui me tunc vehementer ac inhianter cupiebas esse Primatem totius Prouinciæ, tantum vt vel in vno oppidulo posses esse Episcopus, & etiamsi vellem, & auctoritas ac ratio foret, honoris ac potestatis cupidus vicanus fieri consentires Episcopus, qui Græce vocatur Chorepiscopus, sicut nunc

[Margin: Luc. 22. Mat. 26] [Margin: Cor. 9.]

paret, qui humilitatis ministerio, ac potestate abuteris in cupiditatis ac superbiæ vanitate.

Cap. XVII.

Et cum hæc ita se habeant, non miror si te ad hoc potuit prouocare, vt aduersum me tumeres, & nolles secundum diuinam dispositionem esse subiectus, qui conditori suo nolens subici, de cœlo cum suis cumplicibus in hunc caliginosum aërem miserabiliter est deiectus, æternis suppliciis cruciandus. Nam & in veteri testamento minoris dignitatis sacerdotes contra potiores suos se eleuauerunt, Chore scilicet cum suis complicibus, vnde vindictam debitam à Domino susceperunt, sicut veneranda narrat historia. In nouo nihilominus testamento inter sacros ordines legimus seditiones exortas, & primum quidem Diaconibus se aduersus Presbyteros; itemque Presbyteris & Chorepiscopis aduersus Episcopos efferentibus, vnde nunc necesse non habemus sermonem in longum protrahere, quæ nouimus à sacris Canonibus esse composita tantum de Episcopali ordine dicamus, quem etiam ignis cupiditatis, & rapina altitudinis adeo potuit inflammare, sicut scriptum est; *Aperi Libane portas tuas, & consumat ignis cedros tuas:* vt quiq; Dei ordinationi resistere non metuerunt, vt sibi præpositis non subessent, etiam hæreses & schismata condiderunt, seque ipsos ab vnitate Ecclesiæ proiecerunt, sicut multis documentis ostendere possumus. Rebellantes quoque Episcopi aduersus Metropolitanos, siue Archiepiscopos suos (his enim duobus nominibus huius excellentiæ dignitas designatur) itemque Metropolitani vel Archiepiscopi aduersus Primates vel Patriarchas, qui in his duobus nominibus vno priotatu funguntur. Sed & quidam Archiepiscopi vel Metropolitani Primates Prouinciarum multones in sacris Canonibus inueniuntur illi videlicet qui in loco defunctorum Archiepiscoporum vel Metropolitanorum ab Episcopis vniuscuiusque Prouinciæ sine interrogatione alterius Primatis præualent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege, à sede Apostolica pallij solent genio insigniri; Et in loco decedentium Episcoporum sine consultu vel licentia Primatis alterius in sua Prouincia quique possuos Episcopos ordinare, sicut sanctus Gregorius scribens ad Augustinum Anglorum Episcopum, euidenter ostendit: *In Galliarum*, inquiens, *Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minime debemus.* Et post aliquanta, *Ipse auctoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eis imitanda monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studium reforma: quia scriptum est in lege, Per alienam messem transiens, falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere & manducare. Falcem enim iudicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis expolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo conuerte. Quod vero ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi Episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc quod antiqua Patrum institutio inuenit,* et quod de hoc vno primate Gallicano, qui à sede Apostolica pallium acceperat, dixit, hoc & de reliquis Galliarum, & Belgicorum, atque Germanicorum Primatibus est vtique intelligendum inter quos, sicut & inter reliquos Episcopos, hæc conditio regularis seruatur, vt qui prius fuerit ordinatus prior habeatur, velut idem sanctus Gregorius in epistola ad præfatum Augustinum patenter ostendit. De quibus Primatibus & Africæ Prouinciæ Concilia dicunt: *Quisquis*, inquiens, *Episcoporum accusatur, ad Primates Prouinciæ ipsius causam deferat accusator.* at item:

[Margin: Num. 16] [Margin: Zach. 11] [Margin: Lib. 12. ep. 31.] [Margin: C. Cart. c. 9. Ibid. c. 28. Ib. c. 17.]

Qui prouocandum putauerint, ad Primates suarum prouinciarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est, prouocent. Et item: *Quod si & ab eis, scilicet vicinis Episcopis, prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum.* Et item: *Vt unaquaque Prouincia propter longinquitatem primatem habeat proprium. Placuit vt Mauritania Sitifensis, vt postulauit, Primatem prouinciæ Numidiæ, ex cuius cœtu separatur, suum habeat primatem, quem consentientibus omnibus primatibus prouinciarum Africanorum, vel omnibus Episcopis propter longinquitatem habere permissa est.* Et, *Episcopus qui ad Synodum occurrerit,*

Ib. c. 23.

ad primatem suum iubetur rationem impedimenti sui reddere, & ille primas debet dare iudices, in cuius prouincia locus est constitutus, & causa finienda sunt per iudices Episcopos, siue quos primates dederint, siue quos inter se conquirentes vicinos ex consensu delegerint. Et, *Episcopi trans mare proficisci non debent, nisi consulto primæ sedis Episcopo sua cuiusque prouinciæ.* Sanctus quoque Zosimus vniuersis Episcopis per Gallias & septem Prouincias constitutis scripsit; *Quia quisquis prætermissa metropolitani sui formata, siue ille Episcopus, seu presbyter, siue diaconus, aut deinceps inferioris gradus sit, ad eum peruenerit, sciat se suscipi omnino non posse.* Et Hylarius Papa in decretis ad quinque Prouincias: *Illud etiam non potuimus præterire quod sollicitudine diligentiore curandum est; ne præter metropolitanorum suorum litteras, aliqui Episcopi*

Ed. Ro. * Innocentiú.

ad quamlibet prouinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri. Et sanctus Gregorius ad * Vincentium, & cæteros Episcopos scribit: *Hortamur*, inquiens, *fraternitatem vestram, vt si quisnquam vestrum pro causis propriis vbicumque longius compulerit ambulare necessitas, à metropolitano vestro secundum inditam à sanctis patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si (quod non optamus) contra eundem metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contigerit, vt ob hoc sedis Apostolicæ iudicium, hi, qui petere festinant, licentiam habeant: quod scitis per Canones, etiam antiquorum patrum institutione permissum.* In promptu est enim illum de Sardicensibus Canonibus dicere, de quibus & Innocentius ad Victoricium memorat, & hinc multotiens idem beatus Gregorius in Epistolis suis ad Gallicanos, & ad alios Episcopos scripsit. Sed & leges Romanæ à Iustiniano Imperatore promulgatæ, quas probat Ecclesia, decernunt: *De Episcoporum sine metropolitani sui auctoritate profectione:* Cuius partem constitutionis hic, quantum conuenire putaui, subjunxi hoc modo: *Non liceat Episcopis suas quidem Ecclesias relinquere, in alienas autem prouincias peruenire; sin autem ex causa fecerint necessaria, ostendant vel literas*

Cap. 9.

Patriarchæ aut Metropolitani sui: & reliqua. Et secundum Canones Sardicenses, *De qualibet prouincia episcopi ad eum fratrem & Coepiscopum preces mittere debent,*

Cap. 4.

qui in metropoli consistit, si longius ire voluerint. De quibus Primatibus ac metropolitis Nicænum dicit Concilium: *Episcopus*, inquiens, *conuenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in prouincia, episcopus ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus autem omnimodo in idipsum conuenientibus, & omnibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur; firmitas autem eorum quæ geruntur per unamquamque prouinciam metropolitano tribuatur episcopo.*

Cap. 6.

Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna Synodus diffiniuit episcopum esse non oportere. Et hinc Innocentius ad Victoricium scribit: *Primum*, inquiens, *vt extra conscientiam metropolitani, episcopum nullus audeat ordinare.* Et Leo ad Theodorum Episcopum:

Epist. 91.

Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum metropolitano tuo, de eo quod quærendum esse videbatur, conferres. Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. In quo metropolitanorum, & Archiepiscoporum, atque Primatum ordine, inuenitur in sacris Canonibus quædam honoris consequentia, de qua mystica Nicæna Synodus statuit: *vt Helia*, id est, Hierosolymorum, *honoretur episcopus.* Videlicet, vt quæ gratia mysteriorum Domini Dei Regis, & Sacerdotis nostri Iesu Christi, ciuitas sancta meruit appellari; etiam eius Episcopus consequentiam honoris haberet. *Quia*, inquit Nicænum Concilium, *consuetudo obtinuit & antiqua traditio vt Heliæ episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salua metropolis propria dignitate.*

C. Nic. 7.

Et hac constitutione ipsius ciuitatis Episcopus inter Patriarchas & Primates meruit computari, salua metropolis propria dignitate, sicut & Constantinopolis ciuitas, quæ ante * *Lychos*, vel Bizantium dicebatur, Eracleotes suffraganea, sanctione imperiali, & consensu Apostolicæ sedis ac generalis Synodi, salua metropoli propria dignitate, atque inter Patriarchas vel Primates decreta est computari

* vel. L.

quam honoris consequentiam, salua metropoli dignitate, & beatus Gregorius seruari ostendit, quando Syagrio Augustodunensi episcopo petenti pallium pro genio & honore ecclesiæ suæ tribuit dicens. *... e indumenti huius munificentiam tibi nudam videamur quoquo modo contulisse, hoc etiam pariter perspeximus concedendum, vt metropoli suæ per omnia loco & honore seruato ecclesia, ciuitas Augustodunum, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum, ac ordinem ex nostra auctoritatis indulgentia vindicare: cæteros vero episcopos secundum ordinationis suæ tempus sibi ad consedendum in Concilio, seu ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua tenere loca decernimus, & suorum sibi prærogatiuam ordinum vindicare, quia omnino rationis ordo nos admonuit, vt cum vsu pa... aliqua simul largiri priuilegia debeamus.* Hos namque qui huiusmodi priuilegia siue per imperialem pragmaticam formam, siue per pallij ab Apostolica largitionem adepti sunt, Græci secundos metropolitanos appellant: de quibus & in gestis Calcedonensis Concilij & in eiusdem Synodi Canonibus, & decretis Innocentij inuenimus, quibus & aliis sacrorum Canonum, & decretis sedis Romanæ claret sententiis, eosdem metropolitanos Primates esse singulos singularum Prouinciarum, qui ex antiqua, vt præmisimus, consuetudine & Apostolica traditione, secundum sacros Nicænos Canones, & conuocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à Prouincialibus coepiscopis sine cuiusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas Prouincias queunt. Quorum etiam priuilegium Antiocheni Canones manifestant, dicentes: *Ad metropolitanum episcopum sollicitudinem totius prouinciæ pertinere:* Qui ad tollendam controuersiam inter Episcopos suæ Prouinciæ exortam, à vicina Prouincia debet iudices alios conuocare. Illi autem Archiepiscopi, vel metropolitani, qui hæc sine consultu Primatis non possunt exequi Archiepiscopi tantum vel metropolitani habentur, sicut & in gestis Calcedonensis Concilij & in eiusdem Synodi Canonibus, & decretis Innocentij, & in Epistola Leonis ad Anastasium Thessalonicensem episcopum inuenimus. Ait enim Innocentius ad Alexandrum Antiochenum episcopum: *Reuoluentes*, inquiens, *auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vnam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, quia super Diœcesim suam prædictam ecclesiam, non super aliquam aliam prouinciam recognoscimus constitutam.*

Epist. 18.

Et post aliquanta. *Itaque arbitramur, frater charissime, vt sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas episcopos procreari, in quibus hunc modum recte seruabis, vt longe*

positis, litteris datis, ordinari censeas ab his, qui nunc eos sustentum ordinant arbitratu: vicinos autem, si aestimas, ad manus impositionem tua gratia statuas peruenire, quorum enim te maxime spectat cura, praecipue tuum debent mereri iudicium.

Et Leo scribens ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, euidenter ostendit quam Praelationē Primas metropolitanorum ex delegatione Apostolicae sedis habere debeat, dicens: *De persona consecrandi Episcopi, & de cleri plebisque consensu metropolitanum episcopum ad fraternitatem tuam referat, quodque in Prouincia bene placuit, scire te faciat, vt ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Metropolitano vero defuncto, cum in loco eius alius fuerit subrogandus, Prouinciales episcopi ad ciuitatem metropolim conuenire debebunt, vt omnium clericorum, atque omnium ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem ecclesiae, vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam Prouinciales referant Sacerdotes; impleturi vota poscentium, cum quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint.* Et item, *In euocandis à te Episcopis moderatissimum esse te volumus, ne per maioris diligentiae speciem fraternum gloriari videaris iniuriam. Vnde si causa aliqua maior erit, ob quam rationabile, ac necessarium sit fraternum aduocare conuentum, binos de singulis Prouinciis episcopos quos metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat, vt non amplius ab statuto Concilii tempore quam dies quindecim remorentur episcopi.*

Quos metropolitanos contra suos Primates se eleuasse in gestis Calcedonensis Synodi reperimus; quosque eadem Synodus iuste redarguit & auctoritate repressit; Patriarchas quoque vel Primates, qui duobus his nominibus in vnius Prioratus funguntur officio, non solum aduersus tertiam & secundam sedem, verum & contra primam & Apostolicam sedem legimus extulisse, adeo vt Episcopus Constantinopolitanae ciuitatis, olim Eracleonis suffraganeae, contra regulas tertiae sedis Episcopum ordinare praesumpserit, & secundae sedi se à Synodo & ab Imperiali potestate praeferri contra regulas obtinuerit. Et quia mens potentiae auida non potest concessis sibi limitibus esse contenta, ad hoc vsque prorupit, vt contra primam & Apostolicam sedem vniuersalem vocari se fecerit, sicut in epistolis magni Leonis Papae, ac beati Gregorii, & nuper Nicolai relegimus. Cuius profani vocabuli praesumptio, in pinna scilicet altitudinis, qualiter repulsa sit à beato Leone, vna cum arrogantia appellationis indebitae à Constantinopolitano Episcopo vsurpatae, quia tuae compilationis perplexitas eius dicta alibi exigit ponere, suo loco inuenies. Et quid de eodem vocabulo beatus Gregorius senserit & decreuerit, hic pro loci opportunitate duxi ponendum; cuius verba latius ac plenius in eisdem epistolis, de quib. hic quaedam defloraui, lector poterit inuenire: Ait enim in epistola ad ipsum Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, qui se vniuersalem Episcopum satagebat vocari. *Rogo*, inquiens, *deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, vt fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat.* Et item, *Perpendo rogo, quia in hac praesumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiae, & gratia contradicitur communiter omnibus effusa.* Et item, *Quis rogo in hoc tam peruerso vocabulo nisi ille ad imitandum proponitur, quo despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus praeesse videretur?* Et item; *Certe Petrus Apostolorum princeps, membrum sanctae & vniuersalis Ecclesiae, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam singularum sunt plebium capita, & tamen sub vno capite omnes membra? Atque vt cuncta breui cingulo locutionis adstringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt ecclesiae constituti; & nemo se vnquam vniuersalem vocari voluit. Vestra ergo sanctitas agnoscat quantum apud se tumeat, qua illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus praesumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Nunquid non, sicut vestra fraternitas nouit, per sanctum & venerandum Calcedonense Concilium huius Apostolicae sedis Antistites, cui Deo disponente deseruio, vniuersales oblato honore vocati sunt; sed tamen nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Et item, *Quid ergo, frater charissime, in illo terribili examine venientis iudicis es dicturus, quo non solum pater, sed etiam generalis pater in mundo vocari appetis? Ecce ex hoc nefandi elationis vocabulo Ecclesia scinditur, fratrum omnium corda ad scandalum prouocantur.*

Lib. 4. ind. 13. Ep. 9.

Et in epistola ad Sabinianum diaconum in Constantinopoli responsalis fungentem officio: *An hac*, inquit, *vsque peruenit* (quòd Ioannes Constantinopolitanus Episcopus) *vt sub occasione presbyteri Ioannis gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum oecumenicum Patriarcham nominaret.* Et post aliquanta: *In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere, vnde sicut tibi iam transactis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere praesumas.* Et ad Constantinam Augustam: *Cum se noua praesumptione, atque superbia idem frater meus vniuersalem episcopum appellet, ita vt sanctae memoriae decessoris mei tempore adscribi se in Synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamuis cuncta acta illius Synodi, sede Apostolica contradicente, soluta sint; triste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quod non eum corripuit, qui superbit, sed me magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Euangeliorum & Canonum statuta, humilitatis atque celsitudinis veritatem defendo. Quae in re à praedicto fratre & consacerdote meo, contra Euangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contraque Canonum statuta agitur.* Et paulo post, *Triste tamen valde est vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus, praedictus frater & Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus; sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designantur?* Et in epistola ad Eulogium Alexandrinum, & ad Anastasium Antiochenum episcopos à pari. *Sicut, inquit, veneranda mihi vestra sanctitas nouit, per sanctam Calcedonensem Synodum Pontifici sedis Apostolicae, cui Deo disponente deseruio hoc vniuersitatis nomen oblatum est, sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit: quia videlicet & si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen caeteris derogatur. Sed absit hoc, à Christiani mente id sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quam ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter vsurpare voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis epistolis neminem vnquam vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum.* Et item, *Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur: & cum fortasse in errore perit, qui vniuersalis dicitur, nullus iam episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Obtestor ergo vt constanter ac sine praeiudicio seruetis, sicut accepistis, Ecclesias, & nihil sibi in vobis hac tentatio Diabolicae vsurpationis adscribat, state fortes, state securi, scriptaque cum vniuersalis nominis falsitate nec dare vnquam, nec suscipere praesumatis: omnes episcopos curae vestrae subiectos ab huius adulationis inquinatione prohibete: Vniuersa vos ecclesia patriarchas non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat: si qua autem forsan aduersa subsequantur, vnanimiter persistentes etiam moriendo debemus ostendere: quia in * damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cū Paulo: Mihi viuere Christus est, &*

Lib. 4. in d. 13. Ep. 32.

Lib. 4. ind. 13. ep. 36.

* fo. Rom. damnādo generalitatis nomine.

Philip. 1.

Lib. 4. ind. 13. Ep. 38.

Ep. 38.

mori lucrum. Audiamus quod primus omnium pastor dicit: Si quid patimini propter iustitiam, beati eritis. Mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate relinquimus quam tenemus. Pro me autem, sicut vestram charissimam beatitudinem decet, orate, vt hoc quod vobis loqui audeo, operibus ostendam. Et item in epistola ad Eulogium Alexandrinum episcopum: *Indicare quoque vestra beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens, sicut iussistis, quod verbum iussionis peto à meo auditu remouete, quia scio qui sum, qui estis; loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui. Non tamen inuenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfecte tenere voluisse: Nam dixi nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, & ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis; quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor vniuersalis Ecclesiæ: Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum: sed absit hoc, recedant verba quæ vanitatem inflant, charitatem vulnerant, & quidem in sancta Calcedonensi Synodo, atq; post, à subsequentibus patribus, hoc est, decessoribus meis oblatum, vestra sanctitas nouit: sed tamen nullus eorum vti hoc vocabulo voluit vnquam, vt dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.* Et in epistola ad diuersos Archiepiscopos à pari: *Cognoscat fraternitas vestra Ioannem quondam Constantinopolitanæ ciuitatis antistitem contra Deum, contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectu & iniuria sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse, & illicite in Synodo superbum ac pestiferum œcumenicum, hoc est, vniuersalis sibi vocabulum vsurpasse, quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta eiusdem Synodi, præter illa, quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorii Episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino destructione cassauit, districtissima illum increpatione corripiens, vt à nouo & temerario superstitionis nomine cohiberet, adeo vt suum cum eo Diaconem, nisi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet; cuius nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione, Deo protegente, seruamus: quia dignum est, vt rectam decessoris viam gressibus inoffensis incedat, qui de eodem loco ad reddendam rationem æterni iudicii tribunal expectat.* Et paulo post, *Hortor atque suadeo, vt nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus consentiat, nullus subscribat, nullus vbi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adiiciat, sed sicut omnipotentis Dei ministros decet; integrum se ab huiusmodi venenata infectione custodiat, & callido insidiatori in se locum non præbeat, quoniam hoc & in totius Ecclesiæ iniuria, ac discissione, & sicut diximus, in omnium vestrum despectu sit. Nam si vnus, vt putat, vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis.* Et post aliquanta: *Nam si quis (quod non credimus) scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, à beati Petri Apostolorum Principis pace se nouerit segregatum. Ita ergo vestra fraternitas agat, vt cum Pastor pastorum in iudicio venerit, de loco regiminis, quem accepit, reatum habere non possit.* Et in epistola ad Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum Ioannis Episcopi successorem: *In hoc,* inquit, *vos medullitus amplectimur, in hoc sacerdotes esse recognoscimus, si repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione*

[1 Pet. 3.] [Lib. 7. ind. 1. Ep. 30.] [Lib. 6. ind. 15. Ep. 4.]

A *nominis scandalizati sumus, & non minimas querelas seruamus in mente, promimus in voce. Vestra autem fraternitas nouit, quia veritas dicit: Si offers munus tuum ad altare, & reliqua. Quæ in re pensandum, quia cum omnis culpa oblato sacrificio deletur, tantum est malum scandali* [Ma...] *alieno cordi generari, vt ab eo qui peccauerit, nec ipsum sacrificium Dominus accipiat, quod delere peccatum solet. Curate ergo cordis nostri scandalum festine detergere, vt possit omnipotens Deus oblationis vestræ sacrificium acceptabile habere.* Et item in alia epistola ad eundem: *Oportet,* inquit, *vt mihi atque omnibus fratribus ve[stris], eius charitatis pulchritudinem in hoc primum opere monstretis, vt verbum superbiæ per quod graue scandalum in Ecclesiis generatur auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes quod scriptum est, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Et rursum: *Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia: Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typhum superbiæ inter nos scissura non fuerit. Ego enim Iesum testem inuoco in anima mea, quia a* B *summo vsque ad vltimum nulli hominum dare scandali occasionem volo: omnes esse magnos & honorabiles cupio, quorum tamen honor honor non decrahit omnipotenti Dei. Nam quisquis se contra Deum honorari appetit, mihi honorabilis non est.* Et paulo post: *Quia hostis omnipotentis Domini Antichristus iuxta est, studiose cupio ne proprium quid inueniat, non solum in moribus, sed neq[ue] vocabulo sacerdotum. Ea ergo quæ nouo modo introducta sunt, ipso ordine quo inlata sunt, auferantur, & pax nobis in Domino inlibata permanebit. Nam quæ erit inter nos dulcedo, quæ charitas, si nosmetipsos vocer [?] ... & ... bus pungimus?* Et in epistola ad Mauritium Augustum: *Eundem,* inquit, *fratrem & consacerdotem meum* qu[i] Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum [stu]*diose admonere curaui, vt si habere pacem omnium concordiamque desiderat, ab stulti vocabuli appellatione compescat, de qua re mihi in suis iussionibus Dominorum pietas præcepit, dicens, vt pro appellatione friuoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo, vt Imperialis pietas penset, quia alia sunt friuola valde innoxia* C *atque alia vehementer nociua. Nunquid non cum se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valde erit, [se]d tamen nimis perniciosum. Sed quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ: si vero pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quo[squ]is se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit: Nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille Deus videri vult super homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super reliquos sacerdotes: Sed quoniam veritas dicit: qui se exaltat, humiliabitur: scio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis ergo pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem friuoli nominis scandalum gignant, qui in superbia & typho cecderunt. Nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non sum.* Et in epistola ad Anastasium Antiochenum Episcopum: *In* D *suscipienda fratris & consacerdotis nostri Cyriaci Synodica epistola, dignum non fuit, vt pro causa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem; sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo eum admonere studui, dicens: quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit: vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi, & vt de honoris vestri iniuria taceam, si vnus Episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit, si vnus, vniuersus cadet, sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ex auribus meis. In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit, citius impleturus est: Omnis qui se exaltat, humiliabitur.*

Cap. XVIII.

Hanc Euangelicam sententiam, frater, intelligenter attende, & tenaciter mente reconde; sed & illam beati Gregorij, quam, vt paulo ante legisti, huic Euangelicæ sententiæ subiunxit, dicens: *Scio quia qualibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur.* Recognosce igitur modum & mensuram tuam tibi à Deo per Canones sacros decretam, & esto humilis in oculis tuis, attendens quod Dominus dixit Sauli; *Nonne cum esses paruulus in oculis tuis, caput in Israel factus es?* Nunc quia magnus es apud te, *abiecit te ne sis Rex.* Et istos veteres & emortuos cineres, à sacris Canonibus dudum sepultos, eorum, qui contra prælatos suos rebellauerunt molirì, desiste resuscitare. Sed timeo quoniam ea, quæ vera & humilia sunt, videre non poteris, albuginem habens in oculo, id est, arrogantiam in mente. Vnde Dominus ad Moysen dicit; *Qui habuerit albuginem in oculo, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Qua de re inculco tibi sententiam beati Augustini ad Iulianum Episcopum iuuenem, & per superbiam male sentientem, ab Ecclesia Catholica segregatum, in alto scripto iam à te lectam, sed vtinam non neglectam. *Quando*, inquit, *animositatem, qua teneris, viceris, tunc veritatem poteris tenere, qua vinceris. Quam scilicet veritatem, si, relicta animositate, non tenueris, discretionem in sanctis scripturis, & in sacris regulis habere non poteris: sicut nec illi, qui eas discrete intelligere noluerunt, & ideo errauerunt quidem torum vices earundem scripturarum non discernendo, sicut hoc quod Dominus dicit: Ego & Pater vnum sumus. Arrius dictum de vnitate substantiæ, vnum, intelligere noluit. Sabellius ad personarum proprietatem, sumus, non retulit, & vterque idcirco errauit, in vnitate quoque vnius eiusdemque personæ ex duabus, & in duabus substantiis, id est, naturis, diuinitatis scilicet, & humanitatis subsistens Dominus noster Iesus Christus. Hoc quod item dixit, Pater maior me est, Arrius non humanitati, sed diuinitati adscripsit, & ideo indignam vitam digna morte finiuit. Quidam vero earum easdem scripturas male interpretando, sicut beatus Petrus de sancti Pauli epistolis dixit; In quibus (inquiens) sunt quædam difficilia ad intelligendum, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Difficilia autem intellectu in epistolis Pauli quæ ab indoctis & instabilibus dicit deprauata, illa sunt maxime in quibus de gratia Dei loquitur, quæ iustificat impios, hoc est, ex impiis facit iustos. Dicit enim ipse Paulus: vbi autem abundauit peccatum, superabundauit gratia: Quod indocti & instabiles non intelligentes, putabant eum dicere; faciamus mala, vt veniant bona.* Absit autem, vt Paulus *suos auditores ad promerenda bona doceat facere mala, cuius omnis intentio est à malis coercere, & ad bona agenda quoscumque potest aduocare. Sed cum dicit, vbi autem abundauit peccatum, superabundauit gratia, donum gratiæ per hoc vehementius commendat, quæ & magna solet conuersis, & minora dimittere peccata: & quanto quis maior ante conuersionem peccata commisit, tanto maiorem gratia donantis indulgentiam conuersus accipit.* Quidam autem ex eisdem scripturis quædam erraserunt, de quibus reuinci timebant, sicut constat Arrianos de Euāgelio erasisse quod Saluator ait: *Quia Deus Spiritus est.* Quoniam credere nolebant quod Spiritus sanctus Deus esset omnipotens. Quidam etiam de epistola Ioannis eraserunt; *Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est*, ne scilicet per auctoritatem beati Ioannis reuincerentur. Vnde Nestorius nescire se prodidit hanc authenticis exēplaribus additam fuisse sententiam, atque ideo soluere non timuit Iesum, dicens beatam Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantum genitricem, vt aliam personam hominis, aliam faceret deitatis: neque vnum Christum in verbo Dei & carne atque anima credens, sed separatim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicans. Quidam nimirum ipsas scripturas verbis illicitis imposturauerunt, sicut Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, qui ab Anastasio Imperatore ideo à ciuitate expulsus legitur, quoniam falsauit Euangelia, & illum Apostoli locum vbi dicit: *quod apparuit in carne, iustificatum est in spiritu.* Per cognationem Græcarum litterarum ο & θ hoc modo mutando falsauit. Vbi enim habuit qui, hoc est, ος, monosyllabum Græcum, littera mutata ο in θ vertit, & fecit θς, id est, vt esset Deus apparuit per carnem: quapropter tanquam Nestorianus fuit expulsus. Et multa alia sunt in scripturis de quibus male intelligentes, scandalum sibi sumpserunt: & quia noluerunt fieri discipuli veritatis, magistri sunt facti erroris, sicut de hoc quod dicit Apostolus: *Mediator Dei atque hominum homo Christus Iesus*: quo testimonio ad auctoritatem hæresis suæ Fotinus est vsus, & de epistola ad Philippenses. *Habitu repertus vt homo* Marcion fantasiam corporis confessus est esse in Christo, non corpus. Sed & Agnoitæ Hæretici hoc ad suum confirmandum errorem protulerunt quod dictum est: *De die autem & hora nemo scit, neque Angeli in cælis, nec filius, nisi pater solus.* Et de hoc quod in Genesi scriptum *post n*[illegible]*em, diem cæptum*: tenebras cœnas Deo, qui inaccessibilem lucem habitat, dixerunt hæretici. Et ex eo quod ibi dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Diabolus primum hominem idololatriam docuit, dicens: *Eritis sicut dii.* Et quia Mathusalæ anni ætatem diluuij excedunt, non tantum octo animæ reseruatæ sunt dictæ. Et clamores Sodomorum, repletis iam peccatis, Deus audiens, tanquam ignorans clamorem, descendit, vt videret an plena essent. Et quod Moysi sepulchrum nemo scierit, nec etiam sepelientes sepultum. Et lex diuersa sibi ipsi sit hostis. Et Dominus non mittere potuerit Spiritum sanctum, de quo ipse natus legatur. Nec mortem gladio vsuris denuntiauerit, qui gladium passurus eum præcepit. Nec ad inferos descendit, qui in Paradiso cum latrone intrauit. Et Apostoli reperiuntur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti iussi, tantum in Iesu nomine baptizauerunt. Et de hoc quod dictum est, *Ego Deus creans mala. Et fecit omnia, & ecce bona valde.* Et multa sunt alia, quæ longum & non necessarium est nobis modo annumerare, de quibus sapientissime atque sanctissime dictis, insulsi & scelerati tenebrosissime perditionem suam adinuenerunt.

Cap. XVIIJ.

Et quia, vt Hylarius Papa dicit; *Non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* De ecclesiasticis regulis quidam sumpserunt scandala, & hæreses, ac schismata condiderunt, sicut Meletius à Synodo Ægypti episcoporum depositus, à quo Meletiani sunt dicti, qui ab eo post depositionem suam fuerunt ordinati, quos Nicæna Synodus sub conditione in gradibus suis recepit, ea necessitate, ne cum Arrianis, cum quibus iuncti fuerant, remanentes, acrius ecclesiam Catholicam impugnarent. Sed & Nouatianos æque sub conditione Synodus prædicta recepit. Hæc enim hæresis à Nouato presbytero Romanæ tunc ecclesiæ, postea autem contra regulas à consortibus suis facto episcopo, sumpsit exordium: qui Nouatus se ab ecclesiæ Romanæ communione suspendit, quoniam Cornelius episcopus fideles, qui sacrificauerant tempore factæ persecutionis à Decio, immitata Concilij episcopalis acerbissima sententia, cuius Innocentius in decretis suis commemorat, in communione recepit: Quorum scilicet Nouatianorum, episcopo nomine Acesio, Constantinus Imperator, vocato ad

Nicænum Concilium, & in dogmate fidei & Paschalis festiuitatis consentienti, sed pœnitentes ad pœnitentiam recipere renuenti, Imperator mirabilis dixit: *O Acesi pone scalam, & si potes, ascende solus in cœlum.* Ex qua condescensione circa Nouatianos, & Meletianos causa necessitatis prouenientes; cum illi, quos ante damnationem suam Bonosus ordinauerat, in gradibus recepti fuerunt, etiam eos, qui à Catholica ad hæresim transierunt, & à Bonoso damnato ordinati fuerunt, Anisius quidam cum suis collegis recipi in ordinibus suis debere decreuit, ne cum eodem Bonoso remanerent, ac non mediocre scandalum Ecclesiæ Catholicæ fieret, quod sanctus Innocentius dissoluit & repulit. Et quia idem Concilium Paulianistas hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizari præcepit, quidam etiam alios hæreticos baptizandos esse dixerunt, quod Apostolica sedes, & plenaria Concilia (sicut decreta Romanorum Pontificum monstrant, & sanctus Augustinus verbis & sensibus, copiosis libris ostendit) penitus abdicarunt. Sed & alia hinc deuocare in medium poteram nisi prolixitatem vitarem.

Lib. 2. hist. trip. c. 13.

Cap. XX.

Ne igitur causa indiscretæ intelligentiæ, de his quæ collegisti ad tuam intentionem firmandam, scandalum sumas, animaduertere debes, quia sicut de sacramentis humanæ salutis, quæ ab exordio mundi vsque ad aduentum Domini Saluatoris pro temporum varietate diuersa, ad vnitatem tamen vnius fidei recurrentia extiterunt, quædam spiritualiter intelligenda sunt tradita, quædam vero immutata, & quædam penitus abolita, quædam etiam permanent, vt fuere, decreta. Ita nullum fuit tempus sæculi à sanctis alienum doctoribus, qui, siue verbis, siue exemplis, siue etiam scriptis, viam vitæ mortalibus pro temporum varietate demonstrauerunt, vnde sunt plura non solum in Canonibus, atque in Romanorum Pontificum decretis, sed & in veteris ac noui testamenti sanctis scripturis eodem spiritu inspiratis, quo & sacri promulgati sunt Canones; quæ quidem inter se contraria esse videntur, & non sibimet sunt contraria, sed pro temporum & rerum, ac qualitate causarum disposita vel disponenda, vt Salomon coniunctum dicit: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam. Et responde stulto iuxta stultitiam suam.* Et Dominus per Prophetam: *Nolo mortem peccatoris.* Et de Hely filiis legitur, *quia non poterant patrem audire, quoniam voluit eos Deus occidere.* Et in euangelio, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Et, *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et *venit filius hominis quærere & saluare quod perierat:* Qui dicit, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Et item discipulis dicit, *In viam gentium ne abieritis.* Itemque, *Ite, docete omnes gentes.* Et, *Deus neminem tentat:* &, *tentat vos Dominus Deus vester:* & Paulus, *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Itemque, *sicut ego per omnia omnibus placeo:* & item, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis secundum carnem:* & item, *Quis nos separabit à charitate Christi?* & reliqua: Quia *Spiritus vnicus & multiplex, stabilis & mobilis,* vt in libro Sapientiæ scriptum est. Per organum hominis sibi arctissimum non simul & in semel omnia profert, & etiam ipsis sanctis discipulis (quia nemo hominum purus repente fit summus) qui incessanter diuino adhærebant magisterio, per incrementa temporum fides & scientia est adaucta, qui & dixerunt; *Domine adauge nobis fidem:* & Dominus ipsis: *Adhuc,* inquit, *multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo: Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sed & post legem naturæ data est lex literæ populi congruens duritiæ, quæ propter transgressiones posita est, quam lex euangelii tempore posterior, sed gratia prior, est subsecuta;

Proverb. Ez. c. 33. 1. Reg. 2. Mat. 12. Luc. 18. Luc. 19. Mat. 15. Mat. 10. & 28. Iacob. 1. Deut. 13. Gal. 1. 1. Cor. 10. Rom. 9. Rom. 8. Sap. 7. Luc. 17. Ioan. 16.

quæ per incrementa temporum ab Apostolis eorumque successoribus est propagata. Nam sicut in Actibus Apostolorum legimus, Primum credentes de circumcisione, sic euangelii sacramenta suscipiebant, vt à legalibus ceremoniis non discederent, & quæstione facta de Gentilibus, si credentes legis ceremonias obseruare deberent, tria tantum capitula ab Apostolis suscepere seruanda. Deinde Apostolicæ sedis Pontifices ante constitutionem sacrorum Conciliorum, & si non fide sibi aduersa, tamen stylo diuerso, in suis epistolis ad diuersos, pro diuersis causis emergentibus datis, de episcopis statuere iudicia, considerantes qualitates personarum, necessitatem rerum, & oportunitatem temporum. Vnde & Anacletus in epistola ad vniuersos episcopos in Italia constitutos, dicit: *Erectionem,* inquiens, *summorum Sacerdotum sibi Dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus & spiritualibus populis concessisset.* Ex quo aliter in præcedenti epistola scripserat. Et Constantinum Imperatorem in Nicæna Synodo tale quid dixisse tripertita narrat. Non ob id tamen dimisit decernere Nicæna Synodus: *Si quis,* inquit, *præter hæc fecerit quasi contra magnum Concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur:* In quo decreto cum dicit, *Si quis,* neminem tam de superiori quam inferiori ordine excipit, quod & in aliis euidenter ostendit. Sed & idem Constantinus, & post eum alii orthodoxi Imperatores, leges de episcopis promulgare non fuere cunctati. Sed & post Anacletum, quidam ante Nicænum Concilium, Iulius autem, & alii quidam post Nicænum Concilium, iudicia episcoporum ante diffinitionem ad sedem Apostolicam referri iusserunt. Innocentius vero & successores ipsius, postquam sacris Conciliis, & Romanæ sedis Pontificibus decretis capitulis expressius fuerunt decreta iudicia, de dubiis vel obscuris ante iudicium: de certis autem ac decretis, quoniam & ecclesiasticæ & publicæ leges confessum vel conuictum sine dilatione vel retractione iudicari præcipiunt, post episcopale iudicium secundum Sardicenses Canones sub gestorum testificatione ad sedem Apostolicam referri iusserunt, quorum decreta in vsu ecclesiastico, etiam à tempore maiorum nostrorum, præualuisse comperimus. Verum & vt de legibus publicis quædam sunt abrogata, quædam vero immutata, quædam etiam superadiecta, ita nihilominus quędam decreta Catholicorum pro tempore & ratione, atque necessitate prolata, postea abrogata vel immutata fuerunt, quod & Innocentius demonstrat dicens: *De his,* inquiens, *ob tenuto prior, durior, posterior, interueniente misericordia, tolerantior est,* & reliqua. Et Africæ Prouinciæ Canones de velatione virginum, & baptizatis paruulis à Donatistis, & de Diœcesibus aliter quam primum decretum fuerit, diffinierunt.

Act.

Et sanctus Gelasius. *Priscis,* inquit, *pro sui reuerentia manentibus constitutis, quæ vbi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter conuenit custodiri,* & reliqua: & Innocentius longe ante ad episcopos Macedones excusantes de temporis necessitate, quod egerant, dixit: *Ergo quod necessitas pro remedio reperit, necessitate cessante, debet vtique cessare pariter quod vrgebat, quia alius est ordo legitimus, alia vsurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit, & aduertito quod vtique (vt dicitis) necessitas imperauit, in pace iam ecclesias constitutas non posse præsumere.* Et Leo ad Rusticum Narbonensem episcopum: *Sicut quædam,* inquit, *sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli; ita nonnulla sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet tentari: illa semper conditione seruata, vt in his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium; nec decretis sanctorum Patrum inueniatur aduersum.*

Quas sigillatim singulas formas & sanctus Paulus demonstrat

demonstrat ad Corinthios dicens: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*, & reliqua. *His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, & sequentia. Et concilium Africanum in vno *[Can. 58.]* capitulo de Donatistis ad locum, *Propter Ecclesiæ pacem & vtilitatem, vt ex ipsis Donatistis, quicumque clerici correcto Concilio ad Catholicam vnitatem transire voluerint, secundum vniuscuiusque Episcopi Catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, sicut & prioribus eiusdem dimissionis temporibus factum esse manifestum est, non vt Concilium quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissoluatur, sed illud maneat circa eos, qui sic transire ad Catholicam volunt, vt nulla per eos vnitatis compensatio procuretur*: & reliqua quæ ibi prosequitur. Sed & Leo vtrasque has formas de vna eademque re in vno capitulo ostendit ad Rusticum Narbonensem Episcopum, dicens: *Nulla*, inquit, *ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Vnde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudo Episcopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum consensu, & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesiis perseuerent, aliter autem vana habenda est consecratio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.* Et item ad eundem in eadem epistola: *In adolescentia constitutus, si vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo pœnitentiam egit, & postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem nullam omnino cognouerit: in quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseuerans & mentis & corporis.* Et in epistola ad Theodorum Forojuliensem Episcopum: *Vt in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia, nullis præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorantibus denegetur, etiam si amisso vocis officio, ea per indicia integri sensus expostulent, vel si sub præsentia Sacerdotis significare non valent, testimonia fidelium circumstantium eis prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficia consequantur, seruata tamen regula Canonum paternorum circa eorum personas qui in Deum à fide discedendo peccauerunt.* Sed & quidam de his, ex quorum epistolis quædam sunt à te collecta, lapsos & pœnitentes in gradibus suis manere debere dixerunt. Postea autem aliter ex sacris canonibus, à sequentibus est constitutum. Vnde beatus Augustinus ad Bonifacium scripsit, di- *[Epist. 50]* cens: *Vt enim constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ, alioquin contra claues datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo. Sed ne forsitan etiam detectis criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, seuerissime placuit, vt post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit clericus, vt desperatione temporalis altitudinis, medicina maior & verior esset humilitatis. Nam & sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando* *[2 Reg. 12. Matth. 26]* *amarissime lachrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo superuacua putanda est posteriorum diligentia, qui vbi saluti nil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum. Verum in huiusmodi causis, vbi per graues dissensionum scissuras, non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas sincera subueniat.* Sic multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus, Ecclesia Catholica subuenire consueuit. Et de hac discretione Gelasius in quadam sua epistola: Et beatus Gregorius in suis epistolis; & in aliis suis dictis mirabiliter disseruerunt. Verum & de translationibus Episcoporum, aliter antiqui censuerunt Pontifices; aliter autem concilia Episcopalia, & ex his sequentes Romanæ sedis Pontifices, quæ tenenda sunt decreuerunt. Scriptum est etiam in præfatis epistolis, vt accusationes Episcoporum non recipiantur, & in eisdem habetur qualiter recipiantur, & vt à suis ouibus Episcopi accusari non valeant. Et in constitutionibus sancti Syluestri: *Vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre, & vt presbyter non aduersus Episcopum: non diaconus aduersus presbyterum.* Et iterum, à quantis accusari valeant ab eo est constitutum. Et Africæ Prouinciæ canones cum legatis Apostolicæ sedis, eos tantum accusatores vel testes à clericorum accusatione, vel contra clericos testificationes remoueri præcipiunt, quos ad accusanda, vel attestanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Et Nicænum concilium Neophytum Episcopum à duobus vel tribus testibus redargutum abstineri à clero præcepit; si aliquod delictum animæ circa personam reperiatur huiusmodi. Et Apostolus aduersus presbyterum accusationem non recipi, nisi sub duobus aut tribus testibus præcipit. Sed & per prædictos Africæ Prouinciæ canones, *Omnibus quibus accusatio denega-* *[Can. 96.]* *tur, in causis propriis accusandi licentia non negatur.* Et de purgatione accusatorum, sed non conuictorum, vel confitentium, decreta sedis Apostolicæ, quæ tenemus, constituerunt. Quidam etiam, quod de accusatis, & de testibus Syluester constituit, velut in libro Episcopali legitur, ex hoc tenendum in auctoritate dicunt: quia Gelasius in Catalogo de libris recipiendis, actus illius legendos dicit: sed alia est scriptura actuum illius, in quibus, & scripturarum auctoritate & miraculorum virtute, Iudæos Christum Iesum Deum verum negantes deuicit, qui legendo scribuntur: Alia de constitutionibus illius in libro Episcopali, quas sicut & alias quasdam constitutiones aliorum Pontificum, quæ in eodem libro leguntur, à præcedentibus temporibus vniuersalis non seruat Ecclesia. Quædam vero ex eisdem constitutionibus, sicut & ex dictis epistolarum, de quibus agitur, recipit & custodit. Sed & in eisdem epistolis scriptum est non debere vel posse conuocari synodum sine iussione vel consensu Romani Pontificis: Et sacri Nicæni canones dicunt: *Bene placuit annis singulis per vnam-* *[Can. 5.]* *quamque Prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis Prouinciæ discutiantur huiusmodi quæstiones.* Et Calcedo- *[Can. 19.]* nense concilium: *Decreuit*, inquiens, *sancta Synodus secundum canones Patrum, bis in anno Episcopos in idipsum, in vnamquamque Prouinciam conuenire, quo metropolitanus Antistes probauerit, & corrigere singula, si qua fortassis emerserint.* Sed & Antiocheni, & Africæ Prouinciæ canones his concinunt constitutis. Et Innocentius ad Victoricium: *Si qua causa vel conten-* *[C. Ant. can. 20. C. Aph. can. 62.]* *tiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, vt secundum Synodum Nicænam, congregatis eiusdem Prouinciæ Episcopis, iurgium terminetur*, patenter ostendit. Et Leo ad Anastasium scripsit: *De Conciliis*, inquiens, *episcopalibus non aliud indicimus, quam sancti patres salubriter ordinarunt, vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos ecclesiæ ordines nasci*

uſſolent, indicetur. Et sanctus Gregorius ad Gallicanos Episcopos scribit: *Nec nos,* inquiens, *in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parrochias Conciliis, Patrum prouidentia vtilitatis cuius sanctum est. Vnde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos & subiectos sint fomenta discordiæ, in vnum Sacerdotes conuenire necesse est, vt de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatione collatio.* Non igitur absque sedis Apostolicæ auctoritate, metropolitani Episcopi & Primates Prouinciarum Synodos conuocamus: *Quatenus,* vt beatus dicit Gregorius) *dum per hoc, & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens vbique Dominum fratrum concordia conlaudetur: cuius nobis adesse præsentiam, si hæc obseruamus, scimus: quia scriptum est: vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo adesse dignabitur vbi duo vel tres fuerint, quanto magis non deerit vbi plurimi conuenerint Sacerdotes?* Constat ergo de generali fidei causa hoc dixisse Apostolicam sedem, vnde cum plura Catholica habeantur concilia, sex Synodi tantum generales specialiter appellantur, quia pro generali ad omnes Christianos causa pertinente sunt conuocatæ, quę sine speciali iussione sedis Apostolicæ regulariter congregari non poterant neque possunt. Quartum Synodorum vniuersalium à Catholica Ecclesia receptissimarum; Prima est, quæ in Nicæna congregata extitit contra Arrium CCCXVIII. Patrum, temporibus Syluestri Papæ, sub Constantino Principe. Secunda in Constantinopoli CL. Patrum contra Macedonium, & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ, & Gratiani principis, quando Nectarius eidem vrbi est ordinatus Episcopus. Tertia in Epheso CC. Patrum contra Nestorium Augustæ vrbis Episcopum sub Theodosio Magno principe, & Papa Cœlestino. Quarta Calcedone, Patrum DCXXX. sub Leone Papa, temporibus Martiani Principis contra Eutychen nefandissimum præsulem monachorum. Quinta item in Constantinopoli temporibus Vigilij Papæ, sub Iustiniano Principe, contra Theodorum & omnes hæreticos. Sexta item in Constantinopoli sub Agathone Papa, qui ex rogatu Constantini, Eraclij & Tyberij principum piissimorum, misit in regiam vrbem legatos suos, in quibus erat Ioannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, non longe post Episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum, qui benignissime suscepti à reuerendissimo fidei Catholicæ defensore Constantino, iussi sunt, remissis disputationibus, pacifico colloquio de fide vera perquirere, dans eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant, libellis. Adfuerunt autem & Episcopi CL. præsidente Georgio Patriarcha regiæ vrbis, & Antiochiæ Machario, & conuicti sunt qui vnam voluntatem & operationem adstruebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu, Georgius correctus, Macharius vero cum suis sequacibus, simul & prædecessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrro, Paulo, & Petro anathematizati, & in locū eius Theofanius Abbas de Cecilia Antiochiæ Episcopus factus, tantaque gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, vt Ioannes Portuensis Episcopus, qui erat vnus ex ipsis Dominica octauarum Paschæ Missas publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ coram principe & Patriarcha Latine celebraret. Septima autem apud Græcos vocata vniuersalis pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: Neutra vero pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Apostolicæ sedis non longe ante nostra tempora Constantinopoli est à quam pluribus Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit; vnde tempore Karoli magni Imperatoris, iussione Apostolicæ sedis, generalis est Synodus in Francia, conuocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum scripturarum tramitem, traditionemque maiorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa & penitus abdicata. De cuius destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum. In cuius voluminis quarto libro hæc de vniuersali nomine scripta sunt: *Vniuersitas ab vno cognominatur, quod vno multoriens verso propagatur. Nam multitudo vnitatum, vertente in vnum collecta, vniuersitas efficitur: sicut enim Ecclesia vniuersalis est, quæ Græco eloquio Catholica dicitur, ita nimirum omne quicquid ab eius vnitate non discessit, Catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel qualibet constitutio siue traditio talis esse debet, vt vniuersalis conueniat Ecclesia, quod nequaquam hæretici obseruauerunt, qui per diuersas mundi partes aliquibus regionum partibus coarctati, conuenticula quadam statuerunt, quibus & se & quam plures ab Ecclesiæ vnitatis consortio segregauerunt. Cum ergo duarum & trium Prouinciarum præsules in vnum conueniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti, aliquid prædicationis aut dogmatis constituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, Catholicum est quod faciunt, & fortasse dici potest vniuersale: quoniam quamuis non sit ab vniuersi orbis præsulibus actum, tamen ab vniuersorum fide & traditione non discrepat, quod crebro factum in plerisque mundi partibus, quibusdam necessitatibus incumbentibus, scimus: multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & corroboratur Ecclesia. Si vero duarum aut trium Prouinciarum præsules in vnum conuenientes, noua quadam statuere cupientes, conuenticula quadam faciunt, quæ non cum vniuersi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, nunquam Catholicum quod faciunt, & ideo vniuersale nuncupari non potest. Omne quod ecclesiasticum est, Catholicum est, & omne quod Catholicum est, vniuersale est: omne autem quod vniuersale est, profanis vocum nouitatibus caret. Omne igitur quod Ecclesiasticum est, profanis vocum nouitatibus caret. Et si hæc Synodus vocum nouitatibus careret, antiquorum Patrum dogmatibus contenta, vniuersalis dici poterat: non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est; non igitur vniuersalis dici potest. Vniuersalem plane eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam vniuersalis Ecclesiæ dogmatibus sinceremus refragari.* Claret etiam hac de causa, vt prædixi, vniuersales ac generales Synodos nominari, cum plures Episcopi, quam in quibusdam præfatis Synodis fuerint congregati, Apostolicæ sedis iussione, & Imperiali conuocatione, sicut Sardicensis Synodus, in qua ab Hesperiis partibus plusquam CCC. conuenerunt Episcopi. Et in Africanis synodis cum legatis Apostolicæ sedis celebratis interdum amplius quam CC. fuerunt congregati Episcopi, non tamen inter illa vniuersalia concilia computantur, cum constet esse Catholica, & à sede Apostolica, atque vniuersali Ecclesia receptissima: vnde sanctus Gregorius in synodica epistola ad Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum de Eudoxio: *Si quis eum veraciter de Catholicis Patribus damnat, eius procul dubio sententiam sequimur; vos tamen si in Synodica vestra epistola eos quoque nominatim damnare voluissetis, qui extra sanctas Synodos per Patrum scripta damnantur, multos scriptis vestris vestra fraternitas minus posuit, si autem eos quos generales Synodi respuunt, hunc vnum amplius.* Et in Africano concilio legimus, concilium vniuersale non nisi necessitate faciendum: *Placuit, vt non sit vltra fatigandis fratribus vniuersaria necessitas; & quotiens exegerit causa communis, id est, totius Africæ, vndecumque ad hanc sedem de hac re data litteræ fuerint, congregandam esse Synodum in ea Prouincia vbi oportunitas persuaserit. Causæ autem, quæ communes non sunt, in suis Prouinciis iudicentur.* Et Leo Papa ad Maximum Antiochenum Episcopum scripsit:

Lib. 7. ind. 2. ep. 110. in fine.

Matt. 18.

Cap. 28

Lib. 6. ind. 7. in fine.

Can. 82

Quicquid, inquiens, *propter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dissidendi habere cationem si nil de eo est à sanctis Patribus apud Nicænum diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, Apostolica sedis nunquam poterit obtinere consensum.* Et Antiochena Synodus dicit, *Perfectum illud esse Concilium vbi interfuerit Metropolitanus antistes.* Et Zosimus Papa Aurelio & vniuersis Episcopis per Afticam constitutis, sed & vniuersis Episcopis per Gallias & septem Prouincias constitutis, & vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis à pari inter cætera scribens, Prouincialem Gallicanorum Episcoporum Synodum approbat, ita dicens. *Lazarus*, inquit, *dudum in Taurinensi Concilio grauissimorum Episcoporum sententia pro calumniatore damnatus cum Bricii innocentis Episcopi vitam falsis obiectionibus appetisset, post vero indebite à Proculo, qui inter cæteros in Synodo damnationi eius assenserat, sacerdotium consecutus est, à quo ipse vitæ suæ conscius datis litteris in abdicationem sui sponte summisit.* Sed & Sardicenses Canones in capitulo XIV. quamquam non designato nomine, sed posita constitutione aliberitani Concilii, quod eodem tempore sub Constantino Imperatore, Paulino & Iuliano Consulibus, quo & Nicænum Concilium factum est, memorante Osio, ad auctoritatem deuocauerunt. Et Carthaginensis Synodi decretam constitutionem quasi propriam, Apostolica sedes per Innocentium & Cœlestium amplectitur. Sic igitur vniuersales Synodi specialiter Apostolicæ sedis auctoritate conuocantur, & æque Prouinciales Canonicæ Synodi decreto sedis Apostolicæ à Metropolitanis & Prouinciarum Primatibus conuocantur, sicut de conlatis clauibus regni cœlorum, id est, ligandi & soluendi Pontificio specialiter sancto Petro dato, & simul omnibus Apostolis, & in eis Catholicis Episcopis conlato, sancta & vniuersalis tenet Ecclesia. Vnde beatus Leo in sermone sui natalis inter cætera dicit: *Quod dicitur beatissimo Petro, Tibi dabo claues regni cœlorum, & quacumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis: transiit quidem etiam in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit, sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium, nec nimia est vel seueritas vel remissio, vbi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligarit, aut soluerit.* Qui regem cœlorum (vt Augustinus & cæteri doctores exponunt) maiori præcæteris deuotione confessus est, merito præ cæteris ipse conlatis clauibus regni cœlestis munere donatus est, vt constaret omnibus, quia absque ea confessione ac fide regnum cœlorum nullus possit intrare. Claues autem regni cœlorum ipsam discernendi scientiam potentiamque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere debete à regno: vnde manifeste subiungit; *Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*: Quæ soluendi ac ligandi potestas quamuis soli Petro data videatur à Domino, absque vlla tamen dubietate noscendum est, quia & cæteris Apostolis datur, ipso teste, qui post Passionis, Resurrectionisque suæ triumphum apparens eis insufflauit, & dixit omnibus: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Necnon etiam nunc in Episcopis ac Presbyteris, omni Ecclesiæ officium idem committitur, vt videlicet agnitis peccantium causis, quoscumque humiles, ac vere pœnitentia aspexerit, hos iam à timore perpetuæ mortis miserans absoluat: quos vero in peccatis, quæ egerunt, persistere cognouerit, illos perennibus suppliciis obligandos insinuet. Vnde alias Dominus de correcto semel & iterum ac tertio, sed non pœnitente fratre præcepit dicens: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et ne leue quisque putaret Ecclesiæ de iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Omni igitur electorum Ecclesiæ iuxta modum culpatum vel pœnitentiæ, ligandi ac soluendi datur auctoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore sequutus, specialiter claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant; quia quicumque ab vnitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint regni cœlestis ingredi. Et quia deuitans prolixitatem epistolæ, per singula, sicut poteram (si tempus fuisset & otium, & non vereter legentium tædium) tibi ostendere de his quæ collegisti, illa ipsa te redarguere, quæ putas plurimum tecum facere, de quibusdam tibi tantum ex his, quæ collegisti, specialiter respondebo, scilicet de epistolis Iulii, & Felicis, quasi de capitulis Synodi Nicænæ confectis, ante Sardicense quidem concilium, cui Athanasius anno XVIII. ordinationis suæ cum litteris Constantis ab Occidentalibus partibus, in quibus exulauerat, Alexandriam rediens legitur interfuisse. Quodque iuxta chronicorum, & litterarum Ecclesiasticarum fidem vndecimo mortis Constantini patris Augustorum Constantii & Constantis, Ruso & Eusebio consulibus, anno XVI. Iulii Papæ, qui successit Marco successori Syluestri, cuius tempore celebrata est sacta Nicæna Synodus, cuique ad vicem Syluestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Victor, & Vincentius presbyteri vrbis Romæ. Anno vero circiter XXIII. post Nicænam Synodum Antiochena Synodus habita est, & eadem epistola Iulii per idem tempus facta esse dinoscitur; in qua plura capitula modo diuerso collecta tenentur, quæ si de vna Synodo fuissent adsumpta non taliter dissonarent. Et si de appellatione, sicut in Sardicensi concilio constitutum est, in Nicæno concilio fuisset antea statutum, nulla foret necessitas, vt iterum in hoc concilio inde constituerent, sed sicut in aliis conciliis legitur, scriberetur, videlicet, vt ea, quæ sunt in Nicæno concilio constituta, ab omnibus conseruentur. Epistola vero Felicis ex epistola Iulii pendet: Hic enim est mos Apostolicæ sedis Pontificibus, vt verba decessorum suorum quasi propria in suis ponant epistolis, sicut qui legit intelligit. Cæterum quod in epistola ex nomine Athanasii, & Episcoporum Ægyptiorum ad Marcum successorem Syluestri habetur lxx. fuisse capitula, xl. scilicet, à Græcis Græca edita lingua, & similiter xl. à Latinis Latina edita lingua, & ab Episcopis cccxviii. in lxx. redacta fuisse capitula, si numerantur illa quæ in epistola Iulii designantur, & illa quæ designata prætermittuntur, sed & illa, quæ in epistola Felicis leguntur, plura quam lxx. & inter se diuersa inueniuntur; & in eisdem epistolis non inueniuntur memorati, minima autem connumerari illa capitula quę ex Nicęno concilio sumpta seruauit antiquitas, & hactenus tenet ac veneratur Ecclesia. De hoc autem quod reuerendissimus Iulius in epistola sua dicit plura de his, scilicet capitulis Nicænę Synodi, idem hic non inseruimus, ne vacuare vilemve facere prędictam Synodum videremur, aut fastidium legentibus audientibusque prolixa facere epistola: si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostrę sedis Ecclesię scrinio & ea quę

Can. 16. — Eiusd. — Matt. 16. — Matt. 18. — Matt. 16 — Ioan. 20.

prædiximus inuenire poterit, verum me dicere testis est ipsa diuinitas, à nullo est contradicendum, quia nisi ipsa quæ misit haberet, mittere nullo modo poterat, & quia plura habebat, esse vtique verum constat, quia & illa quæ sacrum Concilium Nicænum constituit, certum est in Romano scrinio conseruari, de quibus & ipsius sanctæ sedis Pontifices sua decreta promulgauerunt, & suis posteris tenenda & seruanda reliquerunt. Fuit autem opinio apud maiores nostros etiam non incerta, quia Osius quædam de capitulis à se Nicænæ Synodi delatis, aliter prius renuntiauerit, quam postea inuentum extiterit, qui & apud Sirmium contra fidem Nicæni Concilij, cui subscripserat, sacrilegam professionem, atque subscriptionem proferre, & exhibere præsumpsit, sicut de eo historiæ Ecclesiasticæ prohibent, & S. Hilarius in libro de Synodis dicit: *Apud Sirmium*, inquiens, *per immemorem gestorum suorum dictorumque Osium, noua & tamen suppurata iamdiu impietatis doctrina proruperat, sed de eo nil loquor, qui ideirco est reseruatus ne iudicio humano ignoraretur, qualis ante vixisset.* Cuius scilicet beati Hilarij testimonio de Synodis, sed & de Osio, fidem accommodare debemus, qui in præfato libro de Synodis dicit: *Regeneratus pridem & in Episcopatu aliquantisper mansus, fidem Nicænam nunquam nisi exulaturus audiui. Sed mihi Homousios, & Homœusios intelligentiam Euangelia & Apostoli intimauerunt.* Et per illa tempora quando Concilia, scilicet Nicænum, Antiochenum, Sardicense, & alia quædam posteriora celebrata fuerunt, isdem sanctus, & Doctor Catholicus in carne deguit, & verus de eis relator extitit, & credenda nobis in suis scriptis reliquit. Refutanda est igitur falsa opinio de quorundam scriptis exorta, quod Nicænum Concilium tempore Iulij fuerit celebratum, cum constet eandem sacram Synodum fuisse habitam anno post Alexandrum ɪɔcxxxvɪ. sub Constantino Imperatore, die mensis secundum Græcos Desij XIX. quod est X. Calendarum Iuliarum, consulatu Paulini & Iuliani, tempore Syluestri Papæ, sicut veridicæ Chronicæ, & Ecclesiasticæ historiæ produnt. Verum Iulius successor Marci, qui Syluestro successit, Romæ Synodum celebrauit, sub Constantio & Constante Augustis anno IV. sub die VIII Calend. Octob. indict. VI. Consulatu Feliciani & Maximiani, & eandem Nicænam Synodum Apostolicæ sedis auctoritate per se, sicut prædecessor illius Syluester per legatos suos, firmauit: Capitula quoque in eodem Concilio constituta ipse omnibus validior antiquitatis vsus, & antiqua maiorum traditio reuerendissimo vigore tenenda corroborauit.

Paulo post medium.

In fine.

Cap. XXI.

Et qua ratione quædam ex his, quæ in epistolis antiquorum sedis Romanæ Pontificum scripta inueniuntur, à successoribus eorum vsa non fuerint, licet ad instructionem valeant plurimum. Quædam vero in decretis eorum posita, & Conciliis inter Canones sacros inueniantur adsumpta, & vnde opinio orta extiterit, plura quam in Canone inueniantur in Nicæna Synodo decreta fuisse capitula, quod ex litteris antiquitatum seriem deferentibus accepimus, tibi ex parte scribo, non veritus, ne mihi calumnias struas, sicut iam fecisti de his quæ scripsi de Stephano, sensum dictorum meorum peruertens, & scripta mea decurtans in scripto, quod mihi de Amalberto dedisti, volens me ex verbis meis reuincere, & me ad tortitudinem tui iudicii contorquere, & si easdem calumnias sciero, necesse mihi sit inde rescribere, & tempus inutilitati expendere: si autem eas nesciero, ad derogationem mei tibi credentes aliquo modo possis addocere. Dicam autem ex verbis veterum quæ didicimus de capitulis Nicænæ Synodi, vt si te delectat bellare, cum eis possis bellum conserere, & ego valeam repausare. Historia siquidem tripertita Athanasium dixisse scribit ita. *In Nicænum Concilium venientes Episcopi, viginti conscripserunt de conuersatione Ecclesiastica sanctiones.* Et item, *Meminit vestra patientia factum in Nicæna ciuitate Concilium, cui & ego ipse conscientia mea cultum decenter exhibui.* Et item in eadem historia scriptum est; *Synodus corrigere volens hominum vitam & in Ecclesia commorantium, posuit leges, quas Canones appellamus.* Et decimus historiæ Ecclesiasticæ liber Rufini, qui in Catalogo Apostolicæ sedis inter recipiendos libros describitur, aperte ostendit post confessionem fidei, viginti duo tantum capitula Canonum in eodem Concilio, & de Paschali solemnitate fuisse decreta. *Duo autem quæ super viginti sunt illic constituta, in viginti aliis capitulis apud nos habentur conclusa.* Vnde & in eodem libro ita scriptum habetur: *De singulis quibusque Ecclesiasticis obseruationibus certa statuta figentibus, Concilium diremptum est.* Et post capitula ex ordine & numero constituta. *Igitur cum de his*, inquit, *prout diuinarum legum reuerentia poposcerat, decreuissent.* Sed & de obseruatione Paschæ antiquum Canonem, per quem nulla de reliquo varietas oriretur Ecclesiis, tradidissent, omnibus rite dispositis, Ecclesiarum pax & fides in Orientis atque Occidentis partibus vna atque eadem seruabatur, cuius Historiographi dictis, (salua auctoritate Apostolicæ sedis, quæ suo principatu Domini ore præcepto, & Ecclesiæ profutura constituit, & constituta conseruando confirmat) & Carthaginense adstipulatur Concilium, quod dicit; *Exemplaria fidei, & statuta Nicænæ synodi, quæ ad nostrum Concilium per beatæ recordationis Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, qui interfuit, allata sunt: Sed & quæ patres exemplaria sequentes hic constituerunt, vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis Ecclesiasticis inserta manebunt.* Nam quia Cæcilianus Nicænæ Synodo interfuerit, & subscriptio illius testatur, & historiæ ac Chronicæ Ecclesiasticæ adstruunt, in quibus scriptum est: *Quia tertio anno post Nicænam Synodum, Ianuario & Iusto consulibus, Donatus agnoscitur*, à quo per Africam Donatistæ, qui primum propter ordinatum contra voluntatem suam Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum, schisma fecerunt, obiicientes ei crimina non probata, & maxime quod à traditoribus diuinarum scripturarum fuerit ordinatus, sed post causam confictam atque finitam pertinaci discordia in Hæresim transierunt. Sed & epistola Cyrilli Alexandrini episcopi, cuius prædecessor Alexander cum legatis Apostolicæ sedis, Osio videlicet Cordubense episcopo, & Vincentio, ac Victore Romanis presbyteris, mediante Constantino Imperatore præsedit, cum integritate ipsius Concilii per Innocentium presbyterum missa. Itemq; epistola Attici Constantinopolitani episcopi cum integritate nihilominus ipsius Concilii per Marcellum subdiaconum Carthaginensi Synodo directa, & verba Faustini episcopi ac legati sedis Apostolicæ prolata in Synodo Carthaginensi, epistola quoque ipsius Concilii ad Cœlestinum Papam honorabiliter, vt par est, destinata. Sed & actio XII. Calcedonensis Concilii, in qua scriptum habetur regula nonagesima quinta, *de vacante Episcopo.* Et paulo post Leontius ex eodem codice legit regulam xcvi. *De his, qui ad Episcopatum vocati, cunctant.* Quas regulas connumeratas à capite xx. capitulis, Nicæni Concilii, si quis per singula consequentia Concilia ex ordine numerauerit, in Antiocheno Concilio loca prælatorum numerorum tenere inueniet. Vnde manifestum est, non nisi tantum viginti, quæ habemus, capitula fuisse in Nicæno Concilio constituta: verum & longissimarum ætatum ex antiqua consuetudine prolixa tempora, per quæ ipsius Concilii hæc tantum viginti capitula fuere suscepta, verbis præfati historiographi indubitabilem faciunt fidem.

Cap. XXII.

Sed & quod de anathemate ex verbis sancti Gregorij ad Theoctistam Patriciam, in supradicta compilatione tua improprie posuisti, bene & rationabiliter dicta male intelligi tradidisti, & non secundum illum sensum, quem beatus Gregorius illud in eadem epistola posuit, interpretari studuisti. Apud Græcos siquidem nouitates vocum delectantes quatuor hæreticæ capitula inuenerunt, de quibus sanctus Gregorius ad Theoctistam Patriciam scripsit. Quorum primum est, quia sub obtentu religionis etiam non ex amborum consensu coniugia dissocianda dicebant, contradicente Domino? *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* [Matt. 19.] Aliud vero, quod baptisma peccata penitus non auferret, cum Dominus dicat; *Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* [Ioan. 13.] Tertium vero, quia si de iniquitatibus suis quis pœnitentiam in triennium ageret, post modum peruerse viuere ei liceret, cum scriptum sit; *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio eius?* [Eccl. 34.] Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit eum, qui praua opera, quæ se egisse meminit, deplorat, sed eisdem se iterum post lachrymas implicat. Quartum vero est, quod non suo sensu posuisti, quia si compulsi aliqui, de quibus reprehendebantur contra Catholicam sensisse Ecclesiam, anathematizari se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri: de quibus sanctus dicit Gregorius, *Quia ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt: quoniam ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturam eius valere non æstimant.* Vnde in Orthodoxorum scriptis legimus, eos ipsis qui in Nicæna sancta Synodo conuenerunt, & expositæ ab ea fidei diffinitioni vel Symbolo subscripserunt, & ab ea subscriptione apostatauerunt, & iterum per Catholicam subscriptionem ad vniuersalem Ecclesiam redierunt, quosdam fuisse susceptos, sicut & in alijs synodis, & in epistolis Leonis, atque Gregorij legimus. Constat igitur, quia non sunt ligamenta vel solutiones sanctæ Ecclesiæ, quæ contra sanctam Ecclesiam fiunt, vel quæ ab his fiunt, qui contra dogmata Catholicæ Ecclesiæ sentientes, contraria ipsi sanctæ Ecclesiæ ligant vel soluunt. [Psal. 25.] Sancta quippe dicit. *Non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Lauabo inter innocentes manus meas,* Denique eisdem verbis beati Gregorij, quibus dicit: *Si qui vero sunt, qui dicunt, quia compulsi in quispiam necessitate anathematizauerit, anathematis vinculo non tenetur, verbis tuis impressisti, immittens & superaddiciens, aut contra ea, quæ sub anathemate prohibita sunt, præsumpserit.* In eo autem loco, vbi dixit: Si *qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano, hæc, quæ prædiximus errorum capitula, aut prædicare audent, aut tacite apud semetipsos tenere,* detruncasti & peruertisti dicens: *Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent.* Non timens sententiam sanctæ sextæ synodi in XII. actione prolatam hoc modo: *Inueteratum Macharium in impietatis dogmatibus, & non solum vniuersam Christo amabilem plebem, quæ hanc à Deo conseruandam regiam vrbem inhabitat, euersione turbulenta petentem, testimoniaque sanctorum & probabilium Patrum falsantem, & quædam quidem abscindentem, quædam vero addentem, & secundum quod ei videbatur in doma mittentem, pijssimum & à Deo coronatum principem per oblatos ab eo Codices: Sed & à solis ortu vsque ad occasum per litteras suas, & per homines, quos mittebat, vniuersos perturbantem, & à fide vera segregantem, & iuste atque rationabiliter à Pontificali habitu denudatum, nullatenus diuina regula de cætero suscipit in doctoris sede residere, ne ex hoc propria sua hæreseos multo iam recrudescere faciat intelligentiam, & fiant, iuxta quod scriptum est, nouissima illius hominis deteriora prioribus.* Et Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, vt supradixi, ab Imperatore Anastasio legitur expulsus, quoniam Euangelia falsasset, & maxime illud Apostoli dictum: *Quod apparuit in carne, iustificatum est in spiritu.* Et peruertisse, vt legeretur, *Qui esset Deus, apparuit per carnem.* [1. Tim. 3.] Quales redarguit Paulus Apostolus, de se & suis socijs dicens: *Non enim sumus,* inquit, *sicut plurimi adulterantes verbum Dei. Adulterare est,* inquit beatus Gregorius, *verbum Dei, aut aliter sentire quam de illo est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ.* [2. Cor. 2.] Vnde Gelasius ad Episcopos per Dardaniam constitutos, in decretis suis scripsit: *Quia maiores nostri necessario præcauerunt, vt contra vnamquamque hæresim, quod acta semel synodus pro fide, communione, & veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset, non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ mediocriter superant statuta, pulsandi, sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicarunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci.* Et post aliquanta; *Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, exsecrationem sui gestat & pœnam.* Hæc igitur, qui beati Gregorij verba imposturasti, attendens quæ beatus dicit Gelasius, & ante oculos mentis ponens, quia Macharius, & Macedonius idcirco à sacerdotio etiam ante humanos oculos, iudicio synodali, & potestate principali fuerunt deiecti, accelera satisfacere *terribili in consilijs super filios hominum.* [Psal. 65.]

Cap. XXIII.

Sententiam denique Calcedonensis concilij, quam tuæ compilationi apposuisti, à quocumque expositam, qui adinuenit de ea quid diceret: *Vt si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud synodum Prouinciæ iudicetur: quod si aduersus eiusdem Prouinciæ metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum iudicetur.* Quod & in capitulo XVII. recapitulauit. Lege gesta synodi Calcedonensis, & breuiarium de duabus hæresibus Nestorianorum & Eutychianorum collectum à sancto Liberato Archidiacono Ecclesiæ Carthaginis regionis sextæ, sed & epistolas sancti Leonis Papæ, & inuenies hoc ipsius concilij nonum capitulum, in cuius fine dicitur: *Petat Primatem Diœceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum iudicetur.* Et quod de diuisione Diœcesis inter Antiochenum, & Hierosolymitanum Episcopos, conuenit ab Apostolica sede non fuisse recepta, sed nec illud capitulum Constantinopolitani concilij, in quo synodus ipsa constituit præferendam Constantinopolim secundæ & tertiæ sedi, & post Romanum Pontificem habere primatum, quod & per pragmaticam formam imperialis obtinuit. Et Calcedonensis synodus in absentia legatorum sedis Apostolicæ, confirmando, quibusdam non consentientibus renouauit; & post, reclamantibus de sacrorum canonum, & priuilegij Apostolicæ ac primæ sedis iniuria & præiudicio, eisdem legatis ipsius Apostolicæ sedis synodus in sententia sua patrocinante Imperatore permansit. Egit enim Anatholius tunc Constantinopolitanus episcopus apud synodum, & apud Imperatorem, nacta occasione de damnatione Dioscori secundæ sedis Alexandrinæ episcopi, hac calliditate (*quoniam mens potentiæ auida nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis*) [Leo ep. 53. ad Anatol.] vt quia in Constantinopolitana CL. episcoporum

synodo Nectarius obtinuerat, quatenus Constantinopolis prælata secundæ & tertiæ sedi post Romanum Pontificem primatum haberet, istud capitulum aliis necessariis interpositum de appellatione Episcoporum & clericorum ad sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ foret: quatenus constitutionem Sardicensis concilii de appellatione clericorum apud finitimos Episcopos, & appellationem Episcoporum de regionali concilio ad sedem Apostolicam eidem Apostolicæ sedi abriperet, & sibi adscribi faceret; quo, sicut mox claruit, primatum sedis Apostolicæ liberius contra sacros canones & antiquam consuetudinem vsurparet, & vniuersalis appellaretur, & esset. Vnde sanctus Leo de his apud synodalem conuentum obtentis, ad Maximum Antiochenum Episcopum scribens, dicit: *Nunc autem cuncta generaliter pronuntiare sufficiat; quod si quid à quoquam contra statuta Nicænorum canonum in quacumque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicii potest inuiolabilibus inferre decretis: Et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolui, quam prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi. Subripiendi enim occasiones non prætermittit ambitio, & quotiens ob occurrentes causas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere. Sicut etiam de Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Prouinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolenter ausus per commentitia scripta firmare, quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædictæ cupiditatis ansa esset, indicauit, & sollicita prece multum poposcit; vt nulla illicitis conatibus præberetur assensio. Nam cuius epistolæ ad nos exemplaria direxisti, sanctæ memoriæ Cyrilli eam in nostro scrinio requisitam nos authenticam nouerit reperisse: hoc tamen proprium dilectionis meæ est, vt quantumlibet amplior numerus Sacerdotum aliquid per quandam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur, quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua Canonibus reuerentia intemerata seruetur. Si quid sane ab his, quos ad sanctam synodum vice mea misi, nisi præter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis; quia ad hoc tantum ab Apostolica sunt sede directi, vt excisis hæresibus, Catholicæ essent fidei defensores. Quicquid enim* præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat Apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum.* Et ad Pulcheriam Augustam; *Frater,* inquit, *& coepiscopus meus Anatholius, parum considerans quantum pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adepto gauisus, quam de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorundam consensum suum præbuisse dicitur extorta subscriptio; cum tamen destruendis mox conatibus contradictio fratrum, coepiscoporumque meorum vicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obuiaret: quoniam contra statuta canonum paternorum, quæ ante longissima ætatis annos in vrbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat: quæ si, vt oportet, à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nulla de mensura honorum dissensiones, nulla de ordinationibus lites, nulla de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieno vsurpatione certamina, sed æquo iure charitatis rationabilis & munerum officiorumque ordo seruabitur, & ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino; Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis ad summa transire. Constantinopolitana vero præsul Ecclesia, quid amplius quam assecutus est, concupiscit? aut quid illi satisfaciet, si tanta vrbis magnificentia & claritudo non sufficit? Superbum nimis est & immoderatum vltra proprios terminos tendere, & antiquitate calcata, alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietisque Prouinciis, & olim sanctæ synodi Nicænæ moderatione dispositis bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabilium Patrum decreta soluantur, quorundam Episcoporum proferre consensum; cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus fere annus huius* conniuentia esse iactatur, quasi prædictus Episcopus estimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere.* De hoc siquidem, quia appellationem clericorum ex Sardicensi concilio ad finitimos Episcopos, & appellationem Episcoporum ad sedem Apostolicam sibi voluit arrogare, & vniuersalis & appellari & esse, & legati sedis Apostolicæ in synodo reclamauerunt, isdem beatus Leo ad Martianum Augustum scribit, dicens. *Apud Christianum, & vere religiosum, vereque Orthodoxum principem loquor, multum Anatholius Episcopus proprio detrahit merito, si indebito crescere optat augmento. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, & protegente Dei dextera, diuturno Clementiæ vestræ fruatur imperio: alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento mirè posuit, stabilis erit vlla constructio, propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam facere non potest sedem, nec vllo modo speret; quod per aliorum offensiones possit augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate violari, in quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseuerantiam exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendet reatum, si paternarum regula sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, spiritu Dei instruente, sunt condita, me (quod absit)* conhibente, violentur: & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuersæ domus Domini communis vtilitas. Et ideo sciens gloriosam Clementiam vestram Ecclesiasticæ studere concordiæ, & his quæ pacificæ congruunt vnitati piissimum præstare consensum, precor & sedula suggestione vos obsecro, vt ausus improbos vnitati Christianæ pacique contrarios ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu, & fratris mei Anatholii nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis, ne ea quæ vestra gloria atque temporibus inimica sunt, cupiens maior suis esse prioribus, liberumque illi sit, quantis potuit splendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi charitate magis voluerit ornari, quam ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderii conceptionem nunquam quidem debuit intra cordis sui recipere secretum, sed cum illi fratres & coepiscopi mei, qui vice mea aderant, obuiarent, vt ab illicito appetitu ex eorum saltem contradictione cessasset. Nam & vestra pietatis apices, & ipsius scripta declarant, legatos sedis Apo-*

Epi. 66.

*præter

stolica, sicut oportuit, contradictione iustissima restitit, ut inexcusabilior esset præsumptio, quæ se nec increpata cohibuit. Unde quia conuenit fides vestra vel gloria, ut sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est: ita etiam omnis ambitus retundatur: Agite quod & Christiana est probitate & regia, ut prædictus Episcopus parcat patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ, sine ullo exemplo, contra statuta Canonum, Episcopum ordinare præsumpsit: quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio, retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab uniuersali Ecclesia, dum inimica pacis tentat, abscidat: quem opto magis irreprehensibiliter agentem diligere, quam in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus separare poterit, perdurare. Et quia videns Anatholius nullo modo se posse vel per se, vel per Imperatorem obtinere quod voluit, se inde recrediderit, idem sanctus Leo demonstrat, scribens ad eundem Anatholium: Si firmo, inquit incommutabilique proposito dilectio tua curam gratiæ communis habuisset, nihil profecto quod ullam anxietatem tibi ingereret, extitisset: non enim sinebat ratio, ut eius charitatem spernerem, quem amore pacis, & studio reparandæ Catholicæ fidei, inter ipsa Episcopatus rudimenta iuuissem, optans in Ecclesiasticis curis talem habere consortem, ut nihil de sanctis præcursoribus tuis, nec Ioannis spiritalem copiosamque doctrinam, nec auctoritatem Attici, nec industriam Proculi, nec fidem Beati Flauiani deesse sentirem, & ita studiis tuis uterer, ut nullus auderet vel fidei Catholicæ resultare, vel Nicænis venerabilium Patrum regulis contraire. Sed cum in iniuriam Canonum, ut agnoscis, illa temptata sint, quæ omnibus Ecclesiis scandalum maximum generarent, quid acutius, ac modestius facerem quam, ut te premerem ut ab hac intentione discederes, fraterno animi missis litteris admonerem? ad quas cum non rescriberes, ipse te à colloquiis meo consortio separasti. Denique inde iam tacui, sed clementissimo principi custodiæ frequentis litterarum petitione suggessi, ut pro pace Ecclesiarum, quam tibi maxime prodesse cognoscis, hæc quæ nunc à tua dilectione facta sunt, implerentur: cui ineffabiles gratias ago, quod secundum eruditionem Spiritus sancti, tuius est virtute plenissimus, sacerdotali dignatur studere concordia, sciens sibi orationes supplicantium copiosius profuturas, si famuli unius Domini in nullo sint à vera pacis unitate diuisi. Et post aliquanta: Illam, inquit, culpam, quam de augenda potestate, aliena ut asseris) adhortatione contraxeras, effitatius atque sincerius tua charitas diluisset, si quod temptari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses: quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur: Sed gratum mihi, frater carissime, est, quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratia communis regressum professio dilectionis tuæ, & attestatio Principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Abscidatur penitus inconcessi iuris, qui dissensionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum Patrum prouidentissima decreta posuerunt, ut quieta sit sua meritis & antiquis priuilegiis dignitas omnium Sacerdotum. Renouetur & maneat in te Dominicæ charitatis affectio, ad quam dilectionem tuam sæpius cohortatus sum fratre & Coepiscopo nostro Iuliano, qui communem gratiam semper optauit, cuius industria & sollicitudines tua renouabuntur, & fides Catholica munietur. Super omnia autem fraterna charitate hortor & moneo, ut ea, quæ ad gloriam, vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicænorum Canonum uniuersalis Ecclesiæ pacem seruantia decreta custodias. Sic enim inter Domini Sacerdotes inuiolata charitas permanebit, si paribus studiis, quæ sunt à sanctis Patribus constituta seruentur.

Cap. XXIV.

Quia vero iterum quidam hæc releuare ac restituere conati sint, allegantes, quoniam Synodus Calcedonensis aut rata in totum tenebitur, aut in totum annullanda ducetur, Beatus Gelasius explanat, & vanas opiniones atque obiectiones destruit, & quæ sunt tenenda in decretis suis ostendit, dicens: Ne forte quod solent, dicant (quin Græci) quod Synodus Calcedonensis admittitur omnia constare debeant, quæ illic videntur esse de prompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudianda est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur quoniam illud secundum scripturas sanctas, traditionemque maiorum, secundum Canones, regulasque Ecclesiæ, pro fide communi, & veritate Catholica & Apostolica, pro qua hanc fieri sedes Apostolica delegauit, sanctamque firmauit à tota Ecclesia indubitanter admitti. Alia autem quæ per intempestiuam præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata: quæ sedes Apostolica gerenda nullatenus delegauit: quæ mox à Vicariis sedis Apostolicæ contradicta manifestum est: quæ sedes Apostolica, etiam petente Martiano Principe, nullatenus approbauit: quæ præsul Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatholius nec se præsumpsisse professus in Apostolicæ sedis antistitis non negauit posita potestate: quæ ideo (sicut dictum est) sedes Apostolica non recepit, quia quæ priuilegiis uniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistunt. Quid enim, quia in libris sanctis, quos utique veneramur & sequimur, quoniam quorundam illis & prosanitates esse feruntur, & scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda sunt aut sequenda, quia in illis sanctis libris & venerabilibus continentur? Sanctus Petrus primus Apostolorum, sic æstimans noui Testamenti gratiam prædicandam, ut à legis veteris non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Iudæos, Gentilesque gessisse: nunquid ideo aut illa eius sequenda sunt, quæ merito & Coapostolus eius facta redarguit, & postea consequenter ipse vitauit, pariter assumenda sunt cum his quæ utpote primus Apostolus salubria prædicauit? Nunquidnam aut eius recta doctrina cum his, quæ humanitatis accesserant, repudianda est, aut illa adhuc imbecillis inscitia cum perfecta eius doctrina suscipienda est? Nunquidnam in ipsorum Hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertineant, posita releguntur? Nunquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi prauitas interest, refutantur aut ideo praui libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas quæ illic inserta est, non negatur? Ait Apostolus: Omnia probate quæ bona sunt tenete. Scimus Apostolum etiam de Paganorum libris aliqua posuisse: Nunquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter relata sunt? Ipse Apostolus ait multos prædicatores aliter atque aliter Christum prædicare: ubi tamen, licet quocumque modo, Christum prædicatum oportet admitti, tamen non ideo illum morem, quo non recte prædicatum est, admittet enitare: malos operarios ipse conqueritur, quorum alia refutanda, docet esse sectanda. Hæc & eiusmodi exempla nos edocent & testimonia diuina confirmant, non omnia pessima à quocunque dicta, vel ubicunque scripta, indifferenter accipere, sed retentis bonis, quæ noceant refutare. Et item: Quod firmauit in Synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutauit, habere non potuit firmitatem & sola rescidi quod præter ordinem congregatio Synodica putauerat usurpandum. Et item: Nobis, inquit, opponunt Canones (quin Orientales Episcopi) dum nesciunt quid loquantur, contra quos ipsi se venire produnt, quod primæ sedi sana rectaque suadenti parere refugiunt: Ipsi sunt Canones, qui appellationem totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri. Et item idem: Viderint ergo si alios habent Canones, quibus suas nuptias exequantur. Cæterum isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrãtur, non solum sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt; Et relqua. Item que idem: Sed velint nolint, ipsius iudicio (scilicet Apostolicæ sedis) Antiqua Canonum cõstitutiones firmantur. Sed religiosi viri atque perfecti secũdũ Canone concessam sedi Apostolica potestatem nimis non

1. Thes. 5

cesiantur eripere, & sibimet eam contra Canones vsurpare contendunt. O Canonum magistres atque custodes! Et post aliquanta; *Quantum ad religionem pertinet, non nisi Apostolicæ sedi iuxta Canones debetur totum summa iudicii.* Et item: *Apostolicæ sedis auctoritas quod cunctis seculis Christiana Ecclesia prælata sit vniuersa, & Canonum serie paternorum, & multiplici traditione firmatur.* Et itẽ: *Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Beatus quoque Gregorius eadem passus à Ioanne, & post eum à Cyriaco Constantinopolitanis Episcopis, quæ & Leo ab Anatholio de præfatis Constantinopolitanis Canonibus, pari modo scribens ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, & ad Anastasium Antiochenum Episcopum, in suis Epistolis inter cætera dicit hoc modo: *Canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant. Sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, nequaquam dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet nec accepit. In hoc autem eandem Synodum suscepit, quod est per eam contra Macedonium diffinitum. Reliquas vero hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis iam Patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis vero nihil hactenus agnouit.* Et cum idem Beatus Gregorius sæpe in suis epistolis dicat ita se quatuor Synodos recipere sicut quatuor Euangelia, aperte demonstrat eodem modo (sicut præmisit) Synodum Constantinopolitanam recipere, scilicet, vt quod de fide contra Hæreticos in ea diffinitum Apostolica sedes recipiat. Canones autem vel gesta Synodi illius contra Nicænos Canones, vt supra ostensum est, nequaquam recipiat. Quia vero sedes Apostolica Canones Calcedonensis Concilij, præter illud vnum capitulum in XVII. recapitulatum, quod contra Nicænos Canones est constitutum, recipiat, idem Beatus Gregorius in Epistola ad Secundinum, & in Homilia Euangelij XVII. euidenter ostendit: *Quinam sunt* [inquiens] *in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cælitus datur. Columba igitur vẽditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed Redemptor noster Cathedras vendentium columbas euertit, quia talium negotiatorum Sacerdotium destruit. Hinc est quod sacri Canones Symoniacam hæresim damnant, & eos Sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur, quando hi qui spiritalem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos Sacerdotio priuantur.* Nulla quippe Synodus ex hac re decreuit iudicium nisi Calcedonense Concilium, licet inde habeatur decretum & in Canonibus, qui vocantur Apostolorum, quia non Episcopalium Conciliorum auctoritate sunt constituti: sed à primis temporibus traditione virorum Apostolorum virorum fuerunt meorib. commendari, & partim verbis, partim sensu, ac sparsim diuersis quorundam Epistolis pro qualitate causarum & personarum ac temporum inditi; atque exinde antequam Episcopi Concilia libere inciperent celebrare, à deuotis quibusque collecti, in quibus quædam receptibilia, quædam vero sunt non seruanda. De quibus interdum quædam adsumpta sunt in Conciliis, quædam etiam à maximis & præcipuæ auctoritatis viris in suis opusculis, sicut & de apocryphis adsumpta fuisse legimus, quoniã in quibusdã ad instructionem valent. Et ideo sicut maiorum traditione didicimus, seorsum ante Concilia in Canonũ libris ad instructionem & propter vulgatam eorum famam ponuntur: in quibusque codicibus sacrum Nicænum & vniuersale Concilium Regionalibus Conciliis, quæ ante illud acta fuerunt, propter auctoritatẽ suæ magnitudinis præponitur. Cæterum iidem Canones, qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti esse credũtur; quoniam, sicut in sacra historia legimus, & inde scriptum ab Ecclesiæ magistris accepimus; Prima Synodus Apostolorum habita est Hierosolymis, de electione duodecimi Apostoli pro Iuda. Secunda, de electione septem diaconorum. Tertia de Circumcisione, ne credentibus ex gentibus imponeretur. Quarta facta est de credentibus ex Iudæis illo tempore, ne prohiberentur, vbi necessitas exigeret, etiam legalibus ceremoniis initiari, ob deuitandũ videlicet eorũ scandalum, qui putabant eos ita Mosaica decreta tamquam idololatrica dogmata damnasse, quod etiam ante facere consuesse Timothei maxime Circumcisione probatum est. Quintam vero Synodũ Apostolorum patres nostri fuisse tradunt: quando, secundum quod prædictum est, tempus adimpletionis aduenit, *vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ.* Psal. 18. Et secundum Domini dictum, Euangelium prædicaretur in toto mundo per Apostolos, quibus dixit: *Ite, docete omnes gentes.* Et tunc Symbolum, sicut vniuersalis tenet Ecclesia, condiderunt, singuli singulas sententias proferentes, sicut & Leo ad Pulcheriam Augustam demonstrat: *Siquidem ipsa* (loquit) *Catholici Symboli breuis & perfecta confessio, duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis: tam instructa sit munitione cælesti, vt omnes opiniones hæreticorum solo ipsius possint gladio detruncari. Cuius Symboli plenitudinem si Eutyches pure & simplici voluisset corde concipere, in nullo à decretis sacratissimi Nicæni Concilii deuiaret, & hoc à sanctis Patribus intelligeret cõstitutũ, vt contra Apostolicã fidem, quæ non nisi vna est, nullum se ingeniũ, nullum eleuaret eloquium.* Denique post hæc nulla Synodus ab Apostolis legitur celebrata, qui fuerũt per omnẽ terram ad verbum fidei seminandum progrediendo dispersi. Sed & Beatus Gelasius in Catalogo, qui libri ab Ecclesia Catholica recipiantur, de scripto, authẽticis scripturis, & Nicænæ, Cõstantinopolitanæ, ac Ephesinæ, Calcedonensis quoque Synodis, & aliis Cõciliis à sanctis Patrib. institutis, & Orthodoxorum opusculis, atque decretalibus Epistolis Apostolicæ sedis Pontificum, aliisque scripturis diligenter commemoratis, de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed nec inter Apocrypha eos misit: quapropter in lectione illorum sequẽda est cautela ab eodem sancto Gelasio præmonita: *Cum hæc,* inquit, *ad Catholicorum manus aduenerunt, Beati Pauli Apostoli præcedat sententia, qua dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete.* 1. Thess. 5. Sicut & in illis capitulis, quæ dicuntur ex legibus Romanis Latina & Græca lingua conscriptis, & ex præfatis Epistolis diuerse collecta, & satagente Osio ad Synodum Nicænam delata: Sed nonnisi ea quæ ibidem constituta tenemus, ad seruandum fuisse decreta. Vnde identidem iisdem Osius quædam in Synodo Sardicensi recitauit, quæ cum legatis Apostolicæ sedis ab eadem Synodo corroborata Ecclesia Catholica recipit. In qua Synodo, cui præsederunt legati Apostolicæ sedis: iisdem Osius Cordubensis Episcopus, & Gentius Capuanus, atque Calepodius Neapolitanus, fuerunt de Hesperiis partibus Episcopi quasi trecenti, ex Orientalibus sex & sexaginta sub Constantio Imperatore, Rufo, & Eusebio Consulibus, & Orientalibus Arianis fuga recedentibus, Hesperij Catholici remanentes, quæ tunc agenda fuerant exequi studuerunt. Recordare quando hæc & plura hinc tibi dixi ex traditione historiæ veteris, cum mihi eras dulcissimus filius, & vbi etiã ista de Apostolorum Canonibus, & de iu præfatis Synodis, Osio satagente, recitatis capitulis legere potuisti, si non neglexisti, & contra auctoritatem veterum, qui veraci attestatione confirmant non plura fuisse capitula sacri Nicæni Concilij quam illa quæ ex antiqua consuetudine Catholica tenet & veneratur Ecclesia: his adquiescere nolens contende, si dicentem Apostolum nolueris obaudire: *Si quis,* inquit, *vult contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

Ego autem ex hac causa cestus iam depositos non resumam, cum sufficiat mihi quæ sedes Apostolica, & Catholica ducet Ecclesia. Et quod addidisti tuis commentis, non esse Primatem diœceseos præter Apostoli primi Vicarium, sufficienter supra legisti quæ sacri Canones & decreta sedis Romanæ Pontificum de Prouinciarum Primatibus intellexerunt ac decreuerunt. De sententiis vero, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis atque decretis præsulum ac ducum Romanorum collectæ ab Adriano Papa, & Engelramno Metensium episcopo datæ, quando pro sui negotij causa agebatur, ex quibus quædam tuis commentis interposuisti, quam dissonæ inter se habeantur, qui legit satis intelligit, & quam diuersæ à sacris Canonibus, & quam discrepantes in quibusdam ab Ecclesiasticis iudiciis habeantur (vt hic quædam de plurimis ponam) euidenter manifestatur. *Delatori, inquit, aut lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur. Iudex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reum ipse confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur. Testes autem sine aliqua sint infamia, vxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes. Testimonium clerici aduersus laicum nemo suscipiat.* Quæ quantum aliena sint à sacris Canonibus, & quantum inimica sint Ecclesiasticis iudiciis, nemo est qui ignoret: & quam tibi, tuisque nuperrimis factis, de quibus reprehenderis, sint in quibusdam aduersæ, ex quibusdam de plurimis hic ostensis parenter quilibet potest agnoscere. *Placuit,* inquiunt, *vt nullus Episcoporum quenquam clericorum iudicare aut damnare præsumat, nisi accusatus legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Et post aliquanta, *Nec prius litigantibus sua velit,* quis iudex, *sententia obuiare, nisi quando ipsi, peractis omnibus, iam nihil amplius habuerint in quæstione quod proponant, & tamdiu altio ventiletur, quousque ad rei veritatem perueniatur,* & reliqua. *Caueant Iudices Ecclesiæ, ne absente eo, cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit imo & causam in Synodo pro facto dabunt.* Contra quas sententias fecisti, quando excommunicationes Deo & præceptis eius contrarias, de quibus te scriptis redargui, exercere præsumpsisti. Et item in eisdem sententiis scriptum est: *Sunt nonnulli qui indiscussa potestate tyrannica non Canonica auctoritate, damnant, & sicut nonnullos gratia fauoris sublimant, ita quosdam odio inuidiaque permoti humiliant, & leuis opinionis aura condemnant, quorum crimina non adprobant. Ideoque communi decreto censemus, vt quandocumque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus eiusdem Prouinciæ Episcopis, causa eius audiatur, vt ne occulte iudicetur vel damnetur, quia ab aliis iudicari prius non potest, nisi ab his à quib. ordinari potuit, quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.* Bona hora tantum laborasti, vt nulli subditus esses nisi Apostolicæ sedis Pontifici, & nullus te iudicare posset nisi Apostolica sedes? Cum ex ipsis sententiis, quas ad defensionem tui muniminis protulisti, hoc contra te proferatur. *Quia ipsis es subditus, & ab his potes iudicari, à quibus potuisti ordinari.* Miranda, vel potius miseranda tua mirabilis, imo miserabilis, sapientia, quia hæc in ipsis sententiis videre non potuisti, vel videre non voluisti. Cum legas episcopus sancta animalia Ezechieli ostensa plena esse oculis ante & retro; & arrogantem Pharisæum ibi oculum non habuisse, vbi iactando enumerans bona sua Publicano se prætulit; hinc etiam de te intelligi potest quod Salomon dicit: *Doctrina sua noscitur vir, qui autem vanus & excors est, patebit contemptui.* Et Seneca pene Christianus & Apostolo Paulo familiaris: *Videnaum,* inquit, *ne per quæ admiratio paratur, ridicula & odiosa sint.* Et item Salomon, *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.* Et Cato. *Audit quod non vult, qui pergit dicere quod vult. Vlem proscripsit quod stulta silentia celent, Tolle malis testes, leuius mala nostra feremus.* Vnde item Salomon, *Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ.* Si vero ideo talia quæ tibi visa sunt de præfatis sententiis, ac sæpememorans epistolis detruncando, & præposterando, atque disordinando collegisti, quia forte putasti neminem alium easdem sententias, vel ipsas epistolas præter te habere, & idcirco talia libere te existimasti posse colligere, res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut & de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in huiusmodi, sicut & in capitulis regiis, studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit: in cuius præfatione idem Isidorus dicit de Apostolorum Canonibus, quod à quibusdam dicantur Apocryphi, & plures eos recipiant, & sancti Patres eorum sententias Synodali auctoritate roborauerunt, & inter Canonicas constitutiones posuerunt, quod de quibusdam sententiis verum est, sicut alibi in hoc opusculo potes legere. Differentiam quoque inter epistolas, quas collegit, & sacros Canones, ex verbis B. Gelasij, quibus & sua verba interposuit, fecit. De Nicæno autem Concilio non est ita vt scripsit, sicuti multis auctoritatum testimoniis adprobatur: & quod de Pascha ex epistola Theophili protulit, qui ecclesiasticas historias legit, in eodem Concilio de Pascha cum capitulis ibidem constitutis epistolam conditam reperit, de cuius licet Isidori dictis, sed & de epistola Damasi, quam suæ præfationi supposuit, & collectioni præposuit, quædam possem prolixius ostendere, sed cum ad ea quæ hinc sunt opus Apostolicæ sedis Leonis, & Gelasij, ac cæterorum Pontificum Romanorum, post Damasum, sufficientissime auctoritas & explanatio suppetat, superfluum duxi non necessaria in medium deuocare, ne illud Poëticum mihi obiiceres: *Tu ne forte feras in syluam ligna viator.* Tu dicis, vt audiui, quia non ego solus sapio Canones, & verum dicis. Accepto prorsus hoc dictum, non quia tuum est, sed quia verum est. Et ego dico, quia non tu solus bene intelligis Canones, & verum dico: recipe igitur hoc dictum, non quia meum est, sed quia verum est. Et si tu te putas scire quæ non didicisti, ego illum hominem solum dico esse, qui sciuit quæ non ab homine didicit, de quo admirantes dicebant Iudæi; *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Et ideo potuit per idiotas & piscatores docere Oratores, & subiugare sibi Imperatores. Et quia ego dico illum solum hominem esse, qui sciuit quæ ab homine non didicit; & videbis de Paulo qui dicit se non didicisse ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi, quem idem Paulus hominem esse non denegauit, quando dixit, *se nihil scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Quia Iesus Deus & homo, quoniam diuinitas crucifigi non potuit, homo est qui crucifixus fuit. Tu me reprehendis quia dico, quoniam antequam tu fuisses natus, ego Canones sciui, iactans te cur non tibi liceat scire, qui post me didicisti quod ego scio qui ante didici, sed Paulus non est de tuo corde locutus, qui legem dictum à Moyse: *Interroga patrem tuum, & adnuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi,* gloriatur se didicisse legem ad pedes Gamalielis; & sciens quia quando superbus erat, de cœlo est prostratus à Domino: & qui prædicator futurus erat, non tamen mox, vt prædicaret quod viderat, audiuit, sed ei iacenti dicitur: *Ingredere in ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.* Et hoc Dominus eum ab Anania discere voluit, vnde ipse eum statim & in momento per reuelationem potuit docere. Deinde venit Hierosolymam videre Petrum, Deinde post annos XIV. ascendit Hierosolymam secundum reuelationem, & contulit cum Antecessoribus suis Apostolis Euangelium, quod prædicabat in gentibus, seorsum autem cum his qui videbantur præstantiores, *Ne forte in va-*

Prou. 15. Prou. 26. Prou. 26. Ioan. 7. 1 Cor. 2. Deut. 32. Act. 22. Act. 9. Gal. 1. 2.

tuum curreret aut cucurrisset. Et hæc dico non ignorans de quibusdam dictum fuisse; *In antiquis est sapientia.* Et de quibusdam, *Cani hominis, sapientia eius:* Similiter de quibusdam; *Quanto iuniores, tanto perspicaciores.* Et de quibusdam intelligendum, *Quanto iuniores, tanto pernicaciores.* De qualibus Paulus dicit, *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros,* & reliqua. Et quoniam scimus vbi, & quanto tempore, & à quibus, & quæ, ac quanta didicisti, qui non es doctus in schola Danielis, de quo dicitur; *Nunquid tu Danielo sapientior?* Quandiu talia tibi ad intentionem tuam non profutura, quæ in commentis tuis continentur, vadis fodiendo, vtilius, immo (quia hæc inutilia sunt) vtile tibi foret illa quærere, quæ ad tuam & commissorum tibi saluationem debueras baiulare, scilicet quomodo in regulis sacris debeas intelligere, quia quidā iubentur vsque ad Missam catechumenorum manere in Ecclesia: quidam autem sola intra Ecclesiam fidelium oratione iungi sacræ mysteriorum celebritati, à Dominicæ autem mensæ conuiuio segregari. Et Leo dicit; *His, qui in tempore necessitatis, & periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda.* Et Innocentius dicit, *Vt quæ Christo spiritualiter nubunt, & à Sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de mundo recesserit.* Et Cœlestinus dicit: *Vt nulli sit vltima pœnitentia deneganda.* Cum enim nullus dicitur, nemo excipitur. Et Leo, sicut præmisimus, *Implorantibus nec satisfactio, inquit, interdicenda est, nec reconciliatio deneganda.* Et Hæreticos ac schismaticos legimus ad Ecclesiasticæ fidei & pacis vnitatem redeuntes per manus Episcopalis impositionem in ordinibus suis debere recipere, & Presbyteros vel Diaconos in aliqua grauiori culpa conuictos, qua eos à ministerio necesse sit remoueri, non eis manus tanquam pœnitentibus debere imponi. Sciendum ergo nobis est, cur Hæreticis & schismaticis redeuntibus manus imponitur, & lapsis diaconibus vel presbyteris, ad reconciliationem nequaquam manus imponitur, de quibus Leo dicit; *Huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuatam esse expetendam secessionem, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Et idem Leo dicit; *Vt si quis in regulas sacras commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.* Et sanctus Gregorius, ac cæteri Romani Pontifices, sed & sacri Canones dicunt, *Lapsos in ordine non debere restitui, sicut nec publice pœnitentes ad Ecclesiasticum ordinem promoueri.* Quomodo ergo pœnitentia, si fuerit digna, esse poterit fructuosa, si in gradibus suis huiusmodi pœnitentes non valebunt restitui? quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? aut domum construere, & non illic habitare? *Nunquid qui cadit, non adiiciet vt resurgat?* Et quorundam Hæreticorum, quorum baptisma probatur, Clericos in ordinibus suis recipi, quosdam autem legimus recipi non debere; & à quibusdam quosdam Hæreticos vel schismaticos cum chrismatis vnctione, à quibosdam qnosdam sine manus impositione, cum professione simul & subscriptione; à quibusdam quosdam tantum professione recipi debere legimus. Et item in sacris Canooibus legimus: *Vt hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad seculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant, & pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.* Et legimus, quia sicut *vnum est baptisma,* ita & vna debet esse pœnitentia, quæ tamen publice agitur: & sunt in nostris parrochiis plurimi, qui post pœnitentiam, & reconciliationem per manus impositionem, & post communionem iterum labuntur, non solum semel sed & secundo, ac tertio; quomodo nobis de his faciendum sit, cum (sicut præmisimus) sine pœnitentia communionem non accipient; vel quomodo qui accipiunt Eucharistiam, & sic moriuntur, absoluti erunt, qui non essent absoluti sine manus impositione, si superuixerint? Et in sacris Canonibus legimus; *Eorum, qui pœnitentia accepta in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viuentes, sine communione, inopinato nonnunquam transitu in agris, aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam.* Et Leo dicit: *Horum causa Dei iudicio reseruanda est in cuius manu fuit, vt talium obitus vsque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.* Sed & quomodo distinctos gradus pœnitentium, de quibus in Canonibus legimus, pœniteant pœnitentes secundum præfixos gradus, intelligere quot sint, & qui sint, & obseruare erga pœnitentes in Ecclesia debeamus, ne contra sacras regulas faciamus, nosse ex Canonibus sacris debemus, de quibus quædam si in opusculo isto diligenter attenderis, & ea reducere ad memoriam volueris, quæ iam tibi dixisse me recolo, quando videbaris dignationem discendi habere, & velle docenda discere, poteris intelligere. Sunt & alia plurima, quæ hinc tibi poteram computare, sed mihi præsertim inter spinas seminanti esse longum, & tibi infructuosum fore existimo, quia voluntatem tuam ac desiderium ad ea tendere inhianter audio & video: *Quæ tanquam fœnum velociter arescent, & sicut olera herbarum cito decident:* De quibus iterum scriptum est: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt qui ascenderunt equos. Immortæ animæ* (inquit Gregorius) *mentis oculos à veritatis luce clauserunt, qui in præsentis vitæ honore confisi sunt: quibus temporalis amor & honor, cum cursum deficient, nisi ad tempus fuerit inde conuersa, quando transibit actus, manebit eis reatus.* Ideò oportuerat te illa, quæ hic tibi prodesse inciperent, & in semper existenti sæculo amplius prodessent: *Quando* (sicut dicit Apostolus) *veniet quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est;* tota mentis deuotione amplecti. De quibus si hodie aut cras interrogatus fueris, vera & salubria respondere valeres. sed quia vsus pessimo præceptore teipso, dedignaris scire quod nescis, cum inde interrogatus fueris, aut hæsitando dissimulabis respondere, aut incerta studebis peruerse docere. Tandem ab eo quod in fine pitacioli tui misisti: *Decretalia* (inquiens) *quæ à sanctis Pontificibus primæ sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cuius auctoritate atque sanctione omnes Synodi & sancta Concilia roborantur, & stabilitatem sumunt; cur vos non habere vel obseruare dicitis, nisi quæ in vestra ordinatione continentur?* Miror quare non vidisti te manifeste redargui & increpari, cum illa, quæ tibi in parua scedula apud Gundulphi villam dedi, & in hoc opusculo supra posui, quæ certum est te habere, penitus prætermiseris nisi [vt tu ipse ex alterius verbis in tuo pitaciolo scripsisti] quia tuæ ordinationi, id est, tuæ voluntati, & intentioni contradicunt. Vnde inferri tibi recte potest quod scriptum est: *Et verbis tuis te iudico,* sicut ipse scripsisti dicens: *Ecce hic euidentissime ostenditur, si quis contra Romanorum Pontificum decreta obloqui præsumpserit, iure temeritatis arguetur.* Igitur lege illam præfatam scedulam, & supra scripta Pontificum Romanorum decreta ex sacris Canonibus promulgata, & inuenies te obloqui Pontificum Romanorum decretis, & quando altera vice sic accurate dictabis, studiosius polire linguam tuam curabis, ne vitiose contra tuam Grammaticam dictes, sicut hic fecisti dicens: *Si quis contra Romanorum Pontificum decreta oblo-*

[Margin notes, left column: Ibid. · Iob 12. · 2. Tim. 4. · Ezech. 28. · Epist. 91. 4. · Epist. 2. 19. · Epist. 1. 2. · Epist. 91. 4. · Amos. 8. 5. · Conc. Arelat. 2. can. 25. — right column: Conc. … cap. 2 · Leo … c. 6. · [Cor.] · Leo 13.]

qui præsumpserit. Nos enim simplices ac idiotæ, si hinc loqui contingeret, diceremus, aut contra Romanorum Pontificum decreta loqui, aut Romanorum Pontificum decretis obloqui; idem enim est aut contra Romanorum Pontificum decreta loqui; aut Romanorum Pontificum decretis obloqui, vt non contemnendæ auctoritatis sallator dicit: *Obloquitur numeris septem discrimina vocum.* Vnde tuus Seruius, *obloquitur numeris*, dicendo *obloquitur*, cordarum expressit laudem, quas dicit verbis locutas: obloqui enim non est, nisi contra loquentem loqui, qua de re, si talionem mihi reddere volueris, & in dictis meis reprehensiones quærens inueneris, ego iam, spretis iactantibus puerorum plausibus, qui, manente integro sensu, in verbis me magis intelligi quæro, quam admirari, cum Paulo dicam: *Et si imperitus sermone, non tamen scientia.* Tibi autem nouo Grammatico, qui, vt frondosa & condensa arbor, folijs ornatus verborum phaleris debes incedere, & tua figmenta grandisonis pompare modis, & in omnem ventum inflatis buccis Grammaticas spumas expuere, hoc dicere non licebit.

1. Cor. 11

In clausula vero tui pitaciolí posuisti: *Hæc* inquiens) *succinctè quidem excerpsi, ac passim pro qualitate negotij contexendo promiscueque conserendo, ordine cum præpostero, tum composito, sed & sensim connexo, abscidi.* Vnde parcat mihi tua prudentia, & cuiuscunque alterius lectoris patientia, si tumultuario, & sæpius repetito, non autem rectè tramitis, vel ordinato sermone, necessitate compulsus, hoc opusculum designare, potius quam perficere studui: quoniam tuis compilationibus confuso, & sicut ipse dixisti, præpostero ordine positis, & nunquam in eodem statu manentibus, aliter respondere non potui, nisi, vt venatorum feræ lustra sequentes, agere auditu & lectione puer scolarius in libro qui inscribitur Kynegeticon Carthaginenses Aurelij didici, hac illacque discurrendo, retrograda etiam vestigia reperendo, anfractus tuos vestigando, explicare studerem: quod adhuc mihi erit necessarium facere, & in explicanda de inceptis ratione, & in ostendenda causali actione de his quæ admisisti, & pro quibus tibi & Ecclesiæ tibi commissæ scripsi, contra quæ irregulariter subscriptionem, quin potius tuam nouam præsumptionem adiens, *Mille vias, tristesque labores, discursusque citos secutus prælia rerum*: & sincero corde lites domesticas subire compellar.

Cap. XXV.

Dan. 12. Exod. 6.

De cætero quod Daniel dicit: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia:* Dominus demonstrat ad Moysen dicens: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Et longe post Moysen Dauid dicit: *Super seniores meos intellexi & super omnes docentes me intellexi.* Et Apostoli viderunt & audierunt quod multi antiqui iusti desiderantes non viderunt vel audierunt. Quod beatus Gelasius sapientiæ & scientiæ spiritu repletus, in Catalogo, qui libri ab Ecclesia Catholica recipiantur, post descriptionem authenticarum scripturarum, & Nicæna, Constantinopolitana, ac Ephesina, Calcedonensi quoque Synodis commemoratis subiunxit: *Et si qua sunt Concilia à sanctis Patribus instituta, post horum quatuor auctoritatem, & custodienda, & recipienda decreuimus.* Commemoratis etiam opusculis Orthodoxorum ex nomine designatorum adiunxit dicens: *Item opuscula atque tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à sancta Ecclesia Romana consortio deuiarunt, nec ab eius fide vel prædicatione seiuncti sunt, sed ipsius communioni per gratiam Dei vsque ad vltimum diem vitæ suæ fuere participes, legenda decernimus.* Deinde dicit: *Item decretales Epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma pro diuersorum Patrum * consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.* Et sic de Martyrum passionibus coniunctim loquens, & de vitis sanctorum, & de actibus beati Syluestri, & ea scriptura de inuentione dominicæ Crucis, & de inuentione capitis beati Ioannis Baptistæ solertissimè ac discretissimè addidit, dicens; *Sed cum hæc ad Catholicorum manus aduenerint, beati Pauli Apostoli præcedat sententia, Omnia probate, quod bonum est tenete.* Sed & in ipsis Apocryphis discretionem teneri debere subinnuit: *De quibus quædam in totum sunt respuenda, quædam autem propter Hæreticorum calumnias inter apocrypha sunt computanda, sed non penitus abominanda, de quibus viros Catholicos in suis opusculis testimonia legimus adsumpsisse, sicut & beatus Iudas Apostolus in Epistola sua egit.* Animaduertenda igitur est discretio ex verbis beati Gelasij inter Synodalia Concilia, & Apostolicorum virorum Epistolas, quas ante Concilia celebrata, diuersis temporibus, pro diuersorum Patrum consolatione dederunt, quasque venerabiliter suscipiendas dicit: Si quæ sunt autem Concilia à sanctis Patribus instituta post quatuor Conciliorum auctoritatem, custodienda & obseruanda decreuit. Vnde item in decretis suis dicit: *Patres* (inquit) *nostri Catholici, doctique Pontifices in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica, secundum scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, facta semel congregatione, sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt.* Quantum enim distet inter illa scilicet Concilia, quæ custodienda & recipienda decreuit, & inconuulsa firmaque deinceps Patres Catholici manere voluerunt, & illas Epistolas, quæ diuersis temporibus, pro diuersorum consolatione datæ fuerunt, quas venerabiliter suscipiendas dicit, nemo in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus ignorat. Si enim quædam ex his, quæ in quibusdam illis Epistolis continentur tenere & custodire velle inceperimus, contra alia plurima illarum epistolarum facere incipiemus. Et rursus, si alia contra quæ feceramus, tenere & custodire inceperimus, aduersus ea, quæ antea seruare voluimus faciemus, à Concilijs sacris, quæ perpetuo nobis recipienda, tenenda, ac custodienda, atque sequenda sunt, deuiabimus, sed & à consuetudine quam Catholica Ecclesia habuit, ex quo in sacrum Nicænum Concilium Patres nostri conuenerunt, *qui adhuc*, sicut Leo dicit, *nobiscum in suis constitutionibus viuunt*, perniciosissimè discedemus, & nihil certi tenentes in sectam Genethliacianorum, id est, Mathematicorum offendemus, qui diffinierunt omnia in incertum. Nam & beatus Gelasius easdem Epistolas, non solum sacris Canonibus in quibusdam aduersas, sed etiam sibi ipsis diuersas ostendit, cum dicit; *illas diuersis temporibus pro diuersorum * consolatione datas.* Et hinc forte aduersum me dices: *Ergo calumniaris Apostolicam sedem in sanctis eius Pontificibus eo quod male senserint, & non tenenda decreuerint.* Vnde tibi respondeo, quod de lege non Iudaicè seruanda contradicentibus sibi & dicentibus: *Lex ergo aduersus promissa Dei?* respondit Apostolus: *Absit; Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum.* Sed personis & temporibus suis congrua; *quæ propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui repromiserat Deus ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Et illas Epistolas sanctorum & Apostolicorum virorum, diuersis temporibus, pro diuersorum consolatione, sicut & Gelasius dicit, à sede Apostolica datas, & per eosdem Domini Sacerdotes, qui & Angeli secundum scripturam appellantur, ordinatas, cum beato Gelasio Apostolico viro venerabiliter suscipiendas

* Consultatione. — 1. Thes. 5. — Gelas. ep. 11. ad Dardanos. — Epist. 31. vol. 13. ad Anatol. — * Consultatione. — Galat. 3. — Rom. 7. — Galat. 3

dico, quæ suis temporibus congruentes fuerunt, donec per sacra Concilia Patres nostri in vnum conuenientes, sicut eiusdem Apostolicæ sedis Pontifices protestantur, suggerente sibimet sancto Spiritu (quoniam aliter credendum non est) mansuras vsque in finem sæculi leges condiderunt: & sicut de lege dicit Apostolus: *Si enim esset lex quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia*: (Gala. 3.) Ita salua reuerentia sedis Apostolicæ dico; quia si illa, quæ in eisdem Epistolis continentur, & suis temporibus congrua fuerunt, subsequentibus temporibus, ita vt in eis continentur, omnia & in simul custodiri valerent, & seruari ac teneri congruerent, Patres nostri Catholici videlicet, doctique Pontifices, in Concilijs sacris leges mansuras vsque in sæculi finem non conderent. Suscipiendas ergo illas Epistolas venerabiliter cum beato Gelasio dico, & cum leguntur, sicut ipse præcipit Gelasius; Apostolica illa præcedat sententia, qua dicit: *Omnia probate, quod bonum est tenete*: (1. Thess. 5.) & hæc dico non quo quædam in eis dicam esse non bona, sed non per omnia sacris Canonibus, Patrumque Concilijs consona: sicut & Apostolus dicit: *Lex quidem bona & sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum*: (Rom. 7.) sed in temporibus suis. Et Dominus de Iudæis, quibus ipsa lex data fuerat, dicit: *Dedi eis præcepta non bona*: (Ezech. 20.) id est, quædam tempore reuelatæ gratiæ immutanda, quia lex dicitur in allegoria, vt Apostolus de duobus Abrahæ filiis interpretatur: (Gal. 4.) *Et patres* (inquit) *nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem spiritalem escam manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* (1. Cor. 10.) At lex in decalogo quod non est immutatum accipitur: & lex in ceremonijs, & legalibus sacrificiis dicitur, quæ *futurorum vmbras* appellat Apostolus. (Col. 2.) Et, vt longe superius prælibaui, immutata nunc spiritaliter in Ecclesia conseruantur: quid enim agebatur in illo populo, Iudæi nescierunt, sed nec modo sciunt. De illis quippe dictum est, *quamdiu legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est*: (2. Cor. 3.) ibi velamen figura est, sed ablata est figura, & apparet veritas. Audi Apostolum quando ablatum est velamen: *Cum transierit* (inquit) *ad Dominum, auferetur velamen.* (Ibid.) Propitiatus ergo peccatis nostris & impietatibus per illud sacrificium vespertinum, quando Christus extendit manus in Cruce, vt diceretur: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* (Psal. 140.) Sicut nouimus quia Dominus circa vesperam pependit in Cruce, ipse Sacerdos, ipse victima, ipse oblator, ipse oblatio. Ipse Sacerdos est, qui nunc ingressus est in interiora veli, solus ibi ex his qui carnem gestauerunt interpellat pro nobis: in cuius rei figura in illo primo populo, & in illo primo templo vnus Sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum, populus omnis foris stabat; & ille, qui solus ingrediebatur in interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante. Propitiatis ergo peccatis nostris, & impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum, & aufertur velamen. Propterea & Domino crucifixo, velum templi scissum est. Itaque nec carnem præputij circumcidimus iuxta ritum Mosaicæ legis: nec abstinemus carnibus, quas eadem lex dicit immundas: nec Sabbatha, & Neomenias & dies Festos eorum carnaliter obseruamus, nec victimas pecorum sacrificamus Deo, nec Pascha in oue & azymis similiter celebramus, & si qua alia fuerunt vetera Sacramenta, quæ omnia (vt dixi) *vmbras futurorum*, (Col. 2.) appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore reuelanda, quæ nos reuelata percipimus, vt remota vmbra, nuda eorum luce fruamur. Nam & exuendo veterem hominem circumcidimur in expoliatione corporis carnis, & quos cibos illi vitant in pecoribus, nos vitiatamus in moribus, & *exhibemus corpora nostra hostiam viuam sanctam, Deo placentem*: (Rom. 12.) cui & animas in desiderijs sanctis pro sanguine intelligenter effundimus, & Christi velut Agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur: qui propter similitudinem carnis peccati, etiam caprino pecore in veteribus sacrificijs figuratur, nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam. In illo requiem cum inuenimus, vere Sabbatizamus: & lunæ nouæ obscuratio, vitæ nouæ est sanctificatio: & Pascha nostrum est Christus, & azymum nostrum sinceritas veritatis fermentum non habens vetustatis. Et propter hanc vitæ nouitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi huic attributus est. nam ipse dicitur & mensis nouorum. Quia vero in toto tempore seculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem. Secundum sub lege. Tertium sub gratia, vbi iam manifestatio est Sacramenti prius occulti in Prophetico ænigmate, hoc ergo & in lunari numero significatur. Quia n. septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticus apparere, tertia hebdomada Lunæ Pascha celebratur, id est, qui dies occurrit à quarta decima in vicesimam primam. Et quæcunque alia illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cuius regni non erit finis: in illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem & Prophetas non soluere sed implere. Proinde illa vetera signa rerum non euacuauit arguendo, sed mutauit implendo vt alia essent quæ nunciarent venisse iam Christum, quam fuerant illa quæ prænunciabant esse venturum. Similiter, & in illis Apostolicorum virorum Epistolis quædam demonstrantur etiam apud Gentiles fuisse ante aduentum Domini significatiua, sicuti de Prouinciis, & priuilegiis ciuitatum, & primatibus Flaminum & Archiflaminum, quæ ad instar legis Mosaycæ longe ante Gentilium dispositionem, & legislatione, & in eis quibusque distinctionibus existentis, vt supra ostendi, & in diuisione tribuum ac incolatuum, & priuilegiorum, ac primatuum ordinum singulorum Gentiles disposuerunt, & (vt Clemens, atque Anacletus ostendunt) Apostolica traditione in Ecclesia hodieque seruantur in diuisione regionum, & Parrochiarum, & priuilegiis sedium, & & Episcoporum, ac Metropolitanorum, atq; Primatum: quæ Apostolica vera traditio etiam ratione & prisca consuetudine sufficientissime est confirmata. *Planè* (inquit Augustinus) *verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est: sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* (De bapt.)

Quædam denique, sicut in eisdem Epistolis ab Apostolis tradita leguntur, vel ex legibus Romanis adsumpta inueniuntur, ita plenariorum Conciliorum auctoritate firmata seruantur: & quædam ex his in Concilijs immutata fuerunt: sed & quædam de his, quæ in regionalibus fuere statuta Concilijs, plenariorum Conciliorum auctoritate immutata, vel in postmodum infragabiliter conseruanda tenentur, sicut Catholici Doctores & ecclesiæ Magistri demonstrant, & partim ex eorum dictis supra ostendi: & præterea quæ de verbis beati Augustini in hoc opusculo posui, in libris de baptismo dicit, primum quidem ostendens differentiam esse inter Epistolare colloquium, quo istæ Epistolæ Apostolicorum, de quibus agitur, conditæ sunt, & regionale, ac plenarium Concilium. *Vides* [inquit] *quid adhuc à me possit inquiri: videlicet, vt respondeam verisimilibus illis rationibus, quibus vel ante Agripinus, vel ipse Cyprianus, vel illi qui eis in Aphrica consenserunt, vel fisor te aliqui transmarini terris longe discreti, nullo quidem sine plenarie, siue saltem regionali Concilio, sed Epistolari colloquio, commoti sunt, vt hoc esse faciendum putarent: Quod cer-* (L. 3. de bapt.)

inſuetinde Eccleſia priſtin anon habebat, & poſtea Catholicus orbis terrarum robuſtiſſima firmitate conſenſionis excluſit, vt quod per diſputationes huiuſmodi in aliquorum mentes irrepere cœperat, de ſalute veniens vnitatis potentior veritas, & vniuerſalis medicina ſanaret. Item differentiam inter regionalia & plenaria Concilia oſtendit hoc modo: *Nobis* (inquiens) *tutum eſt in ea non protrahi aliqua temeritate ſententia, qua nullo in Catholico regionali Concilio capta, nullo plenario terminata ſunt. Id autem ſecurum eſt ſententia vocis adſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti vniuerſalis Eccleſia conſenſione robora um eſt.*

Item differentiam oſtendit inter anthenticas ſcripturas & regionalia, & plenaria Concilia: *Quis* (inquit) *neſciat ſanctam ſcripturam Catholicam tam veteris quam noui teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum litteris ita praponi, vt de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, vtrum verum, vel rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Epiſcoporum autem litteras, qua poſt confirmatum Canonem vel ſcripta ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuslibet in ea peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem auctoritatem, doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis fortè a veritate deuiatum eſt. & ipſa Concilia, qua per ſingulas regiones vel Prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, qua fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere: ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat: ſine vllo typho ſacrilega ſuperbia, ſine vlla inflata ceruice arrogantia, ſine vlla contentione liuida inuidia, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana.* Et item: *Quapropter illud vnum his conſiderent quod omnibus patet: ſi auctoritas Cypriani ſequenda eſt, magis eam ſequendam eſſe in vnitate ſeruanda, quam in Eccleſia conſuetudine commutanda. Si autem Conciliorum eius attendimus, huic eſſe vniuerſa Eccleſia poſterius Concilium praponendum, cuius ſe membrum eſſe gaudebat, & vt ſe in totius corporis compage retinenda cateri imitarentur, ſapius admonebat. Nam & Concilia poſteriora prioribus apud poſteros praponuntur. & vniuerſum partibus ſemper optimo iure praponitur. Cyprianus enim ſancta Eccleſia Catholica vniuerſitas non fuit, ſed in eius vniuerſitate permanſit: cuius radicem nunquam deſeruit, ſed in eius radice fecundus vt eſſet fecundior, ab agricola cœleſti purgatus eſt.*

Hæc de aliis Conciliis à Beato Auguſtino ſunt dicta. Cæterum de ſacra & myſtica Nicæna Synodo, ſicut ſupra ex verbis Leonis & aliorum oſtendi, nihil vnquam à quoquam, vel Apoſtolicæ ſedis Pontifice, vel à plenario Concilio, minime autem à regionali, eſt immutatum, quod non ſit penitus irritum. Sicut & Gelaſius in decretis ſuis dicit: *Non* (inquiens) *nos latet in tempeſtate perſecutionis Arriana, plurimos Pontifices de exiliis, pace reddita, reſpirantes, per certas Prouincias, congregatis ſecum fratribus, Eccleſias compoſuiſſe turbatas: non tamen vt illius Synodi Nicana quicquid de fide & communione Catholica diffinierat, immutarent: nec nouam quemquam pro lapſu damnatione percellerent, ſed illius tenore decreti, niſi reſipuiſſet, iudicare damnatum, eſſetque conſequens, vt niſi corrigeret, damnationi proculdubio ſubiaceret.*

Suſcipe igitur illas epiſtolas (de quibus tua commenta compilaſti, venerabiliter, vt dicit Gelaſius, & ſerua inuiolabiliter ſacra Concilia, vt decreuit Gelaſius, & cæteri Catholici videlicet, doctique decreuerunt Pontifices, ſicut & de Sanctorum imaginibus decreuerunt, reprehendentes eos, veluti & beatus Gregorius in epiſtolis ad Secundinum, & ad Serenum Maſſilienſem demonſtrat Epiſcopum, qui ſub hac quaſi occaſione, ne adorari debuiſſent, confringendas eaſdem imagines dixerunt: & laudantes eos, qui illas non adorandas, ſicut neque confringendas, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes fuiſſe neſcientium collocandas conſtituerunt: quoniam in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſterni debet, & ſi quis imagines Dei & ſanctorum ad inſtructionem facere voluerit & habere, non debet vllo modo prohiberi: & quia, vt ſcriptum eſt: *Quomodo in aquis reſplendent vultus reſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Et, *Aqua profunda verba ex ore viri.* Et, *Deriuentur fontes tui foras.*

Ex verbis ſanctorum, quaſi ex eorum imaginibus, ipſos videlicet, corda & promulgationes eorum cognoſcere poſſumus quæ ſint, quæ ſinguli quique pro conſolatione vel inſtructione quorumdam, iuxta temporum & actuum qualitatem, & quæ communiter atque vnanimiter in conciliis ſacris ad auctoritatem generaliter cuſtodienda & recipienda perpetuo decreuerunt. Tu, hac diſcretione, vt præmiſi ex verbis beati Gelaſii, ſuſcipe ad inſtructionem illas epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Roma pro diuerſorum Patrum conſolatione dederunt legendas, venerabiliter; & ſerua ſacra concilia, quæ ſedes Apoſtolica, & omnis ſequitur Eccleſia inuiolabiliter, & vt Dominus ex lege cõfirmat in Euangelio, *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Quia mihi non pigrum, tibi autem eſt neceſſarium, repetam tibi quod de ſacris conciliis ad Ianuarium dicit beatus Auguſtinus: *Omnia itaque talia, qua neque ſacrarum ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſalis Eccleſia roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri cauſa poſſint, quas in eis conſtituendis homines ſecuti ſint, vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo.*

Quæ verba beati Auguſtini quomodo placeant tibi, tu videris; exiguitati autem meæ tutius & ſalubrius videtur cum illis ſacra ſequi concilia, & omnibus, qui me audire voluerint, inculcare: non ſequi, relictis ſacris conciliis illa quæ ipſe exiſtimat ſecanda, quam illa quæ tu reſecata & diſſecata proponis ſectanda, quoniam ſibi ipſis diuerſa oſtendunt ſe eſſe non poſſe omnibus & in omnibus ſeruanda atque ſequenda. *Oportet igitur* (inquit Innocentius ad Decennium Eugubinum Epiſcopum) *eos* (quin Domini Sacerdotes) *hoc ſequi quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne, dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.*

Quid ſit autem quod Eccleſia Romana cuſtodit, & Domini Sacerdotes oporteat ſequi, demonſtrat Gelaſius: *Confidimus*, inquiens, *quod nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret vniuſcuiuſque conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſia probauit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem pra cateris oportere, quam primam, qua vnamquamque Synodum & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce percepit, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet.* Ecce habes ſecundum legem & Euangelium, plenitudinem teſtium teſtificantium de ſequendis inconuulſe conciliis, & de non ſtudendis peregrinis aſſertionibus, Apoſtolo etiam præcipiente, *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Peregrinas autem eas aſſertiones ideo cum Innocentio dico; quia ex quo ſacra concilia in Eccleſia Catholica celebrari cœperũt, illa quæ ſuo tẽpore partim viguerunt, niſi quantũ ex eis ſacra cõcilia aſſumenda viderunt, ab vſu eccleſiaſtico effluxerunt; vſquequo nuper à te, quantum ex te eſt, recrudeſcere inceperunt, vt ad ea, quæ adſpiras libenter, tranſire poſſis in affectum cordis licenter, & à nullo coërceri vel iudicari valeas regulariter, ſed non ſentiunt tecum, neque tibi conſentiunt Doctores & Magiſtri eccleſiæ.

Lib. 2. de bapt. cap. 3.

Lib. 2. de bapt. cap. 3. [marginal: Ibid. cap. 9.]

Ep. 2. ad Dardanos.

Prou. 27.

Prou. 5.

Matth.

Ep. 119

Ep. 11. ad Dardanos.

Heb. 13.

Cap. XXVI.

Epist. 118

Vnde quasi ex supererogatione superadiicio tibi quod item beatus Augustinus ad Ianuarium dicit: *Primo* [inquiens] *tenere te volo, quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum* [*sicut ipse in Euangelio loquitur*] *leni iugo suo nos subdidisse & sarcina leui, vnde Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem noui populi colligauit, sicut est baptismus trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur, exceptis his, quae seruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum & Propheticis temporis onerabant, quae & in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe seruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in caelum, & aduentus de caelo Spiritus S. anniuersaria sollemnitate celebratur, & si quid aliud tale occurrit quod seruatur ab vniuersis quacunque se diffundit Ecclesia.*

Et in edicto Iustiniani Imperatoris, de rectae fidei confessione, & refutatione haeresium, quae aduersantur Catholicae Dei Ecclesiae, à Synodo quinta dictato, & ab eodem Imperatore confirmato, scriptum est: *Oportet* [inquit] *etiam illud attendere eos qui veritatem perscrutantur, quod forsitan in Conciliis quaedam à certis sibi conuenientibus dicuntur, aut per fauorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam: nemo autem attendit ea quae per partem à quibusdam dicuntur, sed sola illa quae ab omnibus communi consensu diffiniuntur. Si enim aliquis secundum illos voluerit attendere huiusmodi contrarietates, vnaquaeque Synodus inuenietur semetipsam destruens.* Qua discretione prudentius te intelligens Antiochena Synodus, quam sanctus Hilarius, illo in carne viuens tempore quando celebrata fuit, in Epistola ad Imperatorem Constantium, & in libro de Synodis monstrat fuisse Catholicam, quamque Calcedonensis comprobat; & sciens post tempora quorundam, eorum, de quorum Epistolis quaedam collegisti, & quaedam dolo omisisti, habitum Nicaenum Concilium [cui à sequentibus sanctis Conciliis, sicut nihil contrarium est additum, ita ab eo nihil est abrogatum, nihil mutilatum vel immutatum, licet à quibusdam non praeualentibus fuerit adtemptatum] constituisse, *vt per singulas Prouincias sua priuilegia seruentur metropolitanis Ecclesiis, ita vt horum omnium* [videlicet sibi commissorum] *metropolitanus habeat potestatem*; decreuit, dicens: *Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Prouinciae gerere, propter quod ad metropolim omnes vndique, qui negocia videntur habere, concurrant.*

Conc. Nicaen. can. 6. Conc. Antioch. can. 6.

Can. 13. Et item: *Nullus Episcopus ex alia Prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare, licet consensum videantur praebere nonnulli, nisi litteris tam metropolitani, quam caeterorum qui cum eo sunt, Episcoporum rogatus aduenіat, & ad actionem ordinationis accedat.*

Quod manifestum est de quolibet metropolitano, ne in Prouincia metropolitani alterius, quod non est suum, non petitus vel vocatus, praesumat, & non de tuo metropolitano in tua parrochia illi subiecta, dicere. Vnde & Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopum. *Reuoluentes* [inquit] *auctoritatem Nicaenae Synodi, quae vnam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, quae censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, quia super dioecesim suam praedictam Ecclesiam, non super aliquam aliam Prouinciam, recognoscimus constitutam.* Et Bonifacius Papa ad Hilarium Narbonensem Episcopum; *Nulli* [inquit] *videtur incognita Synodi constitutio Nicaenae, quae ita praecipit, vt eadem propriè verba ponamus; per vnamquamque Prouinciam ius metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas; quod illi* [*quia aliter credendum non est*] *seruandum, sancto Sp. suggerente, sibimet censuerunt.* Et paulo post. *Quod saepius dicimus, vt aduertat charitas tua, adeo nos Canonum praecepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui vnaquaeque Prouincia in omnib. rebus ordinationem semper expectet.* Et his consona Caelestinus: *Iuxta decreta* [inquit] *Canonum vnaquaeque Prouincia suo metropolitano contenta sit, vt decessorum nostrorum data ad Narbonensem Episcopum continent constituta: nec vsurpationi locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur iniuriam, sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus. Alter in alterius Prouincia nihil praesumat.*

Vnde & Aphricanum Concilium ad Caelestinum Papam scribit dicens; *Decreta Nicaena, siue inferioris gradus Clericos siue ipsos Episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt, prudentissimè enim, iustissimeque viderunt quaecunque negocia in suis locis vbi orta sunt finienda; nec vnicuique Prouinciae gratiam sancti Spiritus defuturam, qua aequitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur.* Et Leo ad Anatolium: *Illa Nicaenorum Canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio nulla vnquam est parte soluBilis, nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat, vel praeferre, cum tanto diuinitus priuilegio Nicaena sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.* De cuius priuilegio & beatus Ambrosius dicit; *Non humana industria, non compositione aliqua trecenti decem & octo Episcopi ad Concilium conuenerunt, sed vt in numero eorum, per signum suae passionis & nominis, Dominus Iesus suo probaret se adesse Concilio, Crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est Sacerdotibus. Et mihi* (inquit Hilarius) *ipse ille numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor Regum impiorum ab eo, qui aeterni Sacerdotis est forma, benedicitur.* Et item beatus Leo Papa; *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicaena sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt; & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt; & si quid vsquam aliter quam illi statuere praesumitur, sine cunctatione cassatur.* Et hinc sanctus Leo ad Pulcheriam Augustam: *Contra statuta* (inquit) *Canonum paternorum, quae ante longissimae aetatis annos in vrbe Nicaena spiritalibus sunt fundata decretis, nihil vnquam audere conceditur: ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat: Quae si, vt oportet, à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nulla de mensura honorum dissensiones, nulla de ordinibus lites, nulla de priuilegiis ambiguitates; Nulla erunt de alterius vsurpatione certamina sed aequo iure charitatis, rationabilis & morum officiorumque ordo seruabitur, & ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus.*

Leo 2. Basilicae.

Cap. XXVII.

Quod ergo de tua parrochia, quasi ego ad aliquid in ea ad diffiniendum, illam adire non possimus, ex verbis Callisti, & aliis tuis compilationibus tecum non facientibus, adfirmare conaris, praue intelligis, sed his & aliis regularum constitutionibus inuenies hoc obseruare debere vnumquemque metropolitanum in Prouincia alterius metropolitani, quod tu tibi peruerse arrogas de tua parrochia metropolitanae sedi Remorum subiecta. Vnde ea quae supra posui, non meae personae arrogo, sed metropolitanae sedis dignitati adscribo: quia sicut bea-

tus Leo dicit: *Et si nonnunquam diversa sunt merita præsulum, iura tamen permanent sedium, quibus possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem.* Sed nec sensu sacris Canonibus concordante in metricæ titulationе compilationis tuæ Domino Regi porrigendæ scripsisti: *Responsum a vindorite nec exigier.* Et mihi per comministros meos ad te directos remandasti, *Ne cogerem te respondere, quandiu in custodia & absentia Clericorum tuorum eras;* Vnde tibi tunc scripto respondi, & nunc ostendo te (vt dixi) non recto sensu ponere ex sacris regulis, quod de nō respōdendo in tua excusatione dixisti, asserente sancto Papa Hilaro: *Nos (inquit) eos nulla volumus severitatem vltionis exercere, sed qui in causis Dei contumacia, vel contemptu deliquerit, aut ipse, quod perperam fecit, abolere noluerit, in se quicquid in alium non refecarit inueniet.* Non enim hæc quæ egisti inter dubia vel obscura secundum Leonis decreta, poterant vel possunt vllo modo computari, vt inde locum defendendi te haberes, & tuis redonatus, regulariter vocatus ad Synodum respondere deberes, sicut & in præcedentibus & in subsequentibus istius opusculi ex sacris regulis, & tu, & quilibet alius, qui legerit, potest cognoscere: & ideo tibi scribere studui, vt quæ in causis Dei contumacia vel contemptu deliquisti, & quæ perpere commisisti, abolere curares, & factum tuum quo male exordinasti (sicut idem Hilarius iubet de eo qui male ordinauit) ipse dissolueres, quatenus seueritatem vltionis in te exerceri ab eis quorum interest non exigeres, & ego in me non inuenirem quod in te non resecare curauerim, quia, sic isdem dicit: *Nullo fas est sine status sui periculo vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare, quia nos, qui potissimus Sacerdotii administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causa Dei desides fuerimus inuenti: quia meminimus (quod timere debemus) qualiter comminetur Dominus negligentia Sacerdotum: siquidem reatu maiore delinquit, qui potiore honore perfruitur, & grauiora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.* Scripsi ergo tibi secundum decreta Leonis, vt salubres suscipere curares hortatus, & nihil per contentionem agens, sed ad omne studium deuotionis vnanimes diuinis & Apostolicis constitutionibus pareremus, & in nullo pateremur prouidentissima Canonum decreta violari. Tu autem cogitans consilia quæ non poteris stabilire, inobedientiam tuam, ne corrigas quæ perpere admisisti, & effrenationem desideratæ libertatis, indebite, vt non sis Metropolitano subiectus, de appellatione, & non reddenda compellatus de iniustis iudiciis tuis responsione, secundum sensum tuum, sed non rectum, interpretata, vis palliare, cum sicut Aphricæ Prouinciæ Canones manifeste demonstrent, à quibus non licet prouocari, ita Sardicenses Canones patenter ostendant, appellatio Episcopi ad sedem Apostolicam, quando, vbi, & pro quibus fieri, & qualiter exequi debeat; Sed & Innocentius, ac Bonifacius, atque Leo idipsum decernant, qui etiam & pro quibus appellans constringi non debeat, leges concordantes regulis eloquuntur. Attende igitur conuenienter quod item idem beatus Leo Anatolio Constantinopolitano Episcopo extollenti se supra mensuram suam scripsit dicens; *Virum Catholicum & præcipue Domini Sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi, dicente quippe sancta scriptura, post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua auertare: multæ mundi huius illecebræ, multis vanitatibus resistendum est, vt vera continentia contineatur integritas, cuius prima est labes superbia, initium transgressionis & origo peccati, quoniam mens potentiæ auida, nec abstinere etiam, nec gaudet concessis, dum inordinate prauo progressu excrescunt culpa, impunitarum transgressionum augetur excessus, & crescunt culpæ, quæ tolerata sunt studio reparanda fides & amore concordiæ.*

Quapropter reuoca oculos mentis tuæ à prauis progressionibus, & rectos gressus fac pedibus intentionis tuæ & actionum tuarum, vt qui nunc de te gemimus, de te in Domino gaudeamus. Et attende quod beatus Gregorius ad Felicem Episcopum in Sardica scripsit: *Qualiter (inquiens) obedientia vel sic reuerentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subiectis ipse non ambigis. In qua eo valde est vtile, si id quod disciplina vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda seruauerit. Peruenit ad nos itaque quod fraternitas tua Ioannē fratri nostro primæ Iustinianæ Episcopo, secundū morem consistentium parere despiciat & nec decreto eius, nec relationi, iuxta consuetudinem, voluisset subscribere: quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de te manifesta præbes indicium, quod quam sit, præcipue in Sacerdote, culpabile, diuina clementia admonitionum eloquitur. Propterea hortamur, vt mentis tumore deposito, antedicto fratrē & Coepiscopo nostro humilem te exhibere & parere non desinas, quatenus & Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, & alii de te sumant bonitatis exemplum. Nam si (quod non credimus) te in superbia permanere contigerit, districtam, Canonicamque disciplinæ correctionem contumacia tua scito sacros Canones vlciscenter imponere. Bene ergo facis talem te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse, Canonica coercitione exigente, compelleris. Nam nec tibi denuo post hanc nostram admonitionem licebit ad tuæ voluntatis arbitrium, contra morem maioribus tuis inobedientem existere, nec nos tanta indisciplinationi Ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam:* Et item idem sanctus Gregorius ad * Vincentium, & cæteros Episcopos: *Hortamur (inquit) fraternitatem vestram, vt si quemquam vestrum pro causis propriis, vbicunque longius compulerit ambulare necessitas, à metropolitano vestro, secundum iudicatam à sanctis Patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si (quod non optamus) contra eundem metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contingat, vt ob hoc sedis Apostolicæ iudicium, hi, qui petere festinant, licentiam habeant, quod scitis per Canones etiam antiquorum Patrum institutione permissum.*

Lib. 4. epist.

* Innocentii.

Manifestum est enim, qui Canones hanc licentiam à Metropolitanis petendam ab Episcopis decreuerunt (quin Antiochenum Concilium à Synodo Calcedonensi fauorabiliter comprobatum.) Sed & Sardicenses Canones dicunt, *Vt de qualibet Prouincia Episcopi ad eum fratrem & Coepiscopum nostrum preces mittant, qui in Metropoli consistit, vt ille, & Diaconum eius, & supplicationes destinet, tribuens commendatitias Epistolas,* & reliqua. De iudicio etiam Apostolicæ sedis expetendo aduersus Metropolitanum, si Episcopo necesse fuerit, idem Sardicenses Canones decreuerūt sicut & Innocentius ad Victoricium Rotomagensem Episcopum patenter ostendit. Et Hilarius Papa dicit: *Illud etiam non potuimus præterire quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter Metropolitanorum suorum litteras, aliqui Episcopi ad quamlibet Prouinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri.* Et sanctus Leo ad Theodorum Forojuliensem Episcopum dicit: *Sollicitudinis tuæ is ordo esse debuerat, vt cū Metropolitano tuo, de eo quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri.* Et Symmachus ad Cæsarium Arelatensem Episcopum: *Si quilibet (inquit) Episcopus Metropolitani Pontificis, iuxta Canonum diffinitionem vocatus, obtemperare noluerit, nouerit succidendum se (quod non optamus) Ecclesiastica disciplina.* Et Aphricæ Prouinciæ Canones dicunt: *Vt Episcopus à Primate suo vocatus, ad Synodum competenter occurrat. Quod si non potuerit occurrere, nisi rationem impedimenti sui apud suum Pri-*

Can. 9.

Can. 76.

niatem reddiderit, Ecclesia sua communione debere esse contentum. Et, *Qui non fuerit concors circa Metropolitanam Ecclesiam, & circa Sacerdotale consortium, sed inflatus, & ab hoc consortio separatum putat propria plebi incubandum, & nonnunquam contentum ad Concilium venire detrectat, circa hunc, non tantum diuersum non esse seruandum, verum & de propria Ecclesia, qua illi male fauerit, omnimodo aduitendum, vt etiam auctoritate publica resiciatur atque ab ipsa principali cathedra remoueatur.* Et, *Si accusatus ad rationem reddendam, venire refugerit, & excommunicatus à Primate suo extiterit, tempore quo non communicat, nec in sua Ecclesia, vel parrochia communicet.* Et sanctus Hilarius Papa ad Leontium, & cæteros Episcopos scribit; *Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in iniuriã ipsius Domini prosilitur.* Et Dioscorus in Synodo Calcedonensi, sicut in gestis eiusdem Concilij, sed & in edicto Iustiniani super quintam Synodum demonstratur: non quia in fidem peccauerit, sed propter solum Ecclesiasticum ordinem, & quia contra suum Archiepiscopum, sacris Canonibus obuiant, rebellauerat, est damnatus. Et Acacius Constantinopolitanus Episcopus propter præuaricationem Nicæni Concilij, à Felice Papa est condemnatus, sicut idem Felix ad eum scripsit, dicens: *Multarum transgressionum repertus obnoxius, & in venerabilis Nicæni Concilij contumeliam es sæpè versatus.* Hæc mentis oculo perspice, & ne illa (quod absit) incurras solertissime caue.

Cap. XXVIII.

Nam cum dicat beatus Petrus Apostolus: *Si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum,* causa iniuriarum tuarum sicut in petitione mihi ab Ecclesia Laudunensi data continetur, Presbyteros, & Diaconos, ac reliquos clericos non accusatos, nec confessos, neque conuictos, ab omni Ecclesiastico officio excommunicasti, & ne nemo sacra Missarum officia in tua parrochia celebraret, interdixisti: cum sacri Canones neminem ab officio remouere permittant, nisi aut sponte confessum, aut regulariter conuictum, aut eum, qui regulariter vocatus ad reddendæ rationis iudicium, venire noluerit, sicut scriptum est capitulo XIX. Carthaginensis Concilij de Episcopis, & in XX. de Presbyteris, & Diaconibus, ac reliquis clericis: *Si* (inquiunt) *Presbyteri vel Diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis proprius Episcopus legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est, vna secum in Presbyteri nomine sex, in Diaconi tres ipsorum causas discutiant eadem, dierum, & dilationum, & à communione remotionum, & discussione personarum inter accusatores, & eos qui accusantur, forma seruata, scilicet, sicut de Episcopis in præcedenti capitulo est diffinitum: reliquorum autem clericorum causas etiam solus Episcopus loci agnoscat & finiat.* Et iterum: *Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de iudicio Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu suo Episcopi audiant, & inter eos diffiniant vel ad Primates suarum Prouinciarum prouocent, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est.* Et secundum Antiochenos Canones: *Ad Metropolim omnes vndique qui negocia videntur habere, concurrant.* Et, *In Canonico Concilio adsint Presbyteri, & Diaconi, & omnes qui se læsos existimãt, & Synodi experiantur examen. Nulli vero liceat apud se celebrare Concilia, præter eos, quibus Metropolitana iura videntur esse commissa.* Et hinc sanctus Augustinus Doctor famosissimus, atque ab Apostolica sede receptissimus, qui Carthaginensi Concilio, in quo hæc, quæ ex eo præmisimus, Apostolica auctoritate firmato, interfuit, & plenissime sensum nouit, quo eadem Synodus capitulum illud constituit, de quo in Epistola ad clerum & plebem Hypponiensium inter alia dicit: *Nuper in Concilio Episcoporum constitutum est, nullum clericum, qui nondum conuictus est, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam non se præsentauerit:* Ipsam autem præsentationem idem demonstrat Concilium: videlicet, *Vt aut ipse accusatus ad causam dicendam electorum iudicum die statuta litteris euocatus, occurrat, aut aliquas veras necessitatis causas probet, quibus occurrere non potuisse manifestum sit.* Et attendendum, quia dicit, *non potuisse,* & non dicit, *non voluisse:* Sic & de accusatore dicit, *vt nec ipsi adimatur facultas causa sua peragenda, si se ad diem occurrere non valuisse probauerit:* sic & iterum de accusato, si ad Concilium vniuersale anniuersarium occurrere noluerit, dicit: *Quod si accusatus vel accusator occurrere voluit, & non valuit, excusabilem quemlibet eorum Synodus esse voluit:* Hoc quippe Africana Synodus patenter ostendit, dicens: *Vt si intra annum excommunicationis causam suam purgare contempserit,* non dicit, *non voluerit,* sed, *contempserit:* Vnde & Carthaginense Concilium dicit: *Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem Prouinciæ ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicum, die statuta, litteris euocatus, minime occurrerit:* qua sententia euidenter ostenditur, quia accusator accusare non potest, nisi in accusatione præsens fuerit, potest autem accusare absentem: & qui non potest accusari nisi per præsentiam accusatoris, potest absens iudicari, immo etiam ab his, qui hoc decreuerunt, iam iudicatus est, si ad iudicium, litteris euocatus, secundum quod de[cre]tum est, non occurrerit, vel aliquas veras necessitatis causas, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, non probauerit, similiter vt de Episcopo ita & de Presbytero, vel Diacono subsequenti capitulo demonstratur. Hinc Bonifacius ad septem Prouincias scripsit, dicens de Maximo; *Si adesse voluerit præsens, si confidit, ad obiecta respondeat, si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur: Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & [re]tiens delegato iudicio, purgandi se occasione non vtitur.* Qui autem ad accusationem admitti non debea[nt], [le]ges dicunt: *Sane hi qui crimina sua in quæstione co[nfessi] sunt de aliis si dicere voluerint, à nullo e[is] credatur, [quia] iure & legibus constitutum est, vt spontanea pr[ofessio] reum reum non faciat, neque illi de altero credatur, [qui] se criminosum esse confessus est.* Et item: *Nemini enim est contra alios, eorum confessionis, qui in criminibus accusantur, nisi se prius probauerint innocentes, quia periculosa est, & admitti non debet rei aduersum quemcunque pr[o]fessio.* Et Concilium Africanum demonstrat; *Qui[cunque] post ea* (inquiens) *quam excommunicatus fuerit [si] adhuc excommunicatione constitutus, siue sit clericus, siue sit laicus, accusare voluerit. Omnesque serui, vel proprii liberti ad accusationem non admittantur: vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones, aut turpitudinibus subiecta persona. Hæretici etiam, siue Pagani, seu Iudæi, sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non est neganda. Et quotienscunque clerico ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur: & vnum ex ipsis, de quo prius egerit accusator, probare non valuerit, ad cætera iam non admittatur. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit ad testimonium autem intra annos XIV. ætatis suæ non admittantur.* Et sanctus Augustinus dicit. *Quamuis* (inquit) *vera sint quædam, non tamen iudici facile credenda [sunt], nisi certis indiciis demonstrentur.* Qui fecit quod doc[uit] eum in reddita ratione ad Primatem suæ Prou[inciæ] Xantippum scribens, quendam Presbyt[erum] Abundantium à se iudicatum esse demo[nst]rat, de eo dicens: *Insinuans prudentia tua Abundantium quendam*

in fundo Strabonianensi pertinentem ad curam nostram ordinatum fuisse presbyterum, qui cum non ambularet vias seruorum Dei, non bonam famam habere capit, qua ego conterritus, et si tamen temere aliquid credere nolens, sed plane sollicitior factus, operam dedi, si quomodo possem ad aliqua mala conuersationis eius certa peruenire indicia: ac primo comperi eum pecuniam cuiusdam rusticani de vino apud se commendato interuertisse, ita vt nullam inde posset probabilem reddere rationem: Deinde conuictus atque confessus est die secundo natalis Domini, quo etiam Gippitana Ecclesia, sicut & catera, ieiunabat, cum tanquam perrecturus ad Ecclesiam suam valefecisset collega suo Presbytero Gippitano, hora fere quinta: Et cum secum nullum Clericum haberet, in eodem fundo restitisse, & apud quandam mala fama mulierem, & prandisse, & cœnasse, & in vicina, & in ea domo mansisse, & hoc negare non potuit. Nam qua negauit, Deo dimisi, qua occultare permissus non est, iudicaui. Timui ei committere Ecclesiam, prasertim inter Hareticorum circumlatrantium rabiem constitutam. Hac autem me prudentia tua pracipuè intimare portebat, ne aliqua tibi fallacia subriperet. Sciebat enim iste vir Domini Canones, & non contemnebat secundum eosdem sacros Canones, Primati suo, minori scientia & forte merito, sed potiori loco, subdi, obaudiens dicentem Apostolum, *Obedite prapositis vestris in Domino* Vbi autem inter accusatores & accusatos causa debeat agitari, Carthaginense Concilium statuit, dicens: *Vt accusatus vel accusator in eo loco vnde est qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere vbi causa finiatur.* Et hinc leges dicunt: *Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est: nam alibi criminum reus prohibetur audiri.* Et item, *Si quis aduersarium aut repetitione, aut criminis obiectione pulsauerit, in Prouincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones: nec astimet aduersarium suum alibi, aut longius ad iudicium pertrahendum. Ille vero qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare.* Et Carthaginense dicit Concilium: *Vt à quibuscunque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia deprauati. Sane si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciori numero quam constitutum est, non liceat prouocari.* Qualiter autem sententia finiri debeat, leges & sacri Canones monstrant, dicentes: *Vt vel in Synodo, vel per iudices, siue quos conquirentes Primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. Deputati autem iudices Episcopi* (vt Africanum dicit Concilium) *ab illo Primate sunt dandi in cuius Prouincia causa versatur: si autem ex communi placito conquerentes vicinos iudices elegerint, aut omnium sententiam sequamur, aut duorum.* Et Calcedonense Concilium dicit: *Si quis clericus aduersus clericũ habet negotium, ne deserat Episcopum proprium, & ad sacularia percurrat iudicia, sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe consilio eiusdem Episcopi, apud quos vtraque partes voluerint, iudicium * continebunt. Si quis autem prater hac fecerit, canonicis correptionibus subiacebit.* Et sanctus Innocentius ad Victoricium Episcopum: *Si qua* (inquit) *causa, vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exorta, vt secundum Synodum Nicanam, congregatis eiusdem Prouincia Episcopis, iurgium terminetur: nec alicui liceat* (*sine prajudicio tamen Romana Ecclesia, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri*) *relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare Prouincias: quod si quis forte prasumpserit, & ab officio cleri summotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur: Si autem maiores causa in medio fuerint deuoluta, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit post iudicium Episcopale referantur.*

Hebr. 13. — Con. 30. — Con. 15. — Con. 98. — Con. 9. — * f. Cõtinebunt. — al. Rõ. obtinebunt.

Et quia sicut duo sunt peccata, & duo genera peccatorum: aut enim in Deum peccat homo, aut in hominem: & duo sunt aduentus Domini, qui venit peccatores saluos facere (*Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei,*) vnus occultus, & alter manifestus.

Rom. 3.

Vnus, de quo scriptum est: *Descendit sicut pluuia in vellus*: Et alter, de quo scriptum est: *Deus manifeste veniet.* Vnus de quo dicitur: *Venit filius hominis, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: Alter, quando *veniet iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem.* Ita duo sunt iudicia, vnum occultum, & alterum manifestum. Et duo iudiciarij ordines, vnus de quo dicit Apostolus: *Si quis frater nominatur fornicator, &c.* eam nominationem intelligi volens, vt dicit Augustinus in libro de pœnitentia: *qua fit in quenquam, cum sententia, ordine iudiciario & cum integritate profertur. Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio: sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesia, siue vltro confessum, siue accusatum, atque conuictum. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sapè falso in quenquam crimen nominatur.* Qui ordo iudiciarius qualiter exequi debeat beatus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem euntem in Hispanias dicit: Videlicet, *vt alij sint accusatores & alij testes: deinde causarum qualitas est examinanda. Et, vt prasente accusato sub iureiurando dicatur testimonium scriptis allegatum, & accusatus respondendi & defendendi, si locum habeat: & examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter fiat*: Quem iudiciarij ordinis modum etiam Dominus noster, cum in resuscitatione puellæ in domo iacentis mortuæ, ac si in reuelatione non omnibus causæ notæ, quosdam discipulorum suorum testes, sed & patrem & matrem puellæ secum adhibuit. Alter vero iudiciarij ordinis modus, est eorum, quæ non sub paucorum notitia, quasi adhuc in cubiculo contecta, vt patrata credantur testibus indigent, sed quasi iam extra portam ciuitatis multa turba comitante elatus, ad multorum cognitionem delata esse noscuntur, De quo iudiciarij ordinis modo dicit Apostolus: *Ego quidem absens corpore, prasens autem spiritu, iam iudicaui, vt prasens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem Satana in interitum carnis.* Et paulo superius; *vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Vnde Ambrosius, *cognito opere pellendum peccantem fuisse de cœtu fraternitatis*, dicit: Omnes enim crimen eius sciebant, in qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen. De patratore autem manifestorum, & si ad iudicium adduci non potest: Bonifacius Papa ad septem Prouincias decernens dicit de Maximo, qui conuentus etiam deuitabat, & adesse minime volebat: *Nullus* (inquit) *dubitat, quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum vt dissoluatur qui est innocens quarit. Sed astuta cauillatio eorum, qui versutias agendi credunt esse consilia, nunquam innocentia nomen accipiet: confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere iudicium dilationibus putat. Nihil enim interest vtrum in prasenti examine omnia qua dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia, quod si adesse neglexerit, dilationem sententia de absentia non lucretur.* Sic Cælestinus de Daniele Galliarum quondam Episcopo iudicauit. Et quia nemo præpropere, vel præpostere, scilicet non commonitus, neq; conuentus est iudicandus, de conuictione huiusmodi patratoris manifestorum criminũ lex dicit: *Quicunq; tribus auctoritatib. iudicis conuentus, vel tribus edictis ad iudicẽ fuerit prouocatus, aut vno pro omnib. peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit euocatus, & prasentiam suã apud eũ iudicem, à quo ei denũciatũ est, exhibere noluerit, aduersus eũ, quasi in contumacẽ in-*

Psal. 71. — Psal. 49. — Ioan. 3. — 1. Cor. 5. — Cap. 3. — Lib. 11. ind. 6. ep. 52. — Luc. 8. — Luc. 7. — 1 Cor. 5.

dicari potest, quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt, quotiens in contumacem fuerit iudicatum.

Et hanc sententiam de tribus auctoritatibus conuenns ex Euangelica veritate, Cœlestinus ad Nestorium scribens & Ephesina Synodus de eodem decernens, & beatus Gregorius ad Ioannem scribens, comprobant. De peremptorio autem scribo, Aphricanũ Concilium monstrat de Cresconio; *Vt si non cunctum resipiscere detrectauerit, suo contemptu & contumacia faciente, auctoritate iudiciaria protinus excludatur.* Et itẽ beatus Gregorius de sententia in contumacem scribens ad Maximum præsumptorem Salonitanum Episcopum dicit: *Hortamur vt ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus seruata iustitia, hac de quibus accusaris & cognoscere, & finire secundum Canonica instituta Christo reuelante possimus. Ita autem fac, vt ad veniendum amplius iam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his qua dicuntur adsignet, & nos in te hac res non solum propter dicta crimina, qua purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientia culpam, durius scilicet, vt in contumacem cogat ex Concilio ferre iudicium.*

Can. 15.

Et Aphricanum Concilium ad suggestionem vel postulatum Maurentij Episcopi, post recitatam scedulam quam obtulit Placentius; *Debuisse quidem ex sancto Concilio aduersus contumaces Episcopos, qui præcepti fuerant à Primate suo, vt occurrerent ad Cõcilium, & non venerunt, secundum mensuram Sacerdotalem ferri sententiã, sed seruata Ecclesiastica mansuetudine, dati sunt de Concilio electi iudices, & missæ sunt litteræ ad eorundem Episcoporum Primatem.* Qualiter autem examinatis omnibus & ad liquidum cognitis, sententia regulariter ac legaliter proferri debeat, & Ecclesiasticæ & publicæ leges demonstrant dicentes: *Obseruare iudices specialiter debent; vt in omnibus causis sententia qua deliberata fuerit constitutis pariter partibus, recitetur; vt ab his, à quibus causa dicta est, ad integrum qua dicta fuerit sententia cognoscatur.* Et item: *Quicquid præsentibus partibus in causis fuerit ordinatum, habebit plenissimam firmitatem, nec poterit immutari.* Et item: *Ea qua, altera parte absente, decernuntur, vim rerum iudicatarum non obtinent.* Et item quod & sanctus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem euntem in Hispanias, ex legibus Nouellæ constitutionis capitulo XVI. de testibus posuit, & Canonicum esse decreuit, *Hoc quoque* (inquiẽs) *sæpius agnouimus, quoniam quidam, aut apud locorum defensores, aut apud Clarissimos Prouinciarum iudices, aut etiam (vt adsolet hic) apud Clarissimum magistrum census ingredientes, & quærentes, tanquam ab alio passi aliquid contra leges, aut aliter iniustitiam sustinentes, aut damni facti testes volunt producere, & ne postea obiiciatur eis quia per vnam partem gesta confecta sunt, oportet & illum in ipsa ciuitate constitutum, vbi testimonia dantur, admoneri cum iudice, aut defensore aduenire, aut audire testes. Si vero noluerit aduenire, sed contempserit, vt ex vna parte testimonia aduersus aliam inutilia sint, sancimus huiusmodi testimonia ita valere, tanquam si non ex vna parte consisterent, sed etiam ipsis præsentibus fuissent facta, siue repudiauerit, & venire noluerit, & audire qua deponuntur: cum vtique in publico sit, & non ex ineuitabili quadam necessitate venire non posse, æqualiter erunt tanquam si aduenissent, & nulla vtilitas ex contemptu suo ei adhibebitur, sed videbuntur quidem ex vtriusque præsentia facta. Ecce* (inquit sanctus Gregorius) *admonendus est semper aduersarius, vt ad audiendos testes adueniat, alioquin necesse est, vt quod contra leges actum est, firmitatem non habeat.* Quales autem testes, vel cuius opinionis ad testimonium admittendi sunt, plurimæ leges ostendunt, quæ pene nullis habentur incognitæ, quæ etiam & illud sanciunt, *Vt vilissimus testibus, etiam sine corporali discussione, credi non debeat.* Et item in libro VI. titulo XXIX. inter alia præcipitur, *Vt sententia si sine scripto dicta fuerit, nec nomen sententiæ habere mereatur.* Quod legale decretum, & in passione Domini, super cuius caput posuerunt causam ipsius scriptam, & in Martyrum passionibus, quando iudicati sunt obseruatum multotiens legimus. Et legatos Apostolicæ sedis, auctoritate Leonis Papæ, Dioscorum in Calcedonensi Concilio, & Fœlicem Acacium & Siluerium Papam, Vigilium, & cæteros Romanæ sedis Pontifices per scripturam plures, qui resipiscere noluerunt, legimus condemnasse.

Can. 67.

Cap. XXXIX.

Vide frater, si has sacras leges fuisti secutus, quando presbyteros, & diaconos parrochiæ tuæ ab officio Ecclesiastico generaliter excommunicasti, cum certissimum atque notissimum, & nobis, & omnibus in hac Remensi Prouincia habeatur, quod nec accusati, nec confessi, neque conuicti de aliquo crimine fuerint. Quia vero certum est te non secundum has regulas iudicasse, nec ex consensu patrum electus in hac iudicatione iudex fuisti, à te iudice Ecclesiastico ad me maioris auctoritatis iudicem Ecclesiasticum iudicati (sicut & fecerunt) debuerant prouocare, & tua iniusta sententia à me est competenter soluta. *Placuit* (inquit Carthaginense Concilium) *vt a quibuscunque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia deprauati*, & reliqua.

Quæ sententia vtrum te, an non, tangat, ratio ipsa demonstrat. Nunc videamus quid sacri Canones dicant de his, qui à singulis Episcopis Prouincialibus pro incognitis causis Primati Prouinciæ, & cæteris Episcopis excommunicantur. *De his* (inquiunt Nicæni Canones, *qui communione priuantur, seu ex clero, seu ex laico ordine ab Episcopis per vnamquamque Prouinciam, sententia regularis obtineat, vt hi, qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur, requiratur autem ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio videtur à congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per vnamquamque Prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis Prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones. Et sic qui suo peccauerint euidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, vsquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.* Et Antiochenum Concilium, *Si quis à proprio Episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum, quæ congregatur, occurrens, pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem diffinitio maneat circa laicos, & presbyteros, & diaconos, omnesque, qui sub regula esse monstrantur.* Et Carthaginense Concilium quod in Capitulo XX. dixerat: *Vt statuto numero vicini Episcopi cum proprio Episcopo presbyterorum & diaconorum causas terminarent, reliquorum clericorum querelas solus Episcopus cognosceret & finiret.* Capitulo XXVIII. dicit: *Vt presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis, quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos diffiniant adhibiti ab eis Episcopi. Quod si ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad transmarina iudicia, sed ad Primates suarum Prouinciarum, sicut & de Episcopis sæpè constitutum est. Ad transmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo intra Aphricam in communionem suscipiantur.*

Can. 5.

Can. 6.

Et Aphricanum Concilium Capitulo XCII. hæc eadem diffiniuit, qui Canones propter longinquitatem Primatuum ad finitimos Episcopos, presbyteros, vel diaconos, ac reliquos clericos præcipiunt prouocare, sicut ijdem Canones aperte demonstrant in capitulo de visitandis tempore Concilij Prouinciis, sed & in eo vbi Carthaginense Concilium dicit;

Can. 7.

ut unaquaeque Provincia propter longinquitatem Primatem habeat proprium: Unde & Mauritania Sitifensis postulauit Primatem Prouinciae Numidiae, ex cuius coetu separatur, ut suum habeat Primatem, quem, consentientibus omnibus Primatibus Prouinciarum Aphricanorum, vel omnibus Episcopis, propter longinquitatem habere permissa est, quapropter in unaquaq; prouincia, quae Primatem habet, omnes, qui negotia videntur habere, secundū Antiochenos Canones, ad metropolim debent concurrere. Quia ut Aphricanum Concilium ad Coelestinum Papam scribit, Decreta Nicaena, siue inferioris gradus clericos, siue Episcopos ipsos suis metropolitanis apertissime commiserunt, prudentissime enim iustissimeque viderunt quaecunque negotia in suis locis, ubi orta sunt finienda, nec unicuique Prouinciae gratiam sancti Spiritus defuturam, qua aequitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur; maxime quia unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suae Prouinciae, vel etiam uniuersale prouocare. Quod & Innocentius ad Victoricium ex Nicaenis decreuit Canonibus; & ex eis Bonifacius ad Hilarium Narbonensem Episcopum dicit; Aduertat, inquiens, charitas tua ad eos mi Canonum praecepta seruare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitani sui unaquaeque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et similiter Coelestinus, & alii sedis Romanae Pontifices decreuerunt. Sardicenses quoque Canones propter praefatam longinquitatem Primatium ad finitimos Episcopos, veluti & Aphricae prouinciae Canones, prouocare permiserunt, sicut & in eisdem Sardicensibus canonibus demonstratur, memorante Osio importunitates Aphricanorum Episcoporum, quos dicit se cognouisse sanctissimi fratris & Coëpiscopi sui Grati salutaria consilia spernere, atque contemnere: unde in praefato Sardicensi Concilio scriptum est: Osius Episcopus dixit; Quod me adhuc mouet reticere non debeo; si Episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito & aspere commouetur aduersus presbyterum, siue diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, prouidendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem; & ideo habeat potestatem is qui abiectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, & diligentius tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui iuste aut iniuste eum abiecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia eius à pluribus, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum, qui fuerat à communione separatus, ante cognitionem nullus debet praesumere, ut eum communioni societ. Attendendum quippe nobis est quod discretissime sacri Canones dicunt, ut eum, qui fuerat à communione separatus, ante cognitionem nullus debet praesumere ut eum communioni societ. Quia sicut sanctus Leo ad Rusticum Narbonensem Episcopum scribit: In his quae vel dubia fuerint aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec praeceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inueniatur aduersum. Et item; Quia Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus in rebus incognitis in cuiusquam partis praeiudicium diffinire, priusquam uniuersa quae gesta sunt veraciter audiamus. Et item alibi egregie dicitur: Non esse iustum mediatorem, qui in incertis sic unam partem audit, ut alteri parti nihil reseruet. Et sanctus Gregorius: Ira, inquit, sacerdotis nequaquam debet esse praeceps & perturbata, sed magis ex consilii grauitate mitiganda. Et item, Ad proferendam, inquit, sententiam nunquam praecipites esse debemus, nec temere indiscussa iudicare, ne qualibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus: Quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilime facta pensemus; ipse quippe ut nos à praecipiti sententiae prolatione compesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomae noluit audita iudicare, qui ait, Descendam, & videbo utrum clamorem, qui

(Gen. 18.) venit ad me, opere compleuerint, an non est, ita ut sciam. Omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante praesumamus credere quam probare? De manifestis autem & plurimis cognitis mox ibidem subsequitur: Ecce per Angelos ad cognoscenda mala descendit, moxque facinorosos percutit atq; ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptū est; Tu autem, Domine, cum tranquillitate iudicas, ille de quo rursum scriptum est; Dominus patiens est redditor, in tanto crimine inuolutos inueniens, quasi patientiam praetermisit, & diem extremi iudicii expectare ad vindictam noluit. Sed eos igne iudicii, ante iudicii diem praeuenit. Ecce malum, & quasi cum difficultate credidit cum audiuit, & tamen sine tarditate percussit cum vera cognoscendo reperit, ut nobis videlicet daret exemplum, quod maiora crimina & tarde credenda sunt cum audiuntur, & citius punienda cum veraciter agnoscuntur. Et qui à patre accepit omne iudicium & in spirituali, & in saeculari sua republica, pro se ad iudicandum ministros suos constituit, sicut scriptura dicit, eisque sibi in iudicio etiam ministrare praecepit, dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur, id est, me imitetur: in qua ministratione idem, qui est via, veritas, & vita, vitam iudicandi hoc modo iudicibus sacra lectione, qui fuerint Sodomorum accusatores, ostendit; Clamor, inquit, Sodomorum venit ad me, id est, non solum magna, sed & manifesta perseuerantia peccata eorum ad iudicandum prouocant me. Qui fuerint testes accusationis eorum subsequitur dicens: Descendā & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non, ut sciam. Dominus itaque omnia sciens, (ut ex verbis sancti Gregorii praemisimus, & alii Catholici doctores exponunt) iudicandi nobis modum proponit, ut quae non sunt manifesta non iudicemus, & quae manifesta sunt sine tarditate, & haesitatione aliqua iudicemus; sicut supra ex verbis beati Ambrosij Apostoli sententiam exponentis ostensum est; Cognito, inquit, opere, pellendum peccantem fuisse de coetu fraternitatis, dicit Apostolus. Omnes enim crimen eius sciebant, in quare neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen.

(Sap. 12. Eccl. 5. Ioan. 12. Ioan. 14. Gen. 18. Ibid.)

Cap. XXX.

Quibus sententiis sanctarum scripturarum, & sacrorum Canonum, atque decretorum sedis Romanae Pontificum fultus atque suffultus; &, sicut adhuc in processu ostendam, Metropolitana auctoritate, execrabilem atque exitiabilem, non excommunicationem, sed maledictionem tuam in eos iaculatam, qui non accusati, nec confessi, nec conuicti, nec etiam à te fuere secundum Domini iussionem commoniti, ac de his, pro quib. eos excommunicaueras, sicut non solum mihi, sed & pene omnib. in Rhemensi Prouincia erat notū, innoxii, & tanti simul à sacro officio & sacra cōmunione, atq; à societate Ecclesiae Catholicae, solo tuo furore, & causa tuae iniuriae ad multorum exitium fuere depulsi, irritam & nullius momenti esse decreui, praesertim cum sacrae regulae nulli in mortis urgente periculo constituto baptisma denegari, nulli poscenti ultimam poenitentiam, & viatici muneris communionem interdici praecipiant, nulli etiam sepulturae humanitatem abrogari permittant, & in tua parrochia nemo in necessitate mortis ab eis, quorum interest, baptizari, nemo communionis gratia reconciliari, nemo sepeliri cum debita commendatione poterat, si ministri Ecclesiae suis forent priuati ministeriorum officiis. Et ita ligamenta non fuerunt sanctae Ecclesiae alligationes, sed tuae maledictiones: unde beatus Gregorius respondens Petro interroganti, Nunquidnam valde esse graue credimus, si fortasse cuilibet exagitati iracundia maledicamus? In libro dialogorum dicit: Pensa, inquiens, quam grauis est culpa, quae separat à regno vitae, cū Paulus dicat, neque maledici regnum

(Li. 3. c. 15)

Dei possidebunt. Et interroganti eidem Petro; *Quid si homo non fortasse ex malitia, sed ex linguæ incuria, maledictionis in proximum iaculatur verbum?* Respondit, *Si apud districtum*, inquiens, *iudicem, Petre, otiosus sermo reprehenditur, quanto magis noxius? Pensa ergo quantum sit damnabilis, qui à malitia non vacat, si & ille sermo pœnalis est, qui à bonitate vtilitatis vacat.* Et in libro moralium, *Sciendum est*, inquit, *quod scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Contra maledictum quippe liuore iustitia depromptum, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait, Benedicite & nolite maledicere: & rursum dicit, Neque maledici regnum Dei possidebunt. Nam & sancti viri cum maledictionis sententiā proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitiæ examine erumpunt: intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foras exurgentia quia maledicto debeant ferire, cognoscunt, & eo in maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non discordant.*

Tu vero à iudicio iustitiæ in tuis maledictionibus discordasti, qui non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ, & causa iniuriarum tuarum eas protulisti, non videns quoniam à te irregulariter maledictos sacri Canones non vetant ab aliquo Episcopo regulariter recipi, multo magis autem ab eo, qui tibi præest in nuntire eos debere absolui. Scriptum est enim in Carthagiensi Concilio: *Augustinus Episcopus legatus Prouinciæ Numidiæ dixit; Hoc statuere dignemini, vt si quis forte merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, & sine ab aliquo Episcopo, vel presbytero fuerint in communionem suscepti, etiam ipse cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugientes sui Episcopi regulare iudicium.* Et item: *Qui excommunicati fuerint pro suo neglectu, siue Episcopus, siue quilibet clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipso in se damnationis iudicetur protulisse sententiam.* Sentisne quid audis? Intelligis-ne quæ legis? Hi enim sacri Canones eos aliis recipi prohibent, qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, & qui refugiūt sui Episcopi regulare iudicium. Et qui pro suo neglectu excommunicati sunt, & ante audientiam tempore excommunicationis communionem præsumunt. Laudunenses autem clerici nec pro suo neglectu excommunicati à te fuerunt, nec regulare iudicium refugerunt, nec ante audientiam & cognitionem, communionem contra regulas præsumpserunt. Regula quippe, vnde, & qualiter, quique excommunicari debeant, nobis est manifeste deprompta, dicente Domino: *Si peccauerit in te frater tuus*, & reliqua, vsque dum dicitur, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus: Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Et hac regula, atque hoc regulari iudicio, canonicoque ordine ab Ecclesiæ communione medicinaliter, vsque dum conuertantur, & ad pœnitentiam redeant, separatos, constat, rata à Deo prolata sententia: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Et sacri Canones taliter à propriis Episcopis abiectos vel excommunicatos, vel si dubium fuerit vtrum taliter nec ne, abiecti vel excommunicati fuerint, interim non recipi ab aliis præcipiunt, si ante per finitimos Episcopos, vel per electos aut deputatos iudices causæ eorum finiri nequiuerint, donec in Prouinciali synodo, quo metropolitanus antistes probauerit, discutiantur, & regulariter sententiam communiter inuentam abiecti suscipiant, sicut Nicæni canones aperte demonstrant, dicentes: *Hi, quò abiiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, vel contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, videantur à congregatione seclusi.* Manifestum est enim quoniam dubia, vel obscura iubentur requiri, non certa vel manifesta. Et Antiochenum concilium: *Communione*, inquit, *priuatus à proprio episcopo, non ante recipiatur ab aliis, donec proprio reconcilietur episcopo, aut occurrens ad Synodum, quæ congregatur, pro se satisfaciat, & persuadens. Concilio sententiam suscipiat alteram.* Et Sardicenses canones: *Ille*, inquiunt, *episcopus, qui sua ipse aut iniuste eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, vt vel probetur sententia eius à pluribus, vel emendetur*: scilicet vt discussione facta de ante dubiis & obscuris, sententia rationabiliter dicta probetur, vel irrationabiliter prolata emendetur. Et hoc de vno, vel duobus, aut tribus, decem, quoque, vel viginti, aut triginta, & de dubiis vel obscuris seruari patienter aliquomodo poterat. At vbi manifestissimè, sicut omnibus constat esse notissimum, sine aliqua ratione, vel culpa abiectorum, contra omnem auctoritatem, trecenti, vel quadringenti, siue quingenti solo tuo furore, & causa, iniuriarum tuarum abiecti erant, in quorum abiectione, vt beatus Augustinus dicit: *non huius aut illius hominis erat periculum, sed populorum strages iacebat in perditione*, etiam qui in tuis iniuriis non peccauerunt, sed potius doluerunt, pro quibus illi abiecti erant, cui Christiano seruari vsque ad examinationem, sicut de dubiis & obscuris, & nihil periculi habentibus videri debuerit, maxime ergo non peccantes in tuis iniuriis, sed dolentes: cum Deus hanc retributionem modis omnibus testetur, *cum retribuuntur mala pro bonis.* Non ergo ante cognitionem, sicut Sardicenses canones iubent, sed post manifestam cognitionem, præfatos clericos à te maledictos communioni regulariter sociaui. Et si forte aliquid rationis vel auctoritatis haberet quod fecisti, *vbi tantorum populorum strages & pertenuia imminebant, detrahendum foret* (vt idem beatus Augustinus demonstrat) *aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis subueniret charitas quæ coeperit multitudinem peccatorum.* Et si tantum in eos, qui auctores vel patratores iniuriarum tuarum erant, maledictiones tuas iaculando exereres, forte portari ab aliis poterant, vsque dum synodali conuentu tibi demonstraretur te contra rationem egisse, docente beato Petro Apostolo: *Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias patiens iniuste. Quæ enim gratia si peccantes & colaphizati suff... Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gra... apud Deum: in hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste.* Et Paulus: *Benedicite, & nolite maledicere, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Et hinc per semetipsam Veritas dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Virtus, inquit Gregorius, *est coram hominibus aduersa tolerare, sed virtus coram Deo diligere: quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari bonæ operationis flamma charitatis incendit*: Et Dominus illos dicit beatos, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non propter nequitiam, nisi forte per ipsam persecutionem conuertantur ad correctionem, & consequantur purgationis beatitudinem: Tu autem si contra leges diuinas inte quiddam à quocumque extitit perpetratum, mihi hoc notum facere, & per aliquod temporis spatium patienter debueras expectare, vsque dum inde cum fratribus & coepiscopis nostris satageremus, sicut etiam egeram, & non tuas molestias aliorum perditionibus vindicare: Et si forte quærent resistendi suffugia, & potius perniciosum factum tuum elegeris defendere, quam recognoscere atque corrigere, obiicere mihi volueris quod Innocentius ad Macedones scripsit episcopos dicens: *Sed vt sæpe accidit quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnibus propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire.* Priora ergo

Marginalia: 1. Cu. 6. — Li. 4. c. 6 — Rom 12 — 1 Cor. 6 — Can. 9. — Can. 29 — Mat. 18 — Ibid. — Can. 5. — Can. 6. — Can. 17. — Epist. 50 — Psal. — Epist. — 1 Pet. 2 — Rom. 12 — Mat. 5 — Ibid.

dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum, reiicio tibi, vt vel in populos aut in turbam peccantem, & non in populos & in turbam innoxiam has maledictiones tuas exereres, qui nulli maledicere, etiam in re peccanti, minimè autem non peccanti præceperis. De alligatione autem Episcopali quod nobis satis tremendum, & cauendum atque obseruandum est, sanctus Gregorius in Homilia Euangelij XXVI. dicit: *Sæpe in ligandis ac soluendis subditis pastor suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur: Vnde fit, vt ipsa hac ligandi & soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet. Vnde recte per Prophetam dicitur: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat. Et non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur: ac sæpe agitur, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat.* Non igitur nouum, sed veterum regularum constitutum est, quod egi in absolutione à te maledictorum, quia vt Gelasius de suo decessore dicit: *Non nouæ constitutionis auctor, sed veteris sum executor:* sicut Carthaginenses Canones manifestè demonstrant dicentes: *Nouellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspecta à nobis formam accipiant: cæterum de quibus apertissimè diuina scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potius exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis in clericis oportet prædamnari. Vniuersi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelium facit sine periculo.* Et post pauca: *Reliqua vero quæ vel facta, vel dicta superius comprehensa sunt, vel aliis Conciliis conscripta, quæ secundum legem inueniuntur, custodire nos oportet: Si quis vero statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, si laicus est, communione; si clericus est, honore priuetur. Vniuersi dixerunt, placet, placet.* Et post istam synodum, Calcedonense celebratum Concilium dicit: *Regulas sanctorum Patrum per singula nunc vsque Concilia constitutas proprium robur obtinere decreuimus.* Et item post aliquanta: *Eos vero qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & vniuersalis huius synodi, quicquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare: decreuit sancta synodus à proprio huiusmodi gradu recedere.* Et hic si obiicere mihi volueris quod supra dixi de capitulo huius synodi à sede Apostolica non recepto, refero tibi vt legas superius, & videas quantum dixi, quod de eodem capitulo sedes Apostolica non recipiat, scilicet, *Si aduersus eiusdem Prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam, petat sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur.* Et adhuc tibi refero, quia idem Concilium hoc quod de Constantinopolitana sede petenda dixit, non prohibuit, sed concessit: in hoc autem supposito capitulo dixit: *Qui ausi fuerint ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare.* Quia igitur constat in his de inimico animo iudicasse, & cupiditate vincendi deprauatum fuisse, secundum Carthaginenses Canones: *Obest tibi tua soluta sententia.* Et quoniam in rotulis tuis domno regi & mihi per comministros Ecclesiæ tuæ directis multotiens ac multipliciter ad confirmandas tuas sententias, cum sacris Canonibus, & decretis Apostolicæ sedis Pontificum, etiam legales sententias Catholicorum Imperatorum posuisti, proponam tibi legalem sententiam Iustiniani Catholici Imperatoris, quam probat & seruat Ecclesia Catholica, qua constitutione * CXVIII. capitulo 41. decreuit: *Vt nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus ea excommunicauerit aliquem, ille quidem, qui excommunicatus est, maioris Sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ Communionis redeat. Is autem, qui non legitime excommunicauit, in tantum abstineat à sacra Communione tempus, quantum maiori Sacerdoti visum fuerit, vt id quod iniuste fecit, ipse iuste patiatur.* Et hinc sanctus Gregorius ad Ioannem Episcopum iniuste excommunicantem inter cætera scripsit dicens: *Cassatis prius atque ad nihilum redactis prædicta sententia tua decretis, ex beati Petri Apostolorum principis auctoritate decernimus xxx. dierum spatio sacra te communione priuatum, ab omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lachrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognouerimus implesse remissius, non iam tantum iniustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas iuuante Domino seuerius puniendam.* Et item alibi: *Quod si contra hæc quæ statuimus, qualibet occasione, vel subreptione venire tentaueris, sacra te communione priuatum, nec eam te (excepto vltimo vitæ tuæ tempore) nisi cum concessa Romani Pontificis decernimus iussione recipere. Hac enim consona sanctis Patribus diffinitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare vel communionem capere sit dignus altaribus.*

Can. 15. — Can. 1. — C. Calcedon. 9. — * in excus. CXV

Cap. XXXI.

Denique sicut in petitione mihi ab Ecclesia Laudunensi data continetur, causa iniuriarum tuarum paruulos baptizari, qui sæpe discrimine mortis periclitantur, prohibuisti. In quo capitulo Pelagius, & tu facti estis, vt ex maiori parte egregius Poëta dicit:

Ambo errore pares, quamuis diuersa sequentes.

Pelagius docuit paruulos recentes ab vteris matrum non baptizandos in remissionem peccatorum, quia nihil trahebant ex Adam, quod lauacro regenerationis expiaretur, certans ostendere nos vacue à Christo redemptos, contradicente sibi Apostolo: *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et tu sciens verum esse quod Dominus dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum,* præcepisti non baptizari in tua parrochia paruulos, etiam in mortis periculo constitutos, ne saluari valerent, cum scriptum sit: *Non venit filius hominis animas perdere, sed saluare:* obuians etiam decretis Syricij, Leonis, Gelasij, & Africani Concilij, sicut iam tibi scripsi, non solum semel, sed & secundo mandaui: vnde quia ex integro iam tibi illa decreta scripto direxi, breuiter tibi quædam exinde commemoro. Nam de infantibus baptizandis, qui nec dum baptizati noscuntur, quotiens necessitas exegerit, regula Ecclesiastica per beatum Syricium est prolata, cuius regulæ conclusio constat hoc modo: *Nunc præfatam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolica petra, super quam Christus vniuersalem construxit Ecclesiam, soliditate diuelli.* Et sanctus Leo: *In mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegari debemus.* Et Aphricanum concilium, sed & idem sanctus Leo: *Etiam de infantibus, de quibus non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque vllo scrupulo eos baptizandos esse sanxerunt.* Et sanctus Gelasius, *Etiam si necessitas extrema compulerit, à laicis Christianis huiusmodi baptizari debere,* ostendit.

Rom. 5. — Ioan. 3. — Luc. 9. — Can. 39.

Cap. XXXII.

In eo vero capitulo, quo vltimam pœnitentiam denegari, & viatico munere subueniri morientibus contra Nicænos, & Aphricanos Canones, & decreta Syricij, & Innocentii atque Cœlestini, necnon & Leonis, venisti, sicut Innocentius, & cæteri doctores Catholici ostendunt, Nouati Hæretici, licet diuerso itinere, sed non diuerso discrimine, sequipes extitisti:

Nouatiani enim dogmatizant recipi non debere lapsos ad pœnitentiam atque communionem, & tu sciens tuata Nicænos Canones quouis tempore non esse denegandam pœnitentiam, & communionis gratiam postulanti, causa iniuriarum tuarum præcepisti, sicut in petitione à Laudunensi Ecclesia mihi porrecta continetur, etiam in exitum mortis positis pœnitentiam, & communionis gratiam denegari, ne permittente Saluatore nostro à perpetuo exitio vindicari valerent, cū pet se de se Veritas dicat: *Venit filius hominis quarere & saluare quod perierat, qui non venit iustos, sed peccatores vocare in pœnitentiam*: Multis voce Domini reclamantibus sanctis & Ecclesiæ Catholicæ doctoribus, vt præsidium regenerationis, ac pœnitentiæ, sacreque communionis in mortis periculo positis, & petentibus à quoquam nullatenus denegetur. Vnde tibi ex integro quid sacri Nicæni Canones, quid sanctus Syricius, quid sanctus Innocentius, quid sanctus Cœlestinus, quid sanctus Leo decreuerint, tibi scribere studui: sed & iudicium, quod de hæc contemnentibus sanctus Leo protulerit, præfatis subiunxi, tibiq; mandaui: Ait enim, *Ne quid vero sit quod prætermissum à nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.* Vnde quia ignorare non potes quid sanctus Cœlestinus prædecessor beati Leonis decreuerit, cuius decretorum partem tuæ collectioni interposuisti, quibus dicit: *Nulli Sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?* Satis mirarinon valeo, quomodo teipsum nescite, & tam grandem causam, sicut contra decreta Cœlestini egisti, obliuisci valens: inter cætera, in tuo pitaciolo verba eiusdem Cœlestini Papæ ponere ausus fuisti, quæ etsi in professionis tuæ decreto à te subscripto, hanc beati Cœlestini sententiam decretalem præscripsisti, non solum suo, sed & tuo iudicio, te, secundum sacros Carthaginenses Canones, honore priuasti, qui dicunt: *Si quis contra suam professionem, vel subscriptionem, venerit, in aliquo, ipso se honore priuabit.* Fecisti enim quod Patrum regulis obuiat, cum pœnitentes, contra decreta Cœlestini, & cæterorum Pontificum Romanorum, atque contra sacros Canones, ad pœnitentiam suscipi, & morientibus viatico munere subueniri prohibuisti, & pro tuo libitu, vsurpata à te sententia, decretalium normam constitutorum fregisti. Sed forte noluisti intelligere illa constituta tuos esse Canones, & ob id in tuo pitaciolo misisti: *Nulli Sacerdoti liceat Canones ignorare*, omittens quod ibi habetur, *suos*, Non igitur radendum, vel omittendum est pronomen, *suos*, de verbis Cœlestini: quoniam Canones & Patrum regulæ, Canones & regulæ sunt Sacerdotum, eo modo sicut lex Mosi dicitur & lex Iudæorum, de qua Dominus ad Iudæos: *In lege*, inquit, *vestra scriptum est*. Et de eis iterum: *In lege eorum scriptum est*. Aut ergo quilibet non est Sacerdos, & sui non sunt Canones: aut qui Sacerdos est, sui sunt Canones. Non, vt Iudæi legem, eosdem Canones pro suo libitu ad suum sensum inflectant, sed vt sensui eorum præceptis obediendo accommodent, quatenus eorum præcepta sequendo, gressus rectos faciant pedibus suis, & de scripturarum lumine promulgatos, lucernam eos ponant actionibus suis, vt possint dicere cum Psalmista: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis*. Si aliqua etiam fortuitu sensibus, vel præceptionibus, atque actionibus suis inesse videtur, eorum regulis corrigatur, & ad ea, quæ sentienda, tenenda, & sequenda sunt, dirigatur. Lege igitur decreta Syricij, & eiusdem Cœlestini, & sacros Canones, & inuenies te contra illorum decreta, imo contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam auctoritatem, ausu nefario, talia prohibuisse, sicut semel, & secundo iam tibi scripsi. Sed forte hæc, & ea, quæ dicimus esse Canones, tecere non vis pro Canonibus, sed illa, de quibus tua commenta finxisti; Ideo peregrino sensu Cœlestini verba interposuisti, redue tamen ad memoriam quæ in eodem tuo pitaciolo ex verbis Cœlestini posuisti: *Quæ, inquiunt, sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per seueritatem congruentem regulis vindicemus.* Per totas hoc ergo, quæ propriis rectoribus carent, Ecclesias, volumus innotescat, vt nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus illudat. Quapropter obseruandum tibi est de cætero, ne per ipsas regulas iodiceris, quas de verbis sancti Cœlestini tuis collectionibus immisisti, sicut & ego seruare studui quod præcepit, scilicet notum faciens, quæ seruare debeat, Ecclesiæ Laudunensi. Et quoniam (vt supra ostendi) verba beati Gregorij à proprio eorum sensu quantum ea te fuit, alienasti, & impostuasti, atque detruncasti, vt anathema, quod in eodem capitulo conuenienti sensu inseruit, ad eos, qui bus non conuenerat, retorqueres, tibi scribere dignum duxi, quod de anathemate in Synodica epistola, secundum morem, in ordinationis suæ exordio, Patriarchis, Alexandrino scilicet, Antiocheno, Hierosolymitano, & Constantinopolitano, direxerat, scripsit; *Præterea, inquies, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me profiteor, Nicænum scilicet, in quo peruersum Arrii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error conuincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas indicatur: Calcedonense vero in quo Eutychis, Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima probatione custodio, quia in his, velut quadrato lapide, sancta fides structura consurgit. Et cuiuslibet vita atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo et illa, qua dicitur, erroris plena reprobatur: Theodorum personam mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separant, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur: scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia, personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se, & non illa, destruit, quisquis præsumit aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero præfatarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo Patre per Iesum Christum filium eius, qui cum eo viuit & regnat consubstantialiter Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.* Et sacrum Nicænum Concilium dicit: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque seruabitur, ita vt si quis egreditur è corpore, vltimo & necessario viatico minime priuetur, quod si desperatus & consecutus communionem, oblationi sque particeps factus iterum conualuerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribuat Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* Ecce audisti, frater, quod sacri Nicæni Canones generaliter omni cuilibet in exitu posito, & poscenti communionis gratiam non denegari, sed per eandem communionem obeuntem absolui præcipiunt. Et ecce audisti decernentem beatum Gregorium: *Qui quis præsumit, aut soluere quos præfata Concilia, (quorum primum est Nicænum) religant, aut ligare quos soluunt, quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Intuere igitur sanctum

Luc. 19.

Can. 13.

Ioan. 8. & 15.

Ps. 118.

Can. 12.

David, qui audiens à Nathan Propheta de peccato quod fecerat, ex cordis intimo dixit, *Peccaui Domino.* Et item: *Quia percussit cor suum, eo quod fœdasset vestem Christi Domini.* Et vestis Domini est Ecclesia, de qua scriptum est: *Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris.* Et Apostolus, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Percute pectus tuum, quia percussio pectoris ostendit contritionem cordis, & dic cum profusis lachrymis, *Peccaui Domino*: vt merearis audire, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.*

Cap. XXXIII.

In eo vero capitulo, quo sepulturam mortuis, (sicut in petitione à Laudunensi Ecclesia mihi porrecta continetur) denegari iussisti, nimia inhumanitate contra sacras historias, sacrosque Canones agere non erubuisti, cum sicut in historia veneranda libri Regum legimus, etiam eorum corpora, qui ad consultum Domini propter peccatum Saul, ob quod facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, crucifixi fuerant, laudabiliter custodita legamus à concubina Saul, non lacerarentur ab auibus per diem, neque à bestiis per noctem: *Donec stillaret aqua super eos de cœlo*: Sicque sepulta sunt cum ossibus Saul & Ionathæ. Et in Euangelio legimus, quia petente Ioseph, *Pilatus iussit reddi corpus Domini,* quem quasi nefarium petentibus Iudæis crucifigi adiudicauit; vnde *& cum iniquis* (secundum scripturam) *deputatus est.* Et Iudæi, ne remanerent etiam sceleratorum corpora in cruce die Sabbathi inhumata, obtinuerunt à Pilato, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et antiquorum Patrum regulæ, etiam eorum corpora, qui sibi quolibet modo mortem intulerint, vel qui pro suis sceleribus puniuntur, ad sepulturam, licet sine Hymnis & Psalmis, deferri præcipiunt; & non sepultura in ventre matris omnium, id est, terræ carere etiam talium cadauera præcipiunt: *Si vere vtique iustitiam loquimini, recte iudicate filii hominum*: Et vide si secundum præfatas regulas, ac leges metropolitana auctoritate Pontificium habuerim hæc corrigere, quæ contra sacras regulas præsumpsisti?

Cap. XXXIV.

At si tu in contumacia tua, & in contemptu meo permanere delegeris, & quæ hinc vera sunt profiteri nolueris, quia de certis & manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura, de quibus diffinitiuas sententias, quæ nulla possunt ratione conuelli, à sanctis Patribus promulgatas habemus, Synodale consultum, vel Coëpiscoporum Prouinciæ nostræ consilium vel consensum non debeo expectare, nec à regulis præstitutis, vlla aut negligentia, aut præsumptione, discedere, nec etiam sedem Apostolicam inde requirendo inquietare. Dicat Sanctus Innocentius scribens ad Macedones Archiepiscopos atque Episcopos inde quid sentiat: *Cum ita didicisset epistolas,* (quas Vitalis Archidiaconus) *vestrarum portitor litterarum, eas præcepi illico recenseri, in quibus multa posita esse perui di, quæ stuporem mentibus nostris inducerent, facerentque nos non mediocriter dubitare, vtrum alter putaremus, an ita illic essent posita quemadmodum personabant. Quæ cum sæpius repeti fecissem, aduerti sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur; vnde de quibus iamdudum scripsisse me memini, nunc iterare formam argumentis euidentioribus relationis vestræ percunctatio geminata compellit.* Et ad Felicem Episcopum Nucerianum, *Stupuimus prudentiam vestram de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta.* Et sanctus Zosimus, *Sciat, quisquis hoc, post posita Patrum & Apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit, à nobis districtim vindicandum, vt loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumelia enim studio fit quicquid interdictum toties vsurpatur.* Et sanctus Cœlestinus quod & tu in tuis collectionibus, vt præmisimus, posuisti, *Nulli Sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit regulis obuiare; Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?* Et post aliquanta, *Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per seueritatem congruentem regulis vindicemus.* Et Leo, quod iterare non piget, *Omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.* Et item idem Leo ad Leonem Augustum, *Quæ patefacta sunt quærere, & quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortifera cupiditate extendere?* Et itē idem sanctus Leo ad eundem Leonem Augustū dicit; *Quia de rebus & apud Nicæam, & apud Calcedonem, sicut Deo placuit, diffinitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per sanctum Spiritum fixit auctoritas.* Et Hilarus Papa dicit, *Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quā in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Et Gelasius, *Sicut est indignū quemquam vel Pōtificū, vel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quā B. Petri sedem & sequi videat, & docere, satisque conueniens sit vt totū corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quā illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.* Et item ad vniuersos Episcopos per Dardaniam constitutos; *Patres,* inquit, *nostri Catholici videlicet, doctiq; Pontifices, in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica, secundum scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in hac eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt, sapientissime peruidentes quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper eisdem furoribus redeuntibus, omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarū semel Synodalium regularum non cessant elisa pectora, resumptis certaminibus contra fundamentū sese veri attollere, & simplicia quæq; corda pertentare, quid fieret si subinde fas esset perfidis inire Concilium, cum qualibet illa manifesta sit veritas, vbicunquā desit, quod perniciosa depromat falsitas; & si ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen intentione non cedens, quæ maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessarie præcauerunt, vt contra vnamquāq; hæresim quod acta semel synodus pro fide, cōmunione, & veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset, non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerint statuta pulsandi, sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci.* Et si volueris hoc tantum de suscitatis hæresibus intelligere, pariter quoque quod dicit intellige: *Auctore,* inquiens, *cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia dānationis eius esset obstrictus,*

Quæ enim maior potest esse vesania, vel quis deterior error aut grauius cōtra Catholicam ecclesiā schisma, quam sanctorū conciliorū, & Apostolicæ sedis decreta contemnere; & leges, quas probat Ecclesia, conculcare, & Christianam pietatem abdicare, & innoxios contra omnes leges diuinas & humanas gradu ac communione priuare, atque ex proprio crimine innocentes in mortis vrgentis periculo per baptismi gratiam non subuenire, obeuntibus & petentibus cōmunionis gratiam denegare, mortuis sepulturæ humanitatem non tribuere? *Quicquid ergo*, inquit Gelasius, *pro fide, communione, & veritate Catholica atque Apostolica maiores nostri promulgauerunt, non sinerunt nouis posthac retractationibus mutilari, ne prauis occasio praeberetur quæ medicinaliter statuta fuerunt pulsandi, sed generaliter auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione se posset agnosci.* Et item idem Gelasius dicit: *Decessorem*, inquiens, *meum executorem fuisse veteris constituti, non nouæ constitutionis auctorem, quod non solum præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici.* Quia vero non vetera constituta retractari vel restagari liceat, sed de nouis emergentibus rebus nouæ constitutiones requiri debeant, quæ tamen Euangelicæ veritati non habeantur contraria, nec decretis Sanctorum aduersa, idem sanctus Gelasius in decretis suis, his enumeratis qui diffinitione constituta virtim & per diuersa tempora fuere damnati, hoc modo demonstrat. *Synodus* (inquiens) *semel gesta condemnās* (quin præfatus) *vlterius ad noua Concilia venire non sinit, sed vniuersos quocumque modo in has blasphemias recidentes, tradito sibi limite Synodali, refutauit Ecclesia, nec vnquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, neniter quæ fuerant salubriter cōstituta temerasse.* Et post aliquanta, *Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo errore damnatus, in participe qualibet prauæ communionis effecto, execrationem sui gestat & pœnam.* Et item, *Quia & noua in vtroque Pontifice causa esset excocta, & nouā discussionem consequenter inquireret, vt sicut semper esset effectum, Sacerdotali Concilio de Sacerdotibus iudicia prouenirent.* Et item, *Cum noua essent causa, noua debuerit Ecclesiastica prouenire discussio.* Et item, *Noua certa erant causa, & hic consequenter noua Synodus debeatur.* Et item, *An hæc licuit sæculari potestati, & actu talibus Acatio consentienti, absque vlla Synodo, quam ipsa rerum nouitas exigebat, absque sedis Apostolicæ consultatione præsicere, & sedi Apostolicæ non licuit, secundum tenorem Synodi Calcedonensis, in veteri vtique causa, & veteri constituto, iusta diffinitione damnata, inimicum Synodi Calcedonensis Acatium communicantem à sua communione depellere?* Et item, *Nec opus fuit noua Synodo, cum veteris constituti sufficienter hoc forma perscriberet.* Et item, *Quæ congregatio facta Pontificum, non contra Calcedonensem, non tanquam noua Synodus contra veterem primāque conuenit, sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps Apostolica executionis effecta est.* Et item, *Nec dubium quod sicut in vnaquaque hæresi, quod ineffabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel prauitatis pars fore censentur.* Et item, *Inauditos, indiscussos, inconuictos non debere percelli, maxime cum noua causa & noua rerum facies appareret, vt rectores isti plebium repentinis incursionibus, pro mundana potentia voluntate, sacris dignitatibus priuarentur, ex nulla vetere causa, ex nullo collegio reatus, nec participatione cuiuslibet erroris iam ante damnati, ceteris eos conuinci que consortes, vt tanquam ex præterita diffinitione iudicarentur obstricti.* Sed & beati Gregorii condigna inuectio ad Vitalianum Episcopum Sipontinum memoriam meam non transiit, quando tuam alligationem, quin imo execrabilem maledictionem dissolui, quam idem beatus homo dicit; *Si cultus religiosi haberes, aut esse nosses Episcopum, filia gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militis, te illic posito, proiectis religiosis vestibus ad sæcularem reuerti habitum, nec ad nos licuisse peruersam epistolam destinare; Nā si (vt præfati sumus) sollicitus extitisses, prius ad nos vltio mulieris prauissima, quam culpa debuit peruenire.* Et hinc ad Sergium defensorem, *Si bonus esses, aut districtionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti cultor existere, vt ea quæ illic illicita committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos eorum nuntius perueniset.* Et post pauca, *Nam si quolibet modo in hac re negligens vehementer extiteris, ita in te districtissime neueris vindicandum, vt quod ex te nescis, pœna possis fecante cognoscere: quia si (vt diximus) intellectum hominis habuisses, hæc quæ fecerit modo praeciperis, à te debueramus totiam cum vltione ante facta cognoscere.* Quid etiam hinc sacri canones per singula concilia decernant, deuitans prolixitatem, & quia notissima sunt, hic ponere prætermitto, tantum de Carthaginensi concilio testimonium, quod & supra posui, vnum pono. *Gratus Episcopus dixit: Nouella suggestiones, quæ vel obscura sunt, vel sub genere latent, inspecta a nobis formam accipiunt. Cæterum de quibus apertissime diuina scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potius exequenda.* Lege breuiatium Africæ Prouinciæ canonum sedi Apostolicæ missum, & ab eadem sede corroboratum, & hæc in fronte canonum ipsorum inuenies.

Cap. XXXV.

Quicumque igitur Primates Prouinciarum à Domino constituti, & Apostolica auctoritate confirmati, sed & quique Catholici Episcopi, de certis & manifestis rebus, de quibus expressa iudicia, & irrefragabiliter atque inconuulse conseruandas diffinitiuas habemus sententias, secundum sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, quæque decernimus & iudicamus, Apostolica sedes, & Catholica Ecclesia Apostolorum fundamento fundata *super angularem lapidem Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*, in nobis pro patribus natis filius, id est, pro Apostolis creatis Episcopis, vt in ordinandis coordinat, ita & in decernendis Canonice condecernit, & in iudicandis coniudicat. Nos autem qui sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum sub ipsius Apostolicæ petræ iudicio exequimur, nihil aliud quam iuste iudicantium fautores, & iustorum iudiciorum executores, obedientiam sancto Spiritui, qui per eos locutus est, & sedi Apostolicæ, à qua riuus religionis, & Ecclesiasticæ ordinationis, atque Canonicæ iudicationis profluxit, dependentes existimus: Quoniam quicumque baptismo Catholico baptizentur sicut ad Ioannem Baptistam dictum est, *ipse est Christus*, videlicet Iesus, *qui baptizat*: & quicumque sacrificent, *ipse est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sempiternum habens sacerdotium*, qui sanctificat, quia, vt sanctus Leo dicit, *Si quid per seruitutem nostram bono ordine & gratulando impletur effectu, non ambigimus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum, & opere nostro ipso Saluator interuenit, nec vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Et item Leo; *De his quæ in Nicæno Concilio, suggerente sibimet sancto Spiritu* (quia aliter credēdum non est) *mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter, quam illi statuere, præsumitur, sine cunctatione cassatur.* Et sanctus Augustinus dicit, *Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, non est fas iudicare. In istis autem temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint instituta atque firmata, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.* Non ergo ea quæ per me qualecumque Metropolitanum

num, & Primatem Rhemorum Prouinciæ, ad cuius curam, secundum sacros Canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, sollicitudo pertinet totius Prouinciæ: sedes Apostolica, & sancti Patres nostri, qui cum Deo in Cœlo regnant, & in terris miraculis coruscant, quin ipse (vt præmiseram) Saluator noster dissoluit ex his quæ Prouincialis Episcopus contra diffinitiuas sanctarum regularum sententias alligasti, quantacumque, & qualicumque tua, & complicum tuorum subscriptione potes ligare: nec ea quæ secundum præfixas regulas à sanctis Patribus ligo, potes absoluere: quia vt Gelasius in decretis suis dicit, veluti potes in libro, quem tibi ante altare sanctæ Mariæ in die ordinationis tuæ commisi, relegere: *Inferior potiorem absoluere non potest: Potior autem inferiorem consequenter absoluit.* Proinde inferioris loci Pontifices, qui nullatenus se nouerant potiorem sibi sine primæ sede posse resoluere, præcipue quem eius sententia nouerant obligatum, præuaricatoria absolutione potius non illum penitus exuerunt, sed se præuaricatione potius nexuerunt. Sed & quia Dominus ad quendam dicit: *Ex verbis tuis te iudico*, licet in tuis compilationibus non mittere, sed potius omittere delegeris ex eorum verbis, de quibus testimonia collegisti, quæ te mordere non ignorasti, vnum pro omnibus quasi peremptorium edictum tibi proponam. Cum enim quædam posuisti de diuerse collectis à Lucio Papa, ex diuersis decessorum ac prædecessorum suorum dictis, interscripsisti; *similiter*, inquiens, *auctoritate fulti Apostolica præcipimus, vt nullus Metropolitanus absque cæterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas, quia irrita erunt, & ipsi causam pro facto dabit*: putans te alligare onus graue & importabile, & imponere in humeros Metropolitanorum. Quod tibi coniunctim idem Lucius scripsit, *digito tuo mouere noluisti.* At enim consequenter sine vlla interpositione: *Episcopi vero per singulas Prouincias obseruent, ne posteriores se prioribus suis præferant, nec eis inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parrochiam, aliquid agant, sed omnes de communibus eorum causis consonam sententiam proferant, & determinent, quoniam aliter acta nullas vires habebunt, nec Ecclesiastica reputabuntur.* Quia igitur partim Lucius, & post eum plenius Antiocheni Canones decreuerunt: *Vt Episcopus præter Metropolitanum nihil agat, nisi ea tantum quæ ad suam parrochiam pertinent, possessionesque subiectas, vt regat iuxta reuerentiam singulis competentem, & prouidentiam gerat omnis possessionis, quæ sub eius est potestate, ita vt Presbyteros, & Diacones ordinet, & singula suo iudicio comprehendat*: debeas limate attendere quod dicitur: *Presbyteros*, inquit, *& Diacones ordinet*, & non exordinet: quia quos solus Episcopus ordinare potes, solus, nisi vt venerandi præfigunt Canones, à sacris officiis submouere, vel suspendere nequaquam potes. *Et singula* (inquit) non autem generalia, *suo iudicio comprehendat, quem conuenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Prouinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere, concurrant.* Et Leo tibi dicit: *Quoniam in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri.* Et Lucius tibi ante Leonem prædixit, quod & Canones Africæ Prouinciæ dicunt: *Nec eis prioribus inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parrochiam, aliquid agas, quoniam aliter acta nullas vires habebunt, nec Ecclesiastica reputabuntur.* Quia ergo illa quæ male contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam auctoritatem, contraque sacrorum Canonum & Apostolicæ sedis constitutiones, sine consilio Metropolitani, in quo tibi consentire non debuit, sicut nec fecit, ligasti secundum Lucij verba, nullas vires habent, nec Ecclesiasticæ reputantur; libere potui soluere, quod non licuit tibi ligare. Sed & hoc bene, vt patet, non intellexisti, & certum est quia non recto sensu posuisti quod Lucius dixit: *Vt nullus Metropolitanus absque cæterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas*: Quia pro omnibus reprehensibilibus, quæ de te per omnium (vt ita dixerim) ora volitant, & ad me nõ peruenire non possunt, semper quando easdem reprehensiones tuas audiero, omnes Episcopos Prouinciales, vt eas mecum audiant, congregare non possum. Si enim bene intellexisses Carthaginenses Canones, quibus dicitur: *Vt Episcopus nullius causam audiat sine præsentia clericorum suorum*: in hac de auditione sententia non errares, cum alio sensu accipiendum sit quod Iacobus dixit ad Paulum: *Audient* (quin Iudæi) *te superuenisse*: Et Paulus de se; *Audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore Leonis.* Et alio sensu quod dicit ad Corinthios: *Audio inter vos scissuras esse*, id est, schismata, *& ex parte credo.* Et aliô quod item ad eos dicit: *Auditur inter vos fornicatio.* Et Heli filiis suis: *Non bona est fama, quam ego audio de vobis.* Vnde intelligere debes inter auditionem, & auditionem, vel audientiam esse differentiam, sicut & scripturæ demonstrant. De audientia quippe Felix ad Paulum: *Audiam te*, inquit, *cum accusatores tui venerint.* Et canones: *Non oportet negare audientiam roganti.* Et aliter intelligenda est auditio in eo loco vbi dicitur: *Domine audiui auditionem tuã, & timui.* Et aliter vbi dicitur: *Iustus ab auditione mala non timebit.* Similiter differentiam intelligere debes inter nominationem, & nominationem, atque cognitionem, vt item Paulus dicit: *Si quis frater nominatur fornicator.* Et, *Ecce ego Paulus dico vobis: Et veniam cito ad vos, si Dominus voluerit, & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem.* Hinc, & in legibus, atque in Canonibus inuenitur inter cognitionem quoq; & agnitionem esse differentiam, intelligere debes, sicut ostenditur in Africæ Prouinciæ Canonibus, in quibus scriptum est: *Quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum expetiuerit, honore proprio priuetur.* Sed & alibi iidem, ac Sardicenses Canones glossam cognitionis exprimunt. Et sanctus Gregorius in homilia Euangelii differentiam agnitionis, quæ significationibus vel relatu percipitur, vt Paulus: *Significatum est mihi de vobis ab his qui sunt Chloes*, & reliqua à cognitione, quæ legali ac regulari iudicio comperitur, demonstrat, loquens ad Episcopos de simoniaca hæresi, quam si per cognitionem in personis certis compertus fuisset, sine iudicio Ecclesiastico non dimisisset: *Vobis*, inquit, *Sacerdotes, lugens loquor, quia nonnullos vestrum cum præmio sacras ordinationes agnouimus, spiritalem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non redit, quod vox diuina præcipiens dicit: Gratis accepistis, gratis date? Cur non ante mentis oculos reuocatis, quod templum Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas euertit, & nummulariorum effudit æs? Quinam sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet manus impositionem Spiritus sanctus cælitus datur? Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur? Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas euertit, quia talium negotiatorum Sacerdotium destruit. Hinc est quod sacri Canones simoniacam hæresim damnant, & eos Sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur, quando hi, qui spiritalem gratiã venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos Sacerdotio priuantur.* De hac agnitione & B. Augustinus in libro de pœnitentia dicit: *Plerique*, inquiens, *boni Christiani tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ nouerunt, quia documentis sæpe deseruntur, vt ea, quæ ipsi sciunt, iudicibus Ecclesiasticis probare non possint: quamuis enim vera sint quædã, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis*

iudicio demonstrentur. Nos vero à communione quenquam prohibere non possumus, quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo, siue sæculari, siue Ecclesiastico iudicio accusatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audeat assumere, vt cuiquam ipse sit, & accusator, & iudex? Non enim temere, & quomodolibet, sed per iudicium, ab Ecclesiæ communione separandi sunt mali, vt si per iudicium auferri non possunt tolerentur potius velut palea cum tritico, vsque ad vltimum ventilabrum, vel pisces mali cum bonis, vsque ad segregationem, quæ futura est in littore, hoc est in fine sæculi. De qua agnitione ad me peruenta bene reminisci potes me iam te commonuisse, quoniam per multos audiui, sed & vsque ad aures domni Regis peruenit, quia & de impositione manus in ordinatione Ecclesiasticorum graduum, etiam à manu munera accipiebas, & de Ecclesiarum datione, quæ etiam non amplius quā dotem suam, id est, mansum, quem sub immunitate, sicut in capitulis Ecclesiasticis continetur, habent, cum decima fidelium præmia requirebas, & à diffamatis presbyteris, ne discuterentur, redemptionem accipiebas: vnde & ab Ecclesiæ tuæ filiis isdem domnus Rex veritatem audire quæsiuit, & requisitionem, interueniente tali causa, quæ nota est, prosequi destitit, tibique, quam terribilius potui, interdixi, vt his facinoribus nullo modo communicares. Sed & ante altare sanctæ Mariæ, ante quod Episcopus es ordinatus, à me dictum audisti, & accepisti, si forte obaudisti, & mente condidisti, *vt quod*

Mat. 10.

gratis accepisti, gratis etiam aliis, secundum præceptū Domini, *dares*: quia dextera ad pretium ordinantium, dextera est iniquitatis. Sed & quando hæc de te audiui, & à domno Rege hæc requisisse cognoui, tibi & præscripta verba beati Gregorii dixi, & hæc quæ subsequuntur inculcare curaui, quibus in homilia Euangelii XXXIX. dicit: *Ingressus*, inquit, *Dominus Iesus*

Luc. 19.

templum, cœpit eiicere vendentes & ementes de illo. Sicut templum Dei in ciuitate est, ita in plebe fideli vita religiosorum, & sæpe nonnulli religionis habitum sumunt, & dum sacrorum ordinum locum percipiunt sancta religionis officium in commercium terrenæ negotiationis trahunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc quod quibusdam iure competit, ad præmium largiuntur: iustitiam enim vendere est, hanc pro præmii acceptione seruare. Ementes vero in templo sunt, qui dum hoc persoluere proximo, quod iustum

Esa. 56.

est, nolunt; dumque rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio, emunt peccatum, quibus benedicitur, Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum: quia dum nonnunquam peruersi homines locum religionis tenent, ibi malitia sua gladio occidunt, vbi viuificare proximos orationis sua intercessione debuerunt. Et item in Homilia IV. *Gratis (inquit Do-*

Mat. 10.

minus) accepistis, gratis date. Præsciebat namque nonnullos hoc ipsum donum accepti Spiritus in vsum negotiationis inflectere, & miraculorum signa ad auaritiæ obsequium declinare: hinc est enim quod Simon per impositionem manus edita miracula concupiscens, percipere donum Spiritus sancti pecunia voluit, scilicet, vt deterius venderet quod male comparasset. Hinc de templo Redemptor noster flagello de resticulis facto turbas eiecit, cathedras vendentium columbas euertit. Columbas quippe vendere est, impositionem manus, qua Spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt: hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis nummum fauoris expetunt. Vn-

Esa. 33.

de bene cum iustum virum describeret Propheta, ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. Neque enim dicit, qui excutit manus suas à munere, sed adiunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio; aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est, subiectio indebite impensa: munus à manu pecunia: munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Et in epistola ad Ioannem Corinthiorum Episcopum: *Peruenit*, inquit, *ad nos, quod in illis partibus, nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat. Quod si ita est flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere, est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere, ex quo, vt prædixi, malo, iam innuitur quid sequatur; quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum, Deo iudice, cathedræ ceciderunt: Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque, qui præmio ad sacrum honorem perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus, paratior est aliis vendere quod emit; & vbi est, quod scriptum est; Gratis accepistis, gratis date?*

Mat. 10.

Et cum primo contra sanctam Ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, prouehendo, agit vt hæreticus fiat? Quia igitur hanc nefandissimam prauitatem vniuersalis damnat Ecclesia, hortamur fraternitatem vestram, vt tam detestabile, & immane peccatum de locis omnibus, quæ sub se sunt, sollicitudinis suæ compescat omnibus modis instantia. Nam si quid tale deinc ps fieri senserimus, iam non verbis, sed Canonica vltione, corrigemus: & de vobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere iudicium. Et hinc in multis epistolis suis ad multos Episcopos terribilia & grandia scripsit, quæ per te in suis locis legere potes, & cauere debes. Dixi etiam tibi quia verba Dei, quæ sanctus Petrus Apostolorum Princeps, qui hanc hæresim in Simone mago damnauit, in omnes ex tunc, & nunc, & vsque in finem sæculi veridica & valentia permanent. Et sicuti cum illo pecunia sua extitit in perditione, ita & in omnes qui hæc munera dant vel accipiunt, nisi dignam inde pœnitentiam egerint, in perditione & manent & sine fine manebunt. Et cum vterque sint hæretici, scilicet, & qui pro impositione manus pretium donant, & qui munus accipiunt, *Reatu tamen maiore delinquit, qui potiore honore perfruitur; quia grauiora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.* Et det Dominus vt non sint vera, quæ per multos ex hoc de te audio: & obtestor te per sanctam & inseparabilem Trinitatem, & per crucem, & sanguinem Iesu Christi Filii Dei viui, ex quo, & à quo, & per quem omnis Episcopatus ecclesiasticus cœpit exordium, & per ipsum sanctum Spiritum, qui maxime in ordinationibus operatur, & per omnem sanctorum Angelorum militiam, ac per sanctam omnium electorum ecclesiam conscriptam in cœlis, & per futurum iudicium quo Christus veniet iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem, & reddere vnicuique secundum opera sua, vt nec ipse contra diuinas & Canonicas constitutiones, te huic Deo contrariæ negotiationi, quolibet modo, vel quacunque excogitata adinuentione, immisceas, nec alicui, quantum ex te est, & quantum ad te pertinet, immisceri consentias, imo tuis, quanta potes obtestatione, interdicere studeas: quam obtestationem non noua præsumptione exero, sed pro modulo meo Beati Pauli sequor exemplum scribentis ad Timotheum, quem iuuenem ordinauit episcopum, licet non de hac causa, sed de aliis, de quibus necessarium duxit, huiusmodi obtestationem exeruit, cuius verba, per quem locutus est Christus, etiam tibi inculco: *Testificor*, inquit, *coram Deo, & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudi-*

1. Tim. 6.

cio, nihil faciens in aliam partem declinando. Et, *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula irreprehensibile vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi.* De Lucij autem epistola, quæ ante Nicænum Concilium facta fuit, non ideo tibi scripsi, quasi non sufficiant ad auctoritatem, quæ sacrorum Conciliorum Canones, & ex his promulgata decreta alia sedis Apostolicæ dicunt, sed vt scientiam tuam, quæ inflat, sine charitate, quæ ædificat, vento distentam esse demonstrem. Hæc, frater, patienter atque benigne suscipe, & apud peritos medicos disce sapientiam, quia illis imponentibus sæpe funem portat freneticus vnde ligetur. Et illa, de quibus me comprehendi à te posse existimas, discrete intellige, quoniam alia sunt quæ metropolitanus sine consilio atque consensu omnium Coëpiscoporum Prouinciæ agere non debet, sicut causas accusantis Episcopum ad discutiendum, vel ipsum Canonice iudicandum, siue noxium, vel purgatum decernere, vel in loco decedentis Episcopi ordinare, & de quibuscunque nouiter emergentibus causis, vel dubiis, aut obscuris. Et alia sunt, de quibus certa & expressa in sacris regulis habemus iudicia, quæ refragari, vel conuelli non licet, sed sine retractatione exequi auctoritas & ratio ipsa compellit.

Cap. XXXVI.

His igitur documentis certissimis constat, quod me replicare cogit ipsa necessitas; quia si in parrochia tua, quæ mihi cum sollicitudine totius Rhemorum Prouinciæ commissa est, secundum priuilegium mihi datum quod male admisisti corrigere detrectassem, à præstitutis regulis negligentia discederem, à quibus præsumptione tu discessisti; Egi ergo secundum ius metropolitanæ auctoritatis, in quo iure metropolitanæ dignitatis, me à te subiectæ ciuitatis Episcopo, mihi, velis nolis, subiecto, capitulum beati Leonis discreuit, quo iussit metropolitanis singularum Prouinciarum, *Ius tradita sibi antiquitus dignitatis intemeratum seruare, ita vt à præstitutis regulis nulla, aut negligentia, aut præsumptione discedant.* Aliud autem capitulum eiusdem beati Leonis me tibi ordinis societate coniunxit, in epistola ad omnes Episcopos per diuersas Prouincias constitutos, de sacris ordinibus, & Canonum promulgata disciplinis, cum dicit. *Hoc admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, cuius socius esse noluit disciplinæ.* Pensemus igitur non dolosa, sed recta statera, quem nostrum pressius istud contingat Capitulum, vtrum me, qui ea, quæ irrefragabiliter obseruanda sunt constituta, auctoritate metropolitana in parrochia Prouinciæ mihi commissæ cõseruare decreui, an te, qui in illa, quæ inuiolabiliter conseruanda sunt constituta, & temerasti, & conuelli fecisti. & præter me Primatem tuum contra statuta Ecclesiastica subscripsisti & subscribi fecisti, cum (sicut statuta ecclesiastica docẽt) *sine me nihil decernere valeas, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum*; Sicut Africanum decreuit Concilium dicens, *Vt posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant: qua de re,* (inquit Aurelius) *dico, prout capitis animi mei retinet, eos qui putauerint spretis maioribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni Concilio corrigendos.* Et hinc Leo ad Theodorum Forojuliensem Episcopum dicit, *Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri.* Contra constituta ergo venisti, cum ea, quæ ipsa præcipiunt nulli poscenti negari, omnibus in tua parrochia denegari iussisti, prohibita quidem fuisti ausus admittere,

cum aduersus ea, me postposito, subscripsisti, & subscribi fecisti, quod etiam nec in rectis agere debuisti. Subscriptio namque tua, sicut à multis dicitur, habetur huiusmodi.

Hincmarus Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis Episcopus, his sanctorum Apostolicæ sedis Patrum decretis obtemperandum subscripsi. Qui quoque mihi eodem Deo auctore commissi sunt, & in his similiter sentiunt, solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si vero aliqui fuerint nolentes fieri socii huius disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. Actum Lauduni VIII. Idus Iulias.

Qua subscriptione tua manifestissime claret, quia si Nicæno Concilio, & aliis generalibus Catholicis Synodis, eorumque fixis & immobilibus decretis contraria sentis in aliquo, te, tibique complices à Catholica communione segregasti, dicens, *His decretis obtemperandum subscripsi.* Vnde verbis beati Gregorii alloquentis Serenum Massiliensem Episcopum, te alloquor, dicens; *Die frater, à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit reuocare; vt despectis aliis fratribus solum te sanctum & esse crederes sapientem.* Præcipue cum sacrorum Canonum prohibitio te ab hac præsumptione modis omnibus reuocet. Hoc vero quod dicis, *Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis esse Episcopum*, oramus vt verum sit. Legimus tamen de quibusdam dicere Dominum, *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.* Et, *Dedi eis Regem in ira mea, & principem in furore meo. Qui facit hypocritam regnare propter peccata populi.* In eo quod subscripsisti; *Actum Lauduni VIII. Idus Iulias*, intelligimus secundum leges, quas probat Ecclesia, atque secundum sacros canones, hanc tuam sine Consule prolatam non valere sententiam: Alia namque sunt, quæ subscribuntur ad notitiam, rei vel temporis. Alia quæ scripto prolata sententia, subscriptione alligantur ad obseruationem constitutionis, aut professionis, seu accusationis, vel petitionis: *Sententia* (inquiunt leges) *si sine scripto dicta fuerit, nec nomen habere sententia mereatur.* Et, *Si quæ post hæc, edicta siue Constitutiones sine die, & consule fuerint deprehensa, auctoritate carent.* Et hinc Africæ Prouinciæ Canones, *Episcopi litteras ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas iubent accipere, continentes consulem & diem.* De eo, quod subnexuisti. *Qui quoque mihi commissi sunt, & in his similiter sentiunt, hac mecum pace potiantur*; videris non simplici intelligentia posuisse, *hac mecum pace potiantur.* Quia non est pax vera, nisi in vnanimitate Catholica; alioquin dicentes, vt scriptum est, *Pax, pax, cum non esset pax. Non est pax impiis, dicit Dominus.* Impii namque dicuntur, qui aut per fidem rectam Ecclesiæ Catholicæ non incorporantur, aut ab ea fide vel opere per hæreses aut schismata recedunt; & in vnanimitate Catholica non subscripsisti, neque tibi commissos subscribere fecisti, si (vt dicis) contra Nicænos Canones, & alia generalia Concilia, fixaque decreta sentis vel sensisti, ac per hoc *sollicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, nequaquam in ista subscriptione fuisti. Sicut enim in edicto quintæ Synodi scriptum est. *Solent praue sentientes, vt simpliciores decipiant, vocibus quidem vti, quæ ab Orthodoxis pie dicuntur: rectum autem earũ intellectum & expositionem ad suã impietatem transferre; quoniam est quando eadem voces cũ bene exponuntur & intelliguntur, cum pietate sunt; quando autem male à praue sentientibus interpretantur, & proferuntur impietatem habent.* Et sanctus Gregorius in homelia X. Ezechielis dicit, *Quia quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, vt fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua & non Dei verba loquitur, si tamen placendi vel seducendi studio mentiatur* Et tu si hanc sententiam Apostoli tuis dictis interposuisti, vt ad subscribendum, quod non licet, cõministros tuos facilius

Lib. 9. ep. 2.

Osee 8. & 13

Iob. 34

Can. 50.

Hierem. 8.

Esa. 48.

Ephes. 4

posses seducere, de auro & argento Dei, id est, de sensu & eloquio diuino, sicut per Prophetam Dominus ad Idololatram populum dicit, *Tuo sensu, tibi & illud Idolum fabricasti.* Manifestum est enim quia sententiam Apostolicam, quam in eadem tua subscriptione ad tuam confirmandam sententiam peruerse misisti, non eo sensu dicta est à Beato Paulo Apostolo, sicut eam ibi posuisti. Non enim, quando illam subscriptionem firmasti, quin potius te & subscribentes tecum infirmasti, *Sollicitus fuisti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*: Sed sollicitus fuisti dissoluere vnitatem Spiritus contra vinculum pacis. Vnde prouidendum est tibi ne inter adulteratores verbi Dei computeris, quos (vt supra posui) redarguit Paulus Apostolus, sed & de hac sententia idem dicit, *Solliciti seruare vnitatem Spiritus, in vinculo pacis; Vnum corpus, vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Vnde beatus Gregorius; Ad vnam igitur vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam vnita cũ proximis mente curratur. *Est* (inquit Dominus ad Moysen) *locus penes me, & stabis super petram.* Locus quidem apud Dominum est sanctæ Ecclesiæ vnitas in qua supra petram statur, dum confessionis eius soliditas vtiliter tenetur. Hi enim in loco, qui penes Dominum est, & supra petram stant, qui per hæreses, vel per schismata ab vnitate se Ecclesiæ non diuidunt. Quia, vt sanctus Hilarus Papa dicit, sicut & supra posui, *Non minus in sanctorum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Credimus namque, ac cum Ecclesia Catholica confitemur sacros Canones Spiritu Dei conditos, vnde qui per contemptum pertinaciter à sacris Canonibus deuiant, in Spir. S. quo sunt conditi, peccant. Pertinaciter autem addidi, quoniam Dominus dicit. *Quod in spiritum sanctum peccantibus nec hic esse, nec in futuro sæculo remittendum*: Et multos hæreticos legimus & credimus ad fidem Catholicam reuertentes, & hic remissionem suæ percepisse blasphemiæ, & in futuro spem indulgentiæ consequendæ sumpsisse, nec tamen eius refragatur sententia, qui alibi dixit: *Verte impios, & non erunt*; Non quidem vt non sint per essentiam: sed non erunt quod fuerant per impietatis culpam: Sicut & Paulus dicit de se, *Viuo autem, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Hinc etiam adhuc dico, quod cum Catholica credo Ecclesia, & confiteor, *Quia Spiritu Dei* (vt Leo cum aliis Orthodoxis adfirmat) *Canones sacri sunt conditi.* Qui siquidem Spiritus est Patris, Spiritus est Filij, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quorum est vna substantia, vna voluntas & operatio, vnus est Dominus, ac per hoc à Patre, & Filio, & Spiritu sancto, tota scilicet Trinitate vno Deo & Domino Canones sacri sunt conditi, à quib. qui per contemptum pertinaciter deuiant, in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, scilicet in Deũ ac Dominum peccant. Constat igitur, *quia*, vt Hilarius Papa scribit, *non minus in sanctorum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini*, Patris scilicet & Filij, & Spiritus sancti, *iniuriam prosilitur.* Et consequenter iterum pertinaciter, id est, perseueranter addidi, quia beatus Ioannes Apostolus dicit, *Est peccatum ad mortem*, non (dico) vt oretur pro eo. *Et est peccatum non ad mortem* (dico) vt oretur pro eo. Est quidem peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: est peccatum non ad mortem ab eodem peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatum pro quo aut non oret Ecclesia remittendum, aut quod data sibi diuinitus potestate discedentibus ab eo non possit absoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, *Quæcumque dimiseritis super terram, dimissa erunt & in cælis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Cum enim dicitur, *Quæcumque solueritis*, omnia, quæcunque sint, & quantacumque sint, & qualiacumq; sint, ex quocumque statu, vel ea quocumque lapsu, comprehenduntur, veraci nihilominus eorum manente sententia, quæ nunquã soluenda esse denuntiantur in eodem tenore consistentibus, non etiam ab hoc eodem peccato postea recedentibus. Ea his igitur manifestissime claret de eadem tua subscriptione, in qua dicis, *His* (quin à te specialiter excepti) *Sanctorum Apostolica sedis Patrum decretis obtemperandum subscripsi*; Quia si (vt supra dixi & nunc iterum dico) Nicæno Concilio, & aliis generalibus ac Catholicis Synodis, eorumque fixis & infragabilibus decretis, quæ Apostolica sedes & cuncta Ecclesia Catholica recipit, veneratur, & seruat, contraria in aliquo sentis, vel teneri ac seruari decernis, te, tibique complices à Catholica communione segregasti, & quando Catholicæ obseruantiæ contrariis subscripsisti, *Sollicitus seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*; nequaquam in ista subscriptione fuisti: Et B. Leonis decernentis, *Quia in causis quæ ad generalem obseruantiam pertinent, omnium Dñi Sacerdotum, nihil sine Primatib. oportet impleri*, non fuisti socius disciplinæ. Vnde timendũ est, vt non sis etiam consors cõmunionis suę, à cuius communione si, quod absit, fueris alienus, cum his, quorum decreta conuelli fecisti, sicut ex sacris Canonib. & decretis Romanæ sedis Pontificum tibi scripto dixi, ac per hoc cum Ecclesia Catholica communionem habere non poteris. Et non leue tibi vllo modo videatur, quod supra ex verbis eiusdem B. Leonis posui, quibus dicit, *Quæ patefacta sunt quærere, & quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est, quam de adeptis gratiam non referre? Et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortifera cupiditatis extendere?* Sed cum magna cordis intentione considera cui peccato peccatum quod admisisti, diffinita conuellens, comparet, scilicet quod non nisi sanguine Filij Dei præualet expiari, videlicet quod à primo parente commissum, in omnes posteros pertransiuit, sicut dicit Apostolus, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt*: Sicut & per te in omnes tecum subscribentes contra diffinita à sanctis Patribus peccatum pertransiit, qui, te agente, in hoc peccauerunt; quia in illa subscriptione non te penitus exuisti, sed eos præuaricatione potius nexuisti, volens me ostendere Canonum præuaricatorem, qui quasi contra Canones in tua parrochia solui quæ ligasti, & certans me nota damnat omnis inurere, quam conscientia tua nequibat effugere, & ideo plus veritus humanam verecundiam ne vilis fieres ea his quæ perpere gessisti tuis subditis, quam reatum ante diuinos oculos, quod humili resipiscentia corrigere poteras, ad illud argumentum te conuertisti, vt hanc in regularem, imo tragœdialem subscriptionem excogitares, & hac adinuentione Dominum ad iracundiam amplius prouocares, & tecum alios necteres. Lege igitur in decretis Gelasij sententiam de Acacio, & de Episcopis, qui eum regulariter contendebant posse absolutum dicere, & eam tibi, & his, quos tecum fecisti subscribere applica, & quid egeris recognosce. Et quod ibi de sede Apostolica leges, de tua metropoli, quæ iussa sedis Apostolicæ exsecuta est, dictum puta: Ait enim, *Ideo cum sede Apostolica minime congruebant, quia in sortem reciderant præuaricatoris Acacij, illius se sine dubio peruidebant sententia consequenter adstringi, ob hoc eũ videri nolebant esse damnatũ, quia se cognoscebant in eadem præuaricatione esse damnatos, in qua hodieq; manere persistunt*, sed sicut hi simili cõditione cõstricti, complicem suũ non possunt iudicare, *non iure damnatũ, neq; vel reũ possunt competenter absoluere; sic illo in sua præuaricatione damnato, isti quoq; pari iacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes inde poterũt prorsus absolui: quia sicut*

per vnum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est, qui in eandem perfidiæ reciderant actionem; sic in vno eodemque, qui pro omnibus scripserat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressio est punita cunctorum. Et sanctus Hilarius in epistola de Synodis, quam de exilio ad Gallicanos misit Episcopos dicit. *Nihil,* inquiens, *mirum videri vobis debet, fratres charissimi, quod tam frequentes expositiones fidei cœpta sunt, necessitatem hanc furor hæreticus imposuit, & necessitas consuetudinem intulit exponi fides, & expositis subscribi. Vbi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic littera postulatur: nec sane, subscribi impedit, quod salutare est confiteri.* Conuerte igitur oculos mentis tuæ ad actum tuum, quod irrationabiliter, & contra auctoritatem, atque sine vlla necessitate in hac præsumptiua subscriptione tua perpetrare non timuisti, & tibi subditos agere compulisti, ne furor tuus, etsi diuerso modo, non diuerso dolo, in hoc facto furori hæreticorum æquetur: qui illic litteram postulasti, vbi sensus conscientiæ periclitabatur, & fecisti subscribi, quod salutare non est confiteri, si tamen sacro Nicæno Concilio, & Romanæ sedis Pontificum decretis post Nicænum Concilium habitis, & ex sacris Canonibus promulgatis, in aliquo est contrarium, quod à te & tuis complicibus constat esse subscriptum, in quo pernicioso facto à te non leniter est erratum, in quem à B. Gelasio ostenditur trãsgressio punienda cunctorum, qui omnibus præscripsisti, & ab omnibus comministris tuis subscribi fecisti; vnde idem Gelasius dicit: *Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus in participe quolibet praua communionis effecto, exsecrationem sui gestat & pœnam.* Et in epistola ad Anastasium: *Cum dicat Apostolus,* [Rom. 1.] *qui non solum non facienda faciunt, reos videri, sed etiã qui consentiunt facientibus, proinde sicut non potest peruersitatis communicatione suscepta, non pariter peruersitas approbari, sic non potest refutari peruersitas complice sectatore peruersitatis admisso. Legibus certe vestris criminum conscios, susceptoresque latrocinantium par iudiciorum pœna constringit, nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit facinus, tamen in familiaritatem, fœdusque receperit.* Et in edicto quinti Concilii scriptum est: [.14.] *Miramur eorum dementiam, qui diuinæ scripturæ contraria agunt euidenter dicentis, quia æqualiter horribilia sunt apud Deum impius & impietas eius: Actio enim cum actore punietur.* Si autem similiter impietas horribilis est Deo, & ille qui impie agit, certe separatus est talis à Deo, & anathemati iuste subiicitur. Anathema enim nihil aliud significat nisi à Deo separationem, sicut in veteri & in nouo Testamento iudicium de anathemate significat: in mente igitur habe scriptum à B. Paulo. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes eorũ infirmam conscientiam, in Christum peccatis.* Grauiter autem [1. Cor. 8.] illi in Christum peccant, qui periculosissimo, & maxime detestando mendacio in religione mentientes, infirmorum conscientias percutiunt, de quibus specialiter scriptum est: [Psalm. 5.] *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et in decretis Apostolicæ sedis scriptum est. *Quoniam quisquis schismatico assenserit, schismaticum esse negare non poterit.* Schisma enim à scissura est animorum, vt Catholici doctores dicunt, vocatum: eodem enim cultu, eodem ritu credit vt cæteri, solo congregationis delectatur dissidio, & schismaticus est licet sic credat, vt Catholica credit Ecclesia, si in dogmatib. Ecclesiasticis ab Ecclesia se scindit Catholica, cui quisquis assenserit, schismaticus esse negari non poterit: quod & si omnes Sacerdotes, & mundus assentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cũ generale fit ex priuato: hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit, quorum perditionem euidenter Catholica demonstrat Ecclesia, quæ vt pro hæreticis, ita coniunctim & pro schismaticis orat, vt ad fidei & pacis redeant vnitatem, sciens hæreticos & schismaticos in hæresi, ac schismate permanentes regnum Dei non intraturos: *quia in sic ad iudicium, in scissura mentium Deus non est,* vt beatus dicit Gregorius. Deus quippe in vnitate est, & illi eius habere gratiam merentur, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt. Vnde per se Veritas admonet dicens: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* [Marc. 9.] Vt quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est quatenus à pace concordiæ nunquam recedat: sed sunt nonnulli qui dum plus sapere, quam necesse est, student, à proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt sicut tu egisti, qui cum tuis complicibus, & tecum subscribentibus, à vinculo & vnitate pacis Ecclesiasticæ diuisisti, contemnens auctoritatem tuæ Metropolis, & contradicens atque resistens his quæ de Euangelica veritate, & Apostolica atque Ecclesiastica auctoritate tibi & Ecclesiæ Laudunensi Metropolitana sollicitudine scripsi, & eadem Catholicæ Ecclesiæ auctoritate, considerans periculum imminens, quod male ligasti pro officio loci mei dissolui.

Cap. XXXVII.

Vnde, frater, & me & te moneo, vt attendamus quod Dominus per Prophetam dicit: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes.* [Esa. 5.] Et per Apostolum: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* [Rom. 12.] Et, *Si quis se existimat aliquid scire, nondum cognouit quomodo oporteat eum scire:* [1. Cor. 8.] Et, *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat vt sit sapiens: Quia sapientia huius mundi inimica est Deo.* [1. Cor. 4.] [Rom. 7.] Et per Iacobum Apostolum monstrat: *Quæ superba & contentiosa sapientia, terrena, animalis est, & diabolica: sapientia autem quæ de sursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens.* [Iacob. 3.] Scientia etenim virtus est, humilitas custos virtutis, & mirandaactio cum elatione non eleuat, sed grauat: qui enim sine humilitate virtutes congregat, in ventum puluerem portat, & vnde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. Hinc etiam scriptum est: *Qui emittit fontes in conuallibus.* Et, *Conualles abundabunt frumento.* [Ps. 103. & 64.] A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritas doctrinæ deserit, sed fontes in conuallibus surgunt, quia corda humilium verbum prædicationis accipiunt. Vnde per se Veritas admonet dicens: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos:* [Marc. 9.] Vt quisquis habet sal sapientiæ, studiose curet necesse est, quatenus à pace concordiæ nunquam recedat, & ne in pace tenenda quis erret, per semetipsam veritas, cum terrenam pacem à superna distingueret, atque ad venturam discipulos ex præsenti prouocaret, ait: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis:* [Ioan. 14.] relinquo scilicet trãsitoriam, do mansuram; si ergo in ea, cor, quæ relicta est, figitur, nunquam ad illam, quæ danda est peruenitur. Pax igitur præsens ita tenẽda est, vt & diligi debeat & contemni, quæ si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capitur: & dum nimis humanam pacem desiderat, prauos hominum mores nequaquam redarguit, & consentiendo peruersis, ab auctoris sui se pace disiungit; & dum humana foras turpia metuit, interni fœderis discussione feritur: Hinc Dauid dum totum se ad fœdera pacis internæ cõstringeret, testatur quod cũ malis concordiam non teneret dicens; *Nonne qui te oderant, oderã illos, & super inimicos tuos tabescebã? Perfecto odio oderã illos, inimici facti sunt mihi.* [Ps. 138.] Inimicos etiã Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorũ premere, vitæ prodesse. Pensandum est igitur quando ab increpatione quiescitur, qua culpa cũ pessimis pax tenetur, si Propheta etiam velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino prauorũ inimicitias excitauit.

Cap. XXXVIII.

Admoneo etiam tuam dilectionem, vt cum sacræ scripturæ verbis etiam sacras regulas, sicut à sancto Spiritu, quo & sacræ scripturæ sunt conditæ, intelligas: quoniam qui sacræ legis verba non recte intelligunt, saluberrimum vini potum in veneni sibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere se mortali feriunt: dum per hoc in se sana perimūt, per quod salubriter abscindere sauciata debuerunt, quos videlicet ad intellectum prauum intentio peruersa non raperet, nisi prius superbia inflaret: dum enim se præ cæteris sapientes arbitrantur, sequi aliorum ad melius intellecta despiciunt, atque vt apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere & ab aliis recte intellecta destruere, & sua peruersa roborare; quorum sapientia, *sicut nouacula acuta facit dolum*: [Psal. 51.] quia sicut nouacula acuta sæpe assimilat se agere vultus nitorem, & genas vulnere suo sauciat, ita dolosa versutia dolo prauæ intelligētiæ vulnerat quos sano sensu sanare se simulat. Vnde bene per Prophetam dicitur: *secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum*: [Amos 1.] quia nimirum bene dicta praue intelligentes, fidelium mentes, quæ iam aliquid de veritatis intellectu conceperant, peruersa doctrina perimunt, & dum scientiæ sibi nomen extendunt, paruulorum corda iam de verbi conceptione grauida, erroris gladio scindunt, & quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt, quibus primum necesse est ne inanem gloriam quærant, quia si radix elationis abscidirur, consequenter rami prauæ assertionis arescunt: Nam Catholici doctores, & Ecclesiæ sanctæ rectores qui de hæresibus scripserunt, eos qui verba diuini eloquij non recte intelligunt, vel non recte interpretantur, sed ad suos sensus illa allegorizant, in catalogo prauæ sententium hæreticis connumerantes adscribunt.

Cap. XXXIX.

Admoneo te paterna & fraterna dilectione, vt remoueas à me dolorem, à te periculum; & ab vtrisque nostrum à plurimis illatum improperium; à me quidem dolorem, quia vt sanctus Gregorius dicit: *minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur; plus vero in nobis ea tormenta saniunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ charitatis.* Hoc est enim quod de Iuda traditore suo per Psalmistam Dominus dicit: [Ps. 54.] *Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique: & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, absconderem me vtique ab eo. Tu vero homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulauimus cum consensu.* Et rursum: *Homo pacis meæ, in quo sperabam, & qui edebat panes meos ampliauit aduersum me supplantationem.* Ac si de traditore suo apertis vocibus dicat: Trāsgressionem eius tanto grauius pertuli, quanto hanc ab eo, qui meus esse videbatur, sensi. Omnes ergo electi, quia summi capitis membra sunt, caput quoque suum in passionibus sequuntur, vt ipsos aduersarios in sua morte sentiant, de quorum vita præsumebant, & tanto eis crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit, & ex alienæ damno charitatis. Et quoniam *minus iacula feriunt quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur*, [Greg. hom. 35. in Euang.] eo ista de te tolerabilius porto, quo longe ante per Prophetam à Domino dictum lego; *Vnusquisque*, inquit, *à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur.* [Hierem. 9.] Et paulo post: *In ore pacem cum amico suo loquetur, & occulte ponet ei insidias: nunquid super his non visitabo, dicit Dominus?* Et per semetipsum veritas dicit: *Inimici hominis domestici eius.* Et cū scriptum sit: *Labia Sacerdotis custodient scientiā, & legem*, quæ inter alia dicit: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, requiritur ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* [Mat. 10. Malach. 2. Exod. 20.] Tu è contra, *Ne magnitudo* miserationum Domini, quæ de manu illius, gratuita gratia, sine merito vllo suscepi, *extollat me, datus es mihi stimulus* recognoscēdæ infirmitatis meæ, *Angelus sathanæ, vt me* & matrem tuam Rhemorum Metropolim, quæ te nutriuit, elatis moribus & inobedientiis *colaphizes*. [2. Cor. 12.] Sed sciens quia *virtus in infirmitate perficitur, libenter gloriabor in his*, quæ *infirmitatibus meis*, aut à Deo per corporales molestias, aut à Diabolo per tentationes, aut ab homine per quaslibet immissiones inferuntur, *vt inhabitet in me* infirmo *virtus Christi: qui perficit in infirmitate virtutem*: Periculum quoque discordiæ, quam contra auctoritatem & rationem, contraque salutem tuam erga me videris habere, à te quantocyus amoue, certissime sciens quoniam quantumlibet virtutibus polleas, spiritalis nullatenus fieri potes, si vnitatem per concordiam mihi & cæteris fratribus tuis neglexeris: scriptum quippe est, *fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax*, [Gal. 5.] qui autem seruare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat. Certus enim es, si sanum sapis, quoniam tamdiu nullum boni operis Deo sacrificium immolas, quamdiu à proximorum charitate discordas: multo minus autem si à dilectione mea discordas, qui te benigne nutriendum suscepi, orphanum dulci dilectione nutriui, in clericum totondi, litteris per me & per quoscumque potui erudiui, per singulos gradus ad ordinem Episcopatus prouexi, familiaritatem & dulcedinem dilectionis Domini nostri Regis tibi obtinui. Pensare enim cum magno timore debes quod scriptū est: *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quoniam frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*: Ex qua scilicet præceptione considerare debes quam intolerabilis eius culpa monstratur, cuius hostia repellitur: nam cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensandum nobis est quanta sint mala discordiæ, quæ nisi extincta funditus fuerint, bonum sequi non permittunt: quia quælibet in nobis bona opera fuerint, si charitas desit: per malum discordiæ locus aperitur in acie, vt ad feriendum nos valeat hostis intrare. Ego, crede mihi, non tecum, sed cum tuis improbabilibus moribus, & actuum motibus, de quibus te sæpe & verbis & litteris reprehendi & castigaui, &, vt doleo, dolui, discordiam habeo. Fac quod salubriter tibi cupio, & tuo conuenit ministerio, & me placabilem ac præstabilem in cunctis habebis, alioquin expectabo si per Dei gratiam verbum Domini quod inter me & te adhuc laborat, tandem requiescere valeat: *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum, si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. [Mat. 18.] Interim autem donec hoc verbum Domini inter me & te laborabit, vtar continue salubris antidoti medicina contra mortiferum discordiæ poculum mihi à te propinatum, quam Dominus & Saluator noster conscius infirmitatis nostræ largiri dignatus est, dicens: *Cum stabitis ad orandum remittite si quid habetis aduersus aliquem in cordibus vestris, vt & pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra.* [Mar. 11.] Et scilicet Conditor noster dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, à peccato nos soluet, quia munus pro culpa sumet; quod munus etiam holocaustum gratia Dei misericordis fiet, si fuerit simila oleo conspersa, & in zeli sartagine frixa, scilicet cum misericorditer eum diligimus, & inter sacra pro eo oramus, quem zeli salutaris feruore insequi videmur, vel à quo inuidiæ liuore insequimur, imitantes illum qui mori etiam pro inimicis venerat, & tamen positurum se animam pro amicis dicebat,

& profecto nobis ostenderet, quia cum diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt qui persequuntur: quæ non ideo dico vt persecutionem tuam in damnis temporalibus, vel in contumeliis, timeam, aut magnopere sentiam, quibus etiam, etsi voles, me nocere oon potes, sed de illa persecutione dico, licet sim iniustus, qui me veraciter & ex corde peccatorem profiteor, de qua Beatus Petrus dicit: *Quoniam inter quos Loth habitabat, iniquis operibus de die in diem eius animam cruciabant*: Et de qua Apostolus recolens historiæ veteris: *Quomodo*, inquit, *tunc is, qui secundum carnem erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, & nunc.* Quia (vt ita dicamus) ferrum nostræ animæ nequaquam perducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit alienæ lima prauitatis.

Cap. XL.

Et quia dictum est mihi, te plurimis solere dicere, quoniam quicquid tibi de tuis hominibus, & de hominibus suis ad Laudunum directis, & de eo, quod te commendauit Conrado, contrarium Dominus noster Rex egerit, hoc meo instinctu, & consilio, atque consensu egisse, tibi respecto non esse verum, sicut & scriptis ad eundem Dominum nostrum Regem, sed & alios inde in eodem tempore directis, possum ostendere, & coram plurimis Episcopis apud Pistas Domino nostro Regi dixi me audisse quod sic diceres; & idem Dominus noster Rex coram eisdem Episcopis respondit, sicut & pro certo verum dixit, quod nec meo instinctu, nec meo consilio, neque meo consensu hoc egerit, licet quædam fuerint & sint, de quibus metropolitana auctoritate, vel Synodali conuentione, ac regia potestate corripi debueris atque debeas; quæ non ideo dico, vt me apud te excusare operæpretium ducam, cum stultum esse maiores nostri demonstrent, si eis placere quærimus vel displicere timemus, quos bonorum iudiciis non placere cognoscimus, sed vt in quibus ex veritate possum, quantum ex me est, quantumque sufficio, idoneum reddam bonum nomen, quod Apostolus etiam ab his qui foris sunt habere iubet Episcopum. Quia vero auctoritate diuina Regi obedire iubemur, ipsius iussione respondisse me ex scripturis & sacris legibus, atque Sanctorum verbis, tuis litteris ad eum directis non nego, in qua responsione si quid perpere dixisse vel egisse me ionenisti, ostende; & aut rationabiliter sine contentione defendam, aut humiliter sine disceptatione recognoscam.

Cap. XLI.

Cæterum si me contra auctoritatem, & debitam fraternæ dilectionis vnanimitatem, quæ (vt supra dixi) à te mihi reputasse audiui, egisse recognoscerem: quia dicente beato Ioanne Apostolo, *si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, vt remittat nobis peccata nostra*: Et prima salutis spes est confessio, deinde dilectio, *Quod charitas operit multitudinem peccatorum*; Non dimitterem quin inde salubrem indulgentiæ medicinam expeterem, non pro humano, sed pro diuino timore & fraterno amore, ac propria saluatione: non enim perfunctorie nobis Sacerdotibus legendum & tenendum est, quod etiam laicis & fœminis Spiritus Sanctus per beatum dicit Gregorium, *Est vbi se quisque interroget, & in confessione Christi se veraciter probet. Veremur sæpe à proximis despici; dedignamur iniurias verbi tolerare. Si contingat iurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere: cor quippe carnale dum huius vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit, & plerumque ipse homo qui irascitur, discordantem sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit.* Pensemus facta veritatis, vt videamus quo iaceant nostræ prauitatis actiones: Si n. membra summi capitis sumus, imitari eum, cui connectimur, debemus. Quid namque ad nostræ eruditionis exemplum Paulus egregius prædicator dicit, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Ecce inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, vt nos ipsi qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, vt ei reconciliari debeamus, & ipse quoque qui offensus est, legatis interuenientibus, obsecrat Deus.

Cap. XLII.

Aufer ergo faciendo quæ debes, & quæ opto ac oro (& vtinam dignus exaudiri fuissem) à me & à te opprobrium quod mihi à multis reputatur; quia talem, sicut & contra diuinæ ordinationis dispositionem, & contra Regem, & erga me, & erga Ecclesiam tibi commissam, & erga plurimos alios effectus es, Episcopum ordinauerim. Sed qui mihi hæc reputant, non attendunt, quia non vt Iudam electum præsenti iustitia, & vt per eum diuina dispositio impleretur Apostolum, sicut & Saul regem postea reprobatum, de quo scriptum est, *Erat vir electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo.* Deus omnia sciens per prouidentiam ordinauit, & nil culpæ contraxit, qui peccare non potuit; Sed vt homo nesciens quod futurum erat, te per improuidentiam ordinaui, & diuini iudicij non iniusti similiter extiti, quia (sicut timeo) aliis peccatis meis hoc esse promerui, quamquam & sancti Apostoli cum beato Stephano & aliis Diaconibus Nicolaum ordinauerint, nec tamen dictis & factis illius improbabilibus postea comprobatis, per manuum suarum impositionem communicauerunt, quem ordinantes, bonum crediderunt, & mansurum perpetuo in bonitate optauerunt, sicut nec Samuel culpam contraxit in ordinatione Saul, quem diuina iussione à se ordinatum, & à Domino postea reiectum, sicut de te doleo, diutissime fleuit, velut sacra narrat historia. Reputatur etiam mihi quod te nepotem meum gratia propinquitatis Episcopum ordinauerim, quasi non & alij per me sint ordinati Episcopi, qui non sunt mihi carne propinqui, & noluit attendere mihi, hoc reputantes, quia non impedit ad quenquam ordinandum carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus & peritus secundum Ecclesiasticas regulas, Nam & Dominum, à quo & per quem cœpit Episcopatus, carne sibi propinquos legimus ordinasse Apostolos, sed licet in te nepote meo egerim, vnde gemo: quia nescio qualiter de hoc & de aliis meis factis, *Terribilis in consiliis semper filios hominum*, in occulto suo iudicio, *Qui posuit tenebras latibulum suum*, disponat: Scio tamen omnipotentem aduocatum, & misericordem iudicem meum, *Ante quem est omne desiderium meum, & cui gemitus meus non est absconditus.* Si n. obaudieris monita beati Pauli Timotheo à se iuuene ordinato Episcopo directa, & à me, & à te opprobrium tuæ ordinationis tolles, in quibus inter cætera dicit, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*: Id est, talem te exhibe, vt propter ætatis adolescentiam, nemo te contemptibilem habeat, quia cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Si hæc frater, tibi in aliquo dura sunt, quæ non sunt dicta ea intentione, vt velim [quod absit] in aliquo tam damnationem vel de honorationem, sed potius salutem & correctionem; attende, *Quia* [vt beatus dicit Gregorius] *per amarum poculum confessionis, peruenitur ad effectum optatæ salutis.* Et Salomon dicit, *Meliora sunt vulnera amici, quam odientis inimici oscula.*

Apoc. 3. Heb. 12.

CAP. XLII.

Et Dominus dicit, *Ego quos amo, arguo & castigo.* Et, *Quem diligit Dominus, corripit; Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Per plures denique audio te apud multos me infamare, quoniam sacras scripturas soleam detruncare, & ad meum sensum inflectere, quod vt pro certo adhuc credo nec in vno loco me egisse; si tamen hoc quod dicis poteris approbare, & si hoc ad approbationem volueris ducere ostende coram quantis & quibus tibi libuerit, & aut patenter ostendam te mea verba bene non intelligere, aut ab aliquo illa falsata fuisse: & si forte me, quod dicis, si tamen dicis, egisse cognouero, quantocius corrigere procurabo: quod n. de me dicere diceris, Gotescalcus hoc de scripturis facere consueuit, illas scilicet detruncare, & ad suum sensum violenter inflectere: sed & ea, quæ in Canonicis libris non continentur, auditoribus suis proferre, sicut & supra priscos Hæreticos facere consueuisse ostendi, quia sicut beatus dicit Gregorius, *Sæpe Hæretici dum sua student peruersa adstruere, ea proferunt quæ in sacrorum librorum paginis non tenentur.* Vnde & discipulum suum prædicator egregius admonet dicens, *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates*: Quia dum laudari Heretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veterib. non tenentur, sicque fit vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant: & quoniam hæc egisse Gotescalcus in conuentu Episcopali conuictus fuit, idem Concilium, sicut scriptum est, *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat,* silentium ei imposuit, mihique illum ad custodiendum commisit, sicque complicum eius, qui iam sicut vermes in putredine scatentes ebulliebant, iræ partim sunt mitigatæ, & congregatæ sunt à Domino quasi in vtrem aquæ maris, cum amaritudo peruersarum mentium nondum apud nos de his, quæ Gotescalcus eos docuerat, erumpit exterius in vocem prauæ libertatis: Et quod de sanctis scripturis Gotescalcus agebat, & tu me agere notaris dicere, vt cum pace tua dicam, tu de sacris Canonibus, & Ecclesiasticis regulis, atque de legibus soles agere, sicut iam quater egisse te possum ostendere, scilicet in rotula per Hadulphum Archipresbyterum tuum mihi transmissa, in qua de Canonibus & legibus quædam detruncando, quædam de suo sensu expulsa praue interpretando, de capella parrochiæ meæ in Attolæ villa sita nonnulla aduersum me concinnasti. Similiter in rotula à te mihi data, in qua fabulam de Amalberto & vxore eius contexens, plurima in eum captasti. In rotulis nihilominus Domno Regi & mihi per comministros tuos directis, in quib. historias altercationum inter te & eundem Domnum Regem, & item inter te & Normannum descripsisti, & vocum ac factorum tuorum nouitates explicuisti, sententias scripturarum & Canonum atque legum te ferientes tuo sensu in alios detorsisti, veluti ex ore & opere tuo, & ex eisdem sententiis, maiorum adstipulante doctrina, singillatim ac viritim possum ostendere. In quaternionculis quoque à te mihi per Vuenilonem venerabilem Archiepiscopum missis, plurima inter se diuersa collegisti, quæ tecum facere æstimasti, non videns, quin potius videre non valens, aut non volens, quia inter se dissonabant, & de illis ipsis Epistolis, ex quibus eandem tuam collectionem compilasti, coniunctim sequentia dolo penitus omisisti, sed & illa quæ cuncta Catholica Ecclesia recipit, tenet, sequitur, veneratur, honorat, amplectitur, quæque tibi in diplomate paruo corpore, sed maximo merito, tibi per præfatum venerabilem Archiepiscopum Vuenilonem sensisti, nec ad memoriam reducere voluisti. Nimia sunt quæ dico, si hæc ita esse illa ipsa tua scripta quæ habeo non attestantur; & lex, quam Catholica Ecclesia recipit, manifeste decernit dicens, *Confiteri quis in iudicio non tantum sua voce, sed & litteris, & quocumque modo potest; conuinci autem nonnisi scriptura aut testibus potest.* Et tu his scriptis hæc quæ dico denegans, si necesse fuerit in iudicio repinci valebis. Et Gelasius in decretis suis ad Episcopos per Dardaniam constitutos dicit, *Quoniam manifeste quilibet vel professione communione possit agnosci.* Præterea per Heddonem Clericorum tuorum præpositum, conscriptam ou pernime more tuo solito mihi rotulam direxisti, contra litteras de in mea parrochia delinquentibus à me tibi directas, quæ ita se habent.

1 Tim. 6

Prou. 26

Hincmarus Remorum Episcopus, Hincmaro Coepiscopo nostro salutem. Niuinus in parrochia mea sacrilega infamia est diffamatus de quadam sanctimoniali ab infantia in monasterio Deo dicata, & Sacerdote velata, quod clanculo eam prius corruperit, & postea ab ipsius monasterii claustro furtim eam eiecerit, & in parrochia mea aliquandiu multis scientibus habuerit, ac demum latenter in alteram Prouinciam abduxerit. Vnde reuocitandi, siue ad noxam confitendam, siue ad infamiã suam purgandam, ei legales ac regulares, consilio ac consensu Clericorum ac nobilium laicorum nostrorum, inducias dedi. Sed ipse nec confiteri peccatum, nec ab infamia se purgare legaliter adquieuit. Quapropter, quia non est de mea Prouincia, illum à mea parrochia excommunicaui, donec aut confiteretur, aut se ab obiectu purgaret. Nunc vero dici a multis audio, quoniam in altera Prouincia res proprietatis suæ in pretium ab eo acceptas, & illi res ac facultates Ecclesiasticas, quas in ordinatione Episcopali ad regendum & regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri pretium in beneficium donet: quod satis superque sanctarum scripturarum auctoritati contrarium, & Canonum est sacrorum decretis aduersum. Et sicut ita est, vt passim à multis, & etiam publice in publicis placitis diuulgatur, quantum periculum ac detrimentum inde incurras, quantamque vituperationem Sacerdotali ministerio ingeras, si sanum sapis, intelligis. Bertricum etiam ipsius Niuini fratrem frequentissime de adulterio, & aliis carnis pollutionibus regulariter correptum, sed non correctum & diutius toleratum, atque, vt à prauitatibus suis se cohiberet, expectatum, quoniam à suis iniquitatibus eum coercere non potui, quia non est de mea Prouincia, à mea parrochia regulariter exire cum suis præcepi, quæ tibi sicut sacri præcipiunt Canones, nota facere procuraui. Data idus Februarii indict. III.

Et has litteras non ita, vt debueras, recepisti, sed ex eis, nacta occasione, amaritudinem, quam erga me in animo geris, verbis euaporando exhalasti, volens ostentare tuam sapientiam & meam insipientiam, & demonstrare me Niuino iniuste & contra auctoritatem egisse, & os mihi obstruere, vt de his quæ ex te audieram, non te auderem corripere, vt si forte vera forent, te corrigeres, sin autem, ne illa incurreres, præcaueres: cum sicut derogantium linguas nostro vitio non debemus, quantum ex nobis est, ad derogãdum acuere, ita debemus derogantium detractiones, prout rationabiliter potuerimus, compescere. Sed non talis est tuus animus, vt ea quæ benigne tibi dicuntur vel scribuntur, nisi talia fuerint qualia versantur in corde tuo, benigne & patienter possis audire. Vnde Salomon ait, *Acetum in nitro ei qui cantat carmina cordi pessimo.* *Acetum* (inquit Gregorius) *si mittatur in nitrum, feruescit nitrum protinus & ebullit, & peruersa mens quando per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem ad bona suadetur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitate succenditur, vnde debuit ab iniquitate compesci.* Litteris autem meis, quas per singulas periodos dissoluere voluisti, non eis conuenientibus auctoritatibus respondisti, nec recto sensu eum in hoc es imitatus, qui tuis scriptis istiusmodi tenore, veritate, subnixis auctoritatibus solitus

Prou. 25

voluisti, non eis conuenientibus auctoritatibus respondisti, nec recto sensu eum in hoc es imitatus, qui tuis scriptis istiusmodi tenore, veritate, subnixis auctoritatibus solitus est respondere: quia non in hoc iure rationem studes attendere, sed tuam intentionem modo quolibet confirmare. Non enim ille qui taliter tuis solet scriptis respondere, talis responsionis modũ ab his didicit, à quibus hæc studuit discere. De Niuino autem, vt me oportuit, ea quæ gesta sunt tibi nota facere procuraui, cuius aduocationem non videtur mihi, vt oporteat te suscipere, quod & si aduersum me illam volueris suscipere, & ratio atque auctoritas consentit, quantum ex me est, inde tibi non refugio respondere. Cæterum isdem *ætatem habet, ipse de se loquatur*. Et si legaliter ac regulariter me accusare voluerit, aut de excommunicationis, aut de conlaborationis, aut de alterius cuiusque rei præiudicio, rationem inde ei reddere non recuso: nemo tamen potest me apud te regulariter accusare, nec de meo iudicio ad tuum iudicium prouocare, nec sollicitudo totius Remensis Prouinciæ cum mea parrœchia est tibi commissa, vt inde amplius tibi reddere debeam rationem, nisi vt tibi scribere studui. Scrutare Epistolam beati Augustini ad Xantippum Primatem suum, quam suprapositam legere præuales, & inuenies te debere mihi de tuis iudiciis reddere rationem: & si de tuo iudicio quisquam ad meum iudicium prouocauerit, ego debeo inde veritatem inuestigare, & singula quæque canonice terminare. Tu autem quando hæc audisti quæ mihi post litteras meas tibi indedirectas rescripsisti, debueras mihi aut humiliter suggerere quæ inde audisti, vt si perpere inde actum haberem, corrigere procurarem: sin autem, fraterna ac paterna benignitate veritatem inde tuæ filiali dilectioni rescriberem, quod & faceres si apud te humilis esses, & erga me charitatem haberes. Veruntamen pro modulo meo secutus beati Apostoli Petri exemplum, qui etiam minoribus suis quærentibus, cur ad Gentiles intrasset, rationem per ordinem reddidit, & testes suæ rationi adhibuit. Bonum duco quocunque modo tu mihi ea, quæ scripsisti, mandaueris, vt iterato quæ inde sunt vera tibi rescribam, videlicet, quia (vt scripsisti) nullius praua vel mendosa suggestione illi ea, de quibus diffamatus est, imputaui, nec ad comprobationem sui sceleris testibus causa indiguit; quia (sicut ipse scripsisti) negotij qualitas vnumquemque aut excusat, aut accusat. Vnde & Dominus de eo quod quidam Pater familias ei, qui apud eum diffamatus est, quasi dissipasset bona illius dixit, *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ*. At supra sufficienter habes in quibus negotijs testes legaliter atque regulariter examinati requirendi sunt, & in quibus negotijs ratio non indigeat testibus. Manifestum est enim & presbyteris, & aliis Clericis, & laicis, ac fœminis, & nobilibus, & villanis in nostra ciuitate, quia sanctimonialem, de qua tibi scripsi, ab infantia in monasterio Deo dicatam, & à Sacerdote velatam, clanculo prius de ipso monasterio furatam, in mansione, in qua manebat, apud hortos per plurimas noctes habuit, consentiente portario, cuius factione ipsa egrediebatur de monasterio, & à Niuini hominibus abducebatur: in quo monasterio ipsa sanctimonialis regulariter inde est disciplinata; quapropter cum fama excrescere cœpit, & ego ad ciuitatem reuerti incœpi, misit suos homines Vualchanonem scilicet, & Lupum, quod eam scalis pretio locatis de ipso monasterio noctu eduxerunt, & ad beneficium, quod ei dederam in nostra parrochia, deduxerunt; & ibi per plures dies eandem sanctimonialem Niuinus habuit, sicut & Presbyteri, & circummanentes homines, ac villani manifestissime sciunt: Et cum ministeriales nostri ipsam sanctimonialem cœperunt requirere, per eosdem suos homines illam in Calmoutensem deduci fecit. De placitis autem sibi à me datis quot & quanti spatij fuerint, Canonici, & monachi, & fideles ac nobiles laici, ac Presbyteri parrochiani cognoscunt, in quorum præsentia & quorum consilio inde egi, quæ secundũ regulas sacras inueni. De eo vero quod dicis me ab alio quæsisse, qualiter famam suam purgaret: non ideo ab eo quæsiui, vt non scirem, quia hoc agere non poterat: sed vt vel ita eum ad confessionem, & pœnitentiam, atque post ad indulgentiam possem compellere, quem voluntarium ad ea non poteram prouocare: & eo vsque illum perduxi, vt si præfati sui homines quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua calida, aut cum aqua frigida inde ad iudicium Dei exirent, quid inde Deus ostenderet, mihi sufficeret? Et cum se ratione conuictum atque constrictum vidit, in contumaciam & contumelias prosiliuit, cui dixi quod nisi aut confiteretur, aut satisfaceret parrochiæ meæ vnde infamabatur, ipse & illi sui homines qui eandem sanctimonialem cum eo furati fuerant, in mea parrochia habitare non possent, & progrediente illo ad contumelias atque calumnias, quia de mea parrochia, vel de mea Prouincia non erat, & res & mancipia in regno senioris nostri non habebat, per quæ illum constringere ad reddendam rationem valerem, & per beneficium vel per peculiare noluit sustinere distringi, excommunicaui illum à mea parrochia. Quod dicis, *oportet Episcopum omnibus benefacere, omnes recipere fideles*, verum est, & vtinam ita facias, sed aliter vicini & parrochiani tui de te dicunt, & tibi specialiter commissi aliter sentiunt. Cæterum de his, quæ tibi mandaui ex te me audisse, si alteri sic mandarem, scio quia gratias mihi inde referret, & tu si faceres quantum intelligo, si amaritudo animi tui tibi permitteret, & occasionem inuenire non velles, vt mihi de his quæ in quaterniunculis per venerabilem Archiepiscopum Vuenilonem à te missis compilasti. Iterum licet non ad rem pertinentia inculcando conscriberes, & me dicere prouocares, vnde in sermone capere posses quod euidenter ipse in præfato tuo scripto demonstras, quia commemoratis dictis Anacleti, Victoris, Calisti, & Eleutheri, qui ante Nicænum Concilium pro quorondam consolationibus (sicut dicit Gelasius) ad diuersos suas Epistolas direxerunt, subiungis. *Ecce Pater qui Canones recipiendi, venerandi, ac obseruandi habeantur*. Et quia Patrem me (vt pater) irrisione potius quam veneratione vocasti, dico tibi: *Et si Pater ego sum, vbi est honor meus?* Dicam tamen tibi: Fili pro arbitrio tuo vel proprie vel aliene, si isti sunt Canones recipiendi venerandi ac obseruandi, quos & Apostolica sedes & omnes Episcopi per vniuersum orbem à primæ sedis Apostolicæ Pontifice vsque ad illum, qui modo nouissime etiam post te est ordinatus Episcopus, immo & omnis Catholica Ecclesia, Canones appellant? Quique à Nicæno Concilio, quod primam in nostris codicibus, quos ab Apostolica sede maiores nostri acceperunt sequendos per ordinem vsque ad Africanum Concilium, pro canonibus recipiendis, venerandis, & obseruandis retinent: & Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, Hilarus, Symmachus, Gelasius, Ormisda, Gregorius, & cæteri quique obseruandos Canones nominant, inter quos, & istas Epistolas Apostolicæ sedis Pontificum, quas Canones appellas; Gelasius (vt supra posui) differentiam facit, & illa Concilia Canonum obseruanda decreuit; has autem Epistolas pro * *consolatione* quorundam directas, venerabiliter suscipiendas dicit. Et item in decretis suis inter alia dicit: *Nobis* (inquit) *opponunt Canones* (qui in Orientales Episcopi) *dum nesciunt quid loquantur, contra quos ipsi se venire produnt, qui primæ sedi sana recta que suadent parere refugiunt: ipsi sunt Canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri*. Quod manifestum est Sardicensibus Cano-

Psal. 5. Luc. 16. Mal. 1.

* Edit. Ro. consultatione. Gelas. in commonitorio ad Faustum Magistrum.

nibusillum dicere, de quibus & Innocennus ad Victoricium, & Gregorius ad * Vincentium hia consona dicunt, quæ iu hoc etiam legis opusculo. Et ibidem post aliqnanta: *Viderint ergo si alios habent Canones, quibus suas ineptias exequantur: Caterum isti qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, non solum sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt: Et Constantinopolitana Episcopus ciuitatis, qua vtique per Canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum non debuit submoueri?* Nam vt ipse demoustrat, Heracleotes suffraganea fuit. Hoc autem Gelasium dicere patet Nicænis Canonibus, qui priuilegia sedium constituerunt, sicut in sexto ipsorum capitulo aperte monstratur. Vnde Bonifacius: *Nulli* (inquit) *videtur incognita Synodi constitutio Nicana, qua ita pracipit (vt eadem propric verba ponamus) per vnamquamque Prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas, quod illis (quia aliter credendum non est) seruandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt.* Et paulo post: *Quod ideirco dicimus, vt aduertat charitas tua ade nos Canonum pracepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquaque Prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.* Et Leo ad Anastasium: *Secundum sanctorum Patrum Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos ius traditum sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus.* Et item Gelasius, vt supra ostendi, post descriptionem authenticarum scripturarum, & Nicænæ, Constantinopolitanæ, ac Ephesinæ, Chalcedonensis quoq; Synodi, addidit: *Et si qua sunt Concilia à sanctis Patribus instituta, post horum (quatuor) auctoritatem, & custodienda & recipienda decreuimus.* Ipsas autem Epistolas [vt prædixi, & sæpe dicere necessitas ipsa compellit] pro diuersorum Patrum consolatione diuersis temporibus datas, à sede Apostolica venerabiliter suscipiendas, sicut & facimus, dicit. Addam etiam: Si illa quæ de præfatorum Pontificum Apostolicæ sedis Epistolis dicis recipiendos venerandos Canones esse, qui quod vis sanctum dicis & licitum, & quod non vis nõ sanctum & illicitum, ac si in voluntate tua cuncta sint posita, & non sit qui tuæ possit resistere voluntati. Pãde nobis quæsumus, quid censeas de eorum decretis, qui post Nicænum Concilium, & alia Catholica Cõcilia obseruanda, decretalia constituta de eisdem sacris Canonibus promulgata sanxerunt, sicut Syricius; Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, Hilarus, Symmachus, Gelasius, Hormisda, Gregorius, & quique alij, quorum decreta Ecclesia Catholica, & Patres ac prædecessores nostri seruanda tenuerunt, & venerati sunt? Et quoniam in quibusdam à præfatis, quos appellas Canones, dissonant, magistrali censura decerne, quæ ex his sequi, & quæ refutari debeamus: quoniam nisi tu ferula singularis auctoritatis de nostra consuetudine ista reieceris, quæ sicut & Patres nostri, mentibus nostris tenenda & seruanda imbibimus, non videtur mihi vt facile ab Ecclesiastico vsu illa quæ tenemus generaliter valeas remouere, de quibus satis superque superius potes relegere, quæ si tibi non suffecerint, nec plura sufficient. Tantum de vna te superadiiciam: Videlicet quoniam qui dicis. *Ecce qui Canones recipiendi, venerandi, ac obseruandi habeantur*: non satis eosdem Canones perscrutatus es in quibus, sicut scripsisti, habetur: *vt quia accusare alium elegerit, prasens per se, & non per alium, accuset*, inscriptione videlicet præmissa. Quod quia ad munimen tui conuertere studuisti, legere debueras quia ipsa sententia de antiquis legibus Romanis fuit assumpta, in quibus legibus, in capituli interpretatione edicti Valentiniani de Episcopali iudicio, posteriore videlicet constitutione ita scriptum habetur: Lex ista de diuersis rebus multa constituit, sed in primis de Clericis, quod dictum est, vt nisi per compromissi vinculũ, iudicium Episcopale non adeant, posteriore lege Maioriani abrogatum est, quam constitutionem sicut perdit & obtinuit, ita ex tunc hactenus Ecclesia conseruauit. Sed & sicut in litteris meis legisti differentiam intelligere debueras inter admonitionem, & de accusatione iudicationem: & inter hoc qood dixi, si ita est, vt passim à multis & ẽt publice in publicis placitis diuolgatur, & hoc quod non dixi, quia ita est. Vnde à multis & ẽt publice [quod non licet] in publicis vel à publicis placitis accusaris. Et quod cõfuse dixisti te mirari si aliqui ex his placitis fecissẽt à vobis pro hoc petitionẽ negotio, ex verbis Calisti adiungens, *nullus doctor per scripta accusetur* nõ bene distinxisti, quia nec bene intellexisti ex legibus & Canonibus differentiam inter petitionem, & accusationem, reuolue bene leges, & decreta sedis Apostolicæ, & disce quæ nescis. Vnde iterum quasi vestigans, sequar te per angulosos anfractus, & dicam tibi ad notitiam pauca de pluribus, sed quibus te consequi valeam. Innocentius ad Maximũ, & Seuerum Episcopos scripsit: *Nuper Maximilianus filius noster agens in rebus cuiusmodi querelam detulerit, libelli eius series annexa declarat.* Et Gregorius Sabino Subdiacono: *Clerus Ecclesia Regitana multa contra reuerendissimum fratrem nostrum Bonifatium Episcopum suum, data nobis petitione conquestus est, petens vt ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus ca ipsa hic subtiliter probarentur. Sed quia nos interim pradictum fratrem nostrum huc modo non prauidimus deducendum, visum nobis est illic deputare causam eandem cognoscendam: & ideo mediis sacrosanctis Euangeliis, experientia tua, vna cum Paulino, Proculo, Palumbo, Venerio, atque Martiano reuerendissimis fratribus, Coepiscopisque nostris, sine cuiusquam persona respectu, tam clericorum querela, quam aduersus suum, sicut diximus, habet Episcopum; vel si quam forte contra eos ille habuerit, cum omni aquitate ac sollicitudine perscrutetur, & quicquid in veritate cognouerit, nobis vna cum pradictis nostris fratribus subtiliter diligenterque significet, vt renunciatione vestra redditi certiores, quid fieri debeat, decernamus.* Et ad prædictos Episcopos: *Clerus Ecclesia Regitana contra reuerendissimum fratrem nostrum Bonifacium Episcopum suum, data nobis petitione conquestus est*, & reliqua. Sed & de auditione, sine petitione, vel accusatione ad Sabinum, idem beatus Gregorius scripsit: *Peruenit ad nos* [inquiens] *reuerendissimum Palumbum fratrem & Coepiscopum nostrum, quod dici graue est, Ecclesia sua vel parrochiarum causas vtilitatesque negligere.* Et post aliquanta: *Ideoque experientia tua pradictum fratrem nostrum studeat commonere, vt res Ecclesia, vel parrochiarum suarum siue ministeria rationabiliter vindicet atque defendat*, & reliqua. De accusatione autem Episcopi, aut cuiuslibet ordinis Clerici, ex sacris Canonibus sufficienter supra potes relegere, veruntamen oportet te discrete intelligere quod de accusatione leges dicunt: *In criminalibus* (inquiunt) *causis, vel obiectionibus, per mandatum nullus accuset, nec si per rescriptum Principis hoc potuerit impetrare, sed ipse qui crimen intendit, prasens per se accuset*: vt scias quo sensu de accusatione hoc dicant. Et Canones dicunt: *Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatẽ Prouincia ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intẽditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudiciũ die statuta litteris euocatus minime occurrerit.* Manifestum est autem quia Episcopus accusatus, apud Primatem non esse præsens ostẽditur, qui litteris euocari præcipitur. Et Bonifacius de Maximo dicit: *Si adesse voluerit prasens, si confidit, ad obiecta respondeat*, scilicet præsẽti accusatori, *si adesse neglexerit, dilationem sententia de absentia non lucretur.* Accõmoda ergo sensum tuũ bene dictis, & non praue intelligi tradas bene dicta, ad tuum sensum illa inflectẽs: velis enim vel nolis, illi erunt Canones, quos Catholica Ecclesia Canones vocat, & non erunt illi Canones,

* Innocentiũ.

Conc. Carthag. 4. 19.

quos tua socordia ad effrenationis tuæ libertatem Cationes aduocas. Erunt autem epistolæ venerabiliter suscipiendæ à sede Apostolica pro diuersorũ Patrum consolatione datæ, quas Canones vocas: Et Concilia à sanctis Patribus instituta, ad auctoritatem erunt custodienda & recipienda, sicut decreuit Gelasius, & cæteri sedis Romanæ Pontifices, atque illi qui in eisdem Conciliis, suggerente sibimet sancto Spiritu, sacros Canones condiderunt, & quos sedes Apostolica, & Ecclesia Catholica Canones vocat: verba quoque obstrusa, & vndecumque per glosulas collecta, & sine ratione posita, quæ in hoc scripto tuo posuisti, sicut & in aliis Domno Regi, & mihi olim directis congessisti, sedarguunt te typho jactantiæ, cum dicat Apostolus: *Vocum nouitates deuita*: Et, *Malo quinque verba loqui in Ecclesia ad ædificationem, quam decem millia verborum in lingua.* Qui enim linguam, in qua natus es, non solum non loqui, verum nec intelligere, nisi per interpretem potes, cum suppeterent sufficienter verba latina, quæ in his locis ponere poteras, vbi Græca, & obstrusa, & interdum Scotica, & alia Barbara, vt tibi visum fuit, notata atque corrupta posuisti, paret quia non ex humilitate, vel ad manifestationem, ea quæ dicere voluisti, Græca verba, quæ ipse non intelligis, inconuenientissime posuisti, sed ad ostentationem illa insipientissime inseruisti, vt omnes, qui illa legerint, intelligere possint, te illa velle vomere, quæ non glutisti. Hunc tamque morem etiam à pueritia habuisti in his quæ te dictare rogabam, maxime autem in versibus, & præcipue in figuris Porphyrtacis, in quibus verba linguæ alienæ, atque obstrusa improprie, & vtilitate sensus carentia, quæ nec ipse intelligebas, studiose ponebas, quod mente percipiebam, & mihi admodum displicebat: sed cum viderem te per jactantiam amore laudis flagrare, & me non posse sentirem in ætatis adolescentia te ad tantum robur mentis accendere, vt addiscendi, ac versificandi studium te prouocarem, & jactantiæ à te prauitatem eraderem, ne acriori correptione fractus reuocareris ab studio, permisi te interim tantum, vt studio litterali incumberes, de scientia iactitare, donec in maturiori ætate ab illo etiam vitio possem compescere, secutus pro modulo meo Apostolum, qui cum infirmum auditorem suum perpenderet, aut praua adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gaudere, ait: *Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Interea, quia illud, quo hæc agere cogitabam, tempus ante tempus excessit, cum præceptione Apostoli iubentis vocum nouitates vitare, ab hac iactantia & ostentatione te doctorem & Episcopum cohibere debuerat: quoniam sancti, & sapientes, ac magnæ auctoritatis viri, & etiam vtriusque linguæ, Græcæ videlicet, & Latinæ periti, suis scriptis verba Græca, nisi ea quæ in scripturis vel Canonibus, sine legibus, sine interpretatione sunt posita, & velori Latina in vsu habita, verum & obstrusa suis dictis immittere ad ostentationem noluerunt: De Hebræa vero lingua Alleluya, & Osanna, atque Amen, propter auctoritatem primæ linguæ, & reuerentiam sensus sine interpretatione vsi fuerunt. Nos etiam moderni Glosarios Græcos, quos suarim lexicos vocari audiuimus, sed & sapientum scripta de nominibus obstrusis habemus, & adeo sensatuli sumus, vt nostras dictatiunculas eo vsque circomducere & producere possimus, quatenus verba Græca vel obstrusa de Glosariis adsumpta in admirationem vel stuporem nescientibus, seu scalpentes aures habentibus proferre possimus, cui vanitati obuiat scriptura, dicens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et timeo quia sicut agis de verbis, & Canonum ac legum sensibus, nouitates vocum, in eis delectando, requirens ad hoc vsque te perducat elatio cordis, & iactantia inflatæ ac inanis scientiæ, vt ita in scripturarum sensibus facias & aberres: quia, vt scriptura dicit, *Qui modica spernit, paulatim decidit.* Quoniam qui minora corrigere, ac deuitare negligit, ad maiora proruens, ab statu iustitiæ, non quidem repente, sed partibus, totus cadit. Attende igitur quod dicit Apostolus: *Si quis existimat se aliquid scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire.* Et, *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et, *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*: Beatus quoque in epistola sua dicit; Quoniam Domnæ Dominicæ, salutes mandans, ideo non rescripsit, quia cum esset Latina et Græce scribere voluit, paruipendens illi rescribere, quoniam à corde pensauit, quæ per sermonem in scripto suscepit. De eo quod petis à me te instrui, si Berticus de mea esset Prouincia, non autem ex propria parrochia qualiter ex eo acturus essem: illo inspirante qui cogitata nequitia sibi dicentium. *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum; dic nobis, si licet censum dare Cæsari, an non*: respondeo tibi; Interrogabo te & ego vnum sermonem: rescribe mihi per ordinem & ex integro, qualiter ego feci & dixi, & qualiter tu fecisti & dixisti in placito confinium parrochiarum nostrarum, te * *consulente*, condicto & de Amalberto parrochiano meo, qui in tua parrochia & mea Prouincia legaliter vxorem accepit & in parrochiam meam duxit, quem tu iuregulariter excommunicasti, & vxorem suam legaliter acceptam, quæ per mandatum tibi suggessit, quoniam idem vir eius cum ea non posset concubere, de parrochia mea apud Lauduuum ad tuum iudicium reduci rogasti: & ego dicam tibi qualiter facerem de Bertrico si de mea esset Prouincia, & non esset ex propria mea parrochia. De hoc quod dicis: *Sciendus est modus correctionis* (quin præfati Bertrici) *vtrum secretus, an publicus, vtrum à Christianorum consortio, aut à corpore & sanguine Domini fuerit segregatus*: quem publicæ deditum pœnitentiæ non audisti, & modum istius electionis de parrochia mea nosse conoeoit; Tibi respondeo, quia si tanto studio sacros Canones perscrutareris, vt moderata discretione te in subiectorum tibi actibus gereres, ne in sanctarum scripturarum auctoritatem, prædicationemque maiorum offenderes, & in ipsis tibi subiectis seruares quod scriptum est, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, & omnes greges tuos considera.* Et, *Perfode parietem, vide abominationes, quas isti faciunt hic.* Quanta intentione illa legis, vnde tua commenta compilare procuras, quatenus effrenis, & sine illius coërcitione viam voluntatum tuarum currere, & in affectum cordis transire præualeas, bene intelligere posses & modum, quo toleratus, & correctus, & diu expectatus fuit quem audire potuisti, sicut eum in pœnitentia publica positum dicis te non audisse, & scire cur hac conditione isdem Bertricus, qui non est de mea parrochia, neque de mea Prouincia, regulariter eum suis exire præcipitur. Et quoniam qua mente hoc interrogas me latere non potest, *paratus*, iuxta Petri vocem, *ad satisfactionem omni poscenti*, quantum Deus dederit *respondere de ea, quæ in me est, spe*, tibi ex hac quæstione respondeo, quia Pilatus veritatem quam ante oculos corporis, non autem ante oculos mentis habebat, *quid est veritas?* interrogauit, & audire non meruit, quia, vt dicit sanctus Gregorius. *Quam non inuenit humilem veritas fugit mentem*: Et, *Qui ficte quærunt, inuenire Dominum nunquam merentur*: Et, isdem. *Dei virtus, & Dei Sapientia, à cuius facie est sapientia & intellectus.* Et, *Qui docet hominem scientiam contra quem non est sapientia, non est prudentia, non est consilium; quique est via, veritas, & vita*: Via scilicet, conuersationis sanctæ, veritas doctrinæ diuinæ, vita beatitudinis sempiternæ: confitetur, id est, laudat Patrem, *Quia abscondit ea à sapientibus & prudentibus* de quibus scriptum est. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris & coram*

vobismetipsis prudentes: quæ reuelauit paruulis, id est, humilibus, quoniam, *Qui resistit superbis, humilibus dat gratiam*. Et, *valles*, id est humiles, *abundabunt frumento*, id est eloquii diuini pabulo. Hi ita de his qui non sunt de mea parrochia, sed neque de mea Prouincia. Cum autem me interrogaueris de tuis parrochianis, confido in clementissima gratia Dei dicentis *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*: Quoniam qui mihi dedit regimen disciplinæ, dabit & Spiritum sapientiæ, quo salutaria tibi valeam respondere. Deniq; de hoc quod mihi vbiueis, te scisse atque sensisse, *sæpius de te similia me audisse, ac falso audita pro veris recepisse atque tenuisse: & quia voluntarie audio verba mendacii, & detractoribus tuis aurem libenter accommodo*: non me ad iram commoueo: quia & capiti nostro plura & maiora mendaciter obiecta fuere, scilicet, quia *dæmonium haberet*: &, *Publicanorum atque peccatorum esset amicus*: Et multa alia, vnde & in his titulum mei Domini recognosco, & tanta ac talia mihi & facta, & dicta, & mandata habes, vt de his commoueri non possim, sed quod ad remediũ tibi adinuenisti remediabiliter dictum accipio, quia sicut Heliu præuius arrogantium, qui non meruit per beatum Iob, sicut cæteri amici eius, à sua stultitia hostiis expiari, de se dicit, *Venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit*: nisi se verbis euaporaret inflata aduersum me tua stomachatio, aut follem inflati ventris tui disrumperet aut aliud secundum antiquum Poetam, *vt displosa sonat quantum vesica sonaret*. *Factus sum insipiens, tu me coegisti*: Sed nec te cogente tibi taliter respõderem, nisi beatum Augustinũ Iuliano elato, ac dutæ mẽtis iuueni, & Exepiscopo respõdisse huiusmodi sensu, & partim eo ã verbis legissem, docente Paulo, & explanante Gregorio qualiter sit respondendum Galatarũ mentes habentibus. Verũtamen quia *sapientibus & insipientibus debitor sum*, præcipue omnib. consistentibus in Prouincia Rhemensi, cui⁹ sollicitudo meæ indignitati est à Deo cõmissa, & vnicu que secundum ordinem & personam, ac qualitatem suam, inter quos & tu annumeratis, væ mihi est, si non docendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, terrendo aliquando leniter, aliquando vero seuerius agendo, pro viribus & captu meo Euangelizauero tibi cum aliis quæ ad fidem rectam & bonos mores, atque ad bonas actiones pertinent. In sanctis scripturis, atque sacris Canonibus rectam habere intelligentiam, & continuam obseruantiam, & humilitatem atque obedientiam tibi prælatis, secundum sanctas scripturas, & eosdem sacros Canones dependendam, & tibi subditos necessariam sollicitudinem, & benignitatem, atque modestiam impendendam, & in his continuum laborem atque perseuerantiam: quia cum dicitur nobis qualibuscumque speculatoribus, *Quia sanguis nobis subditorum, si non annunciauerimus eis, de manibus nostris requiretur*, augetur metus. Quia si in subiectis suis, is qui Prælatus ad speculandum est, etiam de morte corporis quandoque morituri tam grauiter reus tenetur: quo reatu de morte animæ subiectorum constringitur, quæ potuisset semper viuere, si verba correptionis audisset? Sanguis ergo morientis de manibus speculatoris requiritur, quia peccatum subditi culpæ præpositi si tacuerit, reputatur. Et quia frequenter iuxta præceptionem Domini verbis & litteris secreto per me & cum aliis te corripui, sed correptionem meam, vt optaueram, prodesse tibi non vidi; de quibus reprehendi te audio, tacere tibi non audeo. Et quæ aduersum me rationi & auctoritati atque saluti tuæ contraria contraque alios tibi male non meritos quibus potes multionibus satagis, vnde apud homines inconueniens nomen Episcopo & periculum habes coram Domino, quæ nullo rancore, sed pio animi dolore commemoro, tibi tacere non debeo, cum Dominus dicat, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Et item, *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Non igitur nobis tacendum est ea quæ ad dicendum sunt necessaria, vel his à quibus honoramur, vel his à quibus contemnimur, cum Dominus vnicuique nostrum dicat, *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem & silicem dedi faciem tuam*: Vt nec subditorum humilitatem debeamus erubescere, nec superbiam formidare, sed nec honorãtes, nec contemnentes nos admonere debemus erubescere, cum veritas dicat, *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua*. Sed & quem in suis actibus infirmari, vel in contumacia permanere conspicimus, remissiores & clementiores nos illis vsque dum firmentur ac corrigantur, ostendere non debemus: Vnde scriptum est, *Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas*.

Infirmæ quippe animæ atque ad appetitum mundi deductæ, aliquando melius ex seueritate seruantur, vt obfirmata facie, id est, per seueritatis custodiam ab omni spe friuolæ remissionis obducta, inconstantem animam terreat, atque à delectatione vinorum districtionis vigore constringat; quod cum à doctore agitur, semper necesse est vt dulcedo & humilitas in corde teneatur, quatenus & multum amet, & nunquam contra eum, quem corrigit, per elationem superbiat, cui tamen amorem suum, & humilitatem pro vtilitate eius prodere recusat. Mihi ergo vili, & contempto, & tibi parces, si à contumacia cordis, & ab inconditis moribus, atque inconuenientibus actibus resipueris, tibi & mihi parcam quando ea quæ de te displicenda audiero aut corrigenda in te videro vel cognouero, non tacebo. Vt igitur ego non taceam, & libenter audias, atque obaudias, consideremus pariter quamliber à commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat, *Mundus sum à sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis*. Si enim non annuntiasset, mundus à sanguine eorum non esset; sed quibus omne consilium Deo annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit, in qua voce nos conuenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur qui Sacerdotes & prælati vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacẽtes videmus: & solertissime attendamus, quia non sufficit tantum si verbo sine bono exemplo prædicemus, quia cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Et, *Qui mandatum soluerit & docuerit, hic minimus vocabitur in regno cælorum; qui a. fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*: i. in Ecclesia iustorum. Igitur corrige hæc quæ egisti, & de cetero sollicite stude ne huiusmodi probra incurras, aut scripturas authenticas, aut ea, quæ Dominus per sanctos suos locutus est, corrumpendo, quia scriptum est; *Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniarisque mendax*; quod ita Catholici doctores exponunt; Ne corrumpas eloquia sanctarum scripturarũ, quod quidam Hæretici, ne his conuincerentur, fecisse noscuntur.

Cap. XLIV.

Vnde, frater, & quondam dulcissime fili, qui exigentibus peccatis de nido paterno velut implumis citius, quam necesse fuerat, euolasti, & antequam soliditate plumarum, i. humilitatis veste fieres protectus, quasi nudus his animositatum & secularium cupiditatum spinis ac vepribus, quibus laceraris, insedisti, sed si volueris sacris regulis, & religioni concordari, grana Dei sine difficultate ad cubile paternæ dulcedinis redire valebis, te ante teipsum repone, &, *Memento vnde excideris, & age pœnitentiã*: Quod si voluens, necessa

cesse est vt intelligas per qualia & quanta delinquas, qui apud te tumens nulli subesse voles & cunctis præesse non potes; & idcirco sacras regulas peruerse interpretādo, & quas praue interpretari non potes, quasi nō sint, in tuis collectionibus ex studio prætermittēdo conuellere satagis, quibusdā etiam de tuo quædam contra veritatem immittis, & dum inuictus esse desideras, exterius quæ non debes defendis, & interius verā dilectionē amittis, & te à compage fraternæ vnanimitatis præcidis, quod sine vlla dubitatione de illius magisterio tibi descendit, qui (vt scriptum est, *omne sublime videt, & est Rex super vniuersos filios superbiæ, factusque est vt nullum timeret. Qui que dixit; Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Et quia diuinæ ordinationis dispositionem seruare, & socialē vitam in cœlo tenere non voluit, Lucifer qui mane oriebatur, de cœlo cecidit, & verā beatitudinē perdens, miseriā sempiternā inuenit, sibi consentientes & obsequētes, atq; cōplices, de beatis miseros fecit, & adeo in miseriā suam excreuit, vt se recognoscere & humiliare non possit, quod vitiū primis parentibus nostris immisit, vt suā culpam delinquētes non dicerent, sed in aliū, videlicet in auctorem suæ conditionis, non auctorem iniquitatis, retorquere studerent, quo vitio adhuc nū minime laborat genus humanū, & tamen ac dolen quia ego & tu ab hoc vitio in totum alieni non sumus. Attende igitur tota mētis intentione verba beati Leonis, quibus dicit: *Sedis* (inquiens) *Apostolica moderatio hanc temperantiam seruat, vt seuerius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis, quā temperantiā ex diuino magisterio sedes Apostolica suscepit, & hāc omnibus sedibus imitandam proposuit, quoniam error confessus & correctus tā culpa caret, quia veniam habet; error vero conuictus nec sic correctus, & culpam habet & venia caret.* Et (vt Augustinus dicit: *Melius est in factis malis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio.* Et B. Ioannes in Apocalypsi voce diuina Angelo, id est, Episcopo Ephesi dicit, *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autē, venio tibi & mouebo candelabrū tuum de loco suo, nisi pœnitentiā egeris.* Et Angelo id est Episcopo Laodiciæ Ecclesiæ dicit, *Collyrio inunge oculos tuos si videas* Collyrio quippe oculos vt videam* inungimus, cū ad conspiciendā veri luminis claritatē intellectus nostri aciem medicamine operationis adiuuamus, sicq; in multam gratiam redire valebimus, si hæc & alia tibi salubria, & ministerio nostro competentia agere, & sequi volueris; quia, vt item beatus Leo dicit, *Dulcius munera gratiæ diuinæ proueniunt, quotiens nō sine magnis sudoribus adquiruntur, & minus videri bonū solet pax continuata per otium, quam reddita per labores: ipsa quoq; veritas & clarius renitescit & fortius retinetur, dū quæ prius fides docuerit, hæc postea examinatio confirmauerit.* Noli ergo diutius tanquam ciuili bello nostris cōtra nos erectis signis armisque pugnare, & seditiones à multis, & per multos, super multos compressas, rediuiuo contumaciæ furore in perniciem tuam, & Ecclesiæ Catholicæ commotionem reexcitare. Redi ad paternam charitatem humiliter, quam contempsisti contumaciter, *Fiat pax* (vt dicit B. Augustinus de Donatistis contra Ecclesiam se erigentibus) *in virtute Hierusalem*: Quæ virtus charitas est, cui sanctæ ciuitati dictum est, *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis* Et noli te extollere contra maternam metropolis tuæ generalem totius Prouinciæ sollicitudinem, & contra paternam nutritoris, & ordinatoris tui benignitatem, quam tibi cum cæteris sine aliquo detrimēto tantum vt te recognoscas & Metropolis priuilegiū & Metropolitani dilectio sine difficultate cupiunt exhibere. Sciunt n. & auctoritas metropolis, & metropolitanus illum vere esse magnum, qui totius ambitionis fuerit alienus, dicente Domino. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: Et quicumque voluerit inter vos primus esse erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et tamen (inquit Leo) *Hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis ad summa transire.* Tu autem [vt scriptum est] iam magister infantiū, & doctor insipientium factus, debes modulo tuum cognoscere, & tibi subditis, à quibus obedientiam exigis, humilitatē obedientiæ tibi prælatis dependendo insinuare; præsertim cum ordines & distinctiones Episcoporū sacri Canones, & decreta sedis Romanæ Pontificū, necnon & leges quas Ecclesia probat & seruat, sufficientissime ostendant, & infragabiliter conseruari decernant, quæ si quis præsumit conuellere, quid est aliud nisi seipsum ab vniuersali Ecclesia, quæ partim iam in cœlo cum Deo regnat, partim autē adhuc in terris peregrinatur, & ad patriā cœlestem suspirat, præcidere? Vnde, frater, maximo cordis dolore percussus cogor tibi dicere quod Moyse & Aaron rebelli & sibi populo resistenti dixerunt, *Nec contra nos est murmur vestrū, sed contra Dominum: Nos enim quid sumus?* Et licet me nihil esse cognoscā; scio tamen quia seruāda est mihi in corde humilitas. Et quando causa exigit, in regimine disciplina & miscenda est lenitas cū seueritate, faciendū quoddā ex vtroq; temperamentū, vt neq; multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluantur iura regiminis, quod iuxta Pauli vocem, bene illa tabernaculi Archa significat, in qua cū tabulis virga simul & manna est, quia cum sacræ scripturæ scientia in Rectoris pectore sic esse debet virga districtionis, vt sit etiā manna dulcedinis: & rursum, nō sit tanta dulcedo, ne hac dissolutione sui loci oblitus quis pereat: nam falsa pietate superatus, qui ferire Heli delinquentes filios noluit apud districtum iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Si autem mihi locus & possibilitas quocumque obstaculo intercludente ad id exequendum quod debeo, defuerit, ponam sartaginem inter me, & obsistentem mihi, murum ferreum, vt ædis munitione defendar, ne destitutus pro dissolutione condemner.

Iob 41. — Esa. 14. — Apoc. 2. & 3. — Matth. 20. — Exod. 16. — Heb. 9. — 1. Reg. 2.

Cap. XLV.

Tandem, frater & fili moneo te, reduc in memoriam, qui nunc es omnibus in prouerbio, & motione capitis atque in fabula & cantico tota die cum quanta quiete à tumultu cogitationum, quib. nunc in diuersa distenderis, degebas in primis diebus quando ad Episcopatum venisti, cum quanta benignitate à Domino Rege suscipiebaris, quanta dulcedine mea fruebatis, quanta vnanimitate cum fratribus & Coëpiscopis nostris vtebaris, cum quanto amore à Palatinis, & ab aliis huius terræ hominibus colebaris, cum quanta amoris reuerentia à tibi commissis, sed à nostris, à quibus, & cū quibus, & inter quos nutritus fuisti, venerabans, antequā immoderatus amor seculi tibi irreperet, & per quosdā surriperet & ad se te raperet, & cū te raptum habuit, fecit mundus sicut solet facere mundus immūdus, cūctos, quos accepit, decepit: cunctos, quib. arrisit, irrisit, &, sicut à plurimis dicitur, ad ea te spōte offerre. Tantum, vt hoc ego nescirem, nullo, nisi forte cupiditate, aut indebito timore cogente, quem non haberes, si Episcopaliter viueres, exequenda perduxit, quæ in tantum detestabaris, vt antea tibi collum abscinderetur, quam ad illa perduceteris agenda, quæ multi dicunt à te etiam iterata. Et sicut illa non seruasti vera, quæ totiens atque tantisper alligare curasti qui solebas dicere & rescribere, quia verba Sacerdotis aut vera sunt, aut sacrilega: ita sunt nihilominus falsa quæ diceris per plures disseminate, scilicet quia nihil aliud aduersum te habeo, nisi quoniam non vis consentire vt sedes Apostolica suam potestatem non habeat. A temetipso enim hæc dicis, & nō alij tibi dixerunt de me: nec didicisti à me, nec etiam vidisti in me, vel audisti ex me: sed tu auxiliator humanus illato

summam sedem nō petitus inde adiuuas, vnde à te se adiuuare non sentit. Iam per annorum millia etiam in paganismo orbis caput existens, nec ex quo Petrum Apostolorum Cepham (quin caput & Principem eui Dominus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, id est, super hanc firmam & solidam fidei confessionem, quam tu es confessus *ædificabo Ecclesiam meam*. Et, *Hæc, tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Et, *Si diligis me, pasce oues meas*, videlicet quæ sunt in vniuerso mūdo, quaquauersum se Catholica diffundit Ecclesia, licet per terrarum plagas dispersa, sub vno tamen pastore ac pastorum Principe Christo vnitate fidei in ouili vno conclusa) suscipere meruit. Prima sedes, & omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum mater atque magistra, antequam heri sero vel nudiustertius terra te germinaret, & vterus maternus in hanc lucem produceret, mansit & permanet. Nam non ego, sed tu illius potestati ac * priuilegio derogare videris, qui Dei ordinationi, quam per eam disposuit, vt nulli subesse valeas, resistere pro vt potes laboras, quamquam non vnde, nec sicut Canones sacri, quos ipsa veneratur, & seruat, præcipiunt, sed pro motibus incompositi animi tui vndecumque & *per andronas*, de hora in horam appellas, & illam semel, etiam & secundo ab ea litteris euocatus adire detrectas, cum ea, quæ voles, & pro quibus te illam fingis appellando adire, quolibet modo apud Dominum Regem obtines, pro certo sciens adhuc de causis regulari ordine non te compellari, pro quibus appellans in Synodo cum appellatione tua, illam, sicut ipsa per Canones præcipit, cures adire, licet absque rationabili necessitate, quantum ex te constat, litteras euocatoris tuæ obtinueris, vt ipsam primam & sanctam sedem adites, cæterum ipsa vnde & sicut audit rescribit * Crede mihi, frater ac fili, si qui sunt, qui te hortantur in hac pertinacia quam indebite & sine vlla necessitate assumpsisti, & in qua permanes pertinete, non pro tua salute, neque pro tuo honore hoc faciunt. Et non Episcopum non quemcumque sanum sapientem inuenies, cum ad certam rationem veneris, qui tibi consentiat ita intelligere debere sacras regulas, sicut eas interpretaris, & ab aliis vis intelligi, vt nulli debeas subdi, quod tibi pressius demonstrabo, si necessitate (quod absit) cogente me ad hoc sine mea voluntate compuleris. Accipe ergo salubre & honestum tibi oblatum consilium: Depone noxiam tibi animositatē, & illas nænias, quin potius tragædias, quæ vadis per tuas collectiones & subscriptiones interpretando, mihi ostende, & tempore congruo cum quibus & cum quantis volueris de fratribus & Coëpiscopis nostris, sed & de communibus nostris fidelibus familiariter illas legamus, & inueniamus inde consilium, qualiter & sine tuo periculo, & sine opprobrio sopiantur, quia illa tua subscriptio, diuinæ auctoritatis quæ per beatum Leonem dicit: *Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri*, est contradictio: Et si in plurimorum sapientum notitiam perlata fuerit, tua derisio. *Incipient* (inquit Dominus) *omnes illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit, ædificare & non potuit consummare*. Quia n. nihil fit, nisi quod aut Dominus voluntate facit, aut fieri contra voluntatem suam interdum iuste permittit: Et miro modo fit, vt & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia eius consilio militant, etiam quæ eius consilio repugnant: si quædam aliquando peruerse à peruersis, obtinentur, vel euindicantur, aut ad eorum dānationem, aut ad electorum purgationem, aut ad virúque fieri Dominus iuste permittit, & in suo tempore eos irridebit, quia sicut item scriptum est: *Illusores ipse deludet*, propter quod Psalmista Spiritu sancto repletus, vnumquemque fidelem admonet, dicens: *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias: quoniam qui malignantur exterminabuntur. Et vidi impium super exaltatum, & eleuatum super cedros Libani: Transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

Cap. XLVI.

Quæ ideirco dico, quia sicut à pluribus audio, per vanitatem te iactitas, quoniam quæcumque incœpisti, aut contra Regem, aut contra me, aut contra quoscumque tuorum, siue clericos, siue laicos, qui contra tuam voluntatem fecerunt, vel contra vicinos tuos, qui se contra te erexerūt, totum ex parte maxima semper euicisti, &, quod adhuc restat, euinces. Vnde tunc potes in Domino te gloriari victorem, si per rectitudinem vincis errorem: si autem de errore errorem, aut vincis rectitudinem per errorem, non te potes gloriari victorem, sed debes flere miserabiliter te victum errore, & si ita non sapis, insipide desipis: quia vnde tristari & flere debueras, inde iactaris. grauiore n. sunt vindicta plectendi, qui gaudent etiam in delictis, & *lætantur cum male fecerint; & exultant in rebus pessimis*. Et quidam sapiens dicit; *Qui semper vincit, non semper bene vincit*. Quando n. nobis diabolus vincendi libidinem suggerit, debemus recordari sententiæ beati Gregorii in capitulo X. huius opusculi supra positæ, qua dicit *sæpe se vidisse, quod cum se ad ferendum grauiter Rinoceros, id est, temporali potestate fultus, accederet, & quasi eleuato cornu subiectis intentaret damnationem, sæcuntes fronti signo crucis impresso omne in se incendium extinxisset, & minas deposuisset*. Et si homini sæc[ulari] potestate prædito sic vtique est agendū, quid nos [mi]seri Sacerdotes in iudicio Dei dicemus, qui loco S[acer]dotali deuincti, non nostras vllo modo, sed diuinas iurias cum misericordia & discretione in alios, & cum seueritate in nosmetipsos vindicare debemus, si ad vindicationem parati semper existimus? quib. dici[tur]: *Benefacite his qui oderunt vos: nō reddentes malū pro ma[lo]*. Scriptum est enim: *Mihi vindictam, & ego retribuam, [dicit] Dominus: sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum, [si sitit] potum da illi*. Et Salomon dicit: *Melior est patiens [viro for]ti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbiū*. Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extra [sunt] quæ vincuntur, maius autem est quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus separatur, & semet sibimetipsi subiicit, quando eum patientia in humilitate tolerātiæ substernit: *Qui* (inquit Apostolus) *[su]nt Christi, carnē suam crucifixerunt cum vitiis & concup[iscent]iis*, vt non solū à prauo opere, sed etiā à concupi[scenti]a praui operis crucifixi non sequamur deliberatione, [im]me autem opere, quod praue à nobis concupiscitur vel in mente suggeritur, Domini incessanter petentes clementiam, vt qui nos iussit vigilare & orare, *vt non intremus in tentationem*, sua nos gratia protegat, ne inducamur in tentationem: Et si vt homines labimur, [ci]tius ad pœnitentiam redeamus, *vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis eius*. cui videlicet peccato, si tollere non possumus, vt non sit in nobis, tollamus tamē per Dei adiutorium illi regnum, ne dominetur nostri: Maxima quippe infelicitas est hominis in malo suo prosperari fœliciter: Scriptum est enim: *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter*. Non n. omne quod fœliciter, bene: nec omne quod bene, fœliciter. Fœliciter n. semper incedere filio perditionis est propriū. *Grandis namque offensa est* (vt Hieronymus dicit) *postquam peccauerit, iram Dei non mereri*. Et sanctus Gregorius; *Nec[esse] est vt peccantes quosque tunc consideremus amplius [time]re, quādo eos cōspicimus in culpa sua sine flagell[is] dereli[nqui]*. etenim per Salomonē dicitur: *Auer[sio] paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorū perdet i[llos]*. Qui [quanto à] Deo auertitur & prosperatur, tāto perditioni [est] proximus,

quanto zelo disciplinæ inoenitur alienus, quo contra Psalmista de Moyse, & Aaron & Samuele dicit: *Quia innocubant Dominum, & ipse exaudiebat illos, in columna nubis loquebatur ad eos: Custodiebant testimonia eius, & preceptum quod dedit illis.* Et more Prophetico conuersus mox ad Dominũ dicit: *Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Propitiatio quippe Dei, est delinquentẽ corripere: *cum iudicamur* [inquit] *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Et, *Qui in bonis ducunt dies suos* (vt scriptum est) *in puncto ad inferna descendunt.* Hinc o. Psalmista de Domino dicit: *Immissiones per Angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ.* Cor quippe Dominus prioribus meritis adgrauatum iuste permittit etiam subsequentib. malignorum spirituum persuasionib. falli, quod cum digne in culpã trahitur, reatus eius io pœna cumulatur: vnde & iræ suæ Domino viam facere, est in eos, qui punire in se causas recte noluerunt, districte iudicando ditare, vt qui illuminati agere recta noluerunt, iuste cæcati adhuc faciãt vnde amplius punire mereantur, de quibus dicit Apostolus: *Vt impleant peccata sua semper.* Et hinc voce Angeli ad Ioannem dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordib. est, sordescat adhuc.* Et hinc Dauid dicit: *Appone iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.* Et hinc per Moysen dicitur: *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum.* Hinc per eundem Dominus dicit: *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? In die vltionis reddam eis.* Et quia eorum mala narrauit, illico adiunxit: *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum.* Ecce atrocissima peccata illorum describuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent iamquidem vnde feriri mereãtur, sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, vt peccãtes possit atrior culpa cruciare. Iam meretur suppliciũ peccatum & causa peccati, sed expectatur adhuc, vt augmentum supplicii subroget peccatum & pœna peccati. *Peccatum* (inquit Gregorius) *quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum est & pœna peccati, aut peccatũ simul causa & pœna peccati. Omne enim quod primo cõmittimus, peccatũ est: sed si citius pænitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mẽtem etiam in culpam alteram permittit cadere, vt qui a fiendo & corrigendo noluit mundari quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatũ simul est & causa peccati, quia ex illo oritur vnde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur peccatum simul est & pœna peccati, quia excrescente cæcitate ex retributione prosem culpa generatur, vt quasi iam quædam sint in peccatoro supplicia ipsa incrementa vitiorum.* Peccatũ quippe tibi fuit insolentiæ contumacia, cum sine causa, si tamen sine causa, contra Dominum Regem te irrationabiliter erexisti; à quo peccato quia per humilitatis debitam & rationabilem satisfactionem noluisti resipiscere, exegisti vt ageret & agi præciperet in te, vnde amplius furore exagitatus te contra illum commoueres, qua commotione deuictus in peccatum subsequens incidisti, vt perniciosas excommunicationum maledictiones in eos etiam, qui erga te non inde peccauerunt, exereres, quasi non in te, sed in illum ipsa pericula, quæ de eisdem maledictionibus imminebãt, redundarent. Qui te, ad hoc prouocauit vt taliter innoxiis malediceres? cum de his qui non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ maledicunt, dicat Apostolus: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Et hoc peccatum extitit pœna præcedentis contumaciæ insolentis peccati, & causa adhuc subsequentis peccati: quia cum voluisti ostentare nihil te contra rationem in ipsa excommunicatione parœchiæ tuæ fecisse, & verecundiam irrationabilis facti à te depellere, & non esse ita te subditum Metropolitanæ prælationi, vt non libere quicquid velles in parrœchia tua sine meo consultu agere posses, meque præuaricatorem canonum esse, quia quod ligasti in parrœchia tua, præsumpsi absoluere, & non esse soluta quæ solui, quin potius sedes Apostolica, & omnes illi per quos Deus sacros Canones suo spiritu condidit ac per hoc ipse Deus (si recte intellexisses) absoluit, nisi contra, ea quæ tibi & parœchiæ tuæ scripsi, tecum sentirent, atque in præfato sensu subscriberent. In hanc vesaniam ex retributione iustitiæ corruisti, vt sicut de auersore principe scriptum est: *Qui peccauit, & peccare fecit Israel:* contra Euangelicam veritatem & Apostolicam auctoritatem & sacrorum Canonum constitutionem, de quibus promulgata sunt illa scripta quæ per me in vnum collecta, & tibi ac parrœchiæ tuæ constant esse directa, & ipse subscriberes & alios subscribere faceres, reclamãtibus aduersum te sacris regulis inconsulto priore tuo nihil noui facere præsumas: *Quoniam quæ ad generalẽ obseruantiam omnium Domini pertinent sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri.* Sed quia nerui testiculorum Behemot perplexi sunt, cum his te explicare nisisti, te durius & multiplicius nexuisti, & super dolorem vulnerum tuorum ipse superaddens, alios solutos tecum connexuisti, insuper & contra sacros Canones, & decreta sedis Rom. Pontificum commenta ad hoc collegisti, quatenos te vt Onagrum liberum à sede Metropolitana monstrares, & me vt præuaricatorem Canonum eisdem commentationum tuarum vinculis astrictum insolubiliter demonstrares, & adhuc etiam sicut de malo in peius, ita de peiore in pessimum profecisti, vt non solum tibi commissis clericis, sed & Episcopis illa figmẽta compilata, & Regi danda ostenderes, & mihi dari faceres, vt per illa me concrederem, & adeo me tibi subiugarem, vt (sicut mandasti) verba Euangelica & Apostolica atque Canonica, quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ direxeram, igne cremarem, & me non solum à gradu, verum & à Christianitate exuerem, & potum mortis mihi à te propinatum bibens, etiam homicida mei velut Iudas pœnitendo existerem, & in hoc etiam grauius à Iuda differrem, vt de bono facto me pœniteret. Hoc namque poculum quod confecisti ex nominibus sanctorum Apostolicæ sedis Pontificum, quasi ad ora melle oblitum, & indiscrete commixtum, de quo tibi commissos clericos potionasti, & quod quibusdam Episcopis obtulisti, & Sathanas primis parentibus nostris in paradiso obtulit, quando pomum bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile ostendit, eisque dixit: *Quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum:* Et quibus promisit diuinitatem, tulit immortalitatem, Et pollicens liberam & nulli subiectam deitatis æqualitatem, captiuitatis eis intulit miseram seruitutẽ, quos sibi complices fecerat ad iniquitatem. Et tu clericis tuis, *qui* (inquis) *mihi eodem Deo auctore commissi sunt, & in his similiter sentiunt, solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, hæc mecum pace potiantur:* Ac si patenter addendo diceres, *Et in transgressionem sanctarum regularum per sanctum vere Spiritum prolatarum gradiãtur.* Et mox subsequendo, *Si* (inquiens) *aliqui secus volentes fieri sociis huius disciplina, nec habeantur participes communionis nostræ:* Quod non est aliud dicere, nisi permaneant io Catholicæ Ecclesiæ communione, & si forte non verbis, rebus tamen quibusdam Episcopis persuadendo, *Hanc* (inquiens) *tenete & mecum eiusdẽ cæte compilationem, & nulli nisi Romano Pontifici debebitis subiectionem, & dissipabitis mecum Dei ordinationem in communis Episcopalis ordinis discretam sedibus dignitatẽ.* Sed concedamus hæc dicere & agere posse aliquẽ arrogantẽ atque iactantem, illa vero diuinare non valeo, quomodo in mentem tuam venire potuit, vt regi illã compilationem versibus inuectis, scilicet adulatoriis sensibus prælitam velles ostendere, quem latere non

posse sciebas ad quid illam voluisti colligere: sed & mihi quomodo potuisti mandare, vt non solum ea quæ ædificaui destruerem, verum sic metropolitanæ sedis priuilegium & meipsum tibi subijcerem, & Euãgelia, atque Apostolos, & Prophetas, & Canunes incendendo negarem, vt sicut Ethnicus & Publicanus omnibus fierem, cum licet infirmus & fragilis vna cum sancta Ecclesia frequentissime cantem, *Esse virum sanctum, qui pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem*: Et hinc anxie mihi hæsitanti occurrit Paulus de huiusmodi dicens: *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* De quibus & Dominus ad Ezechielem Prophetam dicit, *Patres* [inquiens] *eorum præuaricati sunt pactum meum vsque ad diem hanc, & filii dura ceruice & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.* Sed prius nobis ex verbis B. Gregorij dicendum est quid sit pactum, *In pacto* (inquit) *discordantium partium voluntas impletur, vt ad votum suum quæque perueniat, & iurgia desiderato fine concludat. Quod pactum inter Deum & homines præuaricatum Deus queritur, Et ecce est vna culpa superbiæ, quia præuaricati sunt pactum. Ecce altera obstinationis, quia vsque ad diem hanc. Ecce culpa grauis impudentiæ, quia dura facie quoniam mala quæ faciunt, iam nec erubescunt, & numquam vel post culpas ad pœnitentiam redeunt, quia indomabili corde sunt. Cum vero tanta prauitatis, tantæque obstinationis sint hi, ad quos Propheta mittitur, quis iam non videat quia persona Prophetæ à tam peruersis hominib. despici valeat? Sed ecce auctoritas personæ tribuitur, cũ subditur. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus, si forte vel ipsi audiãt, & si forte quiescant: quia domus exasperans est. Et tu, fili hominis, ne timeas eos, neq; sermones eorũ metuas, quia domus exasperans est. Stultum enim valde est, si illis placere quærimus, quos nõ placere Domini scimus. Debemus autem habere in metu & reuerẽtia iudicia iustorũ, quia membra omnipotentis Dei sunt & hoc ipsi in terra reprehẽdunt, quod Dominus redarguit è cælo. Nam peruersorum derogatio, vita nostra approbatio est, quia tã ostenditur nos aliquid iustitiæ habere, si illis displicere incipimus qui non placent Deo. Ideo boni timendi sunt ne offendantur, ne fortasse per eos ille prouocetur ad iracundiam, qui eorũ corda semper inhabitat, propter quod etiam subditur: Tu autem fili hominis audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est. Nisi enim ad loquendum verba cum mittebatur, obediret, Omnipotentem Dominum sicut auditores de peruerso opere, sic Propheta, id est prædicator de suo silentio Deum exasperasset.*

[Rom. 1.]

[Ezech. 2]

[Hom. 9. in Ezech.]

Cap. XLVII.

Vnde mihi, ad cuius sollicitudinem pertinere dinosceris, non est tibi tacendum: & quia ego monendo, & tu resistendo luctari cœpimus, & puto in hac præsenti luctatione non ante sextam, aut septimam, vel vsque ad decimam volutionem patieris succumbere; nempe [vt timeo] etiam cum ratione, veritate, atque auctoritate, ac nube testium; action duello Daretis & Entelli iustissime victus, & iudicum iustorum clamoribus percitus, iam subtus iacens, victum te dicere nou dignaberis, & quæ ad tuam instructionem & correptionem tibi scripta sunt, nou ad ædificationem suscipies, sed ad contentionem exaggerare studebis, & more tuo sueto vt inuictus sis, secutus Heliu præcursorem arrogantium, & in arrogantia sua inuictissimum, qui dixit, *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei; loquar & respirabo paululum, aperiam labia mea & respondebo*: Te intra te cohibere nou poteris, quin scientiam tuam sine ratione & auctoritate in auras incondite, vt soles, non proferas, & vt me ad rescribendum compellere possis, quatenus horas vtilitati & necessitati impendendas inutilitati & superfluitati expẽdã, friuola & inutilia, atq; ratione carẽtia rescribere decertabis, & illa quæ iã à me tibi scripta sunt, sed & tuas ineptias ad Episcoporũ & sapientum examen me producere ad meum pro te dolorem & ad tuam perniciẽ exiges, & veniet super te [sicut vereor] illa sententia quæ scripta est, *Necesse est vt veniant scandala, væ autẽ homini illi per quẽ scandalũ venit.* Et sicut me & eos qui mecũ te nutrierunt, deinde alios atq; alios, sed & plures de his, qui tibi commissi fuerunt, verũ & de his, qui à te in fœdus familiaritatemq; suscepti fuerunt, viritim dereliquisti, & vicissim alios atque alios tibi in amicitiam & familiaritatem recepisti, cum delegeris potius eorum, qui se per diuersa iactantes ab vnitate Catholicæ fraternitatis præciderunt, vel propter irreuocabilem suam pertinaciam præcidi exegerunt, vt nostris temporibus Gotescalcus, atque Guntarius, exitiabilem pertinaciam sequi, quam Ecclesiasticam mansuetudinem & piam paternitatem. Contingat tibi (quod absit) cũ eis habere partẽ quorum studueris imitari peruersam intẽtionẽ, & idcirco si (quod non opto, sed timeo) in hac demẽtia, sicut cœpisti, volueris perseuerare, ne amplius contra verbosum stude á contendere verbis, sed ista aut ad correctionem, aut per aliorum iudicium ad tuam reuictionem sufficere valeant, & mihi de auulsione dextri oculi vel dextræ manus abscissione dolor continuus & perpetuus mœror accidat, sicut ex verbis beati Gregorij tria ibi proposui, *Peccatum*, scilicet, *& causam peccati, ac pœnam peccati.* Quæ etiam si negare velis, admisisse conuinceris, tibi alia tria ex verbis beati Augustini proponam, vt (sicut scriptum est) *Videas, & scias, recogites, & intelligas pariter.* Primum quidem prouectum auaritiæ, vnde Apostolus, *& auaritia quæ est idolorũ seruitus. Auaritia enim*, vt demonstrat Gregorius, *non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis.* Recte quippe auaritia dicitur, cum super modum sublimitas ambitur, quod incidisse videris, qui contra decretum à Deo ordinatum, ne subditus secũdũ regulas tuo metropolitano fias (vt supra ostẽdi) rebellare conaris, in quo si perseuerare delegeris, quantum delinquas cum tantis auctoritatibus reuincaris, ex eiusdem beati Augustini verbis, quæ de sancti Cypriani dictis de prompsit; tibi ostendere necessarium duxi: Ait n. sanctus Cyprianus, *Post inspirationem* (inquiens) *& reuelationem factam qui in eo quod errauerat, perseuerat prudens & sciens, sine venia ignorãtiæ peccat: præsumptione atque obstinatione quadam nititur cum ratione superetur.* Hinc Augustinus, *Hoc verissimum est, longe grauius esse peccatum eius, qui sciens, quam eius, qui nesciens peccauerit: Et ideo vir sanctus Cyprianus non solum doctus, sed etiam docilis, quod in laude Episcopi, quem designat Apostolus, sic ipse intellexit, vt diceret etiam, hoc in Episcopo esse diligendum, non solum vt scienter doceat, sed etiam patienter discat. Non dubito quod si istam quæstionem in Ecclesia diu multumque versantem cum viris sanctissimis doctissimisque tractaret, per quos postea factum est, vt antiqua illa consuetudo etiam plenario Concilio firmaretur, sine dubitatione demonstraret non solum quam deuotus esset in his quæ firmissima veritate perceperat, verum etiam quam docibilis in his quæ minus aduerterat. Et tamen cum manifestissimum sit multo grauius peccare scientem quam nescientem, vellem mihi aliquis diceret; Si quis in hæresim inruerat, nesciens quantum malum sit, & alius ab auaritia non recedat, sciens quantum malum sit, quis eorũ sit peior? possũ etiam ita proponere si alius nesciens in hæresim incurrat, & sciens alius ab idololatria non recedat, quia & Apostolus dicit; Auaritia quæ est idolorum seruitus: Et ipse Cyprianus eandem sententiam non aliter intellexit, sicut dixit ad Antonianum scribens, vbi ait; Nec sibi in hoc noui blandiantur, quod se dicant Idolatris non communicare, quando sint apud illos & adulteri & fraudatores, qui teneantur Idololatriæ crimine. Hoc enim scito te intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator quod est Idololatria, nõ habet hæreditatẽ in regno Christi & Dei. Et iterũ, Mortificate itaq; mẽbra vestra quæ sunt super terrã, forni-*

[Job 32.]

[Matth. 18.]

[Coloss.]

[Ephes.]

[Coloss.]

cationē, immūditiā, & cōcupiscentiam malā, & auaritiā, quæ est idolorū seruitus. Quæro ergo, quis peccet grauius, qui nesciēs, in hæresim incurrerit, an qui sciēs ab auaritia, i. ab idololatria non recesserit? Secundū quidem illā regulam, qua peccata scientiū peccatis ignorantiæ præponuntur, auar° cū scientia vincit in scelere hæreticū nesciente; Sed ne forte hoc faciat in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in auaritia sciētis animi admissio; Hæreticum nesciēs auaro scienti coæquetur. Exustionē quoq; diuinorū eloquiorū quod mihi persuadere, si posses, obtentu apud te obtinendæ pacis, conatus fuisti, sicut clericos parrochiæ tuæ eodē obtentu per integularē subscriptionē tecū connexuisti. Legimus quippe esse os cordis, sicut & os corporis: de ore n. cordis scriptū est, *Labia dolosa in corde & corde locuti sūt.* Et iuxta Euangelicā veritatē, *De corde exeūt cogitationes malæ; homicidia, periuria, falsa testimonia*, & reliqua, quæ ex ore cordis ad aliorum procedunt notitiam per os corporis. Et legimus deliberationem voluntatis esse perfectionē operis dicēte Domino, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Et ad discipulos suos, *Posui*, (inquit) *vos, vt eatis & fructum afferatis. Eatis* [inquit Gregorius] *volendo, fructum afferatis operando. Eatis enim volendo, dixi, quia velle aliquid facere iam mente ire est.* Et tu adeo ex deliberatione voluntatis peruenisti ad operationem sermonis, vt mortiferum ad bibēdum mihi propinares, scilicet, vt eloquia sacra gratia tui incenderem, nisi mihi ille adesset qui in se credentibus repromisit dicens, *Si m̄ rtiferum quid biberint, non eis nocebit. Dum pestiferas* (inquit beatus Gregorius) *suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauā minime pertrahūtur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit:* Et licet me Deus hinc gratia sua seruauerit, tu tamen, nisi pœnituetis, studii tui lues iudiciū: *Tardius* (inquit beatus Gregorius) *peccatum soluitur, quod & per consiliū solidatur: nisi n. mēs omnimodo æterna despiceret in culpa ex iudicio non periret.* Hinc est quod per Prophetā Dominus non tam præcipitationū praua, quā delictorū studia reprehendit dicens, *Ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & nō sit qui extinguat propter malitiā studiorum vestrorum:* Hinc iterū iratus dicit, *Visitabo super vos iuxta fructū studiorum vestrorum.* Quoniā igitur peccatis aliis differūt peccata quæ per consilium perpetrantur, non tam praua facta Dominus, quā studia prauitatis insequitur; In factis n. sæpe infirmitate, sæpe negligētia; in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Hinc ergo colligāt qui in culpa se etiā per cōsilium ligant, quandocumq; vltione feriendi sunt, qui nunc prauorum non socii, sed principes fiunt. Schisma nihilominus quo te à tibi cōmissis separatum monstrasti, nisi tecū subscriberēr, quos tecum subscribentes à nobis, qui ea, quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ de Euangelica veritate, & Apostolica auctoritate, atque Canonica institutione direxi, seruamus, immo ab Ecclesia Catholica, quæ illa seruat, & inrefragabiliter omnes seruare docet, vt quoniam me ex merito meo despicis, ex beati Augustini verbis de scripturæ sacræ auctoritate docentis agnoscas, quam graue peccatum sit Idololatria, quod ex ambitu altitudinis admisisse videris, & quia grauius est incensio diuinorum eloquiorum, ad quod me, quantum ex te fuit, tradnxisti: & quoniam grauissimum sit peccatum schisma, quo te à fraterna nostra vnanimitate per tuam perniciosam subscriptionem separasti, si in eo [quod absit] permanere delegeris, & si forte his subscripsisti quæ Euangelicæ veritati & Apostolicæ auctoritati contraria, & decretis sanctorum Conciliorum, quæ vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, & Apostolicæ sedis confirmauit auctoritas, inueniuntur aduersa. Ait enim idem B. Aug. loquens ad Donatistas, immo contra Donatistas schismaticos, per catnis præsentiam, sicut tibi nunc loqui creditur, per litterarum suarum doctrinam, &, quæ mori nunquam potuit, charitatem, velut ipse de Cypriano dicit, *Præsens est* [inquiens] *non solum per litteras suas, sed etiam per ipsam, quæ in illo maxime viguit & mori numquam potuit, charitatem.* Quique te cum præfatis alloquens, *Quare* (inqūit) *vos non dico ab innocentibus, quod probatur; sed ab ipsis, quod non probatur, traditoribus separastis? An, vt dicere cœperam, grauiora sunt crimina traditorum, quam schismaticorum? Non afferamus stateras dolosas vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue, hoc leue est, sed afferamus diuinam stateram de scripturis sanctis tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, immo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Tempore illoque Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & Propheticus liber iræ Regis contemptoris incensus & schisma attemptatum, Idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captiuitate, schisma hiatu terræ sepultis auctoribus viuis, & cæteris cœlesti igne consumptis, quis iam dubitauerit hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius vindicatū?* De eo quod in tua subscriptione misisti, vt tecū subscribētes, *Solliciti seruare vnitatem Sp. in vinculo pacis, hac tecum pace potiantur*, in eodem libro dicit ad Donatistas, *Quare non communicatis Ecclesiis, quibus Epistolas Apostolicas missas tenetis & legitis, & secundum ipsas vos viuere dicitis?* Et post pauca, quæ studio breuitatis prætereo, & lector ibidem ex ordine poterit inuenire. *Hos* [inquit] *omnes Catholica vnitas materno sinu complectitur inuicem onera sua portantes, & studentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum si quid aliter sapiebant, Dominus reuelaret.* De hoc autem quod quasi ex verbis Leonis subiunxisti, *Si aliqui secus nolentes fieri socii huius disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ*: Conferantur verba tua cum verbis Leonis in capitulo vbi hæc dicit, & iunctim legantur, sicut ibi habentur, *Hoc itaque admonitio nostra denūciat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.* Ne quid vero sit quod permissum à nobis forte credatur, *Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii quā omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari*: Hæc est integritas capituli beati Leonis. Intueamur ergo si disciplina discenda tuis à te proposita, disciplinæ, quā sequendam Leo docuit, æqua forte conueniat? Aut si tua doctrina ab illius doctrina discordet? Et iudicet cœlum ac terra quæ potius sit sequenda tua disciplina, an Leonis doctrina. Et cum idem Leo dicat, *Nec communionis nostræ esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ*, discērnendum est, cuius communionem, illius cum vniuersali Ecclesia, an tuam oppidani Episcopi cum tuis complicibus debeat Catholicus quisque eligere, præsertim cum idem Leo dicat, *Si quis in decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum suorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis commiserit; veniam sibi deinceps nouerit denegari*: In quæ decretalia constituta te manifestum est commisisse, sicut & in scriptis semel & secūdo à me tibi directis ostēditur & ecce iam in tertio hoc scripto supra monstratur, à quorū disciplina, immo à Catholica Ecclesia, cuius extitere rectores, hac subscriptione tua te separasti, si (vt prædictum est, & semper dicendum est) à te subscripta eisdem constitutis esse inueniuntur aduersa. Quapropter adhuc etiam tria tibi ex verbis B. August. Catholicæ Ecclesiæ doctoris eximii proponenda proposui, præponens his tribus beati Cypriani sententiam à beato

Marginal notes: Psal. 11. — Matth. 15. — Matth. 5 — Ioan. 15. — Marc. 16 — Ierem. 4. — Ierem. 21. — Lib. 5. de bapt. c. 7 — Lib. 2. de bapt. c. 6 — Exod. 32 — Hier. 36 — Num. 16 — Lib. 2. de bapt. ca. 6. — Ephes. 4 — Ep. 1. c. 5

Augustino fauorabiliter conlaudatam & ab omnibus Catholicis ac pie viuentibus acceptandam. *Seruatur* (inquit beatus Cyprianus) *à nobis patienter & leniter charitas animi, honor collegii, vinculũ fidei, concordia sacerdotii. Hæc* [inquit Augustinus] *verba Cypriani sunt. An forte inuidia & maliuola dissensio paruum malum est? quomodo ergo isti erant in vnitate, qui non erant in pace? Vox enim non mea, aut alicuius hominis, sed ipsius Domini, nec per homines, sed per Angelos sonuit Christo nato: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Quod vtique nato in terris Christo non sonaret ore Angelico, nisi Deus hoc vellet intelligi, eos esse in vnitate corporis Christi, qui sunt in pace Christi: eos autem esse in pace Christi, qui sunt bonæ voluntatis. Porro sicut in beneuolentia bona voluntas, sic in maliuolentia mala voluntas est? Iam vero ipsa inuidia, quæ non potest esse nisi maliuola, quantũ malum est? Non quæramus alios testes, sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de zelo & liuore Dominus veracissima intonuit, & salubria præcepit. Legamus ergo Epistolam Cypriani de zelo & liuore, & videamus quantũ malum sit inuidere melioribus, cuius mali originem ab ipso diabolo extitisse memorabiliter docet: Zelare* (inquit) *quod bonũ videas: & inuidere melioribus, leue apud quosdã & modicũ crimen videtur, fratres dilectissimi. Deinde paulo post, cum eius mali caput atque originem quæreret: Hinc diabolus* (inquit) *inter initia statim mundi & periit primus & perdidit. Et paulo post: Quale malum est* [inquit] *fratres, quo Angelus cecidit? quo circumueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit? quo deceptus est ipse qui decepit, exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est: Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte eius.*

Ep. 73. ad Iubaianum in fine. Lib. 4. de bapt. cap. 7. Luc. 2. Sap. 2.

Hæc idcirco tribus præmissis de verbis beati Augustini à me tibi proponendis præposui, quoniam & zelo & furore illa perniciosa ligamenta, de quibus agitur, te egisse, & hanc contra sacras regulas subscriptionem adinuenisse, veraciter credimus. Quapropter necessarium duxi primum quidem tibi ostendere, quia in sola Catholica vnitate per hæreses vel schismata non diuisa vera sunt ligamenta, vt vera sunt sacramenta. *Puto me* (inquit beatus Augustinus) *non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari super petram, quæ vnica columba appellatur, sponsa pulchra sine macula & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, Paradisus cum fructu pomorum: quæ domus etiam claues accepit ac potestatem soluendi & ligandi. Hanc domum si quis corripientem corrigentemque contempserit, sit tibi* (inquit) *tanquam Ethnicus & Publicanus.* Et sciendum nobis est quia præposita regula corripiendi data huic domui Dei, videlicet Catholicæ Ecclesiæ, hæc sententia si contempta fuerit subditur: *sit tibi* (inquit) *tanquam Ethnicus & publicanus.*

Lib. 7. de bapt. c. 6. Cant. 6. Mat. 16 & 18.

Secundum autem capitulũ contra iniustam obligationem innoxiorum à te patratam, quasi specialiter de hoc facto loquentis, & te vna cum eis, quos alloquebatur, computantis, ex verbis eiusdem doctoris magnifici tibi propono, dicentis: *Si tunc in illos, quos arguebatis, vera diceretis, causam vestram vnitati orbis terrarum persuasissetis, vt vobis retentis illi excluderentur. Quod si conati estis facere, & non obtinuistis, innocens orbis terrarum qui iudicibus Ecclesiasticis potius quam victis litigatoribus credidit. Si autẽ noluistis agere causam vestrã, innocens est orbis terrarũ qui damnare non potuit inauditos. Quare ergo vos ab innocẽtib. separastis? Sacrilegiũ schismatis vestri defendere non valetis.* Spirituales autẽ siue ad hoc ipsũ pio studio proficientes non eunt foras, quia & cum aliqua vel peruersitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probant quam intus permaneant, cum aduersus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida vnitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur.

Matth. 18. D. Aug. li. 2. de bapt. c. 6

Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur: *Aues autem non diuisit*, videlicet quia se ab vnitate spiritales non præcidunt. Quo contra Antiochenum Concilium de his, qui se à ministerio Ecclesiastico subtrahunt, & seorsum colligunt, seque ab vnitate diuidunt, dicit: *Si quis Presbyter aut Diaconus Episcopum proprium contemnens se ab Ecclesia sequestrauerit, & seorsum colligens altare constituerit, & commonenti Episcopo non adquieuerit, nec consentire vel obedire voluerit semel & iterum conuocanti, hic damnatus omnimodo nec vltra remedium consequatur quia suam recipere non poterit dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare & sollicitare persisterit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.* Et Carthaginense Concilium: *Si quis Presbyter à præposito suo correptus fuerit, debet vtique apud vicinos Episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari: quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, aut separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeat, & locum amittat: si querimoniam iustam aduersus Episcopum non habuerit, inquirendum erit.*

Gen. 15. Conc. Ant. can. 5. Can. 11.

Secundum hoc capitulum simul cum nono capitulo Antiocheni Concilij, comministri Ecclesiæ Laudunensis absque schismate & rebellione, iuxta temporis angustiam & imminens periculum, innocenter iniuriam passi Episcopum Metropolitanum adierunt, & ideo (sicut supra ostendi) in communione Ecclesiastica restitui, & permanere debuerunt. Vnde Carthaginense Concilium de irregulariter iudicantibus, & iniuste iudicatis, & de maioris auctoritatis iudicibus: *Placuit* [inquit] *vt à quibuscunque iudicibus Ecclesiasticis vbi est maior auctoritas fuerit prouocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.* De Episcopo autem si forte schisma à sacris Canonibus in Ecclesia fecerit, Africanum Concilium dicit: *Circa eos sane* [inquiens] *qui fuerint non solum circa Ecclesiam Carthaginensem, scilicet Metropolim, sed & circa omne sacerdotale consortium.* Et post pauca: *Oportet, vt qui vniuersis fratribus ac toto Concilio inhæserit, non solum suam iure integre sed & diœceses possideat. At vero qui sibimet putant plebes suas sufficere fraterna dilectione contempta, non tantum diœceses amittant, sed (vt dixi) etiam propriis publica careant auctoritate, vt rebelles.* De à te autem separatis à communione Catholica, sicut in petitione mihi à Laudunensi Ecclesia data continetur, scilicet paruulis in tua parrœchia causa iniuriarum tuarum non baptizandis, & obeuntibus viatici muneris communione non reconciliandis: audi quid exinde ad remedium pertinens idem doctor Catholicissimus & subtilissimarum rerum inuestigator, & gratia Dei inuentor sagacissimus dicat: *Baptismi* (inquiens) *sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, hodie me cum eris in Paradiso, non leue documentum idem beatus Cyprianus assumit, quod etiam considerans, inuenio non tantum passionem pro nomine Christi, id, quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorũ: nec quia credidit, passus est, sed dũ pateretur credidit. Quantũ itaq; valeat etiã sine visibili baptismi sacramẽto quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur inuisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nã multo magis in Cornelio & in amicis eius, quã in illo Latrone posset videri superfluũ, vt aqua etiã tinguerẽtur, in quibus iam donum Spiritus sancti, quod nisi baptizatos alios accepisse sancta scriptura testatur, certo quoq; indicio, quod illis temporibus cõgruebat, cum linguis loquẽtibus*

Can. 10. Can. 20. Aug. l. 4. de bapt. ca. 22. Luc. 23. Rom. 10. Act. 10.

minuerat: baptizati sunt tamen, & in hoc facto Apostolica extat auctoritas. Vsque adeo nemo debet in quolibet proue&u interioris hominis (si forte ante baptismum vsque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit) contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur: sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur: nec ob aliud existimo baptizandi munus Ioanni fuisse attributum, ita vt Ioannis baptismus diceretur, nisi vt Dominus ipse qui dederat, cum serui baptismum non spreuisset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum baptisma, quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissime declararet. Videbat enim tanquam potentissimus medicus salutis aeternae quorundam non defuturum tumorem, qui cum intellectu veritatis & probabilibus moribus ita profecissent, vt multis baptizatis vita atque doctrina se praeponere minime dubitarent, superuacaneum sibi esse crederent baptizari, quando ad illum mentis habitum se peruenisse sentirent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conarentur. Quid autem valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti, sine qua tamen latro ille non fuit, quia non ei accipienda voluntas defuit: sed non accipienda necessitas affuit, difficile est dicere: nisi tamen plurimum valeret, non serui baptismum Dominus accepisset. Verum quia per se ipsa consideranda est, excepta salute hominis, cui perficiendae adhibetur, satis indicat, quod & in malis, & in eis, qui saeculo verbis nō factis renūtiant, ipsa integra est, cū illi, nisi corrigātur, salutem habere non possint. Sicut autem in latrone, quia per necessitatem corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritaliter affuit, sic & cum ipsa praesto est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus. Quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiae cum paruuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quinetiam flendo & vagiendo cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et si quisquam quaerat in hac re auctoritatem diuinam; quanquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur, tamen veraciter conijcere possumus, quid valeat in paruulis baptismi Sacramentum ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet iustificatus est Abraham, sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti priusquam baptizaretur ditatus est: Dicit tamen Apostolus de ipso: Abrahā signum accepit Circumcisionis signaculum iustitiae fidei, qui iam corde crediderat, & deputatum illi erat ad iustitiam. Cur ergo ei praeceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum, per seipsum, Sacramentum multum valebat? Quod in filio Moysi per Angelum manifestatum est, qui cum adhuc incircumcisus a matre ferretur, praesenti & euidenti periculo vt circumcideretur exactum est, & cum factum esset, depulsa est pernicies.

Sicut ergo in Abraham praecessit iustitia fidei, & accessit Circumcisio signaculum iustitiae fidei, ita in Cornelio praecessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. Et sicut in Isaac qui octauo suae natiuitatis die circumcisus est, praecessit signaculum iustitiae fidei: Et quoniam patris fidem imitatus est secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante praecesserat, ita in baptizatis infantibus praecedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium praecessit in corpore. Et sicut in illo latrone quod ex baptismi Sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex aetatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum pro eis alii respondent, vt impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem; quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet: ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter monet, Aetatem habet, ipse pro se loquatur. Quibus omnibus rebus ostenditur, aliud esse Sacramentum baptismi, aliud conuersionem cordis: sed salutem hominis ex vtroque compleri, nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante: & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo siue in illo, siue in isto quod non ex voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuoluit: & baptismus quidem potest inesse vbi conuersio cordis defuerit: conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque enim vllo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur. Et quia sicut veridica est sententia Saluatoris nostri: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum caelorum:* Scilicet aut inuisibili gratia cum visibili Sacramento: aut inuisibili gratia sine visibili Sacramento renatus: ita veridica est eiusdem Saluatoris nostri sententia, qua dicit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vnde idem beatus Augustinus in sermone ad infantes ad altare accedentes de Sacramento: *Dominus*, inquit, *Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis nostrae in sua mensa consecrauit: qui accepit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accepit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc saeculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat: Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, inuenitur.*

His autem, qui forte obeuntes viatici muneris communione reconciliari petierunt, sed impetrare non potuerunt, congruere posse videtur remedialis sententia eiusdem beati Augustini, quam laudans sensum beati Cypriani de his qui in vnitate Ecclesiae dormierunt, & idcirco ab Ecclesiae muneribus non separati credebantur, dicit: *Bene quidem praesumpsit quod charitas vnitatis cooperire posset multitudinem peccatorum.* Et his concinens B. Ambrosius in libro de morte Valentiniani inter alia dicit: *Non habet ergo gratiam quam desiderauit, quam poposcit? Et quia poposcit, accepit: & vbi illud est. Iustus quacunque morte praeuentus fuerit, anima eius in requie erit? Solue igitur, Pater sancte, munus seruo, quod Moyses, quia in spiritu vidit, accepit, quod Dauid, quia ex reuelatione cognouit, meruit. Solue inquam seruo tuo Valentiniano munus, quod concupiuit, munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. Si affectus aegritudine distulisset, tamen non penitus a tua misericordia esse: alienus, qui celeritate temporis esset non voluntate fraudatus. Solue ergo seruo tuo munus tuae gratiae, quam ille nunquam negauit, qui ante diem mortis templorum priuilegia denegauit insurgentibus quos vereri posset: Adstabat virorum caterua gentilium, supplicabat senatus, non metuebat hominibus displicere, vt tibi soli placeret in Christo. Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc mouet: Ergo nec Martyres, qui catechumeni fuerint, coronantur? Non enim coronantur, si non initiantur: quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.* Et item idem in eodem libro: *Beatus plane, qui vel in senectute correxerit errorem. Beatus,*

qui vel sub illa morte animum auertit à vitiis. Beati enim, quorum tecta sunt peccata, quia scriptum est: Define à malo, & fac bonum, & inhabita in seculum seculi. Quicumque ergo desierit à peccatis, & fuerit ad meliora conuersus, habebit superiorum indulgentiam peccatorum, qua fuerit vel pœnitenda confessus affectu, vel corrigenda auersus ingenio.

Cap. XLVIII.

Ex his, frater, diligenter attende & perspicaciter collige, quia licet sicut in illo latrone, quod ex baptismi sacramento & communicatione corporis & sanguinis Christi, quæ sacramenta antequam Dominus in cruce ascenderet suis discipulis celebranda sumenda & cunctis fidelibus tradidit, defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat. Et sicut paruulis naturali, id est, alieno peccato obnoxiis, aliorum, id est, patronorum fides pro eis respondentium in baptismate fit ad salutem, ita paruulis quibus baptismum denegari iussisti, parentum vel patronorum corde credentium, & pro paruulis suis fideli verbo baptisma expetentium, sed non impetrantium, fides & fidelis postulatio prodesse poterit, dono eius, cuius *Spiritus*, quo regeneratio fit, *vbi vult spirat*, quia ipse habet in potestate cuius cor gratia suæ visitationis inlustret, sicut & in illis duobus qui inter LXX. conscripti fuerunt à Moyse, vt ad tabernaculum Domini irent, & propagato eius spiritu inter seniores computarentur, & remanentes in castris prophetauerunt, & sicut ante baptismum in Cornelium & amicos eius superuenit, & sicut secundum Africanum Concilium, & decreta Leonis etiam signa petentium, & testes communionem postulantium proficere ad salutem debere legitur, ita eisdem petentibus, licet non impetrantibus communionem, quibus eam denegari iussisti, *Per viscera misericordiæ Dei nostri, qui posuit tenebras latibulum suum*, & cuius misericordiæ nec modum possumus ponere nec tempora diffinire, dicente Dei Spiritu per Prophetam, *Cum ingemueris, tunc saluus eris: quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Ipsa ex desiderio fidelis postulatio, si non præscientia Dei ex retributione iustitiæ fuerunt in massa perditionis totius humani generis relicti ad pœnam, sed gratia Dei ex eadem massa prædestinati ad gloriam, prodesse valuerit, tamen tu securus esse non potes, si aliqui sine eisdem sacramentis per tuam iussionem obierunt, vt non districte inde iudicetur tua malignitas, quod in eis complere valuit omnipotentis benignitas, si per dignos pœnitentiæ fructus, ac profusas lachrymas veniam non obtinueris tibi apud Deum vera humilitas, dicente Leone, & per eum Catholica & Apostolica Ecclesia: *His*, inquit, *qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implerant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quẽ nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per Prophetam.* Cum ingemueris, tunc saluus eris: *Et alibi*, Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris: *Et iterum*, Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud Deum redemptio. *In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se gemitus lachrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo*; Ne forte det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Et paulo post, *Verum, vt dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, negetur. At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Et Gregorius, *Pastores Ecclesiæ ei pœnam debent amouere quam meruit, qui meruerit confiteri quod fecit.* Et sacri Nicæni Canones generaliter, *Omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui manifeste præcipiunt.*

Tertium capitulum est de his, qui nimis amant sententiam suam, vel inuidendo melioribus vsque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium perueniunt; Vnde idem doctor Catholicus ac solertissimus dicit: *Hoc*, inquiens, *facit sanitas pacis, vt cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerumque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur; vel quomodo teneant vnitatem, cum in rebus obscurioribus diuersa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant, declaratam esse cognoscunt. Quorum duorum* [illegible] *tum tenemus; Vnum in B. Cypriano, id est, quomodo tenuerit vnitatem cum eis à quibus diuersum sentiebat; Ait enim. Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes. Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod sentiebat inueniam: & si litteræ tacent, merita clamant, si Epistola non inuenitur, corona testatur: si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum. Non enim paruum documentum est pacatissimæ animæ eius à vnitate martyrium meruisse, vnde se diuersum sentiens noluit separare. Homines enim sumus. Si subito aliquid aliter sapimus, quam se res habet, humana tentatio est, nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidenda communionis & condendi schismatis vel heresis sacrilegium, peruenire diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere quã se res habet, angelica perfectio est: quia itaque homines sumus, sed spe Angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quã in nobis non habemus perfectionem Angeli, non habeamus præsumptionem diaboli. Ideo dicit Apostolus, Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Humanum est ergo aliquid aliter sapere. Propterea dicit alio loco; Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Quibus autem reuelat, cum voluerit, siue in hac vita, siue post hanc vitam, nisi ambulantibus in viam pacis, & in nullam præcisionem deuiantibus? Non quales isti sunt, qui viam pacis non agnouerunt, nec propter aliud vnitatis vinculum diruperunt. Ideoque Apostolus cum dixisset, Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit, ne putarent præter viam pacis, quod aliter sapiebant sibi posse reuelari, continuo addidit; Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus, in quo ambulans Cyprianus perseuerantissima tolerãtia fuit fuso sanguine, sed in vnitate non fuso, quia si traderet corpus suũ, vt arderet, & non haberet charitatem, nihil ei prodesset. Per Martyrii confessionẽ peruenit ad angelicã lucem, vt si non antea ibi tamen reuelatũ agnosceret, quod cum aliter saperet, sententiam diuersæ opinionis vinculo nõ præposuit vnitatis. Quod autem adiungit Cyprianus & dicit; Non tamen quia aliquando erratũ est, ideo semper errãdum est, cum magis sapientibus & Deum timentibus congruat, patefacta & perspecta veritati libenter atq; incunctanter obsequi, quam pertinaciter atque obstinate contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari, verissime dicit; Ne alteri potius quam sibi aduersatur qui resistit apertissimæ veritati. Primatus autẽ non est nisi in sancta cõuersatione & vita bona, quo pertinent oĩs, ex quibus tanquã membris constat illa sponsa non habens maculã neque rugã, & illa columba in cæmulorum coruorũ improbitatem gemens, nisi forte cum Esau propter lenticulæ concupiscentiam primatum perdiderit. Tenere primatum arbitrandi sunt*

Marginalia: Luc. 23. Mat. 26. — Ioan. 3. — Num. 11. — Iob 26? — Psal. 7. — Esa. 3. — Secundũ lxx. Ps. 129. — Epist. 9 ad Theodorum. — Esa. 30. Esa. 43. Ps. 129. — 2. Tim. — Can. 13. — Aug. de bapt. c. 4. — Cap. — Mat. 22. — 1. Cor. — Philip. — Psal. — Ephes. 4. — 1. Cor. 13. — Lib. de bapt. — Rom. — Gen.

fraudatores, raptores, fœneratores, inuidi, obrosi, & cæteri huiusmodi, quales in Ecclesia sui temporis etiam per litteras Cyprianus ingemuit. Quapropter aut quod est tenere Ecclesiam, non hoc est in diuinis tenere primatum: aut si omnis qui tenet Ecclesiam, etiam primatum tenet, omnes illi utique Ecclesiam non tenent, qui tamen intus videntur & baptismum dare & habere, a nullo nostrum negatur. Nam eos primatum in diuinis habere quis dicat, nisi qui nihil diuinum sapit? Et foris quidem, id est, in hæresi vel schismate, & nec ligari aliquid potest, nec solui vbi non sit qui aut ligare possit, aut soluere. Sed soluitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem, siue aperte foris sit, siue intus esse videatur. Dathan vero & Abyron, qui sibi sacrificandi licentiam vsurpare conati sunt contra vnitatem populi Dei, & filii Aaron, qui alienum ignem ad aras imposuerunt, nonnimium quod impune non fecerint, nec nos alia scelera dicimus impunita remanere, nisi se talem correxerint, si patientia Dei ad pœnitentiam adducens tempus corrigendi largitur. Spiritus autem Sanctus, qui in sola Catholica per manum impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ipse est enim charitas, quam non habent qui ab Ecclesia Catholica communione præcisi sunt, ac per hoc etiam, si linguis hominum & Angelorum loquantur, si sciant omnia Sacramenta, & omnem scientiam & si habeant omnem Prophetiam & omnem fidem, ita vt montes transferant, & distribuant omnia sua pauperibus, & tradant corpus suum vt ardeant, nihil eis prodest. Non autem habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem, ac per hoc recte intelligitur dici, non accipi nisi in Catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt in quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui, sed inuisibiliter & latenter intelligitur pro vinculo pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Multa autem sunt operationes Spiritus sancti, quas idem Apostolus, cum quodam loco, quantum sufficere arbitratus est, commemorasset, ita conclusit, Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus diuidens vnicuique, prout vult. Cum ergo aliud sit sacramentum quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus quæ in malis etiam hominibus solet fieri, sicut Saul habuit Prophetiam, aliud operatio eiusdem Spiritus, quam non nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quodlibet hæretici & schismatici accipiant, charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ vnitatis & pacis, nec eius in omnibus, quia nec omnes sunt eius, sicut suo loco videbimus: præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, sine qua cætera etiamsi agnosci & approbari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt. Et sanctus Gregorius in libro moralium. *Conflationis ignis qui extra Catholicam toleratur Ecclesiam, quam nullius omnino virtutis sit Paulus Apostolus insinuat dicens, Si tradidero corpus meum, vt ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Alii quippe praua de Deo sentiunt, alii recta de auctore tenent, sed vnitatem cum fratribus non tenent, illi errore fidei, isti vero schismatis perpetratione diuisi sunt: Vnde & in ipsa prima parte Decalogi vtrarumque partium culpa reprimuntur, cum diuina voce dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, atque mox subditur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Qui enim de Deo peruersa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit, Qui vero de Deo recta sentiens à sancta Ecclesia vnitate diuisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac vnitate matris ecclesiæ siue per hæresim de Deo peruersa sentiendo,* A *seu errore schismatis proximum non diligendo, diuiditur, charitatis huius gratia priuatur: de qua hoc quod præmisimus Paulus dicit: Si tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem autem non habeam nihil mihi prodest: ac si aperta voce diceret, extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus tormento me cruciat, mundatione non purgat: Hunc omnes sanctæ pacis amatores summo studio locum quærunt, hunc quærentes si inueniunt, hunc inuenientes tenent, scientes peccatorum remissio, vel vbi, vel quando, vel qualibus detur: vbi quippe, nisi in Catholica matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? quia, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et, *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Qualibus nisi conuersis, qui ad paruulorum imitationem magistra humilitate formantur, quibus dicitur, Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Et, *Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et in decretis Apostolicæ sedis, quando Vigilius ex Apostolico post B multa & terribilia præstita Sacramenta in hæresim lapsus Constantinopoli detinebatur, ab Ecclesiæ Romanæ Catholicis clericis Ioanni schismatico presbytero directis, quæ ipsa sancta Romana Ecclesia inter Catholicas regulas retinet, inter alia scriptum est; *Sic semper habuit omnis Ecclesia, quia qui in vna communione consentiunt, vno dogmate, vna charitate, vno tenentur assensu.* Sicut enim communio & ex omnibus offerentibus vna fit, & vna redit in omnibus, non parte corporea, sed virtute diuina: sic vnanimitas per omnes illic communicantes excurrit.

[1. Cor. 13.] [2. Cor. 6.] [Esa. 55.] [Mat. 19.] [Mat. 18.]

Nam si non est vnius consensionis signum vna communio, quid erit quod ad confirmandam per omnem Ecclesiæ consonantiam mystice celebretur? Nec nobis iam dicas, *Ergo si criminosus sit Sacerdos, crimen redundat in populos.*

Aliud est enim quod committitur, aliud quod etiam prædicatur. Priuatum est, quod ab vnoquoque committitur: commune vero fit Ecclesiæ quod publice C prædicatur, tantorumque Sacerdotum manu subscribitur. Et sicut tu absolui non potes si contraria ore prædices, & contraria vno eodemque tempore manu subscribas, sic ipsa omnium vestrum collectio absolui non potest si contraria dicat, & contraria faciat, id est, si communicet sacerdoti, à cuius prædicatione & subscriptione dissentit. Sicut enim os tuum & manus tua vnius eiusdemque corporis membra sunt, ita vnius eiusdemque Ecclesiæ membra sunt Sacerdotes & populus, siue cum Catholicis Catholicus, siue cum non fidelibus infidelis. Inde est enim quod à Domino in fine sæculi colligi iubentur zizania & alligari in fasciculos ad comburendum. Hinc est quod sancto Propheta Ezechiel testante: *Si Sacerdos non distinxerit populo, ipse quidem populus in suo peccato morietur, animam tamen eius de manu Sacerdotis inquirit.*

[Mat. 3.] [Ezec. 3.]

Non ait, quia extra peccatum populus est, non morietur, sed, quia in suo peccato morietur, sed po- D pulus quidem pro seipso tantum, Sacerdos vero etiam pro populo. Hinc est, *Si cæco cæcus ducatum præbeat,* non ipse qui ducatum præbet solus, sed *ambo in foueam cadunt.* Et item in eisdem decretis, *Schismaticus enim & hæreticus populus schismatico & hæretico Sacerdoti communicans:* Sicut vniuersa Dei semper tenuit, & tenet Ecclesia. Schismaticus & hæreticus in regnum Dei intrare non possunt, sed pars eius est in gehenna. Cessa igitur talia prædicare, quæ scelus sit cogitare. Cessa vastare gregem Christi, ne (sicut & ipse negare non potes) super tuum caput sit illius populi vniuersi perditio. Quod quidem tibi perfectæ damnationis est causa, illos vero absoluere omnino non poterit.

[Mat. 15.]

Et item ibi, quod & in alio loco istius ipsius opusculi posui, *Quisquis assentit principi schismatis, schismaticum esse negare non poterit.* Quod si & oēs Sacerdotes &

mundus assentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Sed quid miseri facietis, quia qui illum & prædixit & fecit, ipse ignis diluuium nunc minatur, ipse gehennæ sine fine tormenta? Sicut enim iustos in æternam vitam prædixit ituros, sic impios æterno damnandos interitu, vt sicut non potest finiri beatitudo iustorum, sic nec impiorum tormenta finiantur: Hæc hæreticis schismaticisque sunt, & quia quicquid nunc gerit Ecclesia, mystice typus est futurorum, si gustabunt de pane cœlesti, id est, de suauitate diuina gehennæ participes, damnatio est schismaticis & hæreticis corporis Christi communio. Et sanctus Augustinus in epistola Concilij Africani ad Donatistas, *Quisquis*, inquit, *à Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere quod à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei praeiudicant aliena peccata, quia vnusquisque in ea proprium portabit, sicut Apostolus dicit,* & Quicumque in ea corpus Christi manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. *Cum enim dicit,* iudicium sibi manducat, *satis ostendit quia non alteri iudicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non est quisque consentiat, portat malus causam suam & personam suam nec præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis:* Et Prosper in libro sententiarum, *Escam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Audis, frater, quia nimis amando quis sententiam suam, vel inuidendo melioribus, ad sacrilegium schismatis peruenit. Audis, quia non in schismate, nec nisi in vnitate Ecclesiæ est primatus, Audis quia non in schismate & non nisi in Ecclesiæ vnitate vera sunt ligamenta, in qua vera & ad salutem pertinentia sunt Sacramenta. Audis, quia non in schismate, & non nisi in vnitate Ecclesiæ datur vel accipitur Spiritus sanctus, per quem diffunditur *charitas in cordibus nostris.* Audis, quia illis, qui non sunt in vnitate pacis Ecclesiasticæ, si gustant de pane cœlesti, est perfecta damnatio corporis Christi communicatio. Depone ergo tumorem cordis tui, & pertinaciam contumacis animi tui: & nimium amando sententiam tuam noli te præcidere ab illa charitatis compage, in qua omnia Sacramenta Ecclesiastica Catholice percepisti, & in qua idcirco es ordinatus Episcopus, vt in ea permaneres, & alios in ea permanere fide & operibus, exemplis & verbis doceres. Denique vnde oriantur schismata, idem Catholicus doctor dicit: *Origo & pertinacia schismatis nulla est alia nisi odium fratris.* Et, *Ecclesia non prius carnales, vel animales, & postea spiritales habuit, sed in ipsa forte mortalitatis nostra, ex quo de Adam nascimur, non est prius quod spiritale, sed quod animale, postea spiritale. Ex ipso autem animali sensu, quia homo animalis non percipit quæ sunt Spiritus Dei, omnes dissensiones & schismata generantur: in quo sensu perseuerantes Apostolus dicit, ad vetus testamentum pertinere, id est, ad terrenorum promissorum cupiditatem, in quibus quidem spiritalia figurantur: sed animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Quocumque ergo tempore tales homines esse cœperint in hac vita iam diuinis pro sæculorum distributione Sacramentis imbuti, adhuc tamen carnaliter sapiant, & carnalia de Deo siue in hac vita, siue post hanc vitam sperent atque desiderent, animales sunt.* Et item ex verbis beati Cypriani, vt partim & supra scripsi, quod tibi necessarium est replicari,

dicit: *Ignosci, enim potest simpliciter erranti, sicut de se ipso dicit Apostolus Paulus: Qui primum fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus & misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero & reuelationem factam qui in eo quod errauerat perseuerat, prudens & sciens sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.* Hinc Augustinus: *Hoc verissimum est longe grauius esse peccatum eius qui sciens, quam eius qui nesciens peccauerit. Et ideo vir S. Cyprianus, non solum doctus, sed etiam docibilis (quod in laude Episcopi tamen designat Apostolus) e ipso intellexit vt diceret, etiam hoc in Episcopo esse diligendum, non solum vt scienter doceat, sed etiam patienter discat. Docibilis autem ille est, qui ad discendi patientiam lenis & mitis: oportet enim Episcopus non tantum docere, sed & discere: quia & ille melius docet qui quotidie crescit & proficit discendo meliora. His vtique verbis satis indicat vir sanctus & pia charitate præditus, non esse metuendum sit eius epistolas legere, vt si quid postea pluribus & diuturnioribus inquisitionibus compertum Ecclesia confirmauit, non ambigamus: quia sicut multa erant quæ doctus Cyprianus doceret, sic erat & aliquid quod Cyprianus docibilis disceret.* Hæc frater, auribus percipe, & mente intellige, & non dedigneris cum Cypriano, & Augustino, Apostolo præcipiente, docibilis esse Episcopus, & quia si perseuerate in obstinatione & præsumptione tua delegeris, cum ratione superetis, prudens & sciens sine venia ignorantiæ peccabis. Hinc enim Psalmus dicit: *Descendant in infernum viuentes*, id est, labantur in peccatum scientes.

Vnde Leo ad Constantinopolitanos scribit, dicens: *Nam si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, tanto magis in eis qui præsunt nec excusatio est digna nec venia, maxime cum etiam defendere peruersarum opinionum commenta præsumunt, & in eorum sensum sunt, aut terrore, aut gratia insanabiles quosque traducunt, separentur huiusmodi à sanis membris corporis Christi, neque sibi Catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi.* Reuoca ergo te à pertinacia tua, quoniam illi, quos in conuenticulis tuis ad tecum subscribendum pellexisti, vel coëgisti, habent quidem excusationem, quoniam aut captiuas manus sine cordis consensione timori dederunt, aut ignorantes quid agerent palliata suasione tua de vinculo pacis & communione pacis tuæ consensu etiam deliquerunt, aut forte scientes & [illegible], isti quiddam tibi exinde suggerere ausi non fuerunt: Vnde beatus Gregorius: *Nemo*, inquit, *amplius in Ecclesia nocet quam qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur, quibus est facilior venia quoniam inest eis & leuior culpa.*

Nam de his qui per ignorantiam peccauerunt inducti, sanctus Augustinus in supra memorato opere dicit: *Si quem forte*, inquiens, *coegerit extrema necessitas vbi Catholicum per quem accipiat non inuenerit, & in animo pacem Catholicam custodiat, per aliquem extra vnitatem Catholicam positum acceperit quod erat in ipsa Catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita emigrauerit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cum Catholicæ congregationi etiam præsentia corporali redierit, vnde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat.*

De his autem qui scienter, sed causa timoris vel fauoris in hanc transgressionem ierunt. Leo ad Pulcheriam Augustam scribit; *Sic vtimur iustitia communionis, vt non amittamus remedia charitatis, quod sicut pietas vestra cognoscit non verbis solis promittur, sed etiam factis docetur. Siquidem pene omnes, qui in consensum præsidentium in illo Ephesino non iudicio, sed latrocinio, aut*

1. Cor. 11 — Rom. 5. — Aug. de bapt. li. 1 c. 11. & 1. 15. — 1. Cor. 03 — 1. Cor. 2. — Gal. 4. — 1. Cor. 2. — Cyprian. ep. 05. ad Anton. — Aug. li. 4. [illegible] 1 Tim. — Ps. — Lib. 1. de bapt. c. 2.

traducti, aut coacti rescindendo quod statuerant, & condemnando quod scripserant, perpetuam culpæ abolitionem & Apostolicæ pacis gratiam sunt adepti.

Et in epistola ad Anatolium; *Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos. Nec asperè igitur communio nostra gratia deneganda est, nec timere largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressos charitatem Dominicam redhibere, ita iustum est omnia perturbationis auctoribus imputare.*

Audite igitur & tu & illi, quos traduxisti, vel ad tecum subscribendum coëgisti, admonitionem beati Augustini, qua eos (de illis alloquens qui se ab vnanimitate fraterna disciderunt) admonuit, dicens: *Videant*, inquit, *nihil sibi remansisse quod dicant, sed tamen remansisse quod faciant, vt pro factis eorum præteritis sacrificium dilectionis offeratur placabile Deo, cuius vnitatem nefario scelere disruperunt, cuius Sacramentis tam diuturnas iniurias irrogarunt. Misericors est enim & miserator Dominus, longanimis & multum misericors, & verax. Amplectantur in præsenti vita misericordem & longanimem, & timeant in futura veracem. Non vult enim mortem impii, quantum vt conuertatur & viuat: quia sententiam flectit aduersus iniurias irrogatas. Hæc est nostra exhortatio: propter hoc eos habemus inimicos, quia vera dicimus, quia tacere nequimus, quia cessare ab instantia quanta possumus formidamus, quia obtemperamus Apostolo dicenti. Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa: sed sicut Euangelium loquitur, Dilignnt gloriam hominum magis quam Dei: & reprehendi ad tempus timent, damnari in sempiternum non timent. Vident etiam ipsi quid mali faciant. Vident non esse quid omnino respondeant, sed nebulas imperitis ostendunt, cum ipsi viui subeantur, id est, scientes & agnoscentes intereant. Vident horrere homines & grauiter detestari quod etiam seipsi in multa schismata diuiserunt, & maxime in Africa capite & notissima ciuitate Carthagine conati sunt resarcire dedecus pannorum suorum, putantes quod possent Maximianistas auferre.* Et post aliqua: *Vrget eos vsque veritas, vident se non habere quid respondeant, & putant se non habere quid faciant, quid loquantur non inueniunt, tacere non permittuntur: malunt peruersis vocibus veritati reluctari, quam confessis erroribus pacis resistere. Quis autem non intelligat quid in corde suo possint dicere: Quid ergo faciemus inquiunt, de his quos iam rebaptizauimus? Et vos: Quid ergo faciemus de his quos iam traduximus, vel quid faciemus qui traducti sumus? Respondetur: Redite cum eis ad Ecclesiam, videlicet ad vnanimitatem fraternam: Medicamento pacis offerte curandos quos vulnerastis. Vitæ charitatis offerte suscitandos quos occidistis. Multum valet ad propitiandum Deum fraterna concordia. Si duobus ex vobis (ait Dominus) conuenerit super terram, quicquid petieritis fiet vobis. Si duobus hominibus, quanto magis duobus populis?* Simul nos *Domino prosternamus, participamini nobiscum vnanimitatem, participemur vobiscum dolorem, & charitas cooperiet multitudinem peccatorum.*

Et beatus Gregorius in homilia Ezechielis dicit: *Perfectorum semper & virtutes & lachrymas ante mentis nostræ oculos ponamus, imitemur quæ in illis aspicimus, vt dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus velare: in assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia habemus Sacerdotem in cœlis qui interpellat pro nobis: de quo etiam per Ioannem dicitur:* Si quis peccauerit, *aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ecce exultat animus, cum aduocati nostri potentiam audimus: sed exultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse, qui nobis aduocatus est, dicitur iustus. Nos enim causas iniustitiæ habemus. Iustus vero aduocatus iniustas causas nullomodo suscipit, nec verba dare pro iniustitia consentit. Quid ergo agimus charissimi fratres mei? Sed ecce currit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & defleamus, & accusemus: scriptum est. Iustus in principio accusator est sui. Quilibet etenim peccator conuersus in fletibus iam iustus esse inchoatum cœperit accusare quod fecit. Cur enim iustus non sit qui contra suam iniustitiam iam per lachrymas sæuit? Iustus igitur aduocatus noster iustos non defendit in iudicio, quia & nosmet ipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus.* Timeamus quod scriptum est: *Filius malus ipse se iustum dicit, exitum autem suum non abluit*: hoc est, vt Aug. dicit *Non excusat, non diluit, non defendit.* Noli ergo, frater, te conuertere, post auditas tot sacras auctoritates, & admonitiones, ac salubria tibi porrecta consilia, ad excusandas excusationes in peccatis, atque ad contumacem defensionem, cũ nemo quærat tuam correctionem, & coram Deo & hominibus saluationem. Et hæc legens quæ tibi paterna deuotione scribo cum his etiam beati Gregorii non prolixam verborum numero, sed maximam ac pretiosam intelligentia in mentis arcano reconde sententiam, qua dicit: *In verbis*, inquiens, *sacri eloquii iste debet studii nostri ordo seruari, vt hæc ideo cognoscamus, quatenus de iis quæ tacte nostra compuncti, cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus ne alia faciamus: & cum iam ex magno vsu lachrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, verba Dei quæ intelligimus, ad vitam quoque & alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, vt & nobis prosint & intentione spiritali aliis conferantur.*

Cap. XLIX.

Audiamus & obaudiamus beatum Apostolum secum nos admonentem: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes, inuicem prouocantes.* Et iterum nobis dicit: *Videte quomodo cautè ambuletis, non vt insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Et, *Subiecti estote inuicem in timore Christi.* Et, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et, *Honore inuicem præuenientes.*

Dic frater ac fili, quid aliud à te exegi postquam Episcopus factus es, & diuitias terrenas adeptus es, nisi vt Deum haberes placabilem, & Episcopaliter viuens, & Episcopalem habitudinem gerens, te hominibus faceres venerabilem? & pro quibus me contra te commoui nisi quia te talem coram Deo ad salutem, & coram seculo ad honorem Episcopali grauitati & ordini debitum, esse cupiebam, & esse commonebam, & tibi hoc esse graue videbam, & hoc quidem tibi graue hactenus esse potuit, & propter ætatem, & quia seculi huius instabilitatem, ac quam mutabile & fragile sit, actenus non cognouisti: *Nunc autem hora est iam nos de somno surgere*: Et non debemus esse semper iuuenes, sicut bos malus semper est vitulus.

Debemus ante oculos mentis neglecta reducere, & de pristinis erubescere, sicut egregius prædicator nos admonens dicit: *Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis?* Et debemus certare, *vt fructum nostrum habeamus in sanctificatione, finem vero vitam æternam.* Et si, frater & fili, me non vis aut dedignaris audire, audi & obaudi ipsum beatum Paulum Apostolum Timotheum spiritalem filium suum, quem iuuenem Episcopum ordinauerat, admonentem: *Exerce*, inquit, *teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Noli negligere gratiam quæ data est tibi, per prophetiam, & impositionem manuum Presbyterii: hoc enim faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Sin autem time frater ac fili quod terribiliter Dominus dicit ei qui vnum talentum acceperat, & abiens fodit in terram & abscondit pecuniam Dñi sui.

Serue male & piger sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non spargo, & reliqua. Talentum quippe in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, lucrum spiritale non quærere, cor à terrenis desideriis nunquam leuare. *Sunt namque* (vt beatus dicit Gregorius) *nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, sed tamen sola quæ carnis sunt sapiunt, de quibus per Prophetam dicitur: Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem nesciunt facere: sed Dominus qui talenta contulit, rationem positurus redit. quia is qui nunc spiritalia dona distribuit, districte in iudicio merita exquiret, quid quisquis acceperit considerat, & quod lucrum de acceptis reportet, pensat.* Considera ergo quæ sine tuo merito in talento intelligentiæ accepisti, & vide ne in terra illud abscondas, & (quod Deus longe faciat à te) inde ab illo damneris.

Mat. 25. — Hier. 4

Cap. L.

Denique dicitur à quibusdam, quod pœnitate patienter non possis, vt tibi à quoquam dicatur: *Quod quisquam tibi bonum aliquod sine tuo merito exhibuerit*: Hæc namque qualitas animi non de humilitate, sed de superbia manifeste descendit. Ait enim Apostolus: *Quid enim habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis?* Hæc enim & Domini cõsuetudo, & sanctorum eius in scripturis legitur esse, vt cum non recognoscimus à quo bona accepimus, & aut bonis factis malis operibus respondemus, aut ingrati existimus, ostendantur bona quæ nobis impensa sunt, quatenus illa recognoscentes de malis nostris & de bonorum ingratitudine erubescamus, & ad bona reparanda, & ad gratias referendas conuertamur: sic enim Dominus agere in scripturis sæpissime legitur, vt de pluribus pauca numero, sed non merito ad medium deuocemus: Ait enim ad peculiarem populum suum: *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Ostende mihi: Adduxi vos per desertum quadraginta annis, non sunt attrita vestimenta vestra: manna de cælo pluit vobis, & obliti estis me*: Et ad Dauid dilectum seruum suum, de quo dicit: *Inueni Dauid seruum meum, qui faciet omnes voluntates meas: Ego*, inquit, *te tuli de domo Patris tui, & posui te pascere gregem populi mei, & fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti, firmans regnum tuum in æternum*: Et alia plurima quæ illi improperat, quoniam post multiplicia dona grauiter in eum sine respectu peccauerat.

1. Cor. 4. — Mich. 6. — Act. 13 — 2. Reg. 7

Lege epistolas Pauli ad Corinthios, & ad Galatas, & hinc sufficienter inuenies: Nam quatuor legimus species arrogantium, cum aut bonum se putant à se habere quod habent: aut pro meritis suis se habere quod habent, aut singulariter se habere quod habent, aut præ cæteris se habere quod habent: Ab his omnibus cor tuum custodi, iuxta quod scriptum est: *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

Prou. 4

Cap. LI.

Dicitur & à multis quod & Clericos & laicos tibi commissos in multis exeniis per diuersas occasiones graues, quod sanctus Leo Papa non Christianæ deuotioni, minime autem Episcopali religioni conuenire ostendens, dicit: *Sicut*, inquit, *prælatus non vult granis oneris sarcinam ferre, ita non audeat aliis importabile pondus imponere: Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri dicentis? Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.*

Ep. 84. ad Anastasium. — Mat. 11

Qui humilis & mitis magister iterum de graui & importabili prælato dicit: *Si dixerit*, inquiens, *malus ille seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos: manducet autem & bibat cum ebriis, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.* Hinc beatus dicit Gregorius, *Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ, ministerium regiminis vertit in vsum dominationis.* Et beatus Apostolus Paulus vetat, *Non percussorem esse Episcopum*: Non quidem qui non percutiat pugnis subditos, sed qui non percutiat actis & dictis suis conscientiam subiectorum, quos per Prophetam Dominus redarguit, *Qui percutiunt pugno impie.* Audiendum ergo nobis est prælatis quod per quendam sapientem dicitur, *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis.* Et, *diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Timere etiam debemus ne prælatio & honores, quos in isto seculo habemus, si aliquid boni sumus, retributio nobis fiat, & à retributione iustorum alienos efficiat. Vnde Abrahæ voce ardenti diuiti dicitur, *Memento fili quia recepisti bona in vita tua.* Idcirco enim bona hic recepit & malus, vt illic plenius mala reciperet, quoniam hic fuerat nec per bona conuersus. quia cũ largientem Deũ humana mens boni operis responsione non sequitur, vnde nutrita pie crescitur, iustius inde damnatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur, *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Quoniam videlicet reprobi cum recta opera diuinis muneribus non rependunt, cum totos se hic deserunt, & affluentibus prosperitatibus dimittunt, vnde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt; A multis enim dicitur, quod vix pauci, aut potius nulli apud te quiddam beneficii, nisi præmii datione præualent obtinere, quod satis superque sanctarum scripturarum auctoritati contrarium, & Canonum est sacrorum decretis aduersum vt res & facultates Ecclesiasticas, quas in ordinatione Episcopali ad regendum & regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri præmium in beneficium dones, cum Paulus Apostolus Tito dicens qualis debeat esse Episcopus, inter alia dicat *Oportet*, inquiens, *Episcopum sine crimine esse, sicut dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.* Et item idem dicit, *Auaritia quæ est idolorum seruitus.* Et, *Radix omnium malorum cupiditas.* Et sacri Carthaginenses Canones, *Omnino*, inquiunt, *cuiquam Clericorum non liceat de qualibet re fœnus accipere.* Et paulo post. *Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in Clericis prædamnari. Vniuersum Concilium dixit, Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelia facit sine periculo.* Et Nicænum Concilium, quod sæpe & in aliis inuenitur Canonibus, more suo plures causas vno comprehendens capitulo hinc cum aliis conclusiue dicit, *Quoniam multi sub regula constituti auaritiam & turpia lucra sectantur, iuste censuit sancta & magna Synodus, vt si quisque inuentus fuerit ex admonitione alicuius vel quolibet modo negotium transigens, vel aliquid tale prorsus exercitans turpis lucri gratia, deiiciatur à clero, & alienus existat à regula* Et Leo in epistola ad vniuersos Episcopos per vniuersas Prouincias constitutos. *Illud*, inquit, *duximus præmonendum, vt sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attemptet, indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere, fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, vt quod hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multiplicitet, & in perpetuum mansura tribuet, recipere valeamus. Hos itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrũ contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio summouendum, nec cõmunionis nostræ futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ.* Et Dominus in Euangelio. *Esuriui*, inquit, *& non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere, hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non cooperuistis me; infirmus in carcere & non visitastis me*: Quib etiã præmittit dicens, *Discedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui præparatus est Diabolo & angelis eius.* Ecce nequaquã audiũt, quia rapinas vel quælibet alia violenta commiserunt, & tamen æternis gehennæ ignibus

Mat. 24 — Tit. 1 — Can. — Mat. 25

ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animaduersione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subiicit pœnæ non tradita. Perpendant quod meretur iniustitia inlata, si tanta percussione digna est pietas non impensa.

Cum aliena rapere intendunt, audiant quod scriptum est, *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo & adgrauat contra se densum lutum?* Auaro quippe densum lutum contra se adgrauare, est terrena lucra, cum pondere peccati cumulare. Cum multiplicare largæ habitationis spatia cupiunt, audiant quod scriptum est. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci: Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ?* Ac si aperte diceret; Quo vsque vos extenditis, qui non habere in communi mundo consortes minime potestis: Coniunctos quidem premitis, sed contra quos vos valeatis extendere semper inuenitis. Cum augendis pecuniis inhiant, audiant quod scriptum est, *Auarus non impletur pecunia, & qui amat diuitias fructus non capiet ex eis.*

Isa. 5.

Eccl. 5.

Fructus quippe ex illis caperet, si eas bene spargere non amando voluisset: quia vero eas diligendo retinet, hic vtique sine fructu derelinquet. Cum repleri cunctis simul opibus inardescunt, audiant quod scriptum est, *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Profecto enim quoniam augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus, cum escam terrenarum rerum auidus conspicit, quo strangulctur peccati laqueo non agnoscit. Cum quælibet præsentis mundi lucra desiderant, eaque, quæ de futuro, damna patiuntur, ignorant, audiant quod scriptum est, *Hereditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Ex hac quippe vitæ initium ducimus, vt ad benedictionis sortem in nouissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditari festinant, sortem sibi in nouissimo benedictionis amputant: quoniam dum per auaritiæ nequitiam hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Cũ vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta, quæ ambierint, possunt, audiant quod scriptum est, *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum fiat?* Ac si aperte veritas dicat: quid prodest homini si totum, quod extra se est, congregat, si hoc solum, quod ipse est, damnat? Hinc quoque te frequentissime monui, & adeo corripui, vt etiam contra me & mihi fideles inde scandalum sumpseris, & quas vel quantas potuisti insidias moliri studueris. Sed & Dominus Rex in suis litteris tibi datis ex hac causa monuit hoc modo, *Verum* (inquiens) *primo te dignum duco monere, vt clerum & plebem tibi commissam, qui te, nullo cogente, sed spe ducti, quia pro amore tui auunculi, qui & nobis, & regno, ac Ecclesiæ regni nostri in multis profuit, me videbant te diligere: & quia putabant te illius vestigia secuturum, & consiliis obediturum, & quoniam Laudunense municipium Rhemensi Ecclesiæ, in qua nutritus fuisti, vnitum antiquitus fuerat, deuote elegerunt, & obnixe sibi pastorem ordinari petierunt, debitam eis vicem rependens, Episcopalem ac pastoralem benignitatem impendas, & non eos tam duriter tractes atque affligas, neque illis alios quos ante non nosti præponas vel superponas, & de gremio Ecclesiæ tibi commissæ in qua nutriti & educati fuerant, illos sicut quosdam iam expulisti, vel abscedere compulisti, non præiicias, vel cum gemitu ibidem consistere cogas.* Lege intelligenter & retine tenaciter hanc Epistolam beati Gregorii ad Constantinum Mediolanensem Episcopum: *Scripta* (inquit) *fraternitatis vestræ suscipiens magnas omnipotenti Deo gratias retuli, quia ordinationis vestræ merui celebratione releuari. Quod vero ex superno munere in electione vestra concorditer omnium conuenit adsensus, hoc fraternitas vestra cum summa debet consideratione pensare, quia post Deum valde est debitrix eis, qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt. Decet igitur vos Sacerdotali benignitate eorum moribus in omnibus respondere, eorumque necessitatibus pia compassione concurrere, si quorum fortasse sunt vitia, hæc maturis obiurgationibus increpate, vt ipsa quoque Sacerdotalis indignatio, virtute fit admixta dulcedinis, quatenus & tunc à subiectis amari debeat etiam cum grauiter monetur, quæ res personam vestram apud eorum iudicium in magnam quoque reuerentiam adducit: quia sicut præceps furor vsitatusque despicitur, ita contra culpas discreta indignatio plerumque quo tarda fuerit, eo amplius fit timenda.* Diligenter etiam debes attendere (quod non in mea, sed in Dei laude, cuius est donum, pro tua vtilitate dico) quia & ego nutritor tuus, apud quem à pueritia vsque ad iuuentutem tuam exegisti ætatem, sicut vidisti & audisti, non pro largitione beneficiorum, non pro commendatione ministeriorum, non pro receptione eorundem ministeriorum, non pro redhibenda gratia mea his qui in me offenderant, non per quamcunque petitionem cuiuscumque adiutorii, non per quascumque adinuentitias occasiones, aut à clericis, aut à laicis, aut à parrœchianis presbyteris, quæcumque pretia, vel exenia, seu emolumenta exegi, vel quolibet modo quæsiui, sed in omnibus eorum profectum, & loci mihi commissi vtilitatem attendi. Vnde & reminisci debes quia sæpius te commonui, vt tibi commissis qui te libenter legerunt, non onerosus, sed gratiosus existeres. Et si meæ admonitiones non tibi placent, lege cum aliis homiliam beati Gregorii in Euangelio, *Ego sum pastor bonus*, & eam mente reconde, in qua inter alia dicit de summe & essentialiter pastore bono, cuius formæ debemus inniti, *Cognosco* (inquit) *oues meas, id est, diligo, & cognoscunt me meæ, id est, diligentes obsequuntur: quia oportet vt nobis commissi magis dilectione in Christo obediant, quam seruili timore coacti gementesque deseruiant.* Nam de huiusmodi prælationibus vel præmissis negotiis, quibuscumque adinuentionibus præmia vel exenia quæcumque accipere, simoniacum & contra sanctas scripturas, atque (vt supra ostendi) contra sacros Canones. Vnde etiam leges, quibus debitæ obseruationis reuerentiam sancta Ecclesia exhibet in *CXVII. constitutione, capitulo *CCCLII cõstitutionis Iustiniani dicunt, *Venerabilium locorum administratores sine pecunia fiant. Nullus neque ex Xenodochys, neque Ptochotrophijs, neque Nosocomijs, neque alicuius religiosæ domus administrator, vel cuiuscumque curæ Ecclesiasticæ gestor præstet aliquid ei, à quo præponitur, vel cuicumque personæ pro commissa sibi administratione. Qui autem præter hæc quæ disposuimus dederit aliquid, vel acceperit, vel mediator factus fuerit, sacerdotio, vel clero, vel commissa sibi administratione nudabitur, hisque data sunt, vindicandis religioso loco, cuius talis persona consecrationem, vel curam vel administrationem accepit: sin autem laicus sit qui acceperit vel mediator factus est, duplum ab eo exigatur, & religioso loco, in quo talis persona, vel administrationem, vel consecrationem, vel curam accepit, præstetur.* Iuste igitur & rationabiliter leges sanctis scripturis & Canonibus concordantes talia decreuerunt, quia vt sanctus Leo dicit, *Auaritiam merito Apostolus radicem esse malorum omnium deffiniuit, Nullum enim peccatum sine cupiditate committitur, & omnis inlicitus appetitus istius auiditatis est morbus. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque est iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum.*

Prou. 28.

Prou. 20.

Luc. 9.

Ioan. 10.

* CXV.
* CCCCLII.

Ser. 9. de pas. Domini.

1. Tim. 6.

Cap. LII.

A multis etiam denotaris, quod superbia efferaris, & vana gloria iactiteris, atque arrogantia supereris: Vnde ego tu, quasi in speculo, in verbis beati Gregorii nos nostrasque mentes conspiciamus, & nos coram diuinis oculis componamus: Ait enim, *Superbia* (inquiens) *quam vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta contra cuncta animæ membra se*

Li. 34. Moral. ca. 18.

erigit, quasi generalis ac pestifer morbus omne corrumpit, vt quicquid illa inuadente agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanae gloriae seruitur. Quasi enim Tyrannus quidam obsessam ciuitatem intercepit cum mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Quisquis vero eius in se tyrannidem captiua mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo iudicij aequitatem perdit. Nam cuncta quae ab aliis vel bene geruntur displicent, & sola ei quae ipsi vel praue egerit placent, semper aliena opera despicit, semper miratur quod facit, quia & quicquid egerit, egisse se singulariter credit; atque in eo quod exhibet per gloriae cupiditatem, sibimet ipsi per cogitationem fauet: nec considerat quid alter boni amplius quam ipse, sed quid boni ipse amplius quam alter habeat; neque enim pensat quae bona Spiritus alter acceperit, & ipsi desint, sed quae bona ipsi & quae mala sint alteri: Et cum se in cunctis transcendere caeteros aestimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat. Nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur vt in eo quod tumet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur, & tanto facilius ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc enim scriptum est; Ante ruinam exaltabitur cor: & haec elatio alios ex rebus saecularibus, alios vero ex spiritualibus possidet. Alter namque tumescit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter summis caelestibusque virtutibus, vna tamen eademque superbia ante Dei oculos agitur quamuis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diuerso amictu palliatur. Aliter autem praepositos, atque aliter subditos tentat. Praelato namque in cogitationibus suggerit quia solo vitae merito super caeteros excreuit, & si quae ab eo aliquando bene gesta sunt, haec importune eius animo obijcit, & cum hunc Deo singulariter placuisse insinuat, quia facile suggesta persuadeat ipsam ad testimonium potestatis traditae retributionem vocat, dicens; Quia nisi omnipotens Deus te his omnibus meliorem cerneret, omnes hos sub tuo regimine non dedisset: Eiusque mox mentem erigit, viles atque inutiles eos ostendit qui subiecti sunt ita vt nullum iam quasi dignum respiciat, cui aequanimiter loquatur. Vnde & mox mentis tranquillitas in iram vertitur, quia dum cunctos despicit, dum sensum vitamque omnium sine moderatione reprehendit, tanto irrefrenatius se in iracundiam dilatat, quanto eos, qui sibi commissi sunt, esse sibimet indignos putat. Et si ipsi subiecti sunt aliis eorum cor superbia sic ligat, vt sua acta considerare funditus negligant, & semper tacitis cogitationibus rectoris sui iudices fiant, qui dum in illo quod reprehendere debeant importune respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam vident: vnde & tanto atrocius pereunt, quanto a se oculos auertunt. Aliquando autem tales subditi proterua quae sentiunt, nequaquam produnt & hi, quos iam loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obmutescunt, qui per dolorem mentis procacitatis sua subtrahentes, cum male loqui soleant, peius tacent: quia cum peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt: cum his quando asperè agitur, saepe ad querelae voces de hac ipsa asperitate prosiliunt. Cum vero eos magistri sui blande praeueniunt, de ipsa humilitate, qua praeuenti sunt grauius indignantur, & tanto eorum mens vastius accenditur quanto consideratius infirma iudicatur. Cunctis namque superbia apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna, ad ea quae facere & debet & praeualet, ignaua, ad ea quae facere nec debet nec praeualet, parata. Haec in eo quod sponte non appetit nullis exhortationibus flectitur: ad hoc autem quod latenter desiderat quaerit vt cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa voluntate tolerare.

Prou. 16

Iacob. 4

Quapropter hoc vitio laborantibus Dominus dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et item, immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor. Et item, Quid superbit terra & cinis? Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan Rex dicitur superborum, aperte cognoscimus quod euidentissimum reproborum signum superbia est, at contra humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo Rege militet inuenitur. Vnusquisque enim quasi quendam titulum portat operis quo facile ostendat sub cuius seruiat potestate rectoris.

De hoc quippe vitio superbiae descendit quod multi, te apud plurimos dicunt de fortitudine & agilitate tui corporis gloriari & de praelijs, atque vt nostratium liogua dicitur de *Vassaticis* frequenter ac libenter sermooem habere, & qualiter ageres si laicus fuisses interurrenter referre, & alia multa quae tibi oon conueniunt dicere & agere, nec mihi enuntiare, Debes enim atteodere quod scriptum est: *Non in fortitudine sua roborabitur vir*: Et, *Non saluatur Rex per multam virtutem*. Et, *Gigas non saluabitur in multitudine fortitudinis suae.*

Vnde apud se Dauid manu fortis, humiliter infirmus, & ideo veraciter fortis, qui gigantem multae fortitudinis occidit, & Regem ac virtutem exercitus eius ab opprobrio liberauit, Domino dicit: *Fortitudinem meam ad te custodiam* Et Paulus, qui audiuit à Domino: *Virtus in infirmitate perficitur* gloriatur in infirmitatibus suis, dicens: *Quando infirmor, tunc fortior sum & potens*: Et, *Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne aliis praedicans ipse reprobus efficiar.*

Sed & cum in his, in quibus insatigabiliter pugnando non quasi aerem verberaotes, sed cootra aerias potestates, & carnis illecebras, ac mundi cõcupiscentias agonizantes decertauerimus, quod nobis à Domino praecipitur, ex intimo cordis affectu dicere debemus. *Serui inutiles sumus, quae debuimus facere, fecimus. Quia non sumus sufficientes à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: qui dedit velle & perficere pro bona voluntate*: Quique suis, dixit, *Sine me nihil potestis facere.*

De vanitate aotem qua te iactas qualiter faceres si laicus esses, breuiter tibi valeo respoodere: faceres vtique sicut patriotae & propinqoi tui laici faciunt, scilicet voluntarie viueres inter tuos cooterraneos atque vicinos pacifice quoniam si aliter praesumeres, fortiores & superiores, qui tibi resisterent, teque reprimerent, inuenires.

Cap. LIII.

Et quooiam reprebeoderis de motibus corporis inordinatis attendendum mihi & tibi est quod beatus Gregorius dicit: *Quoniam interius est custodia, quae ordinata seruat exterius membra.*

Et sanctus Gregorius Nazianzenus habitum Iuliani Apostatae describit dicens: *Faciebat me cautum adeo inconstantia morum eius & excessus vberior. Vates enim egregius est, qui bene considerat. Nullum enim signum mihi in eo vtile videbatur, ceruix inflexibilis, humeri instabiles, oculi currentes, huc illucque directi & furiose respicientes, pedes impatientes, nares spirantes iniurias atque contemptum, schemata risibilia & hoc ipsum semper habentia, risus incontinens & quasi subbulliens, consensus & negatio simul, ratio nulla rationi consistens, interrogatio inordinata, atque responsio nulla conuenientia sibi conueniens.* Et sanctua Papa Gregorius quendam describens, potiusque depingens iuuenem, de eo dicit: *Quia erat superbus, & lubricus, verbis leuis, nutibus instabilis, mente tumidus, veste compositus, actione dissipatus.* Vnde atteodendum est nobis, quia si hae reprehensiooes io laicis quibuscumque potestatibus praedictis ita denotantur, quam damnabiles in nobis Episcopis habeantur, qui *lux mundi, & lucerna super candelabrum posita vt luceamus omnibus qui in domo Dei* id est, Ecclesia sunt positi, esse videmur? Haec tibi frater ac fili, scribo multo dolore ac coofusione compunctus, hortãs, vt in labro aeneo, quẽ Moyses de speculis mulierũ ante tabernaculum Domini excubantium fecerat, io quo Sacerdotes ministraturi in eadem domo Domini manus & pedes lauarent, mecum te conspicias: & in-

terius ibidem, id est, sacræ scripturæ præceptis per sanctos Dei nobis explanatis, & in eorundem sanctorum exemplis nostra reprehensibilia abluamus, & dignos nos fletibus & sanctis operationibus vt digne illi ministrare possimus, exhibeamus. Hinc enim omnipotenti Domino per Psalmistam dicitur: *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.* Iustificationes enim præcepta Dei dicuntur, in quibus idem Psalmista apertius dicit: *In tuis iustificationibus nõ obliuiscar sermones tuos.* In eis itaque nos viuificat, quia per hæc nobis spiritualem vitam demonstrat, eamque per afflationem Spiritus nostris mentibus infundit.

Cap. LIV.

Tandem hortor te, frater ac fili, & moneo, vt non te permittas decipi à flore iuuentutis, & sanitate corporis, & mundi illecebris, habens semper ante mentis oculos quod hinc sanctus Spiritus per beatum Iob dicit: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletus multis miseriis, quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt.* Et per Psalmistam: *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Thesaurizat & ignorat cui congregabit ea.* Habe semper ante mentis oculos, quam *terribilis* iudex noster sit *in consiliis super filios hominum* & quam districtus ad iudicandum veniet, cœlis & terris ardentibus, & vniuersis Cælorum virtutibus, atque omnibus creaturis in obsequium sui creatoris commotis, quando *ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum:* Quando veniet nos iudicaturus de cogitationibus, verbis, & actibus nostris, quem præueniendum nobis est in confessione, & plorandum ante eum, qui fecit nos. Attendendum est etiam quæ verecundia tunc erit in conspectu totius humani generis, omniumque virtutum Cœlestium confundi, & post confusionem quæ nos pœna sequetur, cum animam immortaliter morientem reatus inuoluet, & indeficienter deficientem carnem gehenna consumet, si radices cordis huic seculo perseueranter infixas habuerimus: quia nemo potest, vt scriptum est, *Hic gaudere cum seculo, & illic regnare cum Domino.* Simus igitur, vt docet Apostolus: *Quasi morientes, & ecce viuimus; vt castigati, & non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Momentis suis horæ fugiunt, & tempora dilabuntur.

Satagamus ergo vt in bonis & continuis operibus teneamur, quia scriptum est: *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Et de scriptis viri sancti continuis bonis operibus, scriptum est: *sic faciebat Iob cunctis diebus.*

Sicut ergo cotidianas & necessarias pensiones corpori reddimus, ita cotidianas atque continuas bonorum operum, scilicet continentiæ, lectionum, vigiliarum, & orationum, atque lachrymarum, & eleemosynarum, atque sacræ hostiæ oblationum, gemituũ quoque ex præteritorum pœnitentia, & sancto futurorum desiderio, pensiones animabus nostris effundentes eas in conspectu Domini reddere studeamus, & in his cum fide recta, spe firma, & charitate perfecta, perseuerantissime vigilemus, scientes quia Ioseph solus inter fratres talari tunica indutus legitur, & cauda pecoris in sacrificio Domino offerri præcipitur, quia, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et obaudiamus quod sapientia per Salomonem nos singulos exhortans dicit: *Quodcumque potest manus tua facere instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quo tu properas.*

Cap. LV.

In conclusione autem horum omnium tibi scribo quod beatus Helias Spiritu sancto repletus ad Heliseum eodem Spiritu sancto replendum dixit: *Quod meum fuit feci tibi.* Credo enim quia etiamsi (quod absit) me non obaudieris, labor meus non erit in te apud Deum inanis & vacuus. Etsi enim Æthiops niger in balneum intrat, & niger de balneo exit: non tamen balneator denarium, id est, pretium sui balnei perdit. Nos autem & sermones nostri in manu Dei sumus, qui dicit: *Pluam super vnam ciuitatem & super alteram non pluam* & quibusdam loquitur per vocem, & exigente culpa occulto atque iusto iudicio non loquitur per vnctionem: quibusdam vero gratiæ loquitur vnctione, id est, sancti Spiritus inspiratione cum voce. Det Dominus me, & velle, & dicere, & agere quæ iussit: & te audire quod expedit, & nobis ambobus ea velle & operari & in his perseuerare quæ præcipit, vt mereamur dona percipere quæ promittit.

NAm cum Hylarus Papa (quod sæpe tibi commemorandum, & memoriæ recondendum est) dicat: *Quia non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Et tu hæc commenta tua quæ contra sacras regulas durum tibi stimulum, calcitrando porrigenda Domino Regi, compilare, & quædam detruncando, quædam impostorando, pia sanctorum verba deprauare studueris & Episcopis obtuleris & à Clericis Laudunensis Ecclesiæ, ac parrœchianis Presbyteris subscribi feceris, & plurimos perturbaueris, à vinculo pacis atque vnitate Catholicæ vnanimitatis, quantum potuisti, segregaueris: nõ te palpes, non te decipias, quasi à damnatione in Macharium & Macedonium iaculata sis exceptus vel alienus, quoniam vt sanctus Gelasius dicit: *Idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, exsecrationem sui gestat & pœnam.* Et non tibi adplaudas de iuuentute corporis si es Machario inueterato & Macedonio in excessibus conueteratus. *Cunctis* (inquit beatus Gregorius) *scientibus liquet, quod vitia ad vetustam vitam pertinent, virtutes ad nouam.* Vnde & Paulus dicit: *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum.* Et iterum dicit: *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Psalmista itaque typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit: *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Contra inueterationem medicamentum salubre renouationis nobis propinat Apostolus dicens: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Quia etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.* Et à vitiosa vetustate cotidie renouamur, si studia circumspectionis inuigilent, orando namque, legendo, bene viuendo renouamur, quia vita nostra dum lachrymis lauatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur ad nouitatem suam, sine cessatione reparatur.

Sed & in eo quod idem Hincmarus Laudunensis Episcopus in libello posuit, quem sibi ab Hincmaro Episcopo Remorum profiteri ac subscribi poposcit, inter cætera dicens *Tibi Hincmaro Laudunensis Ecclesiæ Coepiscopo, tuum debitum, sacris præcipientibus Canonibus, priuilegium conseruabo*, nesciuit quod dixit: Quoniam (vt Hyeronimus ait) *Priuilegia singulorum communem legem facere non possunt*: & sacri Canones Prouincialibus Episcopis, & eorum Ecclesiis vel sedibus priuilegia, scilicet priuatas leges, vel iura priuata generaliter non dederunt. Quia, quod omnes generaliter habent, ius speciale vel dignitatis lex priuata esse non valet: sed Metropolitanis Episcopis, ac Metropolitanis sedibus

summam sedem nō petitus inde adiuuas, vnde à te se adiuuare non sentit. Iam per annorum millia etiam in paganismo orbis caput exsiteos, nec ex quo Petrum Apostolorum Cepham (quin caput & Principem cui Dominus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, id est, super hanc firmam & solidam fidei confessionem, quam tu es confessus *ædificabo Ecclesiam meam*. Et, *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Et, *Si diligis me, pasce oues meas*, videlicet quæ sunt in vniuerso mūdo, quaquauersum se Catholica diffundit Ecclesia, licet per terrarum plagas dispersa, sub vno tamen pastore ac pastorum Principe Christo vnitate fidei in o-uili vno conclusa) suscipere meruit. Prima sedes, & omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum mater atque magistra, antequam heri sero vel nudiustertius terra te germinaret, & vterus maternus in hanc lucem produceret, mansit & permanet. Nam non ego, sed tu illius potestati ac * priuilegio derogare videris, qui Dei ordinationi, quam per eam disposuit, vt nulli subesse valeas, resistere pro vt potes laboras, quamquam non vode, nec sicut Canones sacri, quos ipsa veneratur, & seruat, præcipiunt, sed pro motibus incompositi animi tui vndecumque & *per andronas*, de hora in horam appellas, & illam semel, etiam & secundo ab ea literis euocatus adire detrectas, cum ea, quæ voles, & pro quibus te illam fingis appellando adire, quolibet modo apud Dominum Regem obtines, pro certo sciens adhuc de causis regulari ordine non te compellari, pro quibus appellans in Synodo cum appellatione tua, illam, sicut ipsa per Canones præcipit, cures adire, licet absque rationabili necessitate, quantum ex te constat, litteras euocationis tuæ obtinueris, vt ipsam primam & sanctam sedem adires, cæterum ipsa vnde & sicut audit rescribit * Crede mihi, frater ac fili, si qui sunt, qui te hortantur in hac pertinacia quam indebite & sine vlla necessitate assumpsisti, & in qua permanes pertinere, non pro tua salute, neque pro tuo honore hoc faciunt. Et non Episcopum non quemcunique sanum sapientem inuenies, cum ad certam rationem veneris, qui tibi consentiat ita intelligere debere sacras regulas, sicut eas interpretaris, & ab aliis vis intelligi, vt nulli debeas subdi, quod tibi pressius demonstrabo, si necessitate (quod absit) cogente me ad hoc sine mea voluntate compuleris. Accipe ergo salubre & honestum tibi oblatum consilium: Depone noxiam tibi animositatē, & illas nænias, quin potius tragædias, quæ vadis per tuas collectiones & subscriptiones interpretando, mihi ostende, & tempore congruo cum quibus & cum quantis volueris de fratribus & Coëpiscopis nostris, sed & de communibus nostris fidelibus familiariter illas legamus, & inueniamus inde consilium, qualiter & sinē tuo periculo, & sine opprobrio sopiantur, quia illa tua subscriptio, diuinæ auctoritatis quæ per beatum Leonem dicit: *Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri*, est contradictio: Et si in plurimorum sapientum notitiam perlata fuerit, tua derisio. *Incipient* (inquit Dominus) *omnes illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit*, ædificare *& non potuit consummare*. Quia n. nihil fit, nisi quod aut Dominus voluntate facit, aut fieri contra voluntatem suam interdum iuste permittit: Et miro modo fit, vt & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia eius consilio militant, etiam quæ eius consilio repugnant: si quædam aliquando peruerse à peruersis obtinentur, vel euindicantur, aut ad eorum dānationem, aut ad electorum purgationem, aut ad vtrūque fieri Dominus iuste permittit, & in suo tempore eos irridebit, quia sicut item scriptum est: *Illusores ipse deludet*. propter quod Psalmista Spiritu sancto repletus, vnumquemque fidelem admonet, dicens: *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias: quoniam qui malignantur exterminabuntur. Et vidi impium super exaltatum, & eleuatum super cedros Libani: Transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

Matt. 16. Luc. 22. Ioan. 21. Luc. 14. Prou. 3. Psal. 36.

Cap. XLVI.

Quæ idcirco dico, quia sicut à pluribus audio, per vanitatem te iactitas, quoniam quæcumque incœpisti, aut contra Regem, aut contra me, aut contra quoscumque tuorum, siue clericos, siue laicos, qui contra tuam voluntatem fecerunt, vel contra vicinos tuos, qui se contra te erexerūt, totum ex parte maxima semper euicisti, &, quod adhuc restat, euinces. Vnde nunc potes in Domino te gloriari victorem, si per rectitudinem vincis errorem: si autem de errore errorem, aut vincis rectitudinem per errorem, non te potes gloriari victorem, sed debes flere miserabiliter te victum errore, & si ita non sapis, insipide desipis: quia vt de tristari & flere debueras, inde iactaris grauiore n. sunt vindicta plectendi, qui gaudent etiam in delictis, *& lætantur cum male fecerint; & exultant in rebus pessimis*. Et quidam sapiens dicit: *Qui semper vincit, non semper bene vincit*. Quando n. nobis diabolus vincendi libidinem suggerit, debemus recordari sententiæ beati Gregorii in capitulo X. huius opusculi supra positæ, qua dicit *sæpe se vidisse, quod cum se ad feriendum grauiter Rinoceros, id est, temporali potestate fultus, accenderet, & quasi eleuato cornu subiectis intentaret damnationem, repente fronti signo crucis impresso omne in se incendium irarum extinxisset, & minas deposuisset.* Et si homini sæculari potestate prædito sic vtique est agendū, quid nos [...] Sacerdotes in iudicio Dei dicemus, qui loco S[...]dotali deuincti, non nostras vllo modo, sed diuinas iniurias cum misericordia & discretione in alios, & cum seueritate in nosmetipsos vindicare debemus, si ad [...] iudicationem parati semper existimus? quib. dicitur: *Benefacite his qui oderunt vos: nō reddentes malū pro malo*. Scriptum est enim: *Mihi vindictam, & ego retribuam, ait Dominus: sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit potum da illi*. Et Salomon dicit: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbiū*. Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extra sunt quæ vincuntur, maius autem est quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus separatur, & semetipsum sibimetipsi subiicit, quando eum patientiam humilitate tolerantiæ substernit: *Qui* (inquit Apostolus) *sunt Christi, carnē suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, vt non solū à prauo opere, sed etiā à concupiscentia praui operis crucifixi non sequamur deliberatione. [...] me autem opere, quod praue à nobis concupiscitur, vel in mente suggeritur, Domini incessanter petentes clementiam, vt qui nos iussit vigilare & orare, *vt non intremus in tentationem*, sua nos gratia protegat, ne inducamur in tentationem: Et si vt homines labimur, citius ad pœnitentiam redeamus, *vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis eius* cui videlicet peccato, si tollere non possumus, vt non sit in nobis, tollamus tamē per Dei adiutorium illi regnum, ne dominetur nostri: Maxima quippe infelicitas est hominis in malo suo prosperari fœliciter: Scriptum est enim: *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter*. Non n. omne quod fœliciter, bene: nec omne quod bene, fœliciter. Fœliciter n. semper incedere filio perditionis est propriū. *Grandis namque offensa est* (vt Hieronymus dicit) *postquam peccauerit, iram Dei non mereri*. Et sanctus Gregorius: *Necesse est vt peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros esse, quādo eos cōspicim⁹ in culpa sua sine flagellis derelictos*. Hinc etenim per Salomoné dicitur: *Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorū perdet illos*. Quanto [...] Deo auertitur & prosperatur, tāto perditioni fit proximus,

Prou. 8. Rom. 12. Prou. 16. Galat. 5. Matt. 26. Rom. 6. Prou. 30. Prou. 1.

quanto zelo disciplinæ inuanitur alienus, quo contra Psalmista de Moyse, & Aaron & Samuele dicit: *Quia inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat illos, in columna nubis loquebatur ad eos: Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis.* Et more Prophetico conuersus mox ad Dominũ dicit: *Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuiste eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Propitiatio quippe Dei, est dalinquentẽ corripere: *cum iudicamur* [inquit] *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Et, *Qui in bonis ducunt dies suos* (vt scriptum est) *in puncto ad inferna descendunt.* Hinc n. Psalmista de Domino dicit: *Immissiones per Angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ.* Cor quippe Dominus prioribus meritis adgrauatum iusta permittit etiam subsequentib. malignorum spirituum persuasionib. falli, quod cum digne in culpã trahitur, reatus eius in pœna cumulatur: vnde & iræ suæ Domino viam facere, est in eos, qui punita in sa causas recte noluerunt, districte iudicando ditare, vt qui illuminati agere recta noluerunt, iuste cæcati adhuc faciãt vnde amplius puniri mereantur, de quibus dicit Apostolus: *vt impleant peccata sua semper.* Et hinc voce Angeli ad Ioannem dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordib. est, sordescat adhuc.* Et hinc Dauid dicit: *Appone iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.* Et hinc per Moysen dicitur: *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum.* Hinc per eundem Dominus dicit: *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? In die vltionis reddam eis.* Et quia eorum mala narrauit, illico adiunxit. *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum.* Ecce atrocissima peccata illorum describuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent iam quidem vnde feriri mereãtur, sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescens, vt peccãtes possit acrior culpa cruciare. Iam meretur suppliciũ peccatum & causa peccati, sed expectatur adhuc, vt augmentum supplicii subroget peccatum & pœna peccati, *Peccatum* (inquit Gregorius) *quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum est & pœna peccati, aut peccatũ simul causa & pœna peccati. Omne enim quod prius cõmittimus, peccatũ est sed si citius pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mẽtem etiam in culpam alteram permittit cadere, vt qui affiendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitentia lamento non diluitur, peccatũ simul est & causa peccati, quia ex illo oritur vnde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur peccatum simul est & pœna peccati, quia excrescente cæcitate ex retributione prioris culpa generatur, vt quasi iam quadam fiant in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum.* Peccatũ quippe tibi fuit insolentiæ contumacia, cum sine causa, si tamen sine causa, contra Dominum Regem te irrationabiliter erexisti; à quo peccato quia per humilitatis debitam & rationabilem satisfactionem noluisti resipiscere, exegisti vt agaret & agi præciperet in te, vnde amplius furore exagitatus te contra illum commoueres, qua commotione deuictus in peccatum subsequens incidisti, vt perniciosas excommunicationum maledictiones in eos etiam, qui erga te non inde peccauerunt, exereres, quasi non in te, sed in illum ipsa pericula, quæ de eisdem maledictionibus imminebãt, redundarent. Quis ta, ad hoc prouocauit vt taliter innoxiis malediceres? cum de his qui non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ maledicunt, dicat Apostolus: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Et hoc peccatum extitit pœna præcedentis contumaciæ insolentis peccati, & causa adhuc subsequentis peccati: quia cum voluisti ostentare nihil te contra rationem in ipsa excommunicatione parœchiæ tuæ fecisse, & verecundiam irrationabilis facti à ta depellere, & non esse ita te subditum Metropolitanæ prælationi, vt non libera quicquid velles in parrœchia tua sine meo consultu agere posses, me quasi præuaricatorem canonum esse, quia quod ligasti in parrœchia tua, præsumpsi absoluere, & non esse soluta quæ solui, quin potius sedes Apostolica, & omnes illi per quos Deus sacros Canones suo spiritu condidit ac per hoc ipse Deus (si recte intellexisses) absoluit, nisi contra, ea quæ tibi & parrœchiæ tuæ scripsi, tecum sentirent, atque in præfato sensu subscriberent. In hanc velamam ax retributione iustitiæ corruisti, vt sicut de aoarsora principe scriptum est: *Qui peccauit, & peccare fecit Israel:* contra Euangelicam veritatem & Apostolicam auctoritatem & sacrorum Canonum constitutionem, de quibus promulgata sunt illa scripta quæ per me in vnum collecta, & tibi ac parrœchiæ tuæ constant esse directa, & ipse subscriberes & alios subscribere faceres, reclamãtibus aduersum te sacris regulis inconsulto priorato nihil noui facere præsumas: *Quoniam quæ ad generalẽ obseruantiam omnium Domini pertinent sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri.* Sed quia neruí testiculorum Behemot perplexi sunt, cum his te explicare finxisti, te durius & multiplicius nexuisti, & super dolorem vulnerum tuorum ipse superaddens, alios solutos tecum connexuisti, insuper & contra sacros Canones, & decreta sedis Rom. Pontificum commenta ad hoc collegisti, quatenus ta vt Onagrum liberum à sede Metropolitana monstrares, & me vt præuaricatorem Canonum eisdem commentationum tuarum vinculis astrictum insolubiliter demonstrares, & adhuc etiam sicut de malo in peius, ita de peiore in pessimum profecisti, vt non solum tibi commissis clericis, sed & Episcopis illa figmẽta compilata, & Regi danda ostenderes, & mihi dari faceres, vt per illa me concrederem, & adeo me tibi subiugarem, vt (sicut mandasti) verba Euangelica & Apostolica atque Canonica, quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ direxeram, igne cremarem, & me non solum à gradu, verum & à Christianitate exuerem, & potum mortis mihi à te propinatum bibens, etiam homicida mei velut Iudas pœnitendo existerem, & in hoc etiam grauius à Iuda differrem, vt de bono facto me pœniteret. Hoc namque poculum quod confecisti ex nominibus sanctorum Apostolicæ sedis Pontificum, quasi ad ora melle oblitum, & indiscrete commixtum, de quo tibi commissos clericos potionasti, & quod quibusdam Episcopis obtulisti, & Sathanas primis parentibus nostris in paradiso obtulit, quando pomum bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile ostendit, eisque dixit: *Quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum:* Et quibus promisit diuinitatem, tulit immortalitatem, Et pollicens liberam & nulli subiectam deitatis æqualitatem, captiuitatis eis intulit miseram seruitutẽ, quos sibi complices fecerat ad iniquitatem. Et tu clericis tuis, *qui* (inquis) *mihi eodem Deo auctore commissi sunt, & in his similiter sentiunt, sollicite seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur:* Ac si patenter addendo diceres, *Et in transgressionem sanctarum regularum per sanctum vere Spiritum prolatarum gradiãtur.* Et mox subsequendo, *si* (inquiens) *aliqui secus volentes fieri socii huius disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ:* Quod non est aliud dicere, nisi permaneant in Catholicæ Ecclesiæ communione, & si forte non verbis, rebus tamen quibusdam Episcopis persuadendo, *Hanc* (inquiens) *tenete & mecum eundicate compilationem, & nulli nisi Romano Pontifici debebitis subiectionem, & dissipabitis mecum Dei ordinationem in communis Episcopalis ordinis discretam sedibus dignitatẽ* Sed concedamus hæc dicere & agere posse aliquẽ arrogantẽ atque iactantem, illa vero diuinare non valeo, quomodo in mentem tuam venire potuit, vt regi illã compilationem versibus inuersis, scilicet adulatoriis sensibus prælitam velles ostendere, quem latera non

posse sciebas ad quid illam voluisti colligere: sed & mihi quomodo potuisti mandare, vt non solum ea quæ ædificaui destruerem, verum sic metropolitanæ sedis priuilegium & meipsum tibi subijcerem, & Euangelia, atque Apostolos, & Prophetas, & Canones incendendo negarem, vt sicut Ethnicus & Publicanus omnibus fierem, cum licet infirmus & fragilis vna cum sancta Ecclesia frequentissime cantem, *Esse virum sanctum, qui pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem*: Et hinc anxie mihi hæsitanti occurrit Paulus de huiusmodi dicens: *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* De quibus & Dominus ad Ezechielem Prophetam dicit, *Patres* [inquiens] *eorum præuaricati sunt pactum meum vsque ad diem hanc, & filij dura ceruice & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.* Sed prius nobis ex verbis B. Gregorij dicendum est quid sit pactum, *In pacto* (inquit) *discordantium partium voluntas impletur, vt ad votum suum quæque perueniat, & iurgia desiderato fine concludat. Quod pactum inter Deum & homines præuaricatum Deus queritur, Et ecce est vna culpa superbiæ, quia præuaricati sunt pactum. Ecce altera obstinationis, quia vsque ad diem hanc. Ecce culpa grauis impudentiæ, quia dura facie quoniam mala quæ faciunt, iam nec erubescunt, & numquam vel post culpas ad pœnitentiam redeunt, quia indomabili corde sunt. Cum vero tanta prauitatis, tantaque obstinationis sint hi, ad quos Propheta mittitur, quis iam non videat quia persona Prophetæ à tam peruersis hominib. despici valeat? Sed ecce auctoritas personæ tribuitur, cum subditur. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus, si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant: quia domus exasperans est. Et tu, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quia domus exasperans est. Stultum enim valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Domino scimus. Debemus autem habere in metu & reuerentia iudicia iustorum, quia membra omnipotentis Dei sunt & hoc ipsi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguit è cælo. Nam peruersorum derogatio, vita nostra approbatio est, quia iam ostenditur nos aliquid iustitiæ habere, si illis displicere incipimus qui non placent Deo. Ideo boni timendi sunt ne offendantur, ne fortasse per eos ille prouocetur ad iracundiam, qui eorum corda semper inhabitat, propter quod etiam subditur: Tu autem fili hominis audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est. Nisi enim ad loquendum verba eum mittebatur, obediret, Omnipotentem Dominum sicut auditores de peruerso opere, sic Propheta, id est prædicator de suo silentio Deum exasperasset.*

Rom. 1.

Ezech. 2.

Hom. 9. in Ezech.

Cap. XLVII.

Vnde mihi, ad cuius sollicitudinem pertinere dinosceris, non est tibi tacendum: & quia ego monendo, & tu resistendo luctari cœpimus, & puto in hac præsenti luctatione non ante sextam, aut septimam, vel vsque ad decimam volutionem patieris succumbere; nempe [vt timeo] etiam cum ratione, veritate, atque auctoritate, ac nube testium; acriori duello Daretis & Entelli iustissime victus, & iudicum iustorum clamoribus percitus, iam subtus iacens, victum te dicere non dignaberis, & quæ ad tuam instructionem & correptionem tibi scripta sunt, non ad ædificationem suscipies, sed ad contentionem exaggerare studebis, & more tuo sucero vt inuictus sis, secutus Heliu præcursorem arrogantium, & in arrogantia sua inuictissimum, qui dixit, *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei; loquar & respirabo paululum, aperiam labia mea & respondebo*: Te intra te cohibere non poteris, quin scientiam tuam sine ratione & auctoritate in auras incondite, vt soles, non proferas, & vt me ad rescribendum compellere possis, quatenus horas vtilitati & necessitati impendendas inutilitati & superfluitati expendam, friuola & inutilia, atque ratione carentia rescribere decertabis, & illa quæ iam à me tibi scripta sunt, sed & tuas ineptias ad Episcoporum & sapientum examen me producere ad meum pro te dolorem & ad tuam perniciem exiges, & veniet super te (sicut vereor) illa sententia quæ scripta est, *Necesse est vt veniant scandala, væ autem homini illi per quem scandalum venit.* Et sicut me & eos qui mecum te nutrierunt, deinde alios atque alios, sed & plures de his, qui tibi commissi fuerunt, verum & de his, qui à te in fœdus familiaritatemque suscepti fuerunt, viritim dereliquisti, & vicissim alios atque alios tibi in amicitiam & familiaritatem recepisti, cum delegeris potius eorum, qui se per diuersa iactantes ab vnitate Catholicæ fraternitatis præciderunt, vel propter irreuocabilem suam pertinaciam præcidi exegerunt, vt nostris temporibus Gotescalcus, atque Gunianus, exitiabilem pertinaciam sequi, quam Ecclesiasticam mansuetudinem & piam paternitatem. Contingat tibi (quod absit) cum eis habere partem quorum studueris imitari peruersam intentionem, & idcirco si (quod non opto, sed timeo) in hac dementia, sicut cœpisti, volueris perseuerare, ne amplius contra verbosum studeam contendere verbis, sed ista aut ad correctionem, aut per aliorum iudicium ad tuam conuictionem sufficere valeant, & mihi de auulsione dextri oculi vel dextræ manus abscissione dolor continuus & perpetuus mœror accidat, sicut ex verbis beati Gregorij tria ibi proposui, *Peccatum*, scilicet, *& causam peccati, ac pœnam peccati.* Quæ etiam si negare velis, admisisse conuinceris, tibi alia tria ex verbis beati Augustini proponam, vt (sicut scriptum est) *Videas, & scias, recogites, & intelligas pariter.* Primum quidem pronectum auaritiæ, vnde Apostolus, *& auaritia quæ est idolorum seruitus. Auaritia enim*, vt demonstrat Gregorius, *non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis.* Recte quippe auaritia dicitur, cum super modum sublimitas ambitur, quod incidisse videris, qui contra decretum à Deo ordinatum, ne subditus secundum regulas tuo metropolitano fias (vt supra ostendi) rebellare conaris, in quo si perseuerare delegeris, quantum delinquas cum tantis auctoritatibus reuincaris, ex eiusdem beati Augustini verbis, quæ de sancti Cypriani dictis deprompsit; tibi ostendere necessarium duxi: Ait enim sanctus Cyprianus, *Post inspirationem* (inquiens) *& reuelationem factam qui in eo quod errauerat, perseuerat prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat: præsumptione atque obstinatione quadam nititur cum ratione superetur.* Hinc Augustinus, *Hoc verissimum est, longe grauius esse peccatum eius, qui sciens, quam eius, qui nesciens peccauerit: Et ideo vir sanctus Cyprianus non solum doctus, sed etiam docilis, quod in laude Episcopi, quem designat Apostolus, sic ipse intellexit, vt diceret etiam, hoc in Episcopo esse diligendum, non solum vt scienter doceat, sed etiam patienter discat. Non dubito quod si istam quæstionem in Ecclesia diu multumque versantem cum viris sanctissimis doctissimisque tractaret, per quos postea factum est, vt antiqua illa consuetudo etiam plenario Concilio firmaretur, sine dubitatione demonstraret non solum quam doctus esset in his quæ firmissima veritate perceperat, verum etiam quam docibilis in his quæ minus aduerterat. Et tamen cum manifestissimum sit multo grauius peccare scientem quam nescientem, vellem mihi aliquis diceret; Si quis in hæresim incurrat, nesciens quantum malum sit, & alius ab auaritia non recedat, sciens quantum malum sit, quis eorum sit peior? possum etiam ita proponere si alius nesciens in hæresim incurrat, & sciens alius ab idololatria non recedat, quia & Apostolus dicit; Auaritia quæ est idolorum seruitus: Et ipse Cyprianus eandem sententiam non aliter intellexit, sicut dixit ad Antonianum scribens, vbi ait; Nec sibi in hoc noui blandiantur, quod se dicant Idololatris non communicare, quando sint apud illos & adulteri & fraudatores, qui teneantur Idololatriæ crimine. Hoc enim scitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator quod est Idololatria, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* at iterum, *Mortificate itaque membra vestra quæ sunt super terram, forni-*

Matth. 18.

Iob 32.

Esa. 6.

Col. 3.

Epist. ad [...] Lib. de [...] contra Donatistas [...]

Coloss. 3.

Ephes. 5.

Coloss. 3.

cationẽ, immunditiã, & concupiscentiam malã, & auaritiã, quæ est idolorũ seruitus. Quæro ergo, quis peccet grauius, quo nesciẽs, in hæresim incurrerit, an qui sciẽs ab auaritia, i. ab idololatria non recesserit? Secundum quidem illã regulam, qua peccata scientiũ peccatis ignorantiæ præponuntur, auarũ cũ scientia vincit in scelere hæreticũ nescientẽ; Sed ne forte hoc fallat in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in auaritia sciẽtis animi admissio; Hæreticum nesciẽs auaro sciẽti coæquetur. Exustionẽ quoq; diuinorũ eloquiorũ quod mihi persuadere, si posses, obtentu apud te obtinendæ pacis, conatus fuisti, sicut clericos parrochiæ tuæ eodẽ obtentu per irregularẽ subscriptionẽ tecũ connexuisti. Legimus quippe esse os cordis, sicut & os corporis: de ore n. cordis scriptũ est, *Labia dolosa in corde & corde locuti sũt.* [Psal. 11.] Et iuxta Euangelicã veritatẽ, *De corde exeũt cogitationes malæ; homicidia, periuria, falsa testimonia,* & reliqua, quæ ex ore cordis ad aliorum procedunt notitiam per os corporis. [Matth. 15.] Et legimus deliberationem voluntatis esse perfectionẽ operis dicẽte Domino, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* [Matth. 5.] Et ad discipulos suos, *Posui,* (inquit) *vos, vt eatis & fructum afferatis.* [Ioan. 15.] *Eatis* [inquit Gregorius] *volendo, fructum afferatis operando. Eatis enim volendo, dixi, quia velle aliquid facere iam mente ire est.* Et tu adeo ex deliberatione voluntatis peruenisti ad operationem sermonis, vt mortiferum ad bibẽdum mihi propinares, scilicet, vt eloquia sacra gratia tui incenderem, nisi mihi ille adesset qui in se credentibus repromisit dicens, [Marc. 16] *Si m- ortiferum quid biberint, non eis nocebit. Dum pestiferas* (inquit beatus Gregorius) *suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauã minime pertrahũtur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit:* Et licet me Deus hinc gratia sua seruauerit, tu tamen, nisi pœnitueris, studii tui lues iudiciũ: *Taedio* (inquit beatus Gregorius) *peccatum soluitur, quod & per consiliũ solidatur: nisi n. mẽs omnimodo æterna despiceret in culpa ex iudicio non periret.* Hinc est quod per Prophetã Dominus non tam præcipitationũ praua, quã delictorũ studia reprehendit dicens, [Hierem.] *Ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & nõ sit qui extinguat propter malitiã studiorum vestrorum:* Hinc iterũ iratus dicit, [Hierem.] *Visitabo super vos iuxta fructũ studiorum vestrorum.* Quoniã igitur peccatis aliis differũt peccata quæ per consilium perpetrantur, non tam praua facta Dominus, quã studia prauitatis insequitur; In factis n. sæpe infirmitate, sæpe negligẽtia; in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Hinc ergo colligãt qui in culpa se etiã per cõsilium ligant, quandocumq; vltione feriendi sunt, qui nunc prauorum non socii, sed principes fiunt. Schisma nihilominus quo te à tibi cõmissis separaturum monstrasti, nisi tecũ subscriberẽt, quos tecum subscribentes à nobis, qui ea, quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ de Euangelica veritate, & Apostolica auctoritate, atque Canonica institutione direxi, seruamus, immo ab Ecclesia Catholica, quæ illa seruat, & irrefragabiliter omnes seruare docet, vt quoniam me ex merito meo despicis, ex beati Augustini verbis de scripturæ sacræ auctoritate docentis agnoscas, quam graue peccatum sit Idololatria, quod ex ambitu altitudinis admisisse videris, & quia grauius est incensio diuinorum eloquiorum, ad quod me, quantum ex te fuit, traduxisti: & quoniam grauissimum sit peccatum schisma, quo te à fraterna nostra vnanimitate per tuam perniciosam subscriptionem separasti, si in eo [quod absit] permanere delegeris, & si forte his subscripsisti quæ Euangelicæ veritati & Apostolicæ auctoritati contraria, & decretis sanctorum Conciliorum, quæ vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus & Apostolicæ sedis confirmauit auctoritas, inueniuntur aduersa. Ait enim idem B. Aug. loquens ad Donatistas, immo contra Donatistas schismaticos, per carnis præsentiam, sicut tibi nunc loqui creditur, per litterarum suarum doctrinam, &, quæ moti nunquam potuit, charitatem, velut ipse de Cypriano dicit, *Præsens est* [inquiens] *non solum per litteras suas, sed etiam per ipsam, quæ in illo maxime viguit & mori nunquam potuit, charitatem.* Quique te cum præfatis alloquens, [Lib. 5. de bapt. c. 7] *Quare* (inquit) *vos non dico ab innocentibus, quod probatur; sed ab ipsis, quod non probatur, traditoribus separastis? An, vt dicere cœperam, grauiora sunt crimina traditorum, quam schismaticorum?* [Lib. 2. de bapt. c. 6] *Non afferamus stateras dolosas vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue, hoc leue est, sed afferamus diuinam stateram de scripturis sanctis tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, immo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Tempore illoque Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est,* [Exod. 32] *& Propheticus liber ira Regis contemptoris incensus & schisma attemptatum, Idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captiuitate,* [Hier. 36] *schisma hiatu terræ sepultis auctoribus viuis, & cæteris cælesti igne consumptis, quis iam dubitauerit hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius vindicatũ?* [Num. 16] De eo quod in tua subscriptione misisti, vt tecũ subscribẽtes, *Solliciti seruare vnitatem Sp. in vinculo pacis, hæc tecum pace potiantur,* in eodem libro dicit ad Donatistas, *Quare non communicatis Ecclesiis, quibus Epistolas Apostolicas missas tenetis & legitis, & secundum ipsas vos viuere dicitis?* [Lib. 2. de bapt. ca. 6.] Et post pauca, quæ studio breuitatis prætereo, & lector ibidem ex ordine poterit inuenire. *Hos* [inquit] *omnes Catholica vnitas materno sinu complectitur inuicem onera sua portantes, & studentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum si quid aliter sapiebant, Dominus reuelaret.* [Ephes. 4] De hoc autem quod quasi ex verbis Leonis subiunxisti, [Ep. 1. c. 8] *Si aliqui fecus voluerint fieri socii huius disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ:* Conferantur verba tua cum verbis Leonis in capitulo vbi hæc dicit, & iunctim legantur, sicut ibi habentur, *Hoc itaque admonitio nostra denũciat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.* Ne quid vero sit quod permissum à nobis forte credatur, *Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii quã omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari:* Hæc est integritas capituli beati Leonis. Intueamur ergo si disciplina discenda tuis à te proposita, disciplinæ, quã sequendam Leo docuit, æqua forte conueniat? Aut si tua doctrina ab illius doctrina discordet? Et iudicet cœlum ac terra quæ potius sit sequenda tua disciplina, an Leonis doctrina. Et cum idem Leo dicat, *Nec communionis nostræ esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ,* discernendum est, cuius communionem, illius cum vniuersali Ecclesia, an tuam oppidani Episcopi cum tuis complicibus debeat Catholicus quisque eligere, præsertim cum idem Leo dicat, *Si quis in decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum suorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari:* In quæ decretalia constituta te manifestum est commisisse, sicut & in scriptis semel & secũdo à me tibi directis ostẽditur & ecce iam in tertio hoc scripto supra monstratur, à quorũ disciplina, immo à Catholica Ecclesia, cuius extitere rectores, hac subscriptione tua te separasti, si (vt prædictum est, & semper dicendum est) à te subscripta eisdem constitutis esse inueniuntur aduersa. Quapropter adhuc etiam tria tibi ex verbis B. August. Catholicæ Ecclesiæ doctoris eximii proponenda proposui, præponens his tribus beati Cypriani sententiam à beato

Augustino fauorabiliter conlaudatam & ab omnibus Catholicis ac pie viuentibus acceptandam. *Seruatur* (inquit beatus Cyprianus) *à nobis patienter & leniter charitas animi, honor collegij, vinculum fidei, concordia sacerdotij.* *Hæc* [inquit Augustinus] *verba Cypriani sunt, An forte inuidia & maliuola dissensio paruum malum est? quomodo ergo isti erant in vnitate, qui non erant in pace? Vox enim non mea, aut alicuius hominis, sed ipsius Domini, nec per homines, sed per Angelos sonuit Christo nato: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Quod vtique nato in terris Christo non sonaret ore Angelico, nisi Deus hoc vellet intelligi, eos esse in vnitate corporis Christi, qui sunt in pace Christi: eos autem esse in pace Christi, qui sunt bonæ voluntatis. Porro sicut in beneuolentia bona voluntas, sic in maliuolentia mala voluntas est? Iam vero ipsa inuidia, quæ non potest esse nisi maliuola, quantum malum est? Non quæramus alios testes, sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de zelo & liuore Dominus veracissima intonuit, & salubria præcepit. Legamus ergo Epistolam Cypriani de zelo & liuore, & videamus quantum malum sit inuidere melioribus, cuius mali originem ab ipso diabolo extitisse memorabiliter docet: Zelare* (inquit) *quod bonum videas: & inuidere melioribus, leue apud quosdam & modicum crimen videtur, fratres dilectissimi. Deinde paulo post, cum eius mali caput atque originem quæreret: Hinc diabolus* (inquit) *inter initia statim mundi & periit primus & perdidit. Et paulo post: Quale malum est* [inquit] *fratres, quo Angelus cecidit? quo circumueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit? quo deceptus est ipse qui decepit, exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est: Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte eius.*

Ep. 75. ad Iubaianum in fine. Lib. 4. de bapt. cap. 7. Luc. 2. Sap. 2.

Hæc idcirco tribus præmissis de verbis beati Augustini à me tibi proponendis præposui, quoniam & zelo & furore illa perniciosa ligamenta, de quibus agitur, te egisse, & hanc contra sacras regulas subscriptionem adinuenisse, veraciter credimus. Quapropter necessarium duxi primum quidem tibi ostendere, quia in sola Catholica vnitate per hæreses vel schismata non diuisa vera sunt ligamenta, vt vera sunt sacramenta. *Puto me* (inquit beatus Augustinus) *non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari super petram, quæ vnica columba appellatur, sponsa pulchra sine macula & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, Paradisus cum fructu pomorum: quæ domus etiam claues accepit ac potestatem soluendi & ligandi. Hanc domum si quis corripientem corrigentemque contempserit, sit tibi* (inquit) *tanquam Ethnicus & Publicanus.* Et sciendum nobis est quia præposita regula corripiendi data huic domui Dei, videlicet Catholicæ Ecclesiæ, hæc sententia si contempta fuerit subditur: *sit tibi* (inquit) *tanquam Ethnicus & publicanus.*

Lib. 7. de bapt. c. 6. Can. c. Mat. 16 & 18.

Secundum autem capitulum contra iniustam obligationem innoxiorum à te patratam, quasi specialiter de hoc facto loquentis, & te vna cum eis, quos alloquebatur, computantis, ex verbis eiusdem doctoris magnifici tibi propono, dicentis: *Si tunc in illos, quos arguebatis, vera diceretis, causam vestram vnitati orbis terrarum persuasissetis, vt vobis retentis illi excluderentur. Quod si conati estis facere, & non obtinuistis, innocens orbis terrarum qui iudicibus Ecclesiasticis potius quam victis litigatoribus credidit. Si autem noluistis agere causam vestram, innocens est orbis terrarum qui damnare non potuit inauditos. Quare ergo vos ab innocentib. separastis? sacrilegium schismatis vestri defendere non valetis.* Spirituales autem siue ad hoc ipsum pio studio proficientes non eunt foras, quia & cum aliqua vel peruersitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probant quam intus permaneant, cum aduersus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida vnitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur.

Matth. 18. D. Aug. li. 2. de bapt. c. 6

Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur: *Aues autem non diuisit*, videlicet quia se ab vnitate spirituales non præcidunt. Quo contra Antiochenum Concilium de his, qui se à ministerio Ecclesiastico subtrahunt, & seorsum colligunt, seque ab vnitate diuidunt, dicit: *Si quis Presbyter aut Diaconus Episcopum proprium contemnens se ab Ecclesia sequestrauerit, & seorsum colligens altare constituerit, & commonenti Episcopo non adquieuerit, nec consentire vel obedire voluerit semel & iterum reuocanti, hic damnatus omnimodo nec vltra remedium consequatur quia suam recipere non poterit dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare & sollicitare persisterit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.* Et Carthaginense Concilium: *Si quis Presbyter à præposito suo correptus fuerit, debet vtique apud vicinos Episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari: quod nisi fecerit, sed superbia* (quod absit) *inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, aut separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeat, & locum amittat: si querimoniam iustam aduersus Episcopum non habuerit, inquirendum erit.*

Gen. 15. Conc. Antioch. can. 5. Conc.

Secundum hoc capitulum simul cum nono capitulo Antiocheni Concilij, comministri Ecclesiæ Laudunensis absque schismate & rebellione, iuxta temporis angustiam & imminens periculum, innocenter iniuriam passi Episcopum Metropolitanum adierunt, & idem (sicut supra ostendi) in communione Ecclesiastica restitui, & permanere debuerunt. Vnde Carthaginense Concilium de irregulariter iudicantibus, & iniuste iudicatis, & de maioris auctoritatis iudicibus: *Placuit* (inquit) *vt à quibuscunque iudicibus Ecclesiasticis vbi est maior auctoritas fuerit prouocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.* De Episcopo autem si forte schisma à sacris Canonibus in Ecclesia fecerit, Africanum Concilium dicit: *Circa eos sane* [inquiens *qui fuerint non solum circa Ecclesiam Carthaginensem, scilicet Metropolim, sed & circa omne sacerdotale consortium.* Et post pauca: *Oportet, vt qui vniuersis fratribus ac toto Concilio inhæserit, non solum suam iure integro sed & diœceses possideat. At vero qui sibimet putant plebes suas sufficere fraterna dilectione contempta, non tantum diœceses amittant, sed* (vt dixi) *etiam proprias publica careant auctoritate, vt rebelles.* De à te autem separatis à communione Catholica, sicut in petitione mihi à Laudunensi Ecclesia data continetur, scilicet paruulis in tua parrœchia causa iniuriarum tuarum non baptizandis, & obeuntibus viatici muneris communione non reconciliandis: audi quid ea in de ad remedium pertinens idem doctor Catholicissimus & subtilissimarum rerum inuestigator, & gratia Dei inuentor sagacissimus dicat: *Baptismi* (inquiens) *sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, hodie mecum eris in Paradiso, non leue documentum idem beatus Cyprianus assumit, quod etiam considerans, inuenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit, passus est sed dum pateretur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili baptismi sacramento quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur inuisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nam multo magis in Cornelio & in amicis eius, quam in illo Latrone posset videri superfluum, vt aqua etiam tingerentur, in quibus iam donum Spiritus sancti, quod nisi baptizatos alios accepisse sancta scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquentibus*

Conc. Aug. 4. de bapt. c. 22. Luc. 23. Rom. 10. Act. 10.

defuerat: baptizati sunt tamen, & in hoc facto Apostolica extat auctoritas. Vsque adeo nemo debet in quolibet prouectu interioris hominis (si forte ante baptismum vsque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit) contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur: sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur: nec ob aliud existimo baptizandi munus Ioanni fuisse attributum, ita vt Ioannis baptismus diceretur, nisi vt Dominus ipse qui dederat, cum seruis baptismum non spreuisset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum baptisma, quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissime declararet. Videbat enim tanquam potentissimus medicus salutis æternæ quorundam non defuturum tumorem, qui cum intellectu veritatis & probabilibus moribus ita profecissent, vt multis baptizatis vita atque doctrina se præponere minime dubitarent, superuacaneum sibi esse crederent baptizari, quando ad illum mentis habitum se peruenisse sentirent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conarentur. Quid autem valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti, sine qua tamen latro ille non fuit, quia non ei accipienda voluntas defuit: sed non accipienda necessitas affuit, difficile est dicere: nisi tamen plurimum valeret, non seruis baptismum Dominum accepisset. Verum quia per se ipsa consideranda est, excepta salute hominis, cui perficienda adhibetur, satis indicat, quod & in malis, & in eis, qui sæculo verbis non factis renuntiant, ipsa integra est, cum illi, nisi corrigantur, salutem habere non possint. Sicut autem in latrone, quia per necessitatem corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritaliter affuit, sic & cum ipsa præsto est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus. Quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiæ cum paruuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quinetiam flendo & vagiendo cum in eos mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et si quisquam quærat in hac re auctoritatem diuinam; quanquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur, tamen veraciter conijcere possumus, quid valeat in paruulis baptismi Sacramentum ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet iustificatus est Abraham, sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti priusquam baptizaretur ditatus est: Dicit tamen Apostolus de ipso: Abraham signum accepit Circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, qui iam corde crediderat, & deputatum illi erat ad iustitiam. Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum, per seipsum, Sacramentum multum valebat? Quod in filio Moysi per Angelum manifestatum est, qui cum adhuc incircumcisus a matre ferretur, præsenti & euidenti periculo vt circumcideretur exactum est, & cum factum esset, depulsa est pernicies.

Sicut ergo in Abraham præcessit iustitia fidei, & accessit Circumcisio signaculum iustitiæ fidei, ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. Et sicut in Isaac qui octauo suæ natiuitatis die circumcisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei: Et quoniam patris fidem imitatus est secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante præcesserat, ita in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore. Et sicut in illo latrone quod ex baptismi Sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo enim pro eis alii respondent, vt impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet: ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter mouet, Ætatem habet, ipse pro se loquatur. Quibus omnibus rebus ostenditur, aliud esse Sacramentum baptismi, aliud conuersionem cordis: sed salutem hominis ex vtroque compleri, nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante: & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo siue in illo, siue in isto quod non ex voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuoluit: & baptismus quidem potest inesse vbi conuersio cordis defuerit: conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque enim vllo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur. Et quia sicut veridica est sententia Saluatoris nostri: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum:* Scilicet aut inuisibili gratia cum visibili Sacramento: aut inuisibili gratia sine visibili Sacramento renatus: ita veridica est eiusdem Saluatoris nostri sententia, qua dicit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vnde idem beatus Augustinus in sermone ad infantes ad altare accedentes de Sacramento: *Dominus,* inquit, *Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit: qui accepit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat: Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, inuenitur.*

His autem, qui forte obeuntes viatici muneris communione reconciliari petierunt, sed impetrare non potuerunt, conuenire posse videtur remedialis sententia eiusdem beati Augustini, quam laudans sensum beati Cypriani de his qui in vnitate Ecclesiæ dormierunt, & idcirco ab Ecclesiæ muneribus non separati credebantur, dicit: *Bene quidem præsumpsit quia charitas vnitatis cooperire possit multitudinem peccatorum.* Et his concinens B. Ambrosius in libro de morte Valentiniani inter alia dicit: *Non habet ergo gratiam quam desiderauit, quam poposcit? Et quia poposcit, accepit: & vbi illud est. Iustus quacunque morte præuentus fuerit, anima eius in requie erit? Solue igitur, Pater sancte, munus seruo, quod Moyses, quia in spiritu vidit, accepit, quod David, quia ex reuelatione cognouit, meruit. Solue inquam seruo tuo Valentiniano munus, quod concupiuit, munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. Si affectus ægritudine distulisset, tamen non penitus à tua misericordia esset alienus, quo celeritate temporis esset non voluntate fraudatus. Solue ergo seruo tuo munus tuæ gratiæ, quam ille nunquam negauit, qui ante diem mortis templorum priuilegia denegauit insurgentibus quos vereri posset: Adstabat virorum caterua gentilium, supplicabat senatus, non metuebat hominibus displicere, vt tibi soli placeret in Christo. Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc mouet: Ergo nec Martyres, qui catechumeni fuerint, coronantur? Non enim coronantur, si non initiantur: quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.* Et item idem in eodem libro: *Beatus plane, qui vel in senectute correxerit errorem. Beatus,*

Ioan. 9. Cap. 24. — Ioan. 3. — Ioan. 6. — Sap. 4. — Psal. 18. Psal. 36.

qui vel sub illa morte animum auertit à vitiis. Beati enim, quorum tecta sunt peccata, quia scriptum est: Desine à malo, & fac bonum, & inhabita in seculum seculi. Quicunque ergo desierit a peccatis, & fuerit ad meliora conuersus, habebit supernorum indulgentiam peccatorum, qua fuerit vel pœnitendo confessus affectu, vel corrigendi auersus ingenio.

Cap. XLVIII.

Ex his, frater, diligenter attende & perspicaciter collige, quia licet sicut in illo latrone, quod ex baptismi sacramento & communicatione corporis & sanguinis Christi, quæ sacramenta antequam Dominus in cruce ascenderet suis discipulis celebranda sumenda & cunctis fidelibus tradidit, defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat. Et sicut paruulis naturali, id est, alieno peccato obnoxiis, aliorum, id est, patronorum fides pro eis respondentium in baptismate fit ad salutem, ita paruulis quibus baptismum denegari iussisti, parentum vel patronorum corde credentium, & pro paruulis suis fideli verbo baptisma expetentium, sed non impetrantium, fides & fidelis postulatio prodesse potuerit, dono eius, cuius *Spiritus*, quo regeneratio fit, *vbi vult spirat*, quia ipse habet in potestate cuius cor gratia suæ visitationis inlustret, sicut & in illis duobus qui inter LXX. conscripti fuerunt à Moyse, vt ad tabernaculum Domini irent, & propagato eius spiritu inter seniores computarentur, & remanentes in castris prophetauerunt, & sicut ante baptismum in Cornelium & amicos eius superuenit, & sicut secundum Africanum Concilium, & decreta Leonis etiam signa petentium, & testes communionem postulantium proficere ad salutem debere legitur, ita eisdem petentibus, licet non impetrantibus communionem, quibus eam denegari iussisti, *Per viscera misericordiæ Dei nostri, qui posuit tenebras latibulum suum*, & cuius misericordiæ nec modum possumus ponere nec tempora diffinire, dicente Dei Spiritu per Prophetam, *Cum ingemueris, tunc saluus eris: quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Ipsa ex desiderio fidelis postulatio, si non præscientia Dei ex retributione iustitiæ fuerunt in massa perditionis totius humani generis relicti ad pœnam, sed gratia Dei ex eadem massa prædestinati ad gloriam, prodesse valuerit, tamen tu securus esse non potes, si aliqui sine eisdem sacramentis per tuam iussionem obierunt, vt non districte inde iudicet tua malignitas, quod in eis complere valuit omnipotentis benignitas, si per dignos pœnitentiæ fructus, ac profusas lachrymas veniam non obtinuerit tibi apud Deum vera humilitas, dicente Leone, & per eum Catholica & Apostolica Ecclesia: *His*, inquit, *qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei Spiritu per Prophetam.* Cum ingemueris, tunc saluus eris: *Et alibi*, Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris: *Et iterum*, Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud Deum redemptio. *In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se gemitus lachrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo*; Ne forte det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Et paulo post, *Verum, vt dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, negetur. At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Et Gregorius, *Pastores Ecclesiæ eis pœnam debent admouere quam meruit, qui noluerint confiteri quod fecit.* Et sacri Niceni Canones generaliter, *Omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui manifeste præcipiunt.*

Tertium capitulum est de his, qui nimis amant sententiam suam, vel inuidendo melioribus vsque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium perueniunt; Vnde idem doctor Catholicus ac solertissimus dicit: *Hoc*, inquiens, *facit sanitas pacis, vt cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerumque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur; vel quomodo teneant vnitatem, cum in rebus obscurioribus diuersa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant, declaratam esse cognoscunt. Quorum duorum manifestatum tenemus; Vnum in B. Cypriano, id est, quomodo tenuerit vnitatem cum eis a quibus diuersum sentiebat; Ait enim. Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes. Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod sentiebat inuentam: & si litteræ tacent, merita clamant, si Epistola non inuenitur, corona testatur: si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum. Non enim paruum documentum est pacatissimæ animæ eius vnitate martyrium meruisse, vnde se diuersum sentiens noluit separare. Homines enim sumus. Si subito aliquid aliter sapimus, quam se res habet, humana tentatio est, nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium, peruenire diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere quam se res habet, angelica perfectio est: quia itaque homines sumus, sed spe Angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quandiu in nobis non habemus perfectionem Angelicam, non habeamus præsumptionem diaboli. Ideo dicit Apostolus, Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Humanum est ergo aliquid aliter sapere. Propterea dicit alio loco; Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus: Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Quibus autem reuelat, cum voluerit, siue in hac vita, siue post hanc vitam, nisi ambulantibus in viam pacis, & in nullam præcisionem deuiantibus? Non quales isti sunt, qui viam pacis non agnouerunt, nec propter aliud vnitatis vinculum diruperunt. Ideoque Apostolus cum dixisset; Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit, ne putarent præter viam pacis, quod aliter sapiebant sibi posse reuelari, continuo addidit; Verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus, in quo ambulans Cyprianus perseuerantissima tolerantia sine fuso sanguine, sed in vnitate non fuso, quia si traderet corpus suum, vt arderet, & non haberet charitatem, nihil ei prodesset. Per Martyrii confessionem peruenit ad angelicam lucem, vt si non antea, ibi certe reuelatum agnosceret, quod cum aliter saperet, sententiam diuersa opinionis vinculo non præposuit vnitatis. Quod autem adiungit Cyprianus & dicit; Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est, cum magis sapientibus & Deum timentibus congruat, patefacta & perspecta veritati libenter atque incunctanter obsequi, quam pertinaciter atque obstinate contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari, verissime dicit; Ne alteri potius quam sibi aduersatur qui resistit apertissimæ veritati. Primatus autem non est nisi in sancta conuersatione & vita bona, quo pertinent omnes, ex quibus tanquam membris constat illa sponsa non habens maculam neque rugam, & illa columba inter malorum coruorum improbitatem gemens, nisi forte cum Esau propter lenticulæ concupiscentiam primatum perdiderit. Tenere primatum arbitrandi sunt*

fraudatores, raptores, fœneratores, inuidi, ebriosi, & cæteri huiusmodi, quales in Ecclesia sui temporis etiam per litteras Cyprianus ingemuit. Quapropter aut quod est tenere Ecclesiam, non hoc est in diuinis tenere primatum: aut si omnis qui tenet Ecclesiam, etiam primatum tenet, omnes illi iniqui Ecclesiam non tenent, qui tamen intus videntur & baptismum dare & habere, a nullo nostrum negatur. Nam eos primatum in diuinis habere quis dicat, nisi qui nihil diuinum sapit? Et foris quidem, id est, in hæresi vel schismate, & nec ligari aliquid potest, nec solui vbi non sit qui aut ligare possit, aut soluere. Sed soluitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem, siue aperte foris sit, siue intus esse videatur. Dathan vero & Abyron, qui sibi sacrificandi licentiam vsurpare conati sunt contra vnitatem populi Dei, & filii Aaron, qui alienum ignem altari imposuerunt, nouimus quod impune non fecerint, nec nos alia scelera dicimus impunita remanere, nisi se tales correxerint, si patientia Dei ad pœnitentiam adducens tempus corrigendo largitur. Spiritus autem Sanctus, qui in sola Catholica per manum impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ipse est enim charitas, quam non habent qui ab Ecclesia Catholica communione præcisi sunt, ac per hoc etiam, si linguis hominum & Angelorum loquantur, si sciant omnia Sacramenta, & omnem scientiam & si habeant omnem Prophetiam & omnem fidem, ita vt montes transferant, & distribuant omnia sua pauperibus, & tradant corpus suum vt ardeant, nihil eis prodest. Non autem habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem, ac per hoc recte intelligitur dici, non accipi nisi in Catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt hi quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui, sed inuisibiliter & latenter intelligitur pro vinculo pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Multa autem sunt operationes Spiritus sancti, quas idem Apostolus, cum quodam loco, quantum sufficere arbitratus est, commemorasset, ita conclusit, Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus diuidens vnicuique, prout vult. Cum ergo aliud sit sacramentum quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus quæ in malis etiam hominibus solet fieri, sicut Saul habuit Prophetiam, aliud operatio eiusdem spiritus, quam non nisi boni habere possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quodlibet hæretici & schismatici accipiant, charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ vnitatis & pacis, nec eius in omnibus, quia nec omnes sunt eius, sicut suo loco videbimus: præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, sine qua cætera etiamsi agnosci & approbari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt. Et sanctus Gregorius in libro moralium. *Conflationis ignis qui extra Catholicam toleratur Ecclesiam, quam nullius omnino virtutis sit Paulus Apostolus insinuat dicens, Si tradidero corpus meum, vt ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Alii quippe praua de Deo sentiunt, alii recta de auctore tenent, sed vnitatem cum fratribus non tenent, illi errore fidei, isti vero schismatis perpetratione diuisi sunt: Vnde & in ipsa prima parte Decalogi verarumque partium culpa reprimuntur, cum diuina voce dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, atque mox subditur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Qui enim de Deo peruersa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit, Qui vero de Deo recta sentiens à sancta Ecclesiæ vnitate diuisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac vnitate matris ecclesiæ siue per hæresim de Deo peruersa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo, diuiditur, charitatis huius gratia priuatur: de qua hoc quod præcipuus Paulus dicit: Si tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem autem non habeam nihil mihi prodest: ac si aperta voce diceret, extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus tormento me cruciat, mundatione non purgat: Hunc omnes sanctæ pacis amatores summo studio locum quærunt, hunc quærentes si inueniunt, hunc inuenientes tenent, scientes peccatorum remissio, vel vbi, vel quando, vel qualibus detur: vbi quippe, nisi in Catholicæ matris sinu?* Quando, *nisi ante venturi exitus diem? quia, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et, *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Qualibus nisi conuersis, qui ad paruulorum imitationem magistra humilitate formantur, quibus dicitur, Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Et, *Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et in decretis Apostolicæ sedis, quando Vigilius ex Apostolico post multa & terribilia perpessa Sarraceni ota in hæresim lapsus Constantinopoli detinebatur, ab Ecclesiæ Romanæ Catholicis clericis Ioanni schismatico presbytero directis, quæ ipsa sancta Romana Ecclesia inter Catholicas regulas retinet, inter alia scriptum est; *Sic semper habuit omnis Ecclesia, quia qui in vna communione consentiunt, vno dogmate, vna charitate, vno tenentur assensu.* Sicut enim communio & ex omnibus offerentibus vna fit, & vna redit in omnibus, non parte corporea, sed virtute diuina: sic vnanimitas per omnes illic communicantes excurrit.

Nam si non est vnius consensionis signum vna communio, quid erit quod ad confitendam per omnem Ecclesiæ consonantiam mystice celebretur? Nec nobis iam dicas, *Ergo si criminosus sit Sacerdos, crimen redundat in populos.*

Aliud est enim quod committitur, aliud quod etiam prædicatur. Priuatum est, quod ab vnoquoque committitur: commune vero fit Ecclesiæ quod publice prædicatur, tantorumque Sacerdotum manu subscribitur. Et sicut tu absolui non potes si contraria ore prædices, & contraria voce eodemque tempore manu subscribas, sic ipsa omnium vestrum collectio absolui non potest si contraria dicat, & contraria faciat, id est, si communicet sacerdoti, à cuius prædicatione & subscriptione dissentit. Sicut enim os tuum & manus tua vnius eiusdemque corporis membra sunt, ita vnius eiusdemque Ecclesiæ membra sunt Sacerdotes & populus, siue cum Catholicis Catholicus, siue cum non fidelibus infidelis. Inde est enim quod à Domino in fine sæculi colligi iubentur zizania & alligari in fasciculos ad comburendum. Hoc est quod sancto Propheta Ezechiel testante: *Si Sacerdos non distinxerit populo, ipse quidem populus in suo peccato morietur, animam tamen eius de manu Sacerdotis inquiro.*

Non ait, quia extra peccatum populus est, non morietur, sed, quia in suo peccato morietur, sed populus quidem pro seipso tantum, Sacerdos vero etiam pro populo. Hinc est, *Si cæco cæcus ducatum præbeat,* non ipse qui ducatum præbet solus, sed *ambo in foueam cadunt.* Et item in eisdem decretis, *Schismaticus enim & hæreticus populus schismatico & hæretico Sacerdoti communicans:* Sicut vniuersa Dei semper tenuit, & tenet Ecclesia. Schismaticus & hæreticus in regnum Dei intrare non possunt, sed pars eius est in gehenna. Cessa igitur talia prædicare, quæ scelus sit cogitare. Cessa vastare gregem Christi, ne (sicut & ipse negare non potes) super tuum caput sit illius populi vniuersi perditio. Quod quidem tibi perfectæ damnationis est causa, illos vero absoluere omnino non poterit.

Et item ibi, quod & in alio loco istius ipsius opusculi posui, *Quisquis assumit principi schismatis, schismaticum esse negare non poterit.* Quod si & omnes Sacerdotes &

mundus assentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Sed quid miseri facietis, quia qui illum & prædixit & fecit, ipse ignis diluuium nunc minatur, ipse gehennæ sine fine tormenta? Sicut enim iustos in æternam vitam prædixit ituros, sic impios æterno damnandos interitu, vt sicut non potest finiri beatitudo iustorum, sic nec impiorum tormenta finiantur: Hæc hæreticis schismaticisque sunt, & quia quicquid nunc gerit Ecclesia, mysticè typus est futurorum, si gustabunt de pane cœlesti, id est, de suauitate diuina gehennæ participes, damnatio est schismaticis & hæreticis corporis Christi communio. Et sanctus Augustinus in epistola Concilij Africani ad Donatistas, *Quisquis*, inquit, *à Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere quod à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnusquisque in ea proprium portabit, sicut Apostolus dicit, &* [1. Cor. 11] Quicumque in ea corpus Christi manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. *Cum enim dicit*, iudicium sibi manducat, *satis ostendit quia non alteri iudicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam & personam suam nec præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis:* Et Prosper in libro sententiarum, *Escam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Audis, frater, quia nimis amando quis sententiam suam, vel inuidendo melioribus, ad sacrilegium schismatis peruenit. Audis, quia non in schismate, nec nisi in vnitate Ecclesiæ est primatus. Audis quia non in schismate & non nisi in Ecclesiæ vnitate vera sunt ligamenta, in qua vera & ad salutem pertinentia sunt Sacramenta. Audis, quia non in schismate, & non nisi in vnitate Ecclesiæ datur vel accipitur Spiritus sanctus, per quem diffunditur [Rom. 5.] *charitas in cordibus nostris.* Audis, quia illis, qui non sunt in vnitate pacis Ecclesiasticæ, si gustant de pane cœlesti, est perfecta damnatio corporis Christi communicatio. Depone ergo tumorem cordis tui, & pertinaciam contumacis animi tui: & nimium amando sententiam tuam noli te præcidere ab illa charitatis compage, in qua omnia Sacramenta Ecclesiastica Catholice percepisti, & in qua idcirco es ordinatus Episcopus, vt in ea permaneres, & alios in ea permanere fide & operibus, exemplis & verbis doceres. Denique [Aug. de bapt. li. 1 c. 11. & c. 15.] vnde oriantur schismata, idem Catholicus doctor dicit: [1. Cor. 15] *Origo & pertinacia schismatis nulla est alia nisi odium fratris.* [1. Cor. 2. Gal. 4. 1. Cor. 2.] Et, *Ecclesia non prius carnales, vel animales, & postea spiritales habuit, sed in ipsa sorte mortalitatis nostra, ex quo de Adam nascimur, non est prius quod spiritale, sed quod animale, postea spiritale. Ex ipso autem animali sensu, quia homo animalis non percipit quæ sunt Spiritus Dei, omnes dissensiones & schismata generantur: in quo sensu præsonerantes Apostolus dicit, ad vetus testamentum pertinere, id est, ad terrenorum promissorum cupiditatem, in quibus quidem spiritalia figurantur: sed animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Quocumque ergo tempore tales homines esse cœperint in hac vita iam diuinis per sæculorum distributione Sacramentis imbuti, adhuc tamen carnaliter sapiant, & carnalia de Deo siue in hac vita, siue post hanc vitam sperent atque desiderent, animales sunt.* [Cyprian. ep. 63. ad Anton.] Et item ex verbis beati Cypriani, vt partim & supra scripsi, quod tibi necessarium est replicari, dicit: *Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit Apostolus Paulus: Qui primum fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, & misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero & reuelationem factam qui in eo quod errauerat perseuerat, prudens & sciens sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.* Hinc [Aug. [illegible]] Augustinus: *Hoc verissimum est longe grauius esse peccatum eius qui sciens, quam eius qui nesciens peccauerit. Et ideo vir S. Cyprianus, non solum doctus, sed etiam docibilis (quod in laude Episcopi tamen designat Apostolus) sic ipse intellexit vt diceret, etiam hoc in Episcopo esse diligendum, non solum vt scienter doceat, sed etiam patienter discat. Docibilis autem ille est, qui ad discendi patientiam lenis & mitis: oportet enim Episcopum non tantum docere, sed & discere: quia & ille melius docet qui quotidie crescit & proficit discendo meliora. His vtique verbis satis indicat vir sanctus & pia charitate præditus, non esse metuendum sic eius epistolas legere, vt si quid postea pluribus & diuturnioribus inquisitionibus compertum Ecclesia confirmauit, non ambigamus: quia sicut multa erant quæ doctus Cyprianus doceret, sic erat & aliquid quod Cyprianus docibilis disceret.* Hæc frater, auribus percipe, & mente intellige, & non dedigneris cum Cypriano, & Augustino, Apostolo præcipiente, docibilis esse Episcopus, & quia si perseuerare in obstinatione & præsumptione tua delegeris, cum ratione supereris, prudens & sciens sine venia ignorantiæ peccabis. Hinc enim Psalmus dicit: *Descendant in infernum viuentes*, id est, labantur in peccatum scientes.

Vnde Leo ad Constantinopolitanos scribit, dicens: *Nam si vix in laicis tolerabile videtur inscitia, tanto magis in eis qui præsunt nec excusatione est digna nec venia, maxime cum etiam defendere peruersarum opinionum commenta præsumunt, & in consensum suum, aut terrore, aut gratia insanabiles quosque traducunt, separentur huiusmodi à sanis membris corporis Christi, neque sibi Catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi.* Reuoca ergo te à pertinacia tua, quoniam illi, quos in conuenticulis tuis ad tecum subscribendum pellexisti, vel coegisti, habent quidem excusationem, quoniam aut captiuas manus sine cordis consensione timori dederunt, aut ignorantes quid agerent palliata [illegible] tua de vinculo pacis & communione pacis tuæ consensu etiam deliquerunt, aut forte scientes & illi [illegible], isti quiddam tibi exinde suggerere ausi non fuerunt: Vnde beatus Gregorius: *Nemo*, inquit, *amplius in Ecclesia nocet quam qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur, quibus est facilior venia quoniam inest eis & leuior culpa.*

Nam de his qui per ignorantiam peccauerunt inducti, sanctus Augustinus in supra memorato opere [Lib. 1. de bapt. c. 2.] dicit: *Si quem forte*, inquiens, *coegerit extrema necessitas vbi Catholicum per quem accipiat non inuenerit, & in animo pacem Catholicam custodiat, per aliquem extra vnitatem Catholicam positum acceperit quod erat in ipsa Catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita emigrauerit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cum Catholicæ congregationi etiam præsentia corporali redierit, vnde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat.*

De his autem qui scienter, sed causa timoris vel fauoris in hanc transgressionem ierunt. Leo ad Pulcheriam Augustam scribit; *Sic vtimur iusta communionis, vt non amittamus remedia charitatis, quod sicut pietas vestra cognoscit non verbis solis promitur, sed etiam factis decetur. Siquidem pene omnes, qui in consensum præsidentium in illo Ephesino non iudicio, sed latrocinio, aut*

traducti, aut coacti rescindendo quod statuerant, & condemnando quod scripserant, perpetuam culpæ abolitionem & Apostolicæ pacis gratiam sint adepti.

Et in epistola ad Anatolium; *Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recepimus, quos dolemus esse deceptos. Nec aspere igitur communio: nec infragrate denegenda est, nec temere largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressam charitatem Dominicam redhibere, ita iustum est omnia perturbationis auctoribus imputare.*

Audite igitur & tu & illi, quos traduxisti, vel ad tecum subscribendum coëgisti, admonitionem beati Augustini, qua eos (de illis alloquens qui se ab vnanimitate fraterna disciderunt) admonuit, dicens: *Videant*, inquit, *nihil sibi remansisse quod dicant, sed tamen remansisse quod faciant, vt pro salute eorum præteritis sacrificium dilectionis offeratur placabile Deo, cuius vnitatem nefario scelere disruperunt, cuius Sacramentis tam diuturnas iniurias irrogarunt. Misericors est enim & miserator Dominus, longanimis & multum misericors, & verax. Amplectantur in præsenti vita misericordem & longanimem, & timeant in futura veracem. Non vult enim mortem impii, quantum vt conuertatur & viuat: quia sententiam flectit aduersus iniurias irrogatas. Hæc est nostra exhortatio: propter hoc nos habemus inimicos, quia vera dicimus, quia tacere metuimus, quia cessare ab instantia quanta possumus formidamus, quia obtemperamus Apostolo dicenti: Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, hortare, increpa: sed sicut Euangelium loquitur, Dilignnt gloriam hominum magis quam Dei: & reprehendi ad tempus timent, damnari in sempiternum non timent. Vident etiam ipsi quid mali faciant. Vident non esse quod omnino respondeant, sed nebulas imperitis ostendunt, cum ipsi veris iubeantur, id est, scientes & agnoscentes intereant. Vident horrere homines & grauiter detestari quod etiam seipsi in multa schismata diuiserunt, & maxime in Africa capite & notissima ciuitate Carthagine conati sunt resarcire dedecus pannorum suorum, putantes quod possent Maximianistas auferre.* Et post aliqua: *Vrget eos vsque veritas, vident se non habere quid respondeant, & putant se non habere quid faciant, quid loquantur non inueniunt, tacere non permittuntur: malunt peruersis vocibus veritati reluctari, quam confessio erroribus pacis restitui. Quis autem non intelligat quid in corde suo possint dicere: Quid ergo faciemus inquiunt, de his quos iam rebaptizauimus? Et vos: Quid ergo faciemus de his quos iam traduximus, vel quid faciemus qui traducti sumus? Respondetur: Redite cum eis ad Ecclesiam, videlicet ad vnanimitatem fraternam: Medicamento pacis offerte curandos quos vulnerastis. Vitæ charitatis offerte suscitandos quos occidistis. Multum valet ad propitiandum Deum fraterna concordia. Si duobus ex vobis (ait Dominus) conuenerit super terram, quicquid petieritis fiet vobis. Si duobus hominibus, quanto magis duobus populis? Simul nos Domino prosternamus, participamini nobiscum vnanimitatem, participemus vobiscum dolorem, & charitas cooperiet multitudinem peccatorum.*

Et beatus Gregorius in homilia Ezechielis dicit: *Perfectorum semper & viuentes & lachrymas ante mentis nostræ oculos ponamus, imitemur quæ in illis aspicimus, vt dum experimur per incrementa crescere, possimus ab illo districte examine mala quæ fecimus velare: in assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia habemus Sacerdotem in cœlis qui interpellat pro nobis: de quo etiam per Ioannem dicitur: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ecce exultat animus, cum aduocati nostri potentiam audimus: sed exultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse, qui nobis aduocatus est, dicitur iustus. Nos enim causas iniustitiæ habemus. Iustus vero aduocatus iniustas causas nullomodo suscipit, nec verba dare pro iniustitia consentit. Quid ergo agimus charissimi fratres mei? Sed occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & defleamus, & accusemus: scriptum est. Iustus in principio accusator est sui. Quilibet etenim peccator conuersus in fletibus iam iustus esse inchoatum cœperit accusare quod fecit. Cur enim iustus non sit qui contra suam iniustitiam iam per lachrymas sæuit? Iustus igitur aduocatus noster iustos non defendit in iudicio, quia & nosmet ipsi & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus.* Timeamus quod scriptum est: *Filius malus ipse se iustum dicit, exitum autem suum non abluit*: hoc est, vt Aug. dicit *Non excusat, non diluit, non defendit.* Noli ergo, frater, te conuertere, post auditas tot sacras auctoritates, & admonitiones, ac salubria tibi porrecta consilia, ad excusandas excusationes in peccatis, atque ad contumacem defensionem, cũ nemo quærat tuam correctionem, & coram Deo & hominibus saluationem. Et hæc legens quæ tibi paterna deuotione scribo cum his etiam beati Gregorii non prolixam verborum numero, sed maximam ac pretiosam intelligentia in mentis arcano reconde sententiam, qua dicit: *In verbis*, inquiens, *sacri eloquii iste debet studii nostri ordo seruari, vt hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus ne alia faciamus: & cum iam ex magno vsu lachrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, verba Dei quæ intelligimus, ad vitam quoque & alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, vt & nobis prosint & intentione spiritali aliis conferantur.*

Cap. XLIX.

Audiamus & obaudiamus beatum Apostolum focum nos admonentem: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes, inuicem prouocantes.* Et iterum nobis dicit: *Videte quomodo caute ambuletis, non vt insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Et, *Subiecti estote inuicem in timore Christi.* Et, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et, *Honore inuicem præuenientes.*

Dic frater ac fili, quid aliud à te exegi postquam Episcopus factus es, & diuitias terrenas adeptus es, nisi vt Deum haberes placabilem, & Episcopaliter viuens, & Episcopalem habitudinem gerens, te hominibus faceres venerabilem? & pro quibus me contra te commoui nisi quia te talem coram Deo ad salutem, & coram seculo ad honorem Episcopali grauitati & ordini debitum, esse cupiebam, & esse commonebam, & tibi hoc esse graue videbam, & hoc quidem tibi graue hactenus esse potuit, & propter ætatem, & quia seculi huius instabilitatem, ac quam mutabile & fragile sit, catenos non cognouisti: *Nunc autem hora est iam nos de somno surgere*: Et non debemus esse semper iuuenes, sicut bos malus semper est vitulus.

Debemus ante oculos mentis neglecta reducere, & de pristinis erubescere, sicut egregius prædicator nos admonens dicit: *Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis?* Et debemus certare, *vt fructum nostrum habeamus in sanctificatione, finem vero vitam æternam.* Et si, frater & fili, me non vis aut dedignaris audire, audi & obaudi ipsum beatum Paulum Apostolum Timotheum spiritalem filium suum, quem iuuenem Episcopum ordinauerat, admonentem: *Exerce*, inquit, *teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, & impositionem manuum Presbyterii: hoc enim faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Sin autem time frater ac fili quod terribiliter Dominus dicit ei qui vnum talentum acceperat, & abiens fodit in terram & abscondit pecuniam Dñi sui

Mat. 25. *Serue male & piger sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi*, & reliqua. Talentum quippe in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, lucrum spiritale non quærere, cor à Homil. 9 terrenis desideriis nunquam leuare. *Sunt namque* (vt beatus dicit Gregorius) *nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, sed tamen sola qua carnis sunt sapiunt, de quibus per Prophetam dicitur: Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem nesciunt facere: sed Dominus qui talenta contulit, rationem positurus redit. quia is qui nunc spiritalia dona distribuit, districto in iudicio merita exquiret, quid quisquis accepit considerat, & quod lucrum de acceptis reportet, pensat.* Considera ergo quæ sine tuo merito in talento intelligentiæ accepisti, & vide ne in terra illud abscondas, & (quod Deus longe faciat à te) inde ab illo damneris.

Cap. L.

Denique dicitur à quibusdam, quod portare patienter non possis, vt tibi à quoquam dicatur: *Quod* 1. Cor. 4. *quisquam tibi bonum aliquid sine tuo merito exhibuerit:* Hæc namque qualitas animi non de humilitate, sed de superbia manifeste descendit. Ait enim Apostolus: *Quid enim habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis?* Hæc enim & Domini cõsuetudo, & sanctorum eius in scripturis legitur esse, vt cum non recognoscimus à quo bona accepimus, & aut bonis factis malis operibus respondemus, aut ingrati existimus, ostendantur bona quæ nobis impensa sunt, quatenus illa recognoscentes de malis nostris & de bonorum ingratitudine erubescamus, & ad bona reparanda, & ad gratias referendas conuertamur: sic enim Dominus agere in scripturis sæpissime legitur, vt de plutibus pauca numero, sed non merito ad medium deducemus: Ait enim ad peculiarem populum suum: *Popule* Mich. 6. *meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Ostende mihi: Adduxi vos per desertum quadraginta annis, non sunt attrita vestimenta vestra: manna de cælo pluit vobis, & obliti estis me?* Et ad Dauid dilectum seruum suum, de quo dicit: *Inueni Dauid seruum meum, qui faciet omnes voluntates meas: Ego*, inquit, *te tuli de domo Patris tui, & posui te pascere gregem populi mei, & fui tecum in om-* Act. 13 *nibus vbicunque ambulasti, firmans regnum tuum in æter-* 2. Reg. 7 *num:* Et alia plurima quæ illi improperat, quoniam post multiplicia dona grauiter in eum sine respectu peccauerat.

Lege epistolas Pauli ad Corinthios, & ad Galatas, & hinc sufficienter inuenies: Namque quatuor legimus species arrogantium, cum aut bonum se putant à se habere quod habent: aut pro meritis suis se habere quod habent, aut singulariter se habere quod habent, aut præ cæteris se habere quod habent: Ab his omnibus Prou. 4 cor tuum custodi, iuxta quod scriptum est: *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

Cap. LI.

Dicitur & à multis quod & Clericos & laicos tibi commissos in multis exeniis per diuersas occasiones graues, quod sanctus Leo Papa non Christianæ de- Ep. 84. ad Anastasium. notioni, minime autem Episcopali religioni conuenire ostendens, dicit: *Sicut, inquit, prælatus non vult gravitis oneris sarcinam ferre, ita non audeat aliis importabilia pondera imponere: Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri dicentis? Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.*

Mat. 11 Qui humilis & mitis magister iterum de graui & importabili prælato dicit: *Si dixerit*, inquiens, *malus ille seruus in corde suo, moram facit Dominus meus veni-* Mat. 24 *re, & cœperit percutere conseruos suos: manducet autem & bibat cum ebriis, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius*

ponet cum hypocritis. Hinc beatus dicit Gregorius, *Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ, ministerium regiminis vertit in vsum dominationis.* Et beatus Apostolus Paulus vetat, *Non percussorem esse Episcopum:* Non quidem qui non percutiat pugnis subditos, sed qui non percutiat actis & dictis suis conscientiam subiectorum, quos per Prophetam Dominus redarguit, *Qui percutiunt pugno impie.* Audiendum ergo nobis est prælatis quod per quendam sapientem dicitur, *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis.* Et, *diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Timere etiam debemus ne prælatio & honores, quos in isto sæculo habemus, si aliquid boni sumus, retributio nobis fiat, & à retributione iustorum alienos efficiat. Vnde Abrahæ voce ardenti diuiti dicitur, *Memento fili quia recepisti bona in vita tua.* Idcirco enim bona hic recepit & malus, vt illic plenius mala reciperet, quoniam hic fuerat nec per bona conuersus: quia cũ largientem Deũ humana mens boni operis resp[on]sione non sequitur, vnde nutrita est, inde ei crescit, iustius inde damnatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur, *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Quoniam videlicet reprobi cum recta opera diuinis muneribus non rependunt, cum totos se hic deserunt, & affluentibus prosperitatibus dimittunt, vnde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt; A multis enim dicitur, quod vix pauci, aut potius nulli apud te quiddam beneficii, nisi præmii datione præualent obtinere, quod satis superque sanctarum scripturarum auctoritati contrarium, & Canonum est sacrorum decretis aduersum vt res & facultates Ecclesiasticas, quas in ordinatione Episcopali ad regendum & regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri præmium in beneficium dones, cum Paulus Apostolus Tito describens qualis debeat esse Episcopus, inter alia dicat, *Oportet*, inquiens, *Episcopum sine crimine esse, sicut dispensatorem, non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.* Et item idem dicit, *Auaritia quæ est idolorum seruitus.* Et, *Radix omnium malorum cupiditas.* Et sacri Carthaginenses Canones, *Omnino*, inquiunt, *cuiquam Clericorum non liceat de qualibet re fœnus accipere.* Et paulo post. *Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in Clericis prædamnari. Vniuersum Concilium dixit, Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelia facit sine periculo.* Et Nicænum Concilium, quod sæpe & in aliis inuenitur Canonibus, more suo plures causas vno comprehendens capitulo hinc eum aliis conclusiue dicit, *Quoniam multi sub regula constituti auaritiam & turpia lucra sectantur, iuste censuit sancta & magna Synodus, vt si quisque inuentus fuerit ex admonitione &c. vel qualibet modo negotium transigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deiciatur à clero, & alienus existat à regula.* Et Leo in epistola ad vniuersos Episcopos per vniuersas Prouincias constitutos. *Illud*, inquit, *duximus præmonendum, vt sicut non suo, etiam alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attemptet, indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere, fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, vt quod hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter, & in perpetuum mansura tribuet, recipere valeamus. Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrũ contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio summouendũ,* Mat. 25 *nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ.* Et Dominus in Euangelio *Esuriui*, inquit, *& non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere, hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non cooperuistis me; infirmus in carcere & non visitastis me:* Quib. etiã præmittit dicens, *Discedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui præparatus est Diabolo & angelis eius.* Ecce nequaquã audiũt, quia rapinas vel quælibet alia violcnta commiserunt. & tamen æternis gehennæ ignibus

ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animaduersione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subicit pœnæ non tradita. Perpendant quod meretur iniustitia inlata, si tanta percussione digna est pietas non impensa.

Cum aliena rapere intendunt, audiant quod scriptum est, *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo & adgrauat contra se densum lutum?* Auaro quippe densum lutum contra se adgrauare, est terrena lucra, cum pondere peccati cumulare. Cum multiplicare largæ habitationis spatia cupiunt, audiant quod scriptum est. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci: Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ?* Ac si aperte diceret; Quo vsque vos extenditis, qui non habere in communi mundo consortes minime potestis? Coniunctos quidem premitis, sed contra quos vos valeatis extendere semper inuenitis. Cum augendis pecuniis inhiant, audiant quod scriptum est, *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis.*

Fructus quippe ex illis caperet, si eas bene spargere non amando voluisset: quia vero eas diligendo retinet, hic vtique sine fructu derelinquet. Cum repleri cunctis simul opibus inardescunt, audiant quod scriptum est, *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Profecto enim quoniam augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus, cum escam terrenarum rerum auidus conspicit, quo strangulatur peccati laqueo non agnoscit. Cum quælibet præsentis mundi lucra desiderant, eaque, quæ de futuro, damna patiuntur, ignorant, audiant quod scriptum est, *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Ex hac quippe vita initium ducimus, vt ad benedictionis sortem in nouissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditati festinant, sortem sibi in nouissimo benedictionis amputant: quoniam dum per auaritiæ nequitiam hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Cum vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta, quæ ambierint, possunt, audiant quod scriptum est, *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum fiat?* Ac si aperte veritas dicat: quid prodest homini si totum, quod extra se est, congregat, si hoc solum, quod ipse est, damnat? Hinc quoque te frequentissime monui, & adeo corripui, vt etiam contra me & mihi fideles inde scandalum sumpseris, & quas vel quantas potuisti insidias moliri studueris. Sed & Dominus Rex in suis litteris tibi datis ex hac causa monuit hoc modo, *Verum (inquiens) prius te dignum duco monere, vt clerum & plebem tibi commissam, quæ te, nullo cogente, sed spe ducti, quia pro amore tui auunculi, qui & nobis, & regno, ac Ecclesiæ regni nostri in multis profuit, me videbant te diligere: & quia putabant te illius vestigia secuturum, & consiliis obediturum, & quoniam Laudunensem municipium Rhemensi Ecclesiæ, in qua nutritus fuisti, vnitum antiquitus fuerat, deuote elegerunt, & obnixe sibi pastorem ordinari petierunt, debitam eis vicem rependens, Episcopalem ac paternalem benignitatem impendas, & non eos tam dure tractes atque affligas, neque illis alios quos ante non nosti præponas vel superponas, & de gremio Ecclesiæ tibi commissæ in qua nutriti & educati fuerant, illos sicut quosdam iam expulisti, vel abscedere compulisti, non proiicias, vel cum gemitu ibidem consistere cogas.* Lege intelligenter & retine tenaciter hanc Epistolam beati Gregorii ad Constantinum Mediolanensem Episcopum: *Scripta (inquit) fraternitatis vestræ suscipientes magnas omnipotenti Deo gratias retuli, quia ordinationis vestræ meruit celebratione releuari. Quod vero ex superno munere in electione vestra concorditer omnium concurrit adsensus, hoc fraternitatem cum summa debet consideratione pensare, quia post Deum vobis est debitrix eis, qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt. Decet igitur vos Sacerdotali benignitate eorum moribus in omnibus respondere, eorumque necessitatibus pia compassione concurrere, si quorum fortasse sunt vitia, hæc maturis obiurgationibus increpate, vt ipsa quoque Sacerdotalis indignatio, virtute sit admixta dulcedinis, quatenus & tunc a subiectis amari debeat etiam cum grauiter mouetur, quæ personam vestram apud eorum iudicium in magnam quoque reuerentiam adducit: quia sicut præcepis furor vsitatusque despicitur, ita contra culpas discreta indignatio plerumque quo tarda fuerit, eo amplius sit timenda.* Diligenter etiam debes attendere (quod non in mea, sed in Dei laude, cuius est donum, pro tua vtilitate dico) quia & ego nutritor tuus, apud quem à pueritia vsque ad iuuentutem tuam exegisti ætatem, sicut vidisti & audisti, non pro largitione beneficiorum, non pro commendatione ministeriorum, non pro receptione eorundem ministeriorum, non pro redhibenda gratia mea his qui in me offenderant, non per quamcunque petitionem cuiuscunque adiutorii, non per quascumque adinuentitias occasiones, aut à clericis, aut à laicis, aut à parrœchianis presbyteris, quæcumque pretia, vel exenia, seu emolumenta exegi, vel quolibet modo quæsiui, sed in omnibus eorum profectum, & loci mihi commissi vtilitatem attendi. Vnde & reminisci debes quia sæpius te commonui, vt tibi commissis qui te libenter legerunt, non onerosus, sed gratiosus existeres. Et si meæ adinonitiones non tibi placent, lege cum aliis homiliam beati Gregorii in Euangelio, *Ego sum pastor bonus*, & eam mente reconde, in qua inter alia dicit de summe & essentialiter pastore bono, cuius formæ debemus inniti, *Cognosco (inquit) oues meas, id est, diligo, & cognoscunt me meæ, id est, diligentes obsequuntur: quia oportet vt nobis commissi magis dilectione in Christo obediant, quam seruili timore coactæ gementesque deseruiant.* Nam de huiusmodi prælationibus vel præmissi negotiis, quibuscumque adinuentionibus præmia vel exenia quæcumque accipere, simoniacum & contra sanctas scripturas, atque (vt supra ostendi) contra sacros Canones. Vnde etiam leges, quibus debitæ obseruationis reuerentiam sancta Ecclesia exhibet in CXVII. constitutione, capitulo CCCLII. constitutionis Iustiniani dicunt, *Venerabilium administratores sine pecunia fiant. Nullus vtque ex Xenodochii, neque Ptochotrophyi, neque Nosocomyi, neque alicuius religiosæ domus administrator, vel cuiuscumque curæ Ecclesiasticæ gestor præstet aliquid ei, à quo præponitur, vel cuicumque personæ pro commissa sibi administratione. Qui autem præter hæc quæ disposuimus dederit aliquid, vel acceperit, vel mediator factus fuerit, sacerdotio, vel clero, vel commissa sibi administratione nudabitur, hæ quæ data sunt, vindicandis religioso loco, cuius talis persona consecrationem, vel curam vel administrationem accepit: sin autem laicus sit qui acceperit vel mediator factus est, duplum ab eo exigatur & religioso loco, in quo talis persona, vel administrationem, vel consecrationem, vel curam accepit, præstetur.* Iuste igitur & rationabiliter leges sanctis scripturis & Canonibus concordantes talia decreuerunt, quia vt sanctus Leo dicit, *Auaritiam merito Apostolus radicem esse malorum omnium definiuit, Nullum enim peccatum sine cupiditate depascitur, & omnis illicitus appetitus istius auiditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque est iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Hæc perfidus Iudas ebriatus veneno, dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum.*

Cap. LII.

A multis etiam denotaris, quod superbia efferaris, & vana gloria iactiteris, atque arrogantia superens: Vnde ego tu, quasi in speculo, in verbis beati Gregorii nos nostrasque mentes conspiciamus, & nos coram diuinis oculis componamus: Ait enim, *Superbia (inquiens) quam vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta contra cuncta animæ membra se ea*

Marginalia: Isa. 5. — Eccl. 5. — Prou. 28 — Prou. 20. — Luc. 9. — Ioan. 10 — CXV. CCCCLII. — Ser. 9. de Domin. — Lib. 1. Tim. 6. — Lib. 31. Moral. ca. 18. — A — B — C — D

erigit, quasi generalis ac pestifer morbus omne corrumpit, vt quicquid illa inuadente agitur, etiam si esse virtus ostendatur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ seruiatur. Quasi enim Tyrannus quidam obsessam ciuitatem intercepit cum mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius eos virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Quisquis vero eius in se tyrannidem captiua mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo iudicij æquitatem perdit. Nã cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur displicent, & sola ei quæ ipse vel praue egerit placent, semper aliena opera despicit, semper miratur quod facit, quia & quicquid egerit, egisse se singulariter credit; atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimetipsi per cogitationem fauet: nec considerat quid alter bene amplius quam ipse, sed quid bene ipse amplius quã alter habeat: neque enim pensat quæ bona Spiritualiter acceperit, & ipsi desint, sed quæ bona ipsi & quæ mala sint alteri: Et cum se in cunctis transcendere cæteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat: Nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur vt in eo quod tumet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur, & tanto facilius ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc enim scriptum est; Ante ruinam exaltabitur cor: & hæc elatos alios ex rebus sæcularibus, alios vero ex spiritualibus possidet. Alter namque tumescit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter summis cælestibusque virtutibus, vna tamen eademque superbia ante Dei oculos agitur quamuis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diuerso amictu palliatur. Aliter autem præpositos, atque aliter subditos tentat. Prælato namque in cogitationibus suggerit quia soli vita merito super cæteros excreuit, & si quæ ab eo aliquando bene gesta sunt, hæc importune eius animo obijcit, & cum huic Deo singulariter placuisse insinuat, quo facilius suggesta persuadeat ipsam ad testimonium potestatis traditæ retributionem vocat, dicens; Quia nisi omnipotens Deus te his omnibus meliorem cerneret, omnes hos sub tuo regimine nõ dedisset: Eiusque mox mentem erigit, viles atque inutiles eos ostendit qui subiecti sunt ita vt nullum iam quasi dignum respiciat, cui æquanimiter loquatur. Vnde & mox mentis tranquillitas in iram vertitur, quia dum cunctos despicit, dum sensum vitamque omnium sine moderatione reprehendit, tanto irrefrenatius se in iracundiam dilatat, quanto eos, qui sibi commissi sunt, esse sibimet indignos putat. Et si ipsi subiecti sunt aliis eorum cor superbia instigat, vt sua acta considerare funditus negligant, & semper tacitis cogitationibus rectoris sui iudices fiant, qui dum in illo quod reprehendere debeant importune respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam vident: vnde & tanto atrocius pereunt, quanto à se oculos auertunt. Aliquando autem tales subditi proterua quæ sentiunt, nequaquam prodũt & hi, quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obmutescunt, qui per dolorem mentis procacitatis sua subtrahentes, cũ male loqui soleant, peius tacent: quia cum peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt: cum his quando aspere agitur, sæpe ad querelæ voces de hac ipsa asperitate prosiliunt. Cum vero eos magistri sui blande præueniunt, de ipsa humilitate, qua præuenti sunt grauius indignantur, & tanto eorum mens vastius accenditur quanto consideratius infirma iudicatur. Cunctis namque superbia apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna, ad ea quæ facere & debet & præualet, ignaua, ad ea quæ facere nec debet nec præualet, parata. Hac in eo quod sponte non appetit nullis exhortationibus flectitur: ad hoc autem quod latenter desiderat quærit vt cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa voluntate tolerare.

Prou. 16

Quapropter hoc vitio laborantibus Dominus dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et item, immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor. Et item, Quid superbis terra & cinis? Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan Rex dicitur superborum, aperte cognoscimus quod euidentissimum reproborum signum superbia est, at contra humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo Rege militet inuenitur. Vnusquisque enim quasi quendam titulum portat operis quo facile ostendat sub cuius seruiat potestate rectoris.

Iacob. 4

Eccl.

A

De hoc quippe vitio superbiæ descendit quod multi, te apud plurimos dicunt de fortitudine & agilitate tui corporis gloriari & de prælijs, atque vt nostratum lingua dicitur de *Vassaticis* frequenter ac libenter sermonem habere, & qualiter ageres si laicus fuisses irreuerenter referre, & alia multa quæ tibi non conueniũt dicere & agere, nec mihi enuntiare, Debes enim attendere quod scriptum est; *Non in fortitudine sua roborabitur vir*: Et, *Non saluatur Rex per multam virtutem*. Et, *Gigas non saluabitur in multitudine fortitudinis suæ*.

1 Reg.
Psal.

Vnde apud se Dauid manu fortis, humiliter infirmus, & ideo veraciter fortis, qui gigantem multæ fortitudinis occidit, & Regem ac virtutem exercitus eius ab opprobrio liberauit, Domino dicit: *Fortitudinem meam ad te custodiam* Et Paulus, qui audiuit à Domino: *Virtus in infirmitate perficitur* gloriatur in infirmitatibus suis, dicens: *Quando infirmor, tunc fortior sum & potens*: Et, *Castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar*.

B

Psal.
2 Cor.
1 Cor. 9.

Sed & cum in his, in quibus infatigabiliter pugnando non quasi aerem verberantes, sed contra aerias potestates, & carnis illecebras, ac mundi cõcupiscentias agonizantes decertauerimus, quod nobis à Domino præcipitur, ex intimo cordis affectu dicere debemus. *Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. Quia non sumus sufficientes à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: qui dedit velle & perficere pro bona voluntate*: Quique suis, dixit, *Sine me nihil potestis facere*.

Luc. 17
2 Cor.
Philip. 2

De vanitate autem qua te iactas qualiter faceres si laicus esses, breuiter tibi valeo respondere: faceres vtique sicut patriotæ & propinqui tui laici faciunt, scilicet voluntarie viueres inter tuos conterraneos atque vicinos pacifice quoniam si aliter præsumeres, fortiores & superiores, qui tibi resisterent, teque reprimerent, inuenires.

Ioan. 15

C

Cap. LIII.

Et quoniam reprehenderis de motibus corporis inordinatis attendendum mihi & tibi est quod beatus Gregorius dicit: *Quoniam interius est custodia, quæ ordinata seruat exterius membra.*

Et sanctus Gregorius Nazianzenus habitum Iuliani Apostatæ describit dicens: *Facit hoc me cautum adeo inconstantia morum eius & excessus vberior. Vates enim egregius est, qui bene considerat. Nullum enim signum indolis in eo vtile videbatur, ceruix inflexibilis, humeri nutabiles, oculi currentes, huc illucque directi & furiose respicientes, pedes impatientes, nares spirantes iniurias atque contemptum, schemata risibilia & hoc ipsum semper habentia, risus incontinens & quasi subbulliens, consensus & negatio simul, ratio nulla ratione consistẽs, interrogatio inordinata, atque responsio nulla conuenientia sibi conueniens.* Et sanctus Papa Gregorius quendam describens, potiusque depingens iuuenem, de eo dicit: *Quia erat superbus, & lubricus, verbis leuis, nutibus instabilis, mente tumidus, veste compositus, actionis dissipatus.* Vnde attendendum est nobis, quia si hæ reprehensiones in laicis quibuscumque potestatibus præditis ita denotantur, quam damnabiles in nobis Episcopis habeantur, qui *lux mundi, & lucerna super candelabrum posita vt luceamus omnibus qui in domo Dei* id est, Ecclesia sunt positi, esse videmur? Hæc tibi frater ac fili, scribo multo dolore ac confusione compunctus, hortãs, vt in labro æneo, quẽ Moyses de speculis mulierũ ante tabernaculum Domini excubantium fecerat, in quo Sacerdotes ministraturi in eadem domo Domini manus & pedes lauarent, mecum te conspicias: & in-

D

Matth.

Exod.

terios ibidem, id est, sacræ scripturæ præceptis per sanctos Dei nobis explanatis, & in eorundem sanctorum exemplis nostra reprehensibilia abluamus, & dignos nos fletibus & sanctis operationibus vt digne illi ministrare possimus, exhibeamus. Hinc enim omnipotenti Domino per Psalmistam dicitur: *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.* Iustificationes enim præcepta Dei dicuntur, in quibus idem Psalmista apertius dicit: *In tuis iustificationibus nõ obliuiscar sermones tuos.* In eis itaque nos viuificat, quia per hæc nobis spiritualem vitam demonstrat, eamque per afflationem Spiritus nostris mentibus infundit.

Cap. LIV.

Tandem hortor te, frater ac fili, & moneo, vt non te permittas decipi à flore iuuentutis, & sanitate corporis, & mundi illecebris, habens semper ante mentis oculos quod hinc sanctus Spiritus per beatum Iob dicit: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletus multis miseriis, quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt.* Et per Psalmistam: *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Thesaurizat & ignorat cui congregabit ea.* Habe semper ante mentis oculos, quam *terribilis* iudex noster sit *in consiliis super filios hominum* & quam districtus ad iudicandum veniet, cœlis & terris ardentibus, & vniuersis Cœlorum virtutibus, atque omnibus creaturis in obsequium sui creatoris commotis, quando *ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum:* Quando veniet nos iudicaturus de cogitationibus, verbis, & actibus nostris, quem præueniendum nobis est in confessione, & plorandum ante eum, qui fecit nos. Attendendum est etiam quæ verecundia tunc erit in conspectu totius humani generis, omniumque virtutum Cœlestium confundi, & post confusionem quæ nos pœna sequetur, cum animam immortaliter morientem reatus inuoluet, & indeficienter deficientem carnem gehenna consumet, si radices cordis huic seculo perseueranter infixas habuerimus: quia nemo potest, vt scriptum est, *Hic gaudere cum seculo, & illic regnare cum Domino.* Simus igitur, vt docet Apostolus: *Quasi morientes, & ecce viuimus; vt castigati, & non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Momentis suis horæ fugiunt, & tempora dilabuntur.

Satagamus ergo vt in bonis & continuis operibus teneamur, quia scriptum est: *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Et de scriptis viri sancti continuis bonis operibus, scriptum est: *sic faciebat Iob cunctis diebus.*

Sicut ergo cotidianas & necessarias pensiones corpori reddimus, ita cotidianas atque continuas bonorum operum, scilicet continentiæ, lectionum, vigiliarum, & orationum, atque lachrymarum, & eleemosynarum, atque sacræ hostiæ oblationum, gemitum quoque ex præteritorum pœnitentia, & sancto futurorum desiderio, pensiones animabus nostris effundentes eas in conspectu Domini reddere studeamus, & in his cum fide recta, spe firma, & charitate perfecta, perseuerantissime vigilemus, scientes quia Ioseph solus inter fratres talari tunica indutus legitur, & cauda pecoris in sacrificio Domino offerri præcipitur, quia, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et obaudiamus quod sapientia per Salomonem nos singulos exhortans dicit: *Quodcumque potest manus tua facere instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quo tu properas.*

Cap. LV.

In conclusione autem horum omnium tibi scribo quod beatus Helias Spiritu sancto repletus ad Heliseum eodem Spiritu sancto replendum dixit: *Quod meum fuit feci tibi.* Credo enim quia etiamsi (quod absit) me non obaudieris, labor meus non erit in te apud Deum inanis & vacuus. Etsi enim Æthiops niger in balneum intrat, & niger de balneo exit: non tamen balneator denarium, id est, pretium sui balnei perdit. Nos autem & sermones nostri in manu Dei sumus, qui dicit: *Pluam super vnam ciuitatem & super alteram non pluam* & quibusdam loquitur per vocem, & exigente culpa occulto atque iusto iudicio non loquitur per vnctionem: quibusdam vero gratiæ loquitur vnctione, id est, sancti Spiritus inspiratione cum voce. Det Dominus me, & velle, & dicere, & agere quæ iussit: & te audire quod expedit, & nobis ambobus ea velle & operari & in his perseuerare quæ præcipit, vt mereamur dona percipere quæ promittit.

NAm cum Hylarus Papa (quod sæpe tibi commemorandum, & memoriæ recondendum est) dicat: *Quia non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Et tu hæc commenta tua quæ contra sacras regulas durum tibi stimulum, calcitrando porrigenda Domino Regi, compilare, & quædam detruncando, quædam imposturando, pia sanctorum verba deprauare studueris & Episcopis obtuleris & à Clericis Laudunensis Ecclesiæ, ac parrochianis Presbyteris subscribi feceris, & plurimos perturbaueris, à vinculo pacis atque vnitate Catholicæ vnanimitatis, quantum potuisti, segregaueris: nõ te palpes, non te decipias, quasi à damnatione in Macharium & Macedonium iaculata sis exceptus vel alienus, quoniam vt sanctus Gelasius dicit: *Idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, execrationem sui gestat & pœnam.* Et non tibi applaudas de iuuentute corporis si es Machario inueterato & Macedonio in excessibus conueteratus. *Cunctis* (inquit beatus Gregorius) *scientibus liquet, quod vitia ad vetustam vitam pertinent, virtutes ad nouam.* Vnde & Paulus dicit: *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum.* Et iterum dicit: *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Psalmista itaque typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit: *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* Contra inueterationem medicamentum salubre renouationis nobis propinat Apostolus dicens: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Quia etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.* Et à vitiosa vetustate cotidie renouamur, si studia circumspectionis inuigilent, orando namque, legendo, bene viuendo renouamur, quia vita nostra dum lachrymis lauatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur ad nouitatem suam, sine cessatione reparatur.

Sed & in eo quod idem Hincmarus Laudunensis Episcopus in libello posuit, quem sibi ab Hincmaro Episcopo Remorum profiteri ac subscribi poposcit, inter cætera dicens *Tibi Hincmaro Laudunensis Ecclesiæ Coepiscopo, tuum debitum, sacris præcipientibus Canonibus, priuilegium conseruabo*, nesciuit quod dixit: Quoniam (vt Hyeronimus ait) *Priuilegia singulorum communem legem facere non possunt.* & sacri Canones Prouincialibus Episcopis, & eorum Ecclesiis vel sedibus priuilegia, scilicet priuatas leges, vel iura priuata generaliter non dederunt. Quia, quod omnes generaliter habent, ius speciale vel dignitatis lex priuata esse non valet: sed Metropolitanis Episcopis, ac Metropolitanis sedibus

Conc. Nic. ca. 6.

priuilegia tribuerunt, decernentes: *Vt antiqua consuetudo seruetur Alexandrino Episcopo, quatenus suorum omnium* (scilicet quæ sunt in Prouincia suæ Diœcesis, velut Innocentius ad Alexandrum Episcopum Antiochenum ostendit, & Africanum Concilium ad Cælestinum Papam exponit) *habeat potestatem: quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos & apud Antiochenam, cæterasque Prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis.* Hinc Leo, sicut & alij sanctæ sedis Romanæ Pontifices ex eisdem sacris Canonibus ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum promulgauit: *Secundum sanctorum Patrum* (inquiens) *Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singulorum Prouinciarum Episcopos ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: quia etsi ordo generalis est in Episcopis, non tamen communis est dignitas omnibus: quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis. Et cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret: de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis Prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia*, sicut & Antiochenum Concilium decreuit dicens: *Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius Prouinciæ gerere: propter quod ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere concurrant, vnde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum quæ ad suam Diœcesim pertinent, possessionesque subiectas*, & reliqua. Quæ etiam & beatus Bonifacius ad Hilarium Narbonensem Episcopum ita explanat dicens:

Conc. Nic. can. 6.

Conuenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicæna, quæ ita præcipit, vt eadem propria verba ponamus: per vnamquamque Prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas: quod illi (quia aliter credendum non est) sancto Spiritu sibimet suggerente censuerunt. Et paulo post: *Quod idcirco dicimus, vt aduertat charitas tua adeo nos Canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra definiat: quatenus Metropolitani sui vnaquæque Prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.* Et Leo ad Theodorum. *Sollicitudinis* (inquit) *tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo, de eo, quod videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam si ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: quia in causis quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri.* De dignitate autem ac priuilegiis sedium: Idem Leo ad Maximum Antiochenum Episcopum dicit: *Etsi* (inquiens) *diuersa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen iura permanent sedium, quibus possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem.*

Post hæc omnia Hincmarus Laudunensis Episcopus consueta leuitate commotus, eo quod homines sui se reclamauerunt, quoniam illorum beneficia ab eis iniuste tulisset vnde ad hanc rationem inter se & eosdem accusatores suos definiendam, secundum sacros Canones, electos iudices expetiuit, atque suscepit, & iudicium quod expetierat declinans, noctu aufugit, & Laudunum adiit, indeque hoc Pitatium quod sequitur per Ermenoldum Diaconum suum Hincmaro Metropolitano Episcopo misit.

Reuerendissimo Remorum Archiepiscopo Hincmaro sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Hincmarus Deo miserante Episcopus debitam in Christo deuotionem. Vos scitis quia ab vniuersali sancta Romana Ecclesia Papa, Patre quoque nostro & magistro Hadriano bis vocatus existo, & vos ipsi in quaternionibus mihi à vobis in Attiniaco palatio coram Archiepiscopis & Episcopis, qui affuerunt, datis, quod ad eandem sedem venire toties vocatus detrectem, me reprehendistis, si vitio scriptoris pro, detrectem, quod est dissimulem vel differam, detractem, quod valde tractem, non absurde accipi potest, intercaxatum non fuit. Vnde vos nunc pro amore Dei omnipotentis & reuerentia sancti Petri exposco, sicut & in eadem Synodo in eodem Attiniaco à vobis conuocata, quod impetrare non valui, expostulaui, ac iam etiam per integrum efflagitaui annum, & præcipue in Synodo apud Vermeriam palatium olim ab horno habita obsecrando declamaui. Nunc quoque & obsecro, & item declamo, vt & hactenus egi, quo vestra Archiepiscopali auctoritate apud Domini nostri gloriosissimi Regis Karoli clementiam obtineatis, quatinus Domini & vniuersalis Papæ Hadriani præceptis ac institutionibus Ecclesiasticis mihi (vt omnibus expedit, velut ei qui de omni Ecclesia fas habet iudicandi) liceat obedire, videlicet, vt limina sanctorum Apostolorum, Petri scilicet, ac Pauli, merear, vt deuoui, & ab eodem insuper vocatus sum, penetrare: alioquin me vobis ab hinc, vt Archiepiscopo Coepiscopus obtemperare debet canonice, sciatis obsequi non posse: Quia, vt decreuit beatus Papa Gelasius, nesciunt quid loquuntur qui decretis sanctæ Romanæ sedis præsulum quasi Canones opponunt quibus contraire, contra Canones est ipsos scorrigere. Iste Gelasius Papa venerabilis & sanctus, omnes decretales Epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas: Nec eas venerabiliter suscipit, licet ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit, sed potius porro obuias manus inferens (quod sine periculo agi non potest) respuit, vtpote qui de se iudicare non prospicit. Nam velimus, nolimus, aut eis parebimus, aut eorum iudicio percellemur, quorum neminem aliqui quoque reprobare valemus. De Archiepiscopis autem Remigio, ac Harduico, quod mihi per Teutlandum Diaconum mandastis, priuilegiis sancta Romana Ecclesia non præiudicat, sed quod eis eadem sancta sedes de me voluit ac disposuit committere, commisit. Vos vero quod vestrum est, agite. In Domino Iesu Christo bene valete. Ego Hincmarus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopus sponte subscripsi.

Sed quia Hincmarus Archiepiscopus distulit ex hoc respondere Hincmaro Laudunensi Episcopo, expectans si forte retractaret quod egerat, & à sua contumacia resipisceret, idem Laudunensis Episcopus misit ad Hincmarum Archiepiscopum Heddonem clericorum suorum præpositum, mandans illi talem missaticum, sicut in subditis cum responsione de eodem missatico continetur.

Hincmarus Remorum Episcopus dilecto fratri Hincmaro Ecclesiæ Laudunensis Episcopo salutem. XV Kal. Aug. præsentis tertiæ indict. iam vespere venit ad me communis frater & comminister noster Heddo præpositus commissæ tibi Ecclesiæ, dicens mihi ex tua parte missaticum, sicut hic habetur subnixum.

CAP. I. *Meus senior vobis mandat salutes, & fideles orationes.*

II. *Mandat vobis, quia vos sapitis quod illi nunc factum fuit in Attiniaco propter quod inde ambulauit sicut vobis per Teutlandum mandauit, & vos sapitis quomodo illi iam altera vice factum fuit, quando Rex illum detinuit.*

III. *Mandat vobis, quia res de sua Ecclesia illi tolatæ sunt, & Flotharius Regis missus eas consignauit Nortmannis hominis & hoc meus senior iam sciebat, quando de Attiniaco ambulauit, quia sic deueniret, quia homo Nortmanni Hermundus hoc seniori meo dixit, quando Rex de Silueoctis *reuenit.*

IV. *Et mandat vobis, quia & alias res de sua Ecclesia tenent sui homines per potestatem, & per verbum Regis, & mandauit suos homines ad se venire præterita die Sabbati, & voluit considerare de seruitio Regis, & de illa opera ad suam Ecclesiam & illi non venerunt & Rex illi per Bertharium nunc mandauit, vt Eligio suum beneficium redderet, & Eligius inde Regis indiculum adportauit vt suum beneficium illi redderet, & meus senior illi respondit, vt reuenisset die Lunis, & inde consideraret cum suis fidelibus, & tunc illi respenderet: ipse autem dixit, quod hoc expectare non debuisset, quia Rex illi eum beneficium reddidit, & intrauit ibi & tenet illum,*

V. *Et quia vos estis suus auunculus, & suus Archiepisco-*

quia si vos illi potestis impetrare ad Regem, vt ille possit res de sua Ecclesia ordinare, & illi cui licitas, sicut ei simulauerit, disponere & gubernare: quia quod ille facit, alter disfacit, & quod ille disponit, alter peruertit. Tunc vult ille vobis obedire, & ad vos venire, & per vestrum consilium facere, quia quicquid de rebus sua Ecclesia fecit & ordinauit, non per scaz. vel per aliquam propinquitatem aut amicitiam inde fecit, sed sicut melius ille intellexit, sic inde fecit. Et si hoc vos non potestis ad Regem facere, tunc non potest ille Regi obedire, nec illi seruire, nec aliquod temporale obsequium facere, nec ad illum venire, & non potest dimittere, vt sic longe inde se non reclamet sic plus alte potest, id est, ad sedem Apostolicam. Et non dimittet, vt inde suum ministerium non faciat, id est, excommunicabit illos sicut hic habet quod illi Episcopi diffinierunt, quia non potest dimittere, vt illos non excommunicet, quem am altera vice quando Domino Apostolico mandauit de Nortmanno, hoc remandauit Dominus Apostolicus, vt prius inde fecisset suum ministerium & tunc se reclamasset. Et hoc ideo usque modo dimisit donec vobis hoc mandaret, vt hoc vos sciretis, quia nunc inde suum ministerium faciet.

Vnde frater vna cum venerabilibus Episcopis & dilectis fratribus nostris, qui adfuerunt, Remigio scilicet, & Harduico, & Francone, ac Hodone, atque VVilleberto ad Dominum Karolum Regem gloriosum petitoriam suggestionem referre curaui, qui nobis respondit se putasse tibi posse sufficere, quod hinc iam coram Episcopis benigno animo, & allocutione placida tibi in Attiniaco dixit, videlicet quoniam ad illum peruenit te amplius præsumpsisse de rebus, de quibus nunc mandas quia Flotharius missus eius Nortmanno consignauerit, quam Ecclesiæ tibi commissæ debeantur, & amplius quam in præcepto habeatur per quod tibi res à longo tempore ab Ecclesia Laudunensi subtractas restituit, vel gratis tuæ petitioni annuens dedit, sicut & manifestissime claruit de his, quas contra rationem & iustitiam illegaliter atque irregulariter vsurpasti, quæ in præcepto non continentur, & iuste atque rationabiliter secundum legem homo suus reconquisiuit, propterea illas res videlicet villam Pauliacum, quæ à longo tempore ab Ecclesia Laudunensi subtractæ fuerant præsentaliter reciperes, & illas alias, de quibus ad eum reclamatio venit, interim non reciperes, sed tantum inde expectares, donec illud præceptum adportares, & suus ac meus missus in ipsum pagum irent, & ex his rei veritatem inuestigarent, & quicquid inuentum fuerit, quod ex eisdem rebus iuste, & rationabiliter ad Laudunensem Ecclesiam pertineret, non solum non discuperet, verum & libenter eas ipsi Ecclesiæ concedere vellet, & tu ex his nihil tunc contradixisti. De beneficiis autem hominum tuorum, de quibus mandasti, respondeo, quia tui homines se ad eum reclamauerunt, quod ab eis sua beneficia, quæ apud antecessores tuos, & apud te proseruierunt, iniuste & irrationabiliter abstulisses. Vnde secundũ sacros Canones & decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificũ ex eisdẽ sacris Canonibus promulgata, electos iudices Episcopos apud me expetisti, & eorum atque aliorum Deum timentium iudicio & quibusdam decretum fuit, vt beneficia sua quæ irrationabiliter perdiderant, recuperare deberent, quorundam autem, eorum causa vsque ad alium tractatum certis causis interuenientibus non diffinita, sed implacitata remansit, & tu ante diffinitionem contra sacros Canones, sine vlla necessitate vel ratione fuga lapsus regularem diffinitionem expectare contempsisti, Vnde quid sacri decernant Canones sufficientissime nosti. Nunc vero quia ipse iam in motu est, pergens obuiam fratri suo propter pacis charitatisque concordiam, & sanctæ Ecclesiæ, ac Christiani populi obtinendam quietem, cum fauente Domino inde reuersus fuerit, veni ad illum, & adporta illud præceptum, per quod præfatas res Ecclesiæ Laudunensi restituit, siue contulit, & sicut iustum de illis rebus, quas requiris, inuentum fuerit, agere procurabit. Homines autem tui, quorum causa, te irregulariter abscedente, adhuc non diffinita, sed implacitata remansit, iuste & rationabiliter ventiletur, & secundum sacras leges diffiniatur. Cæterum, charissime frater, de scedula quasi Episcoporum diffinitionem continente, in Synodo quæ apud Tusiacum fuerat habita, valde miratus sum vbi & quomodo hanc adinuenisti, quam antequam per Heddonem clericum tuum acceperim, nunquam vidi, & nunquam vel nusquam audiui, sed nec qui modo adfuerunt Episcopi eam se vidisse, vel audisse dixerunt. Illam quippe authenticam diffinitionem, quæ secundum sacras leges in eadem Synodo decreta est, cui & mecum interfuisti, ego habeo, & diuinare non valeo vnde adinuentio ista emerserit, quæ sicut ex his euidenter potes cognoscere, quæ tibi contra præsumptiones tuas studui scribere, in quibusdam sacris regulis obuiat, & mendacem illam esse facillime posses aduertere, si illos oculos habuisses in capite, de quibus scriptura dicit, *Oculi sapientis in capite eius.* Et miranda est tua prudentia, cur sibi placuit plus hanc mendacem, & quibusdam (vt dixi) sacris regulis obuiantem compilationem habere, & mihi transmittere, quam veram Synodi diffinitionem, & sacris regulis congruentem habere, & à me qualicumque Primate tuo iuxta regulas sacras tenendam, & sequendam accipere, cuius secundum decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificum ex sacris Canonibus promulgata, ordinationem semper debes in rebus omnibus expectare. Nam etsi scedula à te mihi directa quiddam rationis vel auctoritatis habere videtur, hoc tamen debes discernere, quia sicuti vbi reclamatio certa suscipitur, causa ventilatur, ratio postulatur, præsumptio vel vsurpationis temeritas non inuenitur, sed iustitia sequitur, & æquitas conseruatur: censura districtionis Canonicæ vacat, ita se ad vlciscendum contra deuios à ratione & auctoritate ac æquitate, & in contemptus pertinacia obduratos exaggerat. *Sedes* (inquit beatus Leo) *Apostolica moderatione hanc temperantiam seruat, vt seuerius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.* Igitur, *quoniam* (vt idem Leo dicit) *matura volumus Sacerdotum esse consilia*, & sacra Scriptura dicit, *Qui festinus est, pedibus offendit*: hortor & moneo te, frater charissime, paterna, & metropolitana secundum sacras regulas auctoritate, vt non per hæc commenta quæ mihi misisti, præceps (sicut mihi mandastis) sis ad proferendam sententiam, præsertim cum sufficientissime iam te hinc commonuerim, redarguerim, & etiam ex auctoritatibus diuinis instruxerim, sed patienter interim tolera quæ videntur tuæ potestati contraria, qui dicere cum Psalmista debes, *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* *In patientia* (inquit Dominus) *possidebitis animas vestras.* Et item scriptum est, *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Quanto enim quis minus est patiens, tanto conuincitur minus doctus. Et, *Melior est patiens viro forte, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Quoniam qui vrbes subigit, extra se est quod vincit: qui autem patiens est semetipsum sibimetipsi subiicit. Tolera igitur æquanimiter quos contrarios tibi deputas, & dilige ipsos quos toleras, & plus erga corrigendos agat tua beniuolentia quam seueritas; plus cohortatio quam commotio, plus charitas quam potestas; à qua regula non exorbitabis, si non quæ tua sunt quæsieris, sed quæ Iesu Christi. Porro si dominari magis quam consulere subditis volueris, honor inflabit superbiam, & quod prouisum est in ordinatione tua ad concordiam, tendet ad noxam: Ergo age frater charissime, quod Episcopalem condecet grauitatem expectans donec ad Prouincialem Synodum, cuius iam tempus in proximo est conueniamus, in quo, fauente ac cooperante Domino, secundum decreta beati Gregorii, & de * indecentibus causis disceptatio, & fiat

Eccl. 2. Prou. 19. Psal. 128. Luc. 21. Prou. 19. Prou. 16. 1. Cor. 13. f. *incidentibus,

salubris de Ecclesiastica obseruatione conlatio, quatenus dum per hoc & præterita corrigentur, & regulam futura suscipient, omnipotens vbique Dominus fratrum concordia conlaudetur, cuius nobis adesse præsentiam, si hæc obseruabimus, credere pro certo debemus, quia scriptum est, *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si ergo adesse dignabitur, vbi duo vel tres fuerint, multo magis non deerit, vbi plures conuenerint Sacerdotes. Quod autem mihi mandasti, *Quia non potes dimittere vt illos homines qui res Ecclesiæ tuæ contra voluntatem tuam tenent, non excommunices, quoniam altera vice quando Domno Apostolico mandasti de Northmanno, hoc tibi remandauit, vt prius inde fecisses tuum ministerium, & tum te reclamasses.* Non hoc in suis litteris inuenimus, vel audiuimus. Propterea, frater, vide ne cuiusquam verbo, forte per adulationem ad gratiam tuam tibi suaso, & non ex domni Apostolici auctoritate prolato, pellectus, præpropere & tibi inconsulte ac præcipitanter sententiam excommunicationis sacris regulis obuiam proferas: sed expecta, vt prædixi, donec ad Prouincialem Synodum Episcopi Rhemorum Prouinciæ conueniamus, & si quod nobis obstiterit, vt secundum sacras regulas iuste & rationabiliter ea, quæ agenda sunt, exequi (quod absit) nequiuerimus, quod nullo modo futurum fore putamus, tunc si necesse fuerit secundum sacras regulas, tua reclamatio, si iusta inuenta fuerit, ad sedem Apostolicam nostris litteris prosecuta perueniat.

Matth. 18.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI OPVSCVLVM

DE DIVORTIO HLOTHARII REGIS, ET TETBERGÆ REGINÆ.

Quædam desiderantur.

noluisset accusator ipsius debere illam admitti.

VII. Int. Vtrum verum esse possit, quod quidam dicunt, quia pro secreta confessione, quam ipsa fœmina fecit, sicut & testis est qui illam suscepit, Vicarius ipsius in iudicium exiens incoctus euasit?

Resp. Dum veritatem impia falsitate piam prædicant, fictam calumniantur, quæ sic voluit istam fœminam liberare, vt iudicio ipsius credentes deciperet, cum scriptum sit, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*: & simplex veritas nihil per duplicitatem faciat.

Sap. 1.

VIII. Int. Vtrum fieri possit quod quidam dicunt, quia intentio illius fœminæ fuit de alio eiusdem nominis fratre suo, quando Vicarium suum in iudicium misit, & idcirco se in eodem iudicio non coxit?

Resp. In libro Regum scriptum est, dicente mendace spiritu, *Ego decipiam Achab*; & reliqua, vsque ad id quod dicitur, *decipies & præualebis.* Et Paulus dicit de quibusdam, *qui non probauerunt Deum habere in notitiam, propterea tradidit eos Deus in reprobum sensum.* Et item pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt vt salui fierent: idcirco immittet illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio, quatenus iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

3. Reg. 22. & 2. Paral. 18.
Rom. 1.

IX. Int. Si in iudicio, vel in Sacramento, fraus quæcumque reperta fuerit post datam purgationem, vtrum eadem causa iudicio vel Sacramento purgata in iudicium debeat legale reduci?

Resp. Nec mirum videri debet, si fraus in iudicio fuerit operatione diaboli, qui licet perdiderit angelici spiritus gloriam, sed non amisit naturæ subtilitatem, quod fit permittente Domino, aut pro infidelitate non recte credentium, aut pro purgatione fidelium: & si in iudicio vel purgationis Sacramento per quodcumque ingenium fraudulentia reperitur duplicata, iudicii vltione, siue pro peccati admissione, siue pro infideli illusione, causa in quæstionem ratione docente reueniat.

X. Int. Si hæc causa vnde iudicium factum audiuimus, & quidam etiam vidimus, in iudicium fuerit reuocata, qualiter idem debeat canonice ordinari iudicium?

Resp. In omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, iudices electos, accusatores, ac defensores, & testes, vt in præsentia positus, aut conuictus, aut certe confessus, iustæ possit subiacere sententiæ: sed & extorta confessio, vel coacta subscriptio nihil vigoris obtinere debebit.

XI. Int. Vtrum de secreta confessione (vt dicitur) commissa Episcopis, vel in iudicio porrecto libello, eadem fœmina debeat iudicari?

Resp. Nec maritus à coniuge, nec vxor à marito secreta confessione (vt præmisimus) possunt disiungi, nisi more continentioris vitæ, nec porrecto libello secretæ confessionis publicæ pœnitentiæ quisquam debet submitti: neque per scripturam directam, vel ab alio eius vice porrectam, quisque valeat condemnari: sed vnde publice debet aliquis iudicari, publice & in præsenti positus debet aut conuinci, aut confiteri.

XII. Int. Vtrum de tali stupro, sicut ista fœmina reputatur, quasi frater suus cum ea inter femora, sicut solent masculi in masculos turpitudinem operari, potuerit concipere, & post abortum virgo volueri permanere? Et si deprehensa fuerit hæc ante coniugium crimina perpetrasse, vtrum in coniugio debeat aut valeat permanere?

Resp. A sæculo non est auditum, nec de sub isto cælo in scriptura veritatis est lectum, vt vulua fœminæ sine coitu semen susceperit atque conceperit, & clauso vtero, & inaperta vulua, seu integra carne, viuum vel abortiuum pepererit, excepta sola singulariter beata & benedicta virgine Maria, cuius conceptio non naturæ fuit, sed gratiæ, dicente ad eam Archangelo, *Aue gratia plena*, in quam Spiritus S. superuenit, qui ei ex virgineo semine, virgineoque sanguine, sine voluptate carnis, & sine voluntate viri, fœcunditatem prolis contulit, virginitatem non abstulit: quæ sicut carne integra, & vulua non adaperta, id est, clauso vtero concepit, ita non aperta vulua, sed clauso vtero peperit, similque & mater extitit, & perpetuo ac semper virgo permansit. Vtrum autem tali modo, sicut de ista fœmina dicitur, quæcumque mulier vel virgo concipere valeat, expertius seculi iudices licentia maritali, ne in iudicio interprendant, à suis vxoribus discere poterunt: quia nos homines huius negotij inexpertes quæ legimus dicimus, & non inde amplius aut scire quærimus, aut inuestigare volumus. Miramur tamen si Dominus noster prædictam fœminam inuenit virginem, cur eam denotari quasi stupratam consentit: si vero illam virginem non inuenit, quare tamdiu eam retinuit, vel cur de illa iudicium examinationis recepit? Quapropter (scribit S. Gregorius) *ne pro quorundam voluntatibus ... priuetur, quem sua culpa vel facinus ab officio, quo fungitur, vel gradu non deiicit.* Et, *Graue est satis, & indecens, vt in re dubia certa dicatur sententia, vnde accusatione vel commissio manifesta, vel confessio subsequatur, quam subtilitas examinis ex occultis eiiciat, & non afflictio vehemens extorqueat, quæ frequenter hoc agit, vt noxios se fateri etiam cogantur innoxii.* Videtur æquum atque rationabile, vt ille in cuius cura & potestate erat, qui eidem fœminæ intulit, vel eam ad scelus pellexit, accersiatur & manifeste per illum causa inuestigetur, & ipse inuehatur, atque secundum legem examinetur & vel legali iudicio liberetur, vel cum complice puniatur, ne iuste iudicare volente suspicio quæcumque remordeat, vel derogantes dicant

quia fœmina terrore & afflictionibus territa menda cium super se dixerit, quod mendacium sua libertate potius à se, qui auctor criminis dicitur & ab ipsa depellere poterat: si ei lex & iustitia seruaretur. Legant æqui iudices primi libri legis Romanæ capitulum sextum de stupratoribus, & septimum de incestis ac turpibus nuptiis, & cætera quæ Christiana iura depromunt, de quorum iudicio si ad nos in talibus quæcunque fœmina venerit deprehensa, Canonicum in illam iudicium exercere curabimus.

XIII. Int. Si idem Rex postquam talia de præfata vxore sua audiuit, & ab eius carnali commercio suspensus fuit, forte concubina vsus, adulterium perpetrauerit, & si hoc ad plurimorum peruenit notitiam, quo debeat sanari medicinali iudicio?

Resp. Si forte, vt fertur, Rex, de quo agitur post legaliter initum coniugium, cum alia aliqua carnis commixtione negotium concumbendi exercuit, negari non potest adulterium perpetrasse, etiamsi fœmina, quam duxit vxorem, de talibus, sicut reputatur, rea fuerit fortassis inuenta: quoniam post legaliter initum coniugium, ante legalem diffinitionem præsumpsit illicita. Quo autem debeat sanari medicinali iudicio, sacri decernunt Canones, videlicet, vt pœnitentia, & secundum leges statutas, absque personæ respectu, Episcopi arbitrio, ei pœnitentiæ tempora decernantur.

XIV. Int. Si fortassis acciderit, vt quicumque homo sacramento se obligauerit, quod criminosum sit agere: vtrum quod iurauit, ne incurrat periurium, debeat adimplere: anne crimen admittat, quod male iurauit in iteritum debet ducere?

Resp. Si aliquid forte nos incautius iurasse contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriori mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quam pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum.

XV. Int. Si hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt: quia sunt fœminæ quæ maleficio suo inter virum & vxorem odium irreconciliabile possunt mittere, & inenarrabilem amorem iterum inter virum & fœminam serere: & quod vir legitime sortitam coniugem maritali commercio non possit adire, & aliis valeat fœminis commisceri: & itidem eodem maleficio, potentia concumbendi, & dilectio quondam habita per artem maleficarum possit restitui?

Resp. Potest sæpe occulto, sed nunquam & nusquam iniusto diuino iudicio sicut scripturarū auctoritate & maiorum doctrina in Opusculi corpore demonstrabimus.

XVI. Int. Quæ sit causa cur Deus, vt dicitur, sæpe in legitimo coniugio permittat talia fieri?

Resp. Occulta iustitia Dei licentia malignis spiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam ex iustitiæ retributione etiam nolentes trahant.

XVII. Int. Et si forte tales viri malefici, vel incantatrices fœminæ inuentæ fuerint, quid de huiusmodi fieri debeat?

Resp. Vehementius pastoralis custodia erga tales debet inuigilare, atque publice in populo contra huiusmodi rei viros sermonem facere, eosque à tanti labe sacrilegii, & diuini intentione iudicii, & præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria reuocare: quos tamen, si emendare se à talibus atque corrigere nolle reperent, feruenti zelo debet comprehendere; & si quidem serui sunt, verberibus cruciatibusque, vt ad emendationem peruenire valeant, castigare: si vero liberi, inclausione digna, & districta pœnitentia eos debet coercere. Rex autem, si huiusmodi homines Ecclesiastica medicina sanari non possunt, æquitatis iudicio vt impios debet de terra perdere.

XVIII. Int. Si sæpe fata fœmina iterum in iudicium venerit, & innoxia reperta fuerit: vtrum ad eam vir eius redire debeat, an alteri fœminæ valeat sociari?

Resp. Hoc superfluum est iterare, quia supra ostendimus, quod si ante legaliter initum coniugium innoxia & legaliter nupta suo viro fidem seruasse reperta fuerit, secundum Euangelicam & Apostolicam veritatem, & leges Ecclesiasticas, atque Catholicorum doctrinam legitimum coniugium non valeat separari: & si vir & vxor separati fuerint, aut innupti permaneant, aut mutuo reconcilientur.

XIX. Int. Si ipsa fœmina criminibus obnoxia, de quibus reputatur, inuenta fuerit, vtrum idem Rex alteri fœminæ coniungi valeat?

Resp. Si secundum leges Christianas, forenses scilicet, atque Ecclesiasticas inuentum fuerit, quod illa coniunctio legalis non fuerit, sed magis incestus, & nullo coniugii nomine deputandus valebit.

XX. Int. Si tales caussæ reputatæ fuerint etiam ipsi Regi, vnde publicam pœnitentiam agere debeat, postquam illa criminosa inuenta fuerit; vtrum ipse Rex post publicam pœnitentiam coniugem legitimam possit accipere?

Resp. Si postquam pœnitentiam gesserit, timens lapsum incontinentiæ iuuenilis; copulam vxoris elegerit, ne crimen fornicationis incurrat, rem videbuntur facere venialem, si præter coniugem nullam omnino cognouerit: in quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus.

XXI. Int. Si legaliter reiecta illa quæ criminata est, ipse etiam Rex post actam pœnitentiam, si voluerit concubinam quam habuit & cum qua post initum coniugium adulterasse dicitur in coniugem possit accipere?

Resp. Quia vna est lex viri & fœminæ, *si solutus fuerit à lege coniugis* (sicut Paulus dicit de vxore) *nubat cui voluerit, tantum in Domino*: hoc est, vt Ambrosius dicit, *sine suspicione turpitudinis & religionis sua fœmina nubat*, hoc est, in Domino nubere. Quæ solutio, & licita copulatio duobus intelligitur, & duobus fit modis: scilicet in his qui aut nunquam legale inierunt coniugium, aut morte intercedente soluti sunt à lege coniugii. Denique, mortuo viro vel fœmina, cum quo, vel cum qua verum connubium fuit, fieri post pœnitentiam verum connubium potest, cum qua prius adulterium fuit: summopere tamen est obseruandum, ne concubinæ vel cuiuslibet alterius fœminæ copulam coniugalem Rex, * super quo voluerit consulere, consulentes aliquo modo capectat, antequam legali virorum inlustrium iudicio, & Sacerdotali decreto, coniunx, quam legaliter accepit, ipso etiam coniugis nomine iudicetur indigna, aut diuino iudicio migret à corpore: neque ante legitimam pœnitentiam in adulterio deprehensus, secundum leges Ecclesiæ, coniugi legitimæ, multo minus eidem, de qua agitur, concubinæ se copulet.

[Margin: 1 Cor. 7.]

[Margin: * videtur aliquid deesse.]

XXII. Int. Vtrum sequendum sit quod quidam dicūt, quosdam docere Episcopos, vt sibi confessis viris vel fœminis debeant patrocinium defensionis impendere, ne quisquam huiusmodi personas ad iudicium reipublicæ audeat pro criminibus, vnde eis confessæ fuerant, etiam si multis nota sunt crimina, prouocare?

Resp. Hoc quam absurdum sit, quilibet sensatus, licet ignoret, leges Ecclesiæ, recognoscit, sicut in subsequenti Opusculo ex auctoritate maiorum sufficienter ostendere procurabimus.

XXIII. Int. Si (vt quidam dicunt) se non ex consensu vir & mulier propter continentiam, sed propter dissidiū aliquod separare voluerint, vel si separati se cōtinere nequiuerint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sua Episcopi possint eorum fragilitati consulere, dicentes quia secreta confessione ad Ecclesiasticā confugerant pietatem sicut Bosonis mulier, de qua in Synodo apud * Leuchorum ciuitatem habita fuimus cum interpellatione commoniti, & ideo ab aliis, quam ab Episcopis, quibus confessæ tales personæ fuerant, nō debeant iudicari?

[Margin: * Leucorum.]

Resp. Sciant quicumque hæc dicunt, secundum quendam modum huiusmodi capitulum, quartum erroris fuisse illorum: in quatuor enim capitulis errauerunt, qui sanctæ Synodo Chalcedonensi derogare & contraire præsumpserunt, & ab Apostolica sede atque vnanimitate totius mundi Episcoporum sunt vt erronei condemnati. Denique septem quæstiones quas præteritas soluendas accepimus, in processu Opusculi exponemus.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI OPVSCVLVM

DE DIVORTIO HLOTHARII REGIS, ET TETBERGÆ REGINÆ.

Dominis Regibus Gloriosis, Et Venerandis Consacerdotibus nostris, ac cúctis in sinu Catholicæ Ecclesiæ collocatis, Hincmarus nomine non merito Rhemorú Episcopus ac plebis Dei famulus, vna cú collegis Dominis & fratribus meis Rhemorú Diœceseos venerandis Episcopis.

De omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, vt omnium Ecclesiarum mater, & magistra, nutrix ac doctrina est consulenda, & eius salubria monita sunt tenenda, maxime ab his qui in illis regionibus habitant, in quibus diuina gratia per eius prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutriuit, quos ad vitam præordinauit æternam. Vnde quoniam (sicut beatus Innocentius ad Decentium Eugubinum scribit Episcopum) *Manifestum est in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus aut eius successores constituerint sacerdotes. Oportet ergo eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur amittere.* Sed & quia beatus Cælestinus eiusdem primæ sedis Episcopus ad Venerium & cæteros Gallicanos dicit Episcopos, *Quia * vniuersalis Ecclesia quacumque nouitate pulsatur.* Et ad Nestorium Constantinopolitanum scribens decernit, *Quod omnes debeant nosse quod agitur, quoties omnium caussa tractatur.* Ad omnes vox nostræ humilitatis emittitur, quia licet de Rege & Regina, viro scilicet & vxore (qui secundum sacram auctoritatem iam non sunt duo, sed vna caro) tractetur, de causa omnium generaliter agitur, quæ *Sacramentum magnum*, à diuino Apostolo, *in Christo & in Ecclesia appellatur*, in quibus salus vniuersorum consistere creditur. De Christo enim Petrus Apostolus protestatur, *Quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et sicut in diluuio omnes perierunt, quos non arca continuit: ita nemo saluari potest, qui fide recta & bonis operibus in vnitate sanctæ Ecclesiæ non permanserit.

* Videtur decesse. Non est agentium causa solorú quando.

Ephes. 5.

Act. 4.

Sed & hac spiritali ratione prælata de tam eminentissimi hominis dignitate, & talibus personis causa non exigua ventilatur, vt *Reges terræ, & omnes populi principes, & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus*, in hac intendere debeant, & iudicii veritatem, & Sacerdotalem consensum, & regiæ mansuetudinis, patientiæ, & dilectionis studium erga honorem suum, vnde scriptum est, *Honor Regis iudicium diligit.* Et, *Iustitia firmatur thronus eius.* Et item, *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Et licet sint aliæ virtutes, sine quibus ad Regnum non peruenitur æternum; tamen sine his tribus, quas posuimus, tyrannus fieri potest: Regnú autem salubriter nemo potest obtinere terrenum, id est, sine mansuetudine. *Quia mansueti hæreditabunt terram*: sine patientia, *Quia melior est patiens viro forte, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Et, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*: sine vera dilectione, de qua dictum est, *Qui diligitis Dominum, odite malum: quoniam qui diligit iniquitatem odit animam suã.* Et item in Psalmo scriptum est, *Intende, prospere procede, & regna propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam.* Quia veritatem ea sequens mansuetudinem cum iustitia conseruabit, vt nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere derelinquat, nec rursum pondus mansuetudinis zelo perturbet: quoniam vt Sapientia dicit, *Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo.* Et item, *Rex qui iudicat pauperes in veritate, thronus eius in æternum fundabitur.*

Psal. 98. Prou. 25. Psal. 88. Matth. 5. Prou. 16. Luc. Ps. Pro. 20. Prou. 28.

Ea Sacerdotalis vero consensus atque discriminis parte Domino dicitur, *Misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate. Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine: vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua.* Sed vt sanctus dicit Gregorius, *Video alios, quibus per locum magisterii exhortandi sunt officia arguendique commissa: quia vident aliquid illicitum admitti, & tamen dum quorundam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt.* Quisque iste est, quid aliud facit, nisi videt lupum venientem, & fugit? fugit, quia tacuit: tacuit, quia despecta æterna gratia temporalem gloriam plus amauit, & se ante potentis faciem intra sui se latebras silentii abscondit: & sicut persecutionis publicæ, sic occultæ, locum dedit timori: bene de talibus dicitur, *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei.* Quisquis igitur talis est, si hæc districte iudicatur, & persecutio publica defuit, & tamen tacendo Christum negauit.

Ioan.

Iudicibus autem præcipitur, *Si vere vtique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum*: Vt cum quisque mortalium iudicium dederit publicum, si verum loquitur, verum & iudicet, nec ponat blanditiis sermonum muscipulam deceptionis, per quam occulte interimat innocentes, attendens quia *homo videt in facie, Deus autem in corde*: Et, *si oculus*, id est, intentio cordis, *simplex fuerit, totum corpus*, id est, omnis actio lucida erit, si autem ipsa intentio tenebrosa fuerit, iam tenebræ, quæ in actione erunt, vt modum, ita & nomen tenebrarum pene excedunt. Et sanctus Gregorius dicit, *Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, vt requisiti ab eo, pro fauore eius non dubitent in causa proximi verum negare.* Et quis est veritas, nisi ille qui dixit, *Ego sum via, veritas, & vita?* Neque enim Baptista Ioannes de confessione Christi, sed de iustitiæ veritate requisitus, occubuit: sed quia Christus est veritas, ad mortem vsque idcirco pro Christo, quia videlicet pro veritate, peruenit. Et beatus Beda, *Multi hodie Iudæ scelus, quod Dominum, ac magistrum, Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane & nefarium exhorrent, nec tamen cauent: Nam cum pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profecto quia veritatem pro pecunia negant, Dominum pecunia vendunt: ipse enim dixit*: Ego sum veritas. *Cum societatem fraternitatis aliqua discordia peste commaculant, Dominum produnt, quia* Deus charitas est: *qui etiamsi nullus pecuniam det, Dominum triginta argenteis vendunt, quia principis seculi imaginem, id est, exempla bestiæ antiqui, neglecta conditoris, ad quam creati sunt, imaginem sumunt. Ille etiam Dominum vendit, qui eius amore ac timore neglecto, terrena & caduca, immo etiam criminosa*

Psalm. 57. 6. Ioan. 14. 1. Ioan. 4.

plus amare & curare conuincitur. Cum hæc ita se habeant; necesse est & Ecclesiasticis, & publicæ rei iudicibus, vt ita sub oculis superni iudicis in quacumque causa, & de quacumque persona decernant iudicium, quatenus non sit in eodem iudicio aliquid fermenti malitiæ, doli, placiditatis, simulationis, seu cupiditatis, vel spei cuiuslibet adquisitionis, sed solum azyma sinceritatis, & veritatis, id est, iudicium iustitiæ, æquitas veritatis, puritas veritatis, ne (quod absit) maledictionem iudicis incurramus quæ generaliter à nobis ipsis, & à cuncta imprecatur Ecclesia in dicto Prophetæ, Muta fiant labia dolosa. Et, *in corde, & corde locuti sunt; Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, quæ aliud docent, & aliud cordi abscondunt; à quibus interdum constat quod dicitur, sed alio sensu interpretantur quod dicunt, quam teste conscientia sentiunt.*

Et sanctus Hieronymus in commento Matthæi dicit, *Falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur*: Et de quibus iterum scriptum est, *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, quando *operientur sicut diploide confusione sua*, id est, ponentur *sicut clibanus ignis in tempore vultus Dei*: videlicet, vt interius, & exterius ardeāt in sæculo iam venturo. Qui aliter ante conspectum illius, cui cogitatio hominis confitetur, liberi iudices esse non possumus, nisi ex corde; & ore vera dicamus vere, quia tunc iuste iudicemus, & hoc etiam cum timore & tremore, ne forte ignorantia delinquamus; quoniam, cum sit dictum, *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis*. Et, *Si non reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* Et ideo in his etiam, quæ apud homines certa sunt, securi esse non possumus, scientes; vt Paulus dicit, quia *Dominus est qui nos iudicat*, qui sæpe iudicio humano iustificamur.

Quapropter Regibus scribimus, vt quos Deus ideo in tam excellentissimo loco posuit, vt à subiectis omnibus valeant conspici, & ad speculi vicem haberi, quatenus prauis & rectis, vel terrori esse debeant, vel amori. Illa satagant facere, de quibus nemo subiectorum eos iuste valeat reprehendere, & ea studeant summopere deuitare, quæ in subiectos pro ministerio sibi à Deo imposito necesse erit corrigere, ne audiant à redarguente se Apostolo, *Existimas ergo, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quoniam tu effugies iudicium Dei?* Et iterum scriptum est, *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet.*

Et sanctus Spiritus, per beatos viros Benedictum, & Cyprianum confirmat; quia vnusquisque Rex de omnibus iudicus suis æquissimo iudici Deo rationem reddet in die iudicii, & pro tantis rationem reddet, quantos sub cura sua habuerit, sine dubio addita & animæ suæ, & sicut in throno hominum primus constitutus est, nisi se & sibi commissos bene rexerit, quantum cum Dei adiutorio præualuerit, omnes quoscumque peccatores sub se in præsenti sæculo habuit, supra se modo plagali in illa futura pœna habebit.

Ad consacerdotes autem nostros, ac per hoc ad nos ipsos sermo noster dirigitur vt ea doceamus quæ Dominus docuit, ea prædicemus quæ ipsi obnixius conseruemus, quia sicut scriptum est, *Interroga Sacerdotes legem meam*: Ita nihilominus à Domino dictum est, *Tu audiens annuntiabis eis ex me*: Audiens autem vel inspiratione superna, vel lectione diuina, de quibus scriptum est, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et, *Scrutamini scripturas.* Et, *Lex Domini irreprehensibilis conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis.* Quod vero subsequitur, *Nuntiabis eis ex me*: ex me (inquit) non ex te, quia non adulatorie, neque mobiliter pro voluntate humana, sed sincere atque constanter quam à Deo, siue sacra Scriptura, siue sanctorum magistrorum doctrina, didicit prædicator, debet auditoribus suis proponere, & sicut de nobis (utinam non ad iudicium nostrum) dicitur auditoribus, *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi, maiores tuos, & dicent tibi*: Et per nos eisdem præcipiendo suggeritur, *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Ita & alibi dicendo contra nos queritur, *Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: quia intellectus bonus omnibus facientibus eum*, Et, *Tenentes* (inquit) *legem nescierunt me*; Quoniam qui fide & operibus, vita & moribus, verbo atque exemplo, commissis non prædicant, licet nomine tenus colant secundum veritatem Dominum nesciunt, iuxta quod scriptum est, *Qui ignorat, ignorabitur*, videlicet reprobabitur: quocirca non est vnde securi, nisi de misericordia Dei esse possimus, de quorum manibus tantorum sanguis in die magni iudicii exigetur, quanti sine nostra commonitione in suis iniquitatibus pereunt, dicente Domino ad vnumquemque Episcopum, *Quia si non annuntiaueris iniquo iniquitatem suam, & ille iniquus non fuerit conuersus à via sua praua, ipse iniquus in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Timendum est etiam ne dicatur ab inspectore conscientiarum, quanto magis operum, nobis, *Clauem scientiæ tulistis, ipsi non introistis*: Et alios qui introire poterant, licet verbo admonuissetis, opere destruxistis. Et sciendum est, & cum timore ac tremore maximo continue recolendum, quia sicut spiritalius, ac proinde maius, tanto est periculosius Episcopale quam regium ministerium, quanto & pro ipsis Regibus rationem reddituri sumus Regi Regum, & Pastori Pastorum in die tremendi examinis.

Ad cunctos etiam in sinu Catholicæ Ecclesiæ collocatos hinc loqui decreuimus, vt & ipsi talia committere caueant, & quantum ex ipsis est, agentibus non consentiant, & per adulationem non faueant, de qualibus mirabilis dicit Apostolus, *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur*: Et item. *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt illa, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Quæ idcirco in hac scedula enumerare omisimus, ne aliis Dominis, & consacerdotibus nobis, qui illa sufficienter sciunt, & melius ac congruentius nobis suis auditoribus exponere sapiunt, fecisse iniuriam videamur, præsertim cum frequenti Apostolica lectione cunctis Ecclesiam visitantibus inculcentur.

Hæc nostra cursum præmissa tendit locutio, quia nuper ad nos quidam ex Ecclesiastico, quidam vero ex laicali ordine, & pro officii sui loco, ac pro religionis merito, nec non & pro deuotionis atque nobilitatis suæ cultu, non contemnendæ personæ quendam libellum, cuius hic textum subiunximus, cum propositis quæstionibus direxerunt, petentes humiliter per Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit, *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis*: Et, *omni petenti te tribue*: Et, *volenti mutuare à te ne auertaris*: Et, *ne dicas amico tuo vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Et per B. Petrum Ecclesiæ suæ iussit rectoribus, *vt parati sint ad satisfactionem omni poscenti se rationem reddere*: Quoniam *qui abscondit frumenta*, id est, sacri eloquii documenta, *maledicetur in populis: benedictio autem Domini super caput vendentium*: Quia docens ea quæ, Domino docente didicit, maiorem docendi gratiam & ipse merebitur ab auditoribus, pretium fidei & confessionis recipiens, vt illorum petitionibus nullatenus negligeremus, neque dissimularemus, aut sub aliqua excusatione differremus, sed quantocyus tacitis eorum nominibus, à quibus hæc proposita fuerant, quibusque de propositis rescriberemus, quæ ex his secundum scripturarum auctoritatem, & Catholicorum patrum doctrinam nobis Dominus dederit, per singula, sicut proposuerant, respondere breuiter studeremus; De quibus scribere nihil vellemus, sed vel sapientium doctrinam audire, vel quæ sentimus verbo tantum enuntiare: & si erat scribendum, forte possemus congruentius dicendi ordinem texere, si alium ac tantorum adiurationem voluissemus aut valuissemus negligere. Vnde legentes hæc quæ de sanctis scriptu-

ris,& Patrum traditionibus, eorum propositionibus rescribemusnon nos de responsionum ordine inordinato succenseaor,& si ad talia, ad hanc rationem fortassis non pertinent, eorum tracti quæstionibus deriuamus, oon oos superfluitate refugiant, neque nostræ sinceritatis responsionem quisquam ad iniuriam sui retorqueat, quoniam nos dicti Dominici memores, [Deut. 1.] *Non accipias personam in iudicio*: Et item dicentes sanctos Apostolos (quorum, licet indigni, vices agimus) pro modulo nostro imitantes; *Non enim* (inquiunt) [Act. 4.] *possumus quæ audiuimus & vidimus non loqui*; de quibus interrogati sumus, non nostra, sed vel scripturæ diuinæ, vel eorum dicta, per quos Dominus locutus est, & à quibus illa didicimus, pro vt permisit breuitas temporis, & occurrit memoriæ, propositis quæstioonibus; immo quærentium propositionibus præmitteotes quæ interrogauerant, solutionibus sioe adulatione respondere curauimus. Et idcirco generaliter ad omnes scripsimus, quia ad omnium ordinum personas causam pertinere cognouimus, & eos prodere, qui nobis proposita transmiserunt, prohibiti cum adiuratione præscripta sumus. Det autem Dominus in os nostrum sermonem directum & benesonantem, vt possimus ad ea, de quibus interrogati sumus, conuenienter collecta proferre verba eorum, quibus Dominus dicit: [Matth. 10.] *Non vos estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Det etiam gratia Domini nostri Iesu [1. Tim. 2.] Christi, *qui vult omnes homines saluos fieri*, & neminem vult perire vt placeant per nostræ humilitatis seruitutem dicta sanctorum excerpta in conspectu audientium, ea quibus generaliter Deus dicit: *Qui est ex Deo,* [Ioan. 8.] *verba Dei audit*: Quique discipulis suis dixit: *Qui vos* [Luc. 10.] *audit, me audit*: Et remoueat ab omnium audientium [Ioan. 11.] interiore cordis auditu obaudiendi duritiam, qui iussit remouere à sepulchro Lazari lapidem, & auferat inobediendi vecordiam, qui olim promiserat per Prophetam: [Ezech. 36.] *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: & spiritum* meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis & iudicia mea custodiatis, & operemini*: ne eis (quod absit) contemnentibus sanctorum suorum consilia, quibus dixerat: *Qui vos spernit, me spernit*, quod est valde terribile, dicat: *Propterea vos non auditis*, id est nõ obeditis, *quia ex Deo nõ estis.* [* nouũ]

[Luc. 10. Ioan. 8.] Et nemo nos esse ter impudicos de huiusmodi impudicitiis, quas verecundæ aures erubescendo refugiunt sermocinantes: quia timore Christi, quem in se locutum fuisse veraciter dixit Paulus, inter alia de talibus disputauit; illa, quæ ex interrogatis sentire potuimus nequaquam tacere audebimus, terrente nos eo atque dicente: *qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Pa-* [Luc. 9.] *tris, & sanctorum Angelorum.*

Nemo etiam debet exacerbari audiens turpitudines infirmitatum, quas venenata diabolicæ malignitatis calliditas humanæ infligit fragilitati, sciens se, secundum Apostolum, [Heb. 5.] *circundatum esse infirmitate*, & considerans seipsum ne forte & ipse tentetur: [Gal. 6.] *Neque debet metuere* (beato dicente Gregorio in regula pastorali) [Part. 2. ca. 5.] *ne dum aliena tentamenta condescendendo cognoscit eisdem tentationibus etiam ipse pulsetur quia & hæc eadem, per quam populi multitudo in lauatur, iubente Domino, per Moysen facto diluitur, aqua proculdubio inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi sua munditia serenitatem perdit: sed hæc nequaquam pastori timenda sunt quia Deo subtiliter cuncta pensante tanto facilius à sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur.*

Et tanto alienarum infirmitatum impuritates & patienter audire, & infirmis medicinali consilio, pro vt cuique expedire viderit, debet modis omnibus subuenire, quanto Deum, vt ipse per Prophetam dicit, susti- [Hier. 6.] nendo laborare in nostris iniquitatibus & occulta dedecora nostra & ipsarum etiam cogitationum immũditias conspicere, & misericorditer portare, diutina expectatione ignorare non potest. Vnde sanctus Augustinus in libro quarto cõtra Iulianum dicit: *Nos certe si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus, quam vere innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos quæ vtique si noluisset, nulla ratione permitteret & tamen iustus & bonus est, & quod post patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire.* Quod cur fiat sanctus demonstrat Gregorius eaponẽs scripturæ testimonium: *Altissimus est enim patiens redditor: quoniam & patitur mala nostra & reddit: Nam quos diu vt conuertantur, tolerat, non conuersos durius damnat.* [Hom. Iudic. 3.]

Interrogatio. Aiunt enim in primo capitulo: Vxor Domini Regis Hlotharij primo quidem reputata est de stupro quasi frater suus cum ea masculino concubitu inter femora sicut solent masculi in masculos turpitudinẽ operari, scelus fuerit operatus & inde ipsa cõceperit: quapropter vt celaretur flagitium potum hausit, & partum abortiuit, quæ ipsa denegans probationis auctore, testibusque deficientibus, iudicio laicorũ nobilium, & consultu Episcoporum atque ipsius Regis consensu, vicarius eiusdem fœminæ ad iudicium aquæ feruentis exijt & postquam incoctus fuerat ipse repertus, eadem fœmina maritali thoro ac coniugio regio, decreto, quo suspensa fuerat, est etiam restituta: Sicque post spatium temporis (nescimus vtrum de eadem re, an de commisso post initum coniugiũ) à quibusdam Episcopis, talis (sicut vobis transmittimus) cõscriptus habetur libellus, & per quorundam ora vulgatur, quia per hanc secretam confessionem, quam libellus iste designat, vos ceteri omnes Episcopi, adsumpta parabola, eam debeatis funditus à maritali connubio remouere, & si etiam amplius exegeritis, cogetur vobis dare libellum manu sua firmatum, vt sicut Ebo quondam Remorum Episcopus per libellum secretæ confessionis à sede & ordine est submotus, ita & illa per libellum secretæ confessionis à maritali remoueatur consortio. Sed & de venerabili Remorum Archiepiscopo nobis est dictum, quoniam tali facto consentiat, & per Episcopos Vuenilonem scilicet Rotomagensem Archiepiscopum, & Hildegarium Episcopũ, verbo vices suas impleuerit, & per Aduentium, qui cũ eo Remis pro hac causa locutus fuerat, litteras consensus sui ad placitum Regis & ad conuentum Episcopalem direxerit: & per eundem Aduentium literas suas exinde ad Apostolicam sedem transmiserit. Vnde quid inde ex veritate secundum auctoritatem tenendum sit, à vobis per veritatem, quæ Deus est, remandari nobis deposcimus. Textus autem libelli octo capitulorum huiusmodi esse dinoscitur.

Cap. I. *Nos Episcopi, qui in Aquensi palatio nuper vocati conuenimus, quid ibi sensimus, quidue reperimus, ad notitiam fratrum & Coepiscoporum deducere curamus, vt ipsi autem cordis & corporis accommodantes discernant, & vnanimi consilio inueniant quem exitum, & quem finem huiusmodi causa imponant.*

Cap. II. *Gloriosus Rex Hlotharius familiare, & secretum colloquium nobiscum habens, humiliter deuota puritate suas specialiter ac proprias necessitates consilium & remediũ quærendo, exposuit: Nos quoque sua bona voluntati congratulantes, lachrymis ipsius & suspirijs inuitati, & ad compassionem flexi, Domino inspirante, petenti, quærente, & pulsanti consilium dedimus & medicinale remedium adhibuimus.*

Cap. III. *Tunc isdem Rex lugubri voce (quod nos quidẽ non sine mærore & dolore persequimur) cœpit nobis dicere de sua vxore, quam desiderauit habere. quid ipsa obnixis & cõtinuis precibus postularet, vt vinculis coniugalibus absoluta, maritali videlicet thoro (vt ipsa testabatur) indigna, sacrum velamen susciperet, & Christo Domino seruire mereretur.*

Cap. IV. *Interea missus ipsius Reginæ nos accersiuit orans, vt illam adire non tardaremus, ad quam nos accedentes, ipsa occurrere festinauit, & pene ad pedes nostros deuoluta, cœpit his verbis multum imprecans. propter Deum (inquiens) & propter ministerium vestrum obsecro vos, vt*

mihi verum consilium detis.

CAP. V. *Cui nos è vestigio respondentes: vtinam (animas) Dominus nobis consilium, quod tibi veraciter & salubriter demus, administret: tantum tu dic nobis pura & veraci tua conscientia confessione quid est vnde consilium tam expressa obtestatione requiris: quia aliter tibi quod petis præstare non possumus, nisi rei veritatem agnoscamus: Hoc tamen præmonemus, tibique diligenter prohibemus Dei & nostra auctoritate, vt nec alicuius suasione, immo deceptione, ad alios honores inuitata, nec timore cuiuslibet pœnæ vel mortis, aliquod tibi crimen falso confingas, & nos (quod absit) in errorem inducas: sed, sicut superius monuimus, rei veritatem, sicuti est, nec plus nec minus, pandas: Nosque Domino donante, consilium & auxilium tibi præstare decertabimus, vt nequaquam a tua iustitia in aliquo defrauderis.*

CAP. VI. *Nequaquam (ait illa) teste Deo & propria conscientia, teste etiam meo confessore, aut à dextris, aut à sinistris aliter dicam, vel de me fatebor, nisi quemadmodum in veritate est. Recognosco (inquit) & de meipsa scio, quia non sum digna in coniugali copula permanere, & inde vobis testem adhibeo præsentem Episcopum Guntharium, cui ego confessa fui: ipse enim nouit quia ego non sum digna: Quæ etiam mox se vertens ad ipsum Episcopum, implorando aiebat: Rogo (inquit) Episcope, vt istos tuos confratres sicut melius scis, intelligere facias, quia ita est, sicuti de me testimonium perhibui: Cui memoratus Episcopus: Bonum est* (inquit) *vt tu ipsa istis meis confratribus quod adhuc latet aperias, quatenus ex tuo proprio ore quod diiudicent audiant. Et illa: Quid necesse est (ait) vt aliter dicam nisi sicut tu nosti? propter Deum tibi sit vt tu eis manifestes meam necessitatem, quo pariter cum Seniore meo mihi licentiam detis, vt quod desidero faciam: quia (inquit) pro toto mundo nolo meam animam perdere: & ideo rogo vos propter Deum, & propter ministerium quod suscepistis, vt mihi quod postulo ad salutem animæ meæ non denegetis.*

CAP. VII. *Tunc nos Episcopi tentantes requisiuimus an ipsa vlterius vellet inde aliquam querimoniam mouere, aut aliquas insidias moliri, si sua petitioni satis factum fieret. Ad quod illa libera voce: Per eam fidem, quam colo (ait) vobis coram Deo promitto, quia in æternum nec per meipsam, nec per meum ingenium vllam inde querelam mouebo.*

CAP. VIII. *Quid denique à sæpe fato confratre nostro, de hac re multum tristante, & angustiante, ac lugente, atque (quod vnquam illius confessionis conscius extitit) admodum pœnitente, didicimus, hoc fratribus & Coepiscopis iuxta conditionem data licentia viua voce narrandum est, vt (sicut in primordio dictum est) cum argumenta hactenus latentis causæ perceperint, vno eodemque omnes consilio & consensu errorem expellant, & verum statuant.*

Resp. De huius libelli serie superfluum diximus per singula quasi respondendo disserere, cum ipse sibi sufficiat ea, quæ continet demonstrare: & nec nostræ laudis assertione indigeat, nec vituperationem refugiat: tamen quod in quinto capitulo ipsius relegimus dictum, de qua agitur, fœminæ: *Hoc præmonemus, tibique diligenter prohibemus Dei & nostra auctoritate, vt nec alicuius suasione, immo deceptione, ad alios honores inuitata, nec timore cuiuslibet pœnæ vel mortis, aliquod tibi crimen falso confingas, & nos (quod absit) in errorem inducas*: mirum est si ante non fuit cognitum, quod ab ea erat dicendum: cur talia eidem fœminæ ante confessionem fuere præmissa? & si à pluribus quæ dicenda erant ante fuerunt præcognita, cur quasi sub secreta confessione quæ dicta sunt profitentur esse recepta? Sed hoc modo accidere potuisse putamus, quia (sicut legimus in litteris diuinitus inspiratis) non semper adest Prophetis spiritus Prophetiæ, dicente Helisæo de Sunamite ad Gyezi puerum suum: *Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est: & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*: Et quando vult, iterum idem spiritus adest Prophetis: Vnde & Achias diuino spiritu inspiratus ad vxorem Hieroboam dicit mox vt *audiuit sonitum pedum eius introeuntis per ostium: Ingredere vxor Hieroboam, quare te aliam esse simulas?* Quapropter si Domini spiritus (quoniam testante Apostolo, & pastores Ecclesiæ Prophetæ sunt) reuelauit auriculam alloquentium mulierem ad se cum simulatione fortassis aduenientem, in potestate ipsius spiritus est, qui *vbi vult spirat*, vt occulta reuelatione illis suggesserit, eidem mulieri Dei & sua auctoritate præcipere, ne eis simulata præsumeret quoquomodo indicare.

4. Reg. 4.
3. Reg. 14.
Ephes. 4.
Ioan. 3.

Nos autem de incertis diu disputare non volumus, qui certa ex scripturarum auctoritate proferre valemus. Nam de adhortatione ad confessionem dictum legimus: *Reuela domino viam tuam, & spera in eum.* De subsequente autem adhortationem confessione item legimus: *Dixi pronunciabo iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Huic quoque confessioni à Domino repensa est remissio, non punitio, quæ non est extorta per metum, sed prolata ad indulgentiæ spem per medicabile hortamentum, vt item dixit, *Et ex voluntate mea confitebor ei*: nec inuitata ad præsentem honorem, sed ad futuram beatitudinem, quia scriptum est: *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.* Ille enim ante lucem surgit, qui à Dei custodia per negligentiam mandatorum eius se alienans cadit, & ante diem venturi seculi in hac vita, quæ nocti est similis, honoribus extolli ac proficere appetit: sedendum ergo prius est per pœnitentiam, vt post recte surgamus per indulgentiam: quia quisquis nunc se sponte per pœnitentiam non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat. Qualiter autem non exaltari, sed humiliari per confessionem & pœnitentiam debeamus, Dominus in Euangelio Lucæ habitum pœnitentis demonstrat, dicens: *Olim in cinere & cilicio sedentes pœnitentiam egissent*: Et in Psalmo: *Humiliaui in ieiunio animam meam*: Et, *Induebam me cilicio*: Et, *Factus sum conturbatus*: Et, *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam*: Et, *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Vnde & sacri Canones iubent: *Vt pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super capita à sacerdote, sicut vbique constitutum est, consequantur.* Et, *Manus impositionem, cuius crimen vulgatum est, ante absidem accipiat*: Quod vnusquisque publice pœnitens ab Episcopo suo, de cuius parrœchia est debet suscipere. Illud autem quod generaliter lædit Ecclesiam, à Synodo, id est, conuentu Episcopali medicabiliter debet sanari. Et miro modo hic libellus conuentum sonat Episcopalem, qui pro causa generali fieri debet: & secretam describit confessionem, quæ specialem postulat medicinam.

Psal. 36.
Psal. 31.
Psal. 27.
Psal. 126.
Luc. 10
Psal. 34
Psal. 129
Psal. 101.
Conc. Agath. ca. 15.
Conc. Afric. can. 10.

Sed & septimum capitulum (in quo, tentando interrogatur fœmina iam designata, vt ibi scriptum est: *Vtrum inde aliquam vellet querimoniam remouere, aut aliquas insidias moliri, si sua petitioni satisfactum fieret*, ex quo iuratio demonstratur elicita) tarditatis nostræ est ingeniolo suspectum, ideo à nobis nihil est inde responsum, ne deuiare aut à legali tramite, aut à capituli semita videamur.

De eo etiam quod in Præmissi libelli octauo capitulo scriptum est; *Quid denique à sæpefato confratre nostro de hac re multum tristante, & angustiante, ac lugente, atque quod vnquam illius confessionis conscius extitit, admodum pœnitente didicimus, hoc fratribus & Coepiscopis iuxta conditionem data licentia viua voce narrandum est, vt (sicut in primordio*

dictum est) cum argumenta hactenus latentis causæ percepe- rint, vno eodemque omnes consilio & consensu errorem expellant, & verum statuant. Sciant & quicunque venerandi Episcopi, & Reges gloriosi, & omnes in sinu matris Ecclesiæ collati, quia hanc latentem causam sub hac conditione potius ignorare, quam scire volumus, pro causis quas ostendimus, videlicet, quia nimis habemus de peccatis nostris, & nobis à secrete confitentium deuotione confessis, & à nobis subditis publice & pondere graui commissis, ad quæ deflenda oculi nostri nequaquam sufficiunt, quanto magis illa quæ latent, & per alios sanari melius quam per nos possunt & ablui curiositate, quæ graue est [vt dicit Gregorius] vitium, illa discere & audire quæramus. Vnde supradicto cumulo sic lugeamus, sicut ille pius & sanctus vir, cui illa fœmina confessa fuit, tristissimus & angustians atque pœnitens, quia illius confessionis conscius fuerat, sicut ibi scriptum est; luxit. Sed legimus quia luxit Samuel Saulem quoniam abiecit eum Dominus, ita vt Dominus diceret ei: *Vsquequo tu luges Saul, quem ego abieci eum?* Sed non legimus eum cuiquam manifestasse pro quo illum peccato luxerit, nisi ipsi Sauli, & quantum lachrymæ ipsius inde Domini auribus intimarunt.

1. Reg. 16.

Altera causa est, quia Spiritus sancti oraculo cautum esse dinoscitur: *Vt quique peccantes peccatorum suorum latentes causas spiritalibus senioribus patefaciant, qui sciant & sua & aliena vulnera curare, & non detegere ac publicare:* Et propterea in sacris Canonibus Africani Concilij scriptum habetur: *Vt si quando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad iniuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur: Et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicauerit suus Episcopus, eidem Episcopo ab alijs non communicetur Episcopis, vt magis caueat Episcopus ne dicat in quemquam quod alijs documentis non potest conuincere.* Quid enim crimen confesso nolle communicare, nisi confessionem criminis publicare? Et quantiscumque Episcopis fœmina ipsa secreta confessione delictum suum prodiderit, sic quasi vno dixerit, secretum haberi debebit. Vnde Augustinus exponens sententiam Leuitici: *si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam*; ita dicit: *Hoc enim* (inquiens) *videtur dicere peccare hominem, quo audiente iurat aliquis falsum, & scit eum falsum iurare, & tacet. Tunc autem scit, si ei rei, de qua iuratur testis fuerit, aut vidit, aut conscius fuit, id est aliquo modo cognouit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui iurat illi indicauit, ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem huius peccati, & timorem proditionis hominum, non parua extat plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad periurium admonendo, vel prohibendo à tam graui peccato reuocare, sed si non audierit, & coram nobis de re quam nobis indicauerat, falsum iurauerit, vtrum prodendus sit si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est, sed quia non expressit cui hoc indicandum esset, vtrum illi cui adiuratur, an Sacerdoti, vel cuipiam qui non solum eum persequi non potest, inrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest. Videtur mihi quod se homo soluat etiam à peccati vinculo, si indicet talibus qui magis possunt prodesse quam obesse periuro, siue ad corrigendum, siue ad Deum pro illo placandum si & ipse confessioni adhibeat medicinam,* & cetera quæ ibi prosequitur. Quod autem de vno peccato diximus, de alijs etiam debet intelligi. Et Salomon dicit, *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est animi celat commissum.* Et sanctus Gregorius in pastorali regula dicit, *Tales* (inquiens) *sese qui præsunt exhibeant, quibus subiecti occulta quoque sua prodere non erubescant, vt cum tentationum fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant: & hoc quod se inquinari pulsantis culpa sordibus prauident, exhortationis eius solatio ac lachrymis orationis lauent: & notum de seipso vnicuique constat, quia nemo est qui prælato suo peccata sua prodere non erubescat, si se denudari, vel publicare, putauerit.* Et in Carthaginensi Concilio præcipitur, *Vt Episcopus nullius causam audiat, de qua ei necesse erit publice iudicare, absque præsentia Clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia Clericorum suorum confirmetur.* Et Dominus in Euangelio, delinquentem, adhibito vno vel duobus, præcipit commoneri, ne quando ad Ecclesiam fuerit deferendum, qui monuerat, non corrector, sed deficientibus testibus iudicetur potius criminator.

Can. 99

Leuit. 5 Lib. 3. quæ. c. 1.

Prou. 11

Conc. Car. 4. can. 15. Matth. 18.

Tertia causa est, quia de absconditis iudicare non possumus, nec debemus quæ nos latent sicut & hæc causa quæ latens in antefato libello pronunciatur, & nesciri à nobis perpetuo cupitur, si secreto consilio sanari nequitur.

Et quoniam de latentibus iudicare non possumus beatus Innocentius ad Exuperium Tolosanum scribit Episcopum requirentem, *Cur communicantes viris cum adulteris vxoribus non conueniant; cum contra vxores in consortio adulterorum virorum manere videantur, cum super hac Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnet? Quia viros suos* (inquiens) *mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius vxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueuerunt, & ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur, qui vtique submouebitur, si eius flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante vindictæ ratio conquiescit.*

Textus libelli septem capitulorum taliter continetur.

CAP. I. *Postquam Dominus noster Hlotharius serenissimus ac gloriosissimus Rex Tetbergam cum consensu & voluntate fidelium suorum ad coniugium more regali sibi sociauit, & discordiarum querela inter eos cœperunt exoriri, dictum est ei principi à quibusdam, quomodo memorata Tetberga solus quoddam horribile, ac nefas patratum, vulnus occultum in animo siue in corpore haberet, & in quo Deum grauiter offensum haberet, pro quo etiam illi non esset digna, neque liceret, vel eum deceret ad coniugium eam amplius habere.*

CAP. II. *Ex opinione vero præmissa, quæ de illa per ora quorundam volitabat, præfatus Rex in conspectu fidelium suorum secrete ac manifeste frequenter conlocutus fuit, & cum eis rationes habuit, vnde iudicium postea per ipsorum consilium extitit factum, sed non diuina pietas indulgens rei veritatem manifestare voluit, sed cum postmodum ad fratrem suum Hludouicum Imperatorem in Italiam deuenisset, illuc apertius patratum scelus est illi manifestatum.*

CAP. III. *Proinde ne suspicio ista & nequissima fama de vxore regia, diutius inexaminata, aut impunita maneret, quatenus idem Dominus noster certior securiusque effectus de hac causa, cum qua illi agenda erant more regali liberius exequerentur, conuenerunt iussu eiusdem principis, anno videlicet incarnationis Dominicæ* DCCCLX. *& regni eius* V. *indictione* VIII. V. *Id. Ianuarij Aquis palatio Guntharius summus Capellanus, & Teutgaudus Archiepiscopi, Aduentius, & Franco Episcopi, Hegil, & Odelingus Abbates, siue alij fideles eius, quibus omnia superius inserta referens, iubendo monuit scriptos Episcopos atque Abbates, dirigens ad illam, vt de prædicta fama apud eam omnem rei veritatem perquirerent, sicuti & fecerunt. Nam ipsa confessa est eis coram Deo & Angelis eius, omnia quæque in illa erant, omneque secretum iuxta exortam famam penitus aperuit illis, ipsique reuersi nuntiauerunt prædicto Regi, quod vxorem non liceret illi eam habere.*

CAP. IV. *Primus Guntharius dixit; Confessa est Deo & nobis, quod vulnus in se haberet interius, non tamen sua sponte, sed violenter sibi inlatum, pro quo indignam se esse omnino iudicauit ad regalem siue maritalem thorum iam vlterius accedere, & nullatenus posset pro prædicto scelere, quod turpe est dicere:*

dicere: coniugium famulare cum eo, vel cum quolibet amplius habere: & ideo deprecata est licentiam sibi dari mutandi secularem habitum, & à virili commixtione discedendi, nulla interueniente fraude iracundia, etiam vel voluntate, quam contra eundem Regem haberet; sed vt illa discedente, ipse animo & corpore solaretur, & ipsa quod inique egit, per Dei misericordiam, & eorundem Episcoporum orationes deflere potuisset.

CAP. V. *Aduentius dixit; Hoc me facinus & factum hactenus latuit, & nefas est illud, vt deinceps more maris & fœminæ simul conueniatis: & si tamen, vt prius fuit, vobis esset amabilis & dilecta, darem vobis consilium secundum ministerium mihi commissum, & probarem omnino ac vlterius lateri vestro sociaretur sicuti coniunx, sed iuxta petitionem eius velum accipere, & habitum mutare hoc permitteretis.*

CAP. VI. *Similiter Teotgaudius Archiepiscopus dixit atque consensit.*

CAP. VII. *Egil Abba vice eiusdem Tetbergæ ita faciendum suasit & petiit, vt quia non sua sponte, sed vi oppressa rem nefandam perpetrauerat, tribueretur ei facultas velandi, & locus quo patratum vulnus sanaret, quod vero simpliciter, & nullo incumbente timore, aut qualibet occasione, vel voluntate, sed pro Dei amore, & animæ suæ solutione petebat.*

De hoc libello rationabilius tacere quam respondere delegimus: quoniam sicuti præmisso inrationabilitate ex maiori parte habetur consimilis, ita veritati & rationi adeo habetur dissimilis, vt credi non debeat à præfatis confectus Episcopis.

Sed in quodam Tomo, quem ex integro propter sui prolixitatem hic scribere deuitauimus, cuius initium est, *Anno ab Incarnatione Domini DCCCLX. Indictione VIII. mediante Februario mense, decernentibus gloriosis Regibus Hludouico, Carolo, atque Hlothario iuniore, in generali conuentu optimatum ex regno almi Hlotharii, actum est Concilium Episcoporum Aquisgrani palatio, Guntarii Agrippinensis, Teotgaudi Treuerensis, Venilonis Rotomagensis, Franconis Tungrensis, Hattonis Viridunensis, Hildegaris Meldensis, Halduini Auinien- sis.*

CAP. XV. Ad locum de fœmina, vnde agitur, ita scriptum reperimus. *Porro illa nulla securitate hoc celandi, aut superandi fulta, primo Regi ordinem perpetrati reatus, vt fama fuerat, enarrauit. Deinde quibusdam Episcoporum simul & laicorum idipsum enucleauit. Postea quoque cartulam suæ confessionis suo rogatu conscriptam, in nostra omnium & multorum laicorum præsentia, in manu gloriosi Regis Hlotharii porrexit, moxque coram omnibus palam locuta: Domine mi Rex*, inquit, *propter Deum rogo, & propter vestram mercedem, vt mihi pœnitentiam agere liceat, quoniam & verbis, & scripto confiteor me coniugalem copulam non mereri, ideoque prostrata suppliciter expostulo, vt mihi iam, nunc, & deinceps non denegetis quod meæ saluti posthac succurrere potest. Textus itaque illius scripturæ hæc verba, & hunc sensũ continebat, ego Thietbirche, quam fœminei sexus imprudentia, & fragilitas fefellit humana, & conscientia delicti mordet, propter spem salutis animæ meæ, & propter fidelitatem erga Seniorem meum, veram confessionem coram Deo & sanctis Angelis eius, ac venerabilibus Episcopis, siue nobilibus laicis, sic profiteor, quia germanus meus Hucbertus clericus me adulescentulam corrupit, & in meo corpore contra naturalem vsum fornicationem exercuit, & perpetrauit. Hoc testificor, teste mihi conscientia mea, non aliqua maliuola suggestione persuasa, neque violenti necessitate compulsa, sed simplici voluntate rei veritatem (sicuti est) professa. Sic me adiuuet Dominus, qui peccatores saluare venit, & peccata simpliciter, ac veraciter confitentibus veram indulgentiam promisit, si nihil fingo, si vera propria voce pronuntio, & litterarum chirographo rem gestam confirmo: quia tolerabilius est mihi imprudenti, ac deceptæ fœminæ coram hominibus culpam simpliciter confiteri, quam ante tribunal Domini erubescere, atque æternum væ habere.*

CAP. XVI. *Hoc itaque recitato, astantium animos horror pariter ac dolor perculit, ac de tanta licentia diabolicæ fraudis Sacerdotum pectora gemitus compleuit. Sed quamuis ista eius confessio credibilis appareret, tamen ne forte pro aliqua deceptione, aut pro timore alicuius, sæpe dicta mulier mentiretur, denuo memoratum Regem alloquentes, magnis eum obtestationibus astrinximus, vt nobis confiteretur, si eam, suasione, aut comminatione ad se ipsam fallaciter criminandum compulisset: è contra ipse cum maximis attestationibus nobis declarauit solam rei veritatem illam confiteri se persuasisse, nec in ea causa industriose aliquid amplius egisse. Referebat etiam nobis in ipsa hora, quomodo postquam primum infandam rem audiuit, & veram credidit, quantum inde doluit, quantumque sibi inopinatum malum, & minime optata sors displicuit. Qualiter denique rem fœdam patienter ferre, & nisi iam tantum fama cucurrisset, occultare voluit, & quantum potuit, fecit. Vnde & falsum iudicium se sciente pro verifica examinatione suscepit & tolerauit, vt, si fieri posset, tanta turpitudo incredibilis appareret, & sic in mundo euanesceret, ipseque coram sæculo in tam ignominiosa macula, & ruinosa offensione non remaneret. Postquam autem reuelata pestis latere non potuit, ac ipse pondus tanti ferre nequiuit, maxime cum partibus Burgundiæ, atque Italiæ discurrens nimis diffamatam ac diuulgatam fœditatem exhorruit, non est passus hanc causam sine Episcoporum examine diutius subsistere. Reuera lachrymosis suspiriis multipliciter id sibi de memorata fœmina inculcatum, & in hoc etiam regno à plurimis affirmatum non sine gemitu repetebat.*

CAP. XVII. *Nos igitur rursus eandem mulierem primum secreto, deinde coram laicis adiuimus, eamque cum adiuratione diuina monitis pluribus exhortati sumus, ne sibi vllo modo falsum crimen inferret, æternarum quoque pœnarum minis, si hoc faceret, deterrere curauimus; iterumque de nostro consilio, & auxilio, tuitione, ac defensione contra omnes insidias, vel violentias securam reddidimus, tantum vt nobis iam tunc fiducialiter confiteretur, vtrum persuasa, an compulsa ad seipsam criminandum fuisset. Ad hæc illa aspero intuitu nos redarguens; Putatis, inquit, vt me ipsam pro aliqua re in mundo ita perdere voluissem? Sicut enim confessa sum, sic confiteor, & sic confitebor. Tantum obsecro propter Dei amorem, vt meis precibus desideratam misericordiam iam modo concedatis. Hinc vestra sollicitudo requisiuit, an ipsa vlterius inde aliquam vellet querimoniam mouere, aut aliquas aliquando insidias moliri, si suæ petitioni fieret satisfactum: cuius obligationem, & nostra ilico vnanimitas ita prosecuta est; Scias, ô filia, quia si nostram in te tuamq; confessionem sententiam expectabis, vt te diuinæ, & Canonicæ comprehendat auctoritatis cẽsura, & indissolubilis incipiat ligare sacerdotum catena, vnde adhuc potes recuperare, si tamen potes, vlterius (vt æstimamus) non recuperabis. Sic & laici plurimum eam admonuerunt, maxime ipsius familiares, & amici admodum, illam, ne se deciperet, pulsando increpabant. Ipsa tamen, veluti si eius conscientiæ secretum intuentium oculis visibiliter appareret, immobilis in sua confessione perdurauit.*

CAP. XVIII. *Quid longius immoremur? iã omni dubietate remota, & rei veritate cõperta, nouũ auditu scelus, nefandaq; pollutione horrendũ, præsertim cuius fœtorem, iam diu per innumeros longe lateq; fama dispersera, ne præteritis ac futuris pestiferã corruptionẽ inferat, nisi seuerius diligẽtiusq; euellatur, nulla leui cura, vel indulgentia tractandũ visum est. Non enim dubium est, quia naturalis inter fratrem & sororẽ concubitus veniam tẽporalis non meretur honoris, & nihil aliud restat quã vindicta & pœnitentia; nec habet vlterius progrediendi occasionem damnabile crimen, quod statim à præuaricatoribus multa quæ fuerant licita penitus amputat: ideoque hoc eo rarius à sæculo contigit, quo constat quia nullus inde exemplũ sibi præsumpsit, quod nunquam veniale apud mundi gloriam esse potuit. Sed cum*

quilibet aliquotiens in hanc miseriam lapsi sunt, non de exemplo alterius accidit, sed de antiqua Diaboli fraude, & similis fragilitati impulsu ac præcipitio veteris, & quasi nimia ruina fuit: istud autem contagionis genus, quod nunc incipit esse nouum, & antea nobis erat inauditum, cauendum est ne morbosam pestem, & incurabilem luem generi transmittat humano, vt ita videlicet origo pernitiosa funditus extirpetur, quo nullum exemplum nullamque fragilibus relinquat occasionem, ne forte (quod absit) talis consuetudo inolescat, qua naturalem consanguinitatis concubitum quis deuitet, & fornicae contra naturam in proprio genere leue hoc æstimans malum licentius assuescat.

CAP. XVIII. *His ergo consideratis & diligenter perspectis, lugendam incesti pollutionem in publicum exhalatam publica pœnitentia satisfactione purgandam decreuimus.*

Hinc breuiter prælibamus in processu plenius ostensuri, quia huiusmodi confessionis libellum fieri Leo Papa manifestissime prohibet, sed & perinde vxorem à viro discedere posse neque auctoritas sacra permittit; quia etiam hæc fœmina suæ accusationis libellum non Episcopis (vt ibi scriptum est) sed Regi porrexit, & laicis sua crimina denudauit, Rex legale iudicium constituat. & secundum legem ac iustitiam laici coniugati laici Regis coniugem iudicent; & si de eorum iudicio ad Episcopale iudicium venerit, secundum leges Ecclesiasticas Episcopi ei iudicium medicinale imponant.

De hoc quod ibi scriptum est, quod de tali facto Rex doluit, & contristato ei actio ista displicuit, cauendum illi est, ne tristitia eius non sit ablutio, sed sceleris (quod absit) confessio. Hæc enim est, vt doctores scribunt Ecclesiæ, & Venerabilis presbyter Beda illorum sequens sententiam dicit, *Superni iustitia iudicii, vt plerumque reprobi & agnoscant se & fateantur errasse, certamque erroris sui pœnitudinem gerant, nec tamen aberrando quiescant quatenus eadem confessione, ac pœnitentia contra se ipsi testimonium dent, quia non nescio delinquunt, dum à peccato quod culpant, cohibere detrectant, eoque iustius pereant, quo foueam perditionis, quam præuidere valuerunt, declinare neglexerunt. Vnde scriptum est de Herode, quia contristatus est Rex pro Herodiadis petitione: talis quippe est tristitia Herodis, qualis pœnitentia Pharaonis, & Iuda, quorum quisque facinora sua postquam accusante conscientia inuitus prodidit, necoro augmentauit. Itaque Herodes caput Ioannis petitus tristitiam quidem prætendebat in vultu, quia se ipse damnaret, ostendendo cunctis liquido quia insontem necaret & sanctum, quem erat neci daturus. Verum si diligentius cor nefandum inspicimus, latabatur occulte quod ea petebatur, quæ & antea facere (si excusabiliter posset) disponebat, qui, si caput Herodiadis peteretur, nulli dubium quia nec vellet dare, & veraciter tristis abnueret.*

Vnde & hic domnus noster Rex superni spectatoris intendens oculos, qui corda omnium conspicit, & cui cogitatio hominis confitetur, diligentissime ponderet, si æquo dolore acciperet, & æqua vultus serenitate eum respiceret, à quo tunc forte audiret, quia à te fœminam istam absoluis, nec illam talem vel talem tibi quocumque modo vlterius vnquam adproximare permittas. De hoc quod Rex profitetur, quia falsum iudicium se sciente pro verifica examinatione suscepit; scientes de omnibus iudiciis nostris æquissimo iudici & Regi Regum rationes nos subtilissime reddituros, quæ sentimus absque respectu personæ, veritate cogente, professimus, scilicet quia contra legale decretū, & Euangelicam veritatem agere præsumpsit, dicentem: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, qui (vt iterum scriptum est) *in laqueos decidet*, vt sacrilegus. quia contra sacra Sacramenta per contemptum & illusorie fecit, pœnitentiam accipiat dignam & peragat: consentientes autem et si qui fuerunt, legalibus & Ecclesiasticis iudiciis supponantur.

Mat. 4.
Prou. 3.

Cæterum quod ibidem subsequitur, quia eadem fœmina secundum suas multas postulationes publica pœnitentiæ satisfactione purganda, decreta est, si in iudicio legali posita rationabiliter & iuste illud euasit, comite æquitate vel indulgentiæ pietate, bene vtcumque se habet, ita tamen, vt contra Apostolum, licentia separationis eius scandalum non fiat infirmis, & virum suū mœchari non faciat, sin autem, audire cum fautoribus suis Apostoli verba debuerat: *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Quoniam quæ se apud Regem & nobiles laicos accusauerat per scripturam, sicut secundū leges Romanas quisque accusat alium sub conditione eisdem legibus designata, consequens non videtur, vt ab his legaliter non iudicata, vel indulgentia principalis sententiæ absoluta, ab Episcopis pœnitentia publica multari debuerit, cum in iudicio legaliter disposito etiam carnifices absque prolato iudicio reum ad tormenta non pertrahunt, nec sine indulgentia principali vinculis colligatum absoluant. Quod denique post valida auctoritatum testimonia, sed parum aut nihil illa, quæ de præfata fœmina acta sunt, confirmantia, immo & his quædam contraria, ibidem subsequitur, *De Rege autem nostro, & eius fragili iuuentute, & labili incontinentia, ne populis regnoque ipsius periculum inferat, consuli adhuc magna necessitas imminet: & ideo summo opere flagitamus collegij vestri consilio & sacra cooperatione nos in Domino à vobis velociter consilari atque confortari.* Mirabili dictu pendens nobis visa est prolata sententia, quoniam quæ requiritur exinde consolatio non profertur, nec vnde consilium dari debeat, demonstratur. Quapropter expressius interrogati ab aliis si coniugium hæc copulatio inter Dominum Regem, & sæpe dictam fœminam fuerat, quæ inde sacra auctoritate docente sentimus, in processu operis ostendemus.

Si vero concubinalis commixtio, vel incestuosa pollutio extitit, & exinde quæ in sacris paginis [illegible]mus, collecta monstrabimus. Interim tamen [illegible] mi scriptorem cum venia commoneamus, quia [illegible] fuerat expectare atque expetere collegij generalis cōsilium ex his quæ de prædicta fœmina gesta sunt, & in eodem consilio, quod nunc requiritur de Domino Rege, consilium expeteretur, quam nunc, vt ex antiquo solent prouerbiales dicere: *Post tempestatem buccinam insonare*, quia scriptum est; *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Et, *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.*

Prou. 4.

II. INT. De eo quod nobis scriptum est quosdam dicere, quoniam ad instar secretæ confessionis quondam Ebonis Episcopi, de argumentis huius causæ latentis ex confessione præfatæ fœminæ debeat iudicari.

RESP. Forte laici & huiusmodi homines dicunt qui Ecclesiasticas leges ignorant, & Episcopali tunc temporis non interfuere iudicio, sed quæ facta sunt audita coniiciunt vitioso. Vnde nos qui in eodem Concilio fuimus certa notitia, & ex eisdem gestis Episcopalibus, & illo ipso scripto quod Ebo manu sua firmatum protulit, ostendere possumus: quia præfatus Episcopus in Synodo accusatus iudices sibi elegit, libellum de secessione à ministerio Pontificali propter pondera peccatorum suorum manu sua subscriptum Synodo sacræ porrexit: & sic demum secundum confessionem suam testibus & scriptura subnixam, vt iudicium electorum iudicio à ministerio Episcopali recederet, sententiam Synodalem accepit, abiit, & recessit.

Quapropter dicentes talia etiam ex nostra insinuatione cognoscant, quod de Christianæ doctrinæ vsu ignorare non possunt: quoniam sicut alius ordo, ita & alia causa, & lex causæ viri & vxoris, & alia non solum Episcopi, verum Presbyteri, atque Diaconi Nam

docente Euangelica & Apostolica veritate: *Vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, & mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir.* Qua potestate corporis, sicut auctores exponunt, vsus genitalium designatur, quibus abuti coniuges non debent ad alios, sed vti eis nuptialiter inter seipsos: alioquin sicut & Apostolus de se dicit: Quisque Deum timens potestatem habet castigandi corpus suum, & seruituti subiiciendi, & ad mortem vsque pro Christo tradendi, atque secundum communem ac licitum vsum cætera membra sua mouendi, & corporis curam agendi habet: Sub quo sensu idem Apostolus sequitur: *Et alligata est mulier lege viri quamdiu vir eius vixerit, mortuo autem viro soluta est a lege viri, nubat cui vult tantum in Domino.*

1. Cor. cap. 7. — 1. Cor. 9. — 1. Cor. cap. 7. — Mat. 5. & 19.

Et vir non potest vxorem suam dimittere quacunque de causa, & nulla alia nisi sola fornicationis causa: & si dimiserit eam, viuente illa, non potest aliam ducere, nec illa viro suo viuente alteri nubere, quia scriptum est: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Deus enim coniunxit, vnam faciendo carnem viri & fœminæ, hanc homo non potest separare nisi solus forsitan Deus: Homo separat, quando propter desiderium secundæ vxoris primam dimittit. Deus separat, qui & coniunxerat, quando ex consensu propter seruitutem Dei, eo quod tempus in arcto sit, *sic habet vxorem quasi non habens.* Separat autem Deus, non à maritali & vxoria secundum Deum inita coniunctione, sed à carnali commercio & vxorei vsus cōmixtione: quod si sufferre non possunt, *Non se fraudent ab inuicem nisi forte ad tempus, vt vacent orationi, & iterum reuertantur in idipsum, vt non tententur à Satana propter incontinentiam:* in cuius tentatione per incontinentiā quisquis eorum adulterando inciderit antidoto salubris pœnitentiæ remedium pœnitendi, & per Ecclesiasticam auctoritatem consequi perfectionem valebit: *Episcopos autem, Presbyteros, vel Diaconos, qui mortali crimine dixerint se esse pollutos,* secundum Valentinam Synodum, *à supradictis ordinationibus legimus submouendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neq; enim absolui potest qui in seipsū dixerit mortis causā, quæ dicta in alium puniretur, cū omnis qui sibi fuerit mortis causa maior homicida sit.* Quam mortem sanctus Augustinus in sententia Deuteronomij: *Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendito eo acceptens pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui,* isto modo exponit dicens: *Assidue hoc dicit scriptura cum iubet occidi malos: qua locutione vsus est etiam Apostolus cum diceret: Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? nonne de his qui intus sunt vos iudicatis? auferte malum ex vobis ipsis. Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione dignus sit: hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Sic & quod leges ciuiles ministerio reipublicæ morte condemnant, leges Ecclesiasticæ degradationis vel excommunicationis iudicio puniunt.* In Africanis quoque Canonibus legimus: *Et Episcopus qui se communicasse non communicandis super se mentitus fuerit, Episcopatum amittat.* Vxor autem à viro tali conludio separari non potest. Huc accedit quod superius paulo posuimus: *Episcopus, Presbyter, vel Diaconus absolui non potest qui in se mortis causam dixerit, quæ dicta in alium puniretur.*

Mat. 19. & Mar. 10. — 1. Cor. 7. — 1. Cor. 7. — Can. 4. — Deut. 14. — 1. Cor. 5. — C. Valen. can. 4.

Quoniam hæc causa ab hac muliere, vt fertur, in se solam non dicitur, quæ multo magis in fratrem refertur: idcirco pro tali dicto, antequam & per eum, vel confessa, vel conuicta, clarescat in quem relatiue relabitur, separari non potest. Sed & Episcopus, Presbyter, vel Diaconus non ita vt vir & vxor, si in laqueum & tentationem diaboli inciderint, per manus impositionem remedium possunt accipere pœnitendi, sed sicut Leo scribit: *huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa:* nec perfectionem ad gradus redeundi Ecclesiasticos pœnitēdo consequi præualebunt, sicut de viro & fœmina, si adulterauerint, communionis perfectionem cōsequi potuerunt, scribente Gelasio; *Huiusmodi etiam si forte subrepserint, tam qui ante peccauerint, detectos oportere depelli, quam sacra professionis oblitos præuaricatoresque sancti propositi procuidubio submouendos.* Et Syricius: *Illud quoque nos par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamuis sint omnium peccatorū contagione mundati, nulla tamen debent gerendorū Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.* Et sicut in aliqua corporis parte præcisus, aut publice pœnitens ad Ecclesiasticum gradum Canonice non potest accedere, vel in Ecclesiastico gradu manere: ita nec digamus, qui ante baptismum inuentus fuerit, Ecclesiastici gradus munere potest perfrui, sacra auctoritate docente: cum eadem auctoritas præcisos vel publice in adolescentia pœnitentes siue nuptias digamiæ in laicali ordine non refutet: quoniam sicut aliud officium capitis, & aliud membri alterius pro diuersitate est corporis: ita alia causa est Sacerdotis, & alia causa est plebis, aliaque pastoris, & alia gregis. Et secundum auctoritatem Canonicam, vir & mulier etiā causa fornicationis seiuncti, possunt mutua reconciliatione post pœnitentiam in coniugio reiungi. Episcopus autem, vel Presbyter, siue Diaconus iuste & secundum leges Ecclesiasticas degradatus ad gradum non valet denuo aspirare. Legat qui voluerit magni Leonis epistolas & decreta Gregorij, in quibus inueniet Episcopum, vel Presbyterum, siue Diaconū post depositionem Canonicā ad gradus Ecclesiasticos adspirantem exilio deportari, vel in monasterio sub pœnitentia, debere detrudi. Est etiam, quia mulier viro non potest dare libellum repudij, & viro mulieri dare libellum repudii quod Moyses & non Deus, Euangelio teste permisit, Dominus ipse prohibuit.

Leo epi. ad Rusticum Narb. ep.

Et Paulo docente, non atramento, sed spiritu Dei viui lex in cordibus iustorum est scripta: sacrique Canones, vt docent Damasus, & Leo eodem spiritu sunt conditi, de quo scriptum est: *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et, *Spiritus est Deus.* Et, *vbi vult spirat.* Et, *diuidit singulis pro vt vult.* Quorum auctoritate Canonum siue pro infirmitate animæ, siue pro corporis ægritudine, dato libello manu sua subscripto, ab Ecclesia, cui præsederat Episcopus, & à suo se potest (si voluerit) remouere officio, sicut beatus Gregorius in suis multoties designat epistolis, veluti ad Marinianum Episcopum Rauennatium, & ad Clerum ac plebem Ariminensium, nec non & ad Anatolium Diaconum, & ad Ætherium Episcopum, atque ad Brunichildem Reginam: sed & in Gallicanis Canonibus de Potamio Bracharensi Archiepiscopo euidenter agnoscitur: Non autem legimus, vt fœmina, libello Synodali porrecto conuentui, à suo debeat coniuge separari: aut sine publico examinationis iudicio à coniugali valeat iugo disiungi. Sæpe enim cum maxima importunitate mulieres patimur reclamantes, quæ cum sacramento, quanto magis cum libello porrecto adfirmare conantur, quoniam viri qui eas legaliter susceperunt illis non possunt concubitus reddere debitum, & alias multiplices imposturas opponunt. Illi vero è contra eas mentiri asserunt, sicut in multis rei comprobat exitus. Sed & viri vxoribus plura, quæ hic inserere turpissimum vel superfluum ducimus, solent obiicere, quibus si facilem præberemus adsensum, innumera separatorum turba instituti à Domino coniugij legalia fœdera violaret;

Mat. 10. — Rom. 8. — Ioan. 4. — Ioan. 3. — 1. Cor. 12.

quia si quocunque vt vellent modo, viri aut fœminæ lasciuientes à iugo coniugij separari possent vt aut aliis connubiis iungerentur, aut furtiuis mœchationibus polluerentur, libentissime se mutuo separarent, sicut in adolescentulis viduis peruidemus, quæ ideo post absolutionem virorum velamen sacrum suscipiunt, vt licentius pluribus abutantur. Sed & interdum viri à legitimo se suspendunt coniugio, vt plurimarum vsurpent complexus concubinarum: quæ Spiritu sancto præuidens & cauere docens inter cætera de huiusmodi loquens Apostolus dicit: *Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse.* Vnde cautissime ac prudentissime auctoritatis Ecclesiasticæ disciplinalis prouidit discretio, vt ab officio sacri ministerij conscientia testimonium perhibente viri Ecclesiastici se remouere, & dignis pœnitentiæ fructibus possint insistere: quia in hoc negotio nullius voluptatis atque calliditatis potest interuenire occasio, sed solius humilitatis atque salutis deuotio. Vir autem & mulier (quoniam auctoritate sacra dicente: *Iam non sunt duo, sed vna caro*) secreta confessione, vel porrecto libello separari non possunt, sicut scriptum est, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: nec quocunque alio modo, nisi manifesta fornicationis causa. Et separati aut ita maneant, aut mutuo reconcilientur: neque ita possunt disiungi, vt pars vnius corporis in viro vel fœmina seruiat continentiæ, & pars in pollutione remaneat. Possunt autem ex communi consensu magis coniuncti ab opere vxorio feriari, vt perpetuo amore continentiæ Deo vacent.

1. Tim. 5.

Mat. 19.

III. INT. De eo autem quod scriptum est: sed & de venerabili Remorum Archiepiscopo nobis est dictum, quoniam tali facto consentiat, & per Episcopos Vvenilonem scilicet Rotomagensem Archiepiscopum, & Hildegarium Episcopum verbo vices suas impleuerit, & per Aduentium, qui cum eo Remis pro hac causa locutus fuerat, litteras consensus sui ad placitum Regis, & ad conuentum Episcopalem direxerit, & per eundem Aduentium litteras suas exinde ad Apostolicam *sedem transmiserit, ratio reddi debet: si enim Pastor Ecclesiæ & Apostolorum primus signa & miracula singulariter faciens non dedignatus est in causa reprehensionis suæ, cur ad Gentiles intrasset, & comedisset cum eis; cur eos in baptismate recepisset, sicut in Apostolorum actibus legimus, rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?*

RESP. Vnde ergo Remorum Ecclesiæ famulus omnibus credere veritati volentibus satisfacio: quia nec consensus, nec dissensus mei vices per præfatos, vel alios quoslibet venerabiles Episcopos in hac causa verbo siue scriptura impleui: quia nec cum prænominatis Episcopis post proximas Kalendas Nouembris vsque ad tempus illud quando hæc gesta sunt, fui locutus, nec ditionis meæ est, vt eis debeam auctoritatiue quiddam iniungere, nisi sicut & illi mihi possunt caritose quæ voluerint imperare. Aduentius autem venerabilis Episcopus, & Filius meus Hincmarus Laudunensis Episcopus gratia visitationis VIII. Kal. Febr. ad me Remis venerunt, & ex iussione Dominorum, atque ex nomine confratrum nostrorum ad conuentum Aquisgrani palatio tunc proxime habiturum me, si pro infirmitate corporis possem ire, commonuerunt: Sin autem ire ipse non possem, aliquem Coepiscoporum nostrorum, qui eorum tractatibus interesset, dirigerem: vnde inter alia colloquentibus nobis, & etiam de his, quæ vulgante fama per laicorum non solum nobilium, verum plebeiorum ora audieram, vxori Domini Regis Hlotharij reputari, vt si forte proinde me & iussio principalis, & vocatio Sacerdotalis ad conuentum ire iuberet, tutius & rationabilius esset, vt ad generalem Synodum ventilatio & diffinitio huiusce rei, quæ nouitate sua audientium aures, aut pene tinnire, aut facit penitus continere, ex integro differretur: quia nec ego ire infirmitate corporis præpeditus, nec Coepiscopum Diœceseos nostræ sine consensu Prouincialis conuentus valerem dirigere: nec causa, quæ sic generaliter ad omnes pertinet, cum pauco Episcoporum numero diffiniri deberet. Instante autem Domino Aduentio tantum vt irem, vel Coëpiscopum nostrum mea vice dirigerem, & illic causa nobis aperiretur, pro qua vel meæ exiguitatis persona, vel legati Prouinciæ nostræ præsentia rogabatur, vespertina hora terminum conlationi imposuit: & nec à me interrogatus secretam causam quam præmissus libellus significat, nec spontaneus mihi aperiens: quia forte illam esse recognoui, quam (vt præmisi) audieram, & de qua plurimos Episcopos (quando iudicium purgationis exinde factum est) consultos didiceram, quamque (vt dicitur) etiam fœminæ in textrinis suis reuoluunt. Interlucano appropinquante nocturno venerandus Aduentius ad suum diuertit hospitium: Et Hincmarus Laudunensis Episcopus se in notam mansionem recepit. Ego autem vt infirmus lecto decumbens, postquam melius habere cœpi, propter quædam tunc mihi in mentem venientia, quoniam religiosus Aduentius mihi non dixerat, quare vocarer ad Synodum, & ego multipliciter de quæstione impacta fœminæ cum eo locutus fueram, suspicans vt prædixi, quod hæc ipsa quæstio causa vocationis posset existere, fore melius cogitaui, vt litteras ei de pridiana conlocutione nostra dirigerem, quarum exemplar quisque volet hic potest relegere.

Hincmarus nomine non merito Rhemorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, Dilecto ac fido fratri, & venerabili Episcopo Aduentio plurimam in Saluatore salutem. De mihi impræmeditata isto in tempore quæstione, de qua iam talia ac tanta audieram, vt de ea modo nihil me adituturum putauerim, plurima licet quantum ea permisit infirmitas, mutua sermocinatione locuti, tandem sicut melius & rationabilius nobis visum fuerat, finem eidem causæ, vt Synodo generali seruetur, posuimus. Sed sicut iam vesperi parum vos prætempore tetigi, vnde nunc expressius vestram fidissimam, commonendo, benigne satagere deprecor charitatem, quoniam secundum iussionem Dominorum, & vocationem consacerdotum, & ipse infirmitate detentus, ad conuentum vestrum ire non valeo, aut vice mea quenquam Coepiscoporum more Canonico, regulari conlatione instructum, & prosequentibus litteris commendatum mittere nequeo, quia instantia missionis, & breuitas temporis non permittit, vt Dominos & Coepiscopos meos in talibus consulam, sine quorum consultu (vt melius ipsi nostis) nihil nisi quantum ad parrochiam propriam pertinet, agere à venerandis regulis mihi permittitur, contra quas non sine vltionis periculo quiddam præsumitur. Timeo ne Dominus Rex putet meam debitam seruitutem se obsequio suo velle suspendere, & venerandi Episcopi suspicentur, si quid secundum sacras regulas diffinierint, cupere quod mihi non conuenit retractare. Vnde vestra dilectio, qua meam deuotionem ore ad os conloquens, didicit, sicut de vestra bonitate confido sine scrupulo aliquo me faciat excusatum, quia sicut salubrius sensi sapientia vestræ exposui, & tantillus homuntio in re tam maxima, & personis eminentissimis, de qua à tantis viris talia acta sunt, & ex qua tanti ac tales consulti sunt, sine plurimorum conlatione, consultu, siue consensu, & antequam de huiusmodi scripturarum auctoritates, & patrum decreta reuoluā, ita sententiam finitiuam depromere vel consensum non audeo adhibere, vt quicquid à vobis diffinitū regulariter fuerit, vel melius ac rationabilius quā mihi visū sit, à Deo placito cōuentu vestro fuerit terminatū, priusquā id andiā, laudare vel tractare nō

debeo. Quapropter in calce huius nostræ exiguitatis schedulæ, non mea, sed magni Leonis verba ad Rusticum Narbonensem Episcopum ponere dignum duxi; Vt in his, inquit, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inuenitur aduersum. Peto denique vestram amabilem charitatem, vt pro excusatione mea in vestro sancto Concilio verbis vestra prudentia iungatis huius diplomatis lectionem.

Processu denique temporis isdem Domnus Aduentius ad me missum suum direxerat, per quem ei has iterum litteras destinaui.

Hincmarus Rhemorum Episcopus, Dilecto fratri & venerabili Episcopo Aduentio plurimam in Saluatore salutem. Et post quædam præposita ex negotio pro quo missum suum dixerat, Cæterum licet mihi in hoc indesignificassetis, consuetio legationem vestram, in qua vobis, sicut, Deo gratias, prudentia vestra vos docet, satis caute, & prouide est necesse incedere, quid talis causa & in tam eminentissimis personis, & in huiusmodi ordine, quæ ab omnibus erit, vt necesse cognosci, ita etiam ponderari, Quoniam (vt Cælestinus scribit) vniuersalis Ecclesia quacumque nouitate pulsatur. Est enim inter Regem regum, & Regem terrenum; In lege prima primo homini in paradiso data, & à Deo & homine in Euangelio roborata: Est etiam de causa nobis hactenus inaudita, ex qua subtiliter necesse erit auctoritatem sacram reuoluere, & leges Christianas interrogare, Pontificalem auctoritatem in sua examinatione sincero, & cauto gressu incedere, & quemque Christianum à recto itinere non deuiare. Oportebit vos siquidem Apostolico talia intimare, quæ ex corde & ore veraciter prolata (sicut scio quoniam facietis) diuinis oculis debeant apparere. Et vt nemo aliter postea valeat inuenire, de nullorum consensu, siue Episcoporum, vel quorumlibet laicorum pro cuiuscumque obtentus intentione Apostolicæ sedi suggerere, nisi de quorum sensu tractatus causam constare, ita nihilominus quæ iniuncta sunt exequi, vt quantum fieri poterat, sensorem vestrum non possitis offendere, & præcipue quod egregios sacris regulis non debeat obuiare, vel (quod absit) diuinæ æquitati atque iustitiæ contraire. Hæc (licet ex superfluo) sapientiæ vestræ scribo, quia curam vos habeo, & mihi dignati estis promittere quod fides vestra, me cum securitate possem committere, & à me voluistis exigere vt deuotionem meam vobis studerem rependere.

IV. INT. Alias autem litteras nec sedi Apostolicæ, nec cuiquam Episcoporum hactenus pro hac causa transmisi.

Secundo capitulo nobis remandari deposcimus, si de commisso post initum coniugium reputatur, qualiter debeat iniri coniugium, qualisque lex habeatur coniugij, & qualiter vel pro quibus rebus valeat separari; & si post disiunctionem vtrum vir, aut fœmina ad aliam debeat copulam adspirare, vel si pari iudicio quiscumque eorum in coniugio peccans debeat iudicari.

RESP. Quia vero in præmissi libelli (vt ostendimus) octauo capitulo scriptum habetur, vt argumenta hactenus latentis causæ percipientes errorem expellamus, & verum statuamus: Et argumentum esse legimus quod licet nondum sit, fieri tamen potest: Et de coniugio agitur, ante quod sæpe ab humana fragilitate delinquitur, sæpe in ipso ineundo coniugio, sæpe autem post initum coniugium grauiori noxa peccatur. Ab ipsa radice incipientes ponamus qualiter debeat iniri coniugium. Deinde legem coniugij ostendamus, Post autem, si in coniugio peccatur, iudicium & iudicij ordinem demonstremus; vt quoniam peccatum malum est, & malum natura non est, ac per hoc substantiale non est, sed in boni substantia coalescit; & vt accidens infirmitas medicina depellitur; cum regula videlicet incolumitas naturalis, & medicina infirmitatis posita fuerit, deprehendetur certius rectitudo atque accidens læsio, argumento quasi hactenus latentis causæ percepto, errorem expellere, & verum facilius statuere præualebimus.

Qualiter coniugium iniri debeat, & vetus & noua lex edocet Domino per Moysen præcipiente, & in Euangelio demonstrante, Cum esset (inquit) desponsata mater IESV Maria Ioseph, antequam nuptiali celebratione conuenirent, sicut in nuptiis celebratis idem ostendit, quas sua præsentia sanctificare, & miraculo ibidem patrato illustrare dignatus est, sed & sanctus Euaristus Papa Romanus quartus à beato Petro in decretalibus ad locum ita scribit, Similiter custoditum & traditum habemus, vt vxor legitimo viro iungatur. Aliter enim legitimum (vt à Patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus) non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus, aut propinquioribus sponsetur & legibus dotetur, & suo tempore Sacerdotaliter (vt mos est) cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur, & à paranymphis (vt consuetudo docet) custodita & sociata à proximis, tempore congruo petita, legibus dotetur, & solemniter accipiatur, & biduo, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, vt bonæ soboles generentur, & Domino suis in actibus placeant. Taliter enim & Domino placebunt, & filios, non spurios, sed legitimos atque hæreditabiles generabunt. Quapropter filij charissimi & merito illustret, fide Catholica suffragante, ita peracta legitima scito esse * connubia. Aliter vero præsumpta, non coniugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes, potius quam legitima coniugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragauerit, & vota succurrerint legitima. Nam fructus damnus est præcepta diuina custodire. Ea quoque deserere præsumptionem fieri, nulli dubium est. Cur ergo indignum est, vnitatem Ecclesiæ custodire? Idemque omnes pariter & sentiamus & pronunciemus. Si enim aliter præsumpta fuerint, perdunt profecto ipsi transgressores seipsos, qui semetipsos decipiunt.

MS. coniugia.

Sed & de eiusmodi genere coniugij Angelus ad Ioseph ait, Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, id est, desponsatam. Et beatus Syricius Papa in decretis ad Himerium Tarraconensem Episcopum, capitulo IIII. ita dicit, Quod non liceat alterius sponsam in matrimonij iura sortiri. De coniugali autem violatione requisistis si desponsatam alij puellam alter in matrimonium possit accipere? Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus; quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegij instar est, si vlla transgressione violetur. Ex Concil. Ancyrano cap. X. De desponsatis puellis, & ab aliis corruptis, Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit.

Matt. 1. Matt. 2.

Vnde etiam sæpe numero & pluripliciter in sanctorum diffinitionibus legimus; sed ad ostendendum istius genus coniugij, satis superque ista sufficiunt.

Quia vero secundas nuptias non damnamus, immo recipimus, aliud genus coniugij & Apostolo docente suscipimus, & sancto Leone Papa in decretis ad Rusticum Narbonensem Episcopum, qualiter iniri debeat, monstrare cognoscimus, ait enim cap. XVIII. Non omnis (inquiens) mulier viro coniuncta, vxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, & multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina; sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandum harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ, Eijce ancillam, & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ

Gal. 4. Gen. 21.

cum filio meo Iſaac. Vnde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, vt præter ſexum coniunctionem habeat in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium. Igitur ſi quis filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonio dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam coniugato dederit, niſi forte illa mulier & ingenua facta & dotata legitime, & publicis nuptiis honeſtata videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, ſi mulieres quæ à viris habeantur in matrimonio non fuerunt; quia aliud eſt nupta, aliud concubina. Et, *Ancillam à thoro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, ſed profectus eſt honeſtatis*

Et S. Ambroſius in libro de lapſu virginis dicit, *Quia ſi inter decem teſtes confectis ſponſaliis, & nuptiis conſummatis; quanuis viro fœmina coniuncta mortali, non ſine magno periculo perpetrat adulterium.*

Sed & quia extra ordinarios ordo non prætermittit Eccleſiæ, quin aut reſipiſcentes recipiat, aut contemnentes abiiciat, de multinubis in Concilio Neocæſarienſi cap. III. ita ſcriptum eſt, *De his qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem præfinitum manifeſtum eſt, ſed confeſſio eorum, & fides tempus adueniat.* Euenit etiam per bellicam cladem, & grauiſſimos hoſtilitatis incurſus, vt vxor viri capti alteri coniungatur, rapiuntur quoq; contra fas & iura viduæ, vel virgines, ac ſanctimoniales, vnde medicinæ ſacris deſignantur Canonibus, quas hic ponere non neceſſarium ducimus. Ecce quibus modis ſociantur coniugia, vel contubernia vſurpantur.

V. INT. Qualiter, vel pro quibus rebus, ſecundum auctoritatem inita coniugia ſeparari valeant, & ſine quibus ſeparari non debeât, & ſi poſt diſiunctionem, vir aut fœmina vterque viuens ad aliam debeat copulam aſpirare, vel ſi pari iudicio quiſcumque eorum in coniugio peccans debeat iudicari.

RESP. Primo qui ſecundum Euangelicam admonitionem, vt beatus Auguſtinus in libro de bono coniugali dicit, *Amore ſit ſalutis æternæ, vbi tanto melius, quanto ſpiritalius ſeruatum, quam diſſociatum coniugium dicitur.*

Luc. 3.

Et ſanctus Auguſtinus in libro V. contra Iulianum dicit; Dixit (inquiens) Lucas Euangeliſta de Domino, *quod putabatur filius Ioſeph*, quia ita putabatur, vt per eius concubitum genitus crederetur. Hanc falſam vulgi remouit opinionem, non Mariam illius viri negare coniugem contra Angelum teſtem, quamquam & tu ipſe etiam ex deſponſionis fide eam nomen coniugis accepiſſe fatearis, quæ fides vtique inuiolata permanſit. Neque enim, cum vidiſſet iam virginem ſacram diuina fœcunditate donatam, ipſe aliam quæſiſſet, ſi neceſſariam coniugem non haberet, ſed vinculum fidei coniugalis non ideo iudicauit eſſe ſoluendum, quia ſpes commiſcendæ carnis ablata eſt.

Can. 19.

Secundo æque ſecundum Euangelicam veritatem cauſa fornicationis; vnde iſtiuſmodi medicina in Canonibus Ancyrani Cōcilij adhibetur: *Si cuius*, inquiēs, *vxor adulterata fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem conſequi ſecundum priſtinos gradus.*

Et de eorum ſeparatione in Concilio Africano cap. XIX. ita ſcriptum habetur, *Placuit vt ſecundum Euangelium & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito alteri coniungantur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur, quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.* Deinde auctoritas ſequitur, *Vt quocumque modo legitime inito coniugia ſeparentur, non ſine Sacerdotali conſcientia, & abſque legalis iudicio debeant ſeparari.* Item in concilio Eliberatino, *Fœmina fidelis, quæ adulterum maritū reliquerit fidelem, & adulteram ducit, prohibeatur ne ducat: ſi duxerit, non prius accipiat communionem, niſi quam is, de ſæculo exierit, niſi ſi forte neceſſitas infirmitatis dari compulerit.*

Can. 9.

Similis ſententia, & de viro tenenda eſt, quia vt Innocentius ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, & Auguſtinus in libro de decem chordis, & Hieronymus in epiſtola ad Oceanum de morte Fabiolæ ſcribunt, *ſub vna iudicii diuini lege tenentur ſi quacumque de cauſa diſſocientur.* Vnde Innocentius ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum capitulo VII. *De his etiam requiſiuit dilectio tua, qui interueniente repudio aliis ſe matrimonio copularunt, quos in vtraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui vero vel vxore viuente (quamuis diſſociatum eſſe videatur coniugium) ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri, in tantum vt etiam hæ perſonæ, quæ talibus coniunctæ ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur, ſecundum illud quod legimus in Euangelio; Qui dimiſerit vxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur; ſimiliter, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Et ideo omnes à communione fidelium abſtinendos. De parentibus autem vel propinquis eorum, nihil tale ſtatui poteſt, niſi incentiores illiciti conſortii fuiſſe detegantur.* Et ſanctus Ambroſius in libro de Abraham: *Vos moneo viri, maxime qui ad gratiam Domini tenditis, non commiſceri adulterino corpori; qui enim ſe iungit meretrici vnum corpus eſt, nec darebant occaſionem diuortii mulieribus, nemo ſibi blandiatur de legibus hominum, omne ſtuprum adulterium eſt, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab vxore debetur caſtimonia. Quidquid in ea, quæ non ſit legitima vxor, commiſſum fuerit, adulterii damnatur crimine. Ergo aduertitis, quid debeatis cauere, ne quis Sacramentis ſe indignum præbeat,*

Cap.* IV. Concilio Agathenſi, de his qui ſine cauſa vxores ſuas relinquunt, ita ſcriptum eſt: *Hi vero ſeculares, qui coniugale conſortium nulla culpa grauiori dimittūt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſſidii probabiliter proponentes, propterea matrimonia ſua dimittunt, vt aut aliena, aut illicita præſumant: ſi antequam ad Epiſcopum Prouincialē diſſidii cauſam dixerint, & prius vxores, quā iudicio damnentur, abiecerint, à cōmunione Eccleſiæ, atque ſancti populi cœtu, pro eo quod fidem coniugii maculant, excludantur.*

Can. 8.

Et item in Concilio Eliberitano, *Fœminæ, quæ nulla præcedente cauſa reliquerint viros ſuos, & alios copulauerint, nec in finem accipiant cōmunionem.* Sunt & aliæ inceſtæ conjunctiones, earumque ſeparationes, atque iudicia de quibus hic loqui, feſtinantes ad alia, ſuperſedimus. De quibus cuncti legentes agnoſcant, quia non ideo ſancti & Apoſtolici viri, ſucceſſores videlicet Apoſtolorum, ex eorum traditione leges ſtatuerūt, quas hic poſuimus; vt nemo fidelium iuxta diuinam auctoritatem initum diſſoluat coniugium ſine Epiſcopi ſui ſcientia, vt leges ſeculi Chriſtianas contemnamus, ac conculcare velimus, quas etiam in Eccleſiaſticis neceſſitatibus promulgari, ſæpe ſoleat ab Imperatoribus & Regibus Eccleſia poſtulare, quarumq; ſententiis in ſuis iudiciis ſimul cū ſententiis Canonū Epiſcopalis auctoritas frequētius vtatur, & in tantū accepit, vt Damaſus & Leo, atque S. Gregorius legū ſententias fecerint eſſe Canonicas, ſicut in eorum inueniuntur epiſtolis, & cōmonitoria ad Ioannem Defenſorem euntem in Hiſpanias B. Gregorius de ſacris ordinibus per totum ex legalibus confecerit inſtitutis. Vnde & cum aliis, per curricula temporum varia, Regibus atque Imperatoribus iura legalia decernentibus, noſtri etiam æui Auguſtus piæ memoriæ Hludouicus in Synodo ac placito & generali apud Vvormatiam, Apoſtolicæ ſedis & Papæ Gregorij commeante legato, cum aliis plurimis, de his quæ Epiſcopi in Synodis per quatuor loca ſui Imperij habitis neceſſario & vtiliter nuper inuenerant, de hac, vnde agitur, cauſa, omnium, tam Epiſcoporum, quam fidelium laicorum, votis conuenientibus, ita decernens: *Quicunque*, inquit, *propria vxore derelicta, vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit vxorem, armis*

depositis publicam agat pœnitentiam; & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur: Christus quoque Dei virtus, & Dei sapientia per seipsam dicit: *Ego sapientia habito consilio, & eruditis intersum cogitationibus, per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Sed ideo has leges & illi Christi Vicarij, Apostolorumque successores constituerunt, & nos qualescumque ad vices illorum Dei præsidentes Ecclesiæ hic illas posuimus, vt sicut illam benedictionem, quam Dominus primo dedit in paradiso Adam & vxori eius eius, dicens: *Crescite & multiplicamini,* quæ semel data vsque hodie & vsque in finem sæculi, non solum fidelibus verum & infidelibus non negatur, sacerdotum ore ad sanctificationem, quam Christus nuptiis (vbi de aqua vinum fecit) sua præsentia contulit, fidelib. & deuotis viritim largitur, ita sine illorum scientia per Deum, quia per ministerium illorum coniuncti, legibus sæculi, quæ Dei iustitia sanctificantur (*qua iustus quisque efficitur*) non separentur: Et si propter Deum separantur, spiritualiter à carnali commixtione, vt adhærentes Domino, vnus efficiantur spiritus, velut Paulus de multis in Ecclesia constitutis (inter quos quidam Publicani & meretrices homicidæ fuerunt, & adulteri) loquitur: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*: cum Sacerdotalis conscientiæ benedictione plenius Domino coniungantur. Si autem & lege ciuili iusta & sancta, ac Dominico præcepto concordante, propter fornicationis peccatum, quod humanæ fragilitati solet subripere, coniuges fuerint separati, Episcopalis curæ quæsierint medicinale consilium, vt sciat Episcopus quomodo iuxta qualitatem & quantitatem vulneris, modum, ac virtutem, adhibere debeat curationis medicamentum: Sic namque Dominus semel in cœna pridie quam pro reparatione & salute omnium, qui in Adam perierant, pateretur, de pane, farina & aqua confecto, & calice sacrosancti altaris, qui aqua miscetur, Eucharistiam suis manibus benedixit, & ore commendauit, quam cotidie in omni catholica Ecclesia longe lateque per orbem diffusa, indeficientibus eisdem suis verbis, per manus & ora sacerdotum, in redemptionem & reparationē, atque salutem credentium consecrat, à cuius communione viuifica peccantes publice medicinali ferramēto sacerdotes abscidunt: & post satisfactionem [vt cōgrue viderint) salutari refectione redintegrare procurant. Quoniam Ecclesiæ medici spiritales, videlicet Domini Sacerdotes, de secrete sibi confessis peccatorum infirmitatibus medicinalia atque salubria possunt dare consilia, iudicio autem Ecclesiastico, id est, separatione, à communione Ecclesiæ, vel à gradu, siue à consortio coniugali neminem rationabiliter possunt secernere, nisi de criminibus aut publice sponte confessum, aut aperte conuictum: & habet modum & ordinem suum confessio vel conuictio in Ecclesiast. gradibus, quæ hic ponenda non ducitur: & habet modū ac ordinem suū publica cōfessio, vel conuictio sæcularium hominum, quo publice debeant iudicari, non quo crimina grauia non soluantur, etiam secreta confessione, ac pœnitentia, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur videntes eorum pœnas, quorum pœnitus ignorant causas: sed quod plurimorum constat perpetratum notitia, fiat sanatum scientia: & qui in Ecclesiæ peccauit sinceritatē, illi debitam exhibere studeat satisfactionem: & qui plures quantum ex se fuit, suo destruxit exemplo, plures sanet suæ humilitatis antidoto, sicut de se Paulus dicit: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Et, *videbant* (inquiens) *quoniam qui prius expugnabat hanc fidem, isdem nunc illam prædicat, & in me glorificabant Deum.* Est etiam vt qui Deum pluribus offendit, pluribus pro eo Dominum deprecantibus citius remediū consequatur, sicut sanctus Gregorius ad Fœlicem Siciliensem Episcopum scribit: *Sunt enim* (inquiens) *mali segregandi à bonis & iniqui à iustis, vt saltem rubore suo conscientia sua recognoscant, & conuertantur à prauitatibus suis, & si incorrigibiles apparuerint, segregentur à fidelibus vsque ad satisfactionem, iuxta Domini Saluatoris sententiam, qua inter cætera de peccante fratre præcipiendo ait: Si peccauerit in te frater tuus, vsque ad id quod dicitur: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. His ergo & multis aliis sanctorum Patrum auctoritatibus, segregandi sunt mali à bonis, ne pereant iusti pro iniustis, sicut scriptum est: Perit iustus pro impio. Debet enim semper discretio fieri inter bonos & malos, sicut est inter hœdos & oues. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correptione purganda, sed palam sunt arguendi qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur:* Dum enim vnus corripitur, *plurimi emendantur. Et melius est pro multorum salutatione vnus condemnetur, quam per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum & inter iumenta fieri persæpe cognouimus, vt ea quæ scabiem vel impetiginem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cætera damnentur vel pereant: satius est enim vt mali manifeste corrigantur, quam pro illis boni pereant.*

Hæc ideo dicta sint, cur leges posuimus, vt coniugati siue amore Dei, siue admissione peccati, cum sacerdotali conscientia separentur, vnde benedictionem ineundi acceperunt coniugium. Sed quia de separatione viri & vxoris nunc agitur, quæ non fit amore perpetuæ continentiæ, nec adhuc aperto (vt dicitur) crimine, sed quadam suspicione, necesse est vt per illius ordinis viros, videlicet per coniugatos hæc ratio ventiletur, & secundum leges Christianas à Deo dispositas æquissimo examine iudicetur ac terminetur, & vbicumque in hoc negotio locum suum inuenerit vel sacerdotalis pietas, vel auctoritatis Ecclesiasticæ medicinalis seueritas, sine difficultate cum Ecclesiæ filiis, & iustitiæ iudicibus non solum se offerat, verum & ingerat.

Et quoniam scriptum est: *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt Patres tui*, quorum imitanda exempla nobis sunt vera doctrina, ad memoriam reuocare necessarium duximus [quoniam quidam nostrum tempore sanctæ memoriæ Domini Hludouuici pij Augusti in Attiniaco palatio tunc fuerunt] quando in vniuersali Synodo totius Imperij, etiam cum sedis Romanæ legatis, & in generali placito, Fœmina quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se & virum suum vocabulo Agembertum, ad Imperatorem publice proclamauit, quam Imperator ad Synodum destinauit, vt inde Episcopalis auctoritas, quid agendum esset, decerneret; Sed Episcoporum generalitas ad laicorum ac cōiugatorum eam remisit iudicium, vt ipsi inter illam & suum coniugem iudicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissime præditi, eorumque legalibus iudiciis eadem fœmina se subiiceret, & quod de quæstione sua decreuissent, sine repetitione teneret: si vero crimen aliquod esset vnde pœnitentiæ modum post illorum iudicium ab Episcopali auctoritate deposceret, secundum quod sacri Canones præfixerunt, ei imponere non negarent: nobilibus autem laicis Sacerdotalis discretio placuit, quia de suis coniugibus eis non tollebatur iudicium, nec à Sacerdotali ordine inferebatur legibus ciuilibus præiudicium, & legem proclamationi fœminæ protulerunt, ac legali iudicio quæstioni terminum contulerunt. Sic & hanc causam, quæ de personis excellentissimis ventilatur, in medium iudicij sui deuocent: &, secundum quod viderint æquitatis iudicio conuenire, dijudicent, hanc sollertissime cognoscentes,

Prou. 8. Genes. 1. Rom. 2. 2. Cor. 11. Matth. 26. 1. Cor. 11. 1. Tim. 1. Galat. 1. Matth. 18. Prou. 22.

quia legaliter initum coniugium nulla potest ratione dissolui, nisi (vt præmisimus) coniuncta separatione spiritali, aut manifesta confessione, vel aperta conuictione ex corporali fornicatione: *Quia* (vt beatus Augustinus in libro de bono coniugali dicit) *nec pro ipsa etiam sterilitate licet vxorem viro, vel vxori virum dimittere, nec causa filiorum, pro quibus vxor ducitur, se aliis copulare: quod si fecerint, cum quibus se copulauerint & ipsi committunt adulterium: manet enim vinculum nuptiarum etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur.*

Et idem in eodem libro: *Sicut ergo satius est mori fame quam idolothytis vesci, ita satius est defungi sine liberis quam ex illicito concubitu stirpem quærere.* Et in libris ad Pollentium de adulterinis coniugiis: *Multoties & frequentius inculcatum lector inueniet, quia vir ab vxore, & vxor à viro separari non potest, nisi sola fornicationis causa: possunt autem ea separari, ita tamen, vt aut innupti permaneant, aut inuicem reconcilientur.* Et sanctus Hieronimus in commento Matthæi: *Dicunt Domino* (inquit) *discipuli eius, si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Graue pondus vxorum est, si excepta fornicationis causa, eas dimittere non licet: quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si iurgatrix, & maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus, tenenda erit. Cum enim essemus liberi, voluntarie nos subiecimus seruituti.* Et item in Epistola ad Amandum Presbyterum: *Omnes igitur causationes Apostolus amputans apertissime definiuit, viuente viro adulteram esse mulierem, quæ alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum cateruas, seruorum insidias, atque parentum, damna rei familiaris, quamdiu viuit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet, nec hoc Apostolus propria auctoritate decreuit, sed Christo in se loquente, qui ait in Euangelio: Qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimissam acceperit, adulter est.* Huic Euangelicæ veritati & Apostolicæ doctrinæ hoc modo concordant Innocentius, Leo, & Gregorius Apostolici, Africanum quoque Concilium, Ambrosius, Ioannes Constantinopolitanus, Origenes in emendatis à beato Hieronymo libris, Beda Presbyter venerabilis, cunctique doctores Catholici: Vnde si Dominicum & tam euidens præceptum non esset, vt etiam Paulus interrogatus de Virginibus, dans consilium, de hoc quiddam immutare nequaquam præsumpserit, dicens: *De vxore* (inquit) *præcipio non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: aut talis esset locus scripturæ, vt auctores inde diuersa, licet fidei non aduersa, sentirent, sicut in Canonibus habemus, plurimorum & maioris auctoritatis sequeremur sententiam. Nunc autem aliter sentire non possumus nec debemus, nisi sicut in litteris diuinitus inspiratis relegimus. Sanctus siquidem Paulus fornicatores, & adulteros idolis seruientibus iunxit, dicens: *Quia regnum Dei non possidebunt*: Et, *Cum his nec cibum sumere* iussit. Et idem scripsit: *Quia fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.*

Sed & ipsi viri, qui (vt ostendimus) pari legis iudicio, sicut & mulieres, apud Deum tenentur, si adulterauerint, & tanto etiam grauiori pœna damnentur, quanto capita & rectores sunt mulierum, fragilioris scilicet sexus & vasis infirmioris, licentia indebita non debent præsumere, vt vxores suas adulterantes damnent sine iudicio, dicente in lege Domino de seruo qui pecunia Domini sui est: *Qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.* Vnde & sacri Canones: *Si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis præcipiunt expiare.* Et, *Si Domina ancillam flagellis verberauerit, & inde mortua fuerit, si voluntate hoc occidit, post septem annos, & si casu, post quinquennii tempora ad communionem præcipit eam admitti, seruata auctoritate de viatico munere quod nulli est etiam in vltimo spiritu denegandum.*

Si igitur in domo vniuscuiusque Christiani tanta æquitas & bonitas etiam erga seruilem conditionem seruanda est inter Dominum & seruum, quanto maior & vberior ac plenior custodienda est inter maritum & vxorem, inter virum & coniugem, inter caput & corpus? quoniam (sicut Apostolus docet) *vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis: ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* Attendatur vir Christianus, si pes, vel manus, aut genitale, vel quodcumque aliud membrum putrescere, vel cancro comedi cœperit, cum quanta diligentia & inspectione, ac iudicio medici illud aut sustinebit, vt sanari valeat, aut à se abscindet, si sanari nequiuerit, & ita de membro, immo de corpore, id est, de vxore sua faciat. Vnde rursum idem Apostolus dicit: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Certe enim Apostolicis viris tanta inter virum & vxorem, & tam præcipua atque excellens dilectio commendatur (salua tamen in ipso coniugio prælatione viri & subiectione fœminæ) vt in illa coniunctione semel à Deo constituta, & legitime conciliata, maior esse nec debeat nec possit. Quid enim venerabilius, quam vt coniugium mysterium sit Christi & Ecclesiæ? Quid sanctius, vt sic diligant viri vxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, tradens seipsum pro ea, vt illam sanctificaret, atque mundaret? Quid charius atque coniunctius, quam vt vir caput sit mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ ipse saluator corporis? Qui etiam in Euangelio de hac coniugii vnitione testatur: dicens: *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Erunt enim* (inquit) *duo in carne vna.* Addit adhuc Apostolus dicens: *Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas.* Si ergo viri erga vxores suas non debent esse amari, quanto minus sæui, crudeles, cruenti, nullam eis seruantes legem, nullam rationem, nullum iudicium? Quod etiam erga seruos Christiana religione custodiendum est: sed mox (vt eis placuerit) indignatione & furore impio concitati, tamquam ad macellum illas duci faciant laniandas, & coquorum suorum gladiis more veruecum atque porcorum mactari præcipiant, vel ipsi etiam manu & mucrone proprio eas trucident, nequaquam semetipsos ad imitationem Domini nostri Iesu Christi tradentes pro eis, vt illas sanctificent & mundent: sed potius zelo libidinis suæ ipsas in æternum disperdentes, & se earum sanguine impie polluentes, cum in huiusmodi causa tanto iustius expectandum esset legitimum iudicium, quanto facilius maritali zelo potest perpetrari homicidium. Ex his nonnulli tam immites, & non humanæ affectionis, sed belluinæ immanitatis inueniuntur, vt prioribus vxoribus ex suspicione adulterii, nulla lege, nulla ratione, nullo iudicio, sed sola sua animositate, & crudelitate, vel libidine ad aliam vxorem vel concubinam tendente, occisis, adhuc sanguine recenti madentes, non solum nulla pœnitentia compuncti, aut aliqua humilitate Deo & Ecclesiæ satisfacientes, sed exultantes in superbiis suis iocunditer ad altare Christi accedant, & indifferenter sacra mysteria contingere præsumant. De quibus mysteria sua accipientibus semper dicit Christus quod dixit de Iuda: *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, cum sine suo mortali periculo de peccantibus vxoribus poterant

absolui iudicio, quod illi non expectantes, sed diuinæ legis præuenientes iudicium, incurrunt in damnationis iudicium. Defendant se quantum volunt qui eiusmodi sunt, siue per leges (si vllæ sunt) mundanas, siue per consuetudines humanas. Tamen si Christiani sunt; sciant se in die iudicij nec Rumanis, nec Salicis, nec Gundobadis, sed diuinis & Apostolicis legibus iudicandos, quamquam in regno Christiano etiam ipsas leges publicas oporteat esse Christianas, conuenientes videlicet & consonantes Christianitati. Lex namque omnipotentis Dei in tres species diuidit omnia, quæ homines in mundanis rebus subdita habere vel possidere videntur, cum in Decalogi præceptis definit & dicit: *Non desiderabis vxorem proximi tui; non seruum, non ancillam: non ouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

In quibus verbis sine dubio aliter consideranda est dignitas vxoris, aliter conditio seruorum & ancillarum, & aliter vilitas brutorum animalium, siue insensibilium rerum: & ideo omnia ista suis meritis tractanda, suis gradibus discernenda ac iudicanda sunt. Hæc dicimus, vt considerent qui eiusmodi sunt, quia in ordinato ordine viliorem apud se teneant conditionem vxorum quam seruulorum. Et si de seruo absque conscientia iudicis occiso Dominus eius homicidij reus existit, nec effusionem sanguinis nisi per pœnitentiam potest expiare, quid de coniuge sentiendum sit? Non autem hoc dicimus, vt iudicia debita conculcemus vel prohibeamus, sed illa potius experiri, & sequi hortemur, cum sciamus legem Dei (qua omnis Christianus in die iudicij iudicabitur, vt recipiat secundum opera sua) nullum reum, nec ipsos adulteros, vel adulteras puniri permittere, nisi sub legitimis iudicib. & testibus, quos etiam publico iudicio à populo lapidari præcepit; Vnde & Susanna cum falso adulterij crimine accusaretur, & publico iudicio condemnata, & publico legitur absoluta. Et mulier in adulterio veraciter deprehensa, primum iuxta legem, ad Pharisæos, qui potestatem iudicij in populo exercebant; deinde etiam tentandi gratia ad Domini iudicium perducta est, qui non iudicium abnuit, sed fieri iuste, & à iustis præcepit.

Quapropter si quæcumque mulier in adulterio deprehensa, de lege Moysi, quam Dominus in testamento veteri promulgauit, vel de Christianorum legibus publicis, quas amplectitur sancta Ecclesia, ad Episcopale iudicium venerit, medicina est manifestissima, atque sufficientissima, & salubri Apostolicorum traditione virorum confecta, qua sine vllo ambiguitatis errore, diuina gratia, & Ecclesiastica pietate medicari valebit.

VI. INT. Tertio capitulo nobis remandari precamur, si de stupro, & aborsu, præfata fœmina denotatur, vnde iam egit iudicium, quid vobis ex eodem iudicio videatur, quoniam quidam dicunt nullius esse auctoritatis, siue credulitatis iudicium, quod fieri solet per aquam calidam, siue frigidam, neque per ferrũ calidum, sed adinuentiones sunt humani arbitrij, in quibus sæpissime, per maleficia, falsitas locum obtinet veritatis, & ideo credenda esse non debent. Sed & de purgatione Sacramenti, quid vobis videatur, cuius auctoritatis sit, nobis rescribi deposcimus: & vtrum verum esse possit, quod quidam dicunt, quia pro secreta confessione, quam ipsa fœmina fecit, & testis est, qui illam suscepit, vicarius ipsius in iudicium exiens incoctus euasit: sed & dicunt quia intentio illius fœminæ fuit de alio eiusdem dominis fratre suo quando vicarium suum in iudicium misit, & idcirco se in eodem iudicio non coxit; nec non, & si in iudicio, vel in Sacramento fraus quæcumque reperta fuerit post datam purgationem, vtrum causa in iudicio, vel Sacramento purgata, in iudicium debeat legale reduci.

RESP. At si de stupro, & abortu ante initum coniugium agitur, de quibus præfatam fœminam reputari comperimus, veniendum est prius ad examinationis iudicium, quo eam quasi purgatam audiuimus, & sic demum ponamus ex aliis quæ sentimus, vt si hæc fortasse rata est ducenda purgatio, sine vlteriore labore quæstio conquiescat, & si irrita iuste & rationabiliter fuerit comprobata, quæstionis pelagus repetamus. Nam sicut Paulus dicit: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; Quod exponit Ioannes Constantinopolitanus, *Quoniam* (inquiẽs) *ea quæ non videntur, & sunt in spe, fiat substantia esse putantur. Sed fides eis tribuit substantiam, sicut resurrectio nondum facta est, & needum est in substantia, sed fides certa spes facit eam subsistere in anima nostra, quæ argumentum, id est, coniectio est earum quæ non videntur.*

Heb. 11.

Coniectio quippe est in rebus admodum manifestis, fides igitur visio est non apparentium, quæ ad eandem satisfactionem ducit, ad quam illa etiam quæ videntur: neque fides dici potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur, amplius quam circa ea, quæ videntur, satisfactionem quisquam habuerit. Quæ de re ad inuestiganda ac comprobanda, & quasi oculato visui præsentanda quæ dubia vel obscura, quæ ex lege iudiciario ordine comprobari, vel conuinci non possunt, duo sanxit auctoritas, iudicium scilicet, & iuramentum, quod vsitato nomine appellatur & Sacramentum, quia in eo illud oculis fidei peruidetur, quod corporis oculis non conspicitur.

De iudicio siquidem in libro Numeri scriptum est; *Locutus est Dominus ad Moysen dicens; Loquere ad filios Israel, & dices ad eos, Vir cuius vxor errauerit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro: Si Spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur.* Et post computatum iudicium ad quod proinde exire debeat, addit, *Quod si polluta non fuerit, erit innoxia; & si polluta inuenta fuerit, maritus absque culpa erit, & illa recipiat iniquitatem suam.*

Num. 5.

De iuramento autem, vel Sacramento, ad Hebræos Paulus dicit Apostolus, *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum; Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum.* Iunior quoque Papa Gregorius per Denualdum presbyterum Bonifacio Episcopo scripsit, *Presbyter* (inquiens) *vel quilibet Sacerdos à populo accusatus, si certi non fuerint testes, qui criminis inlati approbent veritatem, iusiurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentia sua puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.*

Heb. 6.

Quæ Sacramenti purgatio & in Ecclesiasticis & in cæteris legibus vsitatissima, & de fidei veritate, etiam à primis seculis esse constat exorta, vnde silentio venerantes quæ in veteri & in nouo Testamento, & ab ipsa dicitur Deitate, *Vt per memetipsum iuraui, dicit Dominus.* Et, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*; & plura alia: Et, *Amen, Amen dico vobis*: Multum quippe commendat Dominus quod ita pronuntiat, quia quodammodo (si dici fas est) iuratio eius, est *Amen dico vobis*: nec Græcus hoc Interpres ausus est facere, nec Latinus, sic mansit, non est interpretatum, vt honorem haberet velamento secreti; non vt esset negatum, sed ne vilesceret nudatum. Igitur, verum dico vobis veritas dicit, quæ vtique etsi non diceret, mentiri omnino non posset: tamen commendat, inculcat, dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult. Sed & Abraham ad seruum suum dixit, (*Pone* inquiens) *manum tuam sub femore meo, & iura mihi per Deum cœli.* Et Rex ad Abraham, *Iura mihi per Deum: Et Abraham, ait, Ego iurabo.* Et Isaac, atque Rex Abimelech sibi mutuo iurauerunt. Et in Hebr-

Genes. 22.
Ps. 105.
Genes. 24.
Genes. 21.

[Genes. 26. Hiere. 44. Psal. 118. Rom. 1. & Philip. 1. Galat. 1. 1. Cor. 15. Exod. 20. Leuit. 19.]

temia, *Ego iuraui in nomine meo magno, ait Dominus.* Et Dauid, *Iuraui & statui.* Et in nouo Testamento legimus dixisse Apostolum, *Testis est mihi Deus.* Et *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Et, *Cotidie morior per vestram gloriam fratres.* Et in Epistolis Leonis atque Gregorij, hinc qui voluerit quærere abundanter inueniet. Quantum denique in iuratione periurium sit cauendum, Dominus demonstrat in Exodo dicens, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.*

In vanum quippe & frustra non vt nihil sit, sed vt ei qui nomen Domini Dei sui in vanum & frustra acceperit, nociuum, vt criminis reo sit. Item in Leuitico Dominus dicit, *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui: Ego Dominus.* Et sanctus Dauid in Psalmo, *Qui iurat proximo suo, & non decipit.* *Iurare est* (inquit Cassiodorus) *hominibus, sub testatione diuina aliquid polliceri.* [Psal. 14] Iurare enim dictum est, quasi iure orare, id est, iuste loqui. Tunc autem quispiam iuste loquitur, quando ea quæ promittit implentur. Et sanctus Ambrosius in Epistola ad Valentinianum Imperatorem, *Quid est iurare, nisi eius quem testaris fidei tuæ præsulem, diuinam potentiam confiteri?* Et item dicitur in Psalmo, *Nec iurauit in dolo proximo suo.* Per dolum itaque iurat quisquis aliter facturus est quam promittit credens periurium non esse decepisse nequiter credentis errorem. [Psal. 23. Act. 5.] Et hinc sanctus Hieronymus, *Multi sunt* [inquit] *qui dolose iurant, vt decipiant proximum, quod abominatur pater luminum, dicente Petro; Non es hominibus mentitus, sed Deo.*

Et in libro Regum scriptum est, *Quia quando facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & consuluit Dauid oraculum Domini: Dixit Dominus, Propter Saul, & domum eius, & sanguinem, quia occidit Gabaonitas: Filij quippe Israel iurauerunt eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel & Iuda,* [2. Reg. 21.] dicens Iosue gratis eosdem Gabaonitas viuere permisisse. Hinc patet quanta impietas est periurium, cui Dominus tantam imposuit vltionem. Et Hieremias Propheta, *Ecce vos confiditis in verbis mendacij, quæ non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, iurare mendaciter.* [Hierem. 7.]

Hinc ergo pensandum est, quantum crimen sit iurare mendaciter, quod adulterio, & homicidio, ac furto coniunxit Propheta, quorum perpetratores, Apostolus, *Regnum Dei dixit non possidere.* Et Hieronymus in expositione eiusdem Prophetæ. [1. Cor. 6.] *Poterat fieri, vt aliqui inuenirentur in populo, qui simularent cultum Dei, & iurarent per Dominum: hoc præuenit, quod nequaquam Deus vanis sermonibus, sed veritate fidei delectetur, & dicat, Non eos diligo qui iurant per me, & iurant in mendacio, sed quorum corda labiaque consentiunt.* Et in Zacharia Propheta, *Quia omnis fur* (sicut ibi scriptum est) *iudicabitur: & omnis iurans, ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio eius, & consumet eum, & ligna eius, & lapides eius.* [Zach. 5.]

Et in Ezechiele Propheta, *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam in loco Regis, qui constituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum, soluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* [Ezec. 17.] *Spreuerat enim* (inquit Hieronymus) *Sedechias iuramentum, vt solueret fœdus, & cum omnia hæc fecerit, non effugiet.* Et item Hieronymus, *Ecce* (inquit) *dedit manum suam Regi Ægypti, & tradidit se, & periurij contra Deum commisit sacrilegium.* Et hinc item Hieronymus, *Ne putaremus iuramentum, & fœdus, & pactum Regis esse Babylonis, vel Sedechiæ qui fecerat, sequitur; In præuaricatione qua despexit me: Ergo qui contemnit iuramentum, illum despicit per quem iurauit, illique fecit iniuriam, cuius nomine credidit aduersarius.*

Quicquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cuius nomine fuerat periuratus. Legimus enim Sedechiam captum, ductum in Reblata, ibique interfectis filiis excæcatum, & instar feræ clausum cauea; translatum in Babylonem. Et sanctus Cyprianus in nono abusionis gradu, *Regis ministerium esse* dicit, *impios de terra perdere, parricidas & periuros viuere non sinere.*

Et sanctus Gregorius in homilia Euangelij de Martyribus. *Ad extincta* (inquit) *eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & a dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur.*

Hinc ergo colligendum est, quantum peccatum sit periurare in nomine Domini, & sanctorum eius, quod & sacrilegium, vt præmisimus, dicit esse sanctus Hieronymus. Sed & quantum temeritas iurandi vitari debeat, nisi magna exegerit necessitas, aut aliorum, qui non credunt veritati, vtilitas, vt credant, & pax, ac concordia per Sacramentum consulatur, cauenda sit. Et Dominus in Euangelio demonstrat dicens, *Nolite iurare.* Et Iacobus in Epistola sua, *Ante omnia* [inquit] *fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum: sit autem sermo vester; Est, est, non, non; vt non sub iudicio decidatis;* [Iacob. 5.] illo videlicet iudicio, sub quo decidit Herodes; vt vel peierare, vel periurium cauendo, aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid forte nos incautius iurasse contigerit, quod obseruatum scilicet, peiorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriore mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quam pro vitando periurio, in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Dominum, occidere Nabal [1. Reg. 25.] virum stultum & impium, atque omnia, quæ ad illum pertinerent, demoliri, sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis, mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Iurauit Herodes dare saltatrici quodcumque postulasset ab eo, & ne periurus [Marc. 6.] diceretur à conuiuis, ipsum conuiuium sanguine polluit, dum Prophetæ mortem saltationis fecit præmium.

Non solum autem in iurando, sed in omni quod agimus, hæc est moderatio solertius obseruanda, vt si in talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidijs, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus, illum potius euadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernamus, & iuxta exemplum eorum, qui hostilibus clausi muris, dum euadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, vbi muro existente breuiore minimum periculi cadentis incurrant. Et hinc ex sanctis scripturis, & Catholicorum dictis, quidam Orthodoxus, & insignis Poeta inter alia adscripsit, dicens;

At si iurandi te causa perurget & arctat,
Id puro verbo, id gere mente pia:
Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,
Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent:
Qui non vt iuras, sed vt te iurasse putauit,
Cui iuras, audit, sicque es vtrique reus;
Nempe Dei in vanum cum ne vis sumere nomen,
Seu socio, quem atra fallere fraude paras.
Si, scelus vt facias, iures, vota irrita sunto:
Hoc illo est grauius, vulnus vtrumque tamen.
Vulnera parua minus, magna & maiora fatigant:
Fœlix qui nullo vulnere læsus abit.

Cæterum de iudicio, postquam dixit Dominus de suo aduentu ad futurum iudicium, quod erit per ignem, commemorans illud quod per aquam est factum, *Sicut* (inquit) *factum est in diebus Noe, ita erit & in die Lu-*

filius hominis. Et referens quod per ignem Sodomam iudicauerit, *Similiter* (inquit) *sic factum est in diebus Loth.* Christianitas ex antiquo, quæ inter acta est, & agenda iudicia, sanxit & frequentauit iudicium, quod fit per aquam, quodque sub Noe factum fuerat, in arca fidei liberans innocentes, & condemnans noxios: in ignita autem aqua, sicut factum est sub Loth in igne, & fiendum est in aduentu filij hominis. Petro attestante, qui dicit, *Quod cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens verbi Dei, per quæ ille tunc mundus periit. Cœli autem qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in die iudicij & perditionis hominum impiorum.* Aperte docens quia non alij cœli sunt igne perituri, quam in aqua perditi, hoc est, inania hæc & nubilosa ventosi aeris spatia: neque enim aqua diluuij, quæ quindecim tantum cubitis montium cacumina transiit, vltra aeris ætherisque confinia peruenisse credenda est. Quocumque autem peruenire potuit, eo nimirum iuxta præfatam beati Petri sententiam, & ignis iudicij perueniet. Sed quia scriptum est, *Cœlum & terra transibunt:* Et iterum, *Terra vero in æternum stat,* sciendum est, quia cœlum & terra, per eam quam nunc habent imaginem transeunt, attamen per essentiam sine fine subsistunt: *Præterit enim figura huius mundi: Et erunt* (inquit) *cœlum nouum, & terra noua:* quæ quidem non alia credenda sunt, sed hæc ipsa renouantur. Transeunt, & permanebunt, quoniam ab ea specie, quam nunc habent, tergentur, & in sua semper natura seruantur: vnde scriptum est, *Mutabis ea, & mutabuntur.*

Quapropter fieri aquam ignitam (ad hæc duo copulata in vnum indaganda iudicia, illud videlicet, quod iam per aquam factum est, & illud quod per ignem fiendum est, licet sint pro temporum varietate dispatia, sed vnum sunt operationis mysterio, in quibus sancti liberantur illæsi, & reprobi puniuntur addicti) Ecclesiæ, quam designauit arca diluuij, creditur tradidisse auctoritas, quæ etiam inde sanxit, vt aquæ baptismatis halitu Sacerdotali sanctus insuffletur Spiritus, qui inter ipsa mundi primordia ferebatur super aquas, vt iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet, & quo rubigo omnium excoquitur peccatorum, cerei lumine sanctificato accensi, à loco teneantur immissi, donec eiusdem fontis consecratio compleatur per eum qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluuij effusione signauit, vt vnius eiusdemque elementi mysterio, & finis esset vitijs, & origo virtutibus, quique venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Quia in eodem baptismate, in quo signanter Moyses Propheta lignum velut in myrrhato fonte miserat, & dulcoratus est, prædicata per Domini sacerdotem sanguinis Christi cruce, *tres vnum sunt*, non natura, sed operationis mysterio, id est, sanguis redemptionis, spiritus sanctificationis, & aqua lauacri, vbi exsufflatus & exorcizatus immundus spiritus exit ab homine, fitque mundi iudicium, & Princeps mundi foras eijcitur. Et qui in veritate non stetit, mendax & pater mendacij à veritate naturæ secernitur, quæ ad imaginem Dei condita, & ex aqua & Spiritu sancto renata ad suum reformatur principium, ac fide interius exteriusque purgatur, & ab omni figmento mendacij totiusque malitiæ innocens comprobatur. Sed & si quis frigida tantum aqua, vel igniti cuiuscumque elementi iudicio, in auctorem & gubernatorem elementorum, quem omnia fideliter inuocatum sentiunt elementa, sicut in Moysi virga, & aquæ in sanguinem versæ, & iterum sanguis in aquas, & petra quæ dedit aquam, & sub Heliseo sal vel lignum aquæ immissum, indubitanti fide, quæ *est argumentum non apparentium*, credens fieri satis sibi decreuerit, nihil differt. A quia enim frigida, sicut & in baptismate sacratur, in diluuio innoxij cum arca sunt ad Cœlum leuati, & noxij perditi, igneque sunt Sodomitæ puniti. Et in libro Numeri, aqua frigida, in qua Dominus imprecationes iussit elui, hausta à muliere adultera, computrescendum femur ipsius legitur. Et Ioannes Apostolus de olei feruentis dolio euasit illæsus. Et qui aquam ignitam delegerit, intelligat quoniam venientem ad futurum iudicium terribilem iudicem tempestas ignisque comitabuntur, sicut scriptum est, *Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida:* vt tempestas examinet quos ignis exurit: & ignis ille futurus sanctis eris permissus, *qui rapientur nubibus obuiam in aera Domino:* Et, *Inflammabit in circuitu inimicos eius.*

Quoniam quidem dum purgationis iudicio per aquam feruentem vel frigidam se ratio intulit, dicamus quod quidam sagaces ingenij percunctantes adijciunt. *Constat nimirum* (vt inquiunt) *quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, & innoxij liberantur incocti, quia de igne Sodomitico Loth iustus euasit inustus, & futurus ignis qui præibit terribilem iudicem, sanctis erit innocuus, scelestos aduret, vt olim Babylonica fornax quæ pueros omnino non contigit, neque contristauit vel quicquam molestiæ eis intulit, sed vincula eorum comburens, incendit quos reperit de Chaldæis ministros Regis, qui eam succendebant. Sed in aqua frigida iudicio nõ constare videtur, quod innoxij submerguntur, & aqua culpabiles supernatant, cum in Cataclysmi iudicio innocentes cũ arca leuantur, & noxij submersione perierint, & Ægyptij insequentes Hebræos per mare rubrũ, respiciente Domino in vigilia matutina per columnam ignis & nubis submersi sunt quasi plumbũ in aquis vehementibus, & ne vnus quidẽ superfuit ex eis: Et filij Israel super littus stãtes viderũt Ægyptios mortuos: & infideles ac peccatores terra sustinere nõ potuit, quãdo aperta est, & deglutiuit Dathã, & operuit super congregationẽ Abirõ. Et Petrũ fide fidentẽ aqua instabilis eius se calcantẽ sustinuit, in fide vero dubitantẽ iã pene demersũ absorbuit, quãdo eũ Christi dextera alleuauit. Et ipsius Epistola sententiã de figura baptismatis in arca diluuij exponẽtes Patres Catholici dicunt: quia nõ alias, sed ipsis aquis hæretici & mali Christiani ad inferna merguntur, quibus Orthodoxi, & iusti quique, ad cœlestia regna subleuantur.* Sed sciendum nobis est, vt beatus dicit Gregorius, *quod diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Et cum Paulus Apostolus dicat: *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum, quæ apparere non possunt: quæ enim apparentiam fidem non habent, sed agnitionem. Sed hæc ipsa Redẽptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia eius operatione pẽsanda sũt, vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Et idcirco Dominus quædam de scripturis per semetipsum dignatus est exponere, vt sciamus rerum significationes quærere in his etiam quæ per semetipsũ voluit explanare. Vnde in responsum accipiant qui in diuinis iudicijs atque miraculorum signis experimentum humanæ postulant rationis, quoniam & iustos continens archa, qua fidelium est designata Ecclesia, fides sanctæ Trinitatis per Incarnationem Iesu Christi ædificata, & omnes, de quibus dixit Dominus, *Finis venit vniuersæ carnis: coram me repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra,* superfluente aqua operti, & non omnes submersi sunt, sed innoxij liberati, & puniti sũt noxij, sicut scriptũ est: *Ingressus est Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in archam, propter aquam diluuij.* Et post paululum: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram XL. diebus & XL. noctibus.* Et item: *Et multiplicatæ sunt aquæ & leuauerunt archã in sublime à terra.* Et post pauca: *Consumptaque est omnis caro, quæ mouebatur super terram: remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in*

& ipse qui examinãdus in aquã dimittitur, inuocationẽ inuocantiũ sua respõsione & denotatione cõfirmat, iuxta formã quodãmodo ante baptisma, sicut sanct⁹ Amb. in libro de Sacramẽtis dicit: *Interrogatus es; Credis in Deũ Patrẽ omnipotentẽ? dixisti, Credo, & mersisti, hoc est sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominũ nostrum Iesum Christũ, & in Crucẽ eius? Dixisti, Credo & mersisti, ideo & Christo es consepultus: qui enim Christo consepelitur, Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritũ sanctum? dixisti, Credo, tertio mersisti, vt multiplicẽ lapsũ superioris ætatis absolueret trina cõfessio. Denique, vt vobis afferamus exẽplũ, sãctus Apost Petrus postea quã in passione Domini lapsus videtur cõditione humana; qui antea negauerat postea vt illũ lapsũ aboleret & solueret tertio interrogatus à Christo si Christũ amaret; tũ ille dicit: Tu nosti, Domine quia amo te. tertio dixit, vt tertio absolueretur.* Sic & inuectus in iudicio noxius, si fuerit forte super plura suspect⁹, iterato est iudicio examinandus, quousque inueniatur emẽdationis cõfessione probatus: Et ad hoc adsumimus sãcti Ambrosij verba dicentis: *Denique, vt vobis adferamus exẽplũ, Sanctus Apostolus Petrus posteaquã in Passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ qui ante negauerat: postea, vt illum lapsum aboleret & solueret, tertio interrogatur à Christo si Christum amaret, tum ille dicit Tu nosti Domine, quia amo te: vt tertio absolueretur.*

Et quoniam, sicut supra ostendimus diuina auctoritate, baptismum esse iudicium (vnde & Iordanis baptismata designans interpretatur riuus iudicij, quo Princeps mundi mendax & pater eius foras eijcitur) & baptismus Dei est consilium, diuini viri ad ignota inuestiganda inuenerunt iudicium aquæ frigidæ, in quo aquæ frigidæ iudicio ad inuocationem veritatis, quæ Deus est qui veritatem suo mendacio cupit obtegere, in aquis *super quas vox Domini Dei maiestatis intonuit*, non potest mergi: quia pura natura aquæ naturam humanam per aquam baptismatis ab omni mendacij figmento purgatam, iterum mendacio infectam non recognoscit puram, & ideo eam non recipit, sed reijcit vt alienam: Et in baptismate ab homine spiritus immundus, id est Princeps huius mundi eijcitur, ita & qui à diabolo Principe, videlicet mundi huius per peccatum reoccupatus (sicut scriptum est, *Quia cum exierit ab homine, reuertitur ad eum à bonis operibus vacantem, immo vacuũ, cum alijs septem spiritibus nequioribus se*) ab aqua inuocatione diuini nominis sacrata reijcitur; quẽ hominẽ nũ naturalẽ, sicut ex aqua & spiritu renatus est, & purgatũ *nõ carnis depositione sordiũ, sed interrogatione & cõfessione cõscientia bona in Deum*, verum potius talem, de quo in Leuitico scriptũ est, sentit: *Omnis* (inquit) *homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino*: non dicit, *in quo fuit immunditia*: Immunditia quippe eius in ipso est, qui mendacio contegit veritatẽ: & idcirco de stirpe Sacerdotali: *Vos* (inquit) *genus electum, regale Sacerdotium*: Et in Apocalypsi: *Fecisti nos regnũ Deo, & Sacerdotes*; ad ea quæ consecrata sunt Domino accedens, quamdiu immunditia eius in ipso est, non poterit aquis inuocatione Dei sanctificatis immergi, vt innoxius pareat, sed pereundus monstrabitur; *Expurgate* (inquit Apostolus) *vetus fermẽtum, vt sitis noua conspersio, sicut estis Azymi*: ac si patenter dicat; Reputatum de crimine, atque negantem, quẽ idoneis testibus iudiciario ordine comprobare nequitis, aut Sacramẽto, aut Dei iudicio expurgate, ne in medio vestri manẽs, Anathema dicatur vobis. *Anathema in medio tui Israel, nõ poteris stare corã inimicis tuis: Et item Apostolus Nolite communicare, hoc est, nolite cõsentire; & quia parum erat nõ cõsentire, si sequeretur negligẽtia disciplinæ, magis, inquit, & redarguite. Duobus modis te non maculat malus, si non consentias, & si redarguas.* Igitur arguẽdus est peccator, & si negauerit, & ordine iudiciario comprobari nõ potuerit, examinetur, vt probatus manifestus fiat, & reprobatus latere nõ possit. Deprehẽsus autẽ cõfiteatur & pœniteat, & nõ tenebitur fune peccatorum suorum, quo est infligatus, vt non mergatur, & lauetur aqua salutari perfusus lacrymis, & demerguntur vt Ægyptij, & qui corrupti erãt carnali corruptione corã Domino, *sicut plumbum in aquis vehemẽtibus*: & secundũ Prophetã, *Proijciantur iniquitates eius in profũdũ maris*: qui antea cũ mẽdacio suo mergi, vt abluerettur, non poterat, donec cõfessione à se illud in profũdũ proiiceret, & ablutus emergeret, qui ante cõfessionẽ, sicut ferrũ Helisæi premebatur aqua, vsque dum inuocatione diuini nominis ad lignũ redit, ita nihilominus negãs, peccati põdere premitur anxia cõscientia, vsque dum pronũcians impietatẽ peccati sui Domino, in cuius ligno crucis omniũ hominum (vt dicit Ambrosius) leuatur infirmitas. Et hoc est diluuium quod & baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola iusti mens & gratia resuscitatur pridem quippe mortui negatione peccati. Legat deuotus librum dialogorum beati Gregorij, & inueniet, sãctimoniales nõ correctas, & pro incorrectione sua à sãcto Benedicto excõmunicatas post mortẽ, tẽpore cõmunionis de sepulchris ab Ecclesia, qui nõ cõmunicabãt exiisse; post recõciliationẽ autẽ se in suis sepulchris cõtinuisse. Et pueri monachi corpus à terra teneri non potuisse, qui Benedicti gratiam nõ habebat. Et vas vitreum signo crucis per Benedictum edito disruptũ. Et iterum vas vitreũ in ingens præcipitiũ saxorũ molibus aspersũ eius iussione propter inobediẽtiã proiectũ, atque incolume reseruatũ. Et discipulũ eius Maurũ super vndas laci deãbulasse, ferrum autem de profundo laci Helisæi more per ipsũ in manubriũ reuocatũ fuisse. Et sicuti scriptũ diuinis paginis cõtinetur; facer ignis abscõsus, post multorũ annorũ curricula in crassã aquã versus reperitur, & eadẽ aqua super oblatũ sacrificiũ versa diuina potẽtia est igne consũpta. Sed & Gedeonis sacrificiũ cũ superfuso iure, cuius abundãtia solet ignis extingui, per Angelicũ ministeriũ, igne etiã lãbẽte petrã, consũptum est. Et in vnius eiusdẽque elementi mysterio, & finis est vitijs & origo virtutib⁹, operante Spiritu sãcto in aqua sacri baptismatis. Hæc diligẽs lector legat, & non mirabitur in iudicio aquæ frigidæ innocentes ab aqua recipi, nocẽtes autẽ non recipi; sicut & in aqua calida coquũtur noxij, innoxij vero reseruãtur incocti: quia & Christ. cœlestis medicina Patris verus humanæ medicus salutis, inuocatus à suis fidel. vt & medici carnis, ipso inspirãte, solẽt, cõtraria cõtrarijs calida frigidis, frigida calidis curat. Et in veteris Synagogæ vnius eiusdẽque seditione quosdã terra absorbuit, quosdam vero edax flamma consumpsit? Dumque caro innoxia Saluatoris aquis frigentibus tingitur, opposita quondam noxiis romphæa ignea paradisi restinguitur; sed & dispositione ipsius elementorum conditoris atque rectoris, vno eodẽmque sole lutum stringitur, cera liquatur.

Hæc dicta sint, quia elementum instabile in mergendo pro fide credentium quosdam recipit, quosdam autem non recipit; sed & feruore elementi eiusdẽ quidam coquuntur, & quidam euadunt incocti.

Nec prætereundũ, quia legimus in Capitulis Augustorũ, fuisse vetitũ frigidæ aquæ iudiciũ, sed non in illis Synodalib⁹, quæ de certis accepimus Synodis: quod (vt quidã insulsa dicũt) propterea fuisse vetitũ, quoniã quasi rebaptizatur qui in nomine Domini aquis immergitur, sed hoc ibidẽ scriptũ nequaquã reperimus: nec nos etiã ignoramus, quia beatus Ambrosius plura dicit baptismata, id est, plura dici baptismatis adnotat præconia. Et sacri Canones rebaptisationes omnib⁹, vt vitãdæ sunt, prohibẽs. Nemo tamẽ est pene fidelium,

qui se sine Crucis signo, vel inuocatione diuini nominis, aquis, etiã ad lauandum, immittat, iubēte Apostolo, omnia agēdo in nomine Domini, & nō se illo baptizari putat baptismate quo renatus est, ex aqua & Spiritu. Sermo enim & opus Dei, cunctaque Sacramenta diuina manna sunt, quod, sicut scriptum est, *habuit omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem*, quodque sicut pro desiderio suscipientium quondam factum est in saporem gustantium, ita & hæc pro deuotione credentium sunt causa ostensionū, velut Incarnatio Domini *in ruinam, & resurrectionē multorū est*: *Et Crux eius pereuntibus quidem stultitia est, credentibus vero in salutē virtus est*: Et *prædicatio ipsius alijs est odor mortis in mortem*, alijs odor *vitæ in vitā*: Et baptismatis Sacramentū infidelibus ludificatio, fidelib⁹ autē redēptio est: Sacramenta quoq; altaris deuote ad se accedentibus vita, indeuotis iudiciū; sicut & panis vitam fortium roborat, paruulorū necat: Et leius sibilus equos mitigat, catulos instigat: Et sol, qui ceram liquat, lutū stringit, sanis oculis lumen est, & lippientibus tenebræ. Vtque venenū mors est homini, & vita serpenti, sic & istud iudiciū firmiter, & rite credentibus ostensio veritatis, hæsitātibus autē & dubijs error inuoluens esse dignoscitur, quoniam sicut Paulus dicit: *Est enim fides sperandarū substātia rerū, argumentū nō apparentium*: Profecto liquet: *Quia* (exponente beato Gregorio) *fides illarum rerū argumentū est, quæ apparere nō possunt: quæ etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem*: sic in hoc diuino iudicio, his, de quibus antea dubitabamus, diuina ostēsione mōstratis, quæ corporalibus oculis videre nō possumus, oculis fidei contemplantes, credulitatem accōmodare debemus, sicut Thomas antea dubitās, dum Dominū palpauit, aliud vidit, & aliud credidit: à mortali quippe homine Diuinitas videri non potuit: hominem igitur vidit, & Deum confessus est dicens: *Dominus meus & Deus meus*: videndo ergo credidit, quem cōsiderando verum hominē, hunc Deū, quem videre non poterat, exclamauit ita; & veritatē rei, de qua dubitabamus, quia corporalibus oculis videre nequibamus, diuinæ ostēsioni credētes, veritatem, quæ Deus est, laudare debemus.

Reg. 16. — Luc. 2. — 1. Cor. 1. — 2. Cor. 2. — Hebr. 11. — Ioan. 20.

Hæc autem dicimus, non quo quenquem reprehendamus, quia nec ibi scriptum est, cur hoc iudicium non debeat fieri, sed tantummodo dictum, ne fieret aut nostra quasi sapientius prolata quam alij inuenire ex sanctorum documentis præualuerint, sine præualeāt defēdere satagamus: *Vnusquisq; enim in suo sensu abundat*: Tantum quilibet hoc caute prouideat, vt à fide Catholica, & traditione Apostolicæ sedis non discrepet, sed quæ sentimus humiliter proferentes, parati simus, si quis conuenientibus nobis ostenderit, sine contentione sano intellectui credere, & libētissime non modo consentire, quin etiam discere.

Rom. 14.

His ita se habentibus, si huiusmodi iudicium, quod (vt audiuimus;) Karolus magni nominis Imperator de suæ vitæ credulitate recepit, per consilium laicorum nobilium, consensu Episcoporum, ac decreto regio (aliter enim non oportuerat) præfata fœmina de quibus reputabatur constat esse purgata, & maritali thoro non solum consensu nobilium laicorum, verum (vt audiuimus) cum reconciliatione & benedictione Episcoporum restituta siue recepta, cur iterum causam in quæstionem reducamus, videre non possumus, dicente Domino, *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Et audiamus quod audiuit ab illo ad eum dicens, *Magister respice in filium meum: ecce spiritus apprehendit illum, & rogaui discipulos tuos, vt eijcerent illum, & non potuerunt*: Et Dominus, *O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos?* Hoc enim audiuit, quia latenter isto dicto accusant de impossibilitate Apostolos, cum impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum, qui curandi sunt, fidem referatur: sic & nos, licet non auribus corporis, sed merito infidelitatis, audiemos, si talia sine causa & ratione debita remouemus, quasi quiddam fraudis in hoc iudicio fuerit dubia Dei ostensio, & non infidelitas nostra. Si autem hæc in iudicio culpabilis apparuit fœmina, quare fuit recepta? Si inculpabilis, quare est causa remota? præsertim cum omnimodis sit credendum, quia si vicarius eius, qui pro illa ad iudicium exiuit, fuisset perustus, culpabilis iudicata ad audientiam denuo noluisset accusator ipsius debere illam admitti: Vnde nunc quoque tenendum est, quia sicut in baptismatis iudicio, mendax & pater mendacij per fidem & ora gestantium atque pro eis profitentium qui batizantur, foras eijcitur, ita & ab hac fœmina criminationis falsitas, fide & professione pro se mittentis vicarium, per eiusdem vicarij sui executionem, diuino iudicio sit expulsa, & eius innocentiæ veritas declarata. Nam, *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*, qui ostensione virtutis suæ nobis testificatur, quid de hoc credere debeamus, de quo dubij ante ostensionem eramus.

Matth. 4. — Luc. 9. — 1. Ioan. 5.

Qui dicunt quod pro secrete facta confessione ab eadem fœmina, vicarius eius de iudicio incoctus euasit.

VII. INT.

Sicut falsa pietate, quidam (vt legimus) beatum Petrum defendere tentauerunt dicentem, quia non nouisset hominem, quem cognoscebat Deum, cum veritas dixerit, *me negabis*: ita isti maiori etiam iniquitate, quia impia falsitate veritatem, dum piam prædicant, fictam calumniantur, quæ sic voluit fœminam istam liberare, vt iudicio illius credentes deciperet, cum scriptum sit, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*: Vnde sanctus Petrus ad Simonem Magum dixit, qui se putauit emere posse gratiam sancti Spiritus, per quem virtutes operantur & signa, quique omne effugit fictum. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto; in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse*: Et vt beatus dicit Gregorius; *Nisi simplex veritas per duplicitatem facit: Scrutans corda*: Et, *probans renes*: Et, *pertingens vsque ad diuisionem animæ & corporis, compagum quoque & medullarum, & interiora cordis*: Et, *vt veritas prope est inuocantibus se in veritate*. Et iubet in veritate iudicium facere: Quis enim inuocauit Dominum, & deceptus est? in iudicio enim iusto fideliter inuocatur, neminem decipere potuit, *Quoniam iustus est Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Et Catholici dicunt Magistri, de sacramenti purgatione, *Quia sicut ab illo, cui perinde fit satis, suscipitur, ita & à Domino iudicatur* Et Paulus dixit, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Et non est confessio, nisi fuerit cum corde & oris fassio, vt mens nostra concordet voci nostræ: vnde & in baptismo non mundat *cordis depositio sordium, sed interrogatio* ac confessio *conscientiæ bonæ in Deum*. Nam Petrus, quem Christum filium Dei viui confessus fuerat, Dominum esse sciebat, Deumque credebat, cuius discipulum se ore negabat, qui dixit, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: Et, *qui me negauerit, negabo eum*. Et (sicut legimus) non est aliud negare se ipsius esse discipulum (sicut Petrus dixit, *Non sum*, obijcienti sibi quod ex discipulis hominis illius esset) nisi negare se esse Christianum Quapropter & sacri Canones, inter lapsos de illis decreuerunt, qui corde Christū crediderūt, & tormentis victi ore negauerunt. Et item scriptum est: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Quomodo (inquam) hæc fœmina in iudicio Dominū sibi adiutorem, & liberatorem inuocauit, in quem non credidit? Et si in Dominum fideliter credidit quem inuocauit,

Resp. — Matt. 26. — Sap. 1. — Act. 8. — Psal. 7. — Hier. 11. — Heb. 4. — Psal. 144. — Psal. 144. — Rom. 10. — 1. Pet. 3. — Matth. 10. — Rom. 10.

verum non fictum, & iustum atque iustitiã diligentem illum credidit quem falli vel fallere non posse cognouit: Isti autẽ contraria dicentes, quid aliud dicũt, nisi falli vel fallere posse veritatẽ adfirmant? obstinatiores dæmonib⁹, qui (vt Euãgeliũ dicit) exiebãt ab obsessis confitentes eum, quia sciebant illum esse Christum.

Quod autem dictum est, quia ex hoc testis est etiam ipse qui confessionẽ fœminæ illius suscepit: miramur, si verum esse aliquo modo possit; & hoc credere non auderemus, si talibus viris, qui hæc nobis mendauerunt, non credere non auderemus, cum non peruerse interpretari debere nouerit quod in libro Leuitico relegit: *Animaqꝫ audit vocẽ iuramẽti & testis est, vel quæ vidit aliquid, & conscia est & non indicat;* Ex quo accepit etiam ipsa peccatum eius, sine dubio (vt Origenes exponit) *qui inique, aut egit aliquid, aut iurauit:* Hoc etiam secundum historiam nos ædificat, ne vnquam in peccans alterius polluamus conscientias nostras, nec cõsensum male agentibus præbeamus: Cõsensum autem dico, non solum pariter agendo, sed etiam quæ manifeste, & inhieste gesta sunt, reticendo. Et si sciuit, & propter secretam confessionem reticuit, quare (quod absit) sicut dicitur, vt iudicium inde fieret, obtinuit, vel consensit? non tenetens sententiam legis pariter & Euangelij, *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Quia si contra auctoritatem Canonicam, quæ ex legis, & Prophetarum, atque Euangelij fonte, sancto Spiritu, à quo & illa sunt dicta, promulgante, procedit, detrimentum honoris est agere, periculum non potest euadere, qui studet ipsi Euangelicæ veritati in tã maximis, repugnare. Et item scriptum est, *Reddes autem Domino iuramenta tua.* Si fidelitatem Seniori suo promisit, quomodo huic illusioni contra illum consentire præsumpsit? Et si tunc inter duo pericula positus, minus de iuramento negligere elegit, vt maius, ne proditor confessionis fieret, deuitaret, quare ipsam confessionem nunc prodidit? cum scriptum sit, *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana. qui autem fidelis est, animi celat commissum:* ac si patenter dicat. *Qui autem non celat commissum, infidelis est.* Et Paulus dicit fidelibus, *Quæ pars fideli cum infideli?* Plura hinc dici poterant, sed nobis non conuenit, *Onus enim suum vnusquisque portabit.*

Hæc autem breuiter diximus, non vt credere, vel credi ab aliquo huiusmodi derogationi, de quocumque Sacerdote velimus, sed vt nos quatenus hinc responderemus per nomen Domini obtestantibus, designemus hoc nefas proditionis atque duplicitatis, & magnopere nobis esse euitandum, & in omnibus profecto hominibus detestãdum.

Huic autem dicto quod aiunt quidam, quoniam intentio illius fœminæ fuit de alio eiusdem nominis fratre suo, quãdo vicariũ suum in iudicium pro se misit, & idcirco se in iudicio idem vicarius eius non coxit.

Quasi Iudex omnium quæ geruntur, & nouit omnia etiam antequam fiant, tali errore seduci potuerit, componere possumus quod Petrus in quarto libro Dialogorum à beato requisiuit Gregorio, *Quidnam est* (inquiens) *quæso te, quod nonnulli quasi per errorem extrahuntur è corpore?* Cui beatus Gregorius referens de duobus Stephanis, quia non idem Stephanus, qui adductus Iudici, ad loca inferni fuerat iussus adduci, extiterat, sed Stephanus alter ferrarius, & illo reducto, Stephanus ferrarius, qui adduci fuerat iussus, adductus est: *Hoc* (inquit beatus Gregorius) *quotiens fumque fit, si bene perpenditur, non error sed admonitio est. Superna enim pietas ex magna misericordia sua largitate disponit, vt nonnulli etiam post exitum repente ad corpus redeant, & tormenta inferni quæ audita non crediderant, saltem visa pertimescant.* Et post narrationem de Stephano, qui adductus, & reductus, & postea iterum ad tormenta perductus fuerat, subdidit *Quapropter colligitur, quia ipsa quoque inferni supplicia tum demonstrantur, alijs hæc ad adiutorium, alijs vero ad testimonium fiant, vt isti videant mala quæ caueant, illi vero eo amplius puniantur, quæ inferni supplicia nec visa & cognita vitare voluerunt.*

Sic & Deus ex scriptura veritatis nobis demõstrat, quod ad correctionis cautelam nobis proficiat aut ex retributione iustitiæ ad grauius delinquendum in cumulum damnationis excrescat. Scriptum est enim in libro Regum dicente Michea Propheta; *Vidi Dominũ sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli adsistentem ei à dextris, & à sinistris: Et ait Dominus, Quis decipiet Achab Regem Israel vt ascendat & cadat in Ramoth Galaad. Et dixit vnus verba huiuscemodi, & alius aliter: Egressus est autem Spiritus coram Domino, & ait; Ego decipiam illum: Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait? Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omniũ Prophetarum eius. Et dixit Dominus, Decipies & præualebis; Egredere, & fac ita.* Quid sit adstare malignum Spiritum Domino: & quid sit quod interrogasse malignum Spiritum Dominus decitur: & qualiter loquatur Deus ad malignũ spiritum, & malignus spiritus ad Deum: beatus exponit Gregorius in moralium libris deuotioni lectorum notissimis: Sequitur in historia libri Regum: *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritũ mendacij in ore omniũ Prophetarum tuorum qui hic sunt, Et Dominus locutus est contra te malũ.* Et post aliquanto: *Vnus autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel,* id est Achab, *inter pulmonem & stomachum.* Et paulo post: *Et mortuus est vespere,* & completus est in eo sermo Domini per manũ Micheæ, de quo antea locutus est idem Achab ad Iosaphat Regem Iuda quærentem Prophetam Domini. *Remansit* (inquit Achab) *vir vnus per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non Prophetat mihi bonum, sed malum,* videlicet quoniam vera illi dicebat, & ideo odiebat eum, diligens mendaces ministros, & sibi impios: vnde scriptum est, *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habebit impios.*

Qua de re timendum est Regi, & cunctis mendacio credere volentibus quasi Deus aut falli potuerit, aut fallere quemquam in se recte credentem, in iudicio velit, aut indebita misericordia in crimine consistenti, atque etiam ipsum neganti, & se tentanti debeat misereri, qui etiam pauperi in iudicio vel sub obtentu pietatis misereri prohibuit, ne propter alia perpetrata peccata, de quibus non satisfecerunt Domino ex retributione iustitiæ, à mendaci spiritu seducãtur, vt intereant, & in alium laqueum decepti cadant, sicut de quibusdam Paulus dicit, *Quoniam cum cognouissent Deũ, non sicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerũt in cogitationib⁹ suis, & obscuratũ est insipiẽs cor eorum; propterea tradidit illos Deus in desideria cordis illorũ, in immũditiã, vt cõtumelijs afficiant corpora sua, mercedẽ erroris sui in semetipsis recipientes; & quoniã nõ probauerũt Deũ habere in notitiã, tradidit illos Deus in reprobũ sensum, vt faciãt quæ nõ conueniũt.* Et ad Thessalonicẽses: *Pro eo quod dilectionẽ veritatis nõ receperũt ad hoc vt salui fierent, idcirco mittet illis Deus spiritũ erroris, vt credãt mẽdacio, quatinus iudicentur omnes qui nõ crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Vnde sanctus Augustinus in tertio libro de Trinitate, loquens de præstigiis à magis Pharaonis Moysi resistentibus factis, dicit: *Intelligo* (inquit) *datur, ne ipsos quidem transgressores Angelos, & aërias potestates in imam istam caliginem tanquam in sui generis carcerem ab illius sublimis ætheriæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt quicquid possunt; valere aliquid, nisi*

data desuper potestate. Datur autem, vel ad fallendos fallaces, sicut in Ægyptios, & in ipsos etiā Magis data est, vt in eorum spirituum seductione viderentur admirandi, à quibus fiebāt Dei veritate dānandi: vel ad monēdos fideles ne tale aliquid facere pro magno desiderēt, propter quod etiā nobis scriptura auctoritate sunt prodita: vel ad exercendā, probandā, manifestandāq; iustorū patiētiā. neque enim parua visibiliū miraculorū potentia Iob cuncta quæ habebat amisit, & filios, & ipsam corporis sanitatem: quidquid Angeli transgressores malè faciunt, non ipsis seruit ad nutum creatura corporalis, sed Deo, à quo datur potestas. Nec ideo putādum est istis trāsgressoribus Angelis ad nutum seruire hanc visibiliū rerum materiē sed Deo potius à quo hæc potestas datur, quātum in sublimi & spirituali sede incōmutabilis iudicat: Nam & damnatis iniquis etiam in metalla seruiunt aqua, & ignis, & terra, vt faciant sinde quod volunt, sed quantum sinitur.*

*videt deesse, non. xi. int. & rasp.

Sed concedamus vt fraus in iudicicio fuerit operatione diaboli, qui licet perdiderit Angelici spiritus gloriā, sed nō amisit naturæ subtilitatē, & permittēte Domino, aut pro infidelitate non rectè credentium, aut pro purgatione fideliū, vt Iudā plenū iniqua voluntate Christo communicantē strangulauit, & Paulū post tertij cœli raptū colaphizauit, ad maxima caecenda oculto sed nusquā iniusto permittitur diuino iudicio, sicut per Magos Pharaonis multa acta sunt, quæ Moyses Propheta Domini fecerat. Et ad probationē Iob acta sunt cōmota, ignis de cœlo aerio oues, puerosque consumpsit. Et Antichristus per se suosque ministros multa operaturus est, *ita vt in errorem inducantur, etiamsi fieri potest, electi.*

Et per Pythonissam species Samuelis ostēsa est. Et in libro Dialogorū, scribente sancto Gregorio, legimus; *Quia de iniecto idolo & ad horā casu in coquinā prefecto exire ignis repēte visus est, atq; in cunctorum Monachorū oculis. quia omne eiusdē coquinæ ædificium cōsumeretur, ostendit: cumq; iactādo aquā, & ignem quasi extinguendo perstreperent, pulsatus ab eodem tumultu vir Domini Benedictus aduenit, qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis vero nō esse, cōsiderans, caput protinus in orationem inflexit, & eos, quos fantastico reperit igne deludi, reuocauit fratres ad oculos suos, vt & sanum illud coquinæ ædificium adsistere cernerent, & flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent.*

Matth. 24.

Et in Petri Itinerario de Clementis Patre legitur, quod vt à fidelib⁹ interficeretur, à Simone Mago quē deseruerat vnguēto perūct⁹ eiusdē Simonis imaginē omniū oculis referebat, solus Petrus eum qui erat intuebatur, & orās discipulos ad eorū oculos reuocauit, & deluso fātasmate intuentiū obtutib⁹ speciē propriā reddidit. Sed in vita Ioannis Monachi quondā parētes filiā suā operāte dæmone equā esse cernebāt. In Euāgelio quoq; legimus de duobus discipulis cū Christo, pergētibus ac dubitātibus, *quia oculi eorum tenebātur, ne eum agnoscerent*, quod impedimētū in oculis eorum non incongruenter accipimus à Satana fuisse, ne agnosceretur Iesus, sed tamē à Christo facta est permissio vsq; ad Sacramētū panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimētū inimici, vt Christus possit agnosci. Sic & nō mirū si in iudicio, exigēte incredulitate hæsitantiū atque in fide dubitantiū, talia permittat Dominus fieri; qui talē se exhibuit in oculis dubitantiū foris, qualis habebatur apud eos intus: quod factū est in eorū oculis nō veritate fallēte, sed ipsis veritatē percipere nō valētibus, & aliud quā res est opinātibus, sicut & beatus Gregorius de Maria, dicit: *quæ Dominum quærebat, quem resurrexisse minime credebat. Sed quia amabat & dubitabat, videbat & nō agnoscebat, cumque illi & amor ostenderat, & dubietas abscōdebat. Et præfatis duobus discipulis ambulātibus in via, nō quidem credentibus, Dominus apparuit sed eis speciem quā recognoscerent nō ostendit: Hoc ergo egit foras Dominus in oculis corporis, quod apud eos agebatur intus in oculis cordis. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit, sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud eos erat in mente.* Et sanctus Augustinus in libro de doctrina Christiana: *Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominib⁹ ad cōsultationes & pacta quadā significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, aruspicum & augurum libri: Ad hoc genus pertinēt omnes etiā ligaturæ atq; remedia, quæ medicorum quoq; disciplina cōdemnat, siue in præcantationibus siue in quibusdā notis, quas characteres vocāt, siue in quibuscūque rebus suspendēdis atque ligādis, quæ omnia tātum valent, quātum præsumptione animorum, quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt, quæ tamen plena sunt omnia pestifera curiositatis cruciātis sollicitudinem mortifera seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt, sed animaduertendo atq; signādo factum est vt valerent. Et ideo diuersis diuersa proueniunt, secundum cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones & consensiones eius vident.*

Luc. 24.

2. Pet. 5. 1. Ioan. 5. Heb. 11. Matt. 9. Iacob. 1.

Et venerabilis Presbyter Beda in commento libri Samuelis dicit: *Si quem vero mouet quomodo mulier arte dæmonica Prophetam post mortem inquietare, & suscitare potuerit, sciat pro certo, aut falsam tunc vmbram quærentibus ostendisse diabolum, aut si vere Samuel extitit, tantum in his agendis licere Diabolo, quātum Dominus permiserit. Nec mirum pro quibusdam secretioribus causis talia maligno spiritui permitti, cum & Saluatorem constituerit in pinnam templi & Iob petierit acceperitque tentandum. Quod si fantasiam potius immundi spiritus fuisse quod apparuit, credimus, neq; hoc turbare debet quomodo talis vera & Prophetica narrare potuerit. Nouimus enim diabolum multa sæpe futura, quæ ab Angelis sanctis didicerit, præscire vel prædicare posse. sed eo minus illius dictis auscultandum, quo cuncta, quæ loquitur agitue apud homines, seducendi studio facit.* Quod ne eueniat per insidias dæmonū, monente Apostolo, *resistamus diabolo, fortes in fide, quæ vincit mundum: & per quam sancti vicerunt regna*: de qua firmiter credentibus dicitur, *fiat tibi secundum fidem tuam*. Et Apostolus: *postulet autem in fide nihil hæsitans.*

Et si ad probationē fidei nostræ acciderit (vtile est enim, etiā Iustis, tentationū flāmis examinari, vt vel tētati, quia fortes fuerint, appareant, vel cognita per tentationē sua infirmitate, fortiores fieri discant: & sic *cum probati fuerint, accipiant & ipsi coronam vitæ*) de diuinis non causemur iudicijs, quæ interdum occulta sunt, sed nunquam iniusta. Nec mirum videri debet si in huiusmodi iudicio calliditate diabolica fraus quæcumque Deo permittente, interuenit cum & aqua baptismatis in se fidelis (vt Ambrosius dicit) est in aliquibus & aqua mendax. non sanat baptismus perfidorū, nō mundat sed polluit, vnde & secundum decreta Canonū & sancti Innocētij, atque aliorū Pōtificū Romanorum in nomine sanctæ Trinitatis ab hæreticis baptizati per manus impositionē gratiā Spiritus sancti accipiunt, nō autem in sanctæ Trinitatis nomine baptizati baptizari iubentur.

Iacob. 1.

Sed nunquid quoniam fraus reperitur in baptismo hæreticorum, baptisma non probabitur Catholicorum? & si fraus inuenitur in iudicio propter fidem incredulorum, lex purgationis abijcietur à consuetudine credulorum? sicut enim priuata vel fraus publica semper est punienda, ita (vt scriptum legimus.) *consuetudo quæ publicis vtilitatibus non impedit, pro lege est retinenda.*

Quapropter, si & in hoc iudicio per quodcunque ingenium fraudulentia reperitur, duplicata iudicij vl-

tione, siue pro peccati admissione, siue pro infideli illusione, causa in quęstionē ratione docēte reueniat.

Sed & de Sacramēti purgatione in sancti Gregorij Epistola ad Secundinū Episcopū Taurominitanū legimus, quod Leonis Chartolarij fœmina, quę relicto eo pro fornicationis crimine religiosā vestē induerat, ab ipso sibi præstito Sacramēto, quoniā post initū cōniugiū in adulterij culpā lapsus nō fuerit, incōsulto Episcopo ad virū suū redierat, & idcirco cū familia sua excōmunicata: vnde idē sanctus Papa decreuit; *vt mox eius absolueretur familia. Et si manifeste cōstaret quia cōiugi suo eadē fœmina dicere nihil potuerit, sed iusiuper suspicio ipsius per sacramentū fuerit amputata, atque post hoc sua ad eum spōte reuersa, vt & in ea cēsura temperaretur iudicis, nec longo iam tempore priuaretur communione.*

Et itē ad Candidū Abbatem: *Denique vt ad satisfactionē posset omnino sufficere, fecimus vt etiam dato corporaliter Sacramēto firmaret nihil se in fraude versatū, aut aliquid occultasse, sed omnia integra prodidisse, cui rei si quis (quod nō credimus) contrariā adferre quoquo modo tētauerit voluntatē, ille quidē reus se ante Deū esse nouerit, qui nititur ea, quæ vtiliter sunt finita, rescindere: Nā eidē decisioni, trāsactioniq; nihil se derogare cognoscat.* Et ad Præiectā; *Valde (inquit) Ecclesiastica est moderationi cōueniens, vt quæ ordinata fuerint vel decisa, nulla in posterum debeāt refragatione turbari. De qua Sacramēti purgatione sæpe audiuimus, quia plures in eo fraudem facere solent, cum ingenio iurātes, sed potius peierantes: Quia, sicut legimus, ita Sacramentum à Deo diiudicatur, sicut ab eo, cui per id satisfieri solet, in fide recipitur.*

Sed & in eadē Sacramenti purgatione fraus facta, quin potius periuriū factū detegitur, sicut & in iudicio diabolica astutia, & permissione diuina euenire posse à nobis nō denegatur. Et de iuramēto doloso in Regū libris, & Machabæorū, atq; in Propheta de Sacramēto Regis facto infideli, quę nō impune cesserūt, inuenimus, vnde supra nos sufficiēter dixisse putam⁹.

Quarto capitulo nobis petimus recitādari, si hæc causa vnde iudiciū factū audiuimus, & quidē etiā vidimus, in iudiciū fuerit reuocata, qualiter idē debeat Canonice ordinari iudicium, & vtrū de secreta cōfessione (vt dicitur) commissa Episcopis, vel in iudicio porrecto libello eadem fœmina debeat iudicari, vel si acciderit vt eundē libellū coacta porrigat, aut eidē inuita subscribat, si per huiusmodi cōmenta à maritali thoro legaliter valeat remoueri?

Quod & si hoc (vt supra diximus) de quo loquimur iudicio euidētib⁹ indiciis fuerit demōstratū, sicut sanctus Fabianus Papa & Martyr cōstituit, ordinetur iudiciū. *Quoniā* (inquiēs) *in omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, iudices electos, & accusatores, ac defensores, & testes.* Quia sicut Leo scribit ad vniuersos Episcopos per Cæsaream, & Mauritaniam constitutos: *Neminem possumus iudicare, nisi in præsentia positus, aut conuictus, aut certe cōfessus iusta possit subiacere sententia.* Et sanctus Augustinus in libro de pœnitētia, *Plerumq; autē boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ nouerunt, quia documētis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, iudicibus Ecclesiasticis probare nō possunt. Quamuis enim vera sint quædā, non tamē iudici facile credēda sunt, nisi certis indiciis demōstrentur. Nos vero à cōmunione quenquā prohibere nō possumus, quāuis hæc prohibitio nōdū sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut spōte cōfessum, aut in aliquo, siue seculari siue Ecclesiastico iudicio nominatū atq; cōuictū. Quis enim sibi vtrumq; audet adsumere, vt cuiquam ipse sit & accusator & iudex? Huiusmodi regulā etiā hic Paulus breuiter insinuasse intelligitur, cum quibusdā talibus cōmemoratis criminibus, Ecclesiastici iudicis formā ad hæc similia ex quibusdā daret: Ait enim, Scripsi vobis in Epistola nō cōmisceri fornicariis, & reliqua. Et itē: Si quis frater nominatur fornicator, aut idolis seruiens aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi, nec quidē cibum sumere. Sed sciendum est, quia eam nominationē hic Apostolus intelligi voluit, quæ fit in quenquā, cum sententia ordine iudiciario atq; integritate profertur: nā si nominatio sufficit, multi damnādi sunt innocētes, quia sæpe falso in quoquā crimine nominātur. Noluit enim in homine iudicare ex arbitrio suspitionis, vel etiā extraordinarii vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinē Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque cōuictum.* Et in Cōcilio Toletano: *Dignum est vt vita innocētis nō maculetur pernicie accusantium. Ideo quisquis à quolibet criminatur, tā accusatus quā accusator præsententur, atq; legū & Canonū sententia exquirantur, vt si indigna ad accusandū persona inueniatur, ad eius accusationē quisquā non iudicetur nec condemnetur.* Et in * Calcedonensi Concilio: *Quærendum est, in iudicio cuius conuersationis & fidei sit is qui accusat, & is qui accusatur:* Item in eodem: *Testes antē ad testimoniū nō admittēdos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiā quos ipse accusator de domo sua produxerit.* Et sanctus Cornelius Papa & Martyr, beatusq; Fœlix Romanus Pōtifex, & omnes illius sedis Pōtifices decreuerūt, vt caueāt iudices Ecclesiæ; ne absēte eo, cuius causa vētilatur, sētētiā proferāt, quia irrita erit, & etiā rationē pro actione in presētia fratrū dabūt, exceptis designatis causis quas singillatim leges Ecclesiæ exprimūt, sicut & leges publicæ modū certū denomināt, quo absentes iudicio debeāt cōdēnari, id est, vt si tā famosissimū crimen sit, & in crimine famosissima persona, vt neque testes ad conuincendum necessarii habeantur, nec ipsius indigeatur præsentia, sicut Ambrosius in Epistola ad Corinthios dicit: *Iudæis* (inquiēs) *non est sine accusatore damnare, quia & Dominus Iudā, cum fur esset, quia nō est accusatus, minime abiecit: Vt tolleretur de medio vestrū qui hoc opus fecit; cognito opere isto pellendū illum suisse de cœtu fraternitatis. Omnes enim crimen eius sciebāt & non arguebāt: Publice enim nouercā suā loco vxoris habebat, in qua re neq; testibus opus erat, neq; tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen. Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, id est, absens facie, præsens autem auctoritate Spiritus, qui nusquā abest, iam iudicaui vt præsens eum qui hoc admisit.*

Et quoniā alterius est loci & tēporis demōstrare, quib⁹ & quātis aliis modis secundū leges Ecclesiasticas absētes possint & debeant iudicari, quod nūc ad rē pertinet, quodq; Valētina Synod⁹ sequēs Romanā Ecclesiā demonstrauit, in mediū deuocemus, videlicet, *Vt si quis se reum, vel veri confessione, vel mendacio falsitatis pronuntiauerit: neq; enim* (inquit) *absolui potest, qui in seipso dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur; cum omnis qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida est.*

Quod in Ecclesia, nec de secreta confessione, nec per alium potest fieri, quāto minus per Sacerdotes, quibus non licet sibi confessa publicare peccata, nisi per illū ipsū, qui peccatum cōmisit, id quod male egerat fuerit propalatū. De quo etiam prouidere quantū potuerit debet Episcopus, ad cuius hoc curā noscitur pertinere, vt nō errore seductus, aut timore coactus, quisquā mēdaciter in se dicat, vnde vel se, vel Ecclesiā lædat, quia inde etia est decretū, vt extorta cōfessio, vel coacta subscriptio nihil vigoris obtineat, beato Alexandro Martyre glorioso, & post beatum Petrum quarto Apostolicæ sedis Pōtifice iudicante, *Si ab huiusmodi* (inquit) *personis, quod omni est Christiano nomini inimicum, quædam scriptura quoquomodo per metum, aut fraudem aut per vim extorta fuerint, vel ut se liberare possent, quocumque ab eis*

1. Cor. 15.

Con. Tolet. 9. can. 11.

* mil Carthaginensi Carth. 4. can. 96 | Cō. Afric. can. 98.

1. Cor. 5.

Can 4.

3 Epist 1.

conscripta vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium, aut nocumentum prouenire censemus, neque vllam eis infamiam, aut à suis sequestrationem bonis, vnquam auctore Domino, & sanctis Apostolis, eorumque successoribus, sustinere permittimus. Confessio vero in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso attestante qui ait; Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, & cætera quæ sunt ad hæc pertinentia. Et item, *Amplius autem respicit Deus ad cogitationes & spōtaneas volūtates, quā ad actus, qui per simplicitatē, aut per necessitatē fiunt. Confessio vero nō extorqueri debet in talibus, sed potius sponte profiteri. Pessimū est enim de suspicione, aut extorta cōfessione quenquam iudicare, cum magis inspector cordis sit Dominus quam operis, & potius requirat cogitationes puras, & voluntates bonas, quam verba mendacia.*

Math. 15.

C

Talis enim in Ecclesia fieri debet ab illo, qui peccauit, confessio, sicut scriptum est, *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* Prior, inquam, vt & vocem accusatoris diaboli, & faciem Domini in cōfessione præuenias, vt iustificeris, non vt condēneris: quia ipsa etiam Ecclesiastica excommunicatio non æternaliter pœnalis, sed temporalis est atque medicinalis, tantum vt conuertatur peccator ad illum, & viuat, *qui non vult mortem peccatoris*, sed vitam. Et iterum scriptum est, *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis:* Vnde Hieronymus; *Ex malis dubium non est quod damnetur à Deo homo qui ea protulit, iustificari autē ex bonis verbis nullo modo potest, nisi de intimo cordis ea recta intentione proferat. Bona etiā si sint, & non recto studio fuerint prolata, iustificare loquentem non poterūt, sicut nec Caiphas interpretando iustus inuētus est, qui dixit, Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Illa ergo verba iustificant loquentem, qui bona, quæ ore profert, medullitus corde retinet, & sancta intentione profert: in verborum enim pondere operatio consistit vitæ humanæ. quia, vt Salomon ait; Mors & vita in manibus linguæ.*

Esa. 43.

Ezech. 33.

Matth. 12.

Ioan 11.

Et capitulis Augustorum decernitur, *Vt qui timore compulsus seruum se esse extra iudicium dixerit, nullum præiudicium libertatis incurrat, donec iudicio præsentetur, vt libertatem suam, si eam probauerit, præsente iudice obtineat; aut si seruus conuincitur, statim Domino reformetur.*

Prou. 18.

D

Debent nimirum Episcopi videlicet, & iudices animarum magnopère prouidere, & seculi hominibus intimare, ne in accusandi, vel testificandi, aut iudicandi negotio, quasi sub prætextu futuræ confessionis ac pœnitentiæ, suggestio diabolica latenter eis subripiat, dicens non verbo, sed hortamento cuicumque post concupiscentiam cordis sui ire desideranti, *Intende* (inquit Diabolus) *vt compleas quod desideras, ne de eo vincaris quod cœperas, melius tibi est postea pœnitentiam agere, quam victum dehonestari.* Testificantibus autem suggerit, *Ingenium potestis capere, vt ita pareat quod dicitis verum esse.* Iudicibus vero Diabolus sæpe suadet vt dicant, *quomodo possum aliter? Sicut audio iudico:* Vnde audiant, & exaudiant quæ scripta sunt. *Væ vobis qui iustificatis vos coram hominibus; Dominus autem nouit corda vestra. Et si oculus tuus,* id est, intentio tua, *simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Et, *in quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Et, falsus testis non erit impunitus.*

E

Luc. 16.
Matth. 6.
Matth. 7.
Prou. 19.

Et legant quod dicit sanctus Hieronymus in cōmentario Matthæi, *falsus* (inquiens) *testis est, qui nō eodē sensu dicta intelligit quo dicuntur,* quanto magis qui illa dicit quæ dicta non sunt; Et tali cogitationi quam Diabolus siue praue intendentibus siue testificātibus, siue Iudicantibus de obtentu pœnitentiæ proponit (quod idem sanctus Hieronymus in eodem libro dicit) opponant; Ait enim de Iuda, *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principib⁹ Sacerdotum, & senioribus dicens, peccaui tradens sanguinem iustum. Auaritiæ magnitudinem impietatis pondus exclusit. Videns Iudas Dominum adiudicatum morti, pretium retulit Sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum mutare sententiam. Itaque licet mutauerit voluntatem suam, tamen voluntatis primæ exitum non mutauit. Si autem peccauit ille, qui tradidit sanguinem iustum, quanto magis peccauerunt qui emerunt sanguinē iustū, & offerēdo pretiū, ad proditionem discipulum prouocarunt? At illi dixerunt: Quid ad nos; Tu videris. Et proiectis argenteis in tēplo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Nihil profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere nō potuit, si quando sic frater peccat in fratrem, vt emendare valeat quod peccauit, potest ei dimitti: sin autem permanēt opera, frustra voce adsumitur pœnitentia. hoc est quod in Psalmo de eodem infœlicissimo Iuda dicitur: Et oratio eius fiat in peccatum: vt non solum emendare nequiuerit proditionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprij homicidij crimen addiderit.*

Matth. 27.

A

F

B

Psal.

Timeamus omnes hanc veram sententiā, caueamus hanc perniciosissimam erga deceptionem nostram Diabolicæ malignitatis astutiā, qua fraudulenter Diabolus etiam sub pœnitentiæ spe nos deludit, & ex consilio nos in culpa ligat, quod cum ab statu iustitiæ peccando concidimus, plerumque simul & in laqueum desperationis cadimus, & à radice spei funditus euellimur. Hinc est quod per Prophetam Dominus non tam præcipitationum praua, quā delictorum studia reprehendit dicens, *Ne forte egrediatur, vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorū vestrorū.* Hinc iterū iratus dicit, *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum. Quoniam igitur à peccatis alijs* (vt dicit beatus Gregorius) *differunt peccata quæ per cōsilium perpetrantur, non tam Dominus praua facta quam studia prauitatis insequitur: in factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia, in studijs vero malitiosa semper intentione peccatur Et ipse in cathedra pestilentiæ sedet qui tanta iniquitatis elatione extollitur, vt implere malum etiam per consilia conetur.*

C

G

Hier. 4.
Hier. 21.

D

Psal. 1.

Hinc ergo colligant qui in culpa se etiam per cōsilium ligant, qua quandoque vltione feriendi sunt, qui nunc prauorum non socij sed principes fiūt? Cauenda est etiam callidi hostis versutia, qui mentem quam peccato supplantat, cū de ruina sua adflictam respicit, securitatis pestiferæ blanditiis seducit, & ei spes ac securitates vacuas ante oculos vocat, quaten⁹ vtilitatem tristitiæ subtrahat. Modo enim aliorū facta grauiora, modo ei verecundiam de promissione sua quam praue adimplere promiserat, opponit: modo nihil esse quod perpetrarū est: modo misericordem Deū loquitur: modo vtilitatem, vel quodcūq; emolumētum aut gratiæ vel honoris, corruptæ mēti obiicit: modo malum aliud, quod de malo minori excludi potest, ostēdit; modo adhuc tēpus subsequēs ad pœnitentiam pollicetur, vt dum per hæc decepta mens ducitur, à malo cœpto nō reuocetur, & ab intentione pœnitētiæ suspēdatur: quātenus tunc bona nulla percipiat, quā nūc mala nulla cōtristant, & tūc plenius obruatur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. Sæpe etiam speciali malo duplicium corda ingenio artis antiquæ peruertit, vt dum peruersa & duplici actione cæteros fallunt, quasi præstantius cæteris prudentes se esse glorientur. Et quia districtionē retributionis nō considerāt, de dānis suis miseri exultant, de quib⁹ Propheta dicit, *Ecce dies Domini venit magnus & horribilis super omnes ciuitates, & super ōnes angulos excelsos:* quia ira extremi iudicij humana corda & defēsionib⁹ cōtra veritatē clausa

H

E

destruit, & duplicitatib⁹ inuoluta dissoluit.

Attēdāt & accusatores forte innocentiū & testes dolosi, & iudices quod eis dicitur, *Væ his qui cōdunt leges iniquas, scribētes iniustitias*: Et quod per Susannam dicit (Violēta passio inlata ab iniustitia habet vocem suam, sic vt & misericordia, de qua scriptum est, *Absconde eleemosynam*, id est misericordiam, *in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te*) Ait enim violenta passio inlata, sicut diximus ab iniustitia, *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu nosti quoniam falsum testimonium tulerunt aduersum me, & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt aduersum me. Exaudiuit autem Dominus vocem eius.* Et reddidit presbyteris qui erant constituti iudices populi in anno illo, & falsum tulerunt testimonium, iuxta quod malum egerant erga proximum, qui interfecti sunt. Et attēdentes quia multi præsentaliter etiam corpore moriuntur, vt Ananias, & Saphira; & qui communicantes, vt Paulus dicit, non discernunt corpus Domini. Multi autem in corpore viuunt, sed pro actu malo sunt anima mortui, sicut illa de qua scriptum est, *Viuens mortua est*, semper autem anima quæ peccat moritur; & perseuerantes peccantes duplici contritione conterentur, quando ponentur sicut clibanus ignis, & induentur sicut diploide confusione sua, cum perdentur corpore & anima in gehenna. Hæc dicimus non tollentes iusta iudicia, sed tim̄ētes ne iudicemus scientes iniusta, non prohibentes testificari vera, sed refugientes mendacia.

Sed & quia superius, & ex aliorū institutione doctorū sufficienter ordinē diffinitionis de causa vnde agitur ex decretis beati Gregorij demonstrauimus, adhuc non piget ostendere quem modum in inquisitione & diffinitione huiusmodi quęstionis debeamus tenere, Ait enim; Si de causa post initum coniugium agitur, ad Adrianum notarium, *Agathosa (inquiens) latrix præsentium questa est maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Vrbici Abbatis esse conuersum. Quod quia ad eiusdem Abbatis culpam & inuidiam non est dubium pertinere, experientia tua præcipimus, vt diligenti inquisitione discutias, ne forte cum eius voluntate cōuersus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc reppererit, & illum in monasterio permanere prouideat, & hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen propter quod viro licet vxorem relinquere, prædictam mulierem commisisse cognoueris, ne illius conuersio vxoris relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus vt maritum suum illi, vel si iam tonsuratus est, reddere omnino debeas, excusatione cessante: nam excepta fornicationis causa, vxorem relinquere diuina lex nulla ratione concedit, quia postquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere.*

Et quia vna lex viri & vxoris hinc cōstare dignoscitur, demonstrat in Epistola, quam supra posuimus ad Secundinum Episcopum Tauromintanum: *Præsentium (inquiens) portitor Leo Chartularius ad nos veniens indicauit, vxorem suam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementius stimulatā aiebat, atque ob hoc religiosam vestem induerat culpabilē nullatenus extitisse, neque post initum coniugium se fornicationis culpam conlapsum, adijciēs quoque quod eidem vxori sua districtissima sacramenta præbuerit, insontem se ea de re, vnde, illam merdebat suspicio, permansisse, & idcirco propria eam sponte ad se reuersam. Sed quia communione illam cum familia sua pro hoc solo à fraternitate vestra priuatam asserit, quod ad eum clam postpositis vobis redierit, volumus vt familia quidem ipsius sacram cōmunionem recipiat, & Domina eam culpa in huius adflictionis pœna diu non teneat.* De ipsa vero idem: *De vxore prædicti portitoris hoc vos obseruare necesse est, vt si manifeste constat, quia contra coniugē suum dicere nihil potuit, sed insuper suspicio ipsius, præstito (vt edocti sumus) Sacramēto, amputata est, atq; post hoc sua ad eum spōte reuersa est, & in ea quoque ita tēperanda est cēsura iudicij, vt lōgo iā tēpore communione minime priuetur.*

Et quia maritus à coniuge, vel vxor à marito per scripturā secretæ cōfessionis se non possint disiungere, sicut Episcopus ab Ecclesia sibi commissa vel gradu, aut quilibet in ordine Ecclesiastico ab officio se præualet, si voluerit, remouere, sicut auctoritate Ecclesiastica supra studuimus demonstrare.

Neque libello secretæ confessionis porrecto publicæ pœnitentiæ quisquam debet submitti, nec per scripturam directam, vel ab alio porrectam valeat condemnari, sed vnde publice debet iudicari, publice & in præsenti positus debet aut conuinci, aut confiteri. Ad Nicetam Aquileiensem Episcopum scripsit magnus Leo Papa dicens, *In præsenti positus, aut confutatus, aut certo confessus, iustæ potest subiacere sentētiæ: quia cōtrariū est rationi eorū, illos cernere pœnas, quarū non valent noscere causas* Quē etiam ordinē iudicandi demonstrat scriptura diuina dicētibus de criminata accusatoribus in iudicio præparato, *Mittite (inquiunt) ad Susannam filiam Helciæ vxorem Ioachim, & miserunt; Et venit cū parentibus & filijs.* Et post datū testimoniū, *condemnauerunt iudices eam ad mortē*: qua liberata, veritate eam liberante, puniti sunt falsi testes iuxta quod malum in proximū egerant. Sed & deprehēsa in adulterio, oblata corporali præsentia, nō per alienū testimoniū vel scripturam, quod Ecclesiasticæ & Romanæ prohibēt leges, est accusata, cuius etiā cōfessio subinnuitur, cū ei a Domino dicitur, *Nemo te cōdēnauit: & illa, Nemo Domine.* Pilatus quoq; de Domino tanquā latrone cōprehenso atq; ligato, per cohortē, sicut Augustinus dicit, legitimo ordine potestatis seruato, & per ministros Iudæorū, & ab Anna Caiphæ atq; à Caipha in prætoriū sibi transmisso dicit, *Obtulistis mihi hunc hominē.* Quēque audiēs esse de potestate Herodis, remisit eum ad illū, docēs nos de secularib⁹ seculariū Christiana & iusta expectare iudicia, & tunc Ecclesiastica, videlicet medicinalium iudiciorū malagmata, debere infirmis imponere, hoc idē Apostolo demōstrante, quādo adhuc inter infideles cōuersabātur fideles: *Iā delictū est* (inquit) *inter vos quia iudicamini apud extraneos & nō apud fratres. Secularia igitur iudicia si habueritis inter vos, cōtēptibiles qui sunt in Ecclesia cōstituite ad iudicādū.* Vnde Gregorius in regula pastorali, *Vt saltē terrenis negotijs inseruiāt, quos dona spiritualia nō exornāt.* Et Augustin. in Enchiridio, *Cū sunt talia iudicia fieri necessaria, nō vetari, sed apud fideles debere iudicari demōstrat.* Et Ambrosius; *Quia ergo sunt* (inquit) *sapiētes fratres; aliqui horū eligātur ad iudicādum, quorum iudicium veretur mūdus: magnus enim pudor est, si inter eos qui dicūtur Deū cognouisse, nō inuenitur qui examinare possit iudiciū. Quomodo enim homicida pœnitens pacē sumet Ecclesiæ, antequā cū litigātibus pacificetur? Quomodo indulgētiā accipere poterit discors, antequā charitatis glutino vniatur? Quomodo rapax dignos pœnitētiæ fructus aget, antequam iuxta Dauid iudicium, & Zachæi exēplum, aut emēdando, aut satisfaciēdo, placationis hostiā offerat, qui rapinis crudeliter insudauit? Vel quomodo soluetur coniugiū nisi decernentibus Christianis legibus, quibus fuerat auctore Domino copulatū, vel quia non iuste, sed magis vsurpatū contra Christianas leges fuerat, extiterit demōstratū?* Et quomodo ordinabiliter fieri poterit, nisi legibus humanis ab eo inspiratis, per quem cōditores legū iusta decernunt? Vnde sanctus Gela-

sius ad Anastasium Imperatorem: *Si* (inquit) *quantum ad ordinem publicam pertinet disciplina, cognoscens Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites, ne vel rebus mundanis exclusi videantur obuiare sententia, quo, oro, te decet affectu, & eis te conuenit obedire qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?* vt alibi scriptum est relegentes: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo:* Cæsari quidem nummum, tributum, & pecuniam, honorem debitum, quandiu ipse Dominum fideliter honorauerit, & vectigal: Deo quidem decimas, primitias, oblationes, ac victimas, atque continuam seruitutem; quomodo & ipse reddidit tributa pro se & Petro, & Deo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem. Et sanctus Augustinus in Sermone VI. Euangelij Ioannis: *Noli* (inquit) *dicere quid mihi & Regi? quid tibi ergo & possessioni? per iura Regum possidentur possessiones:* Sic & per legalia iudicia, iusta, quoniam Christiana; secularium negotiorum dirimendæ sunt quæstiones. Et de libello, vel secreta confessione idem decernit Leo inquiens vniuersis Episcopis per Campaniam, Samnium, & Picænum salutem: *Magna indignatione commoueor, & dolore multo contristor, quod quosdam ex vobis comperi Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris* interritos.* Et post aliquanta: *De pœnitentia scilicet quæ à fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare, remoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possunt legum constitutione percelli: sufficit enim illa confessio quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedat. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Hinc colligant quique, si Canones sacri iubent excommunicare Episcopum, quandiu non communicauerit illi, quem sibi dicit crimen secrete fuisse confessum, vtrum debeat, aut audeat aliquis de secreta confessione, siue per libellum, siue per verbum credita, quæcunque publicæ pœnitentiæ legibus subdere, quanto minus coniugium legaliter initum sine certa & manifesta ratione dissoluere? cum idem Leo ad omnes Episc. per vniuersas Prouincias constitutos terribiliter intonet dicens: *Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.*

Quinto capitulo; nobis rescribite ex auctoritate scripturarum, & traditione Patrum, de stupro, atque aborsu quæ scripta continentur cum auctorum nominibus & designatione librorum, vt scire possimus*, vtrum tali modo (sicut dicitur) fœmina possit concipere, & post aborsum virgo valeat permanere; sicut de ista dicitur accidisse: & si deprehensa fuerit hæc ante coniugium crimina [illegible] peccasse, vtrum in coniugio debeat aut valeat permanere.

De stupro denique & aborsu, quæ sæpe dictæ obiecta fuisse audiuimus mulieri, ne secundum coniecturam humani arbitrij decernentes, æquissimum iudicem offendamus, ad sanctarum scripturarum paginas recurramus: Ait enim liber Deuteronomij: *Si duxerit vir vxorem, & postea eam odio habuerit, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam obijciens ei nomen pessimum, & dixerit; vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni illam virginem; tollent eam pater & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in porta sunt, & dicet pater, Filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit imponit ei nomen pessimum, vt dicat, Non inueni filiam tuam virginem, Et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Et expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis, apprehendentque seniores vrbis illius virum, & verberabunt illum condemnantes insuper centum siclis argenti quos dabit puellæ, quoniam diffamauit nomen pessimum super virginem Israel, habebitque eam vxorem, & non poterit dimittere eam omni tempore vitæ suæ. Quod si verum est quod obiecit, & non est inuenta in puella virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri ciuitatis eius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de medio tui.* Et de incesto in Leuitico scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat vt reuelet turpitudinem eius, Ego Dominus: Turpitudinem sororis tuæ ex patre siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, non reuelabis.* Et item: *Omnis anima quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de populo suo.* Et item; *Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt, occidentur in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo reuelauerint, & portabunt iniquitatem suam.* Vnde sanctus Augustinus; *Quid ait in hoc loco, viderit, nisi concumbendo cognouerit sicut alibi in lege dicitur, Cognouit vxorem suam, pro eo quod est, mixtus est ei. Et quid ait peccatum suum accipient, nisi quia pœnam peccati peccatum voluit appellari.* Et quia necessitate coacti (sicut & Apostolus, qui quodam loco de quibusdam dixit: *Quæ in occulto agunt, turpe est etiam dicere,* constrictus necessitate, apertissime ad Romanos redarguit masculos in masculos turpitudinem operantes, & fœminas naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam mutantes) velimus nolimus, timentes comminationem dicentis Domini, vt supra longe præmisimus; *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc erubescet filius hominis coram Angelis Dei;* adhuc ponemus in hac causa de libro Geneseos: *Introiens* (inquit) *Onan filius Iudæ filij Iacob Patriarchæ ad vxorem fratris sui Her primogeniti Iudæ, qui fuit nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est, semen fundebat in terram, & idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Et scriptum est in libro Leuitici; *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterque operatus est nefas morte moriantur.*

Vnde & leges Romanæ decernunt in capitulis de stupratoribus, quod legens quisque inueniet. Et si de masculo cum masculo ita decernitur, quam aduersionem leges inuenient de masculo & fratre cum sorore ex concubitu masculi Sodomitano? Sanctus nihilominus Augustinus in libro secundo ad Valerium Comitem de nuptijs & concupiscentia scribit: *Quod autem ait* (inquiens) *Apostolus de improbis, relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desideria sua inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes; non dixit vsum coniugalem, sed naturalem, eum volens intelligi qui fit membris ad hoc creatis, vt per ea possit ad generandum sexus vterque misceri: Ac per hoc, cum eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est vsus, nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Ab ea vero parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si & coniuge quisque vtatur, contra naturam est & flagitiosum. Denique prius idem Apostolus de fœminis dixit: Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam. Deinde masculis in masculos turpitudinem operantibus relicto vsu fœminæ naturali, non de isto nomine, id est, naturali, coniugalis est laudata commixtio, sed immundiora & sceleratiora flagitia denotata sunt, quam si illicite fœminis sed tamen naturaliter vterentur.* Et item in libro de bono coniugali: *Cum vero* (inquit) *vir membro mulieris non ad hoc concesso vti voluerit, turpior est vxor si in se*

quam si in alia fieri permiseris. Et in secundo libro de adulterinis coniugijs, Si autem se non continet, licito vtatur, ne turpiter generet, aut turpius concumbendo nō generet; quamquam hoc, quod vltimū dixi, nonnulli faciāt, etiam licite coniugati; illicite namq; & turpiter etiā cum legitima vxore concumbitur, quod faciebat Onan filius Iudæ, & occidit illum propter hoc Dominus. Sic etiam interdū & solo visu cum turpiter vel innupta cōcupiscitur, adulteriū perpetratur, quod tamē plerūque (vt sanctus Gregorius in libro Moralium XXI. dicit) ex loco vel ordine cōcupiscentis discernitur, quia sic hunc in sacro ordine studiosa cōcupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. Et in Epistola ad Sabinū Subdiaconū regionariū; Cum plerunque (inquit) (quod in laicis culpa est, hoc crimē sit in sacro ordine constitutis, quanta in eis districtione puniendū sit peculiare flagitiū, qui zelo rectitudinis viuere non ignorat. Et item in præfato libro: In personis tamē non dissimilib' iisdem luxuria distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, quia ab adulterij reatu discernitur, prædicatoris egregij lingua testatur. qui inter cetera asserit dicēs; Neque fornicarii, neque idolis seruiētes, neque adulteri regnū Dei possidebunt. Quod enim desiūcte reatu sentētia subdidit, quoniam valde à se dissideat, ostēdit. Et Augustinus in libro de bono cōiugii: Malū est fornicatio, peius adulterium, peius est enim alienū matrimoniū violare, quam meretrici adhærere, Et peior est incestus, quia peius est cū matre, quam cum aliena vxore concumbere. & semper de malo ad peius, donec ad ea perueniatur, quæ (sicut ait Apostolus) turpe est etiam dicere. Et sanctus Ambrosius in libro de Abraham, Offerebat sanctus Loth filiarum pudorem: nam et si illa quoq; flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundū naturā coire quam aduersū naturā delinquere. Et item in Epistola ad Corinthios: Si tamē apostatet vir, aut vsum quærat vxoris inuertere nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum: nec ad exaggerationē criminis collecta sunt, vt hinc eo. ligatur quantū mali sit fratris cum sorore incestus, etiam cōcubitu masculi Sodomitanus, si forte causa ita se habet, quæ vtrinque per se perpetrarat, horribili morte, Domino præcipiēte, mulctatur: Et eorū assertio oefandissima destruatur, qui asserūt nō esse scelus Sodomitanū nisi quādo intra corpus, id est, in mēbro obscenæ partis corporeæ, videlicet intra aqualiculū fornicatur, male & improprie testimonio abutētes Apostoli: Omne peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat: Sed talis est (vt aiunt) huiusmodi pollutio, ac si de digito suo fricet quis lutū per manum suam, vel inter femina sua, & ex eodē luto manū suam abluat; similiter & hæc fœmina post balneū ab hac pollutione lota penitus extitit. Qui hæc dicūt, non Catholici, sed Cynici, id est, propter impudentiā, canini hæretici sūt habēdi, sicut sanctus Hieronymus in Epistola ad Ephesios demōstrat exponēs sententiā Apostoli qua dicit: Fornicatio autē, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Nisi (inquiens) philosophorum quidā Cynicus extitisset qui doceret omnē istillationē carnis, & fluxum seminis ex qualicunq; attritu tactuq; venientē, in tēpore non vitādum, & nōnulli sapiētes seculi in hanc turpē, & erubescēdam hæresim cōsensissent, nunquā sanctus Apostolus scribens ad Ephesios ad fornicationē etiā omnem immunditiā copulasset, sicut decet (inquit) sanctos: ex quo sanctus nō potest appellari quicunq; extra fornicationem in aliqua immunditia & auaritia voluptatum, quibus se delectauerit, inuenitur. Hoc enim scitote (inquit Apostolus) quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, nō habet hæreditatē in regno Christi & Dei. Et supra in libro II. Qui desperantes semetipsos tradiderūt impudicitiæ in operationē immunditiæ: Omnes in auaritia desperantes, se (inquit) in ritum irrationabilium bestiarum cœno voraginiq; mergētes, tradiderunt impudicitiæ atque luxuriæ, operantes quicquid corpus voluerit, mens desiderauerit, libido suggesserit; & cum nihil omnino prætermiserint quod immundum sit, hoc totum fecere in auaritia, dum nunquam luxuriando satiantur, nec eorum terminum habet voluptas, aut certe vltra cōcessā viri ad fœminam coniunctionem, ad maiora cōscendunt, masculi in masculos turpitudinem operantes. Turpitudo enim est (vt idē Doctor in tertio tomo eiusdem Epistolæ exponit) abscondita cogitatio, cum inflammatur sensus ad libidinem, & carnis titillationibus anima ignita succenditur, & nihilominus Dei timore mentis iudicio refrenatur. Vnde constat, quia sicut idē dicit Apostolus ad Romanos, cum masculi in masculos, vel fœminæ in fœminas, siue masculi in fœminas vel quilibet per seipsos modo quolibet turpitudinē operātur, immūditia est, quæ separat operantē à regno Dei, & in inferna demergit, sicut idē dicit Apostolus: Omnis fornicator, aut immundus, nō habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Vnde & Isidorus in secūdo libro sententiarū dicit: Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamuis quisq; diuersa turpitudinis voluptate prostituatur: ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia quibus regnum Dei clauditur, & homo à Deo separatur. Et sāctus Prosper in libro de virtutib' & vitiis: Hinc est quod ille corporis fluxus qui fit in dormientib' sine culpa, interdum vigilantib' cōtingat ex culpa: ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur: hic turpiter cōcupiscētia publicatur. Sed hæc cōcupiscentia illis vigilantib' hunc elicit fluxum, quib' per fœda cōloquia sordidum cōmonet appetitum. Hunc sordidū appetitū habēt etiā fœminæ, vt exponēs Apostolū dicit Ambrosius: In fœminas turpitudinem operantes, quæ carnem ad carnem, nō autem genitale carnis membrum intra carnem alterius, fallunt prohibente natura, mittunt. sed naturalem huiusce partis corporeæ vsum in eum vsum, qui est contra naturam, commutant: quæ dicuntur quasdam machinas diabolicæ operationis, nihilominus ad exæstuandam libidinem, operari, & tamen fornicātes in corpus suum peccant; similiter & masculi in masculos turpitudinem operantes, id est, ardorem libidinis euaporantes, & voluptatem carnis, qua se delectāt, explentes, qui ab Apostolo masculorum cōcubitores appellantur, & mōlles, qui huic turpitudini voluptuose succumbunt; sed & qui tollit membra Christi faciat membra meretricis, adhærens meretrici cum qua vnum corpus efficitur. Et qui cū Deo sacrata, vel cū cognata, & cum ea quam cognatus habuit, vel cum vxore alterius, aut cū pecore, seu cū fœmina cōtra naturā flagitiose peccat, vel qui semetipsū, per se manu, vel alio quolibet modo, polluit, ardorē libidinis explēs, fornicatur, & tāto dānabilius, & inde in pœnis grauius, si digne nō pœnituerit, tormentand', quāto quisq; cōtra naturā sceleratius in corpus suū peccat: quia vt sāctus Augustinus, & cæteri doctores exponūt: in expletione fornicationis ita cum corpore & mens carnalis penitus absorbetur, vt nihil aliud tunc vel cogitare prævaleat: Et peccatū hoc nō tantū cōtingit, quātū possidet polluēdo corpus, & animā, de quo cū pertransit actus, adeo manet reatus, vt & inter ipsius pœnitētiæ gemitus stimuli pristinæ delectationis miserabiliter soleāt excitari, & taliū omniū facinorū patratores, sicut testatur Apostolus, excludūtur à regno Dei, nisi antequam de corpore exeant, per luctuosā confessionē & profusas lachrymas, atque eleemosynarū largitionē, dignosque pœnitētiæ fructus, cū multa afflictione carnis, & contritione spiritus tantorum abluere studuerint maculas criminū. Nemo igitur dicat nō perpetrare eū peccatū Sodomitanū, qui cōtra naturā in masculū vel in fœminā turpitudinē operatur, & attritu, vel attactu, seu motu impudico ex deliberatione & studio immūdus efficitur qui (vt docet Apostolus) à regno Dei excluditur, cū alia etiam peccata contra iura naturæ vsurpata Sodomæ reputare Sodomitica appellētur, dicēte ad ciui-

pellatur, & nō persona quæ iudicatur præsēs est & districtissime atque ab omni latere veritas quæritur, vt tunc si debeat necne manere sententia, decernatur? Et ideo postquam & persona absens est, & gesta quæ ad nos trāsmisistis, nobis sicut præfati sumus, idonee satis facere nō videntur, temere aliquid de fratris persona decernere nec debemus, nec possumus, ne (quod absit) reprehensibiles inueniamur in nostris, quibus aliorum iure competit retractare sentētias.

Et ad Virgilium Arelatensem Episcopum dicit, *Emēdatio & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falsa opinio non affligat.* Et ad Columbum Episcopum scribit, *Quia satis peruersum, & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, vt frustra pro quorundam voluntatibus quis priuetur, quem sua culpa vel facinus ab officij, quo fungitur, gradu non deijcit.* Hinc ergo colligant iudices, quia de stupro fœmina reputatur, isdem qui et vim intulit, vel eam ad scelus pellexit, accersiendus est, & magis per illum causa inuestiganda, & ipse inuehendus, atque secundum legem examinandos est, & vel legali iudicio liberandus vel puniendus est, præsertim cum (sicut audiuimus) parētum loco ipse eam legaliter marito tradiderit, quem, secundum Domini per Moysen præceptum, oportet, etiam si virgo in coitu primo inuenta non est, aut indicia certæ virginitatis ostendere, aut obiectionibus stupri concredere, ne forte eos qui iuste iudicare cupiūt, quæcumque suspicio mordeat, & qui potius student & valent alienis detrahere, quam sua statuere, locum derogandi inueniant, dicentes; Fœmina in custodia minis & afflictionibus perterrita, nihil aliud nisi quod ei iubetur audet, aot valet dicere. Veniat ille qui in sua libertate est, & legaliter, aut quod ei impingitur, defendens, liberetur, aut illis de quibus reputatur, quoniam non solum particeps, sed etiam auctor & executor criminis est, concredens, legaliter puniatur: & aut in liberatione illius ista, quę in custodia est. & propter timorē super se mendaciū dicit legaliter liberetur, aut in punitione illius legaliter puniatur, sicut in primo libro legis Romanæ capitulo VI. de stupratoribus; & in capitulo VII. de incestis & turpib. nuptiis præcipitur, & in cęteris, quæ Christiana iura depromunt, iusti Iudices legere possūt: iniostom est enim oppressā iterum opprimi, & opprimentem de libertate sceleris gloriari, quod valde sanctus Gregorius ad Goduinum Neapolitanum Ducem & inmianissime detestatur, dicens, *Satis mirati sumus quod in milite illo, qui ancillā Dei diabolica instigatione perdidit, districtissima vindicta hactenus facta nō fuerit: Nam moribus & bonitate vestra cōueniēs fuit, vt ante ad nos vltio, quā perpetrata culpa iniquitas perueniret. Hortamur, vt sine excusatione aliqua, vel modo, qualis vobis feruor sit erga charitatis custodiā demōstrātes, ita exemplo aliorum districte emēdare tantū facinus festinetis, vt Deum vobis, in cuius ille hoc iniuria perpetrauit, timore eius neglecto, despexit, placabilem faciatis. nam tantā iniquitatem inultam remanere nullo modo patimur, & terræ principes nō surda aure debent audire quod dicitur; Anathema in medio tui, non poteris stare coram inimicis tuis.* Et item sāctus Gregorius ad Siagrium scribit Episcopum, *Quia satis noxiū atque perniciosū est, vt imitatione praue agētis destruātur, qui de punitione illius ædificari bene debuerant, in qua re non solū ille culpabilis sed etiam qui non restiterit inuenitur; Nam consētire videtur erranti, qui corrigēda, vt resecari debeant, non cōcurrerit.*

Ios. 7.

Et nemo dicat, tam peruersus homo non ad iudiciū vocādus, sed quasi iam iudicatus, dānandus est: Audiat qnod in Euangelio Ioannis scriptum est dixisse Nicodemum ad Principes Iudeorum de IESV qoem ante iudicium comprehendere rogauerunt, scriptum est enim. *Nicodemus tamen vnus ex Pharisæis, qui ad Dominū nocte venerat, respondit Iudæis; Nunquid lex nostra iudicat hominē, nisi audierit ab ipso prius, & cognouerit quid faciat?* Et Dominus, *Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate.* Et sanctus Gregorius ad Sabinum subdiaconum de Presbytero, qui Sodomiæ nefario scelere. & idololatria denotabatur, scribit, *Quorundam* (inquiens) *relatione perlatum est, quia Sisinnius Regitanæ ciuitatis presbyter* (*quod auditu ipso intolerabile nimis est*) *Idolorum venerator ac cultor sit, adeo vt in domo sua aliquod Idolum positum habere præsumeret, sed & quod non dissimile nefas est, Sodomiæ illum scelere maculatum: & ideo quia tanti facinoris iniquitas districta ac subtili inuestigatione quærenda atque plectenda est, hac tibi auctoritate præcipimus, vt vigilanti studio, & diligenti omnino cura perquiras. Et si qua indicia adprehendere huius rei potueris, eum in custodia districta, quo vsque nobis renuncies, redigas, vt qualiter immanissimum facinus discuti debeat ac puniri, deliberare possimus.* Et si quis dixerit, non audet isdem peruersus homo ad rationem venire, audiatur consilium sancti Gregorij de Frontinianistis hæreticis, qoi ad rationem deducendam aliter adduci non poterant, quod scribit ad Maximianum Salonitanum Episcopum, *De Frontinianistis* (inquiēs) *fraternitas tua sit omnino sollicita, vt sicut cœpit studeat, quatenus ad sinum sanctæ Ecclesiæ reuocentur. Si qui vero ad me venire voluerint, & rationem recipere, prius iusiurandum præbeant, ac promittant quod in eorum errore etiam ratione recepta non persistant, & postmodum eis tua sanctitas promittat, quia à me nullam violentiam patiantur, sed rationem reddo, si veritatem cognouerint, suscipiant, si non cognouerint, illesos dimitto. Si qui vero contra vos sine iuramento ex eis ad nos venire voluerint, minime eos fraternitas tua retineat, quia venientes, aut rationem recipient, aut scito quia terram illam vlterius non videbunt.* Et in Carthaginensi Concilio scriptum est, (inquit) *vt accusatus, vel accusator in eo loco vnde ille est qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes perducere vbi causa finiatur.* Et si quis dixerit, adduci non potest ad iudicium, quia fultus aliorum patrocinio Regum rebellionē tenet contra Regem, qui pro hoc crimine, & etiam pro aliis eum vellet in iudicium mittere si posset, illam quam habet ad iudicium ducit. Ante oculos habeant Domini nostri Reges veridicam sententiam Regis Regum, qui est veritas & iudex viuorum ac mortuorum, qua dicit Regi auxilium præstanti contra iustitiam, *Impio* (inquiens) *præbes auxilium & his qui oderunt me amicitia iungeris, idcirco iram quidem Domini*, id est mortem, *merebaris. sed bona opera inuenta sunt in te.* Propterea timeant Reges qui talibus hominibus iniuste patrociniū præbent, de quorum tuitione Deum offendere possint, & Ecclesiæ ac pauperes Christi, & humiliores homines opprunūtur & deuastantur, & iusta iudicia exerceri oon possunt, ne forte si tanta & talia bona propria non habuerint, quæ tanto malo possint obsistere, sine vllo obstaculo pereant aut bona quæ habeot pro alieno malo, cuius fiunt participes, ante Dei oculos perditi fiant, licet humano iudicio & corpore sani pateant, sed & ne sententiam scripturæ incurrant, qua dicitur, *Perit iustus pro impio.* Et ne aliquis eis peruerse interpretetur sententiam Deuteronomii, *Non tradas seruum Domino suo, qui ad te confugerit, habitabit tecum in loco qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requiescet, nec contristes eum:* Audiant quomodo illam beatus Augustinus exponat, *Septuaginta* (inquit) *dicunt; Non trades puerum Domino suo, qui appositus est tibi à Domino suo. Nunquid enim Dominus apposuerit, id est cōmendauerit? Potius enim depositum diceret, sed appositum dixerit à Domino suo, id est, adiunctum, cum ab illo abscessisset. Nō ergo suscipi sed reddi potius prohibuit fugitiuos; hoc quidē putari potest iniustū, nisi intelligamus gēti & populo ista dici, nō vni homini: sed ex alia itaq; gēte refu-*

Can 03.

Paral 19.

Deut 23.

quod vt seculi pauperiores non obtinent per deprecatam præstationem, immo & sibi auferunt, & locis sanctis non tribuunt; & vnde sibi debuerant operari remedium, perpetrant sacrilegium & si sacrilegium perpetrant de suis non bene datis, considerandum est quantum sibi periculum faciunt, de rebus ab aliis Deo donatis, & à se contra Deum & ipsi Deo ablatis. Vnde Sanctus Gregorius in Epistola ad Sabinum Subdiaconum scribens: *Sacrilegum (inquit) & contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, praua voluntatis studio, suis tentauerit compendiis retinere.* Et sacri Canones: *Clerici (inquiunt) vel seculares qui oblationes parentum aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donauerunt Ecclesiis vel Monasteriis crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.* Quapropter sciant quia cũ peccatis propriis, qui easdẽ res pro redemptione animæ suæ dederunt, in futuro iudicio punientur: Et non postponãt qui forte confirmant inconsulte quod fidelibus vel amicis suis donant, & sine iudicio auferunt, quãdo quæ dedederant ad memoriã pœnitendo reducũt, non attendentes quia illi vadunt de seculo, cum exit de corpore anima, & remanet in seculo retta, & tenetur à vacuo possessore rerum illarũ cõfirmationis regiæ carta, & cum suspirant corda, prouocantur ad maledicendũ fortassis non sine peccati pondere labia: cum vtrumq; prouidendum erat, ne videlicet inconsulte quiddam Rex daret, nec, sine iudicio cuiquam æquitatis quiddam auferret, neue post iudicium de ablatis carta indisrupta maneret: scriptum est enim: *Memoria iusti cum laudibus: nomen autem impiorum putrescet.* Melius itaque & rationabilius esset, vt per rationem disrupta carta putresceret, & laus æquitatis eorum maneret, quam carta confirmationis maneret, & nomen laudis putresceret. Sed forte hæc legentes vel audientes principes dicent: *Bene nos castigauerunt Episcopi: nihil præcepta dinabimus, ne iterum reprehendamur.* E contra audiant quid voce castigantium Propheta conqueritur dicens: *Curauimus Babylonem, & non est sanata:* Babylon quippe curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur, Quando mens in praua actione confusa verba correptionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redire contemnit, Et per Sapientiam: *Sicut acetum (inquit) in nitro, ita qui cantat carmina cordi pessimo.* Cum acetum in nitro mittitur, efferuescit protinus & ebullit, sic plerumque & corda potentium, qui de potentia tument & non se de humanitate humiliant, veluti Abraham Domino dixit humilians se de exaltatione collocutionis eius, *Loquar ad Dominum meum cum sim cinis & puluis.* Quando correptionem castigantis missi Domini audiunt, ex timore cordis in verba contradictionis erumpunt. Dare sanctis locis vel fidelibus viris non vetuerunt Episcopi, cantantes omnibus: *Vouete & reddite Domino Deo vestro.* Et, *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit.* Et, *Non facias quod iniquum est, neque iniuste iudicabis.* Et, *Iuste iudica proximo tuo.* Sicut non vult Princeps sibi tolli à fortiore suo quod Deus illi concessit, ita & ipse nõ sine æquitatis iudicio auferat à quoquam vel quod dedit, vel quod non dedit; quia scriptum est, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Sed potius etiam prædicauerunt Episcopi: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et, *Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec locus, nec ratio est apud inferos, quo tu properas.* Et sicut ista quæ vtilia & honesta sunt prædicauerunt Episcopi, ita nihilominus prædicant vt turpem notam regio nomini Rex à se festinet abscondere, & quantũ potest abluere, & per singulos dies, & per singulos actus, memor sententiæ Deuteronomij dicentis, *Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ gerens paxillum in balteo: Cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies quo releuatus es [Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos] vt sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Naturæ quippe corruptibilis pondere prægrauati à mentis nostræ vtero quædam cogitationum superflua, & ab actionis nostræ opere tegimini indigna, quasi ventris grauamina erumpunt, & portare sub balteo paxillum debemus, qui rectores in populo sumus, vt videlicet ad reprehendentes nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum cõpunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostræ dolore pœnitentiæ confodiat, & hoc, quod à nobis fœtidum erumpit, abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cum mentis nostræ superfluitas, vel operationis nostræ reprehensibilis fœditas subtili redargutione discussa, & honesta operatione correcta, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum & correctionis bonum celatur. Perpendendum est etiam quia antiqui Reges, & Imperatores suis legibus statuerunt, vt carta confirmationis quinque, vel septem, aut decem, vt scribit Ambrosius, testibus roborata constaret; sed & iure ciuili in conscriptione cartarum condicionalis constitutio ponitur, quo dispendio, qui eandem cartam infringere tentauerit, fisco multetur, & accusator accusationis scripturæ subscribens, se à conditione mutare non poterit. De sua autem confirmatione nihil scripserunt, quia Principis manus (sicut de Dauid in Regum libro dictum legimus) pro decem millibus computantur. Et Rex à Deo vel ad gratiam, vel propter peccata populi constitutus ab ipso Rege Regum de suis vel iustis actibus coronabitur, vel iniustis iudiciis & iniquis actionibus æquitatis iudicio iudicatus multabitur. Inseruerunt etiam in eisdem legibus ad legem Corneliam testamentariam, de his, qui testamentum quodue aliud instrumentum falsum sciens, dolo malo scripserit, suppresserit, admouerit, designauerit, deleuerit, honestiorem quidem in Insulam deportari: humiliorem autem in metallum damnari aut in crucem leuari, seruum vero capite puniri: Et (vt beatus Augustinus commemorat in Ioannis Euangelistæ commento) *Iuris forensis est, vt qui in precibus mentitus fuerit principi, non illi prosit rescriptum quod impetrauerit, immo etiam careat ipso beneficio scripti, quo scriptum perduxerit.* De confirmationis autem suæ scriptura nihil dixerunt, quia quod firmauerunt, infringere nefas duxerunt, sicut in libro Hesther legitur, quantam valitudinem annuli Regis habeat signatio, quantam cautelam signi illius vacuatio, quanto magis Regiæ manus subscriptio, Et ne perfunctorie ducere debet Regia dignitas quod in suis præceptis scribitur: *Et vt hoc* [inquit] *nostræ auctoritatis præceptum pleniorẽ in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem: & data illo, vel illo anno in Dei nomine feliciter*, ne quod *in Dei nomine feliciter* confirmatur, sine Dei, id est, sine veritatis iudicio infeliciter effœtetur: quia scriptum est: *Non polluas nomen Domini Dei tui*, Et, *non accipias nomen Domini Dei tui in vanum*: Legant quoq; Paulum, & expositores ipsius Apostoli, quam pro magno sit dictum quod scripsit idem diuinus Apostolus in suis Epistolis: *Videte quales litteras mea scripsi manu*: Et item: *Salutatio mea manu Pauli.* Vnde Reges qui subscriptione manus suæ à se data, vel priuilegia sanctorum cum anathematismo manibus roborata confirmant, & illa postea conseruare paruipendunt, siue detrectant, quasi anathematis vinculo non teneantur obstricti, sententiam Beati Gregorij ex Epistola ad Theoctistam patriciam audiant: *Ipsi (inquiens) sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionẽ sancta Ecclesia, quã præstat fidelibus veram putant, si ligaturam eius valere*

non aestimant: & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Si qui sunt igitur qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, eos & ego, & omnes Catholici Episcopi atque vniuersa Ecclesia anathematizamus. Hæc dicimus, vt secundum rationem & legis ordinem cuncta agant regni principes, & Ecclesiæ sanctæ rectores, sed & cum æquitatis iudicio supra scripta causa diffiniatur: ordinem autem constituendi iudicium si Hucbertus pro hac causa ad audientiam, & de ciuili iniudicatus ad Ecclesiasticum iudicium venerit, isdem beatus Gregorius in commonitorio ad Ioannem Defensorem euntem in Hispanias descripsit, dicens: *Primum vt sic ordinabiliter fiat, quatenus alij sint accusatores, & alij testes. Deinde causæ qualitas exploretur, si digna exilio vel condemnatione sit, & vt eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium proferatur, seu scripta actuum inseratur: & vt ipse licentiam respondendi & defendendi se habeat. Sed & de personis accusantium, ac testificantium subtiliter erit quærendum, cuius conditionis, cuiusue opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra eum inimicitias habeant: & vtrum testimonium ex auditu dixerint, aut certè specialiter se scire testificati fuerint, & vt scriptis iudicatum sit, & sic partibus præsentibus sententia recitetur, & ita hæc omnia solemniter roborentur.*

Cæterum si fœmina ante initum coniugium de scelere cum fratre suo culpabilis inuenitur, ponendum duximus instar iudicij de Epistola eiusdem sancti Gregorij ad Ioannem Episcopum Panormitanum de quadam fœmina, quam aliquis homo, antequam Diaconus ordinaretur, reliquit, & post mutatam vestem quidam marito tradiderit, ait enim, *Quia sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda semper est veritas, vt inquiri debeat, vtrum accusatum noxa condemnet, an à pœna innocentia patefacta subducat. Itaque peruenit ad nos, Fantinum defensorem vltionem exercere in Petro latore præsentium voluisse, pro eo quod (quantum dicitur) relictam cuiusdam Diaconi, tempore quo conductor fuit, marito tradiderit. Sed quoniam iste coniugem Diaconi asserit non fuisse, dicens, nec virginem illam ad eum venisse: Denique vt nec religiosam vestem mutare præsumeret, postquam ille in ordine sacro promotus est, adijciens, & priusquam ad Diaconem veniret, & postea, prauâ illam opinione vixisse. Idcirque fraternitatem tuam hortamur affatibus, vt cum Dei (sicut decet) timore causam hanc subtili omnino inuestigatione perquirat, & si in coniugio Diaconi mulierem, de qua agitur, fuisse constiterit, & supra scriptus lator memorato defensori & rectori patrimonij ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione, hi, qui male sociati sunt, disiungantur.* Hæc de sancti Gregorij verbis excerpsimus.

Et sicut supra de beati Augustini verbis posuimus: *Quoniam quod agebat in lege veteri, vel etiam quod nunc agit in republica legibus interfectio, hoc operatur in Ecclesia excommunicatio, & ab Ecclesia separatio,* si de legibus publicis quæcumque fœmina huiusmodi sceleribus (sicut præmissum est) irretita euadens forense iudicium, ad Episcopale iudicium venerit, secundum sacrũ Ancyranum Concilium, de his qui fornicantur irrationabiliter, id est, cum masculis vel pecoribus, & de illis mulieribus quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum vt vtero conceptos excutiant, inter eos orare (vt videtur nobis) præcipietur, qui spiritu periclitantur immundo, & per districtam decennalem pœnitentiam castigata vsque ad vitæ finem dignis pœnitentiæ fructibus incumbere, reseruato sibi pro Ecclesiastica pietate, si mortis metus ingruerit, viatico munere, iudicabitur segregata non solum à toro regio, verum etiam ab omni coniugali consortio, secundum decreta beati Gregorij Papæ ad Felicem Siciliensem Episcopum, quibus dicit, *Progeniem* (inquiens) *suam vnumquemque de his, qui fideliter edocti, etiam firma radice plantati stant inconuulsi, vsque ad septimam obseruare decernimus generationem, & quamdiu se cognoscunt affinitate propinquos, ad huiusmodi copulæ non accedere societatem, nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita copulatione maculauit, in coniugium ducere vlli profecto Christianorum licet vel licebit, quia incestuosum est tale coitum, & abominabile Deo & cunctis hominibus.*

Incestuosos vero nullo coniugij nomine deputandos à sanctis Patrib. dudum legimus constitutum: nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus quod omnes incestuosi à liminibus sanctæ Ecclesiæ sint separandi, vsquequo per satisfactionem precibus Sacerdotum eidem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ recõcilientur. Et in edicto Canonico ante corpus beati Petri prolato, *Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema sit, & responderũt omnes tertio, Anathema sit.* Et si sanctus Ambrosius in prima Epistola ad Corinthios dicit, *Non est enim frater, aut soror seruituti subiectus in eiusmodi, hoc est, nõ debetur reuerentia cõiugij ei qui horruit auctorẽ coniugij, Non enim ratũ est matrimonium quod sine Dei deuotione est.* Et sanctus Hieronymus in tertio libro commenti Epistolæ Pauli ad Ephesios, *Quomodo itaque* (inquit) *Christo subiecta est Ecclesia, sic subiecta sit vxor viro suo: quẽ enim habet principatũ & subiectionẽ Christus & Ecclesia, huic eidem ordini maritus & vxor adstringitur, sed videndũ vt quomodo in Christo & in Ecclesia sancta coniunctio est, ita & in viro, & in muliere sancta sit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorũ Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorũ Christus est: sic non omne matrimonium, quod in viro suo secundũ Christi præcepta non iungitur, rite coniugium appellari potest, sed magis adulterium.* Hinc intelligenter est adnotãdum, quia quod iste ipse Doctor in Epistola ad Amandum presbyterum dicit, *Quod quãdiu viuit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus eius reputatur cui alterũ virũ accipere nõ licet,* de eo dicit, qui post legitimum initum coniugiũ, in ipso peccat coniugio, in quo iure pari vir & mulier tenentur sententia. In hoc autem loco de ea vel de eo agitur, qui ante initum legitimum coniugium, perpetrato incestu legitimum quod habere poterat sibi tollit coniugium. Et in Concilio Agathensi, *De incestis coniunctionibus* (inquiunt) *nihil prorsus veniæ reseruamus nisi cum adulterium separatione sanauerint. Incestuosos vero nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est.* Et sanctus Augustinus in libro de bono coniugali, *Aliud est non concumbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam. Aliud autem carnis quidem concumbendo appetere voluptatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam: quia & sine causa propaganda prolis concumbitur, non tamen hanc libidinis causa propagationis prolis obsistitur, siue voto male, siue opere malo: nam hoc faciunt; qui quamuis vocentur coniuges, non sunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velanda turpitudini obtendunt. Produntur autem quando eo vsque progrediuntur, vt exponant filios suos qui nascuntur inuitis: Oderunt autẽ nutrire, vel habere quos gignere metuebant: Itaque cũ in suos sæuit, quos nolẽs genuit, tenebrosa iniquitas clara iniquitate in lucẽ promitur, & occulta turpitudo manifesta crudelitate cõuincitur. Aliquando eo vsq; peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiã sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerit, cõceptos fœtus aliquo modo intra viscera extinguat ac fũdat, volẽdo suã prolem prius interire quã viuere, aut (si in vtero iã viuebat) occidi antequã nasci. Prorsus si ambo tales sunt, coniuges nõ sunt, & si ab initio tales fuerũt, non sibi per connubiũ, sed per stuprum potius conuenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodãmodo mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.*

XIII. INT. Sexto nobis capitulo remãdate, si idẽ Rex postquam talia de præfata vxore sua audiuit, & ab eius commercio suspensus fuit, forte concubinæ viui

adulterium perpetrauerit: & si hoc ad plurimorũ peruenit notitiam, quo debeat sanari medicinali iudicio? Et si fortassis acciderit, vt quiscumque homo sacramento attendere se obligauerit, quod criminosum sit agere, vtrum quod iurauit, ne incurrat periurium: debeat adimplere? An ne crimen admittat, quod male iurauit in interitum debet ducere? & si hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt, quia sunt fœminæ, quæ maleficio suo inter virum & vxorem odiũ inreconciliabile possint mittere, & inenarrabilem amorem iterum inter virum & fœminã serere, & quod vir legitime sortitam coniugem maritali commercio non possit adire, & aliis valeat fœminis commisceri: et iodem eodem maleficio potentia concumbendi, & dilectione quondam habita fruendi per artem maleficarum possit restitui. Et quæ sit causa cur Deus, vt dicitur, sæpe in legitimo coniugio permittat talia fieri? Et si forte tales viri malefici, vel incantatrices fœminæ inuentæ fuerint, quid de huiusmodi debeat fieri?

RESP. Respondemus; si forte, vt fertur, Rea, de quo agitur, post legaliter initum coniugium, cum alia aliqua carnis commixtione negotium concumbendi exercuit, negari non potest adulterium perpetrasse, etiam si fœmina, quam duxit vxorem, de talibus, sicut reputatur, rea fuerit fortassis inuenta: quoniam post legaliter initum coniugium ante legalem distinctionem præsumpsit illicita: Apostolus enim dicit, *Alligatam esse vxorem sub lege viri quanto tempore vir eius viuit, mortuo autem eo, solutam esse à lege viri.* Et secundum sacram auctoritatem legaliter desponsatã, dotatam, & publicis nuptiis honoratam, vxorem esse, nemo qui dubiter: sed & vnam esse legem in hoc iure viri & vxoris eadem sacra testatur auctoritas: & ideo antequam à iugo graui super filios Adæ à die egressus de ventre matris eorum, vsque in diem ingressus in ventrem omnium matris, alter ab altero dissoluatur, aut lege ab eo, qui per conditores legum iusta decreuit, comprobetur, quod est initum, non legitimum fuisse coniugium, quicomque eorum vnam carnem per adulterium in duo diuiserit, non commisisse adulterium dici non poterit. Magnus etenim Leo Papa de forensibus legibus Ecclesiasticis modum tribuit ad Nicetam Aquileiensem Episcopum scribens, *vt sicut in mancipiis, vel agris, aut etiam in domibus, ac postliminium reuersis de captiuitate seruatur, ita etiam & coniugia, si aliis iuncta fuerint, reformentur.* Et nos de eisdem legibus ad exemplum ipsius debemus conuenire: quoniam si quilibet quod ei iure posset competere contra ius sibi præsumpserit, per legem ei, quem spoliauerat, cogetur legaliter emendare: quapropter si quilibet legaliter coniugatus ante iudicium ea criminara determinatum contra matrimonij iura, aut publice, aut secrete præsumpsit, necesse erit eum legib. præfixis transgressoribus, aut secrete, aut publice subiacere, quibus decretum est in Concilio Africano, *vt pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Et in Concilio Carthaginensi, *vt Sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat.* Et, *si quis fidelis*, secundum Eliberitanum Concilium, *habens vxorem non semel sed sæpe fuerit mœchatus in fine mortis conueniendus est, quod si se promiserit cessaturum, communio illi donanda est. si resuscitatus rursus mœchatus fuerit, vt non vlterius de communione pacis ludat, fuerit abscindendus est.* Et iuxta Ancyranum Concilium, *Vxor adulterata, vel maritus committens adulterium, post septem annorum pœnitentiam reconciliationis, & communionis perfectionem consecuturi sunt.* Et item secundum Eliberitanum Concilium, *Si quis vxorem habens semel lapsus fuerit, post quinquennem pœnitentiam reconciliandus est, vel si necessitas infirmitatis coegerit, ante communionem largienda est.* Similiter & Synodus Toletana cõstituit, *Qui vxorem simul & concubinam habuerit, à communione Ecclesiæ separandus est.* In qua separatione, vel post dignam satisfactionem reconciliatione, summopere debent pastores Ecclesiæ & Apostolorum successores atque vicarij prouidere, qui (vt dicit beatus Gregorius) *soluendi ac ligandi auctoritatem sunt* (quando gradum regiminis sortiuntur) *adepti, ne in soluendo ac ligando subditos suæ voluntatis motus non autem causarum merita sequantur, vt vel damnent immeritos, vel alios ipsi ligati soluant, seque ipsos hac ligandi & soluendi potestate priuent, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum meritis exercent, ne erga quemlibet proximum odio vel gratia moueantur: quia digne de subditis iudicare nequibunt, si in subditorum causis sua, vel odia, vel gratiam sequi decreuerint, vnde recte per Prophetam dicitur; Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt: Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda: Videndum quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat: Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis.* Et illos nos debemus per pastoralem auctoritatem soluere quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare: quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati, quæ non verbo tenus tantum & summis via labiis solet fieri, sed quæ ex intimo cordis procedit affectu, sicut Dauid dixit, *Peccaui Domino*: Et audire meruit, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*: Et item dicit, *Rugiebam à gemitu cordis mei*: Et, *Iniquitatem meam adnuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*; sicut & in tribulatione, quam pro peccato admisso sustinuit fugiens à facie filij sui, cogitauit dicens, *Respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac*; Quibus constat quia taliter confitentibus nec satisfactio interdicenda est, nec communio deneganda, alioquin in iudicium sibi corporis sacri & sanguinis pretiosi Redemptoris nostri sacramenta præsumunt, qui indiscrete non purificati, vel absoluti, sed potius seducti atque decepti sunt à talibus pastoribus, de quibus dicit Propheta, *Væ his qui consuunt puluillos sub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas*, id est, cadentes à sua rectitudine animas atque in huius mundi delectatione reclinantes blanda adulatione refouent, vt in errore molliter iaceant, quos nulla asperitas contradictionis pulsat, quod rectores seipsos amantes his procul dubio exhibent, à quib. se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent: De quibus iterum scriptum est, *Popule meus qui te beatificant, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Et item, *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Quia dum corripere culpas metuunt, in cassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur, & sic vel in affectu peccandi manentes, vel ante congruam satisfactionem diuina vsurpantes mysteria, bonum Dei donum faciunt suũ iudicium. Quoniam sicut auctores sancti [vt demonstrat venerabilis presbyter Beda in commento Euangelij Lucæ] exponentes sententiam dicentis Domini, *Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa: Veruntamen væ illi homini per quem tradetur*, dicunt, *Hodie quoque & vsque in sempiternum, illi homini qui ad mensam Domini malignus accedit, & insidiis mente conditus, præcordiis aliquo scelere pollutis, mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Et ille enim in exemplum Iudæ filium hominis tradit, non quidem Iudæis peccatoribus, sed tamẽ peccatoribus membris videlicet suis,*

1. Cor. 7. — Con. 10 — Conc. Carth. 4. — Con. 19. — Con. 69 — Tolet. 1. can. 17. — Hom. 26 in Euang. — Ezec. 13 — 2. Reg. 12. — Psal. 37 — 2. Reg. 16. — Ezech. 13. — Esa. 3. — Thr. 2. — Luc. 22.

quib. illud inæstimabile & inuiolabile Domini corpus violare præsumit. Ille Dominũ vendit, qui eius amore ac timore neglecto, terrena & caduca, immo etiã criminosa plus amare, & curare conuincitur. Vnquam illi homini de quo Iesus, qui altaribus sacrosanctis inter immolandum, tempore proposita consecraturus, adesse non dubitatur, adstantibus sibi ministris cælestibus, queri cogitur; Ecce (inquiens) manum tradentis me mecum est in mensa. Et Paulus dicit,

1. Cor. 5.

Si quis frater nominatur & est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Et item dicit, *Iniqui regnum Dei non possidebunt. Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et item, *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus.* Et item, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat.*

1. Cor. 6.
Heb. 13.
1. Cor. 6.

Vnde Ambrosius ostendit grauissimum esse peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus, in cæteris autem peccatis portio perit, oon totum. Totum n. corpus vir est & mulier, quia portio viri est mulier: quicumqoe enim aliud peccatum admiserit, extra se peccat, fornicarius vero in carnem suam peccat. Quamquam enim omnia peccata carnalem hominem præstent, hoc tamen specialiter desiderium carnis est, quod sordibus maculatam animam cum corpore tradit gehennæ, quia victa anima à libidine carnis fit caro sicut & corpus recte gubernatum, spiritale appellatur: Animus tamen est qui aut victus inlecebris totum hominem carneum facit, aut in vigore naturæ suæ manens, carni præstat, vt spiritalis dicatur. Quapropter, sanxerunt Spiritu sancto in se loquente, Canonum conditores, vt à communione tales homines vsque ad satisfactiooem separentur, quoniam qui alieni à regno Dei sunt, ab Ecclesia, quæ & regoum Dei est & nominatur, vsque ad correctionem, & satisfactionem debent modis omnibus separari: Et cum quibus Christi discipulos cibum sumere ooo oportet, eis dare sacram commuoionem non debent Domini Sacerdotes, ipso prohibente in Euangelio, *Nolite dare sanctum canib.* quales designat Petrus dicens, *Sicut sus lota in volutabro luti, & canis reuersus ad vomitum suum, talis est* (vt Salomon dicit) *stultus iterans stultitiam suam.* Et qui in peccato manens vel ante correctiooem, & satisfactiooem peccati criminalia dominicam cœnam præsumit ad manducandum in suam condemnationem (vt præmisimus) eandem cœnam præsumit, attestante Apostolo, *Quicumque* [inquit] *edit panem hunc, aut bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Vnde sanctus Ambrosios dicit, *Quid est autem reum esse corporis & sanguinis Domini, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim pro his qui beneficium eius in irritum ducunt. Probet autem, dicit iterum Paulus, homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: Probare enim seipsum, id est, corrigere se debet homo à peccato, & ipsum reprobare peccatum, & post dignam satisfactionem accedere ad sacram communionem, vt sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit: Hoc enim apud se debet iudicare, quia Domini est cuius corpus sumit & sanguinem. Et quod subsequitur, Ideo in vobis multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi: ad hoc posuit, vt imaginem ostenderet iudicii in eos qui inconsiderate Domini corpus accipiunt: quia sicut illi corporaliter infirmabantur, & moriebantur, ita quicumque in peccato manet, vel affectum peccandi habet, & corpus & sanguinem Domini sumit, vnde vitam posset accipere, condigna satisfactione post dignam pœnitentiam sacramenta illa acciperet, inde mortem sibi indigne accipiendo adsumit. Et si quærat aliquis, quare etiam nunc accipientes indigne non infirmantur vel moriuntur, sicut tunc infirmabantur, & moriebantur? accipiat quod non dixit Apostolus omnes infirmari, vel mori; sed, multi, inquit, sunt infirmi, & multi moriuntur: Et, in primordio Ecclesiæ necessaria erant corporalia signa, nunc autem vera fides debet sufficere. Est & aliud, quia sicut scriptum est, In fine seculi erit sol sicut saccus cilicinus, id est, Ecclesia in luctus amaritudine sine miraculorum coruscatione, vt probati manifesti fiant. Et quia quidam corriguntur communicantes, simpliciter, licet postea peccent, vt Petrus, quidam tolerantur maligne communicantes, vt Iudas, qui suus homicida existens exitiabili exitu demonstrauit, quid anima patiatur nunc sine corpore & quid æternaliter patietur cum corpore, quoniam in iudicium sibi diuina mysteria manducauit & bibit.* Et quod subiungit; *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, hoc dicit, quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non à Domino iudicaremur, id est, condemnaremur.*

Matth. 7.
2. Pet. 2.
Prou. 26.
1. Cor. 11.
Apoc.
1. Cor.

Et ideo sacri Canones sanxerunt vt ad iudicium sacerdotale remoueantur, vel resocientur peccantes sacro altario, dicente Domino ad leprosos, qui præsignabant lepra peccatorum Ecclesia nunc perfusos; *Ite ostendite vos Sacerdotibus*, vt secundum quod viderint magnitudinem vel multitudinem peccatorum in peccantibus, & considerauerint illorum dignam satisfactionem, & ita & absque persooarum acceptione tempora coostituant pœnitendi & reconciliandi eos, ne io iudicium & condemnationem sumant quod Dominus ad redemptiooem & salutem credentibus contulit.

Luc.

At si peccator tardus ad recognoscendum, negligens ad id quod peccauit pœnitendum, & confitendum, atque satisfaciendum, extiterit, Episcopalis cura eom commonere dissimulandum non ducat, memor sententiæ sibi dicentis: *Si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam*: id est, si animam fratris in periculo tuæ conuersationis acceperis, iam ligasti mentem apud curam sollicitudinis quæ ante deerat quam pastorale officium sumeres, inlaqueatus es verbis oris tui & captus propriis sermonibus, qui dum commissis tibi cogeris bona prædicando dicere, teipsum prius necesse est quæ dixeris custodire, *Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum*; non tantum ipse bene viuendo vigilare memento, sed & illum cui præes à peccati torpore prædicando disiunge: *Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ*: Somnum dat oculis qui subditorum curam omnino negligit: dormitat autem qui quidem reprehensibilia eorum gesta cognoscit, sed hæc propter mentis tædium digna inuectione nõ corrigit. *Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de insidiis aucupis*: Quantum auis de laqueo vel damula de manu captantis quærit euadere, tantum nitere vt auditore tuo salubriter instituto ipse ab sponsione vitæ eius liber reddaris ne non pastor sed mercenarius denoteris, si quemlibet ad luxuriam pertrahi, aut auaritiam accendi, vel in superbiam erigi, aut per iracundiã diuidi conspexeris, & aut accipiẽs personam diuitis timens ne tibi iratus munus subtrahat, quod blãdus impendebat, aut familiaritatis, vel cuiusquam temporalis emolumenti respectu tacens pereuntibus animabus ipse de commodis terrenis læteris, non pastor, sed mercenarius in diuinis oculis computeris. Magis autem *prædica, & insta opportune: Si autem te*, commonentem secundum Euangeliom, *non audierit*: Regiam adi, vt constriogatur, pœnitentiam: Et si nec ita ad effectum causam perduxeris, iuxta diuinam præceptionem de commonito, *nuntia Ecclesiæ, si autem nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, ne dissimulãs aut negligens arguere, sicut Heli Sacerdos filios suos peccantes in Deũ ne amari essent hominibus, cũ eo peries. Vnde cõstat, quoniam oulli est cootra Deum personæ parcendum, vt &

Prou. 6.
Ibid.
Ibid.
Ibid.
2. Tim. 4.
Matth. 18.

nobis & illi parcamus salubriter, cui diligenter nō parcimus, sequentes pro modulo nostro, quantum Dominus dederit, beatum Ambrosium, qui non parcendo Theodosio, & illi meritū in cœlis coram Domino, & sempiternum memoriale in terris coram hominib. [vt de eo scriptum intelligi debeat; *memoria iusti cum laudibus*] adquisiuit. Nec perfunctorie Episcopi, & Regibus, & omnibus potestate humana prædiris audienda est sententia beati Gregorij ad Brunichildem Reginam, qua dicit: *Non enim* (inquiens) *dissimulanda sunt quæ dicimus, Quoniam qui eradicare potest peccata & negligit participem se proculdubio delicti constituit. Prouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus, quos cupitis regnare fœliciter; prouidete Prouinciis, & priusquam Creator manum suam ad feriendum exerceat, de correctione sceleris studiosissime cogitate, ne tanto postmodum acrius feriat, quantum modo diutius expectat.* Et si forte quæcumque persona ori diuino inobediens expellitur, præmisso ordine ab Ecclesia expellenda est, quia & ipsa expulsio miserante Domino poterit ei fieri ad salutē, sicut B. August. in libro de correptione & gratia dicit; *Corripiantur* (inquiens) *à præpositis suis subditi fratres correptionib. de charitate vehementibus, pro culparū diuersitate diuersis, vel minorib. vel amplioribus, quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest, si Deus voluerit ad correctionem saluberrimam cedere atque proficere. Neq; enim scimus quid contingat sequenti die, aut ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest ne recipiat & det pænitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati cordisque contriti, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.* Et si fortassis (quod absit) talis emerserit qui supercilio terrenæ potestatis elatus despiciat obedire, & rupto Christianitatis freno per præcipitia in barathrum damnationis excurrat, habebit Episcopus iuxta Ezechielem Prophetam ad liberationem suam *sartaginem ferream*, id est, zelum charitate feruentem, & beati Ambrosij memorandam sententiam: Ait enim in Epistola ad Corinthios; *Superbiam (inquiens) illorum in tantum humiliat beatus Paulus dicens, Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit, vt non querulos iam, sed magis simplices faciat.* Erant enim & ipsi participes dum paterentur tam ingentis facinoris secum incorreptum conuenire, vt omnes vno consilio abiicerent eum, si negaret emendare se. Si autem quis potestatem non habet quem scit reum abiicere, aut probare non valet, immunis est, & iudicis non est sine accusatore damnare: quia & Dominus Iudam, cum fur esset, quia non est accusatus, minime abiecit. Et sanctus Spiritus per dignum & sibi placitum organum, beatum videlicet Benedictum, dicit: *Tantumdem iterum erit rector liber, vt si inquieto & inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis eorum actibus vniuersa fuerit cura exhibita, pastor earum in iudicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: Ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis præualens ipsa mors.*

[Margin: Prou. 10; Cap. 15.; Ezech. 4; 1 Cor. 5.; Psal. 39.; Esa. 1.]

XIV. INT. & RESP. De Sacramenti autem proposita quæstione, beati Gregorij verba ex lib. Moralium XXVIII. relegantur; Ait enim, *Ecce quidam dum mundi huius amicitias appetit, cuilibet alteri similem sibi vitam ducenti, quod secreta illius omni silentio contegat, se iureiurando constringit: sed is, cui iuratum est, adulterum perpetrare cognoscitur, ita vt etiam maritum adulteræ occidere conetur: Is autem qui iureiurandum præbuit ad mentem reuertitur, & diuersis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc silere formidat, ne silendo adulterii simul & homicidii particeps fiat: prodere trepidat, ne reatu se periurii obstringat. Perplexis ergo testiculorum neruis ligatus est, qui in quamlibet partem declinet, metuit, ne à transgressionis contagio liber non sit.* Et post pauca: *Est tamen, qui ad destruendas versutias vtiliter fiat, vt cum mens inter minora & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur: quia & qui murorum vndique ambitu, ne effugiat, clauditur, ibi se in fugā præcipitat vbi breuior murus inuenitur.* Et venerabilis Presbyter Beda in Homelia Euangelij secundum Mattheum quo describitur Herodis incauta iuratio, ita dicit: *quantum vero* (inquiens) *temeritatem iurandi vitare debeamus, & ipse in Euangelio Dominus, & Iacobus in Epistola sua docet, dicens: Ante omnia autem fratres mei nolite iurare neque per cœlum, neque per terrā, neque aliud quodcumque iuramentum: sit autem sermo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis: illo videlicet iudicio sub quo decidit Herodes, vt vel peierare, vel periurium cauendo, aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid forte nos incautius iurasse contigerit, quod obseruatum scilicet peiorem vergat in exitum libere illud consilio salubriore mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quam pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Dominum occidere Nabal virum stultum & impium, atque omnia, quæ ad illum pertinerent, demoliri; sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis, mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Iurauit Herodes dare saltatrici quodcumque postulasset ab eo, & ne periurus diceretur à conuiuis, ipsum conuiuium sanguine polluit, dum Prophetæ mortem saltationis fecit præmium. Non solum autem in iurando, sed in omne quod agimus, hæc est moderatio sollertius obseruanda, vt si talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus, illum potius euadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernamus: & iuxta exemplum eorum qui hostilibus clausi muris dum euadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est, desiliendi locum eligant, vbi muro existente breuiore minimum periculi cadentes incurrant.* Et in Concilio Hilerdensi decernitur, *Qui Sacramento se obligauerit, vt litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio vno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis ac fletibus, & quantis potuerit ieiuniis absoluat; ad charitatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter redire festinet.*

[Margin: Matt. 14 & Marc. 6.; Iacob. 5.; 1. Reg. 25.; Marc. 6.; Can. 7.]

Et quoniam huiusmodi de Sacramento voluerunt interrogare quærentes, non ab re fore putauimus de talibus scribere quæ solent in humana fragilitate accidere: neque ea quæ scribimus in quenquam impingimus, sed si talis extiterit, quem hoc consilium adiuuare potuerit, memores scripturæ dicentis: *Quod supererogaueris reddam tibi*; de hoc quod non sumus interrogati, vt quilibet nouerit quid anceps inter duo eligere debeat, adiungendum putauimus: Non enim * facile modo quisquam reperiet, immo nec quenquam quisque reperiet, qui Dauid sanctior, Salomone sapientior, Samsone sit fortior, & illi amore muliebri capti (quoniam etiam mentes ferreas libido domat) nec pannos pauperum perhorrescens, nec Regum purpuram pertimescens talia egerunt quæ non conueniebant; & ad nos sæpe fœminæ veniunt reclamantes, quod iuuenculi eis suam fidem promiserint, easq; derisas reliquerint: & interdum à nobis repertum est, quia viri legitimas reliquerunt vxores, & adulteris, vt seruarent fidem pollicitam, adeo cohæserunt, vt cum multis laboribus ab eis quiuerint separari.

[Margin: Luc. 10.; * f facili modo.]

De quo negotio beatus Augustinus in libro de bono cōiugali dicit: *Huc* (inquiens) *accedit, quia in eo ipso*

1.Cor.7. *quod sibi inuicem coniuges debitum soluunt, etiam si id aliquanto intemperantius & incontinentius expetant, fidem tamen sibi inuicem debent cui fidei tantum iuris tribuit Apostolus, vt eam potestatem appellaret dicens: Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier; vsu autem fidei violato dicitur adulterium, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel aliena consensu cum altero vel altera contra pactum coniugale concumbitur, atq; ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis & abiectis magnum animi bonum est: Et ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita nostra ista continetur, certum est debere præponi. Et si enim exigua palea pro multo auro pene res nulla est, fides tamen cũ in negotio paleæ, sicut in auro sincera seruatur, non ideo minor est quia in re minore seruatur.*

Cum vero ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellanda est: Veruntamen qualiscumque sit, si & contra ipsam fit, peius fit, nisi cum propterea deseritur, vt ad veram fidem ac legitimam redeatur, id est, vt peccatum emendetur voluntate prauitatis correcta; tamquam si quisque cum hominem solus expoliare non possit, inueniat socium iniquitatis, & cum eo pacificatur, vt simul id faciant, spoliumque partiantur, quod facinore commisso, totum solus auferat, dolet quidem ille sibi, & fidem seruatam non esse conqueritur: verũ in ipsa querela cogitare debet potius in bona vita ipsi humanæ societati fuisse seruandam, ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quam inique sibi in peccati societate seruata non fuerit. Ille quippe vtrobique perfidus pro peccato sceleratior iudicandus est reus, qui si ideo cum participe facinoris prædam diuidere noluisset, vt homini, cui ablata fuerat redderetur, eum perfidum nec perfidus diceret: ita mulier si fide coniugali violata fidem seruat adultero, vtique mala est, sed si nec adultero, peior est. Porro si eam flagitii pœniteat, & ad castitatem rediẽs coniugalem, pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit, quod æque intelligendum est de adultero, quia si pactum cum adultera factum rescindit, nec ipsa adultera eum fidei violatorem iuste dicere poterit.

XV. INT. De hoc quod interrogatum est, si hoc verum esse possit quod plures homines dicunt, quia sunt fœminæ quæ maleficio suo inter virum & vxorem odium inreconciliabile possint mittere: & inenarrabilem amorem iterum inter virum & fœminam serere: & de cæteris quæ hinc ad quæstionem voluerunt quærentes deducere.

RESP. Relegant historiam libri Regum post peccatum Dauid in Bethsabee vxorem Vriæ, qualiter suggestione diaboli filius ipsius Dauid Amnon adamauit sororem suam Thamar, & consilio Ionadab figuram tenentis diaboli per Euam consilio peccandi occidentis Adam, concubuit cum eadem sorore sua, quam tãtum ante concubitum dilexit, vt de periret in eam valde, & ægrotaret propter amorem eius: post concubitum autem exosam eam habuit odio magno nimis, vt maius esset odium, quo oderat eam, amore quo ante dilexerat: quæ diabolica operatio per fratricidium ad alia etiam mala, quæ ibidem lectores inueniunt, decucurrit. Et beatus Ambrosius Psalmi CXVIII. versum exponens: *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea*: loquens de Ioseph perferente immissiones per Angelos malos, dicit ad locũ: *Fertur* (inquiens) *Propheta cuidam, & plerique fuerũt quod Esaia in carcere posito, cum male imminentis vrgeretur exitii, dixisse diabolum: Dic, quia non à Domino locutus es quæ dixisti, & omnium in te mentes affectusque mutabo.*

2.Reg.13.

Sed & in parochia cuiusdam nostrum quod narramus acciderat, quoniam quidam nobilis genere iuuenis non ignobilem natione fœminam adamauit, quam à parentibus puellæ legaliter expetens, apud patrem petitio eius præualuit, sed puellæ mater eandem petitionem omnimodis refutauit: Pater vero, quod raro solet contingere, in iuuenis precibus annuendo præualuit, qui post desponsationem & dotis titulum, ac nuptiarum celebritatem, puellam secreta cubiculi introducens nullo modo cum ea concumbere ex more præualuit, & cum irremediabili odio tædiosam vitam per biennium ducerent, ad Episcopum, quia aliud iam inde consilium inueniri non poterat, hinc necessitate cogente concursum est cum verbis suasoriis, precatoriis ac minatoriis, quia nisi permitteret dissolui coniugium, ipse porrigeret gladium, quo fieret, si alter dissolui non poterat, homicidium. Isdem autem Episcopus inter alia plura iam de talibus Satana faciente sæpe cribratus, & ad memoriam reducens quod dicit Dominus per Prophetam: *Fili hominis, perfode parietem, & vide abominationes quas faciunt isti hic: & cum perfodissem parietem, apparuit foramen*, & reliqua quæ ibi leguntur de placito ad placitum, de quæstione ad definitionem per frequentes tracta talia inuitauit, vsque dum operationes diabolicæ Dei gratia dissolutæ sunt: & concubitus in anteriore concubina cũ delectatione possibilis, post pœnitentiam, & medicinam Ecclesiasticam iuueni est cum vxore possibilis redditus, & fugato odio diabolico coniugalis amor inter coniuges integratus nunc vsque cum debito amore perseuerat, atque coniugati sobole numerosa congaudent.

Ez. 8.

Turpe est fabulas nobis notas referre, & longum est sacrilegia computare, quæ ex huiusmodi de ossibus mortuorum, atq; cineribus, carbonibusque extinctis, & de capillis, atque pilis locorum genitalium virorum ac fœminarum, cum filulis colorum multiplicium, & herbis variis, ac cocleolis, & serpentium particulis composita, cum carminibus incantata deprehendentes comperimus, quibus homines liberati, & benedictione Ecclesiastica medicati, gratia coniugali, & debito naturali perfuncti sunt: quidam etiam vestibus carminatis induebantur vel cooperiebantur, alij potu, alij autem cibo à sorciariis dementati, alij vero tantum carminibus à strigis fascinati, & quasi tortues effecti reperti sunt: quidam autem à lamiis iræ genichialibus fœminis debilitati, quædam etiam fœminæ ad vsus in specie virorum quorum amore ardebant, concubitum pertulisse inuentæ sunt, quos & quas diuina potentia, compressis & abiectis fantasmatibus diabolicis, per exorcismos & antidota catholica restituit sanitati.

Sunt & alia quæ nos dirimere ac iudicare necessitas compulit, quæ propter nefariam turpitudinem dicere nolumus; & sunt huiusmodi scelerata atque facinorosa, quæ vt ad notitiam malignorum, qui forte ea ignorant, peruenire non valeant, hic scribere supersedimus. Sunt præterea & tam immania diabolicæ operationis portenta per magicam artem facta, quæ ad nos peruenerunt, vt credendi modũ excedant, sed nõ est mirum si in istis temporibus vltimis talia Antichristi aduentum præcurrentia veniunt, qualia Dominus, & Apostoli eius ventura descripserant, de quibus & Paulus dicit, *Nam mysterium iam operatur iniquitatis secundum operationem Satanæ in omni potestate, & signis, & prodigiis mendacii*. Et item, *Sp. autem manifeste dicit, quia in nouissimis tẽporibus recedent quidam à fide attendentes spiritus fallaces, doctrinas dæmoniorum.* Hæc autem vanitas magicarum artium ex traditione angelorum malorum in toto terrarũ orbe auctore Zoroastre Rege Bactrianorũ, quem Ninus Rex Assyriorum prælio interfecit: & propagatore Democrito plurimis sæculis valuit: sed apud Assyrios exculta per multos diabolicos viros fuit, quorũ in tantũ prodiere maleficiorum artes, vt etiã (sicut supradiximus) Moysi simillimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones aquã in sanguinẽ & eorundem maleficiorum vna impietas, vt diuersitate artium ita & diuersitate nominum constat, sicut & pagani doctores, & etiam Christiani referunt, vnde plura omittens, quædam commemoramus. Magi sunt, qui vulgo malefici ob facinorum magni-

2.Thess.2. 1.Timo.4. Exo.7.

tudinem nuncupantur, hi & elementa concutiunt, turbant mentes hominum, ac sine vllo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. Nicromantii sunt quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respondere. Hydromantii sunt qui in aquæ inspectione vmbras dæmonum euocant, & imagines vel ludificationes eorum ibi videre, & ab eis aliqua audire se perhibent. Incantatores qui artem verbis peragunt. Arioli qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt. Aruspicea qui horas in agendis negotiis & operibus, custodiunt, qui exta pecudum & fibras atque spatulas, vel cætera quæque inspiciunt, & ex eis futura prædicunt. Augures sunt qui volatus auium & voces attendunt, quorum vnum genus ad oculos, id est, volatus auium alterum ad aures, id est, vox auium, pertinet. Sunt & Pythonissæ quæ & ventriloquæ. Sunt & Astrologi eo quod in astris augurentur. Sunt & qui dies natalium considerant, & qui syderum cursum in nascentibus obseruant, qui vulgo Mathematici vocantur. Sunt horoscopi, qui horas natiuitatis speculantur dissimili & diuerso facto. Sunt & sortilegi, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. Sunt & qui de salu membrorum, dum eis aut oculi, aut cuiuscumque membri pars salierit, aliquid sibi exinde prosperum aut triste significari prædicũt. Sũt & præstigiatores, qui alio nomine obstrigilli vocãtur, quod præstringãt vel obstringant humanorum aciem oculorũ, sicut isti qui de denariis quasi jocari dicuntur, quod omnino diabolicũ est, & sicut legimus, primum diabolus hoc per Mercurium prodidit, vnde & Mercurius inuentor illius dicitur, quod diabolicum opus nemo Christianus sine peccato ante se agere permittit, vel (si ei potestas in illo est qui talia agit) sine vindicta dimittit. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, siue in præcantationibus, siue in caracteribus, vel in quibuscumque rebus suspendendis atque ligandis, vel quibuscumque mensuris mensurandis, & quas superuentas fœminæ in suis lanificiis vel textilibus operibus nominant, in quibus omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt ab omni Christiano, & omni penitus execratione repudianda atque damnanda. Sunt etiam & qui dicant quando in venationem pergunt, quod obuium sibi non debeant habere clericum. Sunt & qui faciunt canes ad truncum latrare sicut ad bestiam. Sunt & qui obseruant dies in motione itineris, & in inchoatione ædificandæ domus, quod pro tam magno peccato Paulus dixit Apostolus, vt diceret, *Dies obseruatis, & annos, & menses: timeo ne sine causa laborauerim in vobis.* Et Dominus in Euangelio dicit, *Similiter, sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant.* Et prætermisso illo maximo & infando Sodomorum scelere, sola ea, quæ leuia vel nulla putare poterant, delicta commemorat, vt intelligas inlicita quali pœna feriantur, si licita, & ea, sine quibus hæc vita non ducitur, immoderatius acta, igne vel sulphure puniuntur? Merito ergo beatus Augustinus visis noxiæ consuetudinis inlecebris, ac iusto dolore commotus exclamat: *Væ peccatis hominum, quæ sola insitata inhorrescimus, vsitata vero, pro quibus abluendis filii Dei sanguis effusus est, quamuis tam magna sint, vt omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe vitando omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur, atque vtinam, ô Domine, non omnia, quæ non potuerimus prohibere, faciamus.* Sciendum est etiam quia sicut in doctorum verbis legimus sunt dæmones

Gal. 4. Luc. 17.

qui quasi specialiter specialibus intendentes vitiis, cum in omnibus delectentur, ad ea, quibus præsunt, homines quasi specialiter prouocent: quapropter & de Maria, quæ erat in ciuitate peccatrix, Marcus Euangelista Dominum septem dæmonia eiecisse commemorat, vt vbi abundauit peccatum, superabundasse gratia monstraretur: Septenarius namque numerus pro vniuersitate solet mystice poni: ergo à septem dæmonibus curata, hoc est, ab vniuersis liberata sceleribus debet intelligi: vnde inter cæteros dæmones vitiorum magistros legimus de Mammona, de quo Dominus dicit, *Non potestis Deo seruire & Mammonæ*: quia qui seruit Mammonæ, id est, diuitiis, illi vtique seruit qui rebus istis terrenis merito suæ peruersitatis præpositus est, & magistratus huius sæculi à Domino dicitur, & de eo genere dæmonum, qui in feruorem iracundiæ, vel qui in voluptatem carnis resoluit per delicias, vel certe in ignem adulterii, quo adulterantium corda succensa sunt, & in aquas, quæ solent extinguere charitatem, inuasum mittunt, quod non potest eiici nisi in oratione & ieiunio: & primum parentem nostrum, sicuti notum est, antiquus hostis gula, vana gloria, & auaritia tentauit, ac tentando superauit, quia sibi eum per consensum subdidit: sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis secundo homini tentato succubuit. In Psalmo quoque cantamus, *De sagitta volante in die*, id est, de sermone hæreticorum & Philosophorum, qui sunt diaboli organa, & non possunt decipere, nisi lucem promiserint: & hoc genus dæmonum eos facile corrumpit qui suas negligunt actiones, & alienas curantes extra habitum atq; extra ordinem proprium vagantur, & se curis exterioribus immoderatius implicant, & adeo deceptam mentem talium per vanas spes ducit, vt ab intentione pœnitentiæ suspendatur, ostendens illi plures per lata & spatiosa gradientes, quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant, & tunc plenius obruatur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. *De negotio etiam perambulante in tenebris*, videlicet de præposito negationis atque mendacii: *de incursu*, videlicet, præcipitationis atque timoris: *& dæmonio meridiano*, accidiæ scilicet, quod facit feruorem cœptæ deuotionis tepescere, vel hæreticos simulationis rectæ intentionis & operum lucis ambitionis amore ardere: de quo genere dæmonum scriptum est: *Sub vmbra*, inquit, *dormit in secreto calami, in locis humentibus*: in vmbra, videlicet tenebrosas conscientias: in calamo, qui foris nitidus intus est vacuus, simulatrices, in locis humentibus, lasciuas mollesque mentes insinuat. Quod que genus dæmonum exiens ab homine baptismatis tempore, vel post pœnitentiæ fructus & reconciliationis gratiam, *Vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & veniens ad domum illam vnde exierat, eam inuenit vacantem, scopis mundatam, & ornatam.* Mundatam videlicet à vitiis pristinis per baptismum vel pœnitentiam, vacantem à bonis actibus per negligentiam, ornatam simulatis virtutibus per hypocrysim, ipsi & ab eo assumpti nequiores spiritus ingressi habitant ibi. Per septem enim malos spiritus vniuersa vitia designantur. Quemcumque enim post baptisma siue prauitas hæretica, siue mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Vnde recte nequiores tunc eum spiritus dicuntur ingressi, quia non solum habebit illa septem vitia, quæ septem spiritualibus sunt contraria virtutibus, sed & per hypocrisin ipsas se virtutes habere simulabit. Et quomodo in Esaya super virgam de radice Iesse, & florem qui de radice conscendit, septem spiritus virtutum descendisse narrantur, ita & è contrario vitiorum numerus in diabolo est consecratus. Sunt & alia etiam genera dæmonum, quos legimus super singulis vitiis ab eorum principe constitutos, quæ hic adnotare omittimus, tantum de dæmonibus,

Mar. 16. Rom. 5. Mat. 6. Luc. 16. Psal. 90. Iob 40. Luc. 11. Esai. 11.

qui super fornicationem sunt, adnotare curamus, monstraturi quoniam talia sunt etiam genera dæmonum, qui tantum in fornicationibus delectantur, vt etiam humanum concubitum expetant: de quibus aliqua nostri temporis acta dicere poteramus, nisi ea breuitatis compendio transiremus. Et vt melius quod dicimus credi possit, legant quicumque de talibus dubitant, quod sanctus Amphilochius Iconiensis ciuitatis Episcopus, quem B. Hieronymus in libro de viris Illustribus debita veneratione commemorat, inter virtutes mirandi Basilii Cæsareæ Cappadociæ ciuitatis Episcopi scribit dicens: *Elladius autem ipsius sanctissimæ memoriæ visor & minister factus ab eo perfectorum miraculorum, & successor sedis post obitum iam dictæ memoriæ Apostolici Basilii, vir mirabilis, & in omni virtute decoratus, enarrauit mihi, quia senator quidam fidelis nomine Proterius abiit ad sancta & venerabilia loca, & ibi filiam suam consecrare, ac in vnum de bene actionalibus domibus monasteriorum mittere, atque sacrificium Dei offerre volens, sed ab initio homicida diabolus inuidens diuinæ voluntati mouit vnum de seruis suis & incendit ad puellæ amorem: Is autem cum fuisset huiusmodi inchoationis indignus, & non audens appropinquare ad propositum, alloquitur vnum abominandorum incantatorum, promittens se, si meruerit dominari ipsius puellæ, multam ei tribuere auri quantitatem. Maleficus vero dixit ad eum, ô homo, ego in istud non praualeo, sed si vis mitto te ad meum procuratorem diabolum, & ipse perficiet tuam voluntatem: qui ait ad eum; Quæcunque dixeris mihi faciam. Et ait ad eum: Abrenuncias Christo in scripto? Dixit ei, etiam. Iniquitatis autem operator dicit ei; Si in isto paratus extiteris, cooperator tibi fiam. Qui ait ad eum, Paratus sum, tantum consequar desiderium. Et faciens malignitatis minister Epistolam ad diabolum, misit ad illum habentem sensum istum. Quoniam quidem, mi Domine & procurator, oportet festinare me à Christianorum religione abstrahere, & tuæ adducere voluntati, vt multiplicetur pars tua, misi tibi hunc, qui præsentes meas defert litteras, cupiditate in puellam exarsum, & postulo eum actionem istam consequi, vt & in isto glorier, & cum multa alacritate congregem placitores tuos. Et dans ei epistolam dixit, Vade secundum talem horam noctis, sta super monumentum gentilis, & exalta cartam in aëre, & adstabunt tibi qui debent ducere te diabolo, qui alacriter hoc facient, iactantis miseram vocem inuocans diaboli auxilium: Et continuo adstiterunt ei principes potestatis tenebrarum, spiritalia nequitiæ, & apprehendentes errantem cum gaudio magno, duxerunt eum vbi erat diabolus, & ostenderunt ei ipsum sedentem in sede alta, & in circuitu eius malignitatis spiritus stantes, & suscipiens missas à malefico litteras dixit ad misellum, Credis in me? Qui ait: Credo. Et negas Christum tuum? Qui respondit. Nego, Dicit ei diabolus: Perfidi estis vos Christiani & quandoquidem opus me habetis, venitis ad me, quandoque dem consequimini desiderium vestrum, negatis me, & acceditis ad Christum vestrum, qui est benignus, ac clementissimus, & suscipit vos: sed fac mihi manuscriptam Christi tui & baptismatis abrenunciationem voluntariam, & quia in me est in sæcula voluntariam professionem, & quia mecum sis in die iudicii condelectans mihi in præparatis æternis tormentis, & ego statim desiderium tuum adimpleo: Qui disposuit propria manu scriptum sicut quæsitum fuit. Statim autem animarum corruptor draco tortuosus misit qui sunt super fornicationem dæmones, & inflammauerunt puellam in amorem iuuenis qua prospiciens in terram cœpit clamare ad patrem, Miserere mihi, Miserere pater, quia diræ torqueor propter talem istum nostrum puerum: Miserere visceribus tuis, ostende in me vnigenitam tuam paternum amorem, & coniunge me puero quem amo. Si autem hoc non vis facere, videbis me post modicum morientem amara morte, & sermonem dabis pro me in die iudicii Deo. Pater autem cum lachrymis dicebat, Heu mihi peccatori! quid contigit miseræ meæ filiæ? quis meum thesaurum furatus est? quis meam inguinit filiam? quis dulce lumen oculorum meorum extinxit? Ego cælesti te volebam nubere sponso Christo, & Angelorum cohabitatricem constituere, & in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritalibus canere Deo festinabam, & per te saluari sperabam, tu autem in amorem lasciuientiæ insanisti? sine me, sicut volo, desponsare te Deo, non ducas senectutem meam cum tribulatione ad inferos, neque nobilitatem parentum tuorum confusione operias. Illa autem ad nihilum reputans quæ à patre dicebantur, instabat clamans, Pater mi, aut fac desiderium meum, aut post modicum morientem videbis me. Pater ergo in magna defectione factus, ac immensurabilitate tristitia absorptus, & amicorum consiliis credulus hortantium ei deferre voluntati eius, aut seipsam expenere, concredens pater præcepit fieri desiderium puellæ, ne exitiali se traderet morti. Et adduxit quæsitum puerum ad propriam filiam, dansque eis omnem substantiam suam dixit filiæ suæ, Vale filia vere misera, multum enim planges pœnitens in nouissimo, quando nihil habes proficere. Inquo ergo coniugio facto, & diabolica facinorositate completa, ac modico transeunte tempore, designatus est à quibusdam puer non introire in Ecclesiam, neque appropinquare immortalibus & viuificis mysteriis. Et dicunt miseræ coniugi eius, Scis quia vir tuus, quem elegisti, non est Christianus, sed peregrinus fidei & alienus? Tenebricum ergo & dolorosa plaga repleta prosternit se in humum, & cœpit discerpere seipsam vngulis, & percutere pectus, ac clamare; Nemo non obediens parentibus saluus fuit vnquam. Quis adnunciabit patri meo meam confusionem? Heu mihi miseræ in quantam profunditatem perditionis descendi! Cur nata sum? Et nata continuo rapta non sum? Ista ergo lamentari eam discens errantissimus vir eius, accurrit ad eam contendens non habere ita veritatem. Illa autem in consolationem veniente suadibilibus sermonibus dixit ad eum; Si vis satis mihi facere & miseræ animæ meæ, crastina ego & tu vnanimiter eamus ad Ecclesiam & coram me participa incontaminatorum mysteriorum, & sic satisfacta ero.

Tunc coactus dixit ei sententiam capituli. Continuo ergo deponens illa muliebrem infirmitatem, & consilium bonum consiliens illi currit ad pastorem & discipulum Christi Basilium aduersus impietatem clamans; Miserere mihi miseræ, sancte Dei, Miserere mihi, discipule Domini, quæ cum dæmonibus causam egi: Miserere mihi nefariæ proprium patrem non obaudiendi. Et docet eis rerum gestarum ordinem. Sanctus autem Dei vocans puerum, sciscitatus est ab eo si ista in hunc modum se habeat: Qui ad sanctum cum lachrymis ait, Etiam sancte Dei, si ego siluero, opera mea clamabunt & enarrat ei etiam ipse à principio vsque ad finem consequentem diaboli malam operationem. Tunc dicit ei sanctus: Vis reuerti ad Dominum Deum nostrum? Ad quem Puer: Vtique volo, sed non valeo. Dicit ei, quare? Respondit puer: Scripto abnegaui Christum, & professus sum Diabolo. Dicit ei. Non sit tibi cura: Benignus est Deus noster, & recipiet te pœnitentem: compatitur enim malitiis nostris.

Et iactans se puella ad pedes sancti, Euangelice deprecata est eum dicens, Discipule Christi Dei nostri, quantum potes adiuua nos. Dicit ad puerum sanctus, & Credis saluari? Qui ait: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et continuo apprehendens manum eius, faciensque Christi signum in ipso, & orans, reclusit eum in vno loco interioris sacri periboli: Et dans ei regulam, collaborabat ei per tres dies, post quos visitauit eum, & dicit ei: Quomodo habes fili? Dicit ad eum, In magna sum Domine defectione, sancte Dei, non fero clamores eorum, & terrores, ne iaculationes, seu lapidationes eorum. Tenentes manuscriptam meam, causantur me, dicentes, Tu venisti ad nos, non nos ad te. Et dicit ei sanctus: Noli timere fili, tantum crede, & dans ei modicam escam, faciensque super eum Christi iterum signaculum, ac orans reclusit eum: Et post paucos dies visitauit eum, & dicit, Quomodo habes fili? Dicit ei, Pater sancte, à longe clamores eorum audio & minas, sed non video eos. Et iterum dans ei escam &

erans claudensque ostium abiit. Et quadragesimo die rediit, & dicit ei. Quomodo habes, frater? Respondens dicit ad eum, bene habeo, sancte Dei: Vidi enim te hodie in visu pugnantem pro me, & vincentem diabolum. Mox ergo sanctus secundum consuetudinem faciens orationem, eduxit eum, & adduxit in dormitorium suum.

Mane autem facto vocauit sacrum clerum, & monasteria, & omnem Christo amabilem populum, & dixit eis: Filioli mei dilectissimi, omnes gratias agatis Domino: Ecce enim ouem perditam debet pastor bonus in humeris reportare, & offerre Ecclesiæ: Quapropter debitum est & nos vigiliam facere nocte, ac postulare eius benignitatem, vt non vincat corruptor animarum etiam in hoc facto. Et alacriter populo coaggerato per omnem noctem postulauerunt Deum cum bono pastore, cum lachrymis clamantes pro eo Kyrie eleison. Et mature cum omni multitudine populi accepit sanctum puerum, & tenens dexteram manum eius, ducebat illum in sanctam Dei Ecclesiam cum psalmis & hymnis. Et ecce diabolus omnium fascinans in tristem vitam cum omni perniciosa virtute aduenit, & inuisibiliter apprehendens puerum, conabatur rapere eum de manu sancti.

Et cœpit clamare puer: Sancte Dei, adiuua me. Et tanta improbus instantia adgressus est, vt etiam memorabilem virum compelleret, trahens puerum. Conuersus ergo sanctus ad diabolum, dixit, Improbissime, & animarum corruptor, pater tenebrarum & perditionis, non sufficit tibi tua perditio, qua te, & eos, qui sub te sunt, affecisti, nisi etiam & Dei mei tentes plasma? Diabolus autem dixit ad eum: Praeiudicas me Basili (ita vt plurimi ex nobis audirent vocem dæmonum hæc dicentium, clamante populo Kyrie eleison) Sanctus autem Dei ait ad eum: Increpat te Dominus, diabole. Qui respondens ait ad eum: Basili præiudicas me, non abii ego ad eum, sed ipse venit ad me: Abnegauit Christum, & professus est mihi: Et ecce manuscriptum habeo, & in die iudicii ad communem iudicem eum duco. Sanctus Dei dixit: Benedictus Dominus Deus meus, non deflectet populus iste manus de altitudine cœli, donec reddas manuscriptum. Et conuertens se dixit populo: Erigite manus vestras in cœlum, clamantes cum lachrymis Christe Kyrie eleison. Et stante populo in horam multam extensas habente manus in cœlum, ecce manuscripta pueri per aerem delata, & ab omnibus visa, venit, & imposita est manibus memorabilis nostri patris & pastoris. Suscipiens autem eam & gratias agens Deo gauisus factus est valde, & coram omni populo dixit ad puerum. Cognoscis litterulas has frater? Qui ait ad eum: Etiam sancte Dei, manuscripta mea. Et disrumpens manuscriptam sanctus Basilius, perduxit eum ad Ecclesiam, & dignum fecit sancto ministerio, & communione mysteriorum & munerum Christi. Et faciens susceptionem magnam refrigerauit omnem populum, & ducens puerum, ac instruens, & dans ei regulam decentem, reddidit eum mulieri eius intacibili ore glorificantem & laudantem Deum Amen.

Luc. 8. Et venerabilis Presbyter Beda in tertio libro commenti Lucæ Euangelistæ: *Interrogauit*, inquit, *illum Iesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intrauerunt dæmonia multa in eum. Non velut inscius nomen inquirit, sed vt confessa coram peste, quam furens tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Sed & nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæmones eiicere nouerunt, solent dicere patientes non aliter valere curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, vel alio quolibet corporis, vel animi sensu, vigilantes, dormientesue pertulerint, confitendo pariter exponant: Et maxime quando, vel viris in specie fœminea, vel in virili habitu fœminis apparentes (quos dæmones Galli Dusios vocant) infando miraculo spiritus incorporei corporis humani concubitum petere se ac patrare confingunt: & nomen dæmonis quo se censere dixerit, & deuitandi modos, quibus amoris sui fœdus alterutrum pepigerint, prodendos esse præcipiunt, quæ mendacio simillima res, sed adeo vera & plurimorum est attestatione notissima, vt quidam vicinus mihi Presbyter retulerit, se quandam sanctimonialem fœminam à dæmonio curare cœpisse, sed quamdiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse, confesso autem quo molestabatur phantasmate, mox & ipsum orationibus, cæterisque quæ oportebat purificationum generibus effugasse, & eiusdem fœminæ corpus ab vlceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat medicinali studio, adiuuto sale benedicto curasse. Sed dum vnum de vlceribus, quod altius halcro infixum reperierat, nullatenus posset, quin continuo panderetur, obducere, ab eadem ipsa, quam sanare volebat, consilium, quo sanaretur accepisse.*

Si, inquit, *oleum pro infirmis consecratum eidem medicamento aspergeres, sicque me perunxeris, statim sanitati restituar: Nam vidi quondam per spiritum in quadam longius posita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem taliter à Sacerdote curatam. Fecit, vt illa suggesserat, statimque vlcus remedium, quod ante respuerat accipere consensit. Hæc contra fraudes dæmonum paucis explicare curaui, vt quam non frustra Dominus nomen eius, quem expulsurus erat spiritus, interrogarit, intelligas.*

XVI. INT. De eo autem quod interrogatum est, quæ sit causa cur Deus, vt dicitur, sæpe in legitimo coniugio permittat talia fieri?

RESP. Sciendum est quia vt à Deo institutum coniugium bonum est, & omne peccatũ non ex propria natura subsistit: malum quippe sine substantia est; quod tamen vtcumque fit, in boni natura (vt supra diximus) coalescit, & peccatis exigentibus, in bono coniugii malum fit operatione diaboli, sicut Domini est terra bona vtique, vt à bono Deo creata, & iniquitates sunt nostræ, sed sæpe nostris iniquitatibus videmus & sentimus terram Domini tabescentem, qui promisit iratus futuram nobis terram ferream, & cœlum æreum, & placatus daturum se nobis pluuiam temporaneam & serotinam terræ: & quia cœlum dabit pluuiam: *& terra dabit fructum suum*, non quo creaturarum immutetur natura, sed quia meritorum distantia irato vel placato Deo exinde à nobis vindicta sentiatur vel gratia. Et beatus Gregorius in libro secundo moralium dicit: *Occulta*, inquiens, *iustitia Dei licentia malignis spiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant.* Et Augustinus in libro primo de nuptiis & concupiscentia: *Qui miratur quia creatura Dei subditur diabolo, nõ miretur: subditur enim creatura Dei, creatura Dei, minor maiori, quia homo Angelo: nec tamen propter naturam, sed propter vitium, quia immundus immundo, quia & ipse diabolus spiritus immundus est. Et vtique bonum quod spiritus, malum quod immundus: quoniam spiritus est natura, immundus est vitio: quorum duorum illud à Deo est, hoc ab ipso. Non itaque tenet homines siue maiores, siue infantilis ætatis propter quod homines sunt, sed propter quod immundi sunt.* Et in libro de gratia & libero arbitrio: *Fixum enim*, inquit, *debet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum: ac per hoc quando legitis in litteris veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iuste ista paterentur, ne incurratis in illud prouerbium Salomonis: Insipientia viri violat vias eius: Deum autem causatur in corde suo.*

Deut. 11. Iacob 5. Psal. 84

XXII. INT. De eo siquidem quod interrogatum est, vt si forte tales viri malefici, vel incantatrices fœminæ inuentæ fuerint; quid de huiusmodi fieri debeat?

RESP. Sanctus Leo scribens ad Episcopos per vniuersas Prouincias demonstrat: *Aliquanti*, inquiẽs, *malefici, qui ita se demerserunt, vt nullum his auxiliantie posset remedium subuenire, subditi legibus secum Christianorum principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione pollueret, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati.* Et post aliquanta: *Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi hos, qui sunt perditores & per-*

stri, zelo fidei dominicæ persequamur, & à sanis mentibus ne pestis hæc latius diuulgetur, sinceritate, qua possumus, abscindamus. Vnde hortor dilectionem vestram obtestor & moneo, vt qua debetis & potestis, sollicitudine, vigiletis ad inuestigandos eos, nec vbi occultandi se reperiant facultatem. Vt enim habebit à Deo digna remunerationis præmiũ, qui diligentius, quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare quicumque plebem suam contra sacrilegas persuasionum auctores noluerit custodire. Et

Lib. 11. ep. 3.

S. Gregorius ad Cyprianum diaconum: *Vir sanctissimus Maximianus Coepiscopus noster Ecclesiam Dei prauis hominibus purgare desiderans, laudabiliter erga Ecclesiasticorum vitam fuit sicut nosti sollicitus, qui dum eorũ actus vigilanter cura pastorali intenderet, maleficio quod vulgo canterma dicitur, quosdam didicit maculatos quos etiam, sicut & dilectioni tuæ nuntiauit epistola, dedit in custodia retinendos. Sed quia peccatis nostris facientibus morte præuentus crimen ipsum vlcisci non valuit, necesse est vt dilectio tua cum omni subtilitate hoc indagare festinet, atque ita in eos secũdum immanitatem studeat facinoris vindicare, qualiter supra scriptum Episcopum zelo correctionis ac iustitiæ in hac vltione propter Deum nouet potuisse, si viueret, commoueri. Omni ergo virtute, omniq; instantia, tua dilectio in hac causa zelum suum erga omnipotentem Deum curet ostendere, & inimicis illius aduersitatem dignam inflictis vltionibus exhibere, vt impleat quod scriptum erat: Nonne qui oderunt te Deus oderam illos, & super inimicos*

Psal. 138

tuos tabescebam? Si igitur hoc zelo dilectio tua accenditur in eos qui Deum reliquerunt, & contra eum aliquid maleficium egerunt, pœna monstretur.

Quod si recte illic exequi non valet nobis qui tales sunt transmitti debent: si tamen hic monstrari potuerit, vnde illic possunt absque difficultate conuinci: sed quia hoc impossibile esse existimo, illic per te debet districta atque fortis correctio prouenire.

Et ad Ianuarium Episcopum Sardiniæ: *Contra idolorum quoque cultores vel aruspicum atque sortilegorum fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur inuigilare custodia, atque publice in populo contra huius rei viros sermonem facere, eisque à tanti labe sacrilegii & diuini intentione iudicii, & præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria reuocare, quos tamen si emendare se à talibus atque corrigere nolle repereris, feruenti comprehendere zelo te volumus: & si quidẽ serui sunt verberibus cruciatibusq; vt ad emendationem perueniri valeant, castigare: si vero liberi inclusione digna districtaq; sunt in pœnitentia redigendi, vt qui salubria & à mortis periculo reuocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.* Et item in Edicto Canonico. *Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores*

Greg. 2. in Syn. Rom. can. 2.

obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuerit, anathema sit: Et responderunt omnes tertio, anathema sit. Et in Concilio Ancyrano cap. XXIII. *Qui diuinationes expetunt, & more gentilium subsequũtur, aut in domos suas huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, vel expiandi causa, sub regula quinquennio iaceant secundũ gradus pœnitentiæ diffinitos.* Ex Concilio Brachatensi cap.

Conc. Brac. 2.

LXX. *Si quis paganorum consuetudines sequens, diuinos & sortilegos in domum suam introduxerit, quasi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel lustrationes paganorum faciant, quinq; annis pœnitentiam agant.* Et cap. LXXI. *Non liceat Christianis traditiones gentilium obseruare, vel colere elemẽta, aut lunã, aut stellarum cursum, aut signorum fallaciam, pro domo facienda, vel propter segetes, vel arbores plantandas, vel coniugia sociãda: Scriptum est*

Col. 3.

enim, Omnia quæcumque facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia & in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo.

Et cap. LXXII. *Non liceat in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo diuino, & oratione Dominica, vt tantum Deus & Dominus honoretur.* Et cap. LXXIII. *Non liceat mulieres Christianas vanitatem in suis lanificiis obseruare, sed Deum inuocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit.* Et in Concilio Carthaginensi cap. LXXXIX. *Augurns vel incantationibus seruientem à conuentu Ecclesiæ separandum, similiter & Iudaicis superstitionibus vel feriis inhærentem.* Et in libro primo de capitulis Augustorum: *Vt Coeleares, malefici, incantatores fieri non sinantur, quos in Simone Mago terribiliter constat esse damnatos.* Et in Concilio Helibe-

Conc. Cart. 1

ritano cap. VI. *Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere non potuit, nec in fine impertienda esse illi communionem.* Sciendum tamen est, quia hæc districtionis seueritas ex Concilio Heliberitano erga eos, qui non resipiscunt, obseruari debebit. Cæterum iuxta beati Cœlestini decreta nulli est recognoscenti vltima pœnitentia deneganda, & sic Leo Magnus Papa decreuit: *His, qui in tempore necessitatis & periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio ac communionis gratia deneganda, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus quærere comprobentur. Quod si ita aliqua ægritudine fuerint adgrauati, quod paulo ante poposcerant, sub præsentia significare nõ valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, simulque & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur, seruata tamen regula Canonum circa eorum personas, qui in Dominica fide discedendo peccarunt: generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui non negetur, sicut Nicæna Synodus definiuit, eius conuersio mente potius est æstimanda quam tempore: quoniam apud Deum nullas venie patitur moras vera conuersio, Propheta hoc pariter attestante: Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Et in Nicæno Concilio, *Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentium conuenit explorare: quotquot enim metu, & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conuersionem suam, non simulatione demonstrant.* Et post paululum, *Postmodum licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.* Et in Ancyrano Concilio: *Penes Episcopos,* inquit, *erit potestas, modum conuersionis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adiicere.* Sed & in quinto capitulo eiusdem Concilii, & in aliis sufficienter inde lector inueniet. Et Innocentius Papa ad Decentium Eugubinum Episcopum scribit: *De pœnitentibus, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romana Ecclesia consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum iuberi dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis ægritudinem inciderit, atque vsque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.*

Conc. 4 Cap. 7.

XXIII. INT. Septimo capitulo rescribi nobis deposcimus, si sæpe fata fœmina iterum in iudicium venerit, & innoxia reperta fuerit, vtrum ad eam vir eius redire debeat, an alteri valeat sociari. Et remandate nobis, si ipsa criminibus obnoxia, de quibus reputatur, inuenta fuerit, vtrum idem Rex alteri fœminæ coniungi valeat? Remandate etiam, si tales causæ reputatæ fuerint & ipsi Regi, vnde publicam pœnitentiam agere debeat, postquam illa criminosa inuenta fuerit, vtrum ipse Rex post publicam pœnitentiam coniugem legitimam possit accipere? Et remandate, si & illa legaliter reiecta, ipse etiam post actam pœnitentiam, si voluerit, concubinam, quam habuit, & cum qua post initum coniugium adulterasse dicitur, in coniugem possit accipere?

RESP. De eo quod interrogatum est, si sæpe fata fœmina iterum in iudicium venerit, & innoxia reperta fuerit, vtrum ad eam vir eius redire debeat, an al-

teri valeat sociari? superfluum est iterare, quia supra ostendimus, quod si ante legaliter initum coniugium innoxia & legaliter nupta suo viro fidem seruasse reperta fuerit, secundum Euangelicam & Apostolicam veritatem, & leges Ecclesiasticas, atque Catholicorum doctrinam legitimum coniugium non valeat separari, & si separati fuerint, aut innupti permaneant, aut mutuo reconcilientur. Sed ne iterationem quæstionis relinquamus inanem de hoc quod reputata est, si fuerit immunis inuenta, Dominus per Moysen dicit in libro Deuteronomii, *Si inuenerit vir puellam virginem*, & sequentia, vsque dum dicitur, *non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ*, quam sententiam exponens beatus Augustinus dicit: *Merito quæritur vtrum ista pœna sit, vt non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinate atque inhoneste violauit? Si enim ob hoc intelligere voluerimus eam non posse, id est, non debere dimitti per omne tempus, quia vxor effecta est, occurret illud quod permisit Moyses dare libellum repudii, & dimittere. In his autem, quas inhoneste vitiant, voluit licere, ne ad ludibrium fecisse videatur, & potius finxisse quod eam vxorem duxerit, quam vere placitoque duxisse: hoc & de illa iussum est, cui fuerit vir calumniatus de virginalibus non inuentis*, de qua (sicut supra diximus) scriptum est, *habebit eam vxorem, & non poterit dimittere eam omni tempore vitæ suæ.* De qua item sententia beatus Augustinus dicit, *Satis hinc apparet quemadmodum subditas fœminas viris, & pene famulas lex esse voluerit vxores, quod dicens aduersus vxorem vir testimonium, vnde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur: ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit, sed tantummodo castigatur & damnificatur, eique perpetuo iubetur adhærere, qua carere voluerat. In aliis autem causis, eum, qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quo, si probaretur, iussit occidi, eadem pœna plecti iubet, qua fuerat, si verum esset, iste plectendus.*

XXIV. INT. De eo vero quod quæsitum est, remandare nobis, si ipsa criminibus obnoxia, de quibus reputatur inuenta fuerit, vtrum idem Rex alteri fœminæ coniungi valeat.

RESP. Partim iam supra respondimus, quæ partim nunc iterare non piget; videlicet si secundum leges Christianas, forenses scilicet, atque Ecclesiasticas, inuentum fuerit quod illa coniunctio legalis non fuerit, beati Gregorii ad Felicem Picilensem Episcopum teneatur sententia, qua dicit, *Incestuosos coniugii nomine deputandos, à sanctis patribus dudum legimus constitutum.*

Et sanctus Ambrosius in prima epistola ad Corinthios dicit, *Non est*, inquiens, *frater aut soror seruituti subiectus in eiusmodi, hoc est, non debetur reuerentia coniugii ei qui horret auctorem coniugii: non enim ratum est matrimonium quod sine Dei deuotione est, ac per hoc non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum si alii se iunxerit. Contumelia enim Creatoris soluit ius matrimonii circa eum qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens, & in Deum & in matrimonium peccare dinoscitur, quia noluit sub Dei deuotione habere coniugium, itaque non est ei fides seruanda coniugii, qui ideo recessit ne audiret* * *rectorem esse Christianorum Deum coniugii. Nam si Esdras dimitti fecit vxores, aut viros infideles, vt propitius fieret Deus, nec iratus si alias ex genere suo acciperent (non enim ita præceptum his est, vt remissis istis alias minime ducerent) quanto magis si infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere legis suæ viro? Illud enim non debet imputari matrimonium, quod extra decretum Dei factum est, sed cum post cognoscit, & dolet deliquisse emendat se, vt veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur coniugium; In pace autem vocauit nos Deus. Verum est quia non oportet litigare cum eo qui discedit, quia odio Dei discedit ac per hoc nec dignus habendus est.*

Et hinc sanctus Augustinus in libris ad Pollentium, *Merito quas duxerant* (quin vxores) *filii Israel, Domino prohibente, Domino iubente dimiserunt, quia omne quod non est ex fide, peccatum est:* Vnde lector in eisdem libris latius inuenire valebit. Et in Concilio Agathensi scriptum est, *De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cum adulterium separatione sanauerint. Incestos vero nullo coniugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est.* Et post aliquanta, *Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem.*

XXV. INT. De eo vero quod requisitum est, si & ipsi Regi, vnde publicam pœnitentiam agere debeat, postquam illa fœmina criminosa inuenta fuerit, vtrum ipse Rex post publicam pœnitentiam coniugem legitimam possit accipere?

RESP. Sanctus Leo Papa ad Rusticum Narbonensem Episcopum respondet dicens: *In adolescentia constitutus, si vrgente, aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem nullam omnino cognouerit: in quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus: Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseuerans mentis & corporis.* Sed & hinc in Toletano Concilio cap. VIII. *Antiqua & sanctissima est Patris sententia Papæ Leonis, vt is, qui in ætate adolescentiæ positus, dum mortis formidatur casum peruenerit ad pœnitentiæ remedium; si coniugatus forte fuerit metu timens, ne post ea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum coniugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiæ statum, quod nos sicut de viris, ita & de fœminis æquo modo censemus, non quidem hoc generaliter & legitime præceptum, sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum, ea duntaxat ratione, vt si is qui pœnitentiam non est legibus deditus, ante ab hac vita discesserit, quam ex consensu ad continentiam eorum vnde fuerit regressus, superstiti non liceat denuo ad vxorios transire amplexus. Si autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat si se continere non potest, & alterius consortio fruatur vxoris, quod de vtroque sexu pari modo à nobis manifestum est decreuisse, ita videlicet vt in hoc omnibus Sacerdotis ordinatio expectetur, vt iuxta quod ætatem aptam prospexerit, continentiæ absolutionis vel districtionis tribuat legem.*

XXVI. INT. De hoc etiam quod in quæstionum fine subiunctum est, remandate, si & sæpe fata fœmina legaliter reiecta fuerit, & ipse Rex post pœnitentiam actam, si voluerit, concubinam, quam habuit, & cum qua post initum coniugium adulterasse dicitur, in coniugem possit accipere?

RESP. Quia vna est lex viri & fœminæ, vt supra scripturarum & Catholicorum patrum sententiis demonstrauimus, si solutus fuerit à lege coniugis, sicut Paulus dicit de vxore, *nubat cui voluerit, tantum in Domino*, hoc est, vt Ambrosius dicit, *sine suspicione turpitudinis nubat, & religionis suæ viro nubat, hoc est in Domino nubere*: quæ solutio, & licita copulatio, duobus intelligitur, & duobus fit modis, scilicet in his qui aut nunquam legale inierunt coniugium, aut morte intercedente soluti sunt à lege coniugii, sicut Paulus dicit, *Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego, quod si non se continent, nubant.* Et item; *Solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem: si autem acceperis vxorem, non peccasti: Et si nupserit virgo non peccauit*: Quod æque de masculo & fœmina intelligitur, communis est enim generis hic & hæc virgo: & hoc demonstrat subsequenter Apostolus dicens, *Tribulationes tamen carnis habebunt huiusmodi*: quam sententiam & in viro & in fœmina exponit Ambrosius. Fit etiam quod licet inlicitum in his qui sine culpa ad coniugium venire poterant, & maius bonum subire proponunt, bonumque minus, quod licuit, inlicitum

faciunt, vnde scriptum est: *Nemo ponens manum super aratrum, & respiciens retro aptus est regno cælorum.*

Qui igitur fortiori studio intenderat, retro conspicere conuincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. Fit & interdum, causa non contemnenda interueniente, quod erat inlicitum licitum, cum legaliter initum coniugium dissolui permittitur causa infidelitatis: Vnde Paulus dicit, *Si quis frater vxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo: non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non relinquat virum.* Et post pauca: *Quod si infidelis discedit, discedat*: Vel cum causa fornicationis vxor relinquitur, de qua item Paulus dicit: *His autem qui in matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, & virum vxorem non dimittere*: Quod æqua lance pensatur, vt si dimiserit, in cœlibatu permaneat: quæ disiunctio inter fideles post initum coniugium fieri non potest, nisi causa fornicationis, & amore continentiæ: & fit quod erat inlicitum indulgentia licitum, sicut idem Paulus in minoribus etiam de magnis demonstrat, dicens: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*, cum vir & mulier propter fornicationem separati, si se continere non possunt, ad inuicem reconcilientur. Inlicitum enim erat, vt ad vnionem carnis, quam sociauerant fornicantes, reuenirent, qui in continentia permanere debuerant, præsertim cum dicat scriptura, *Qui tenet adulteram, stultus & impius est*: sed, vt sanctus Augustinus in libro de bono coniugali dicit, *Propter maius malum, toleratur quod minus est præuum*: Dominus enim dicit, quia vir & vxor propter fornicationem ab inuicem separati, si aliis se coniunxerint, adulterant, & qui iunxerint se aliis, mœchantur. Hinc & in libro de sermone Domini in monte, & in libris retractationum apertissime dicit, quod & demonstrat Innocentius ad Exuperium Tholosanum Episcopum, sicut supra posuimus, *Manifestum est enim* (vt item Augustinus dicit) *peius esse adulterium, quam fornicationem, nec ideo bona erit fornicatio, quia peius est adulterium, Quoniam peius est alienum matrimonium violare, quam meretrici adhærere. Nec bonum est adulterium, quia est peior incestus: peius est enim cum matre, quam cum aliena vxore concumbere, & donec ad ea perueniatur, quæ (sicut ait Apostolus) turpe est etiam dicere.* Et beatus dicit Gregorius, *Dum duorum vitiorum languor irruit, & hoc leuius, illud fortasse grauius premit, ei nimirum vitio rectius sub celeritate subuenitur, per quod festine ad interitum tenditur: Et inter duo pericula quod leuius est prudenter expetitur. Fit & inlicitum venia licitum, cum publicam pœnitentiam agens adolescens*, vt Leo demonstrat, *timens lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris eligit, ne crimen fornicationis incurrat, rem faciens venialem si præter coniugem nullam omnino cognouerit: in quo regula non constituitur, sed quid sit intolerabilius æstimatur.* Transitur & quasi inlicite, de inlicito ad licitum, cum de incestibus nefariis, quos Agathense designat Concilium, quando cum pœnitentiæ indulgentia ad complexus vxorios transiri permittitur. Sic & de concubinalibus modis dicendum est, qualiter non de bono ad bonum atque honestum, & non de bono ad bonum, quamquam non satis honestum, & de malo ad aliquod bonum, sed non honestum transitur. Bonum est enim atque honestum ante innuptos, si in virginitate permanere nequiuerint (sicut supra ostendimus ex Apostolica traditione, sancto Euaristo scribente) nuptialem coniunctionem expetere. Et bonum atque honestum est, cœlibes, si se continere non possunt (sicut sanctus Leo demonstrat) legale inire coniugium. Qualiter autem non de bono ad bonum atque honestum, id est, de concubina ad vxorem transitur, idem S. Leo ad Rusticum Narbonensem Episcopum demonstrat, dicens, *Non omnis mulier viro iuncta vxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima & inter æquales, & multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium Romani iuris existeret; itaque aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit de Genesi, vbi dicitur Abrahæ, Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet etiam in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.* Et item, *Ancillam vel concubinam à toro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, sed profectus est honestatis: quoniam paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.* De non bono autem ad bonum, quamquam non satis honestum, transitur, sicut idem Leo vbi supra demonstrat, quando concubina forte ingenua facta, quæ fuerat ante ancilla, & dotata legitime, & publicis nuptiis honestata videatur, sicut & omnis vxor legaliter coniugata, post desponsationem legitime dotari, & publicis honestari nuptiis debet. De malo autem ad aliquod bonum, sed non honestum, tolerabiliter festinatur, sicut sanctus Augustinus in primo libro de nuptiis & concupiscentia dicit, *Sane non tantum fœcunditas cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum fides est, verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis.* Vnde dicit Apostolus, *Viri diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Huius proculdubio sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati quandiu viuant inseparabiliter perseuerent, nec liceat, excepta causa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi: hoc enim custoditur in Christo, & in Ecclesia, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio separetur *in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius*, quod est in Ecclesia Christi quibusque fidelibus coniugatis, qui sunt sine dubio membra Christi, vt cum filiorum procreandorum causa vel nubant fœminæ, vel viri ducant vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur, quod si quisquam fecerit, non lege huius sæculi, vbi interueniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctum Moysen Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur, sed lege Euangelii reus est adulterii, sicut etiam illa si alteri nupserit: & vsque adeo manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges qui ab adulterio separati sunt, quam cum his quibus aliis adhæserunt: cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro, vel fœmina, cum quo vel cum qua verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo vel cum qua prius adulterium fuit, videlicet si cognatio, aut habitus religionis, vel impudicitia pessimi criminis, siue aliquid huiusmodi non obstiterit.

Et item vbi supra Augustinus, *Ita manet etiam inter viuentes quiddam coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit: redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens, habet hoc autem qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii.* Et in libro de bono coniugali, *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius*

cum viuit, nec saltem ipsa causa pariendi, qua cum sola sit, qua nuptiæ fiunt, necare non subsequente, propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi coniugis morte: quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregationem subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis, & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudicium permanente. Et item in præfato libro de nuptiis & concupiscentia. *Quibus vero placuerit ex consensu ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt vinculum inter illos coniugale rumpatur, immo firmius erit quo magis ea pacta secum inierunt, quæ carius concordantiusque seruanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.* His scripturarum testimoniis, atque sanctorum dictis manifestatur, quomodo concubinam, cum qua adulterasse dicitur, si voluerit, in coniugium sibi sociare præualeat, videlicet, si aut vxor legaliter accepta, & innoxia erga illum inuenta, mortua fuerit corpore, vel si inuenta fuerit anima adeo mortua, vt ipsius cum ea copula incestus & nullo coniugii nomine deputandus legaliter comprobetur. Nec tamen talis coniunctio, si huiusmodi concubinam in coniugem sumpserit, reprehensione atque offensionis macula carere videbitur, dicente beato Augustino in libro de bono coniugali: *Quod ergo*, inquiens, *præcipiunt coniugatis Apostoli, hoc est nuptiarum: quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.* Itaque si forte, quod verum fieri possit ignoro, magisque fieri non posse existimo, sed tamen si forte ad tempus adhibita concubina filios solos ex eadem commixtione quæsiuerit, nec ista sic coniunctio vel eorum nuptiis præponenda est, quæ veniale illud operantur. Quid enim sit nuptiarum, considerandum est, nunquid incontinentium & immoderatius nuptiis vtentium? Neque enim si agris inique ac perperam inuasis ita quisque vtatur, vt ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam iustificat. Neque enim si alius ruri paterno vel iuste quæsito auarus incumbat, ideo culpanda est iuris ciuilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis peruersitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet. Nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannica sæuiat. Aliud est namque iniusta potestate iuste velle vti, & aliud est iusta potestate vti, ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, iustum faciunt concubinatum suum: nec coniugatæ, si cum maritis lasciuiant, nuptiali ordini crimen imponunt. Posse sane fieri nuptias ex male coniunctis, honesto placito consequente, manifestum est. Semel autem initum connubium in ciuitate Dei nostri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam Sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest nisi alicuius eorum morte dissolui: manet enim vinculum nuptiarum etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita vt iam scientibus coniugatis non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare non liceat: quod si fecerint, cum eis, quibus se copulauerint, adulterium committunt. Quoniam (vt sancti Patres de bono coniugali diffiniunt) *bonum habent nuptiæ, & quod bonum est, peccatum non est, ac per hoc qui contra bonum nuptiale facit, peccatum facit cum adulterium committit.* Diffiniunt etiam, *quod bonæ & à Deo constitutæ ac benedictæ sunt nuptiæ, quas etiam sua præsentia consecrauit, in quibus est fides, proles, sacramentum.* In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera, vel cum altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: nec tantum gaudeant parentes quia sobolem genuerunt, quantum vt soboles in Christo regeneretur. In sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus

aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur. Hæc est regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas, sicut sanctus Augustinus in libro de bono coniugali, & in libris de nuptiis & concupiscentia latissime & facundissime satis ostendit. Vnde omnimodis obseruandum est, ne concubinæ, vel cuiuslibet alterius fœminæ copulam coniugalem Rea (super quo voluerunt consulere consulentes) aliquo modo caperat antequam legali virorum illustrium iudicio, & sacerdotali decreto coniunx, quam legaliter accepit, ipso etiam coniugis nomine iudicetur indigna, aut diuino iudicio migret à corpore: quia sicut in libro Hester manifestissime legitur, Regina Vasthi potentissimi Regis Assueri, licet ferocissimus fuerit, cum eius animos contemptu & contumacia offendisset, nequaquam sola illius indignatione & furore ex imperii honore deposita fuit, sed publico iudicio & sententia principum ac iudicum Medorum atque Persarum, & post depositionem illius Reginæ per iudicium publicum factam, quæsitæ sunt puellæ, quæ placerent oculis Regis, inter quas Hester pulchritudine & decore enituit, sicque regiam copulam meruit, quod etiam antiqui Romani legitimo iudicio fieri debere legibus suis antiquitus statuerunt & seruauerunt, non solum iam effecti Christiani, sed etiam cum adhuc essent pagani, sicut apertissime ostendit lex Antonini pagani Imperatoris quam beatus Augustinus in libro de adulterinis coniugiis hoc modo commemorat & commendat dicens: *Quibus displicet, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma seruetur, & potius eligunt, maximeque in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam iura forensia non eisdem quibus fœminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere, legant quid Imperator Antoninus, non vtique Christianus de hac re constituerit, vbi maritus vxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit casti ipse exemplum, ita vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse connecterit. Nam supradicti Imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur: Sane (inquit) litteræ meæ nulla parte causæ prœiudicabunt. Neque enim si penes te culpa fuit vt matrimonium solueretur, & secundum legem Iuliam Eupsa vxor tua nuberet, propter hoc rescripto meo adultera damnata erit, nisi constat esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. periniquum enim videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet: quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel causam facti tollere. Si hæc obseruanda sunt propter decus terrenæ ciuitatis, quanto castiores quærit cælestis patria, & societas Angelorum?* Hæc de legibus pagani Imperatoris Antonini B. Augustinus commemorat. Ita Reges Medorum, ac Persarum, atque Romanorum, & Iudices seculi, cum essent pagani, & idolorum cultores, naturaliter quæ legis sunt facientes, etiam in causis coniugum non crudelitatem & sæuitiam, sed æquitatem & iustitiam decernere ac diffinire & tenere debere docuerunt. Quapropter timendum est Regibus, Episcopis, & iudicibus sæculi quod in Euangelio dicitur de Niniuitis, & Regina Austri, *quoniam surgent in iudicio, & condemnabunt generationem pessimam*: condemnabunt vtique non potestate iudicii, sed comparatione melioris facti. Si Reges illi ac iudices Idololatræ sic ordinem iudicii seruauerunt, & nos sub Christo iudice viuorum ac mortuorum quocumque intuitu minus debito à iudicii ordine deuiamus? In Numeri quoque libro præcipitur, vt si qua mulier vel adulterii rea, vel falsa suspicione fuerit appetita, & vir eius zelo aduersus eam fuerit concitatus, adducat illam ad Sacerdotes, & diuino iudicio vel damnandam offerat, vel liberandam.

Esth. 1.
Matt. 12.
Num. 5.
Deut. 17.

[Ioan. 8.] Vnde Susanna cum falso adulterii crimine accusaretur, & publico iudicio condemnata, & publico legitur absoluta. Et illa mulier in Euangelio, quæ veraciter in adulterio fuerat deprehensa, primum iuxta legem ad Pharisæos, qui potestatem iudicii in populo exercebant, deinde etiam tentandi gratia ad Domini iudicium perducta est, vbi eius admirabili pietate, & à lapidationis supplicio, & à criminis reatu meruit liberari. Sic & leges Christianæ sunt inspirante Domino conditæ, quibus legaliter initur coniugium, & sacerdotalis auctoritatis est sanctitas, qua benedictionem suam Dominus in paradiso primis parentibus per se datam coniugibus legaliter copulatis, vice sua per eos, qui illius os appellantur, (dicente Propheta: *Os* [Esa. 1.] *Dominus locutum est*: & ipso Domino; *Cum separaueris* [Hier. 15.] *pretiosum à vili, quasi os meum eris*) viris vult largiri, & infirmos pœnitentiæ medicamento sanare. Et liber dicit Ecclesiasticus de seruo, quanto minus de vxore; *Verum sine iudicio nihil facias graue.* Est & illi Regi aliud obseruandum, ne ante legitimam pœnitentiam secundum leges Ecclesiæ susceptam atque peractam, & reconciliationem adeptam, coniugio, multo minus eidem, de qua agitur, concubinæ se copulet: quoniã nec Dauid Rex sine talis excoctionis pœnitentia Bethsabee, cum qua adulterauit, in coniugem habuit, vt & [2. Reg. 12.] filius, qui ex ipso adulterio natus fuerat, confestim diuino iudicio, licet pro eo multum ieiunando & flendo peteret, sit percussus ac mortuus, & ipse postea grauissimis tribulationibus, ac regni sui amissione per filium suum Absalon ita afflictus est & vexatus, ac velut in fornace ignis excoctus atque purgatus, vt vere [2. Reg. 15] sola diuina clementia euasisse videatur, & iam ei acerrime contrito corde pœnitenti, & confitenti misericors Dominus peccatum dimiserat: sed *quia iustus est,* [Psal. 10] *& iustitiam diligit*, quod Rex ab eo ad scelera vlciscenda constitutus egerat scelerate, digne atque iustissime vindicauit.

XXII. INT. Octauo capitulo nobis rescribite, vtrum sequendum sit quod quidam dicunt, quosdam docere Episcopos, vt sibi confessis viris vel fœminis debeant patrocinium defensionis impendere, ne quisquam huiusmodi personas ad iudicium Reipublicæ audeat pro criminibus vnde eis confessæ fuerãt, etiam si multis nota sunt, prouocare. Et si se non ex consensu propter continentiam, sed propter dissidium aliquod separare voluerint, vel eorum fragilitati, si separati se continere nequiuerint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sua posse consulere, dicentes quia secreta confessione ad Ecclesiasticam confugerint pietatem, sicut Bosonis mulier de qua in Synodo apud Leuchorum ciuitatem habita fuimus cum interpellatione commoniti, & ideo ab aliis quam ab Episcopis, quibus confessæ tales personæ fuerant, non debeant iudicari.

RESP. Hoc quam absurdum sit, quilibet sensatus, licet ignoret leges Ecclesiæ, recognoscit: quia vt beatus Gregorius ad Leontium Exconsulem scribit: *Debet*, inquiens, *gloria vestra meminisse, quia nunquam meas Epistolas pro commendatione alicuius accepit, nisi vt protectionem vestram fauente iustitia præstaretis: quia turpe est defendere, quod prius non constiterit iustum esse. Ego quidem homines propter iustitiam diligo, non autem iustitiam propter homines postpono.* Sicut enim, vt supra beatum docuisse Ambrosium scripsimus, non minus quam ante decem testes pactum potest firmari coniugii, sed & ipsum nomen nuptiæ quod singularitate caret, plurimorum expetere monstrat debere notitiam: & quod publice coniunctum est, in angulo separari non potest. Et de secreta confessione, quam publicari non licet, coniugium legibus Christianis ac publicis coniugatum ab eodem coniugii iugo dissolui non potest, neq; tale concludium ad Ecclesiasticam pietatem dici debet confugium.

Vnde si nosse quiscumque desiderat quid auctoritas Ecclesiastica de ad se, vt matris sinum, confugientibus moderate decernat, suggerimus, vt inter alia curiosus, vel quilibet studiosus beati Gregorii reuoluat Epistolas, in quibus multoties, immo quotiens conuenientia se loci obtulerit, siue ad Imperatores, vel ad quascumque personas pro omnibus ad se confugientibus petens, litteris suis semper inseruit; *salua æquitate, vel salua ratione, siue constante iustitia, aut causa iudiciali termino diffinita, siue sacerdotali iustitia*; Et, *vt electorum cum parte altera necesse est subire iudicium*, Et, *vt veritas cognosci & quod æquitatis ordo suaserit, valeat diffiniri*: Et, *vt mora cessante ad electorum accedere quisque compellatur iudicium*: Et, *Quicquid veritate cognita sacrosanctis Euangeliis fuerit statutũ, ita ad effectum executionis omnimodis perducatur*: &, *Quicquid suadente iustitia visum fuerit, scripto decernatur*: &, *vt in nullo contra leges aut rationem quis patiatur aliquo modo prægrauari, sed vt iustitiam ei, sicut Christianitati conuenit, in omnibus debeat custodiri, quatenus ipse, qui ad pietatem Ecclesiasticam confugit (quod ei ab eadem pietate promissum est) non debeat contra æquitatis ordinem prægrauari*: & uetum, *vbicumque confugienti necesse fuerit, salua ei ratione concurratur*: & item, *Solatiis vestris quicumque vsus exegerit comitante iustitia potiatur* & item ad Fantinum defensorem; *Antefata mulieri salua æquitate tuitionem impende, & eam contra rationis ordinem nullo modo grauari permittas*: & iterum ad Anatholium Constantinopolitanum Diaconum: *Hæc tamen dilectionem tuam volumus sollicite attendere, ne se in quacumque causa, vbi grauamen est pauperum misceri consentiat, ne fortasse potentia personarum aliquatenus pressus cogatur agere quod animæ illius non possit expedire: cuncta ergo cum Dei timore tractate, æternam maxime mercedem perpendite*: & ad Sabinum Subdiaconum: *Studii tui sit, vt nullis contra rationem dispendiis debeant subiacere, quod si forte diquanititur excusatione defendere, mediis sacrosanctis Euangeliis causam subtiliter perscrutari: & vt iustitiæ legis ordo suaserit, diffinire contendat, atque diffinitum effectui mancipare.*

Et ad Romanũ defensorem: *Patrocinia Ecclesiastica, siue meam suscipiatis scripturam, etiam & minime fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus si qui furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniuste defendi, ne opinione male agentium ex indiscreta defensionis ausu in nos vllo modo transferamus: sed quantum decet, Ecclesiam admonendo, verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, vt & illis opem feratis, & opinionem sancta Ecclesia non inquinetis.*

Sed & de his qui ad septa Ecclesiæ, & etiam ad ipsa sacraria confugerint sanctuarii, ad Ioannem Episcopum Caralitanæ ciuitatis scribit; *Si qui*, inquiens, *de quibus est quæstio, in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi, damna sustineant. Cura ergo vestra sit, vt eis sacramento, ab his quorum interest, de seruanda lege & iustitia promittatur, & per omnia communicantur exire, atque suorum actuum reddere rationem.* Et in libro primo capitulorum domini Karoli, & Hludouuici Augustorum: *Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quod fecit: & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publico producatur.* Et in Concilio Aurelianensi cap. 1. *De homicidis, adulteris, & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, scriptum est, vt sicut in Ecclesiasticis canonibus, & Romana legis decretis constitutum est, Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi eos non liceat abstrahi, sed datis sacramentis ac de morte, debilitate, ac omni pœnarum genere, ne violentiam ante legalem satisfactionem patiantur, ab Ecclesia exeant, ita vt ei cui reus fuerit criminosus de satisfactione conueniat.* Et in tertio capitulo; *Si cuiusquam seruus ad Ecclesiam*

confugerit pro qualibet culpa, accepto Sacramento de impunitate ad seruitium Domini sui redire cogatur: qui si post datum sacramentum redere noluerit exire nolentem à Domino liceat occupari. Non obseruantes autem ea, quæ promiserint, à communione Ecclesiastica iubentur abscindi. Sed & in secondo capitulo eiusdem Concilii scriptum est: *Vt si ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa, aut seruiendi conditioni subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quæ rapitur patrem habere constiterit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur.* Et in Concilio Africano scriptum est: *Vt si quis cuiuslibet honoris clericus iudicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse legum promulgatores præcipiant;* Quanto minus Episcopi, æquitatis videlicet prædicatores, quenquam sub specie pietatis iniuste debeant defensare? præsertim cum relegant scriptum esse: *Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti.* Et, *iuste quod iustum est exequaris.* Verum si cui quiddam sonare videtur contrarium Aorelianensis Synodus decretis Apostolicæ sedis, quoniam hæc de impunitate, illa de æquitate seruanda postulat Sacramenta, sciendum est, quia B. Gregorius de his personis dicit, quæ se iustificari in iudicio credunt, sed violentiam ante iudicium timent: Synodus autem Aurelianensis de illis dicit, qui suam iniustitiam non abscondunt, insuper & violentiam cum æquitate iudicii pertimescunt. Non autem de lege connubii, quam specialiter, vel (vt dicamus) singulariter Dominus in paradiso primis parentibus dedit & in Euangelio etiam Apostolis conquerentibus, quod *si ita lex esset viri cum vxore, non expediret nubere,* non mutauit. Nec Paulus ad tertium cœlum & in paradisum raptus scribere quiddam noui præsumpsit, aut aliquid de huiusmodi defensione dicere attentauit.

[Margin: Can. 5. — Can. 4. — Can. 29 — Genes. 4 secund. LXX. — Deut. 16. — Gen. 2. Matt. 19 — 2. Cor. 12. — 1. Cor. 7.]

Sed & obseruandum constat legentibus, vt quotienscumque Concilium aliquod, pro temporis qualitate, vel periculi necessitate, quiddam consulendo, Apostolicæ sedi, vel veteribus regulis diuersum, sed non fidei, vel religioni aduersum decreuisse legitur, secundum quod in Niceno Concilio capitulo VI. legitur: *De eo quod communis cunctorum decreto rationabili, & secundum regulam Ecclesiasticam comprobato duo aut tres contradicunt, quatenus obtineat sententia plurimorum:* ita, sicut scribit Gelasius: *Priscis pro sua reuerentia monimentis constitutis, quæ vbi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia regulariter conuenit custodiri, id potius sequendum esse dinoscitur quod Apostolica sedes irrefragabiliter tenere decreuit, vel plura seu maioris auctoritatis Concilia statuerunt.*

[Margin: Epist. 6. cap. 2.]

Idem quoque beatus Gregorius vrgendum ad iustitiam nolentem Venantio Lunensi Episcopo scribit dicens, *Quoniam æquitatis censura admonet, vt maximum conuersis, saluationis, Episcopale debeat adesse solatium, idcirco hisfraternitatem vestram Epistolis adhortamur, vt prædictam matrem ipsius Deodata ad se faciat euocari, & tranquilla ei adhortatione suadeat, vt facere sponte non desinat, quod legali potest ratione compelli, quatenus nec illa adfligi, nec hæc videatur præiudicium sustinere: quæ si (vt non credimus) admonitionem vestram differre voluerit, prædicta Deodata religiosa contra eam tuitionem impendite, atque vestris eam solatiis apud iudicem, vel quocumque vsus exegerit, instantius adiuuate, & ita in exequenda hac vos causa impendite, vt legali ratione constricta, inuita vrgeatur facere quod sponte postponit. Memoratam vero latricem fraternitas vestra ita seruata æquitate habeat in omnibus commendatam, vt nobis & tuitionem impendentibus nec quem adsumpsit habitum sine aliqua, Deo protegente, concussione permaneat.* Et ad Ianuarium Episcopum Sabinæ, *Ad hoc Redemptum Defensorem nostrum præsentium portitorem illuc direximus, & vt partes in iudicio obseruare compellat, & executionis sua instantia ad effectum quæ fuerint iudicata perducat:* Et plura quæ reperiuntur huiusmodi, & longum est à nobis enumerari. Contra hæc enim petere, non Ecclesiæ, neque Ecclesiastici viri esse iuris cognoscitur, ne forte indebita pietas impietas iudicetur, sicut sanctus Cœlestinus ad Nestorium scribit. *Est enim,* inquiens, *talis frequenter pietas, ex qua nascatur impietas.* Et sanctus Augustinus in libro quarto contra Iulianum, *Forte dicturus es,* inquit, *misericors voluntas bona est. Recte istud diceretur, si quemadmodum fides Christi, id est, fides quæ per dilectionem, operatur, semper est bona, ita misericordia semper esset bona. Si autem reperitur & misericordia mala, quæ persona pauperis accipitur in iudicio propter quam postremo Rex Saul meruit à Domino vtique misericorde damnari, quia contra eius præceptum captiuo Regi per humanum pepercit affectum, attentius cogita, ne forte misericordia bona non sit, nisi quæ huius bona fides fuerit: immo responde, vt hoc sine dubitatione perspicias, vtrum bonam misericordiam existimes infidelem? Porro si vitium est male misereri, proculdubio vitium est infideliter misereri. Nemo quippe sic misericors, quanto magis Deo misericordior poterit inueniri, quem Psalmista misericordiam voluit appellare dicens, Deus meus misericordia mea, qui iustis iudicibus de muliere in adulterio deprehensa sibique oblata, iustum iudicium voluit tollere.* Vnde sanctus Hieronymus versum Psalmi exponens dicit, *Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam. Veritas ipse Christus, vnde de illa muliere dixit ad Iudæos, Qui sine peccato est vestrum, prior in eam lapidem mittat. Mansuetudo, quando dixit ei. Nec ego te condemnabo. Iustitia, quando dixit, Vade mulier, & amplius noli peccare.*

[Margin: 1. Reg. 15. — Psal. 58. — Ioan. 8. — Psal. 44 — Ioan. 8.]

Nam quod in tomo supra memorato relegimus de præfata muliere Bosonis hoc modo conscriptum, *Maritum vero illius cum pacto securitatis, dum aduenit, vel immoratur nobiscum, siue recedit, cunctamur, vt eius coniugem in ipsius præsentia examinemus: inexaminatam vero morti tradere ad nos confugientia, vt iniquum & crudele, deuitamus: quia cum nullus specialis accusator accedat, ipsa tamen admonita pariter & interrogata nihil aliud confitetur, quam quod solius Huberti persecutionem mortis timens declinet,* prudenter debent legentes aduertere, vtrum auctoritati, vel rationi valeat conuenire. Auctoritas quippe de æquitate atque iustitia conseruanda confugientibus ad Ecclesiam postulat firmitatem, & non viro de vxore sua legaliter desponsata, legitime dotata, publicis nuptiis honestata, si suspicione contra eam motus fuerit, legitimam aufert penitus potestatem. Quod autem in hepatico de zelotypia scribitur, vt vir vxorem suam spiritu zelotypiæ concitatus ad Sacerdotes ducat examinandam: ideo præceptum est, quia Sacerdotis officium est, vt exorcismos aquis eluendos, quas mulier debet bibere, pro ministerio sibi imposito scribat, vnde & sacri Canones decreuerunt, *vt seculares suas coniuges, antequam ad Episcopum prouincialem dissidii causam dixerint, non damnent, neque abiiciant.* Cæterum legale iudicium auctoritas diuina viris de suis non tollit vxoribus, sicut ex Euãgelica veritate supra ostendimus: sed & diligentius aduertamus quod in supra scripto volumine continetur, *inexaminatã vero morti tradere ad nos confugientẽ, vt iniquum & crudele, deuitamus,* qui neq. examinatos tradere morti debemus, nisi vt peccato mortui Deo viuant. Cõcedamus tamen vt Episcopi eandẽ fœminã in sua potestate, ad quos confugisse dicitur, retinentes, coram marito suo (si quiddam sinistri ei reputat) examinare procurent. Et quid agendum erit, si in examinatione Episcopali inuenta culpabilis fuerit? Si enim iudiciũ legale de ea culpabili inuenta Episcopi sua auctoritate voluerint tollere, contra eũ videbũtur agere,

[Margin: Num. 5. — C. Aga. Can. 25]

cuius actio atque sermo perfecta auctoritas noscitur esse, sicut scriptum est. *Quæ cœpit* Iesus *facere, & docere*: Quoniam isdem de muliere in adulterio deprehensa iudicium non abstulit, qui per Moysen huiusmodi lapidari præcepit, sed à iustis iudicibus fieri iudicium legale præcepit dicens, *Primus in illam lapidem mittat.* Si vero à se examinatam, & repertam culpabilem Episcopi tradiderint puniendam, contra pietatem Ecclesiasticam, & ipsum Ecclesiæ caput, fontem videlicet pietatis, agere probabuntur, qui dixit: *Nec ego te condemnabo, vade & amplius noli peccare.* His ita euidenter cognitis, & diligentissime ponderatis, de ad Ecclesiæ pietatem confugientibus auctoritatem maiorum sequamur Episcopi, & non deprehendemur reprehendi. Quod denique ibidem scribitur, quia cũ nullus specialis accusator accedat, ipsa tamen admonita, pariter & interrogata nihil aliud confitetur quam quod solius Hucberti persecutionem mori timens declinet, quid aliud restat, quoniam, à nemine accusatur (si Episcopi secundum tales Canones, si forte habentur: quos nondum legimus: & Christiani ac nobiles laici iuxta leges, quas nequaquam didicimus, aliter non inuenerint) nisi vt marito suo (& si forte necessitas & ratio pro aliquo ei obiecto crimine postulat cum firmitate de æquitate seruanda) reddatur? & marito suo, ne à Hucberto occidatur, maritali defensione, vt iustum est, tueatur, & sic demum maritus secundum Christianorum & Ecclesiasticam legem, vt vir de vxore debet, legitima atque legali ex ea potestate vtatur?

Act. 1. Ioan. 8. Ioan. 8.

XXIII. INT. De eo quod scriptum est à quibusdam dici si se non ex consensu vir & mulier propter continentiam, sed propter dissidium aliquod separare voluerint, vel eorum fragilitati, si separati se continere nequiuerint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sua Episcopos posse consulere.

RESP. Sciant quicumque hæc dicunt, secundum quendam modum huiusmodi capitulum quartum erroris fuisse illorum qui sanctæ Synodo Calcidonensi derogare & contraire præsumpserunt, & ab Apostolica sede atque vnanimitate totius mundi Episcoporum sunt vt erronei condemnati, sicut sanctus Leo multoties, & beatus Gregorius etiam in Epistola ad Theoctistam patriciam, hinc inter alia scripsit, dicens, *Per se*, inquit, *veritas dicit: Quod Deus iunxit, homo non separet. Quæ etiam ait, Non licet dimittere vxorem excepta causa fornicationis: Quis ergo huic cælesti legislatori contraria dicat? Scimus quia scriptum est, Erunt duo in carne vna. Si igitur vir & vxor vna caro sunt, & religionis causa vir dimittit vxorem, vel mulier virũ in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conuersio in qua vna eademque caro, & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si vero vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare: quando certum est, quia omnipotens Deus, qui minora concessit, maiora non prohibuit, & multos sanctorum nouimus cum suis coniugibus, & prius continentem vitam duxisse, & postmodum ad sancta Ecclesiæ regimina migrasse. Duobus etenim modis sancti viri etiam à licitis abstinere solent, aliquando vt meritum sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando vero vt ante acta vita culpas detergant. Proinde cum boni coniuges aut meritum augere desiderant, aut ante acta vita culpas delere, vt se ad continentiam adstringant, & meliorem vitam appetant, licet. Si vero continentiam, quam vir appetit, vxor non sequitur, aut quam vxor appetit, vir recusat, diuidi coniugium non licet, quia scriptum est: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Et in Epistola ad Adrianum Panormi notarium, Vrbicum Abbatem culpat, qui maritum Agathosæ contra voluntatem eius in monasterio ad conuersionem susceperit, & maritum ei, etiamsi iam tonsuratus fuerit, reddi præcipit: *Nisi*, inquiens, *quoddam fornicationis crimen (propter quod viro vxorem licet relinquere) prædictam mulierem commisisse cognoueris, ne illius conuersio vxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus vt maritum suum illi, vel si iam tonsuratus est, reddere omnino debeas, excusatione cessante: quia postquã per copulationem coniugii, viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere.*

Mat. 19. Gen. 2. 1. Cor. 7.

Et ne nobis quisquam succenseat, quia iudicia Ecclesiastica etiam laicis audienda proponimus, legat patrum solutionem propositæ quæstionis: cur Dominus qui sancta mordacibus, & margaritas irreuerentibus proponere vetuit, requisitus de resurrectione mortuorum cum opposita turpi fabula de muliere septem vita, infidelibus, inuidis, ac tentatoribus secreta legis aperuerit, videlicet quoniam non eis, qui capere non poterant, sed eis qui poterant & simul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat, secreta legis aperuit, & cum eum tentatores interrogabant, respondebatque illis, ita vt quod contradicerent non haberent, quamuis venenis suis contabescerent potius quam illius cibo saturarentur: At tamen qui poterant capere ex illorum occasione multa vtiliter audiebant: & à nobis tantillis homullis sufficientem satisfactionem accipiet; sed & beatum Augustinum in libro de bono perseuerantiæ pro nobis loquentem benigne suscipiat: Ait enim, *Alia*, inquiens, *ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas: Causas verum tacendi longum est omnes quæ[illegible] inserere, quarum tamen est & hæc vna, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tale dicentibus, doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cum autem res vera ita se habet, vt fiat peior nobis eã dicentibus ille qui capere non potest, nobis autem tacentibus [illegible] potest, quid putamus esse faciendum? nonne dicendum [illegible] potius verum, vt qui potest capere capiat, quam tacendum, vt non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse fit peior: qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent; quo enim est capacior [illegible] cat, eo magis est idoneus vt alios doceat.*

Denique septem quæstiones sequuntur, quas post præmissas, euolutis sex circiter mensibus, ab eisdem à quibus & priores soluendas accepimus, quarum textum vicitim sicut & præcedentium solutionibus præponemus, breui pro vt poterimus respondentes sermone acsi in buxea designantes, quæ hinc vnde ea plenius pingere valeat, solers quisque intelligat, quatenus & fratrum petitionibus charitatis viscera non claudamus, & sapienti, secundum scripturam, occasionem (cum ista plenius inuestigans intelligere procurauerit) sapientiorem effici præbeamus, & horulis, quas à multiplicibus & diuersissimis occupationibus nostris extorquemus, potius quam motu[illegible], qui cogitationum ferias non habemus, quoquomodo possint sufficere, & legentibus non increscant, quia de propositarum ante quæstionum responsis compendii pene modum excedit voluminis magnitudo. Harum autem quæstionum exordium habetur huiusmodi.

Quæsumus dilectionem vestram, vt non vos tædeat, si ad inquirenda nobis ad sciendum necessaria importuni operi[illegible]mus, qua post quam nuper vobis ad soluendum quæstiones direximus, multa comperimus, de quibus singulariter singulis nobis ex auctoritate scripturæ, & regulis ac doctrina Ecclesiasticorum doctorum responderi deposcimus.

I. INT. *Dicunt quidam quoniam Rex Hlotharius habet in suo regno Episcopos, & nobiles, ac fideles laicos, quorum consultu atq; consilio causam inter se & vxorem suam diffiniunt: & non ad alterius regni Episcopos, vel ad alios quoscumque inde aliquid pertinet retractare.*

RESP. Talib. respondendũ est, *Erratis, nescientes scripturas, neq; virtutem Dei.* Quando pars filiorum Israel

ædificauerunt tumulum testis, pars altera zelo diuino succensa pene ad arma cucurrit, ne diuideretur populus Domini, sicut postea diuisus est in vaccis ad Hieroboam idololatriæ flagitio fabricatis. Et nunc isti Domini regnum & Catholicam Ecclesiam, quæ vna est columba atque dilecta, volentes scindere, quasi non tantum suadent, verum & cogunt dicere quod olim dixerunt quidam, *Non est tibi pars in Dauid, nec hæreditas in filio Isai, reuertere in tabernacula tua Israel:* tentantes tempori nostro pestilentissimo illud superinducere, quando Rex, neque Dux in populo illo erat, *sed vnusquisque faciebat quod sibi rectum videbatur:* Et vtinam non quod rectum & non quod voluptuose placitum videatur, & tortum ac malum sit, sciens & prudens faciat, non est ita vt isti maliciose componunt, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis:* Vnum regnum, vna Christi columba, videlicet sancta Ecclesia, vnius Christianitatis, lege regni vnius & vnius Ecclesiæ, quamquam per plures Christi principes & Ecclesiarum præsules gubernacula moderantur.

Sed & hæc de qua agitur, talis est causa, quæ generaliter ad omnes Christiano nomine insignitos pertinere noscatur. De Rege enim & Regina, de Christiano viro & Christiana fœmina, de lege coniugii in paradiso primis à Deo data parentibus, & in Ecclesia roborata, & diuinis ac humanis legibus per Deum confirmatis causa, & constituta benedictione per ministerium Sacerdotale, & quorumcumque fidelium more celebrata, ratio versatur in medium, quod tam excellentissimum bonum ac donum tantum diaboli figmentum commaculat, vt illius operatio esse non dubitetur, quem scriptura appariturum prædicit, *vt in templo Dei sedeat, ostendens se quasi ipse sit Deus.* Et, *nunc iam mysterium operatur iniquitatis*, cum licita inlicite respuuntur, & inlicita quasi licite vsurpantur, quibus non tantum illi Episcopi, in quorum parrochus, vel Dioceseon sollicitudinibus, vel illi fideles, in quorum oculis talia præsumuntur, vt ad se pertinentia, commoneantur.

Verum vniuersus ordo & omnium ordinum homines huiusmodi portentuosa nouitate mouentur: vnde sanctus Cœlestinus Papa Romanus (sicut supra iam diximus) ad Venerium, & cæteros Gallicanos Episcopos dicit, *Vniuersa*, inquit, *Ecclesia quacumque nouitate pulsatur.* Et ad Nestorium Constantinopolitanum Episcopum, *Ab omnibus sciri debet quod agitur, quotiens omnium causa tractatur.* Hæc causa quasi est cunctis in specula: quapropter sic eam necesse est diffiniri, vel diffinitam à cunctis agnosci, sicut debet ab omnibus obseruari, vt & Dominus dicit, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Et Africano Concilio est definitum, *vt causa, quæ communes non sunt, in suis Prouinciis iudicentur. Quotiens autem exegerit causa communis, generalis Synodus congregetur, vt mea generalis causa diffiniatur.* Quoniam vt Innocentius Papa ad Victoricũ Rotomagensem scribit Episcopum: *Integrum iudicium est, quod plurimorum sententiis confirmatur*; Quapropter necesse est, vt hæc generalis causa ad oēs generaliter pertinens, in omnium notitiam veniat, & generali diffinitione determinetur, ne à minus eam scientibus dicatur, *Omnis qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem bona agit, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Et, quæ inde quantum ad generalitatem spectat; *in tenebris dicta sunt, in lumine dicantur: & quæ in aure locuta sunt in cubiculis, prædicentur super tecta*, vt à nemine reprehendantur; qui vt omnibus verbo & opere luceant, & ab omnibus conspiciantur, vt lucerna super candelabrum, & ciuitas super montem posita, ab omnibus contemplantur.

II. INT. *Dicunt etiam, quia non sit auctoritas neque ratio, vt causa, quæ iudicio Episcoporum diffinita est, ad iudicium debeat reuenire: quia si fecerit, nullius auctoritatis erunt de cætero isti Episcopi qui illam diffinierunt: & quicquid in postmodum diffinierint, firmum esse non poterit, vt non valeat retractari.*

RESP. Hæc vox imperitorum & nescientium regulas esse dinoscitur. Legite in Sardicensi Concilio, quod Zosimus Papa per Faustinum Episcopum Carthaginensi Synodo ex superscriptione Nicæni direxit Concilii, & sufficienter inuenietis talia dicentes errare. Sed & Leo Papa Romanus ac Synodus Romæ habita ad Theodosium Augustum de retractanda Synodo Ephesina, cui periculose videbatur sancire; *Ecce ego*, inquit, *Christiane & venerabilis Imperator cum consacerdotibus meis implens erga reuerentiam clementiæ vestræ sincerissimi amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Domini rei de silentio iudicemur. Obsecramus coram vnius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram sanctis Christi, vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur, nec alieno peccato patiamini vos grauari: quia (quod necesse est nos dicere) veremur, ne cuius religio dissipatur, indignatio prouocetur.*

Quod & in hac causa, quæ non modica in fide & religione est portio, ab omnibus sacerdotibus, Regibus, & principibus, atque cunctis generaliter simul fidelibus, si negligenter ducitur, non mediocriter est verendum: sed & sacris manifestatur canonibus curam esse totius Prouinciæ penes Archiepiscopum vel Primatem qui Coëpiscoporum debet nosse iudicia, de quibus necessaria fuerit reclamatio & in quibus negotium expetierit, debet electos iudices designare: quibus omnibus demonstratur, quia Synodus comprouincialium Episcoporum iudicia, generalis autem Synodus comprouincialium diiudicationes siue dissensiones vel probet, vel corrigat, vt in Africana Synodo demonstratur, quæ nihil de Ypponiensi Concilio statuit emendandum: Apostolica vero sedes & comprouincialium, & generalium retractet, refricet, vel confirmet iudicia, sicut Epistolæ Leonis, atq; Gelasii, cæterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus euidenter ostendunt: & Episcoporum recte iudicantium confirmatur *** & sacus iudicantium corrigitur, & interdum funditus non petit auctoritas.

* Videtur deesse sententiæ, aut aliquid huiusmodi.

Et dicunt, quia non alii Archiepiscopi, excepto Apostolico, maioris auctoritatis sint, quam illi qui hanc causam diffinierunt, quasi iterum ad iudicium reuenerit, & inuentum fuerit quia persistere ita non debeat, isti Episcopi qui eam iudicauerunt, amplius in Episcopatu manere non poterunt.

III. INT. E contra sanctus Cœlestinus ad Nestorium scripsit: *Nos*, inquiens, *& contra fas est, etiam sacerdotes volumus esse correctos.*

RESP. Relegant qui hæc dicunt Actus Apostolorũ, & videant: quia de quæstione Circumcisionis & obseruatione legis quidam descendentes ab Hierusalem in Antiochiam commouerunt seditionem aduersus Paulum & Barnabam, adeo vt statuerint pro hac quæstione missis cum eisdem etiam aliis, ascendere Hierosolymam ad Apostolos & Presbyteros: de qua itidem quæstio post aduentum eorum mota est à quibusdam ex Pharisæis in Hierusalem, & perpandant quod aliter ex ea diffinitum à Petro, & sit iudicatum à Iacobo quã illi iudicarent, & diffinirent & nemo sit illorum damnatus. Videant quoque in Epistola Pauli ad Galatas Petrum de simulatione ab eodem Paulo reprehensum, correptum, atque correctum, & non damnatum: & eandem correptionem à primo Apostolorum adeo acceptatam, vt easdem Pauli Epistolas, in quibus se reprehensum legerat, magnis laudibus honoraret. Et ne quis dicat, vt secundum scripturam

minor à maiore benedicitur, ita non maior à minore iudicabitur, legant Pauli Epistolas ad Corinthios, & inuenient Archiepiscopum & Doctorem egregium redarguisse inobedientes atque correxisse, non condemnasse Episcopos, quia fornicatorem sine digna inuectione permitterent inter se degere: & quoniam pro huiusmodi excessu Episcopos increpauerit euidenter ipse demonstrat dicens: *In nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu*: Et in secunda epistola: *Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem, ideo enim hæc scripsi vobis, vt cognoscam experimentum vestri, an in omnibus obedientes sitis. Cui aliquid donastis, & ego: Nam ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Donaui enim dixit, indulsi, quod non aliorum est de publico publice abiecto crimine quam Episcoporum, sicut norunt qui regulas Ecclesiasticas non ignorant: Vnde & in Carthaginensi Concilio scribitur: *Hoc etiam*, inquit, *placuit, vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuicti non fuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.* De hoc autem quia non alii Archiepiscopi maioris auctoritatis sunt quam isti, vt ante eos hæc causa iterum ad iudicium veniat, supra ostendimus: quia, *quod singularitas non habet, pluralitas obtinet*, quod & auctoritas scripturę demonstrat dicens: *Si duo ex vobis consenserint de omni re super terram fiet illis*: Et, *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.* Et quando Apostoli cum cæteris fidelibus & Maria matre Iesu congregati simul orauerunt, motus est locus, & super centum viginti in die Pentecostes congregatos, Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit. Et Paulus, vt supra diximus, demonstrat dicens: *Congregatis vobis & meo Spiritu.* Et Apostolorum princeps multa donorum gratia repletus, maxima miraculorum potestate suffultus, quando per admonitionem Spiritus ad Cornelium gentilem fuit ingressus, contra eum à fidelibus quæstione facta, cur ad gentiles intrasset & comedisset cum eis? cur eos in baptismate recepisset? non ex potestate, sed ex ratione querelæ respondit, causam per ordinem exposuit, humili eos ratione placauit, atq; in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit, dicens: *Venerunt autẽ mecum & sex fratres isti.* Si igitur pastor Ecclesiæ & Apostolorum princeps signa & miracula singulariter faciens non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de aliqua re reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus, etiamsi maioris auctoritatis in aliquo iudicemur? Et hæc dicimus, non quo fratres & consacerdotes nostros in aliquo secundum regulas Ecclesiasticas iudicantes reprehendamus, sed vt quæ agenda nobis sunt (*qui aliquid esse dicimur, cum nihil simus*, vt dicit Apostolus, *non nosmetipsos seducamus*) manifestius demonstremus. Et si in causa de qua disceptatio nascitur, quiddam emendatione dignum extiterit, salua charitate mutetur in melius, sicut de non circumcidendis gentibus, & non de iugo legis eis grauandis sensit Paulus, consensit Petrus, adiudicauit Iacobus. Et sicut sacrum Nicænum decreuit Concilium: *vt communi et omnibus simul Episcopis congregatis Prouinciæ discutiantur huiusmodi quæstiones*: Et facta discussione aut ita, vt acta sunt maneant, aut in melius mutetur sententia. *Et si communi cunctorum decreto rationabili & secundum regulam Ecclesiasticam comprobato duo aut tres, non propter fidei veritatem vel auctoritatis sinceritatem, sed propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum.* Si autem ex superfluo, vt solet accidere, fraterna diffinitio retractanda visa quibusdam fuerit, sicut de suscipiendis gentibus supra meminimus & plena fide atque auctoritate ratio reddita fuerit, Actuũ Apostolorum sententia in medium veniat, qua, prosequente Petro de gentibus dicitur: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deum? His auditis, tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes, Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.* Si etiam minus necessaria forte emerserit quæstio fraterni motus animi ad pacis charitatisque custodiam componantur, sicut demonstrat auctoritas Euangelica, quando facta est quæstio inter discipulos, *quis eorum videretur esse maior* Et si aliquis contra subiectos violenter ac negligenter, siue in sacro ministerio secus quam debeat egerit, secundum regulas sancto Spiritu promulgatas ab his quorum interest corrigatur & emendetur, sicut & Nicænum Concilium de excommunicatis, & Sardicense de iracundo Episcopo, quod esse non debet, qui Presbyterum vel Diaconem suum exterminare voluerit, & Chalcedonense de neglecta ordinatione Episcoporum, & cætera quæque Concilia, atque Epistolæ Leonis siue Gregorii manifeste demonstrant. Si denique fidei (quod absit) aut Ecclesiastico dogmati, vel sacræ auctoritatis statutis, quilibet temerario ausu obloqui, vel conculcare tentauerint, & hi secundum præceptum Dominicum moneantur: & si (quod longe faciat Dominus) rebelles ac contentiosi, contemptoresque persisterint, necesse est vt dignis inuectionibus, secundum sacros Canones, & exempla atque statuta maiorum feriantur & comprimantur, sicut sanctus Leo in epistola ad vniuersas decreuit prouincias: *Omnia*, inquiẽs, *quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonũ promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari: & qui contra constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.* Et beatus Gelasius, *Nec ambigant qui hæc exercere sunt ausi, sed etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprii saceri dispendio, si non quanta possunt celeritate festinent, vt lethalia vulnera competenti medicatione curentur.* Et sanctus Cælestinus ad Nestorium: *Quibus præmissa conuentione consulimus, in hos necesse est damnationis sententiam, si abutantur nostra salubri admonitione, firmemus.* Et ad Cyrillum Alexandrinum: *Hæc ideo dicimus, ne volentes corrigere forsitan deesse videamur. Nam & si nobis sustinentibus vitium, spinas sibi addiderit, impleatur, & manentibus statutis prioribus sui fructus iudicii colligat quod soles diabolice seminauit, non nostro consilio, sed se peritturum auctore.*

IV. INT. *Dicunt nihilominus, quia si isti Regi melius euenerit aliã vxorem accipere, aut suam concubinã sicut nunc habet, tenere, quod velit nolit illa sua vxor, iudicabitur ad redire: & ille tale ingenium de illa inueniet, vt ab illa liberetur, & vlterius non debeat ad iudicium inde venire.*

RESP. Non huiusmodi iudicium ex Euangelica veritate, & Apostolica auctoritate, vel sacrorum Canonum promulgatione didicimus, sed sicut Africana Synodus diffiniunt: *Placuit*, inquiens, *vt secundum Euangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Reconcilientur*, enim dixit, non cogantur: & qui sanum sapit, qualiter reconciliatio fiat, intelligit. Et item Paulus commemorãs de eo per quem reconciliati sumus Deo. *Et ministeriũ reconciliationis accepimus. Obsecramus*, inquit, *pro Christo, reconciliamini Deo*: quæ reconciliatio fit gratia vocãtis, non cogentis Dei, & libero non coacto arbitrio hominis. Et de iusto viro scriptum est: *In tempore iracundia factus est reconciliatio*: Videlicet vt non reputentur delicta. Qui enim nouit vnde *Concilio* & *Reconcilio* cõponitur, reconciliationis modũ & ordinem non ignorat: *Diuersa siquidẽ morborũ genera diuersa medicamentorũ quærunt experimenta.* Et legimus in sacra auctoritate

quosdam redigi & cogi ad pœnitentiam, quosdam vero excommunicari donec ad pacem redeant, quosdam vero partim suæ voluntaris libertati relinquere, sicuti supra ostendimus ex Epistola sancti Gregorij de Leonis Cartularij muliere, quæ eum pro fornicationis crimine induta religiosa veste ad tẽpus reliquerat, sed post præstitum sacramentum agnita mariti innocentia, ad eum sponte reuersa est: De qua quid erga eam debeat obseruari, Secundino Taurominitano scribit Episcopo: *In quibusdam vero ex toto libertatis est expectandum arbitrium, sicut & in hac causa, quia conceditur, vt causa fornicationis vir & mulier separentur, & vel separati reconcilientur.* Cogitur autem ablato penitus voluntaris arbitrio, & non conceditur, vt vir & mulier excepta causa fornicationis separentur, & vt separati aliis nullo modo coniungantur. Hinc sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis coniugiis dicit: *Non est* [inquiens] *ad quod exhortemur eos, qui reconciliari timent cõiugibus adulteris pœnitendo sanatis, nisi ad custodiendam continentiam: quoniam mulier alligata est, quandiu siue mœchus, siue castus vir eius viuit, mœchatur si alteri nupserit: & vir alligatus, quandiu siue mœcha, siue casta vxor eius viuit, mœchatur si alteram duxerit. Hæc namque alligatio quando quidẽ non soluitur, etiamsi per repudiũ coniux à casta coniuge separetur, multominus soluitur, si non separata mœchetur, ac per hoc non eam soluit nisi mors coniugis, non in adulteriũ cõmissũ, sed de corpore exitus. Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, & ei cõciliari non vult, maneat innupta: & si dimiserit vir adulterã mulierẽ, & eam non vult recipere nec post pœnitẽtiam, custodiat continentiam: & si non ex voluntate eligendi potioris boni, certe ex necessitate vitandi perniciosi mali.*

Ac per hoc ad hoc exhortarer, etiamsi vxor esset in languore insanabili atque diuturno, aut etiam si alicubi esset corpore separata, quo maritus non posset accedere. Postremo adhuc exhortarer etiamsi mulier volens viuere continenter, quandiu contra disciplinam: quia non ex consensu, tamẽ pudicum pudica dimitteret. Puto enim Christianum neminem reluctari illum adulterum esse, qui, vel diu languente, vel diu absente, vel continenter viuere cupiente sua vxore, alteri commixtus est fœmina. Sic ergo & dimissa adultera, adulter est, cũ altera, quoniam non ille, aut ille, sed omnis, qui dimittit vxorem suam, & ducit alteram, mœchatur. Et item in eodẽ: *Illis viris & gratiam,* videlicet baptismatis *& medicinam,* si quidem pœnitentiæ, *negabimus, quandiu cum adulteris viuunt, si prioribus vxoribus præter causam fornicationis repudiatis, alteras duxerint: nisi forte quis dicat neminem posse vxorem suam mœchari facere, si pudica est, & tamẽ Dominus, Omnis qui dimiserit* (inquit) *vxorem suam præter causam fornicationis, facit eam mœchari: vtique propterea, quia cum esset pudica cum viro, tamen dimissa cogitur incontinentiam, viuo priore, viro alteri copulari, & hoc est mœchari. Quod si hoc ista non fecerit, tamen ille, quantum in ipso est, facere compulit, & hoc ei Deus peccatũ, etiam si illa casta permaneat, imputauit.* Et item: *Hæc autem me de vtroque sexu memineris dicere.* Et item, *Tunc quippe ibi erunt, qui viuentibus coniugibus pristinis, non coniugibus propriis, sed adulteris adhærebunt. Et si à regno cœlorum aberunt, vbi erunt, nisi vbi salui non erunt?* Vnde constat, quia sicut supra auctoritate scripturarũ, & magistrorum doctrina monstrauimus, vir & vxor separari non possunt, nisi aut propter continentiam connubii, quo amplius, quia spiritualius, coniuncti perseuerant, aut propter fornicationem, quia vnum corpus & vnam carnem quisque eorum diuiserit, propter quam causam si digne pœnitentes simul permanere, vel reconciliari noluerint, separari si voluerint, possunt: cogi autẽ vt simul maneant, vel vt reconcilientur, omnino non debent: persuaderi, si possunt, debent: quia reconciliatio voluntatem quærit, amorem expetit, quæ sicuti fides & pura confessio suaderi potest, extorqueri non potest: cogi autem, vt simuletur, potest: ne vero aliis propter fornicationem disiuncti coniungantur, prohiberi omnimodis debent: Quod si contempserint, debent ad pœnitentiam redigi.

Et quoniam de simulatione quiddam tetigimus, si forte simulatio (quod absit) in quocunque homine fuerit, qui propter fornicationem manifeste ab vxore, ne illi iterum coniungatur, potest reiici, vt eam persuasam, non autem coactam recipiat: quia illa viuente, alteram non valebit accipere, nisi forte talis inuenta fuerit ratio, cui sacra non cõtradicat auctoritas, metuetur eam quoquomodo perdere, talis firmitas debet ab eo quæri, sicut sanctus Gregorius ab his præcipit exigi, æquitate illis seruanda, qui vim iniustitiæ metuentes, ad sacraria sacra confugiunt, quam firmitatem si conuictus quisque fuerit temerasse, publicis & Ecclesiasticis debet subiacere iudiciis: Si autẽ clanculo egerit vt legaliter conuinci non possit, habebit Sacerdotali suasione commonitus conscientiæ suæ testem, quem habebit & iudicem: Nam Episcopalis prouidentia absoluta in iudicio illi dicet, quod Helias Helisæo studuit demonstrare, *Quod* [inquit] *meum fuit, feci tibi:* Et Domino, *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi.*

Et in his, atque aliis omnibus, in doctrina sua sacerdotalis auctoritas Apostolicam debet illam semper formam seruare, in qua dicit, *Argue, obsecra, increpa,* id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum, id est, indisciplinatos & inquietos debet durius arguere, obedientes autem, & mites & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare, negligentes vero & contemnentes corripere & increpare. neque debet peccata delinquentium dissimulare, sed mox vt cœperint oriri, radicitus ea, vt præualet, amputare.

V. INT. *Sed & de Bosonis muliere, de qua idem Boso apud Confluentes reclamauit, quæ postea ad istum Regẽ venit, & in illius potestate fuit, quidam dicunt quod malũ facit, quia cum possit, suo marito non reddit. Et quidam dicunt, quia non decet, vt suam propinquam, quæ ad illius fidem venit, ad mortem tradat, nec conuenit vt Francam fœminam opprimat, & sicut ancillã cõstringit, & alteri illã nolentem reddat. Et quidã dicũt, quia si eã reddere voluerit, ad Nortmãnos ibit, & melius est vt eã inter Christianos habitare permittat, & inter eos vitã, quam alter ille vult tollere, liberet.*

RESP. Capitula sunt legalia Imperatorum & Regũ prædecessorum suorũ, quid sustinere debeat qui post bannum latronem receperit, & in chirographo Regũ nostrorum hinc expresse decernitur, cuius ministeriũ est agere, vt illa obseruentur, sicut sanctus Ambrosius ad Valentinianum scribit. *Leges enim Imperator ferat, quas primus ipse custodiat,* quas si ipse fregerit, timendum est ne audiat, ab Apostolo, *Qui prædicas non furãdum, furaris, qui abominaris idola, sacrilegium facis:* Propterea salubriter & cõuenienter à Domino audiat, *Medice cura temetipsum.* Timeat etiam quod scriptum est, dicente Domino cuidam Regi. *Quia dimisisti virũ morte dignum, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Et item, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt me amicitia iungeris, propterea iram quidem Domini merebaris.* Et item scriptum est, *Anathema in medio tui, non poteris stare coram inimicis tuis.* Et. *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea: Nemo enim abscondit ignem in sinu suo, & vestimenta eius non exurentur.* Si de misericordia agitur, legat & videat quã impia misericordia impie offendit Saul, quia pepercit Agag, sed illum non liberauit, & ipse regnũ etiã perdidit. Et sanctus Cœlestinus dicit, *Est pietas, de qua nascatur impietas.* Si de propinquitate, audiat scriptum, *Qui dixerunt Patri suo & matri suæ, non noui vos, & fratres suos in causa Dei non cognouerunt, Hi custodierunt testamentum tuum Domine.* Et Dominus, *Qui amat Patrem suum, & matrem suam plus quam me non est me dignus,* & cætera quæ ibi sequuntur. Si de hiber-

Ibid. ca. 17. — Matth. 5 — Cap. 18. — 3. Reg. 19. — Psal. 39 — 2. Thim. 4. — Rom. 2. — Luc 4. — 3. Reg. 20. — Iosu. 7. — Eccles. 1. — Prou. 6. — 1 Reg. 15. — Deut. 33 — Matth. 10.

tate, iudicio legis & diuinæ & mundanæ illius esse dinoscitur, qui eam repetit contra quam (vt dicitur) fornicata de fornicatione conqueri non valet. Si pro liberatione vitæ (vt dicitur) eam retinet, supra ostendimus quam firmitatem de æquitate seruanda exigi ab eo Ecclesiastica iubet auctoritas. Si (vt dicitur) ob eam retinet ne apud Nortmannos pereat, respondeat inde Apostolus, *Infidelis si discedit, discedat*: Et, *auferte malum ex vobis*, ne vna ouis morbida totum gregem contaminet. Et non est Rex iste iustior Domino, qui Iudam ne ad Iudæos, vel sicut Petrus dicit, *in locum suũ iret*, inuitum prohibuit, nec pueros Herodem per potentiam occidere vetuit, neque Petrum, ne vt milites pro eo occiderentur in carcere, de quo eum, quando producturus erat, in ipsa nocte eripere destitit. Sed & Dominus qui proximum quemque sicut seipsum diligere docuit, neminem peccare, vt alter à peccato liberaretur, rogauit. Et qui animam suam, id est, vitam corporis etiam pro inimicis posuit, & ponendam pro amicis prædicauit, neminem debere æternaliter perire docuit, ne alter in æterna damnatione periret. Prouidere etiam debet quisque qui talibus se commiscet, & talia opponit, ne reputetur intendere *ad excusandas excusationes in peccatis, quia non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus digni sunt morte*: à qua consensione liber non erit, qui cum malum possit auertere, non auertit, vel cum malos possit reprimere, in sua eos libertate dimittit, *Iudex enim* (sicut scriptum est) *qui non sine causa gladium portat, constitutus est ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, Cui in libro Deuteronomij dat regulam iudicii & punitionis Dominus dicens, *Vir autem, aut mulier, qui fecerint mala in conspectu Domini Dei tui, transgredientur pactum illius, vt vadant & seruiant Diis alienis, & adorent eos, solem, & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi, & hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse reppereris, quia abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, vt auferas malum de medio tui.* Et ne quis dicat, hæc sententia non pertinet ad mulierem Bosonis, quia de Idololatris scribitur, legat scripturam dicentem, *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Sed & hæc sententia ad rem nefariam pertinet, quæ Hucberto, & Regis mulieri (vt dicitur) reputatur, quoniam in libro Leuitico abominationes singillatim designatæ morte mulctantur, & adultera lapidib. præcipitur obrui. Salua legũlatione, quæ eisdem profertur legibus, quas illi condiderunt, qui auctore Domino leges iusta decernentes condiderant, vnde sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis coniugiis post prædicamenta, quibus persuadet viris iubet, vt à sanguine adulterarum se abstineant coniugum, dicit, *Postremo* [inquiens] *quæro abs te, vtrũ marito Christiano liceat, vel secundum veterem Dei legem, vel Romanis legibus adulteram occidere? Scilicet melius est, vt ab vtroque se temperet, id est, & à licito illa peccante supplicio, & ab illicito illa viuente coniugio. Quod si alterum eligere perseuerat, satius erit ei facere quod licet, vt adulteria puniatur, quam id quod non licet, vt ipsa viua illa mœchetur. Si autem (quod verius dicitur) non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantum dimittere, ea videlicet conditione, vt aut continenter viuat, aut ei reconcilietur: quia si illa viuente alteram duxerit, & ipse adulteris sine dubio cum erit.*

Israel non ita apud Hebræos dicitur, sed Izraahel, & interpretatur vir videns Deum.

VI. INT. *Dicunt quoque etiam aliqui sapientes, quia iste princeps Rex est, & nullorum legibus vel iudiciis subiacet, nisi solius Dei, qui eum in regno, quod suus pater illi dimisit, Regem constituit, & si voluerit pro hac vel alia causa ibit ad placitum, vel ad Synodum, & si noluerit, libere & licenter dimittit, & sicut à suis Episcopis, quicquid egerit, non debet excommunicari, ita ab aliis Episcopis non potest iudicari, quoniam solius Dei principatui debet subiici, à quo solo potuit in principatu constitui: & quod facit, & qualis est in regimine, diuino fit nutu, sicut scriptum est, Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud.*

RESP. Hæc vox non est Catholici Christiani, sed nimium blasphemi, & spiritu diabolico pleni, Dauid Rex & Propheta peccans, etiam à minore suo Nathan increpatus, audiuit, quoniam *vir mortis erat*, & per validissimã pœnitentiã est saluatus. Saul à Samuele percepit quia de regno esset deiectus. Roboam à Propheta æque suscepit, quia de manu illius regnũ, quod bene pater suus tenuerat, esset scindendũ. Quando peccauerunt Reges, & filij Israel & traditi sunt in manus gentium sicut Manasses, & Sedechias, vel timuerunt à facie Domini sicut Ezechias, per Prophetas vel irã à Domino susceperunt, vel misericordiam meruerunt: & in Deuteronomio scriptum est, *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinẽ & sanguinẽ causam & causam leprã & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locũ quem elegerit Dominus Deus tuus venies que ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit in illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, & facies quodcumq; dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolẽs obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malũ de Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Per Sacerdotes enim dicit Dominus, *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Et Apostolica auctoritas cõmonet, vt & Reges etiam obediant *præpositis suis in Domino, qui pro animabus eorum inuigilant, vt non cum tristitia hoc faciãt.* Et beatus Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorẽ scribit, *Quia duæ sunt personæ, quibus principaliter hic regitur mundus, scilicet Pontificalis auctoritas, & regia dignitas, & tanto maius est pondus Pontificum, quanto de ipsis etiam Regibus reddituri sunt Domino rationem.* Ambrosius Theodosium Imperatorem ab Ecclesia culpis exigentibus segregauit, & per pœnitentiam reuocauit. Nostra ætate Pium Augustum Hludouuicum à regno deiectum post satisfactionem Episcopalis vnanimitas, saniore consilio restituit. Quod dicitur, *quia Rex nullorũ legibus, vel iudiciis subiacet, nisi solius Dei*, verũ dicitur, si Rex est sicuti nominatur. Rex enim à regendo dicitur, & si seipsum secundum voluntatem Dei regit & bonos in viam rectam dirigit, malos autem de via praua ad rectam corrigit, tunc Rex est, & nullorum legib. vel iudiciis nisi solius Dei subiacet, quoniam, arbitria possunt dici, leges autem non sunt, nisi illæ quæ Dei sunt *per quem Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Et quicumque Rex veraciter Rex est, legi non subiacet, *quia lex nõ est posita iusto, sed iniustis, & nõ subditis, impiis & peccatoribus sceleratis, contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum cõcubitoribus, plagiariis mendacibus, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur*: Et his qui operibus carnis seruiũt, de quibus dicit Apostolus, *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Qui autem se & alios secundum fructus Spiritus regit, *qui sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, con-*

tinentia, castitas, legi non subiacet, quia *aduersus huiusmodi non est lex*: Sed solo iudicio Christi subiacet, à quo & remunerabitur, cuius est, *quia carnem suam crucifigit cum vitiis & concupiscentiis*: Alioquin adulter, homicida, iniustus, raptor, & aliorum vitiorum obnoxius quilibet, vel secrete, vel publice iudicabitur à sacerdotibus, qui sunt throni Dei in quibus Deus sedet, & per quos sua decernit iudicia, quibus & in Apostolis suis, quorum locum in Ecclesia tenent, Dominus dixit: *Si peccauerit frater tuus corripe eũ inter te & ipsum solum, si te non audierit, adhibe vnũ vel duos; quod si nec te audierit, dic Ecclesiæ; Quod si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, & ne quis in hoc sacerdotem paruipendat, adiunxit Dominus, *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Et item dicit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Quod dicitur, *quia à solo Deo in regno, quem pater suus illi dimisit, constitui potuit*; Sciãt qui hoc dicunt, quia quidem à Deo in principatu constituuntur, & Moyses, Samuel, & Iosias, de quo scriptum est antequam nasceretur, *Ecce filius nascetur domui David, Iosias nomine*; & reliqua quæ ibi sequuntur. Quidã vero à Deo per hominem, vt Iosue & Dauid. Quidam autem per hominem, non sine nutu diuino, *Quia nihil fit* (vt Augustinus dicit) *nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit*; & quicquid agitur, ministerio Angelorũ & hominum agitur; vt Salomon iussu Patris Dauid per Sadoch Sacerdotem, & Nathan Prophetam. Et multi ciuium vel militum fulti auxilio, reges constituũtur, vel deiiciuntur de principatu, & etiam sancti sicuti Samuel. Successione etiam paterna quidam regnant, sicut de his omnibus in historiis & Chronicis, & etiam in libro, qui inscribitur, *Vita Cæsarum*, inuenitur. Quidam siquidem tyrannica vsurpatione obtinent principatum propter sua complenda, vel populi vlciscenda peccata, de quibus scriptum est, *Ipsi regnauerunt, & nõ ex me; Principes extiterunt, & non cognoui*. Et item, *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi*; Quod tale est, sicut *& necesse est, vt veniant scandala; Væ autem homini per quem scãdalum venit*, quia væ illi est, vt quod fiendum est, talem se suo vitio efficit, vt per illum quod ad væ pertinet exequatur. Quod de regno dicitur, *Quia pater suus ei illud dimisit*: vereri hinc potius Rex iste debet diuina, & verecundari humana iudicia, quã de regni adeptione forte gloriari, si tamen patris bonos mores, & sanctam vitam, & æquum ac iustum regimen imitatus non fuerit; vel (si quod absit) illius prauos mores, aut iniustam vitam, quam illum habuisse non dicimus, siue indignum regimen sequi delegerit. Quid enim filios Samuelis necessitudo iuuit paternis, cuius non fuerunt virtutis hæredes? Quid etiam Moysi liberis paterna profuit cura iustitiæ, cuius eos imitatio non successit? Itaque neque ad illos Patris potestas quasi ex successione defertur, qui illum vocabulo tantum signabant parentem, & ad eum migrauit qui illius erat filius virtute non genere, quod & iste debet timere: E regione vero quid Timotheo nocuisse creditur quod fuerit patre gentili? siquidem & sanctus Abraham impium habuit patrem, neque tamen hæres illius impietatis effectus est. Et Ezechias profanissimi Achaz filius fuit, sed Dei amicus esse promeruit. Quid autem è diuerso Noe filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est seruus? Et Ioseph in media quondam seruiuit Ægypto, sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam. Et tres pueri, & Daniel in Babylone fuerunt principibus celsiores. Videmus certe quam non sufficiat ad suffragium liberis paterna nobilitas. Vitia siquidem vincunt naturæ priuilegia, & peccantem non modo de nobilitate patris, verum de ipsa etiam libertate pepulerunt. Esau quoque nonne sancti Isaac erat filius, magno etiam patris fauore munitus? qui licet studeret atque cuperet, nempe ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris iussa faciebat, sed tamen quia prauis moribus erat, nihil ex his omnibus prorsus adiutus est, sed iuxta naturæ ordinem prior, & de patris voluntate securior, quia tamen displicebat Deo, omnia, quæ iam tenere videbatur amisit. Quæ omnis Rex, sed & iste attendat, & non omnia, quæ ei libent libenter faciat, quia non omnia, quæ licent expediunt: Et iuxta quod scriptum est, *Magnati humiliet caput suum in honore Regis Regum, cuius est regnum, & per quem Reges regnant*, quid dicit; *Honorantes me honorificabo, & hi qui contemnunt me erunt ignobiles*. Et sacerdotib. suis dicit, *Qui vos recipit, me recipit & qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Exẽplum denique scripturæ, *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, vertet illud*, ad confirmandum, quia quod facit, & qualis in regimine populi nutu diuino fiat, male (sicut & diabolus abusus est ad Saluatorem. *angelis suis mãdauit de te*) interpretatus est iste illius discipulus. Cæterum, *Cor Regis in manu Dei est*; quia, sicut supra ostendimus, ille veraciter Rex est, qui se, suasque cogitationes, verba, & actus sub diuino rexerit nutu: *Et cor illius in manu est Dei; vt in hac conualle lachrymarum ascensus disponat in corde suo, ambulans de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion*, id est, in æternæ fœlicitatis, & diuinæ visionis contemplatione. E contra autem cor eius, qui sessore diabolo male regitur, in illius est potestate adeo, vt si aliquid de mandatis Dei audierit, veniens ipse diabolus tollat verbũ de corde eius, ne credens, vel in his, quæ crediderat, operando perseuerans, saluus fieri valeat: & sic traditus in reprobum sensum facit quæ non conueniunt, quia cum cognouerit Deum, non sicut Deum dignis obsequiis honorauit. De eo quod dicitur: *Quia Rex, si noluerit venire ad Synodum libere etiam compellatus dimitte*: sancta scriptura, sacrique Canones monstrant in iudicio personam non debere accipere, sed causæ qualitatem discernere. Et Hucbertus postquam certo crimine in sororem suam perpetrato denotatus, & litteris Synodalibus ad Synodum extitit prouocatus, iam in tribus Synodis per legatos & litteras ad rationem reddendam tantum, vt cum seruandæ sibi æquitatis securitate venire valeret, suam præsentiam obtulit, & causidicus ac reputator criminis toties defuit, aut libertatem reddendæ rationis negauit: vnde Bonifacius Papa ad Gallicanos scribit Episcopos: *Probat* (inquiens) *vera esse illa quæ aduersum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Et nullus dubitat, quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum, vt absoluatur, qui est innocens quærit. Confitetur enim de omnibus quisque subterfugere iudicium dilationibus putat: vnde congregari decreuimus Synodum, vt si adesse voluerit præsens, si confidit ad obiecta respondeat, si adesse neglexerit, dilationem sententia de absentia non lucretur. Nihil enim interest vtrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constat absentia*.

VII. INT. *Et quoniam ita (vt diximus) à quibusdam sapientibus dicitur, vtrum aliquod periculum inde habeãt Episcopi, & alii Christiani, qui illi adulteranti communicant, vel si periculum est, quomodo erunt liberi ante Dominum de communicationis periculo?*

RESP. Scriptum est: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum suorum*: Ita è contrario quotquot quisque exemplo suæ prauitatis destruit, pro tãtis, nisi digne pœnituerit, damnatus erit. Idcirco enim publice pœnitens publicam pœnitentiam agit, non quo Dominus secreta confessione & priuata pœnitentia de criminalibus etiam peccatis digne pœnitenti indulgentiam non largiatur: quia etiam Dauid coram vno se redarguente se ex Domini auctoritate pœnituit & confessus est, peccati indulgentiã meruit, cuius postea

publice vindictam sustinuit; sed qui plures suo prauo exemplo destruxit, plures humilitatis suæ pœnitentia ad salutem ædificet; quatenus, sicut & de Paulo dicitur, qui eum pridem viderant persequentem Ecclesiá, & postea ædificantem eam, in eo Dominum glorificabant. Sed & publice peccans, & ad pœnitentiam redire nolens, idcirco publica excommunicatione ab Episcopis de Ecclesiæ societate deiicitur, non quod iam excommunicatus coram eo non sit, qui leges Ecclesiasticas per suum loquens spiritum promulgauit: Sed ideo Sacerdotes & Apostolorum atque Apostolicorum virorum successores suum officium exequuntur, ne à subditis negligere ministerium suum putentur, & sicut peccantis culpa innotuit, ita & redargutio corrigentis omnibus innotescat; & qui aliter suum peccatum non vult intelligere, vel quia ab omnib. repellitur, & à nullo suscipitur; quia sæpe bona præstãtur inuitis, vel coactus ad pœnitentiam redeat, & necessitas in deuotionem reuertatur; & correctus per humilitatem, qui per superbiam peccauerat, incorporari per sacerdotalem reconciliationem Ecclesiæ mereatur. Attendendum est etiam cunctis Regibus & Principibus sæculi, quia princeps & Rex prauus quantis in regimine præest in sæculo, sub tantis modo plagali ad vindictam erit in flammarum damnatione: vnde necesse est, vt incessanter suos actus consideret, & cum alios suo exemplo perdit metuat, quia non solus perit, qui plurimos exemplo suæ prauitatis occidit, pro quibus sine dubio rationem Domino reddet. Et non solum per se, sed & per eos qui eum imitati fuerint, vel eius exemplo seu auctoritate delinquunt, multiplicius ipse delinquit, maxime cum ipse quasi licite delinquens, aliis delinquendi fomes existit; vnde & de alia reloquens dicit Apostolus; *Videte ne forte licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Et rursus, *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est, Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum, in Christum peccatis.* Et Dominus dicit: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*: quia melius profecto tali fuerat, vt in priuata vita degeret, quã in principatu positus se admirabilem in culpa cæteris demonstraret, & pro tantis pœnas lueret, quantis, quasi licite peccans, suo exẽplo ad vitia dux & auctor erroris existit. Cuius tanto est culpa grauior, & erit cruciatio durior, quãto excedendi est facultas liberior: *Quia nemo amplius delinquit in populo, quam qui peruersè agens ordinem principatus vsurpat: Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia principatus peccator honoratur*; Et vt honores & beneficia adulãtibus tribuat, *laudatur peccator in desideriis animæ suæ*, & qui iniqua agit benedicitur, & mortuus à mortuis in morte pessima sepelitur, quia scriptum est: *Videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Currit enim cum fure, & portionem suam ponit cũ eo, quando ei quis, vel in adulteriis, laudibus, vel in consentaneis, voluptatibus illis se iungit; & portionem suam, quam cum Deo & Angelis habere debuerat, in inferno cum illo ponit, *cum abundauit malitia, & lingua concinnabat dolum*: quando illo male agente nequiter ac dolose laudabat, vel suis prauis actionibus assensum præbebat, *quia non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte*: Vnde sanctus Ambrosius; *Cum enim* [inquit] *videt honorari se* [quin is qui talia agit] *ab his qui non sunt tales, crescit in mala, & gloriatur forte se talem, ideirco dignum est vna hos pœna multandos, sed & hic qui talia iudicat, sicut idem Paulus dicit, & facit ea, non effugiet iudicium Dei: Per se enim iudicaturus est, apud quem adulatio cessat & personarum acceptio.* Consilium autem huiusmodi periculum deuitandi sanctus Augustinus nobis dat dicens: *Duobus modis non te maculat malus, si non consentias & si redarguas; hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe quando facto eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ; Magis autem (inquit) & redarguite. Videte quemadmodum vtrumque complexus est: Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est autem, nolite communicare: nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem, magis & redarguite? reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa correptione vel coercitione alienorum peccatorum cauendum est ne se extollat qui alterum corripit: & qui se putat stare, videat ne cadat, Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis dilectio. Neque ergo consentientes simus malis, vt approbetur: neque negligentes, vt non arguatis: neque superbientes, vt insultanter arguatis.* Et sanctus Gregorius in Epistola ad Felicem Siciliensem Episcopum omnibus donat Episcopis dicens: *Sunt enim mali segregandi à bonis, & iniqui à iustis, vt saltem rubore suo conscientias suas recognoscant & conuertantur à prauitatibus suis. Et si incorrigibiles apparuerint, segregentur à fidelibus vsque ad satisfactionem, iuxta Domini Saluatoris sententiam, qua inter cætera de peccante in se fratre præcipiendo ait: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, aut duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. His ergo & multis aliis sanctorum Patrum auctoritatibus segregandi sunt mali à bonis, ne pereant iusti pro iniustis sicut scriptum est: Periit iustus pro impio. Debet enim semper discretio fieri inter bonos & malos, sicut est inter hædos & oues. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palam sunt arguendi, qui palã nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est, vt pro multorum saluatione vnus condemnetur, quam per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum & inter iumenta hæc fieri persæpe cognouimus: & ea, quæ scabiem aut impetiginem habere videntur, separantur à sanis, ne illo eorum morbo cætera damnentur, vel pereant. Satius est enim, vt mali manifeste corrigantur, quam pro illis boni pereant. Vnde volumus vos omnes in vnum conuenire Episcopos, vt de incidentibus causis fiat disceptatio, & salubris de Ecclesiastica obseruatione conlatio, quatenus, dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens vbique Dominus fratrum concordia conlaudetur, cuius vobis adesse præsentiam, si hæc obseruabitis scitote, quia scriptum est: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Si ergo adesse dignatur vbi duo vel tres sunt, quanto magis non deerit vbi plures conueniunt sacerdotes? Et quidem quia adhibendum bis in anno Concilium Patrũ sit regulis institutum, non latet. Sed ne forte aliqua excusatio sit, semel decernimus congregare, vt expectatione Concilii nihil prauum, nihil præsumatur inlicitum: Nam plerique & si non amore iustitiæ, metu examinationis abstinent ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio.* Et sanctus Ambrosius in Epistola ad Theodosium Imperatorem dicit: *Exercitus semper & vigiliis fere enecsum, Imperator beatissime, deditus, sed nunquam tanto in æstu fui, quanto nunc, cum video cauendum ne quid sit quod adscribatur mihi etiã de sacrilegii periculis; itaque peto vt patienter sermonem meum audias; nã si indignus sum qui à te audiar, indignus sum qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas committes preces. Ipse ergo non audies eum quem pro te audiri velis? Non audies pro se arguentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris iudicium tuũ, ne cum indignum putaris quem audias, indignum feceris qui pro te audiatur. Sed neque Imperiale est libertatem*

dicendi negare, neque sacerdotale quod sentias non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare & tam amabile est, quam libertatem etiam in his diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat non libere denunciare. Siquidem scriptum est: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Et alibi: Fili hominis speculatorem te posui domui Israel, in eo (inquit) vt si auertatur iustus à iustitiis suis, & fecerit delictum, quia non distinxisti ei, hoc est: non dixisti quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquiram. Tu autem si distinxeris iusto vt non peccet, & ipse non peccauerit, iustus vita viuet, quia dixisti ei, & tu animam tuam liberabis. Malo igitur, Imperator, bonorum mihi esse tecum, quam malorum consortium: & ideo clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere: nam silentii mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Non ergo importunus indebitis me intersero, alienis ingero: sed debitis obtempero, mandatis Dei nostri obedio, quod facio primum tui amore, tui gratia, tuæ studio conseruandæ salutis, si id mihi vel non creditur, vel interdicitur, dico sane diuinæ offensæ metu: Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter. Malo enim te sine meo acceptum Deo esse & gloriosum periculo, sin autem silentii mei dißimulationisque culpa & me ingrauat, nec te liberat. Malo importuniorem me, quam inutiliorem, aut turpiorem iudices, siquidem scriptum est, dicente sancto Apostolo Paulo, cuius non potes doctrinam refellere: Insta oportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Habemus ergo & nos cui displicere plus periculi sit, præsertim cum etiam Imperatoribus non displiceat suo quemque fungi munere: & patienter audiatis vnumquemque pro suo suggerentem officio, immo corripiatis si non vtatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in his libenter accipitis qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri, cum id loquamur, non quod volumus sed quod iubemur? Scis enim lectum, Cum stabitis ante Reges & præsides, nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et tamen si in causis reipublicæ loquar, quamuis etiam illic iustitia seruanda sit, non tanto adstringar metu, si non audiar. In causa vero Dei, quem audies, si sacerdotem non audies, cuius maiore peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere, si sacerdos non audeat? Noui te pium, clementem, mitem, atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem, sed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, sed non secundum scientiam. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cauendum arbitror. Noui pietatem tuam erga Deum, lenitatem in homines, obligatus sum beneficiis tuarum indulgentiarum, & ideo plus metuo. Amplius sollicitor ne etiam ipse tuo me postea iudicio condemnes, quod mea aut dißimulatione, aut adulatione, prolapsionem non euitaueris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere: Scriptum est enim; Si frater tuus in te peccauerit, corripe illum primo, deinde increpa duobus aut tribus testibus: Si te non audierit, dic Ecclesiæ: causam ergo Dei tacebo? Et item locum, *Ego certe quod honorificentius fieri potui, feci, vt me magis audires in regia, ne si necesse esset audires in Ecclesia.* Et item in altera Epistola ad eundem dicit ad ad locũ: *Tacerem, sed quod miserrimum omnium foret, alligaretur conscientia, vox eriperetur. Et vbi est illud si Sacerdos non dixerit erranti, qui errauerit in sua culpa morietur: & sacerdos reus erit pœnæ, quia non admonuit errantem?* Et item ad locum: *Factum est in vrbe Thessalonicensium quod nulla memoria habet, quod reuocare non potui ne fieret, immo quod ante atrocißimum fore duxi cum totiens rogarem, & quod ipse reuocando graue factum putasti, hoc factum extenuare non poteram, quando primum auditum est: quia propter aduentum Gallorum Episcoporum Synodus conuenerat, ni me non ingemuit, nullus mediocriter accepit. Non erat facti tui absolutio in Ambrosii communione, immo etiam amplius commißi exaggeratur inuidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam. An pudet te, Imperator, hoc facere quod Rex & Propheta auctor Christi secundum carnem prosapia fecit David? Cognito quod ipse in parabola argueretur, ait: Peccaui Domino. Noli ergo impatienter ferre, Imperator, si dicatur tibi, tu fecisti istud, quod Dauid Regi dictum est à Propheta. Si enim hoc sedulo audieris, & dixeris: peccaui Domino: Si dixeris & illud propheticum: Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante Dominum qui fecit nos: Dicetur & tibi, quoniam pœnitet te, dimittet tibi Dominus peccatum tuum, & non morieris.* Et item ad locum: *Itaque pœnituit Dominum, & iußit Angelo vt parceret plebi, sacrificium offerret Dauid. Erant enim tunc sacrificia pro delictis, & nunc sũt sacrificia pœnitentiæ: itaque Rex ea humilitate acceptior Deo factus est. Non enim mirandũ peccare hominem, sed illud reprahensibile, si non se cognoscat errasse, si non se humiliet Deo. Iob sanctus & ipse potens in saeculo ait, Peccatum meum non abscondi, sed coram plebe omni adnuntiaui.* Et item ad locum: *Hac ideo scripsi, vt non te confundam, sed vt Regum exempla prouocent, vt tollas hoc peccatum de regno tuo. Tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tentatio, vince eam. Peccatum non tollitur nisi lachrymis & pœnitentia, nec Angelus potest, nec Archangelus: Dominus ipse, qui solus potest dicere, Ego sum qui deleo iniquitates tuas, si peccauerimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat.* Et item ad locum: *Vince diabolum, dum habes adhuc vnde poßis vincere. Noli peccatum addere, vt vsurpes quod vsurpasse multis obfuit.* Et post pauca: *Ego inquam causam in te contumaciæ nullam habeo, sed habeo timoris: offerre non audeo sacrificium si volueris adsistere. Postremo scribo manu mea quod solus legas: ita me Dominus ab omnibus tribulationibus liberet, quia non ab homine, neque per hominem, sed aperte mihi interdictum aduerti. Cum enim essem sollicitus ipsa nocte, qua ad te, sicut petieras, proficisci parabã, venisse quidem visus es ad Ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Alia prætereo, quæ potui tacere, sed pertuli amore tuo, vt arbitror. Dominus faciat vt omnia cum tranquilitate cedant. Multifarie de his nos admonet signis cælestibus, prophetarum præceptis, visionibus etiam peccatorem vult nos intellegere, quo rogemus eum vt perturbationes auferat, pacem vobis imperantibus seruet, fides Ecclesiæ & tranquillitas perseueret, cui prodest Christianos & pios esse Imperatores. Certe vis probari Deo: Omni rei tempus, vt scriptum est: Tempus (inquit) faciendi Domine: & tempus beneplaciti Deus. Tunc offeres: cum sacrificandi acceperis facultatem, quando hostia tua accepta sit Deo. Omnimo me delectaret habere gratiam Imperatoris, vt secundum voluntatem tuam agerem, si causa pateretur, & simplex oratio sacrificium est. Hæc veniam refert, illa offensionem, quia hæc habet humilitatem, illa contemptum. Dei enim vox est, quod malit vt fiat mandatum eius, quam deferatur sacrificium. Clamat istud Deus ad populum, Moyses adnuntiat, Apostolus Paulus prædicat. Id facito quod intellegis tempore plus placere. Misericordiam [inquit] malo quam sacrificium, quasi non illi magis sint Christiani, qui peccatum condemnant suum, quam qui defendendum putant. Iustus enim in exordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat cum peccauerit, iustus est, non ille qui se laudauerit.* Et, *Tu prauentus es, & ego non declinaui: non quod cauere debueram sed gratias Domino quia vult seruulos suos castigare ne perdat. Istud mihi commune est cum Prophetis, & tibi erit commune cum sanctis.*

Quomodo autem, isdem beatus Imperator publice pœnitens hæc obaudierit monita; isdem beatus Ambrosius inter alia in sermone quadragesimi diei defunctionis ipsius coram Honorio Augusto filio eius

2. Reg. 12.
Psal. 94
2. Reg. 24.
Iob. 31.
Esa. 43
Eccles. 3.
Psal. 118.
Psal. 68.
1. Reg. 15.
Osee. 6.
Math. 9
Prou. 18.

demonstrat, Qualiter etiam cæteri Christiani, atque fideles Dei de communicatione huiusmodi periculum euadere valeant, & Dominus in Euangelio de eo, qui pro peccato correptus emendare noluerit, demõstrat; & Paulus in Epistola ad Corinthios dicit, *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et item, *Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini: Si quis frater nominatur & est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, eum huiusmodi nec cibum sumere. Auferte malum ex vobis.* Et sanctus Ioannes Euangelista & Apostolus, *Et nunc Antichristi multi sunt.* Et item, *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina hic filium & Patrem habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum: nec, Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi aue, communicat operibus illius malignis.* Et ne quis dicat, Rex est, quomodo me ab illius potero communicatione subtrahere? sciat sanctum Ioannem Baptistam ideo martyrio coronatum, quia dicebat Herodi, *Non licet tibi habere eam* (quin adulteram mulierem:) Et Paulus (vt præmisimus) cum huiusmodi nec cibum sumere vetuit, qui & alibi dicit, *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* & ipse Dominus in Euangelio clamat, *Qui est ex Deo verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et item, *Si diligitis me, mandata mea seruate: qui non diligit me, mandata mea non seruat.* Et Apostolus Ioannes, *Qui dicit quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Et Psalmus de Domino, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et item Apostolus Ioannes in Apocalypsi, *Nec intrabit in ea,* id est, in cœlesti Hierusalem, *aliquid coinquinatum faciens abominationem, & mendacium.* Et item, *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Sed & eos terribilis increpatio Euangelica inuehit, *qui dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei,* & eos increpant ac persequuntur qui se subtrahere volunt *ab omni fratre ambulante inordinate:* De quibus videlicet persecutoribus dicitur in Apocalypsi, *Habeo aduersus te, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetam docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothitis, & dedit illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui mœchantur eum ea in tribulationem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, & filios eius interficiam in mortem, & sciēt omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo vnicuique secundum opera sua.* Eos autem qui redarguunt iniquitatem, quia huiusmodi non consentiunt, blande consolatur dicens, *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed diues es, & blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Sathanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es, ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerē, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* His vero, qui auctoritate ordinis, aut dignitate potestatis, vel fortitudine virtutis tali facto non possunt resistere, consulit diuina clementia dicens in eadem Apocalypsi, *Vobis autem dico cæteris qui Thyatiræ estis, Quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus: tamen id quod habetis tenete, donec veniam: Et qui vicerit, & qui custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget illas in virga ferrea, tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam matutinam.* Et sanctus Ambrosius in Epistolas ad Corinthios dicit, *Si quis potestatem non habet quem scit reum abiicere, aut probare non valet, immunis est: Et iudicis nō est sine accusatore damnare: Quia & Dominus Iudam, cum fur esset, quia non accusatus, minime abiecit.* Hanc autem excusationem ante Deum sacerdotes, & principes, ac primores terræ habere non poterunt. Vnde & isdem beatus Ambrosius in eodem loco Epistolæ dicit, *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Superbiam* (inquiens) *illorum in tantum humiliat, vt non querulos iam, sed magis supplices faciat. Erant enim & ipsi participes dum paterentur reum tam ingentis facinoris secum incorrectum conuenire, vt omnes vno consilio abiicerent eum si negaret emendare se. Cognito enim opere isto, pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis dicit Apostolus. Omnes enim crimen eius sciebant, & non arguebant: Publice enim nouercam suam loco vxoris habebat, in qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen. Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, id est absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui nusquam abest, iam iudicaui vt præsens eum qui hoc admisit.*

Hic aduertendum est, quia quicumque criminalia admisit peccata, vnde iam sunt terminata iudicia ab illis Christi organis qui cum illo in cœlo regnant, & in terris miraculis coruscāt, apud quorum mortuos natura cineres, sed Deo viuos meritorum miraculis demonstratur: quia etiam in dictis & suis promulgationibus viuunt, iam iudicati sunt, &, nisi pœnitentiam egerint, & prædamnati quamuis inertia nostra, ea, ad quæ ordinati & constituti sumus, in nostro & nobis commissorum periculo exequi negligamus. Vnde magnus Leo Papa ad Anatholium Constantinopolitanū Episcopum loquēs de sancto Nicæno Concilio, quod & de aliis intelligendum fides tenet Catholica, scribit, *Sancti* (inquiens) *illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicæna, sacrilego Arrio eum sua impietate damnato mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos in suis constitutionibus viuunt: Et, Si quid vsquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur, vt quæ ad vtilitatem perpetuam generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum quæ ad bonum sunt commune præfixa.*

His denique perpensis & aliis, quæ propter prolixitatem omisimus ponere, sanctarum scripturarum, & regularum Ecclesiasticarum auctoritatibus, considerato etiam periculo quisque suo, sed & is de quo agitur, ad se redeat, & aut actum suum rationi & auctoritati euidenter concordare demonstret, ne ipse peccans (sicut de Hieroboam scriptura dicit) vnde grauius Deum offendit, alios peccare faciat, aut salubri consilio & auctoritati diuinæ, quia aliter saluari non potest, se subdat, & considerans quoniam adolescentia & voluptas vana sunt, pro breui & misera delectatione [*quia pretium scorti vix vnius est panis*] non det alienis honorem suum, & annos suos crudeli, *nec det carnem suam, vt peccare faciat animam suam: neque exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato,* & gemat in nouissimis, quando consumpserit carnes & corpus suum, quando emendare non poterit, cum anima quæ per corpus gessit cuncta reddere compelletur. Sicque cogitans vias suas, & conuertens pedes suos in testimonia Domini, de his, quæ perperam egit, per dignos pœnitentiæ fructus Domino & Ecclesiæ satisfaciat, & de cætero gressus suos dirigat secundum eloquia Domini per gratiam eius, *vt non dominetur illi omnis iniustitia,* imitans conuersum Paulum, qui de se dicit, *Et in me glorificabant Deum,* sicut Dominus iubet, *Luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Tandem de his, quæ in hac Epistola peruenisse ad nos memorauimus, quantum Domino inspirante, &

Matth. 18
1. Cor. 6.
1. Cor. 5.
1. Ioan. 2
Matt. 6.
2. Cor. 13
Ioan. 8.
Ioan. 14
1. Ioan. 4
Psal. 5.
Apoc. 21
Ibid.
Ioan. 12.
2. Thes. 3
Apoc. 2.
1. Cor.
1. Reg. 12.
Leu. 6.
Rom. 6.
Psal.
Act. 9.
Matth.

& sanctarum scripturarum, atque Catholicorum Patrum doctrina, pro nostra mediocritate sensimus, compellente veritate & super imposito ministerio diximus, nullius sanæ præiudicantes sententiæ, nec dehonorantes auctoritatem. *Neque enim quisquam nostrum, vt olim sanctus Cyprianus dixerat, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus* (saluo per omnia priuilegio sanctæ & Apostolicæ primæ & in toto orbe terrarum Romanæ sedis, atque ipsius Pontificis Domini Nicolai Papæ, & decreto sanctorum Canonum sancto Spiritu conditorum) *pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, cum qui iudicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum singulariter iudicare, sed sicut dicit Apostolus, vnusquisque in suo sensu abundans, expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi qui vnus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.*

Hoc tantum omnes Dominos & consacerdotes nostros, & nos cum illis pariter admonemus, vt secundum præceptionem magni Leonis Papæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum, *In his quæ dubia fuerint vel obscura id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inueniatur aduersum.*

Porro quia Redemptor noster, qui Rex nobis pariter & Sacerdos fieri dignatus est, Sacerdos videlicet, vt nos à peccatis hostia suæ passionis emundet, Rex vt regnum nobis perenne tribuat, regnumque nos Deo, & sacerdotes faciat: ac solus vtrumque dignitate & nomine, Rex scilicet, & Sacerdos essentialiter fieri potuit, duo prouidentia sua constituit, vt sanctus Gelasius ad Anastasium imperatorem scripsit, quibus principaliter mundus hic regitur, id est, auctoritatem sacram Pontificum, & Regiam potestatem: in quibus tanto grauius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationẽ. De his duabus excellentissimis dignitatum personis, beati Cypriani Pontificis & martyris gloriosi sententias huic opusculo subnectere dignum duximus, vt attendentes ad formam sui nominis, quantum patitur humana fragilitas, in nullo exorbitent à regula sibi ab eodem Pontifice Pontificum, & Rege Regum traditæ dignitatis. Ait enim in libro de duodecim seculi abusiuis; Primo de Rege, & postea de Episcopo, quia quanto gradus est celsior, tanto casus est grauior: & quanto est dignitas spiritalior, tanto ascensus sublimior. *Nonus* (inquit) *abusionis est gradus, Rex iniquus; Etenim Regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet, vnde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret, sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam iustitia Regis exaltatur solium, & veritate solidantur gubernacula populorum. Iustitia vero Regis, est, neminem iniuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum iudicare, Aduenis & pupillis, & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, Impios de terra perdere: Parricidas & periurantes viuere non sinire: Ecclesias defendere: Pauperes eleemosynis alere, Iustos super regni negotia constituere, Senes & sapientes & sobrios consiliarios habere: Magorum, & ariolorum, Pythonissarumque superstitionibus non intendere: iracundiam differre: patriam fortiter & iuste contra aduersarios defendere: Per omnia in Deo viuere, prosperitatibus non eleuare animum, cuncta aduersa patienter ferre, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum: Væ enim terræ, cuius Rex est puer, & cuius principes mane comedunt. Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & Regem ad cœlestia regna meliora perducunt. Qui vero secundum hanc legem non dispensat, multas nimirum aduersitates Imperij tolerat. Idcirco enim sæpe pax populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & seruitia populorum præpediuntur; Multi etiam dolores prosperitatem regni inficiunt: Charorum & liberorum mortes tristitiam conferunt: Hostium incursus prouincias vndique vastant: Bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant: Tempestates veris & hyemis terrarum fœcunditatem, & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes & arborum flores & pampinos exurunt. Super omnia vero Regis iniustitia non solum præsentis Imperij faciem fuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant obscurat: Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum eius dispersit, & propter iustitiam Dauid Regis, lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum iustitia Regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet: Pax populorum est, tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, locum primatus habiturus est. Omnes namque quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo plagali in illa futura pœna habebit.*

3. Reg. 11
3. Reg. 15.

Decimus abusionis gradus est Episcopus negligens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerij sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab Episcopo, quod sui nominis dignitas tenet, inquiratur. Quoniam Episcopus, cum Græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à speculatore requiritur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis Prophetæ persona, Episcopo officij sui rationem denuntiat, ita inquiens: Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, & tu non adnuntiaueris, vt reuertatur impius à via sua, ipse quidem impius in impietate sua morietur, sanguinẽ autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris, & ille non fuerit reuersus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti. Debet ergo Episcopum (omnium enim speculator positus est) peccata diligenter intendere: Audiens ergo, & postquam attenderit sermone, si poterit & actu corrigere, & si non poterit iuxta Euangelij regulam, scelerum operarios declinare. Si enim (inquit in Euangelio) peccauerit frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum; Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si illos non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Tali ordine expellendus est, qui cuicumque Doctori vel Episcopo adhærere contemnit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore siue Episcopo recipi non debet. Qui ergo illum excommunicatum à Catholico, illo non permittente, sibi iungit, iura Sacerdotij sancti, quod Christianorum genus electum est, excedit. Hactenus Episcopum ad eos, quibus in speculatione positus est, esse oportet. Cæterum vero qualis in semetipso esse debeat, in lege de sacerdote scribitur; Viduam aut repudiatam non accipiat vxorem. Et Paulus Apostolus exponit, vt ad gradum Episcopi veniens, sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, & hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his qui foris sunt, præferens doctrinarum fidelem sermonem; ante Episcopatum non plures habens vxores quam vnam, non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus, vt per hæc ipse prius ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ. Caueant ergo negligentes Episcopi, quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam conqueritur; Pastores multi demoliti sunt populum*

Ezech. 3.
Matt. 18.
* Sic in ced. MS. Qui ergo non communicat, non permittente bachina ita non communicanti Catholico illo sancto sacerdoti, à quo de Christianorum cœtu eiectus est, excedit.
Leuit. 21.
1. Tim. 3.

meum, non pascebant pastores gregem meum sed pascebant pastores semetipsos. Sed potius procurent hi, quos constituit Dominus supra familiam suam, dare illis cibum in tempore suo mensuram tritici, puram scilicet, & probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire; Euge serue bone, & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Hæc denique duo alia abusiua sequuntur, quæ ab istorum negligentia, & periculo secreta esse non possunt: *Plebs videlicet sine disciplina*, quod ad negligentis Episcopi reatum: *Populus sine lege*, quod ad Regis iniqui prauitatem non dubium est pertinere. Sed & octo numero, quæ hæc capitanea duo præcedunt, id est, *Sapiens & prædicatur sine operibus; Senex sine religione: Adolescens sine obedientia: Diues sine eleemosyna. Fœmina sine pudicitia: Dominus sine virtute: Christianus contentiosus: Pauper superbus*: ad ista duo capitula, quibus principaliter mundus hic regitur, siue cum laude & gloria, siue cum vituperatione & iudicio, respicere dinoscuntur: quoniam Episcopalis auctoritas prædicando vita & verbo, & Regia dignitas regendo & corrigendo, præesse ac prodesse omnibus debent, qui disciplinam, id est, ordinatam correctionem, & maiorum præcedentium regularem obseruationem sequi & obseruare cupiunt: Eos autem qui diuina dicta, & legum scita contemnunt, Episcopus medicinali mucrone, vt membrum putridum à sanis abscindere: & Rex iudiciali gladio impios debet de terra perdere, quatenus à summo pastore & Rege Regum cum sibi creditis ouibus & subiectis in futuro ac tremendo iudicio mereantur audire, vt boni & fideles serui in ministerio in quo fuerant constituti, ab ipso, qui eos constituit, Domino fideles inuenti: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*, quod promisit qui non mentitur Deus diligentibus se, & viuit & regnat ante omnia, & per omnia, & in omnia secula seculorum. Amen.

Ezech. 34. Matth. 25. Matth. 25.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI RESPONSIO AD INTERROGATIONEM GVNTHARII COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI.

DE DIVORTIO BOSONIS & vxoris suæ.

HINCMARVS NOMINE NON MERITO RHEMORVN EPISCOPVS, *ac plebis Dei famulus sacro conuentui.*

Quidam beato Ambrosio quædam proposuit, ad quorum solutionem in crastina illum ad Ecclesiam inuitauit, vnde sermonem adoriens; *Ad soluendum* (inquit) *debitum creditori meo adueni.* Sed & ego de mihi proposita heri quæstione, cuius solutionem nunc adfero, tunc domno Gunthario pro tribus causis respondere non potui, videlicet, quia ad reuertendum iam itaque commouebamur: & quoniam plures viri sapientes in conuentu consistunt, quorum quidam certant proponere, quidam autem absoluere, interdum necessitate compulsus tanta velocitate cogor verba confundere potius quam proferre, antequam alius mihi sententiam ab ipsis labijs rapiat, vt nec bucca efferre sufficiat quod vel conuulsa memoria subministrat, Sed & (sicut scriptum est) *qui fortiter premit vbera, exprimit butyrum: & qui vehementer emulget, elicit sanguinem*: timui ne si inconsulte ac præpropere responderem, in carnalem intellectum deciderem, quia occupatum ad alia cor meū me dereliquerat, & lumen intelligentiunculæ serenum mihi vel mecum non erat. Quapropter distuli, donec si forte (secundum Prophetam) mitteretur manus, quæ me cibaret intellectus volumine, quæ videlicet totiens mittitur, quotiens quæ ante nesciebamus diuina nobis gratia reuelantur: qua de re propositionem Domini Guntharii præferamus, & solutionem ex largitione diuinæ gratiæ pro captu nostræ intelligentiæ referamus.

Prou. Ezech.

Si (inquit) fœmina Bosonis ad nos venerit, & publice confessa fuerit, dicens; mea culpa, virum meum adulteraui: quapropter timore mortis perterrita ad vos confugi, qui Dei estis vicarius, vt me & Deo salutis, & à morte corporali, quæ mihi imminet ex parte mariti mei, me liberetis: Vtrum debeam illi publicam pœnitentiam imponere, quam aut in parrochia mea, in quam confugit, seiuncta à viro suo peragat: aut eam eidem viro suo sub tali conditione reddere debeam, vt nullo modo eam interficiat, sed post pœnitentiam illam in coniugio habeat: quam si interfecerit, sciat se Ecclesiastica damnatione plectendum: quoniam nefas est quemquam in publica pœnitentia positum à quocumque interfici.

Respondemus: Fœminam illam in tua vel alterius cuiusque parrochia natam, baptizatam, nutritam, adultam, facultatum hæreditate ditatam, Boso ex alia non modo parrochia, verum ex alia prouincia natus, & per omnia incrementa in perfectum virum perductus, sub alterius Episcopi cura degens, secundum legem diuinam & humanam apud eos, quorum intererat, obtinuit, desponsauit, dotauit, publicis nuptiis honorauit, & sibi in coniugii copula sociauit, & vnum corpus vtramque carnem secum effecit, sicut scriptum est: *Erunt duo in carne vna: iam non sunt duo sed vna caro*, Et, *Quod Deus iunxit, homo non separet*: nisi forte perpetuo ex consensu propter continentiam, vnde tanto coniuncti sunt amplius quanto & spiritualius: aut ad tempus vt vacent orationi, & reuertantur iterum in idipsum, ne tententur à Satana propter incontinentiam, aut causa fornicationis, qua separati, aut sic, id est, innupti & separati maneant, aut mutuo reconcilientur. Quomodo poteris inferiorem partem corporis hominis illius, qui sub alterius prouidentia degit, separare, & tenere sub pœnitentia, quæ nec orationi continenter sine consensu partis superioris vacare potest? *Mulier enim non habet potestatem corporis sui, sed vir: & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Vxori vir debitum reddere debet, & vxor viro, vt non tententur à Sathana propter incontinentiam*: Quod qui eorum non fecerit, nisi ex consensu propter Deum dimiserit, parem suum, immo partem corporis sui mœchari facit. Si tu huic fœminæ pœnitentiam imposueris, quæ pars est corporis viri diœcesis alterius, sine consensu rectoris & viri, contra regulas Ecclesiasticas facis, & docente Leone Papa, *honoris communione priuaris*. Et item: Si huic fœminæ lege pœnitentiæ manum imponis, & illa membrum caput suum (*caput enim mulieris vir*) in alteram prouinciam secuta fuerit, sub prouidentia alterius præsulis quis curam de eius accipiet pœnitentia? Quis, vt reconcilietur secundum Canones, ad eius attendet lachrymas & confessionem, quam non audiuit? Quis ei manum ad recon-

Gen. Matt. 1. Cor. 1. Cor. 7. Epi.

ciliationem imponet? Sacris regulis decernentibus, vt nemo Episcoporum sub manu positum alterius sacerdotis ad reconciliationem suscipiat, neque reconciliatum sine litteris vel consensu reconciliatoris recipiat. Et quomodo partem corporis, immo hominem alterius Episcopi & parrochiæ iudicabis, quin pœnitentiali iudicio condemnabis? cum scriptum sit quod sanctus Gregorius hinc in suis decretis exposuit. *Si transieris per messem amici tui fricans confricabis spicas manibus tuis & manducabis: falcem autem non mittas, sine falce non metas, id est homines parrochiæ alterius verbo prædica sancto & exemplo operis (ita tamen vt non conculces simplicem fratrem tuum, ne incidas in ruinam & laqueum, vanam scilicet gloriam diaboli) in corpus Christi, quæ est Ecclesia, ad ferendum trahere: falcem autem iudicii non prius tentes mittere vel falce eis illicitè incidere, id est, incidere, sine absciderere.* Et quoniam, sicut ipse Boso dicit, eidem mulieri, quæ caro sua est, nullum crimen impingit, sed non modicam negligentiam, qui ab eius se subtraxit seruitio, & quantum ex ipsa est, illum mœchari fecit, contra auctoritatem atque iniustitiam eum dimittens, & in aliis regnis circiter per triennium immorans, contumax mandatis illius adeo extitit, vt nec compellata per tanta temporum spatia ad eum redierit, pro Domini Apostolici iussione illi paratus est indulgere. Restat vt Rex, in cuius regno degit, secundum conscriptionem chirographi Regum nostrorum, eam ad viri sui præsentiam adduci faciat: & tu Episcopus, in cuius parrochia immoratur (quia hoc non est Regis, sicut sanctus Gregorius de his, qui ad ecclesiam confugiunt, præcipit) si exposcit necessitas, securitatem de æquitate sibi seruanda apud virum eius expetas & obtineas: & post hoc missus reipublicæ viro vxorem fuga lapsam restituat: qui vir, si sacramentum fregerit, & Apostolicis monitis inobediens extiterit, Episcopus, ad cuius curam pertinet, canonicum iudicium in illum proinde exerat.

Si autem mulier confessa, vel legaliter de adulterio conuicta incolumis euaserit, lege Ecclesiastica pœnitentiæ illam idem Episcopus subigat: quia & mundanis legibus cautum, atque vsitatum esse dinoscitur, *Vt mala, quæ perpetrantur, in illis locis emendentur, in quibus perpetrata fuisse legaliter comprobantur.* Præter hæc nihil mihi videtur agendum, nisi aut Domini Apostolici monita exequamur, aut iudicium incurramus. De sacramento autem, quoniam quasi ad pietatem confugit Ecclesiasticam, quia tuum, id est, Episcopale poposcit auxilium, quod ex impunitate membrorum vel vitæ, si ita qualitas facti exegerit, legali priuatione requiris, super id, quod sanctus decreuit Gregorius, pro eis etiam, qui ad sacrata sacra confugerunt, requirendum, videlicet de æquitate seruanda, subtiliter debes perpendere, ne videaris vel dicaris non solum Ecclesiæ, verum & totius mundi statum, & ordinem atque rigorem velle confundere atque destruere, & Apostolicæ, atque Apostolicorum virorum doctrinæ obsistere, qui non solum leges à Christianis Regibus promulgatas obseruauerunt, & obseruantes tradiderunt, verum etiam promulgandas expetierunt, sicut in Carthaginensis, atque Africani Concilii, cæterorumque Conciliorum Canonibus, & in decretis Apostolicæ sedis multoties reperitur. Vnde & sanctus Gregorius commonitoria ad Ioannem Defensorem & ad alios etiam ex integro de legalibus edictis condiderat, & sanctus Gelasius ad Imperatorem Anastasium scripsit: *Scis* (inquiens) *quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ: quo, rogo, te decet affectu eis & conuenit obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?*

Et sanctus Leo ad Turibium Asturicensem Episcopum scribens: *Merito* (inquit) *Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egerunt, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur: quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent: Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam dissociari, simulque diuinum ius humanumque subuerti, si huiusmodi hominibus vsquam viuere cum tali professione licuisset. Profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati: quæ etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionem legum tempestates interclusere bellorum; ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conuentus, inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta.* Lege librum XVI. legis Romanæ, lege decreta Damasi: Percurre Leonis Epistolas, & cæterorum Pontificum de diuersis Conciliis ad Imperatores transmissas: Reuolue Augustorum edicta de hæreticis ad petitionem Pontificum promulgata: Scrutare Cæsarum nostrorum capitula, & inuenies quantum profuerit atque prosit legum seueritas, non solum Ecclesiasticæ sanitatis, verum totius Christianitatis optandæ paci, & colendæ tranquillitati. Sapientia namque videlicet Christus Dei virtus, & Dei sapientia dicit: *Per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Et Apostolus: *Lex quidem est sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum:* Vnde Ambrosius: *Mandatum legis in dilige Euangelicus sermo testatur. Ait enim: Si vis venire ad vitam serua mandata:* Et item Apostolus: *Lex propter transgressiones posita est.* Et, *Lex non est posita iusto, sed iniustis, & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis, contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.* Et item: *Nam qui principantur non sunt timori bonis operibus, sed malis.* Vnde Ambrosius principes hos Reges dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa creantur, Dei habentes imaginem, vt sub vno sint cæteri. Et item Apostolus: *Vis autem non timere potestatem? Bonum facito, & habebis laudem ex illa.* Hinc idem doctor: *Laus & a potestate tunc surgit, cum quis innocens inuenitur: Dei enim minister est tibi in bonum. Manifestum est ideo rectores dari, ne malum fiat: si autem malum feceris time: Non enim sine causa gladium portat: Hoc est, ideo comminatur, vt si fuerit contemptus, vindicet. Dei enim minister est vindex in iram in eum qui male agit. Quoniam futurum iudicium Deus statuit & nullum perire vult, huic seculo rectores ordinauit, vt terrore interposito hominibus, velut pædagogi sint erudientes illos quid seruent, ne in pœnam incidant futuri iudicii. Ideoque subditi estote non solum propter iram, id est, vltionem præsentem, sed etiam propter conscientiam. Recte dicit subiectos debere esse non solum propter iram, id est, vltionem præsentem, quia euit enim vindictam, sed propter futurum iudicium, quia si hic euaserint, illic eos pœna expectat, vbi accusante ipsa conscientia punientur.* Et sanctus Cyprianus in nono abusionis gradu dicit, *quia Regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet.* Et item ibi inter cætera, *Debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes non sinere viuere, filios suos non sinere impiè agere.* Et beatus Ioannes Chrysostomus in homilia XVI. Matthæi Euangelistæ, *Audisti* (inquit Dominus) *quia dictum est antiquis, Oculum pro oculo, dentem pro dente: Non enim vt nobis vicissim effodiremus oculos sanxit hanc legem, sed vt metu que ab alio istud timemus pati, ipsi quoque tale quippiam caueremus admittere, vt & qui ipso voluntatis bono nolent à crudelitate desinere, saltem metu cogerentur oculis pa-*

Prou. 8. Rom 7. Matt. 19 Gal 3. 1.Tim. 1. Rom 13. Ibid. Matt. 5.

tere proximorum : si vero illud crudele dicitur, & homicidam & adulterum coerceri crudele dicatur, sed insipientium omnino ista verba sunt & extremo furore dementium. Ego enim adeo metuo dicere hæc esse crudelia, vt his contraria etiam iniqua perdoceam, quod certe communis quoque ratio deprehendit. Tu enim dicis, quia oculum pro oculo iussit auferri, idcirco crudelis. Ego autem refero, quia nisi præcepisset istud, tunc vere apud plurimos talis fuisset, qualem tu eum falso esse conquereris. Denique sermone fingamus omnem legem esse dissolutam, nec quenquam pro huiusmodi factis formidare supplicium, sed cunctis prorsus malignis licere vti moribus suis, & adulteris, & homicidis, & furibus, & periuris, & parricidis; nonne sub hac licentia omnia pariter vna confusio iniquitatis inuolueret? Non ne mille sceleribus & cædibus vrbes, fora, domus, maria, totusque omnino mundus fuisset impletus? Nam si legibus certe dominantibus & vigente comminatione atque terrore, vix tamen voluntates cohibentur malignæ : si etiam hoc præsidium defuisset, quanam posset malitia ratione frænari, aut quæ non in vitam hominum pestis irrueret? Nec tamen solum istud crudele est, permittere scilicet malis agere quæ velint : sed aliud quoque isto certe nihil minus, idest, læsum & immerito afflictum neglegere atque despicere. Dic enim mihi, si quis feros homines ac semper malignos in vnum colligens, gladiis armaret, totamque circumire ciuitatem iuberet, atque obuios sibi quosque, confodere, quid tandem hoc esset immanius? At si alius eos quidem, qui ab illo armati essent, ligaret violenterque constringeret: eos vero qui interimendi erant ab iniquis illis manibus liberaret, quid è regione isto inuenitur humanius? Hæc igitur etiam ad legum transfer exempla, quæ enim oculum pro oculo effodere præcepit, timorem quasi carnificum peccatoribus immittens illius similis inuenitur, qui illos, quos dixi, cohibuit armatos. Qui vero nullam omnino pœnam decreuit nocenti, sed armasse sibi iniquitatem videtur, eumque imitatum fuisse qui sceleratos illos gladiis instruxit, hincque totius ciuitatis immisit exitium. Videsne quemadmodum non solum nullius crudelitatis, verum etiam maxime pietatis sunt illa præcepta? Et in Epistolis beati Gregorii idem competenti vltione plectendis maleficis & iniquis sæpenumero qui legere voluerit inuenire valebit. Vnde frater charissime collige, quia contra hæc agere aut exigere, non solum est pietatis iura confundere, verum & sacerdotali innocentiæ ac veritati detractionis molestias importare, & derogationis blasphemias irrogare. Dicent enim maliloqui, Paulus dicit, *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus digni sunt morte*, iste iniquos coerceri non sinit? Vide & Dominus per Psalmistam tali sicut iste est, sacerdoti, *Quare* (inquit) *tu enarras iustitias meas & adsumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, currebas cum fure, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Non enim foueret malos, si bonum diligeret, sed diligens hominum, & odiens vitium quod suum ageret, & quod à Deo per conditores legum iusta decernentes decretum est non oppugnaret. Et iniquæ mulieres ac peruersi homines inquient, *Faciamus quod volumus, & adeamus Ecclesiam, vel Episcopum, & erimus impuniti.* Hinc namque vituperabitur ministerium nostrum, & erimus contemptibiles, vt videlicet legalem iustitiam iniustis à Domino positam contemnentes, quia *vnaquaque lex iusta crimen non habet, ne sit iniusta, & tamen criminosum punit, vt vere sit iusta.* Et è regione quidem iactabant, Scriptura dicit, *Ne sis multum iustus. Beati quoque misericordes.* Et, *Iudicium illi sine misericordia, qui non facit misericordiam.* Et, *Superexaltat iudicium misericordia.* Et Dominus adulteræ, *Nec ego te condemnabo; Vade, & amplius noli peccare.* Et tu sacerdos cui misericordiam nisi misero debes impendere, & illi claudis non miserendo misericordiæ viscera, qui in eum liber es à punitione? Quam vtriusque partis derogationem erga sacris mysteriis seruientes prouide atque discrete cauens beatus Gregorius ad Leontium Exconsulem scribit, *De[...]* (inquiens) *gloria vestra meminisse, quia nunquam meas Epistolas pro commendatione alicuius accepit; nisi vt protectionem vestram faciente iustitia præstaretis; quia turpe est defendere quod prius non constiterit iustum esse. Ego quidem homines propter iustitiam diligo, non autem iustitiam propter homines postpono.* Et ad Romanum defensorem, *Patrocinia Ecclesiastica, sine meam susceptiatis scripturam, etiam & minime fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus si qui furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniuste defendi, ne opinionem male agentium ex indiscreta defensionis ausu in nos nullo modo transferamus, sed quantum decet Ecclesiam, admonendo, verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, & illis opem feratis & opinionem sancta Ecclesia non inquinetis.* Sed & de his qui ad septa Ecclesiæ & etiam ad ipsa sacraria confugerint sanctuarii, ad Ioannem Episcopum Catalitanæ ciuitatis scribit, *Si* (inquiens) *de quibus est quæstio, ad Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, vt nec qui violentiam patiuntur, nec hi qui dicuntur oppressi, damna sustineant. Cura ergo vestra sit, vt eis sacramento ab his, quorum interest, de seruanda lege & iustitia promittant, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem.* Hæc, Domini & fratres, rogatus, vobis audientibus, à suprascripto venerabili consacerdote nostro, sapientiæ vestræ deposui: quæ si illi ad interrogationem suam non videntur sufficere, plura hinc poterit in sanctorum paginis legere, & à nostra mediocritate in solutionibus quæstionum, de quibus ab aliis interrogatus sum; vicesimæ secundæ, & vicesimæ octauæ latius inuenire. Quoniam quidem supra chirographi Regum nostrorum memoriam feci, quæ de his ibidem constituta sunt hic subnectere procuraui.

Et quia per vagos, & tyrannica consuetudine interruentes homines pax & quies regni perturbari solet, volumus vt ad quemcumque nostrum talis venerit, vt de his, quæ egit, rationem & iustitiam subterfugere non possit, nemo eum ob beneficium ad aliud recipiat, vel retineat, nisi vt ad rectam rationem, & debitam emendationem perducatur: & si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune in cuius regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur. Similiter & de eo agendum est, qui pro aliquo capitali & publico crimine à quolibet Episcopo corripitur, vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum & regis regimen mutat, ne debitam pænitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragat. Interdum etiam incestam propinquam suam, aut sanctimonialem, vel raptam, siue adulteram, quam illicite non licebat habere, fugiens secum ducit. Hic talis, cum Episcopus, ad cuius curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicuius nostrum inueniat, & Dei ac nostros fideles suo morbo inficiat, sed à nobis, vel per ministros Reipublicæ constringatur, & vt simul cum diabolica præda, quam secum duxit ad Episcopum suum redeat, & de quocumque crimine publico debitam pænitentiam suscipiat, aut susceptam legitime peragere compellatur.

Rom. 1. Psal. 49. Eccl. 7. Matth. 5. Iacob. 2. Ioan. 8.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLÆ QVÆDAM.

Cum aliis eiusdem æui scriptis.

HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLA.

AD NICOLAVM I. PP.

Domino sanctißimo, & Reuerendißimo Patrum Patri Nicolao Primæ ac summæ sedis Apostolicæ & vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Hincmarus Rhemorum Episcopus & vestræ sanctißimæ paternitatis deuotißimus famulus.

XV. KAL. Septembris XIV. Indictionis, secundum vestram Apostolicam missionem, ad Suessorum ciuitatem cum fratribus ac Coëpiscopis Rhemorum Prouinciæ, Archiepiscopis, & Episcopis illuc ex mandato vestro conuenientibus occurrere festinaui, quo etiam dilectum fratrem nostrum Vulfadum venire commonui, Eos etiam fratres nostros de ipsius collegio, qui sub nostra cura degunt, mecum adduxi, quos (sicut mihi scribere dignati estis) iustum quid vel pium sentiens, sine retractatione in suis ordinibus consensu ac iudicio Coepiscoporum Rhemensis Prouinciæ restituere maturarem si illos ab eisdem gradibus cum eorum tantum iudicio deiecissem. Sed quoniam Synodi Episcoporum quinque Prouinciarum, quorum meo consensu expetierunt iudicium, diffinitione fuere deiecti, & (sicut melius sapientia vestra nouit) sacri Canones vsque ad similem excommunicationis vindictam decernunt, vt ab aliis deiecti ab aliis non recipiantur, minime autem restituantur, sed aut eorundem, aut maioris Concilii Episcoporum diffinitiones ac iudicia præstolentur; aliarum opus in illorum restitutione nullatenus vsurpare præsumpsi, quos meo arbitrio ab officio non suspendi, & in præfata Synodo Episcoporum quinque Prouinciarum non tantum non iudicaui, vel deieci, verum nec cum iudicibus eorum subscripsi, quia mihi commissæ Ecclesiæ filii finitimos Episcopos iuxta Canones Sardicenses pro causa sua interpellarunt, & Africæ Prouinciæ Canones huiusmodi vicinos Episcopos audire, & inter eos ac proprium Episcopum adhibitos ab eis Episcopos iubent querimoniam diffinire. Vnde humiliter obsecro, ne pro inobedientia mihi reputetis, quoniam eos non statim restitui, qui ad Synodum, sicut præcepistis, hoc solo meo ausu agere veritus obedienter occurri, & his quæ fratres & Coepiscopi nostri, vestræ sanctissimæ paternitatis deuotissimi filii, vestra fulti auctoritate, de illorum restitutione decreuerunt, secundum quod mystica Nicæna Synodus scribens ad diocesim Ecclesiæ Alexandrinæ de ordinatis à Meletio damnato Episcopo, clementi consilio statuit, videlicet vt mystica ordinatione firmati haberent honorem & ministerium, & proueherentur quilibet eorum in honorem Episcopi in Ecclesia defuncti, si visus foret dignus & eum populus elegisset, cum consensu Alexandrini Episcopi, sub cuius cura diocesis illa degebat, condecernente quodammodo similia Africano Concilio de Donatistis, quæ non vobis vt incognita ingeruntur, sed vt notissima inculcantur, sacrorum Canonum & sedis Apostolicæ manentibus constitutis paratissime annuere: *Et sollicitus seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis,* (Ephes. 4) obtemperare curaui reseruato per omnia sententiæ ac iuris priuilegio eiusdem Apostolicæ sedis, & salua diffinitione ac confirmatione expectatæ vestræ discretionis, atque auctoritatis. Et quia Synodo per hunc venerabilem Archiepiscopum Egilonem, qui interfuit actionibus dirigente epist. omnium nostrum, qui adesse potuimus, cum ipso voce loquentem, quoniam si eis manum porrigitis, vobiscum pariter porrigemus: Vulfado & eius collegis pro disceptatione diuersa iudicantium, in eadem Synodo omnibus consonanter idipsum sentientibus, sedem Apostolicam non fuit necessarium appellare. Idcirco huiusmodi legatum, qui meam vobis repræsentans personam cuiuscunque diuersa sentientis allegationibus, quæ modo nullæ sunt, responderet; & vestram exinde diffinitionem referret, omisi dirigere, quia quæ verbis & scriptis mihi per istum religiosum Archiepiscopum exinde sequenda atque tenenda mandaueritis, pro scire & posse obedire & conseruare curabo sicut hactenus, ea quæ inde fuerant statuta & confirmata, seruaui.

Nec causa inobedientiæ missum meæ subditionis cum hoc venerando Archiepiscopo dimisi transmittere, sed quia sic intellexi in litteris vestræ auctoritatis contineri, tunc solum vt verbis earum vtar, si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus nobis præfati deiecti sedem appellauerint Apostolicam & eius speciali se iudicio damnari vel absolui petierint: Si ego, vel si Vulfadus, aut socii eius ad vos venire per nos non possemus, vicarios nostros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox post consummatum Conc. XV. Kal. Septembris præsentis XIV. Indictionis auctoritate vestra collectum, nostras præsentaturos vobis personas, nullam penitus excusationem prætendentes, vtrique ad sedem beati Petri mitteremus. Vnde supplico, vt merear scripto hinc vestram diffinitionem respicere, quam paratus sum, vt oportet, obnixus obseruare. Gestorum autem seriem de omnibus quæ in Concilio relata, examinata, atque reperta sunt quæ sicut (veneranda Decreta statuunt) discretioni vestræ dirigi præcepistis, vt quæ salubria videbuntur, corroborentur: si forte aliqua supersunt Epistolæ Synodali, quæ debeant explanari, hic venerandus ac religiosus sanctitatis vestræ deuotissimus filius, & vnanimis frater ac consacerdos noster Egilo Archiepiscopus, plena fidelique relatione Apostolicæ auctoritati vestræ poterit patefacere, & (sicut ea visu & auditu comperit ac episcopaliter contulit) intimare. Sed & de præfatis fratribus nostris Rhemorum Ecclesiæ filiis ab Ebone post depositionem suã ordinatis qui inter Canonicos & Monachos, vrbanos & parrochianos vna cum Vulfado apud nos non sunt amplius quam nouem, de quibus sanctissima vestra paternitas mihi scripsit vt cum deiectionis suæ causam venire ad examen optauerint, nullam ex his quilibet indignationem meam sustineat, nullum ad cœpta peragenda per suggestionem meam patiatur incommodum; qualiter me antea & postea erga eos egisse in Synodo fra-

tres & coepiscopi nostri vna cum eo repererint, sufficienter dignationi vestræ præualeo enarrare, quorum salubrem ac singularem statum & cupiui & cupio, & quæsiui & quæro: & quorum deiectioni condolui & statu eorum congaudeo. De Teutberga etiam Regina vnde sublimitati vestræ ab humilitate mea mandari rogastis; quia Hlotharium, vel ipsam Theutbergam, postquam Arsenius venerandus Episcopus & sanctæ Ecclesiæ Romanæ Apocrisiarius ab Attiniaco palatio domni Karoli Regis gloriosi perrexit, non vidi, certæ salubritatis rationem vobis mandare non valeo. *Et alia manu.* Deus omnipotens sanctitatem vestram ad doctrinam & correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ in suo apto seruitio per annorum multa curricula conseruare dignetur, Domine sanctissime & reuerendissime Patrum Pater in Domino.

EPISTOLA EIVSDEM AD EVNDEM.

D*Omino sanctissimo & Reuerendissimo Patrum Patri Nicolao primæ ac summæ sedis Apostolicæ & vniuersali Papæ Hincmarus Rhemorum Episcopus, & vestræ sanctissimæ paternitatis deuotissimus famulus.* Litteras sanctissimæ paternitatis & præcellentissimæ auctoritatis vestræ. XIII. Kal. Iunii XV. Indictionis ab Egilone venerabili Archiepiscopo Senonensi accepi, in quibus, sed & litteris generaliter ad Episcopos, qui in Synodo vestra auctoritate congregata, apud Suessiones præterito anno fuerunt, tantas & tales increpationes indignitati meæ à dignitate vestra inlatas inueni, sicut peccata mea merentur, quibus ad omnia respondere, & humilitati meæ præsumptiosum, & sublimitati vestræ constat incongruum, præsertim cum post multa, pusillitatem meam refouentes, mihi scribere dignati fueritis, dicentes, *Hæc ne nos arbitreris ad discrimen quodlibet tuæ sanctitatis exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula non nescias.* (Prou. 27) Cæterum quoniam propter multas, & maximas, ac pene continuas infestationes Paganorum atque falsorum Christianorum, quas patimur, continue laborantibus antea Episcopis Regionum nostrarum in vnum conuenire non licuit, vt nobis communiter vestræ sanctitatis epistola communiter missa relegeretur, (sicut iussistis) quæcumque super hac re, de qua agitur, scripta, tam à vobis prius & nunc, quam à nobis edita, reperiuntur; Et quid inde humilitas mea, & illi deiecti Clerici sedi Apostolicæ suggesserimus vel retulerimus, in volumen vnum ordine, quo missa sunt, redigerentur, & Apostolicæ sedi (vt competens est) eorum nobis exemplaribus reseruatis, summo studio dirigerentur. Nunc in aliqua regni parte aliquantulum de Paganorum infestatione respirantes, sed aliarum anxietatum gemitibus laborantes, & adhuc grauiora, quæ imminent, metuentes, & fratres ac Coëpiscopi nostri deuotissimi filii vestri, quæ iussistis, videlicet de Ebbonis deiectione, & de ipsius restitutione, ac fratris Vulfadi & collegarum eius promotione, & de præfati Ebbonis iterata repulsione, atque ad aliam Ecclesiam migratione, sed & quæ de ordinatione mea compererunt, exequi studio fideli procurant, & humilis mea seruitus de his, quæ indignitati meæ vestra scripsit dignatio, omni humilitate ac puritate conscripta, hisque auctoritati vestræ collectis dirigunt subiungenda, & suggerenda, atque perferenda, secundum vestram præceptionem eis porrexi.

De dilecto scilicet fratre nostro Vulfado, & eius collegis, de quibus mihi summa dignitatis vestræ auctoritas, quæ sibi placuit, scripsit, de quibus nihil aliud sanctitati vestræ scribere præsumo, nisi quod increpationes vestras non negligenter, sed diligenter suscipio, & præceptiones obedienter obaudio, & quia illis sufficere debet præstabilis auctoritatis Vestræ benignitas, & mihi abundanter sufficit, si satisfactionem humilitatis meæ suscipientes credere dignati fueritis, me vobis simpliciter ac veraciter inde scripsisse. Nam secundum ordinatorum meorum præceptionem, qui in Ebbonis deiectione fuerunt, & mihi nec dum duobus exactis mensibus post ordinationem meam in Synodo apud Meldis ciuitatem habita præceperunt eatenus ignoranti quod Ebbo post deiectionem suam aliquos in Remensi Ecclesia ordinauerit, vt eis mecum, vsque ad diligentiorem tractatum, ministrare non permitterem, Egi & hoc ipsum eisdem fratribus decernente Carthaginensi Concilio, vt ordinatis Episcopis, vel Clericis, prius ab ordinatoribus suis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteant, per Pardulum tunc Diaconum Rhemensis Ecclesiæ qui interfuit Synodo, mandauerunt. Ab ea autem Synodo Pardulus mecum Rhemus reuersus, eisdem fratribus, qui nobiscum erant, & de quibus agebatur, hoc quod mihi præceperunt Episcopi, retulit: & vt non in gradibus, quos ab Ebbone post depositionem suam acceperant, ministrarent vsque ad diligentiorem tractatum obseruarent, præcepit. Frater quippe Vulfadus adhuc mecum non erat, sed post plures euolutos menses, si rite remetior, ante quam fere anni spatium compleretur, de alia prouincia ad me veniens, cum benignitate est & cum liberalitate susceptus, & honorabiliter habitus, vsquequo domno nostro Reg. Karolo, ipso petente, illum commendaui. Defuncto autem Ebbone anno Incarnationis Dominicæ, DCCCLI. Indictione XIIII. XII. Kal. Aprilis, quia præfati fratres nostri ab eo ordinati, qui mecum erant, post annos circiter octo suæ ab officio suspensionis, anno scilicet Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. me petierunt: eisdem fratribus ad Synodum ire permisi, & his qui indiguerunt, necessariam vt ad ipsum Concilium sine difficultate ire possent, ministrari præcepi, vbi eos non iudicaui, neque deiec, nec etiam cum iudicibus eorum subscripsi, sicut norunt qui interfuerunt, & ipsa Episcopalia gesta, quæ authentica cum subscriptionibus Episcoporum, qui eis subscripserunt, sine mea subscriptione præterito anno in Synodo vestra auctoritate apud Suessiones habita ostendi, demonstrant. Et quoniam Canones posteriores anterioribus iubent deferre, præcipientibus eisdem Episcopis, cum eorum litteris, quarum exemplar habeamus, & quas in Romano scrinio, cum meis pro eorum petitione litteris, & cum aliis petitionibus meis ad sedem Apostolicam, Domno Papæ Leoni pro confirmandis eorum gestis, quæ non scripsi, me direxisse non denego: in quibus gestis veram præfatorum fratrum proiectionem aduersum me silentio non firmaui, vnde ex communi consensu secundum Canones, sicut eos elleximus iudices, postulaui, quorum sententiam sequendam vidi vsquequo maioris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem Domni Papæ Leonis excusatoria Epistola, cur eadem gesta non confirmauerit, dicens inter cætera, *Causas pro quibus hoc vsque ad tempus suspendimus, charitati vestræ dicemus. Prima igitur hæc est, quia sicut ab Episc. prænominata Synodus viriliter ventilata, siue sopita est, ita per aliquos ex iis, vt dubitatio foret radicitus euulsa, statuta vestra synodi destinare debuistis;* Nesciens quia nos Metropolitani in istis regionibus non habemus potestatem, vt sine consensu vel iussione Regis, aut nos ipsi ire, aut Coëpiscopos nostros quo quam longius possimus dirigere. Subiunxit autem idem Pontifex in suis Apostolicis litteris, dicens: *Alia autem iuxta votum vestri desiderii ad nos perficere minime permisit, eo quod Legati sedis Apostolicæ præsentes ibidem non fuerunt. Neque imperialis Epistola nobis talis est præsentata, quod expetendum misistis, specialiter indicare potuisset. Quarta scilic.*

cos causa hac est, quia hi, quos deposi os charitas vestra aucto- ritate Synodi suos adfirmat, per proprias litteras sedem Apostolicam appellati sunt, & volunt iterum nostra se Apostolica audire præsentia, & tunc si culpabiles inuenti fuerint, non se abnuunt canonicam sustinere censuram. Et postquam has litteras domni Papæ Leonis accepi, sicut mihi innotuit. Dominus Hlotharius, petente quodam Episcopo regni sui, qui adhuc viuit, per Petrum Aretinum Episcopũ præfato domno Papæ mandauit, vt gesta Episcoporũ de eisdem Clericis non firmaret. Quæ cum ad fratres & Coëpiscopos nostros retuli, rogantibus eis apud Hlotharium Imperatorem, epistolam eainde, ipso ex animi largiẽte, permissos meos obtinui, vbi inter cætera ita scriptum habetur, *sed ad nostras petitiones exequendas & obtinẽdas Petrum venerabilem & dilectissimũ nobis Spoletanum Episcopũ, viua voce, nostra vice, executorem instruximus: & aliũ Petrũ venerabilem atque amantissimum Episcopum Aretinum litteris commonuimus, & alios fideles vestros atque nostros similiter inde monuimus*, & reliqua. Sicq; cum epistola, & cũ legatione Imperatoris per præfatum venerabilem Episcopum, missos meos cũ litteris, quarum exemplar habeo de petitione Episcoporũ, & de aliis meis petitionib. Romã direxi, quib. in via nuntius venit de obitu Papæ Leonis. Peruenientes autem Romani cum præfatis litteris & interuenientib. prædictis Episcopis, Domnus nomine & gratia Benedictus mihi, quod estis, priuilegium inde direxit. Synodum autem pro sæpedictis Clericis: aut à Petro Spoletano, aut ab alio aliquo in istis regionibus nec fama, nec veritate ex Apostolica auctoritate congregatã vel congregari iussam, sicut & per alios in istis partib. rescire potestis, vnquam audiui, nisi illam, quæ an. præterito vestræ auctoritatis iussione extitit congregata, in qua eorum restitutioni secundum traditionem maiorum paratissime annui, quam, posteaquã litteras vestræ auctoritatis inde suscepi, salubrem ac regularem audiui. Et idcirco, ab ipsis, qui eos destituerunt, vel non à minori numero, vna cum meo consensu eos restitui peroptaui & propterea inde vsque ad Synodum expectaui, & plenius à sede Apostolica vestra auctoritate formandam cupiui, cuius arbitrio potestatis reseruata erat summa ac firmitas priuilegiorũ Apostolicæ sedis, sicut & vestræ Epistolę nobis directæ continent, & in epistola Synodali, cuius exemplar habemus, sanctæ auctoritati vestræ directa cõmuni consensu scripsimus, in qua nullam mentionem, de quacumque bonis deiectione habuimus, sed & litteris meæ exiguitatis simplici mente inserui, inter cætera dicens: *Quia Synodo per hunc venerabilem archiepiscopũ Egibonem, qui interfuit actionibus, dirigens Epistolam omnium nostrum, qui adesse potuimus, cum ipso voce loquentem: quoniam si eis manum porrigitis, vobiscum pariter porrigemus.* Et item post aliquanta: *Quæ verbis & scriptis mihi per istum religiosum Archiepiscopum extendo sequenda atque tenenda mandaueritis & pro scito & posse obedire & conseruare curabo.* Quam epistolam idcirco (vt veraciter vobis confitear) sigillatam non misi, quia Synodus epistolam à se directam non sigillauit, ducens incongruum, vt quoniam Archiepiscopus de ipsa Synodo, qui eidem, vestris ad eam vocatus Apostolicis litteris, interfuit, ad vos mittebatur, quasi incredulo epistola sigillata committeretur: & quod Synodus non egit, ego agere, ne scandalum cuiquam generarem, non præsumpsi. Sanctitas igitur vestra charitate, quæ omnia credit, repleta, veraciter mihi credat: quia simpliciter & absque vllo dolo in restitutione prædictorum fratrum, postquam vestram dispositionem inde rescivi, ex beniuola mente consensi, & simpliciter ac sine vllo dolo scripsi quæ vestrę sanctitati transmisi, à quo consensu modo quolibet postea non diuerti nisi, veluti in præfatis litteris vobis scripsi, dicens: *Reseruato per omnia sententia ac iuris priuilegio Apostolicæ sedis, & salua diffinitione, ac confirmatione expectata vestra discretionis, atque auctoritatis.* Nunc autem suscepta diffinitione de illorum restitutione, quam vestra, sicut decuit, & ordo poposcit, summa auctoritas præ-

A cessit, & subsequente Synodali consensu, vestrę perfectum firmationis corroborauit, nunquam vel nusquam eainde quamcumque querimoniam contra quemcunque molior, vel dispono, intendo vel cupio habere, remouere, excitare, siue conserere: nec meditatus sum ex quo litteras pro his vestrę benignitatis accepi, à consensu in Synodo contra ipsius diffinitionem, & vestram confirmationem aliquid remouere ea tunc in postmodum vsque in sempiternum. Quia enim nullo crimine proprio denotati, nescientes Ebbonem damnatum, credentes videlicet eum canonice restitutum, non importune ad ordinationem, sicut ipsi dicunt, & non est qui contradicat, se ingesserunt, sed electi & vocati obedierunt, iubente Apostolo, *vt idipsum dicamus omnes*: & ad idipsum ex hac causa dicendum, quod testimonijs ex prędecessorum vestrorum decretis à vestra auctoritate positis dicatur conuenientius, non occurrit, sicut secundum excellentiam sapientię vestrę domno Regi Karolo scripsistis: *Si nolenti obedire volentis eos ad*

1. Cor. 1.

B *maiorem gradum prouehere, omnes illi veluti procaciter renitentes, reprehenderentur, & tamquam contumaces circa sacros Canones damnarentur*, veluti in Epistola Episcopis qui per gratiam Dei, & Decretum vestrum apud Suessionis vrbem conuenerunt, directa intimastis, qualiscumque fuerit, vel quęcumque peruenerit Ebbo à se ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus intulit offendiculum, quoniam & beatissimus Leo ad Mauros scribens ita de quodam Maximo præcepit dicens, *Maximum quoque licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est & à Spiritu schismatica prauitatis alienus est, ab Episcopali, quam quoquomodo adeptus est, non repellimus dignitate.* Et Anastasius eiusdem Apostolicæ sedis præsul, quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiæ Sacramenta commaculent, ad Anastasium principem scribens euidentissima ratione demonstrat, cui sane pio sensui (sicut in eorum decretis cum additamento conditionum legimus, vt alter li-

C bellum fidei Apostolicæ dirigat, alterius vero qui in reatu sibi tantum, & non aliis personæ nocentis, nomen specialiter in Ecclesia taceatur) iuxta quendam modum non inconuenienter coaptari posse videtur quod Augustinus scripsit, de cuius sensu ac verbis Anastasius Papa in præfata Epistola hinc quædam adsumpsit, *Si quem forte* (inquit) *coegerit extrema necessitas, vbi Catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, & in animo pacem Catholicam custodiat, per aliquem extra vnitatem Catholicam positum acceperit quod erat in ipsa Catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita emigrauerit, non eum nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cum Catholica congregationi etiam præsentia corporali reddiderit, vnde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime, verissimeque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat.*

Li. 1. de bapt. cap. 2.

Exemplar denique priuilegij sanctæ memoriæ Benedicti sine vlla mutilatione, vel adiectione, seu immutatione per venerabilem fratrem & Coëpiscopum nostrũ

D Hodonem sanctissimæ paternitati vestræ transmisi, de quo & in Epistola à me per illum vobis directa inter alia, si placet, potestis relegere, vbi scriptum habetur, *Misterem, inquam, ipsam authenticam priuilegij cartam, quam beatæ recordationis prædecessor vester domnus Benedictus mihi sua auctoritate direxit, sed timui, ne mihi inde aliquid sinistri in via contingeret, & solatio, quod inde aduersus insurgentium impetus habeo, fierem destitutus. Vestra vero dignatio in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex more, exemplar illius potest acquirere, & vtrum ita se habeat euidenter agnoscere, in quo si vestræ sanctitati placet; necesse est nobis, vt quædam superaddatis, quæ hic frater ac filius noster, iuxta quod necessitates nostras cognoscit, vestra suggeret sanctitati, quia sicut sanctus Augustinus dicit, Necesse est, vt ad noua morborum genera noua quærantur medicamentorum*

experimenta. Sed & de Synodo apud Suessiones habita, de qua factione cuiusdam Clerici nostri, quia nobis negligentijs suis territum aufugerat, quiddam ibi sub quadam dubitatione est positum, hoc frater ac filius noster vobis rei veritatem potest narrare, qui eidem Synodo interfuit, & adhuc in nomine Abbatis subscripsit.

Epist. 30

Hæc sunt verba mea in Epistola sanctæ paternitati vestræ directa. Nam si inde quod ibi est, positum, si ita est, erasissem, superfine, quod quiddam ibi sub quadam dubitatione esset positum, scriberem, & si aliquid ibi adderem, mutarem, vel demerem, vt in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ exemplar illius requireretis, & vtrum ita se haberet agnosceretis, scribere non auderem. Cæterum si quoquomodo, quacunque occasione, à quocunque aliter ad vos delatum fuit, tamen ego per præfatum venerabilem Coepiscopum nostrum, sicut se habet exemplar ipsius priuilegij, vobis direxi: quod si vobis non fuerit tædium, reseruato in Romano scrinio illud, quod per eum misi, conferre, verum inuenietis, sed & illud ipsum priuilegium, tomum & non exemplar Synodo vestra auctoritate congregatæ cum priuilegio vestræ sanctitatis ostendi, & incorruptas scripturas, atque sigilla monstraui, & ex integro coram filio vestro domno Karolo, audientibus omnibus Episcopis, & qui Synodo interfuerunt, relegi feci: vnde in Epistola Synodi vestræ auctoritati directa scriptum inter cætera habetur ad locum: *In suis ordinibus restituere maturaremus* (quin prædictos fratres) *nisi priuilegijs sanctæ Romanæ sedis per Reuerendum confratrem nostrum Hincmarum Archiepiscopum nostræ vnanimitati prolatis, quæ de ipsis viris quædam statuerunt, debita reuerentia exhiberetur, quorum summa, perfecta & integra firmitas, vt claret & iustum est in Apostolica sedis reseruata est arbitrio potestatis*, quod Synodus Episcoporum vobis non scriberet, si integra priuilegia eis non ostendissem. De eo quod benignissima & sanctissima paternitas vestra mihi est dignata scribere sicut præmisi, & in vestra sanctitate, ac pijssima paternitate confido, vt non arbitraret ad discrimen quodlibet quæ mihi mandata sunt exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula esse non nesciam. Sed ne adeo in priuilegiorum meorum defensionem vel elationem immoderatius erigar, vt Apostolicæ sedis iura quoquomodo temere tetigisse videar, veraciter fateor, hoc nunquam in cor meum ascendit, qui semper & Apostolicæ sedi, & eius rectoribus, postquam me nosse potui, pro meo scire & posse fidelis, & deuotus, & humilis, ac subiectus extiti, sum, & adiuuante Domino permanebo. Priuilegia autem sedis Apostolicæ non ideo petij, vt mihi non sufficeret quod sacri Canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum cuique metropoli sedi concedunt, & nec alia vel amplius quam Ecclesiæ Rhemorum conlatum est, ex antiquo mihi largiri specialiter petij neque appeto. Sed quia non solum Diocesis, verum & Parrochia mea inter duo regna sub duobus Regibus habetur diuisa, & res mihi commissæ Ecclesiæ sub multorum principum potestate coniacere videntur, de quibus aut parum, aut nihil vtilitatis Ecclesia nostra potest habere, quia veteres constitutiones iam quasi pro vili apud quosdam habentur, his nouis decretis carnales & animales homines territi quiddam reuerentius contra Ecclesiam indignitati meæ commissam agerent. De quibus priuilegijs, quorum defensionem mihi non arrogo, sed nec de alijs quibuscumque est vnde inflari valeam vel efferri, qui *etsi iustus fuero, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria*. Postremo de pallio à mea præsumptione non certis temporibus & iuxta morem alijs metropolitanis diffinitis vso, vnde vestræ sanctitatis auribus intimatum esse indignitati meæ scripsistis, auctoritati vestræ veraciter fateor, quod & in istis regionibus per alios, si vobis placuerit, rescire valebitis, quia nisi in die Natalis Dominici & in die Resurrectionis eius, vix in toto anno eodem pallio vtor: quoniam de illorum numero peccatis meis exigentibus factus, de quibus scriptum est, *Impedimenta sæculi fecerunt eos miseros*, rato in decretis festiuitatibus, quibus pallio vti metropolitanis conceditur, in sede mea, propter multas occupationes & necessitates Ecclesiæ & regni, esse permittitur, & nisi quando in eadem sede sum in decretis festiuitatibus, non solum non totiens, sicut mihi concessum est, verum vix aut nunquam eodem pallio vtor, pro cuius vsu apud sedem Apostolicam nihil petij nisi sicut decessores mei eo vti & in Episcopi ordinatione solebant. Non enim vsum pallij esse meæ dignitatis puto, sed genij sedis metropolis esse cognosco, dicente magno Leone Papa, *Quoniam & si diuersa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen iura permanent sedium*: Et cum multi sint sancti Episcopi, qui eodem pallio non vtuntur non nescio, quia si sine virtutibus, quas, exponente beato Gregorio, pallium signat, pallio vtor (& si excellentiorem cæteris Rhemorum Prouinciæ sedibus metropolim sedem pallij vsus demonstrat in oculis hominum, non tamen maiorem me facit in oculis Domini. Et veraciter confiteor sanctæ vestræ paternitati, quia si Episcopus ordinatus non essem, non solum pallij vsum non quærerem, quoniam scio sine ordinatione episcopali, fide recta & operibus bonis per Dei gratiam vitam æternam me potuisse adquirere in isto sæculo, cognoscens illud, sicut modo cognosco, Episcopalem ordinem non subirem, si vitare valerem: sed & nunc iam quia multe non valet deleri; nec onera periculo careant, nec labore, sufficit mihi anima mea pro spolio. Ego enim multis afflictus infirmitatibus, & ætate grauatus, ac iniurijs fatigatus iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat: quapropter licet alius ab amicis meis Cisalpinis in partibus Romanis, vt à multis iactatus confingar, ad aliud me oportet tendere, & de alijs cogitare, quam alicui pompæ ac ostentationi, minime autem in Ecclesiastico ministerio ex vsu pallij adplaudere, aut modo quolibet inseruire. Hæc autem, de quibus clarissimæ sanctitati, & famosissimæ sapientiæ vestræ scripsi, non ad vllam controuersiam vel contumacem resultationem (quod absit) protuli, sed animatus veridica sententia vestræ immo diuinæ auctoritatis quam mihi scribere dignati fuistis, dicentes, *Quia veritas liberet, mendacium vero perdat* humiliter veritatis narrationem suggessi. Tandem meæ seruituti a vestra dignatione remandari deposco de fratribus nostris Rhemensis Ecclesiæ filiis vestra auctoritate in suis ordinibus restitutis, quoniam venerandus Archiepiscopus Egilo ex vestra auctoritate eis præcepit, vt in suis gradibus ministrarent, & ad altiores ascendere non præsumerent, verum debeam eos ad altiores gradus prouehere, si confratres ac comministri nostri illos elegerint, quoniam eorum animos mea incuria lædere nolo, & ne contra vestram iussionem ac dispositionem agam modis omnibus deuitare cupio, qui Apostolicæ sedis decretis in omnibus parere desidero. Deus omnipotens sanctitatem vestram ad doctrinam & correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ in suo apto seruitio per annorum multa curricula conseruare dignetur, Domine sanctissime & reuerendissime Patrum Pater in Domino.

Prou. 27.

Iob. 15.

EPISTOLA REGIA AD DOMNVM APOSTOLIcum.

SAnctæ paternitatis vestræ reuerentes excepimus apices, quibus nobis clamores, & gemitus depositorum ab Hincmaro honorando præsule, Vulfaldi scilicet sociorumque eius, aures vestræ dignationis penetrasse, aperuistis, quin etiam nostram filiolitatem, vt eundem venerandum Antistitem ad hoc hortaremur: & admo-

nere pro Dei amore curaremus summopere prædicare decreuistis, attentes, vt eundem ad obtemperandum præcellentiæ vestræ solertia nostra decertaret flectere, sin autẽ sollicite præcauere ne quibuslibet argumentis in non obediendo vobis nos inclinare valeret. Egimus itaque summo studio secundum paternitatis vestræ rogatum, & reuerenter memoratum Antistitem eodem de negotio alloquentes sicut deuotum in reliquis, ita etiam quoque paratissimum in hoc ipso ad obediẽdum vobis & nobis comperimus, ita vt non solum consistere, sed etiam primus parere Apostolatus vestri promptissime præceptionibus festinaret. Quare autem de restitutione memoratorum virorum secundum vestram ad eum denuntiationem cum suffraganeis suis non perfecerit, à Synodo præceptione vestra super ipso negotio Suessionis congregata, destinata Epistola euidentius declarabit. Quod enim de tuitione eorum sanctitudo vestra quæsiuit, & nobis filio vestro significauit, si necesse fore apparuisset, magnopere effecissemus: sed fauente Deo, idem, de quo agimus, Pontifex benigne statutum vestrum excipiens, vt affectuosus pater cum aliis aggregatis venerabilibus Episcopis eorum causam mitissima deliberatione definiit, libentissimæ mansuetudinis vestræ obediens omnimodis Epistolaribus affatibus, & quos voto pietatis excellentiæ vestræ perspecto, tranquillo, pacifico, atque benigno atque ad præsentiam eiusmodi Synodi, vt euidenter comperimus, tractauit animo. In cunctis deinceps fretus vestri moderaminis consilio, præscriptos fratres fulciri, pioque solaciari non destitit auxilio, quæ omnia consequenter cum reliquis consacerdotibus, omnino explere accelerarer, nisi iuxta priuilegium decessoris vestri domni Benedicti, ac vestram summam vobis reseruandam cœpti de restitutione docerent .... sæpe dictus Antistes altitudini vestræ deuotissimus & Apostolico constitutionis vestræ decreto, & nostro.... .... cui omnimodis gratantissime paruit, nec in aliquo renuere tentauit, nostra supplici petitione ampliorem ....munificentiam apud vos se percepisse gratulatur, proinde vobis quæ sese acceptiorẽ omnino persentiat. Posthæc, quia fratrem illum Vulfadum, de quo agitur, vt vestræ sanctitatis apices exponunt, moribus & scientia penes nos vigere comperimus, Biturigensem Ecclesiam, ceu sanctæ paternitati vestræ aliis litteris significauimus, quia dare absque Apostolatus vestri determinatione distulimus, commendare sibi eandem Ecclesiam cum rebus sibi pertinentibus accelerauimus, scilicet, vt in destructione earum non tantum sæuiens, valeret quorumlibet prauorum instantia quærentium diripere non sua, & vastare crudeliter aliena. Quare vt in eodem loco illius valere & vigere queat studiositas, citius reuerentia paternitatis vestræ quid sancto animo vestro de eo cæterisque sederit aperire dignetur, efficiatque sublimitas vestra festinantius de ipso quod pro eo ad vos sæpius nostra poposcit supplex expetitio, Domine beatissime & admodum desideratissime Pater & Papa.

EPISTOLA CAROLI CALVI REGIS FRANC. AD HAdrianum PP. II.

SAnctissimo *ac reuerendissimo Patri Hadriano summo Pontifici & Papæ, Carolus Dei gratia Rex & spiritualis filius vester.*

Legimus in lib. Paralip. filios Israel mente pacifica misse ad prælium: quia non liuoris vindicta, sed obtinendæ pacis gratia dimicauerunt. Quod rursum dicimus, quia cogitis nos indecentibus potestati regiæ litteris vestris inhonoratum, inconuenientibus Episcopali modestiæ vestræ mandatis grauatum, contumeliis & opprobriis dehonestatum, aliterquam vellemus mente pacifica vobis rescribere, vt tandem animaduertatis, quamquam perturbationibus humanis obnoxium in imaginem tamen Dei ambulantem esse nos hominem, habere sensum paterna & auita successione Dei gratia regio nomine ac culmine sublimatum: & quod his maius est, Christianum, Catholicum, fidei orthodoxæ cultorem, sacris litteris ac legib. tam Ecclesiasticis quam secularib ab infantia eruditum, nullo crimine publico in audientia episcopali legaliter ac regulariter accusatũ, minime autem conuictum. Et, vt (quæ superaddere poteramus) alia taceamus, ne nos potius iactare, quam vera dicere videamur, licet legamus Apostolum plura de se dixisse ob aliorum salutem necessitate compulsum. Quoniam sæpe humiliter vobis locuti, benigna & pacifica atque honorabilia nobis scripta impetrare nequiuimus, vt quietam pacis venerationem, quam apud antecessores vestros nostri decessores & nos habuimus, quoquomodo obtinere possemus. Scripsimus vobis per Actardum Episcopum, & mansuetudinis nostræ legatum, singillatim ac viritim quam inconuenientia pro Hincmaro quondam Laudunensi Episcopo ex nomine vestro nobis scripta fuerunt, quæ nos à vobis processisse non credebamus putantes nos ratione comperta ab incompetentibus, quæ aliorum instinctu nobis eatenus scripta fuerunt, calamum reuocare. Sed sperana frustratis, aliter nobis quam sperabamus euenit. In capite quippe litterarum, quas per præfatum Actardum Episcopum nobis vestra direxit paternitas, auditam laudabilem charitatis & sapientiæ nostræ magnitudinem, vos prætulisse inuenimus, & mox de competto murmure, & tumultuoso clamore indebitæ reprehensionis aduersus paternitatem vestram nos denotatos reperimus: sicque auditam nostram sapientiam collaudastis, vt quasi honestius, & reuera onustius, nos solitis contumeliis afficere volueritis, quem non per insipientiam, sed per industriam in murmuratione & clamore contra debitam charitatem delinquere demonstrabitis, & quasi ad ora vasculi melle illitis, & de eodem fonte, quo & ante missæ litteræ istæ posteriores, nobis perniciosum poculum propinauerunt, fatentes illa, quæ aliorum instinctu, & non à vobis processisse credamus, vestra fuisse.

Nam in præcedentibus litteris nos periurum, tyrannum, ac perfidum, & distractorem rerum Ecclesiasticarum, non confessum nec ordine iudiciario legaliter ac regulariter conuictum, vocastis: in istis autem murmurationis crimen nobis impegistis, & tumultuosi clamoris næuum imposuistis, arguentes Domino carnalem Israel per Prophetam, vnde nos coarguitis, *Quia non fecerit iudicium, sed clamorem.* Et Apostolus, *Omnis*, inquit, *clamor & indignatio tollatur à vobis.* Et non leuius malum est murmuratio his quibus nos ante a denotastis, dicente Apostolo, *Neque murmuraueritis, sicut quidam illorum murmurauerunt, & à serpentibus perierunt.* Et vt beatus dicit Gregorius, *Nullus murmurans regnum Dei intrare permittitur.* Hinc colligendum est, quantum peccatum sit murmuratio quæ regnum Dei intercludit. Sicut & illa peccata grauia, post quorum enumerationem dicit Apostolus, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et non vt scripsistis tumultuoso clamore paternitatem vestram indebite reprehendimus, sed quæ nobis ex vestro nomine scripta fuerunt non multorum vocibus quibus tumultus fieri solet, sed nostra tantum voce rescripsimus. Et quoniam talia vos misisse & à sancta Romana Ecclesia, in omnibus semper discretissima atque cautissima, dictata fuisse, nequaquam credidimus; Quia ipsa sancta sedes cum modestia & discretione semper corripere & salubriter corrigere secundum vniuscuiusque personam & ordinem solita fuit, suggessimus. Igitur *si male locuti sumus, testimonium perhibete de malo, si autem bene, quid nobis succensetis?* Scriptum est, Abraham licet sanctum vt à Deo sanctificatum hominem, tamen eidem Deo dixisse:

Ephes. 4

1. Cor. 10

Gal. 5.
Ioan. 18
Genes. 18.

Num perdes iustum cum impio, non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: Et non ingrate hoc Dominum suscepisse: Et nos arguitis quoniam humili placatione vobis suggessimus, non esse vestrum non confesso, nec legaliter ac regulariter conuicto, regia etiam potestate gratia Dei prædito, talia sicut plebeio, & de criminibus confutato scribendo impingere, scientes, quam graue sit fratri (quod nobis impactis minus est) dicere fatue nullique detrahendum, vel contra fas maledicendum: nunc autem Regi, vt Apostolica doctrina, atque Sancta Dauid in Saulis iam a Domino reprobati reuerentia, & Salomonis sapientia, ac Nabuthæ prodit historia.

Inuenimus etiam in eisdem literis nobis datum consilium (si forte dici potest consilium, quod est Domini exemplo contrarium & decretis Sanctorum inuenitur aduersum) scilicet (vt verbis vestris dicamus) *Omnia, quæ a sede Apostolica, cui per Dei gratiam præsidetis, directa sunt, alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere*. Scriptum est enim nobis ex vestro nomine, *Nos periurum, tyrannum, ac perfidum & distractorem rerum esse Ecclesiasticarum*. Et hæc alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere? Nisi scriptor forte velit nos cum vulgo Æthiopes vocare argenteos; & ideo quis nobis pulcher videatur, qui à nomine bellus vocatur, & sibi cantare cum Persio, *Quicquid calcauerit rosa fiat*; illudque Propheticum incurrere: *Væ his qui ponunt amarum in dulce*; Cum Dominus dicentibus ad se Iudæis: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* quod recognouit, tacendo consensit; & patienter repulit, quod dictum fallaciter audiuit, dicens: *Ego dæmonium non habeo*. Cuius pro modulo nostro in hoc exemplum secuti, qui non dedignatus ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare; de his quæ in nobis non recognouimus humiliter & patienter apud paternitatem vestram nos excusauimus, ne, si penitus taceremus, tales, quales denotabamur, tacendo & consentiendo esse nos fateremur; & quasi confessi & nostra confessione conuicti iudicaremur.

Et hoc hortamentum, quod in literis ex nomine vestro ab Actardo Episcopo nobis delatis inuenimus, scilicet, vt omnia, quæ à sede Apostolica nobis veniunt humili semper debeamus intentione recipere, non solum, vt præmisimus, Euangelicæ veritati, sed etiam decretis sanctorum inuenitur aduersum. In quorum decretis legimus, *eum absolui non posse, qui in seipsum dixerit mortis causam, quæ educta in alium puniretur*, falsum videlicet testimonium: *cum omnis, qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida sit*. Et hinc decreuerunt, *Vt quicumque subordinatione, vel diaconatus, vel presbyterij, vel Episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submouendos*. Et nos, si ad talia nobis impacta tacendo consentiremus, non solum à regimine regio, verum & à Catholicæ Ecclesiæ communione nos ipsos sequestraremus. Non igitur talia nobis ex parte sedis Apostolicæ & nomine vestro scripta, mente alacri percipere, & animo grato amplecti & humili semper debemus intentione recipere, quæ, sicut in eisdem literis ex sententia sapientis Salomonis subiungitur, *Quasi stimuli, & sicut claui in altum defixi esse viderentur*: quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Cui sententiæ item Sapientis verba referimus, quibus dixit: *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaueris*, id est, probaueris, *corripe iuste*, sicut Nathan Dauid regem prius interrogauit & interrogatione probatum corripuit: & cum causa correptionis defuit, humiliter adorauit, veluti in sacra historia legimus. Mandate & scribite, quæ vestro & nostro ministerio congruunt, vt decessores vestri nobis & nostris decessoribus mandauerunt, atque scripserunt, & alacri mente, gratoque animo recipimus.

Literæ autem ex nomine vestro semper sine interrogatione, id est, sine probatione nos pungunt, & peccata, pro quibus inuitum pungunt, sponte confessa, vel ordine iudiciario legaliter ac regulariter comprobata non ostendunt, & cum peccata manifesta & probata desint, fomentis benignæ adhortationis & allocutionis non refouent: reprehendente hinc Domino populorum rectores asperos, atque dicente: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia*. Quibus Apostolus regulam dedit commotionis, singulis dicens: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*, misceas temporibus tempora, terroribus blandimenta: Dirum magistri, pium patris ostendentes affectum, id est, indisciplinatos & inquietos debent durius arguere: obedientes autem ac patientes, vt in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem & contemnentes debent vtique increpare atque corripere: & de criminalibus peccatis aut vltro confessos, aut ordine iudiciario comprobatos, atque conuictos, secundum modum culpæ legaliter ac regulariter iudicare. *Nolite Apostolus, inquit beatus Augustinus, hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio: sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum. Alioquin illud cur dixit? Si quis cum frater nominatur, aut fornicator, aut idolis seruiens &c. nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam, cum sententia ordine iudiciario atque integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia sæpe falso in quemquam crimen nominatur. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ nouerunt, quia documentis sæpe deseruntur, vt ea quæ sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possint. Quamuis enim vera sint quædam, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur, nisi ordine iudiciario comprobentur: vt si per iudicium mali ab Ecclesiæ communione auferri non possunt, tolerentur potius, ne peruerse malos euitando quisque ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.*

Quod scriptum est in eisdem ex nomine vestro literis, quia sane non patienter Pontificii vestri monita, & correctiones, nos audisse compertis, liquido patet adhuc perfectæ aliquid charitatis minus duntaxat haberet, de qua dicit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia suffert, omnia sustinet*. Cuius charitatis modum & perfectionem in benignitate, ac patientia, in humilitate, & sufferentia, exemplo sanctæ paternitatis vestræ in literis vestris discere admodum cuperemus, si Deus nos inde honorare dignaretur.

Quod & in hoc possemus addiscere, si in his, quæ ex nomine vestro nobis scripta, sanctitati vestræ rescripsimus, *sustineretis modicum quid insipientiæ nostræ, & supportaretis nos*, sicut magnus Petrus, Apostolicæ & primæ Sedis primus Episcopus, non solum patienter, sed & gaudenter adeo suscepit reprehensionem suam à coapostolo suo Paulo sibi ostensam, vt eius epistolas, in quibus se reprehensum legerat, cum maximo fauore laudauerit. Non enim ita supputate eas laudare poterat, nisi legisset: & quia legit scriptum, reprehensum se in eis inuenit: & quoniam eas tam granditer laudauit, quam gratanter iustam reprehensionem suam acceptam tulerit patienter, ostendit. Et cum à minoribus suis reprehensus fuit, cur ad Gentiles intrauerit, non eis nudo, & tumido sermone respondit, vt omnia quæ egerat patientissime sustinerent: nec aliquid in eorum querela de sua potestate dixit, sed humili eius ratione placauit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit. Quia si in querela fidelium, vt beatus dicit Gregorius, aliquid de sua potestate diceret, profecto Doctor mansuetudinis non fuisset.

Si igitur pastor Ecclesiæ Apostolorum princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est, in causa reprehensionis suæ, rationem humiliter reddere, quanto magis, inquit Gregorius Apostolicæ sedis Pontifex, nos peccatores cum de re aliqua reprehendimur, nostros ratione humili placare debemus? Literæ autem ex nomine vestro nobis directæ non humili nos ratione placarunt: nec contra rationem nos ex ratione & authoritate quæsisse monstrarunt: sed indebita increpatione os nostrum oppilare studuerunt, quũ Deo gratia, libera adhuc fronte de his, quæ nobis per literas ex nomine vestro directas impacta sunt, loqui possimus.

Scriptum est etiam in præfatis literis nobis ex nomine vestro directis de Hincmaro hoc modo. *Volumus, & auctoritate Apostolica iubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum vestra fretum potentia, ad limina sanctorum, nostramque venire clementiam. Quo sane veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui: & tunc in præsentia nostra, & totius sedis Romanæ synodali collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundum Deum & sacrorum Canonum constitutiones spiritu Dei prolatas, sine protelatione aliqua finietur.*

Quæ relegentes, licet contra morem decessorum ac prædecessorum vestrorum hoc dictum inuenerimus, id est, *vmbrosum sæculi typham inducere in Ecclesiam suam, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Domini videre desiderantibus præfert*; tamen de voluntate non dubitauimus. Quia humano animo facile potest subripi, quod ex deliberatione conueniat immutari. Sed valde mirati sumus, vbi hoc dictator Epistolæ nobis per Actardum Episcopum delatæ scriptum inuenerit? esse Apostolica auctoritate præcipiendum, vt Rex correctior iniquorum, & districtor reorum, ac secundum leges Ecclesiasticas atque mundanas vltor criminum, reum legaliter ac regulariter pro excessibus suis damnatum, sua fretum potentia, Romam dirigat: maxime autem illum, qui & ante depositionem contra custodiam publicam, & contra quietem moliri in tribus Synodis extitit deprehensus, sicut in gestis Episcopalibus paternitati vestræ directis continetur, & post depositionem suam, & per se, & per quoscunque potuit, à sua peruicacia non quieuit. Sed non miramur: si in posterioribus literis ex nomine vestro nobis directis, est infulcitum, vt legaliter ac regulariter damnatus, qui nullis legibus decernitur à quoquam gradu seu rebus ac facultatibus redonandus, antequam si contra custodiam & quietem publicam moliri non fuerit deprehensus renouato Apostolicæ sedis auctoritate iudicio in prouincia, qua fuerit iudicatus, forte inueniatur innoxius, Regia nostra potentia ad vestram veniat fretus, cum sic authore damnato debeatur potius rectitudinis non clementia resolutionis: quæ si non de eodem foramine, de eodem tamen conamine manarunt, de quo & anteriores fluxerunt, in quibus continetur, vt res omnes Hincmaro commissæ Ecclesiæ, donec ad propria reuerteretur, nobis committeretis, vt indemnes consisterent, & aliquod dispendium non incurrerent.

Vnde, sicut vobis rescripsimus, & nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente causa necessarium est: quia Reges Francorum ex Regio genere nati, non Episcoporum vicedomini, sed terræ domini hactenus fuimus compotati: & vt Leo ac Romana Synodus scripsit, *Reges & Imperatores, quos terris diuina potentia præcepit præesse, ius distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis iuxta dinalia constituta permiserunt*; non autem Episcoporum villici extiterunt. Et sanctus Augustinus dicit; *Per iura regum possidentur possessiones*: non autem per Episcopale imperium Reges villici fiunt, actoresque Episcoporum. Et Dominus. *Quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo reddi præcipit*: qui etiam censum regi reddidit. Et Apostolus voluit seruiri Regibus; voluit honorari, & non conculcari Reges. *Regem*, inquit, *honorificate*. Et iterum, *Omnis*, inquiens, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Reddite ergo omnibus debita.* Et paulo superius: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed & propter conscientiam.* Et si reuolueritis regesta decessorum ac prædecessorum vestrorum, talia mandata, sicut habentur in literis ex nomine vestro nobis directis per Actardum Episcopum, decessores nostros à decessoribus vestris accepisse nullatenus inuenietis: Vnde pauca de pluribus vobis scribere necessarium duximus.

Matth. 22. Matth. 17. 1. Pet. 2. Rom. 13

Sanctus Gregorius merito vitæ & sapientiæ doctrina Apostolicæ sedis Pontifex, & toti orbi colendus ac imitandus, Francorum Regibus Theodorico & Theodeberto prædecessoribus nostris, de præiudicio cuiusdam Episcopi, non ita, vt vos nobis scripsistis, pro eo, qui pro meritis suis regulariter ac iuste depositus est, scripsit hoc modo. *Frater & coepiscopus noster Vrsinus Taurinæ ciuitatis antistes, in parochiis suis, quæ intra Regni vestri suos terminos constituta, graue omnino dicitur præiudicium sustinere: adeo vt contra Ecclesiasticam obseruantiam contraque Sacerdotalem grauitatem, & contra sacrorum Canonum definita, nullo eius exigente crimine, alter illic nunc meruerit ordinari. Et quia parum visum est, si in his illicita non iungerentur illicitis, etiam res Ecclesiæ suæ (vt fertur) ablatæ sunt. Quod si ita se veritas habet, quoniam nimis intolerabile est, vt virtute opprimeretur, cui culpa non nocuit, præmisso paternæ salutationis alloquio petimus, vt quod excellentia vestra amore Ecclesiasticæ reuerentiæ, & æquitatis contemplatione sponte potest impendere, nostra studeat benignius intercessione concedere: & iustitiam illi, sicut de æquitate eius bene confidimus, faciat in omnibus custodiri, atque patefacta veritate, quod illicite actum est, corrigi. Pro vtilitate ergo animæ vestræ hæc apud vos nostra exhortatio locum inueniat, &c.*

Sed & ad Romanum exarchum, minoris dignitatis, quam sumus Dei gratia Regiæ potestatis, de quodam Episcopo scripsit hoc modo. *Peruenit ad nos, Blandũ Ortonensis ciuitatis Episcopum, longo iam tempore, in ciuitate Rauennatia à vestra excellentia detineri, & fit vt Ecclesia sine rectore, & populus quasi sine pastore grex sint: & ibidem infantes pro peccatis absque baptismate moriantur.* Et rursus; *Quia non credimus, quod eum excellentia vestra, nisi ob aliqua probabilis excessus causa tenuerit, oportet, vt habita Synodo palam fiat, si quod in eum crimen intenditur, & si talis in eo culpa reperiatur, quæ ad vsque degradationem Sacerdotii deducatur, aliam ordinationem necesse est inquiramus, ne Ecclesia Dei in his, sine quibus eam Christiana non patitur esse Religio, inculta ac destituta maneat. Sin autem excellẽtia vestra aliter se habere, quam de eo quod dicitur esse, perspexerit, eum ad Ecclesiam suam reuerti concedat, vt officium suum in commissis sibi animabus adimpleat.* Quibus mandatis B. Gregorii prædecessoris vestri de his, qui necdum iudicio Synodali legaliter ac regulariter pro criminibus suis fuere depositi, collatis cũ scriptis ex nomine vestro nobis directis, ex eo qui legaliter ac regulariter pro suis excessibus iudicio Synodali habetur depositus, vt eum nostra fretũ potẽtia Romã mittamus qu æ potius sequẽda sint, iudicate. Nos autẽ autoritatẽ vestrã iudicaturam potius credimus, vt ea sequamur, quæ decessores ac prædecessores vestri secundũ Scripturarũ tramitẽ, prædicationẽque maiorũ scripserũt, quã illa, quæ scriptor sæpe dictæ Epistolæ ex nomine vestro nobis directæ confinxit.

Ait enim beatus Augustinus libro ad Ianuarium, *Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt, resecanda existimo.* Et S. Leo, de his quæ à sacris Canonibus habentur ita præfixa, & eidẽ Apostolicæ sedis sunt promulgata decretis, *vt nulla possint ratione conuelli,*

terræ Priocipes scripseruot: Ait enim Leo ad Leonem Augustum, *Debes, inquiens, incunctanter aduertere regiam potestatem tibi, non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, quæ bene sunt statuta, defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas.*

Et Gelasius ad Aoastasium: *Etenim Imperator Auguste, si contra leges publicas aliquid (quod absit) quispiam fortasse tentaret, nulla id ratione potuisset admitti.* Quas etiam leges principali authoritate promulgatas, non solum quibuscumque Episcopis, sed etiam ab ipsis Apostolicæ sedis Pontificibus, ipsius primæ sedis Aotistites obseruari debere scripserunt. sicut beatus Leo ad Leooem Augustum scribeos demonstrat, diceos: *Non refragari debere edicta Imperialia, vel ea, quæ sui decessores secundum tramitem scripturarum prædicationemque maiorum statuerant. Si quæ,* inquiens, *destruxi, ego ædifico, præuaricatorem me constituo, & en me vltionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ Principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui.*

Et S. Gelasius ad Anastasium Imperatorem, *Si,* inquit, *quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ: Quo, oro te, affectu eis conuenit obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis.* Quod & nos iuxta hortamentum beati Gelasij incunctanter atque libenter exequi cupimus in his, quæ ad suum ministerium pertinent, cunctis generaliter Sacerdotibus recte diuina tractantibus, & potissime sedis illius Præsulis quem cunctis Sacerdotibus diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ iugiter pietas celebrauit: sicut nostri decessores ac progenitores orthodoxi Imperatores, & Reges egerunt, vt & Apostolicæ sedis Pontifex, & reliqui Domini Sacerdotes nobis, quæ à Deo sunt concessa, exhibeant: Scieotes sicut idem B. Gelasius dicit, *Quoniam Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperauit, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suosque volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi, vt & Christiani principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus: & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, vt & modestia vtriusque ordinis curaretur, nec extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Omnis Pontifex,* inquit Apostolus, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis,* videlicet non solum pro populi, sed quia & ipse circundatus est infirmitate, pro suis. Et Regis est regni negotia dispensare, sicut inculcant litteræ diuinitus inspiratæ. Quia ergo sanctarum Scripturarum tramite, & prædicatione maiorum ostenditur sancto etiam attestante Gelasio, *Quia duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.* Et per Regem Regum, ac summum Pontificem cunctorum Pontificum, qui solus Rex & Sacerdos fieri potuit *Conditores legum iusta decernunt:* Quas leges Principales potestates appellauerunt æternas, & sacri Canones Spiritu Dei sunt conditi, & totius mundi reuerentia consecrati, & vt beatus Ambrosius ad Valentinianum dicit: *Leges Imperator fert, quas primus ipse custodiat, quia quod præscripsit aliis, præscripsit sibi, ne cui esset liberum aliud iudicare, sed secundum ipsas:* Quia secundum Pontificale ministeriũ vestrum, regio ministerio nostro monita vestræ paternitatis obedienter ac libenter cupimus obaudire: patimini nos ea seruare, quæ prædecessores vestri ac nostri de huiusmodi, vnde agitur, constituerunt, & roborantes seruando, quæ gesta sunt, rata doceamus esse debere, quæ gerimus. Nam quomodo leges Priocipum rite vocabuntur æternæ, si transeuntibus principibus vna cũ eis constitutio legis transibit? Et Papa Symmachus ad Eonium, *Dum,* inquit, *ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos Antistites Sacerdotium, quomodo priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quod si hæc eueniat sententiarum varietas ad ipsam sacrosanctam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quid aliud contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit? Quan a enim Vicarius B. Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia si quæ in Sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissoluantur. Vniuersa,* inquit, *perpetua sint, quæ à Domini Sacerdotibus statuuntur, qui vt Moyses, ea quæ statũt ab oraculo diuino suscipiunt: non quæ ab his statuuntur, de quibus per Prophetam dicitur:*

Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiã scripserunt. Ea nihilominus, quæ à Vicariis B. Petri constituuntur maneant inconuulsa. Quia vt Leo dicit, *nec nimia est seueritas vel remissio, vbi nihil constituitur, nisi quod ex B. Petri æquitate profertur.* Esa. 10.

Hæc enim scimus esse Canonica, scimus esse Apostolica auctoritate roborata, & Apostolicæ sedis decreta, quæ vt Gelasius dicit, *vnãquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata modo ratione custodit, pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce, præceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.* Et paulo superius: *Confidimus quod nullus iam veraciter Christianus ignorat, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam.* Et item idem, *Cumque nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus timere licere, & cum Sedes Apostolica super his omnibus fauente Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa pio deuotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quenquam, vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedem & sequi videat & docere: Satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic videre conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.* Et de sacris legibus, quas vna com Sanctis Canonib. Catholica obseruat ecclesia, idem Gelasius, vt præmisimus, dicit in Epistola ad Anastasium Imperatorem, *Quantum, inquiens, ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatũ, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusa videantur obuiare sententia.* Serm. 3. in an. non. Ep. ad Danub. Epist. 6. Epist. 8.

Et cum ita sacræ leges, tam Ecclesiasticæ quam mũdanæ, de damnato episcopali & Synodali Concilio decernant, non est nostri Regii ministerii, reum & sacrorum Canonum iudicio condemnatum, atque Apostolicæ sedis definitione, sicut in gestis Synodi inueniri potestis, anathematizatum, nostra potentia fretum quoquam dirigere: cum apertissime sacri Canones definiant, & leges Iustiniani ac cæterorum Imperatorum Catholicorum edicta qualiter, & pro quibus & à quibus debeat Episcopus iudicari; & post iudicium, quid & qualiter, & per quos sit inde Apostolicæ sedis agendum: quæ non abnuimus, sed incunctanter ac competenter annuimus.

A quibus definitionibus nulli est licitum deuiare, quia, vt S. Hilarus Papa dicit, *Nos minus in Sanctarum*

ALIA EIVSDEM AD EVNDEM.

SAnctissimo ac reuerendissimo Patri Hadriano summo Pontifici, & vniuersali Papa Carolus Dei gratia Rex & sp.ritualis filius vester.

Quia litteris ex nomine sanctæ patetnitatis vestræ ab Actardo venerabili Archiepiscopo nobis delaus necessitate eogenie prolixius respondere compulsi sumus contra morem nostrum in quaterninnculo annulo nostro signato respõsionẽ nostrã scribere necessariũ duximus, quatenus legi planius valear, & quæ vobis ratio respõdere coëgit, legeoti plenius innotescant. Quã responsionem sancta patetnitas vestra non aspernanter, sed benigoe suscipiat, quæ à nobis non est contumaciter, sed mente pacifica, vt in eodem quaterniuneolo inueoietis, cootexta. Deprecamur autem vos, in omnipotentis Dei honore & Sanctorum Apostolornm veneratione, vt tales inhonorationis nostræ Epistolas, taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & tegni nostri Episcopis ac Primoribus de cætero oon mandetis: Sed liceat nobis Apostolico Pontificio vestro in veneratione Dei & Sanctorum Apostolorum humiliter ac deuote, vt cupimus colla & corda summittere, Deus omnipoteos ad honorem & saluationem atque exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ, vos per annornm curricula conseruare digoetur, Domine sanctissime, atque reuerendissime, Pater in Domino.

HINCMARI EPISTOLA AD HADRIANVM PP.

DOmino sanctissimo & Reuerendissimo Patrum Patri Hadriano primariæ sedis Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Hincmarus nomine non merito Rhemorum Episcopus, ac plebis Dei famulus.

Excellentiæ vestræ auctoritas nuper 14. Kal. Nouembris 4. indict. mihi per legatos suos multis & magnis increpationibus repletam, sicut sibi placuit, misit epistolam. De quibos [vt viri flagellis eroditi, verbis vtar] quantum ad humanum spectat iudicinm, non viro qui similis mei est respondebo, nec qui mecum in iudicio possit audiri: nec est, qui vtrumque valear arguere & ponere manum suam in ambobus, & si locutus fuero non quiescit dolor meus, & si tacuero non recedet à me. Propterea non ex æquo ad omnia, sed ad qoædam de his quæ scripsistis, de quibus tacere non audeo, breui & humili sermone mihi est respondendum.

Quia scripsisti me reminisci debere, si vnquam Apostolicis Epistolis non rescriptum sit, & conuenientibus responsis de negotiis, de qoibus agebarur, Apostolicæ sedi remissum, sicut me pro vestro contemptu fecisse p enirus constar, quando nuper per viros missos io Galliarum partes Epistolas tam mihi, quam aliis destinastis, & nullum inde respoosum recepistis. Humiliter suggero, quia nonquam per contemptum à sedis Apostolicæ præceptionibus deuiaui, & in nostra Epistola, per commemoratos missos vestros, Paulum scilicet & Leonem venerabiles Episcopos pusillitati meæ directa scripsistis, quid inde agerem, sed noo scripsistis, vt inde vobis rescriberem. Veruotameo eisdem missis vestris verbis respondi, pro viribus me iussionem vestram executurum. Egi antem exinde quantum valui, & quantum mihi agendum esse videre potui: & quod me agere non posse, vidi, ad potestatis vestræ auctoritatem mactatione mea referre curaui, sicut & vobis innotescendum cuius rei exitum & effectus certitudinem sciui, qoaodo præfaras increpatorias litteras mihi misistis parabam scilicet quomodo ipsa die quando Epistolas vestræ auctoritatis mihi Paulus & Leo venerabiles Episcopi dederint Regi & Episcopis, & regnorum Primoribus causa tam de regno, quod antea Dominus Carolus habuit, quam & de regno, quod olim Rex Lotharius habuit, adfuerit, relegi & eis, vt ita seruarent denunciare curaui. His autem quidem Episcopis regni quod antea Dominus Carolus habuit detulerunt Epistolam, ad eos generaliter directam transmisi. Inde quæ Episcopis tam ex regno suo quondam Lotharii, qui in Attiniaco iussu ipsius Domini Caroli Regis conuenerunt, eandem Epistolam relegi, & præfato Domino Regi Carolo, sed & Episcopis regni ipsius, & Episcopis regni dudum Lotharii, & Episcopis regni Ludouici, sed & ipsi Ludouico Regi Germaniæ hanc scedulam, quæ subsequitur post iuramenta inter Reges sine me facta, dedi. In qua sic auctoritatis vestræ præceptionem indixi, vt periculis imminentibus commemoratis quomodo eis obuiare, & illa omnia penitus . & in simul commouere non poteram relatione ad auctoritatem vestram, & si non resistentibus vel mihi consulerem. Ipsa autem schedula & Regibus & Episcopis, ac regnorum Primoribus à me recitata & data ita se habet.

Dominus Apostolicus Hadrianus, sicut multis est cognitum, & litteris suis, quas præ manibus habeo, exiguitati meæ dignatus est intimare. Regibus & Præsulibus ac regnorum Primoribus in his Galliarum partium regionibus, & inter cætera auctoritate ministerii sui mandauit, vt regnum quondam Regis Lotharii, quod Domino Imperatori Ludouico spirituali Filio eius hereditario iure debetur, & quod ad eũ post mortem ipsius Lotharii rediet: vel homines in eo degentes mortalium nullus inuadat, nullus commoueat, nullus ad se conetur inflectere. Quod si quis præsumpserit, non solum per sua auctoritatis ministerium infirmabitur, verumetiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus, cum Diabolo omnino locabitur. Et si quis nostrum de Episcopis tam nefariæ temeritatis authorẽ vel tacendo fugerit, vel non resistendo consenserit, non iam pastoris, sed mercenarii nomine se nouerit censendum; & quia iam non pertinuebit ad eum de ouibus, non pertinebit cõsequenter de pastoralibus dignitatibus. Quæ autem in Epistolis ad Episcopos & regnorum Primores regni quondã Lotharii directis continẽtur melius ipsi scitis, qui eas legistis.

Audiui etiam quod similes Epistolæ, sicut Domino nostro Carolo, & Episcopis, ac Primoribus regni ipsius directa sunt, Domino nihilominus Ludouico Regi glorioso, & Episcopis, ac regni eius Primoribus missæ sunt, quod vos qui de regno eius estis, certius scitis. Mihi quoque exiguo Remorum Episcopo auctoritate sua dominus Apostolicus specialiter commendauit, vt voce sua tam Reges, quam cæteros Dei ac mundi ministros, admonẽdo, suadendo, ac prohibendo cupiditatis vel auaritiæ vitio, & vt aliena nõ suscipiant atq; regnũ quondã Lotharii & homines in eo degentes non inuadat cõprimant & compescant, Sed & per multos, & à multis audio diuulgatũ inter Principes nostros Dominos scilicet ac Reges gloriosos, mutuis sacramentis firmatum, vt inter eos, qui se dicunt ipsius regni heredes esse, æque diuisio ipsius regni fiat, quæ firmitas si facta nõ fuisset, vt multi affirmãt, iam seditio inter populos illis subiectos exorta fuisset. Et si ipsa firmitas executa nõ fuerit, prælia & seditiones, sicut iã fuerunt post obitũ Domini Ludouici Imperatoris, inter eos exurgẽt, & maxima strages populi ac perditio animarũ inde proueniet, quod postea emendari nõ poterit. Quapropter inter tãta & talia pericula, scilicet Domini Apostolici præceptũ negligere, & pactum iuramentis in nomine Domini & Sãctorum eius inter Reges nostros firmatũ, dissoluendum iudicari, & seditiones populorũ ac prælia paruipendere; & vt Ecclesiarum rectores ac, veri nobiles de multis partib. à paganis impetiti, & sine Rege ac principe, nisi quem ipsi post mortẽ Lotharii pro sua quisque conuenientia elegerint, sicut fatentur, existentes non debeant, vel sicut habent necessitatem, non habeant libertatem rectorem eligere, qui sanctam Eccle-

siam, & eos atque Christianitatem in illo regno consistentem defendat & gubernet, dicere anxiaris sine generali vnanimitate Episcoporum regni Domini Caroli, quibus Dominum Apostolicum de causa regni Lotharii suam misit Epistolã, quam eis, sicut mihi est praeceptũ, direxi. De his quae praemisi, quantum ex me est, nulli definitioni audeo consentire reseruato, per omnia priuilegio sententiae Domini Papae, cuius auctoritas si aliquid de actu corrigendum fuerit, admonitione paterna corriget, & quae stabilienda sunt poterit roborare.

De hoc vero, quod mihi scripsistis, dicentes; *Quis melius te nouit, quod filii quondam Ludouici Imperatoris in vnum conuenientes, regnum inter se diuiserunt, iureq; iurando sibi inuicem promiserunt, vt nullus eorum regnum alterius fratris sibi vsurparet, aut omnino peruaderet, & tũc Carolus Rex iuramentis contemptis, illud regnum, quod Lothario Imperatore defuncto, Domino serenissimo Imperatori filio eius debetur, inuasit, & fidem debitam violauit?* Reuerentiae vestrae debita humilitate respondebo, quoniam etsi ita esse, vt scribitis, scirem, cum ipse Rex Carolus ita esse non confiteatur, nec legali vel regulari iudicio inde conuictus appareat & multis attestantibus fateatur hanc regni partem sibi à Patre Ludouico Augusto, consensu tam Episcoporum, quam caeterorum Procerũ totius Imperii traditam, & à fratre Lothario Sacramento publico confirmatam: sequendum tamen mihi arbitrarer quod praemisso iudicio dicit Africanũ Concilium, *Vt magis taceat Episcopus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis conuincere non potest.*

Can. 110

Vnde S. Augustinus, qui eidem Concilio interfuisse legitur, à Sede Apostolica, B. Caelestino docente, pro vita sua atque meritis, ac magna scientia inter magistros optimus habitus, in libro de poenitẽtia dicit: *Plerique boni Christiani propterea tacent & sufferunt aliena peccata, quae nouerint, quia documentis saepe deseruntur, & ea quae ipsi sciunt, iudicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamuis enim vera sint quaedam, non tamen iudici facile credenda sunt nisi certis indiciis demonstrentur.*

Cap. 3.

Nos vero à communione quenquam prohibere non possumus quamuis haec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo siue seculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audet assumere, vt cuiquam ipse sit accusator & iudex? Cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in Epistola ad Corinthios breuiter insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus, Ecclesiastici iudicii formam ad omnia similia, & ex quibusdam daret, ait: Scripsi vobis in Epistola non commisceri fornicariis, & reliqua.

1. Cor. 5.

Et post aliquanto: *Si quis frater nominetur, aut fornicator, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumite. Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? nonne de his qui sunt inter vos iudicatis? de his autem qui foris sunt Dominus iudicabit. Auferte malũ à vobis ipsis. Quibus verbis satis ostendit, nõ temere aut quomodolibet, sed per iudiciũ auferendos esse malos ab Ecclesiae communione. Et si per iudiciũ auferri non possunt, tolerentur potius ne peruersi malos euitando quisque ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.* Et item, *Si quis frater nominatur fornicator, aut raptor, & reliqua. Eam,* inquit, *nominationem intelligi Apostolus voluit, quae fit in quenquam, cum sententia ordine iudiciario atque integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia saepe falso in quenquam crimen nominatur: Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiae, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum.*

Sunt enim Leges, & Canones, ac Decreta Sedis Apostolicae ex eisdem Canonibus promulgata, quae manifestant qualiter & à quibus vel vbi quis debeat accusari, vel iudicari, de quibus sanctus Augustinus in libro de vera Religione dicit: *In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint instituta atque firmata, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.* Et S. Gelasius in decretis suis ad Orientales Episcopos: *Ideo,* inquit, *vocatur ad iudicium certa quaecumque persona, vt aut fateatur obiecta, aut vincatur obiectis.* Et iterum: *Nathan Propheta palam publiceque in facie Regis Dauid, & commissum pronunciauit errorem, & ipsum commissum non tacuit, & confessione correctum consequenter absoluit.*

Et S. Bonifacius longe ante decreuit; *Et accusatus praesens, si confidit, ad obiecta respondeat.* Non insurgendũ ergo mihi est visum ad iudicandum illum qui non cõfessus, aut in aliquo, siue saeculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatus est atque conuictus, nec vtrumque fui ausus assumere, vt eius ipse forem & accusator & iudex. De eo quod Sanctitas vestra exiguitati meae scripsit; *Quia silui, & contra tale facinus saltem leuiter non insurrexi, non solum consors, sed etiam, quod est deterius, huius tyrannidis auctor ipse videor,* cum venia & pace vestrae sublimitatis dico, quia ille, qui forte hac opinione sed non cognitione, ad iniuriam & increpationem meam vobis suggessit, scire debuerat vestrae auctoritatis grauitatem sufficienter recolere, quod scriptum est, *Causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Et (vt beatus dicit Gregorius) *cum omnia nuda & aperta sint oculis Domini, tamen mala Sodomae noluit audita iudicare, qui ait: Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.*

Omnipotens itaque Dominus & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante praesumamus credere quam probare? Nam vt vestrae dignationi veraciter fatear, nec auctor, nec consors, nec consentior vllius tyrannidis vnquam, vel vsque ab ipsis cunabulis hactenus extiti. Haec qui vobis talia nunciauit, adiuuante Domino de me probare non valebit. Et quia non solum, & in annunciando vel exequendo ea, quae mihi a vestra auctoritate praecepta sunt, pro scire & posse [illegible] deses vel segnis non extiti, sicut & ante scriptis [illegible], & coram missis vestris viua voce monstraui.

De hoc, quod dicis; *quia honore & dignitate caeteris Caroli Regis regni Episcopis sum sublimior,* suggero, quia scientia & meritis inferiorem, & non dignitate ac honore loci priorem ceteris Metropolitanis me esse cognosco. Quia sicut Innocentius & Bonifacius, ac caeteri sacrae Sedis Romanae Pontifices, in Decretis suis ex sacris Canonibus promulgatis dicunt; *vnaquaeque prouincia suo Metropolitano debet esse contenta.*

De hoc quod scripsistis, *Vt si ipse Rex Carolus in obstinationis suae perfidia post meam contentionem persistere maluerit, quam iuxta vestra monita resipiscere, ab illius me communione atque consortio sequestrem & secundum Apostolum, ne aue ei dicam, si vestrae communionis volo esse particeps, praesentiam eiusmodi omnium deuitem:* cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam Ecclesiastici & secularis ordinis viri, qui de diuersis regnis Remis ciuitatem plurimi conuenerint, quos mandatum vestrũ ibidem mihi delatũ, quia non debuit, latere non potuit exiguitati meae, qui quantum sciui & potui semper Apostolicae sedis priuilegium extuli, improperando dixerunt & dicunt: *Nunquam huiusmodi praeceptionem ab illa sede vlli decessorum meorum missam fuisse, cum inter Reges sacramentis etiam confoederatos, sed inter patrem & filios, ac inter fratres praelia & seditiones eorum temporibus fuisse noscantur.* Et aliis peccatis meis reputo, me hac intentionis vestrae comminatione singulariter ab auctoritate vestra impetitum, cũ caeteros Episcopos Regni sui, confratres scilicet & consacerdotes meos, tantum monueritis, increpueritis, redargueritis, & instruxeritis, non tamen, sicut me illos de participatione cõmunionis vestrae intentando, comminari voluistis, nec etiam eos, qui, vt quidam dicunt, Regem nostrum in regnum quondam Lotharii pro sua necessitate inuitauerunt, & honores ex eodem regno obtinuerunt,

neque illos, qui Regibus & regnorum Primoribus, sicut ego vestram præceptionem, & de ipso regno interdictionem non intimauerunt, & ex aduerso ascendentes non restiterunt, vt ego, qui secundum quod potui, iussionem vestram perficere procuraui & nihil emolumenti, & quantum passus est pedis in rebus, cũ plures ex ecclesia mihi commissa diuturnis temporib. abstractæ in eodẽ Regno habeantur: Nec aliud quodcumque commodum nisi impedimenta & dispendia sim adeptus. Sed & Domino nostro Regi Carolo ad exaggerationem dicitur à quibusdam, quod nec pro Lothario, sicut multorum certa notitia, & infantes inde ingenti potestati sunt, publico adulterio denotato, & apud Sedem Apostolicam accusato, in cuius parte regni non solum pars diœcesis, verum & pars parœchiæ meæ coniacuit talem præceptionem & comminationem ab antecessore vestro nullus Episcoporum in isto Regno acceperit, nec etiam ab hæreticorum, vel schismaticorum, siue tyrannicorum Imperatorum ac Regum quales fuerunt Constantius, Arianus, ac Apostata Iulianus, & Maximus tyrannus, præsentia & salutatione, sine collocutione sedis Apostolicæ Pontifices, vel alij magnæ auctoritatis atque sanctitatis Episcopi, cum locus & ratio ac causa exigit, se subtraxisse leguntur: Et si, alijs Episcopis Regi nostro communicantibus, ego me ab illius communione vel præsentia subtraxero, dicunt secundum Concilium Africanum, *quamdiu illis non communicauero, vt mihi ab illis non communicetur Episcopis*; Præsertim cum ipse Rex se periurum esse deneget, se inuasorem alterius, & non ad se pertinens Regnum diffiniatur, se tyrannum non esse confirmet, se hæreticum vel schismaticum (quibus Apostolus nec aue à quoquam dici præcepit) non esse confiteatur, sed confessione rectæ fidei, & amplexione Ecclesiasticæ pacis, se Catholicum & in pace Ecclesiastica manere, & permanere velle demonstret, & secundum Leges & Canones præsens in iudicio, aut ad obiecta respondere, aut obiectis conuinci, se non refugere dicat. Et, vt de Regia persona, inquiunt, reticeamus, nec sicut quemliber plebeium vel liberi capitis virum, in istis regionibus, secundum Ecclesiasticas regulas & secundum leges publicas illum accusatum, vel sponte confessum, aut legaliter ac regulariter aperte conuictum, audiuimus: Sed in libris illa satis notissima ad legendum oculis ingerunt, qualiter proauus suus Pipinus à Stephano ipsius auxilium petente, & pro liberatione Rom. Ecclesiæ in Galliam veniente, in Regem sit vnctus, cum adhuc degeret Romana Ecclesia sub nomine & non auxilio defensionis Græcorum Imp. & idem Pipinus non excommunicatione Apostolica, sed virtute hostili Haistulphum qualemcumque Regem Christianum oppressit, & Italiam domuit, atque iustitias S. Petri obtinuit. Similiter & quæ auus eius Carolus temporibus Adriani & Desiderij Regis Longobardorum egerit: & quomodo Patriciatum Romanum suscepit, quomodo etiam temporibus Leonis Papæ nomen Imperatoris adeptus fuit, & quæ in Italia, & quanta erga Romanam Ecclesiam fecerit, & quomodo sanctus Stephanus in Belgicam venit & Remis patrem suum Imperatorem coronans sacrauerit: & quomodo Gregorius subreptus cum Lothario, patre suo repugnante, in Franciam venit, & pax postea in Francia vt antea non fuit, & ipse Papa cum tali honore, sicut docuerat, & sui antecessores fecerunt, Romam non rediit. Et computant quanta iste ab Episcopis & populo, qui Regem non habebant, & à paganis & seditiosis impetebantur in regnum, quod Lotharius habuit, inuitatus exordinata ordinauerit: & dicunt secularem scripturam dicere, quia omne regnum sæculi huius bellis quæritur, victoriis propagatur, & non Apostolici vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur, & Scripturam diuinam proponunt dicere. *Quia Domini est regnum, per quem Reges regnant, & cui voluerit dat illud*, ministerio Angelorum & hominum.

Quibus cum verba beati Iacobi Apostoli opponimus, dicentis: *Vnde bella & lites inter vos? Nonne hinc*, id est, *ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Litigatis & belligeratis, & non habetis: Propterea quod non postulastis.* Et ideo, *Quia Domini est regnũ, & per eum Reges regnant*, ab illo regnum postulare debetis qui litigatis & belligeratis pro temporali gloria; cum si Dominum pia intentione postularetis, ipse vobis necessaria ad vsum temporalem, & ad fruendum perpetuo superna bona tribueret. Et cum potestatem à Christo sancto Petro primo Apostolorũ, & in eo suis successoribus datam, sed & Apostolis, & in eis, Episcopis Pontificium ligandi & soluendi collatum illis insinuare volumus, respondent: *Et vos ergo solis orationibus vestris, regnum contra Nortmanos & alios impetentes defenditur, & nostram defensionem nolite quærere: & si vultis ad defensionem habere nostrum auxilium, sicut volumus de vestris orationibus habere adiutorium, nolite quærere nostrum dispendium, & petite Dominum Apostolicum, vt quia Rex & Episcopus simul esse non potest, & sui antecessores Ecclesiasticum ordinem, quod suum est, & non Rempublicam, quod Regum est, disposuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in sic longinquis partibus adiuuare non possit contra subitaneos & frequentes Paganorum impetus, & nos Francos non iubeat seruire, cui nolumus seruire: quia istud iugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt: & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audiuimus, vt pro libertate & hæreditate nostra vsque ad mortem certare debeamus. Et si aliquis Episcopus aliquẽ Christianũ contra legem excõmunicat, ipsi potestatem ligandi tollit: & nulli vitã æternã potest tollere, si sua peccata illi eã non tollunt. Et non conuenit vlli Episcopi dicere, vt Christianũ, qui non est incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro terreno regno alicui tollendo vel acquirendo, nomine Christianitatis debeat priuare, & eum cum diabolo collocare, quem Christus sua morte & suo sãguine de potestate diaboli venit redimere, & Christianos pro fratribus suis animas suas docuit ponere. Propterea si Dominus Apostolicus vult pacem quærere, sic pacem quærat, vt rixam non moueat: quia non nos concredemus, vt aliter ad regnum Dei peruenire non possimus si illum, quem ipse commendat, terrenum Regem non habuerimus.* Et alia de iuramentis, & periuriis, & de tyrannide, de quibus scripsistis, sed & de firmitatibus quæ inter Reges nostros factæ fuerunt, & de seditionibus, quæ pro illo regno exortæ fuerunt, & ad internecionem multorum peruenirent, nisi ipsæ firmitates executæ fuissent nobis dicunt, quæ vestræ auctoritati mandare nobis non cõuenit. Quapropter, quomodo ipsius Regis, in cuius regno Parœchia, & Prouincia mea consistit, & eorum qui cum eo degunt, sine animæ periculo, & mihi commissæ ecclesiæ detrimento, consortium vel præsentiam valeam deuitare, non video, Cum B. Augustinus in præfato libro de Pœnitentia dicat: *Scripsi vobis*, inquit Apostolus, *in Epistola non commisceri fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exire. Non enim possunt homines in hoc mundo viuentes, nisi cum talibus viuere, nec eos lucrę possunt facere Christo, si eorum colloquium, conuictumque vitauerint. Vnde & Dominus cum Publicanis & peccatoribus comedens: Non est*, inquit, *opus sanis medicus, sed male habentibus, non veni vocare iustos, sed peccatores.* at paulo post. *Quib. satis ostẽdit, nõ temere & quomodolibet, sed per iudiciũ auferendos esse malos ab Ecclesia cõmunione, & si per iudiciũ auferri non possunt, tolerentur potius, ne peruerse malos euitãdo, quisquã ab Ecclesia ipse discedẽs, eos, quos fugere videtur vincat ad gehennã: Quia & ad hoc nobis sunt in scripturis exempla proposita, vel in messe, vt palea sufferatur vsque ad vltimum ventilabrum, vel infra illa retia,*

Psal. 21. Prou. 8. Dan. 4. Iacob. 4.

1. Cor. 5.

Matt. 9.

Matth. 3. Luc. 3.

vbi pisces boni cum malis vsque ad segregationem, qua futura est in littore, hoc est, in fine saculi, aquo animo tolerentur. Et item idem ex sententia Pauli: *Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguas: Hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis & approbationis adiungitur. Hoc ergo admonens nos Apostolus, ait:* Ephes. 5. *Nolite cõmunicare operib. infructuosis tenebrarum: Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligẽtia disciplina, magis,* inquit, *& redarguite. Videte quemadmodum vtrumque complexus est: Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est, nolite communicare? Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare: Quid est autem, magis & redarguite? Reprehendite, corripite, coercete.*

Hoc enim secundum præceptionem vestram verbis & scriptis egi sæpissime. Et in Epistola Concilij ad Donatistas, idem Doctor solertissimus dicit. *Quisquis,* inquit, *in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei praiudicant aliena peccata: quia vnusquisque in ea proprium onus portabit,* sicut Apostolus dicit: *Et quicumque in ea corpus Christi manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Cum enim dicit, Iudicium sibi mãducat, satis ostendit, quia* Gal. 6. *non alteri iudicium manducat, sed sibi: quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensio factorum. Nam si in factis malis non eis quisquam consentiat, portat malus causam suam, & personam suam: non praiudicat alteri, quem in consensione mali operis* 1. Cor. 11 *socium non habet criminis.* Et in 1. lib. de Baptis. dicit: *Spirituales siue ad hoc ipsum pio studio proficientes, num eũt foras, quia & cum aliqua, vel peruersitate, vel necessitate hominum videntur expelli? ibi magis probantur, quam si intus permaneant: cum aduersus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida vnitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur. Ad hac enim pertinet, quod in illo Abraha sacrificio dicitur: Aues autem non diuisit.* Igitur qui Genes. 15. me à solida vnitatis Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ petra non diuido: & sicut nobis scriptis, & etiam præsentibus vestris missis, adeo ex vestra iussione, verbis restiti Regi ac regnorum Primoribus, vt & coram eisdem missis comminaretur mihi, quoniam si in mea sententia permanerem, ad altaré Ecclesiæ meæ cantare possim: de rebus vero & hominibus nullam potestatem haberem. A vestra communione non debeo separari aliorum factionibus, quorum, quantum ex me est non communico quæcumque sunt tenebrosis operibus: Ezech. 14. & 18 *Qui* inquit Dominus, *peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Et, *Anima, qua peccauerit ipsa morietur.* Sed, & in peccantibus, vt bene nostis: & beatus dicit Gregorius, *Causa pensanda sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Qua potestas,* vt Leo dicit, *in alios Apostolos, & ad omnes Ecclesia Principes commeauit: sed ideo singulariter Petro traditur, quia cunctis Ecclesia rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur aquitate iudicium, nec nimia est vel seueritas vel remissio, vbi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut ligauerit, aut soluerit.* Qualiter etiam frater & sacerdos noster Hodo Beluacensis Episcopus, mecum pro obtemperandis vestris iussionibus laborauerit, iidem legati vestri vobis innotescere possunt.

Sed & aliæ comminationes in nos sunt iaculatæ, quas adhuc nolo proferre, quasque scio, si Dominus illis permiserit, vt iam in deliberatione, ita sine retractatione comminantes in opere monstrare curabitur. Et vt mihi experimento videtur propter meam interdictionem, vel propter linguæ humanæ gladium, nisi alius eis obstiterit, Rex vester, vel regni eius Primores non dimitterent, vt quod cœperint, quantum potuerunt non exequantur? & nescio quomodo ipsius Regis, vel inter quos habito præsentiam & cõmunionem vel consortium valeã deuitare, cum Rex & cohabitantes mecum vna cum Rege nõ solũ in Parrœchiam, verum & in ciuitatem meam sæpe conueniant, & tibi tãdiu, sicut Regi complacet degant: & cum tanta multitudine tam de regno, quod antea habuit, quod & de quã antea habuit, quod Lotharius habuit, nec non de aliis regnis ad eũ confluentib. sicut missi vestri viderũt & hoc quam sæpe illi videtur, in ciuitate mea sustineo, nec Ecclesiam & plebem mihi commissam deserere, & aliorsum vt mercenarius non valeo fugere, nec quo extra regnum eius fugiam habeo: sed regio cultu eo recepto de Ecclesiasticis facultatibus, sicut præcipit, & quandiu præcipit, illi & sibi obsequentibus seruio, vt quietè, secundum quod instat tempus, cum mihi commissis degere possim. Dicit enim hanc potestatem suos decessores habuisse, quam ipse nullius interdictione dimittet. Quæ omnia supra & infra dicta, sicut non accusandum, sic nec ad excusandum in aduocatione præfati Regis depromo: *Ætatem enim habet, ipse de se loquatur,* neque ad contradicendum vestræ præceptioni, sed consulendum qualiter nos Episcopi, & ego præcipue, in quem tantam commotionem intentastis, erga Regem nostrum gerere debeamus; cum beatus Augustinus Apostoli exponens sententiam dicat, *Apostolica,* inquit, *dominatio, vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: & vt reddantur omnibus omnia; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; & catera saluo Domini nostri cultu constitutionis humana principibus reddamus, quando & ipse Dominus, vt nobis huius sacra doctrina praberet exemplũ, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum soluere non dedignatus est. Iubentur etiam serui Christiani & fideles bonis dominis suis temporalibus aquanimiter fideliterque seruire, quos iudicaturi sunt, si vsque in finem iniquos inuenerint; aut cum quibus regnaturi sunt, si & illi ad verũ Deum conuersi fuerint. Omnibus tamen pracipitur seruire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus prafinitum ab istius saculi confusione, tanquam de captiuitate Babylonia, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia ex cuius captiuitatis, si etiam terreni Reges, deserti idolis, pro quibus persequebantur Christianos, vnum verum Deũ & Christum Dominum occasione cognouerint & colant, pro quibus Paulus Apostolus iubet orare Ecclesiam, cum* 1. Tim. 2. *persequerentur Ecclesiam, Vt securam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate, sicut & ille populus in Babyloniam ductus per Hieremiam iubetur orare pro Rege Babylonia.* Et Beatus Petrus dicit: 1. Pet. *Subiecti estote omni humana creatura propter Dominum, siue Regi quasi pracellenti;* Et item, *Dominum timete, Regem honorificate: Omni humana creatura* inquit doctor sagacissimus, *omni dignitati hominum, omni persona, omni principatui, cui vos diuina dispositio subdi voluerit.* Hoc est enim quod ait, *Propter Dominum, quia non est potestas, nisi à Deo: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et vtĕ Rom. S. Augustinus in sermone euangelij Ioannis; *Legunt, inquit, leges manifesta vbi praceperunt Imperatores, vt, qui prater Catholica Ecclesia cõmunionem vsurpant sibi nomen Christianũ, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesia audeant possidere. Sed quid, inquiunt, nobis & Imperatori? Sed iam dixi de iure humano agitur, & tamen Apostolus voluit seruiri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit Regẽ reueremini. Noli dicere, quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa humana iura renunciasti, quibus possidentur possessiones.* Et si per iura Regũ possidebũt possessiones, non possunt vt Regi de Ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeãt, sicut antecessores mei suis antecessoribus exhibuerũt. Quapropter Domine Pater reuerendissime, consulite secundum priuilegiũ sedis vestræ, subiectioni nostræ, ne talia nobis cuiuscunque suggestione mandetis, vnde inter Episcopalem auctoritatem, & Regalem potestatem, inter ecclesiam & Rempublicam tantum scandalum possit oriri, quod facile ac sine dispendio religionis, vel detrimento ecclesiasticarum rerum, vnde serui, & ancillæ Dei debeant nutriri, & Ecclesiastica

negotia contineri poſtea non poſſit ſedari, quia ſicut Abraham dixit ad Dominum: *Abſit hoc à te, Domine, non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram.* Et hanc meæ ſubiectionis humillimam ſuggeſtionem ea benignitate ſuſcipite, qua primus Apoſtolorum non ſolum minoris ſui Apoſtolici redargutionem pro ſimulatione ſuſcepit, verum & minorum ſuorum quæſtionem, cur ad præputiatos intrauerit, ſatisfacere ac lenire curauit. Epiſtolam autem generaliter Epiſcopis regni Domini noſtri Caroli, à vobis directam, quantocyus potui, Metropolitanis regni ſui direxi, vt & ipſi per ſuos Coepiſcopos illam tranſmittant, quatenus ſcientes præceptionem veſtram, quod iubeatis exequi ſtudeant. Veſtra denique auctoritas miſit mihi præterito anno Epiſtolā per miſſum Coepiſcopi noſtri Hincmari, præcipientem, vt oris mei officio Nortmanum, qui res Eccleſiæ Laudunenſis inuaſerat, excommunicarem: ſed ipſe Nortmanus, ſicut manifeſtum eſt multis in iſtis regionibus, in quibus Leges & Canones exortas cauſas agitari & definiri præcipiunt, res ipſius Eccleſiæ non inuaſit, ex quibus, quaſdam idem Hincmarus Epiſcopus Domino Regi Carolo, ſine meo, & Coepiſcoporum ac comminiſtrorum ſuorum conſenſu conceſſit, vt eas Nortmāno beneficiaret, ſicut plurimi ſciunt, & in ſcriptis ſuis Domino Regi & mihi directis fatetur, quas ſiquidem res nuper Dominus Rex Eccleſiæ Laudunenſi reſtituit, quaſdam etiam res prędictus Epiſcopus filio Nortmanni ſibi commendato in beneficium dedit, quas ab eo receptas tenet. Prętereа ſi veſtræ complacet auctoritati, quando talia & huiuſmodi ad vos veniunt, & inde præcipere poſtulamini, interponite, ſi ita eſt, vt vobis innotuit, quatenus ſanius veſtra iuſſio iuſte & rationabiliter ponderata valeat exequi. Et Metropolitanus qualiſcumque, qui ſecundum Sacros Canones excommunicationes intentatas à prouinciali Epiſcopo, ſi inde ad me venerit proclamatio, debeo retractare, ſi veſtro benigno ſedet animo in obſequium illius, parrochianum ſuum iuberi non debeo excommunicare. Alteram ſiquidem mihi pro negotio ipſius Hincmari direxiſtis Epiſtolam dicentes, *Miranda eſt plane veſtra fraternitas, quare miniſterio iuris Epiſcopalis in regionibus illis abutitur, & multorum charitas, abundante nequitia, refrigeſcere dicitur. Hincmarus namque nepos & æquiuocus tuus venerabilis duntaxat Epiſcopus, ſicut audiuimus, non minima in ſua Eccleſia ſuſtinet detrimenta, ſed vobis, vt ita dixerim, tepeſcentibus, nullam conſolationem potuit inuenire.* Vnde humiliter auctoritati veſtræ reſcribo, quomodo, vt ſcriptum eſt, ſicut audio iudico, & vos, ſicut audiſtis, ſcripſiſtis, ſed qui veſtræ ſanctitati hæc verbis vel litteris intimauit, mendacium vobis dixit. Plurimum enim pro eo, & apud Regem, & apud alios laboraui, ſed & à præcedentibus annis, ſicut multis eſt notum, ab eo plurima ſuffero, & timeo ne in ſcripturæ ſententias incidat, quibus dicitur, *Qui mentis eſt duræ corruet: Abominatio enim Domino eſt omnis arrogans*; &, *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Et ſicut illa, de quibus mihi pro eo ſcripſiſtis, mendaciter dicta ſunt; etiam aliquis vobis ſuggeſſit, quod eum ire Romam prohibuerim, vel diſſuaſerim, mendacium vobis nihilominus dixit, ſicut & plures in iſtis regionibus ſciunt, & ſcriptis ad eum ſæpæ directis poſſum oſtendere. De eo, quod puſillitati meæ veſtra reſcripſit ſublimitas, vt eundem Hincmarum, & alios tres Epiſcopos omnium Epiſcoporum regni Domini Caroli vicem ferentes ad Synodum Romam mitterem; veſtra ſciat auctoritas, quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Epiſcoporum Diœceſeos Remorum, minime autem aliarum Prouinciarum Epiſcopos, niſi Dominus Rex illis pręceperit, Romam, vel in aliquam partem, mea commendatione, mittendi habeo poteſtatem, nec ipſe ego vltra fines ſui regni abſque illius ſcientia progredi valeo; ſicut miſſis veſtræ ſanctitatis coram Odone venerabili Epiſcopo, & Anſegiſo religioſo preſbytero & Abbate quibus noſtræ cauſæ ſunt cognitæ, dixi. Epiſtolam quoque, ſicut mihi ſcripſiſtis, Domino noſtro Regi Carolo à vobis directam, & à me dandam pro Hincmaro, quę vt coram illo relegeretur, & quod in ea petebatis impleret, me inſtare iuſſiſtis, frater Hincmarus mihi non dedit, nec etiam miſit, ſed ſicut audiui à Remigio & Hardiueo Archiepiſcopis aliarum Prouinciarum, eam Regi dari obtinuit. Deus omnipotens ſanctitatem veſtram ad* Dominum ſanctæ ſedis, & correctionem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ in ſuo apto ſeruitio per annorum multa curricula conſeruare dignetur, Domine ſanctiſſime & Reuerendiſſime Patrum Pater in Domino.

(Margin: Gen. 18. — Gal. 2. Act. 11. — *honorem.)

EPISTOLA HINCMARI ad Carolum Regem pro Eccleſia Syluanectenſi paſtore viduata.

D*omino glorioſo ſit ſemper laus & vita.*

VII. Idus Iunij circa horam ſecundam venerunt tres Clerici, & duo laici Syluanectenſis Eccleſiæ ad exiguitatem meam, innoteſcentes eandem Eccleſiam, fratre & conſacerdote noſtro Erpoino defuncto, viduatam eſſe paſtore, ferentes etiam ipſius Eccleſiæ tam Cleri, quam plebis petitionem, vt eis paſtor ſecundum ſacras regulas tribuatur. Quos interrogaui, ſi verbum haberent de pace Cleri ac plebis Eccleſiæ ipſius ex aliqua deſignata perſona; qui reſponderunt ſe non aliam petitionem ex parte ſociorum ſuorum afferre, niſi vt apud ſolitam miſericordiam veſtram, liberam illis ac regularem electionem obtinere ſatagerem, quatenus, ſecundum ſacras regulas, *ille*, Canonico viſitatore directo, *ab omnibus*, Eccleſiæ ipſius alumnis, *valeat eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Ego autem, licet, vt præfatum eſt, ſacerdotem veſtrum Erpoinum per fratrem Hildeboldum compreſbyterum noſtrum VIII. Idus Iunij defunctum audierim, non tamen ſtatui antea dominationi veſtrę quidquam inde ſuggerere, aut pro eadem Eccleſia poſtulare, priuſquam, ſecundum regularem morem, ab ea legatos acciperem. *Quia* (vt Leo in decretis ſuis dicit) *ſi in quibuslibet Eccleſiæ gradibus prouidenter ſcienterque curandum eſt, vt in domo Domini nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum: quanto magis elaborandum eſt, vt in electione eius, qui ſupra omnes conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore non ſit in capite.* Vbi eſt illa beati Pauli Apoſtoli per Spiritum Dei emiſſa præceptio, qua in perſona Timothei omnium Chriſti Sacerdotum numerus eruditur? Et proinde vnicuique noſtrum dicitur: *Manus nemini cito impoſueris, neque communices peccatis alienis.* Vnde religioſa ſapientia veſtra inter hæc alia duo decreta B. Leonis ſagaciſſime ponderabit, quibus dicit, *Vt in domo Domini nihil ſit inordinatum nihilque præpoſterum.* Quæ ſi idem ſanctus & ſapiens ita aperte non poneret, ſubtilitas intellectus veſtri ſufficienter enuclearet.

(Margin: 1. Tim. 5.)

Propterea, Domine Reuerendiſſime ac Clementiſſime, dignetur mihi dominatio veſtra litteris ſuis ſignificare, quem vultis de Coepiſcopis noſtris, vt ei ex more litteras Canonicas dirigam, & viſitatoris officio fungens, in eadem Eccleſia electionem Canonicam faciat, & aut per ſe, aut per litteras ſuas, vicatio ſuo deferente, eandem electionem cum decreto Canonico ſingulorum manibus roborato ad me referat, vel per me ipſa electio ad dominationis veſtræ diſcretionem perueniat. Et quia in domo Dei, vt ex verbis Leonis præmiſimus, *Nihil autoritas patitur inordina-*

rum esse, nihilque præposterum: cum vota concordia Cleri ac plebis in electione regulari, vel vestræ Dominationis consensum cognouerimus, litteras Metropolitanæ authoritatis super electionem certæ personæ ad Coepiscopos Remorum Diœcesεos dirigemus, certum diem & locum eis designantes, quando, & quo ad ordinationem ipsius electi, aut ipsi conueniant, aut litteras sui consensus, per presbyterum, aut Diaconum, vice sua transmittant.

EIVSDEM HINCMARI epistola ad Hedenulfum Laudunensis Ecclesiæ Episcopum, pro eligendo Cameracensis Ecclesiæ Episcopo.

HINCMARVS, *Sanctæ metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus: Dilecto fratri ac Coepiscopo nostro Hedenulfo, salutem.*

Dilecto fratre ac venerabili consacerdote nostro Ioanne Ecclesiæ Cameracensis defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater charissime, vt, eiusdem Ecclesiæ officio visitatoris nostræ humilitatis Metropolitana delegatione suscepto, ad eandem Ecclesiam quantocyus studeas properare, ac assiduis hortationibus Clerum plebemque eiusdem Ecclesiæ publice admonere festina, vt remoto priuato studio, vno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant ac eligant Sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus respuatur. Formam autem electionis, & qualem eligere debeant, tuæ dilectioni transmitto, quam publice coram omnibus tua solertia relegi faciat, ne de ignorantia se quilibet excusare prævaleat. Quæ electio non tantum à ciuitatis Clericis erit agenda, verum & de omnibus monasteriis ipsius parœchiæ, & de rusticanarum parœchiarum presbyteris occurrant Vicarij commorantium secum concordia vota ferentes, sed & laici nobiles ac ciues adesse debebunt: *Quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Et si post lectionem formæ electionis à nobis per tuam dilectionem eis transmissæ, concordes omnes in quantumcumque regularem personam inueneris, moneas eos, decretum Canonicum ab eis fieri, ac singillatim omnium manibus roborari: & cum decreto Canonico atque cum tantis, qui sufficienter omnium vice testimonium electo ferre possint, cum ais mandaueto, eundem electum ad nos adducere curent.

EIVSDEM HINCMARI ad Clerum & plebem Cameracensis Ecclesiæ Epistola.

HINCMARVS, *sanctæ Metropolis Ecclesiæ Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, Clero & plebi in parochia Cameracensi consistenti.*

Quia dilecto defuncto & venerabili confratre ac consacerdote nostro, patre videlicet ac pastore vestro Ioanne, necesse est, vt de eligendo atque constituendo vobis pastore & doctore atque rectore, secundum Ecclesiasticas regulas votis nostris in vnum Domino mediante conuenientibus, præmissis ieiuniis ac litaniarum obsecrationibus, tractare quantocyus maturetis; & exorato eo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, quique facit vnanimes habitare in domo, ita vos vna cum studiis huius venerandi fratris ac Coepiscopi nostri, cui secundum institutionem Canonicam Visitatoris officium in Ecclesia, cuius amore ac vigore fouemini, delegauimus, in electione regulari concorditer vniatis. Talem autem vobis futurum pastorem eligite, qui merito vitæ, & scientiæ doctrina vobis præesse valeat & prodesse, quique à Canonibus sacris non discrepet. De cuius electione decretum Canonicum vnanimi voto agere, & singillatim omnium vestrum manibus in præsentia huius Visitatoris vestri roborare satagite.

Hæc sequentia capitula præcedenti Epistolæ adhærent.

Ex Decretis Cœlestini Papæ.

Cap. XVIII.

Nullus inuitis detur Episcopus: Cleri, plebis, & ordinis consensus, ac desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit inueniri. Primum enim illi reprobandi sunt, vt aliqui de aliis Ecclesiis merito præferantur. Habeat vnusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægrauari; & quos sibi ingeri ex transuerso cognouerint, non timeant refutare, quasi non debitum præmium, vel liberum, de eo, qui eos recturus est, debent habere iudicium.

Item ex decretis Papæ Leonis.

Cap. XV.

Nulla ratio sinit vt inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis cum metropolitani iudicio consecrati.

Item ex decretis eiusdem.

Cap. XXXV.

Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit: ita vt si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maioribus & studiis iuuat, & meritis: tantum vt nullus inuitis & non petentibus ordinetur, ne ciuitas Episcopum non optatum contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quam conuenit, cui non licuerit habere quem voluit.

Item ex decretis Papæ Cœlestini.

Cap. XX.

Cœlestinus vniuersis Episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis. Nulli sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?

EIVSDEM HINCMARI ad Clerum, & plebem Tornacensis Ecclesiæ Epistola.

HINCMARVS *sanctæ Metropolis Ecclesiæ Rhemorum Episcopus, Clero, ordini, & plebi in sancta Tornacensi Ecclesia consistenti in Domino pacem & salutem.*

Sicut beatus Papa Innocentius docet, *oportet nosse, quicquid Ecclesia Romana custodit, à qua principium sacræ institutionis nos accepisse dubium non est*; Propterea documento ac verbis B. Gregorij vos alloqui procurauimus, insinuãtes, quod probabilibus desiderijs vestris nihil attulimus tarditatis: fratrem iam ac Coëpiscopum nostrum vobis ordinantes præsentia vel consensu ac litteris Coëpiscoporum totius nobis commissæ prouinciæ, secundum sacros Canones sacerdotem, pastorẽ quoque, atque rectorem. Cui his literis, quas sacri Canones, ordinatos prius de conciliorum placitis, ne se aliquid contra eorum statuta fecisse pœniteat, instructos ab ordinatoribus suis, manibus eorum conscriptas, iubent accipere, secundum traditionem Ecclesiasticam dedimus in mandatis: *Ne vnquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem (si de coniugatu agendum est) non est sortitus vxorem; neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum: aut ex publica pœnitentia, vel curia, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumque ad sacros ordines permittat accedere.* Sed & si quos huiusmodi forte repererit, respectu diuino non audeat promouere: Alienum etiam clericum sine voluntate & consensu Episcopi sui contra sacras regulas non sollicitet, non suscipiat, non in sibi commissa Ecclesia ordinet: nec eos, qui probatæ fidei non fuerunt, sacris ordinibus præsumat quoquomodo applicare. In ordinatione autem Presbyterorum, ac Diaconorum, cæterorumque Ecclesiastici ordinis ministrorum, à totius muneris, id est, à manu, à lingua, ab obsequio indebito, iuxta quod Dominus per Prophetam præcepit, quantum patitur humana fragilitas, mundas & cordis & corporis manus exhibeat, ne vno eodemque gladio & dantem & accipientem munus interimat: & illicito munere polluens manus, se alijs benedictionem credat tribuere, cum fuerit iam propriæ iniquitati substratus, & sua nihilominus ambitione captiuus. Ab eis etiam, quos ordinauerit, indebitum & contra sacras regulas sibi sacramentum fieri non compellat; sed sicut Dominus præscius nonnullos accepti Spiritus sancti donum in vsum negotiationis inflexuros præcepit dicens: *Gratis accepistis gratis date*: Quod gratis, id est, sine vlla venalitate dari vel accepti, aut etiam promissi vel sperati muneris, quantum ex vobis est: cæterum ipse viderit, habens conscientiæ suæ testem, quem habebit & iudicem. Quæ igitur per ministerium nostræ exiguitatis accepit, suis etiam comministris gratis conferat, sciens ex Euangelio, quod Redemptor noster per semetipsum fecerit, videlicet quod ingressus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere, est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Quod qui agere præsumit, suam Deo iudice cathedram ipse euertit: & quos cum pretio ordinat prouehendo, agit vt secum & ipsi Simoniaci hæretici fiant: & pro benedictione maledictionem à B. Petro Apostolorum principe Simoni mago, qui donum sancti Spiritus pretio emere voluit, iuste illatam, vna cum ipso, per ipsum, à quo non benedicuntur, iudicio eiusdem Spiritus sancti suscipiunt.

[margin: Esa. 33.] [margin: Mat. 10] [margin: Mat. 21.] [margin: Act. 8.]

Et quoniam, sicuti comperimus, quidam diuersis adinuentionibus turpia lucra sectantes, quod ministris altaris minime conuenit, defunctis presbyteris, iuxta quod didicerant viduatas Ecclesias facultates habere, xenia pro his obtinendis exegerunt, & gradus Ecclesiasticos eis non tribuebant, antequam illis eadem xenia persoluerentur, & Synodos temere frequentabant, vt factione ministrorum suorum diuerso modo denarios, quasi pro eulogijs acciperẽt. Et (quod dictu nefas est) etiam pro sacri chrismatis dispensatione, vel de Ecclesiarum consecratione quæcumque emolumenta ingenio caperent: Et necesse est, vt & contra pestifera morborum genera salubria medicamentorum quæramus experimenta, sicuti & de manus impositione, ita & de hac symoniacæ hæreseos ingeniosa & male studiosa collatione, quiddam eum accipere interdicimus, monentes illum attendere comminationem Domini per Prophetam dicentis: *Ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum.* Vnde iterum iratus dicit: *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum.* Verbis quoque beati Gregorij eum monemus, illique interdicimus, vt sacerdotes per suam parrœchiam constitutos, quotiens ad consignandos infantes egressus fuerit, vltra modum grauare minime debeat: nec summam collationis, qua sui prædecessores, qui hoc bene, misericorditer, ac rationabiliter, atque sacris constitutionibus conuenienter exequuti sunt, contenti fuerunt, excedat. Et de capellis antiquitus subiectis Ecclesijs, non æqualem, sicut de principalibus Ecclesijs collationem exigat: sed principalis Ecclesia cum sibi subiectis capellis, debitam & antiquitus consuetam collationem conferat. Principales vero Ecclesias alijs Ecclesijs loco capellarum non subijciat: Quia secundum sacros Canones, non licet Episcopis, parrœchiam antiquitus constitutam inconsulte confundere atque diuidere, nec mansionaticos suis amicis aut suis hominibus à presbyteris parari. Nec enim quasi ad receptionem Regis, vel legationum, aut ad ornatus suæ Ecclesiæ faciendos, adiutoria, quasi petendo potius aut exigendo denarios, vel caballos, aut vettes, seu friskingas, aut ad iter aliquod paraueredos, aut alia quælibet accipiat, id est rapiat, à quo verbo accipere, aues, quæ alias aues capiunt, accipitres nominantur: cum Episcopi suos subditos, non vt accipitres rapere, sed sicut gallina pullos suos fouere; & quosque infirmos vt peritus medicus conuenienti medicamento ac tempore debeant curare; & quos aurare non potuerint, aut patienter tolerare, aut regulariter vsque ad correctionem sustinentes à suo corpore submouere. Regulam siquidem, quæ de quarta parte redditum Ecclesiæ iuxta consuetudinem aliarum regionum, ita vt est scripta, intelligat; & non praue illam interpretans, proinde in his regionibus, quę sunt Presbyterorum, contra regulas sacras diripiat. Vnde si qua fuerunt grauamina illis imposita, temperet: qui & in præsenti, & in futura vita sibi prospiciet, si eos, qui sibi commissi sunt, sine grauamine conseruare studuerit. Ministros vero, id est, Archipresbyteros, & Archidiaconos, secundum quod prouidere Domino inspirante & cooperante valuerit, tales constituat, qui oderint auaritiam, & non diligant munera, nec sequantur retributiones, neque pro ordinandis clericis vel reconciliandis pœnitentibus munus accipiant, & ipso munere eum corrumpere satagant, & Presbyteros in paratis & exenijs indebitis non affligant. Et (sicut supra de Christo diximus) per diuersas petitiones, vt illis adiutorium faciant, quæ sunt Presbyterorum, vnde ipsi viuere, & hospites recipere, & suas Ecclesias continere debent, colludio quocumq; diripiant. Et vt eisdem ab inquisitione

[margin: Hier. 4.] [margin: Hier. 21.]

sui ministerij parcant, & pro infamia eorum calcanda vel cooperienda quodcumque emolumentum non accipiant; & si agentes talia ministros reperierit, in ministerio manere non sinat, & canonica inuectione corripiat.

Ipse quoque pro constituendis ministerialibus Ecclesiis, videlicet Oeconomum, id est, Ecclesiasticarum facultatum dispensatorem, Archipresbyteros, & Archidiaconos, in quibus fidei sinceritatem & probos mores ac religiosam vitam debet eligere, præmia non constituat. Quia Ecclesiasticum obsequium, quod male comparauerint, accipientes munus à subditis, pœnis venundare curabunt. Nec pro quocumque iudicio contra sacras leges, neque super innocentem contra veritatem pretium vllum accipiat, nec etiam odio vel gratia, liuore aut iracundia quantum scierit & potuerit, à iudicio recto declinet, dicente Domino: *Non facias quod iniquum est, nec iniuste iudicabis, iuste iudica proximo tuo, & iuste quod iustum est exequaris.* Iuste namque quod iustum est exequitur, qui in adsertione iustitię eandem ipsam iustitiam quærit. Pro baptizandis denique infantibus, vel pro sepultura, obaudiens decreta beati Gregorij, pretium de terra concessa putredini quenquam non permittat in parrochia sua quærere, & de alieno velle facere luctu compendium: sed si quando aliquem quisque sepeliri in commisso sibi loco concesserit, si quidem parentes ipsius proximi vel hæredes pro luminatibus vel in eleemosyna defuncti sponte quid offerre voluerint, accipere non prohibeat; peti vero, aut aliquid exigi omnimodo vetet, ne quod valde irreligiosum est, aut venalis (quod absit) dicatur Ecclesia, aut de humanis sacerdotalis religio videatur moribus gratulari, si ex eorum cadaueribus studuerit quærere modo compendium.

(Leui. 19; Deut. 16)

Ab omni quoque auaritia & vsura, & turpi lucro, secundum sacros Canones, & ipse abstineat, & ministros Ecclesiasticos abstinere faciat; & etiam laicos abstinere suadeat. Si autem & sibi commissos ministros Ecclesiasticos solerter sollicitèque custodiat, ne contra sacros Canones conductores vel possessores alienarum possessionum fiant; Nec turpi negotio aut inhonesto lucro victum quærant, neque sæcularia negotia sub cura sua suscipiant, Denique ministerium parui pendentes, per sæcularium domos non discurrant: Nec propter auaritiam gratiæ, aut honoris, vel pecuniæ, patrimoniorū sollicitudines, aut alienorum testamentorum defensiones adsumant, nec fideiussionibus inseruiant, id est, familiaritate nihilominus ac contubernio illicito & vetito fœminarum se & commministros suos, sed & à tabernis, secundum sacras regulas, Ecclesiasticos ministros faciat abstinere. Attendat quoque quod beatus Iob dicit: *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ea sulci eius deflent, si fructus eius comedi absque pecunia.* Vnde B. Gregorius: *Omnis,* inquit, *qui præest, si peruersa in subditis exercet, contra hunc terra clamat, & sulci deflent: quia contra eius iniustitiam rudes quidem populi murmurationes erumpunt; sed perfecti quique pro prauo eius opere sese tacite in afflictionibus affligunt. Fructus enim terra absque pecunia comedere, est ex Ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. De qua videlicet prædicatione auctoris voce dicitur: Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem vtique quod meum erat cum vsura. Terra igitur fructus absque pecunia comedit, qui Ecclesiastica commoda ad vsum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. Exigit quod suo debetur corpori, sed non impendit quod subiectorum debetur cordi.* Non igitur ex redemptionem aut pretium de collatione Presbyterorum Episcopus debet exigere, & alimenta Ecclesiastica munus manducare. Et cum Dominus prædicatoribus præcipiat, vt intrantes in domos eorum, qui-

(Iob. 31.; Mat. 25)

bus pacem prædicant; illa edant ac bibant, quæ apud illos sunt: per parrochiam prædicando ac confirmando pergens Episcopus non debet superfluas pensiones in pigmentis & aliis quibusque à Presbyteris, quę non habent, requirere, & alia, quæ forte in domo sua non accipit, voluptati potius seruiens quam necessitati, exigere, & suis parcens opibus, de superfluè acceptis & vendiris ditescere. Nec ideo debet prædicare, vt sumptus accipiat: sed ideo sumptus accipere, vt sufficiat prædicare. Ecclesias quoque in proprietatibus liberorum hominum ac cohæredum consistentes, vt suæ tradantur Ecclesiæ, non debet cogere: sed secundum synodalia & imperialia capitula, quæ regularia esse probat Ecclesia, satagat, quatenus dona immunitatem, sicut cæteræ Ecclesiæ, authoritate Regia habeant, & ipsæ ab eisdem liberis hominibus possideantur. Talemque se cooperante Domino in cunctis exhibeat, vt sacrum ministerium non vituperet: *Quem etiam ab his, qui foris sunt, testimonium bonum,* iuxta Apostolicam doctrinam, *habere debet.* Nam cuius vita despicitur, restat, vt & prædicatio contemnatur: Et cum pastor per abrupta graditur, solet fieri, vt tandem ad præcipitium grex sequatur.

Et ne quemquam Ecclesiastici ordinis ministrum occasione turpis lucri, vt aliquid ab eo absoluto capiat, contra sacras regulas excommunicet, inhibemus. Quia, vt sanctus Augustinus exponens sententiam Pauli Apostoli: *Auferte malum ex vobis,* demonstrat, *Non temere & quomodolibet, sed per iudicium auferendi sunt mali ab Ecclesiæ communione.* Multo magis autem cauendum est, ne sine regulari iudicio ministri Ecclesiæ officio sine priuentur. Quapropter, sicut beatus docet Gregorius: *Si quid de quocumque Clerico ad aures suas peruenerit, quod eum iuste possit offendere, facile non credat; nec ad vindictam illum res accendat incognita, attendens quod scriptum est; Causam, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam; & præsentibus senioribus Ecclesiæ sua diligenter veritatem perscrutari modis omnibus studeat: & tunc, si qualitas rei poposcerit, Canonica districtio culpam feriat delinquentis, secundum ordinem sacris regulis propositum.* Et vt cuncta breui cingulo perstringamus, nihil per contemptum contumaciter faciat, vel fieri in parrochia sua permittat, quantum, ea ipso fuerit, quod sit Euangelicæ veritati, & Apostolicæ traditioni, atque sacris regulis inimicum.

Si autem factum corrigere arguendo, obsecrando, increpando, secundum quod cuique viderit expedire, iuxta traditionem maiorum, quantum potuerit, emendare procuret. Pastoralem siquidem regulam beati Gregorij mente, ore, ac manu, quantum sibi Dominus scire ac posse contulerit, in cunctis sequi procuret. Ministerium itaque, ornatum vel patrimonium, atque redditus, vel facultates Ecclesiæ prout leges diuinitus promulgatæ præfigunt, studeat conseruare, ampliare, augere, vel dispensare. Monasteria in parrochia sua sitis Canonicam prouidentiam gerat: & (quantum ex ipso fuerit) debita priuilegia, & antiquam ac regularem consuetudinem seruet. Ordinationes vero Presbyterorum, & diaconorū, & sacrosancti baptismatis sacramentum secundum traditionem Ecclesiasticam studeat agere. Cui etiam licet inspirante diuina gratia abundans adsit doctrina, tamen pro nostri officij debito, ex scrinio sanctæ metropolis Ecclesiæ Remorum, documentum dare studebimus, qualiter se, cooperante Domino, morum probitate & doctrinę studio debeat gerere. Ipsum vero non nescium, quod totius prouinciæ cura per sacros Canones sit Metropolitano commissa, ad eandem Metropolim suam, sicuti ad matrem, vt ex eius Catholicis vberibus salubrem sugat doctrinam, humiliter ac sedulo atque obedienter monemus recurrere, & non amplius quam sibi per sacras regulas est concessum, indebite vsurpare, cum tanto charitatis

ac humilitatis glutino, præceptis ſalutaribus ad inuicem ſimus connexi, vt dicente ſibi mandato diuino: *Interroga patrem tuum, & annunt abit tibi; maiores tuos, & dicent tibi*.: & nobis. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex ipſis: & qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter*: Obedientibus ſcilicet miniſtrando paternam doctrinam, & inobedientibus (quod maioris eſt) regulam charitatis correctionem; nos patrum ac conſacerdotum noſtrorum ſalubribus debeamus vti conſiliis, & ipſi obedire paternis ac regularibus monitis. Huic ergo & hæc & alia præcepta ſalubria obſeruanti deuotis animis vos obſequendo obedire oportet, vt irreprehenſibile placidumque fiat corpus Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit & regnat cum Deo Patre omnipotente in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Deut. 32. Eccl. 32. Mat. 23.

Hincmarus ſanctæ metropolis Eccleſiæ fauente Chriſti gratia ordinator, his literis Canonicis & ordinato & electoribus ipſius datis, anno Incarnationis Dominicæ ill. ill. Cal. ill. indict.

EPISTOLA HINCMARI Remorum Archiepiſcopi ad Hadebertum Syluanectenſis Eccleſiæ Epiſcopum, pro eligendo Beluacenſis ſecundæ Eccleſiæ Epiſcopo.

HINCMARVS *ſanctæ Metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus, Dilecto fratri ac venerabili Coepiſcopo noſtro Hadeberto, ſalutem.*

Dilecto fratre ac venerabili conſacerdote noſtro Hodone Epiſcopo Eccleſiæ Beluacenſis defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater chariſſime, vt eiuſdem Eccleſiæ officio Viſitatoris, conſenſu Domini noſtri Ludouici Regis, noſtræ humilitatis Metropolitana delegatione ſuſcepto, ad eandem Eccleſiam quantocyus ſtudeas properare, & aſſiduis hortationibus Clerum plebemque eiuſdem Eccleſiæ publice admonere feſtines, vt remoto priuato ſtudio, vno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant & eligant Sacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus reſpuatur. Formam autem electionis, qualiter & qualem eligere debeant, tuæ dilectioni tranſmitto, quam publice coram omnibus tua ſolertia relegi faciat, ne de ignorantia ſe quilibet excuſare valeat. Quæ electio non tantum à ciuitatis clericis erit agenda, verum & de monaſteriis ipſius parrochiæ, & de ruſticarum parrochiarum occurrant vicarii, commorantium ſecum concordia vota ferentes: ſed & laici nobiles ac ciues adeſſe debebunt, quomodo *ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri*. Et ſi poſt electionem formæ electionis à nobis per tuam dilectionem eis tranſmiſſæ concordes omnes in quamcunque regularem perſonam inueneris, moneas eos, decretum Canonicum ab eis fieri, & ſingillatim omnium manibus roborari, & cum decreto Canonico, atque cum tantis, qui ſufficienter omnium vice teſtimonium electo ferre poſſint, eundem electum ad nos adducere tecum examinandum procura. Tua autem dilectio, frater chariſſime, ſolerti cura in hac electione inuigilet. Præſertim cum nobiſcum tibi neceſſe erit ei, qui ordinandus eſt, manus imponere, qui bene noſti præceptionem beati Pauli Apoſtoli per ſpiritum Dei emiſſam, qua in perſona Timothei omnium Chriſti ſacerdotum numerus eruditur: Proinde vnicuique noſtrum dicitur: *Manus nemini cito impoſueris, neque communices peccatis alienis. Quid eſt*, inquit Leo, *cito manus imponere, niſi honorem tribuere non probatis? & quidem communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qualis & ille eſt, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdotem iudicium: ita graui ſemetipſum afficit damno, qui in ſuum collegium ſcienter aſſumit indignum. Non ergo in cuiuſquam perſonam prætermittendum eſt, quod inſtitutis generalibus continetur. Nec putandus eſt honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ legis præcepta collatus: & non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere: nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.*

1. Tim. 5.

EIVSDEM HINCMARI ad Clerum & plebem Beluacenſis Eccleſiæ Epiſtola.

HINCMARVS, *ſancta Metropolis Eccleſiæ Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus; Clero & plebi in parrochia Beluacenſi conſiſtenti.*

Quia defuncto dilecto vel venerabili confratre ac conſacerdote noſtro, patre videlicet ac paſtore veſtro Hodone, electione Canonica à Domino noſtro Rege vobis ſolita benignitate conceſſa, neceſſe erit, vt de eligendo atque conſtituendo vobis paſtore vel doctore atque rectore, ſecundum Eccleſiaſticas regulas, votis noſtris in vnum Domino mediante conuenientibus, præmiſſis ieiuniis & letaniarũ obſecrationibus, tractare quantocyus maturetis; & exorato eo, *à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum*; quique facit vnanimes habitare in domo: ita vos cum ſtudiis huius venerandi fratris ac Coepiſcopi noſtri, cui ſecundum inſtitutionem Canonicam Viſitatoris officium in Eccleſia, cuius amore vel vigore fouemini, delegauimus, in electione regulari concorditer vniatis, vt paſtore vos diutius deſtitutos non doleatis. De cuius videlicet è vobis conſecrandi epiſcopi electione, pro impoſito nobis miniſterio, & cura totius Prouinciæ ſecundum myſticæ Nicenæ Synodi Canones delegata, fraternitati veſtræ auctoritatem diuinitus promulgatam intimare ſatagimus: primo ſcilicet, cuius teſtimonio Clericorum ac ciuium poſſit vnanimitas declarari. Deinde vt de Eccleſia veſtra, ſiue ſit in ciuitate, ſiue in monaſteriis, his diſciplinis inſtitutum, & ita Apoſtolicæ formæ conuenientem de Diaconibus vel Presbyteris eligatis vobis authore & fautore Domino conſecrandum Epiſcopum, ſicut, cum de eligendo atque conſtituendo Epiſcopo ageret, Tito, & Timotheo Paulus depingit Apoſtolus. Et ſi, quod abſit, de ciuitatis ac parrochiæ veſtræ ciuium ordinandus Epiſcopus Clericis nullus dignus vel idoneus ſummo ſacerdotio, quod euenire non credimus, poterit inueniri: tunc alterum de altera Diœceſeos noſtræ Eccleſia, vnde nobis ſecundum Africanum Concilium, ſine cuiuſquam contradictione, ordinandi quemquam Canonice electum & peritum eſt attributa licentia; eligere procurate, qui merito vitæ & ſcientiæ doctrina vobis præeſſe valeat & prodeſſe: quique ſactis Canonibus, præcipue capitulo Carthaginenſis Concilij. *qualis debeat ordinari Epiſcopus*, non debeat obuiare: & à Decretis Patrum, Siricij videlicet, Innocentij, Cœleſtini, Leonis, Gelaſij, atque Gregorij, quantum patitur humana fragilitas, & poteritis conſpicere, non valeat quoquomodo diſcrepare. Si etiam de alterius diœceſi Archiepiſcopi, vel parroehia Epiſcopi, quanquam vobis notum, proficuum, & vtilem eligere malueritis, neceſſe vobis erit cum beneplacito illius Epiſcopi, cuius intererit, & litteris Canonicis petitum obtinere, & ad nos illum mediante viſitatore

Iacob. 1. C. Cart. 4. can. 1.

vestro examinandum addocere, quatenos si congruus sacris Canonibus inuentus fuerit, vobis ordinetur Episcopus. Ante omnia autem cauete in electione Pontificis malum Symooiacæ hæreseos, ne pro dato aliquo, vel promissione inlicita, neque pro gratia cuiuscumque, vel familiaritate, aut propinquitate alicuius, quemquam attentetis eligere: non eum, cui oulla natalium, nulla morum dignitas suffragetur, vel qui otiginali, aut alicui conditioni obligatus detineatur: neminem ex laicis Neophytum, id est nouiter attonsum, & sine disciplina, vel non per tempora constituta, ad Ecclesiasticos gradus prouectum. Quod ideo specialiter designamus, quia cum Canones dicant; *Nullus ex laicis ordinetur*, demonstrant, quod non de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci, & noo possunt fieri: sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum peruenire noo possunt: id est, si quis fidelis militauerit; si quis fidelis causas egerit, hoc est postulauerit, si quis fidelis administrauerit, si quis vir æde seruiuit, si quis publicam pœnitentiam pro culpis criminalibus egit, si quis bigamus, vel qui maritus viduæ fit, vel si concubinam, vel pellicem nouit. Cauete nihilominus, ne inlitteratom, vel alicuius hæreseos peste corruptum, ac aliquorum membrorum damna perpessum, non negonatorem clericum, aut iohonestis & lucris turpibus incubantem, aut horrendis quibosdam criminibus implicatum, vel diffamatum, vel dæmoniis similibusque passionibus irretitum eligere attentetis: sed domoi Dei dignum, fidelem atque prudentem min strum, & dispensatorem eligere, quatenus interius, exteriusque decenter ornatos, formam viuendi vobis religiosa conuersatione demonstret, vel sana doctrina inter huius mundi ac tribulationum tenebras, recto calle gradienti sine offensione ad portum salutis æternæ, lumen manifestate præualeat, & contra barbaricam infestationem, si (quod absit) acciderit, vobis ferre auxilium prudeotia sciat, virilitate valeat, temperantia consulat, & sic exteriora administret, vt interiora non deserat: sic interioribus seruiat, vt exteriora penitus non relinquat: ambidexter, contemplationi mente inseruiat, vitæ actiuæ seruitiis intentus, vt fidelis seruus & prudens conseruis in tempore tritici mensuram, id est, modum verbi fidei probatæ dispenset; Non solum in prædicationis sermone, ac conuersationis exemplo, verum in cunctis salutis ac vitæ necessariis necessaria & oportuna prouideat. Huiusmodi autem, quantum Dominus dederit, ipso cooperante electum, cum visitatore vestro, præsente scilicet confratre nostro, & cum decreto Canonico ad humilitatis nostræ sollicitud nem examinandum adducite; quia (vt longe ante oos dictum est) non est facile dimittendus, cui est proximus committendus. Prænoscere vos denique volo, qui, si personam à sacris Canonibus deuiam scienter vobis adduxeritis, noo solum ex ea Pontificem non habebitis, verum etiam pro illicita electione, vt contemptores Canonum iudicium incurretis: sed & nostro ac Coepiscoporum oostrorum iudicio refutata rationabiliter electione vestra incongrua, talem secondum Laodicenses Canones studebimus eligere, qui vestris vitiosis voluntatibus non valeat consentire. Quia sicut bene petentibus dicit Domious: *Petite & accipietis*, ita & per Apostolum male petentes redarguit dicens: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*: Petite fratres, ac vt vobis pastorem secundom cor suum tribuat, in cuius electione si nō plus temporalia, quam spiritualia commoda studueritis attendere, gratiam suæ electionis, electioni vestræ, bonorum operum, & piorum studiorum author & cooperator studebit accommodare; qui non sicut homo, tantum in facie, sed singulorum corda scrutatur, & renes; cui est honor & gloria, potestas, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 12.

Mat. 7.
Luc. 4.

EIVSDEM HINCMARI Epistola ad Hludouicum III Francocorum Regem, pro electione Episcopi Beluacensis.

Cap. I.

DOMINO *Hludouico Regi glorioso, Hincmarus Episcopus, ac plebis Dei famulus.*

Episcopi qui apud martyrium sanctæ Macræ in nomine Christi conuenimus, non pro vlla iodebita volontate, sed pro sanctæ Ecclesiæ, ac vestro, & regni vobis commissi honore, ac saluamento, sicut scripta demonstrant, quæ vobis per consacerdotes nostros transmisimus relecta, præsumptione Cleri & plebis Ecclesiæ Beluacensis, qui personam regulis sacris incongruam, cum decreto singulorum manibus roborato nobis præsentauerunt in Synodo, veluti iam fuit actum, quando Fromoldum quendam elegerunt, & reiecto illo propter insipientiam & improbitatem, Hodo ex vicina parrœchia ibidem cum decreto Canonico fuit electus, relectis coram omnibus, qui affuerunt, sacris Canonibus, secundum easdem sacras leges constituimus designatos ex nomine dilectos fratres & venerabiles Coepiscopos nostros, per quos vestræ dominationi litteras direximus, in quibus inter cætera hæc continentur, *Vt sicut sacræ leges & regulæ præcipiunt, Archiepiscopis, & Episcopis, consentaneorum Diœceseon electionem concedere dignemini; vt vndecumque, secundum formam regularem electionis, Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ vtilis, & regni proficuus, & vobis fidelis ac deuotus cooperator existat: Et consentientibus Clero & plebi eum vobis adducant, vt secundum ministerium vestrum, res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendauit, sua dispositioni committatis & cum consensu ac litteris vestris, eum ad Metropolitanum Episcopum, et Coepiscopos ipsius Diœcesoos, qui eū ordinare debent transmittatis; Et sic sine scandali macula ad sanctum sacerdotium proueheatur*: Et reliqua, quæ inde ibi sequuntur.

Cap. II.

In quibus verbis nulla indebita cuiuscumque voluntas, oihil contra Dei voluntatem, nihil contra vestrum bonorem, n hil contra regni vobis commissi resonat saloamentum: sed ordinis plenitudo, qualiter electus vitæ merito & sapientiæ doctrina à Metropolitano & Prouinciæ Coepiscopis debeat ioxta Nicænum sanctum & magnum Concilium regulariter ordinari, ibi inter alia scriptum est: *Illud*, ioquit, *generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus diffiniuit Episcopum esse non posse: firmitas autem eorum quæ geruntur per vnamquamque Prouinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.* Et de hac mystica Nicæoa Synodo sedes Apostolica cootestatur, *Quia tanto diuinitus priuilegio est consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Episcopos, Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illius fuerit constitutione diuersum.* Debetis igitur incunctanter aduertere, sicut sanctus Papa Leo ad Leonem Augustum scripsit, *Regiam potestatem vobis non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendatis, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituatis.* Quod & optare & quærere atque seruare debetis, sicut antecessores vestri Imperatores & Reges fecerunt. Et ooo debetis inflexibilem Dei voluntatem, quis si

Can. 6.
Conc. 1.
Leo epist. 56. ad Anatol.

qui si mutat sententiam, non mutat consilium, ad humanam & fragilem voluntatem vestram velle inflectere, quod fieri non potest : sed vestram voluntatem Dei voluntati subdere, sicut Christus nobis, & omnibus Christianis ex humanitate sua loquens sequendum dedit exemplum dicens: *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius, qui misit me, patris.* Et, *fiat non sicut ego volo, sed sicut tu vis, pater.* Si enim à diuina voluntate humana voluntas vestra perseueranter, quod non permittat Dominus, discordauerit; respondenda sunt ministerio Episcopali Apostolorum verba, *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Et, *Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.*

Cap. III.

Nam si quod à quibusdam dicitur, vt audiui, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi & Clerus ac plebs eligere, quem vos vultis, & quem iubens (quæ non est diuinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio) si ita est, vt dici à quibusdam audiui, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit, & inde illos eiecit, per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat: quia hoc in scripturis, tam veteris, quam noui testamenti non continetur, neque in Catholicorum dictis, vel sacris Canonibus, nec etiam in legibus à Christianis Imperatoribus & Regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum inuenitur : sed talia dicta infernus euomuit. Christus enim per Apostolum loquens, talem iubet eligere, *Qui potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt reuincere:* Et si quis contra hoc loquitur, iniquitatem contra Dominum loquitur, & inter blasphemos à sancto Spiritu computatur. Sic enim atauus vester Karolus, & abauus Hludouicus Imperatores intellexerunt, & ideo in primo libro Capitulorum suorum promulgauerunt, scribentes : *Sacrorum*, inquiunt, *Canonum non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus, vt scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi, secundum statuta Canonum, de propria Diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.* Notandum est, sane, quod dicitur : *Secundum statuta Canonum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.* Et sacri Canones dicunt; *Primum enim illi* (qui in Clerici vniuscuiusque Ecclesiæ) *reprobandi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesiis merito præstrantur.* Et item, *Vt Episcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem, hi videlicet, qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quam rectæ conuersationis exemplo.* Attendendum est igitur qualiter hoc Imperiale capitulum sacris regulis & antiquorum Imperatorum congruat, ostendens quoniam sicut & leges & regulæ dicunt: *In electione Episcopi assensio Regis fit, non electio : in Episcoporum vero executione fit electio, sicut & ordinatio.*

Cap. IV.

Sunt qui dicunt, vt audiui, quia res Ecclesiasticæ Episcoporum in vestra sint potestate, vt cuicumque, volueritis eas donetis. Quod si ita est, ille malignus spiritus, qui (vt superius præmissum est) primos parentes nostros perdidit, perditionem vestram in aures vestras susurrat: Sanctus namque Spiritus per eos, qui cum Christo in cœlo regnant, & in terris miraculis coruscant, dixit, & vsque ad nos scriptis peruenitus fecit, dicens; *Res & facultates Ecclesiasticæ oblationes appellantur; quia Domino offeruntur : & vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum : si quis illa repulerit reus est damnationis Ananiæ, & Saphiræ, & oportet huiusmodi tradere Satanæ, vt spiritus saluus fit in die Domini.* Quod præfati gloriosi Imperatores Carolus, & Hludouicus in primo libro Capitulorum suorum ita inseruerunt, dicentes; *Quia iuxta sanctorum patrum traditionem, nouimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; eisque non solum habita conseruare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus : tamen vt ab ecclesiasticis de non diuidendis rebus ecclesiæ suspicionem dudum conceptam penitus amoueremus, statuimus, vt neque nostris, neque filiorum, &, Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerunt, vllam penitus diuisionem, aut iacturam patiatur.* Quod & vos seruare oportet, si feliciter vultis regnare, qui minoris potestatis, & ætatis, atque sapientiæ adhuc estis quam & illi fuerunt, qui hæc & seruauerunt, & seruanda promulgauerunt.

Act. 5. 1. Cor. 5.

Cap. V.

Recordamini, quæso, professionis vestræ, quam in die consecrationis vestræ promisistis, sicut ab illis, qui interfuerunt, accepimus, quamque manu propria subscripsistis, & super altare coram Episcopis omnibus, qui adfuerunt, Domino obtulistis : & diligenter relegi eam facite coram vobis, & fidelibus vestris, quorum consilio & auxilio sanctam Ecclesiam, & regnum vobis commissum gubernare debetis; & si aliquid per ignorantiam, vel aliorum suggestionem, ab ea exorbitastis, nolite negligere inde Domino satisfacere. Et quod in epistola mihi directa, & in Synodo relecta scripsistis, sicut vobis expedit, attendite : Sic enim ibi est scriptum : *Iungamus simul, vt ego & vos sacerdotes Dei ministerium condigne, tam in diuinis, quam in humanis adimplere valeamus officiis* : Quatenus deuotione & operatione ostendatis, quia Christus, à quo legitimus omnis Episcopatus cœpit exordium, & omnis principatus accepit prouectum, auctor sit vestri regiminis, & protector fiat vestræ sublimitatis : Per quem vos obsecro Episcopali ministerio, talia vestro tempore in sanctam Ecclesiam introducere non tentetis, qualia magni Imperatores, & antecessores vestri suis temporibus introducere non præsumpserunt.

Et quoniam sine sancto Spiritu ministerium Episcopale non agitur, non sit vobis leue in Episcopis contristare Spiritum sanctum, cum Dominus terribiliter comminans dicat, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et Apostolus: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*: Et item idem Apostolus dicit : *Per fidem habitare Christum in cordibus vestris*, qui iam sedens ad dexteram patris de cœlo Saulo intonuit dicens; *Saule, Saule, quid me persequeris?* Demonstrans, quoniam in membris suis Christus persequitur, & scandalizatur, & in membris suis suscipitur, velut se dicturum electis in iudicio pollicetur: *Quamdiu vni de minoribus meis fecistis, mihi fecistis.* Et sanctus Spiritus in eis, in quibus habitat, contristatur, sicut ex Apostoli verbis supra ostendimus. Et quia iam tempus transiit, vltra quod sacri Canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reuerentia consecrati decernunt, *Vt ordinationes episcoporum non differantur*, sicut Synodus apud martyrium sanctæ Mariæ secundum leges & regulas diffiniuit, *electionem episcoporum* : qui designati ad hoc negotium exsequendum vna cum consensu vestro fuerūt

Mat. 18. Ephes. 4 Ephes. 3 Act. 9. Mat. 25

in Synodo, sicut in Epistola vobis directa ab eadem Synodo scriptum habetur, *Dominatio vestra consentiat, & non differatis accelerare, vt vobis suggessimus, quatenus ipsa Ecclesia diu contra sanctæ Spiritus promulgationem, non vacet pastore, & nos (quod absit) non mediocre incurratis periculum.* Quia enim sacri Canones, *perfectum dicunt esse Concilium, vbi cum suis suffraganeis interfueris Metropolitanus Antistes:* Multo magis ratum teneri debet, quod Metropolitani cum Episcopis diuersarum Prouinciarum, secundum sacras leges & regulas, decreuerunt. Sexcenti namque triginta, & eo amplius Episcopi, quorum nomina scripta sunt in cœlo, quorumque nomina habemus scripta in libris nostris, in Calcedona ciuitate, apud martyrium sanctæ Eufemiæ in Christi nomine congregati constituerunt, *Vt vltra tres menses ordinationes Episcoporum non differantur*, cum decreto iudicio, vt qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & vniuersalis huius Synodi, quicquam ex his, quæ sunt prohibita perpetrare, decreuit sancta Synodus à proprio huiusmodi gradu recedere. Et Dominus in Euangelio dicit, *vbi fuerint congregati duo, aut tres, in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et, *Si duo ex vobis de omni re consenserint super terram, fiet.* Et, *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Si ergo adesse dignabitur vbi duo vel tres fuerint, quanto magis vbi tanti ex sanctis patribus congregati hæc irrefragabiliter decreuere seruanda?

C. Aur. can. 16.
C. Calc. can. 25.
Mat. 18.

Cap. VI.

De eo quod in litteris vestris, quas pridie Nonas transacti mensis Maij, deferente clerico nomine Teutberto, relegi, *voluntarie vos subiicere velle ex cogitatu meæ consilij; & secundum quod hortatus fuero, agere & disponere in Ecclesiasticis, & secularibus negotijs: & mea fiducia vosmetipsos subiicere velle; & secundum datum à me consilium regni vestri iura componere;* vestræ dominationi rescribo, vt Domini voluntatem vestræ voluntati præponere in omnibus studeatis; cuius voluntatem per sanctas Scripturas, & per eos, qui iam in cœlo cum illo regnant, & in terris miraculis coruscant, & per sacras Leges à Christianis Imperatoribus & Regibus promulgatas, sicut ipse dicit: *Per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt*, potestis cognoscere; sed & per scripta à nobis ex Synodo apud martyrium sanctæ Macræ habita, & per consacerdotes nostros vobis directa, potestis agnoscere. Sed satis doleo, & multum timeo, quia (vt cum venia vestra dicam) quantum in hac causa, de qua agitur, paret, plus intenditis sequi propriam voluntatem, quam diuinam auctoritatem: & eorum, qui se importune ingerunt, cupiditatem, quam sanctæ Ecclesiæ vtilitatem: & eorum, de quibus dicit Apostolus, *quoniam nesciunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, adulationis fauorem, quam vestram ipsam salutem. Quod scripsistis, *vota omnium, qui commorantur in Beluacensi Ecclesia, in Odoacrum concordari*, non est mirum si stulti, & improbi, ac cupiditate cæcati toties taliter agunt, non correcti de * relectione prauæ suæ electionis in Fromoldum: & reprobato Rodulpho, & à se electo Honorato sacro Episcopali ordini adhuc fidei doctrina incongruo, perdiderunt electionem, sicut ostensum est illis in Synodo, & per sacras regulas non alterius, sed Episcoporum esse electionem, quam non præire, sed subsequi, & non se ab ea debuere excidere: & nunc contra regulas & leges, sine visitatione præsumpserunt electionem. Vnde referendum est eidem plebi illud propheticum: *Frons mulieris meretricis facta est tibi: nescis erubescere.* Et Iacobus Apostolus, tam tales clericos, quam plebeios, redarguit dicens: *Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo?* Adulteros enim rectè nuncupat, quos derelicto amore sapientiæ cœlestis, quæ dicit: *Leges meas custodite*, ad amplexum potius amicitiæ mundialis esse deflexos increpat. Qui propter potius merentur excommunicatione coërceri, quam corrupti in voluntatibus suis audiri. Sed forte non est ita, vt vobis est dictum. Dominationi autem vestræ ostendo, quod scriptum est Spiritu sancto dictante in Decretis Apostolicæ Sedis; *Quod si & omnes sacerdotes, & mundus errori assentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationis damnationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cum generale fit ex priuato. Hoc enim Deus indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit.*

Prou. 8.
2. Tim. 1.
* f. reiectione.
Iacob. 4.
Leuit. 18. & 20.
Gre.

Cap. VII.

Quod scripsistis, *vt sicut semper regibus prædecessoribus vestris in omni vtilitate regni proficuus & deuotus fui, ita vobis fidelis & deuotus existam*: Quod & hactenus obseruaui, & obseruare cupio. Vos autem sanctæ Ecclesiæ, & eius rectoribus, atque mihi seruate, quod illi conseruauerunt: & pro deuotionis fidelitate, quam cum cæteris fidelibus vestris in electione vestra, non sine magno labore, ad prouectionem regiminis, quo iam nomine dei Dominus, etiam virtute potiti estis, nolite retribuere mihi mala pro bonis, suadentes, non tamen, auxiliante Domino, persuadentes, vt in senecta mea declinem à sacris regulis: quod nec pro cupiditate, nec pro amore, vel timore hactenus feci, vt à gradu Episcopali, quo per triginta & sex annos, gratia Dei, vsque modo functus fui, metuo decidam.

Non enim excedit mihi à mente sententia Saluatoris, qua dicitur. *Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & animæ suæ detrimentum faciat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Et sacri Canones Spiritu sancto decreti, *si quis, inquam, contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipso se honore priuabit.* Et si vobis consensero, vt contra diuinas & humanas leges, & contra vestram, & meam, coram pluribus in Synodo Episcopis * cohibentibus, professionem faciatis, me perdam, & vos non saluabo, dicente Apostolo, *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte:* Et sicut in Ecclesiasticis, & in mundanis legibus scriptum habetur, *Praua facientes, atque consentientes, par iudiciorum pœna constringit, nec expers facinoris æstimatur: qui licet ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritate eius fœdusque receperit.*

Luc. 9.
Mat. 16.
C. Carth. can. 15.

Cap. VIII.

Quod scripsistis, *Vt per meam voluntatem, & ministerium Beluacensis Ecclesiæ, episcopatum dilecto filio meo, & fideli vestro Odoacbro tribuere valeatis:* Si vestræ dominationi de illo est cura, hoc nullatenus faciatis, ne forte, si feceritis, & ipse Episcopium illud, & pastore vacantem Ecclesiam, contra sacras Ecclesiæ regulas, inuadere præsumpserit, sacris legibus & regulis exigentibus, quod non opto, contingat, vt vlterius, nec in vita mea, nec post mortem corporis mei in Diœcesi Remensi in gradu Ecclesiastico valeat ministrare.

Cap. IX.

De eo quod scripsistis; *Quia si vestra voluntati, Ecclesiasticis videlicet regulis contraria, obsecutus fuero, eos, quos mihi chariores & familiariores cognoueritis, honorare in omnibus curabitis, tantummodo vt in hac petitione vestra vobis consentiam:* non meis, sed sacrorum Canonum verbis respondeo, quia secundum eosdem

sacros Canones, pro indigentibus, & mihi commissis, & pro aliis, sicut præcipiunt, ad salutis vestræ augmentum, & potestatis honorem, regiam potestatem vestram petitionibus adire curabo, quamdiu Dominus me in corpore morari præceperit. Verum, sicut sanctus Innocentius Papa dicit, *Sollicitos vos pro salute libenter audio: contra caput autem non libenter admitto.* Et sanctus Gregorius exponens sententiam Euangelii, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus,* dicit: *Quoniam quisquis iam æterna concupiscit, in ea, quam aggreditur, causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, ut eo verius cognoscat Deum, quo in eius causa neminem recognoscit.* Vnde in hoc Episcopali ministerio carnalem propinquum, nec amicum, videlicet animi familiarem, carnali affectu recognosco, sed sententiam Domini attendo, qui dicit: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro.* Et ideo neminem eligo, neminem recognosco, neminem recipio, nisi qui vita, & moribus, & scientiæ Catholicæ doctrina, per clauem Ecclesiæ, ad hoc Episcopale ministerium accedit, & sciat, & faciat, quod sacrum ministerium postulat. Et quoniam *non est Deus personarum acceptor, sed in omni gente qui timet eum & operatur iustitiam acceptus est illi*; in hac causa nullius personam accipio; vt, sicut sanctus Propheta virum iustum describens dicit; *Qui excutit manus suas ab omni munere*: Neque enim dixit tantum à munere, sed addidit ab omni, id est, à munere manus, à munere linguæ, à munere obsequii: Sicut iam vobis scripsi, si mente voluissetis recondere,

Cap. X.

Vestram denique caram mihi dominationem solerter atque attente ante mentis oculos oportet habere, quod, sicut iam vobis scripsi, qui contra sacros Canones ordinantur, & ordinatores, & ordinati hæretici sunt, sicut sanctus Gregorius, & cæteri Catholici Ecclesiæ sanctæ doctores, atque rectores multoties in libris suis ostendunt quam hæresim sanctus Petrus primum in Simonem magum æterno anathemate condemnauit. Sed & huiusmodi, non ordinationis, sed exordinationis mediatores, præfatum magnum & sanctum Calcedonense Concilium, si Clerici sunt proprio gradu priuari, si vero laici, aut monachi fuerint, sine vlla exceptione, aut respectu alicuius personæ, anathematizari præcipit. Propterea hortor dominationem vestram, vt à tali mediatione, vel interuentione vos caueatis. Ne vero pro alicuius temporali placiditate æternum periculum incurratis, sed & dilectus filius meus, fidelis vester pro quo satagitis, non obliuiscatur; quod iam in Epistola vobis directa, cappellanis vestris me inter alia scripsisse recordor canonicam decretam sententiam, qua dicitur, *Sicut is, qui inuitatus, renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus; sic qui vltro ambit, vel qui importune se ingerit, est procul dubio repellendus.*

Quæ itaque præmissa sunt, non mea, neque à me excogitata sunt verba, sed à Christo, & per Apostolos, ac eius sanctos, Spiritu sancto, prolata; propterea illi, qui audire ea non sufferunt, vel obaudire contemnunt, timeant Dominum dicentem, quæ nuper XV. die ante sanctum Pascha legi omnes in Ecclesia audiuimus: *Qui est ex Deo, verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vnde sanctus Gregorius: *Si enim verba Dei audit, qui ex Deo est, & audire verba eius non potest, quisquis ex illo non est, interroget se vnusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget vnde sit.* Et sanctus Paulus Apostolus, per quem ipse locutus est Christus: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & redarguite.* Et item idem Apostolus: *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur.* Vnde & sacri Canones excommunicatis communicantes excommunicatos esse decreuerunt. Hæc de cœlo Christus, & sancti eius Apostoli, atque sancti ipsius cum eo iam in cœlo regnantes intonant: & nos, licet peccatores, in terra Episcopi, & Christi Vicarii, atque Apostolorum successores in terris, eius virtute, & ministerio diuino prosequimur, imitari desiderantes, quod de sancto viro cantamus: *Quia pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem: fundatus enim erat supra firmam petram: Petra,* inquit Apostolus, *erat Christus.* Conueniant ergo in pace Christi, sicut statutum secundum sacros Canones fuit, in Synodo Episcopi, & Clerus, ac plebs Beluacensis Ecclesiæ, cum libero consensu vestro, sicut regium ministerium decet, & iuxta legalem ac regularem formam electio exequatur, & ordinatio prosequatur.

Fragmentum Synodi habitæ in Diœcesi Remensi ad S. Macram tempore Hludouici III. anno DCCCLXXX. cuius fit mentio in Epistola præcedenti.

DVo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur. Auctoritas sacra Pontificum, & Regia potestas. Solus enim Dominus noster Iesus Christus, vere fieri potuit Rex & Sacerdos: post incarnationem vero, & resurrectionem, atque ascensionem eius in cœlum, nec Rex pontificis dignitatem, nec Pontifex regiam potestatem sibi vsurpare præsumpsit. Sic actionibus propriis, dignitatibusque ab eo distinctis, vt & Christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium rerum cursu Regum dispositionibus vterentur: quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus: *Et ideo militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret*: Ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus, &c. *Et paulo post.*

Quoniam ad exteriora negotia partim necessitate barbarici clamoris, partim negligentia nostri temporis dilapsi sumus, & aliud ex honore suscepimus, atque aliud officio actionis exhibemus, ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, vt video, Episcopi vocamur: qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Dominum hi, qui nobis commissi sunt, & tacemus, cum in prauis actibus iacent, & correctionis manum non tendimus. Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim secularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur. Vsu quippe curæ terrenæ à cœlesti desiderio obdurescit animus: & cum ipso suo vsu durus efficitur, per actionem sæculi ad emolliri non valet quæ pertinent ad charitatem Domini: quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus, Domini causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto quod scriptum est: *Et erit sicut populus sic Sacerdos.* Sacerdos enim non distat à populo, quando nullo vitæ suæ merito vulgi transcendit actionem. Ecce iam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. Quanto autem mundus gladio feriatur, aspicimus; quibus quotidie percussionibus

intereat populus, videmus; cuius hoc, nisi nostro præcipue peccato agitur? Ecce depopulatæ vrbes, euersa castra Ecclesiæ ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt; sed nos pereunte populo auctores mortis existimus qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est: quia faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est. Pensemus ergo: Qui vnquam per linguam nostram conuersi, de peruerso suo opere nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt? Quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis auaritiam, quis superbiam declinauit? hic pastores vocati sumus, & cum ante æterni pastoris oculos venerimus, eo gregem nostra prædicatione conuersum non ducemus. Sed vtinam, si ad prædicationes virtutum præsufficimus, loci nostri officium in innocentia vitæ teneamus.

Reliqua desunt.

Ne quid ad cognoscendum totum ordinem promotionis Episcoporum deesset, hæc sequentia hisce Hincmari monumentis adiecimus.

Decretum quod Clerus, & populus firmare debet de electo Episcopo.

Dominis patribus illis venerabilibus scilicet Episcopis Diœceseos Metropolitanæ, Clerus, Ordo, & plebs huic sanctæ Ecclesiæ specialiter obsequentes.

Vestræ paternitati est cognitum, quantum temporis est, ex quo accidentibus variis euentibus hæc sancta Ecclesia Metropolis nostro sit viduata pastore, ac destituta Rectore: quod non solum ad nostrum, verum ad vestrum, ac omnis diœceseos detrimentum pertinere dignoscitur, cum totius Prouinciæ sollicitudinem Metropolitano constet esse commissam. Propterea eligimus huius Diœceseos, huius Ecclesiæ, Presbyterum nomine ill. nobis sufficientissime cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolica & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, litteratum, in lege Dei instructum, in scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum, & secundum scripturarum tramitem, traditionemque orthodoxorum, & Canonum, ac Decretorum sedis Apostolicæ præsulum constitutiones, sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sermone docentem ac seruantem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & cum modestia corripientem eos qui resistunt; & si quæ sanæ doctrinæ aduersantur, etsresistere & redarguere præualentem, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum, In gradibus singulis secundum traditionem Ecclesiasticam ministrantem, ad omne opus bonum, & satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in illo est spe, paratum. Quem vobis quantocyus petimus ordinari Pontificem, quatenus auctore Domino regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub eius regimine salubriter Domino militare possimus. *Quia integritas præsidentium salus est subditorum: & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.* Vt autem omnium nostrum vota in hanc electionem conuenire noscatis, huic decreto Canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis laborantes subscripsimus.

Ill. ill. Ecclesiæ Archiepiscopus in electionem Domini N. Eccl. ill. Episcopi subscripsi. Isti in ordinationem illius Ecclesiæ Episcopi ipso consentiente ordinati consenserunt, quod præstus inscriptis manifestat.

1. Tim. 3.

Aliud Decretum.

Dominis Reuerendissimis, ac venerabilibus Senonum Diœceseos Patribus & Episcopis, Senonum Ecclesiæ Clerus, cum totis eiusdem parrochiæ plebibus ibi commanentibus, patem perpetuam & gloriam sempiternam semper & vbique optamus in Domino.

Canonicis regulis, & Apostolicis restitutionibus sancitum esse recolimus, vt quoties metropolis ciuitas Pontificalis ministerio dignitatis caruerit, propriaque vacauerit pastore: Suffraganei eiusdem metropolis conuenire debeant, & electionem futuri Pontificis cum consensu Cleri & plebis facere, ac cum decreto electionis singulorum petentium manibus roborato Suffraganeos adire debeant Pontifices, ac de substituendo in loco eius, qui decessit, pastore petitione supplici commonere, quatenus & metropolis ciuitas, pastorali sollicitudine destituta, proprio recuperetur Pontifice: & qui ordinandus est gratiosius possit accedere: *Quoniam eum debet ab omnibus eleri, debet vtique & ab omnibus eligi: ne contemnat Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam conuenit, cui non licuerit habere quem voluit.* Hi vero, qui ordinaturi sunt, eum, in quem viderint omnium vota propensius concordare, promptius ac liberius illi possint manus imponere. Idcirco cum decreto electionis nostræ manibus singulorum nostrorum roborato, ad paternitatem vestram accedentes, Ansegisum Presbyterum Remorum Diœceseos, Ecclesiæ autem Beluacensium, atque Abbatem monasterii sancti Michaelis, quem per licentiam vestram: Patres venerandi, Domino etiam Christianissimo Regi Carolo annuente, secundum decreta Cœlestini Papæ, ex propria Ecclesia deficiente electione, pari consensu ac concordia, voluntate ac deuotione eligimus nobis & Ecclesiæ nostræ Episcopum atque Pontificem, per manum vestram consecrari implorantes petimus, togamus, atque precamur. Eligimus autem eum nobis fore pastorem, quem Apostolicæ formæ congruere, quem Episcopum ornatum Paulus Apostolus esse debere demonstrat, congruere & sacris Canonibus non obuiare, Christi cooperante gratia, credimus. Actum ... Kal. Iulii in basilica beati Stephani protomartyris, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXI. regni vero Domini Caroli gloriosi Regis XXXI. Indict. IV.

Aliud decretum Cleri & plebis.

Vniversalis Ecclesiæ sacrosanctis Patribus, præcipueque illius Diœcesis præsulibus, Ecclesia illa, vnanimitas scilicet totius Cleri & plebis submissa deuotionis obsequium in Domino.

Ad aures vestræ beatitudinis peruenisse iam nonnumus excessum piissimi patris & pastoris nostri ill. & qualiter Ecclesia sibi credita præstantissimo pastore sit viduata plurimis terrarum finibus manifestum esse competimus. Et ideo lachrymabiliter preces vnanimis supplicationis vestræ paternitati mittimus, vt nobis in substituendo pastore morem patrum & prædecessorum beatorum Pontificum imitantes, paternum nobis ferre auxilium . . . .

. . . .

. . . . humiliter poscentibus pio . . . .

. . . .

. . . . mo ribus & scientia . . . .

. . . . decoratum competimus illum gloriosis. . . . .

. . . . decubantem, eiusque seruitiis immorantem nobis

experiuimus . . . . postulauimus habendum, & per Dei misericordiam quæsiuimus . . . . cendum. Et quoniam diuina miserante clementia in eiusdem postulationis deuotione beneuolum atque concordem prænominatorum nostræ vnanimitati effecit Regem, iuxta hoc quod scriptura testatur dicendo: *Cor Regis in manu Dei est, quocumque voluerit vertet illud:* Totius Ecclesiæ, Cleri scilicet plebisque in eiusdem præclarissimi viri electione par est deuotio vnus idemque assensus, in nullo dissimilis adclamatio; sed sicut nobis est vnus Dominus, vna fides, vnumque baptisma, ita & nobis omnibus in supradicti electione, pontificalisque ordinis consecratione, atque substitutione vnum est per omnia velle, & nullum extraneum appetere, quin totius Ecclesiæ voce præsenti decreto concorditer & consonanter conclamando, virum memoratum, non simplici, sed multiplici sermone cordis, & corporis deuotione nobis pastorem eligere, eumque idoneum, quantum nostræ fragilitati nosse conceditur, tanto Pontificio esse, sicut voce fatemur, ita etiam omnium nostrorum subscriptionibus deuotissime roboramus, & communi adnotationis decreto, Dei misericordia, præduce diuturnitate temporum, nobis pastorem habendum eligimus, & optamus; more quoque Canonico sub gestorum serie confirmamus.

Ex veteri Pontificali Epistola vocatoria.

D*ILECTISSIMIS fratribus, & filiis Presbyteris, diaconis honoratis, Clericis & possessoribus, vel cuncta plebi ill. Ecclesia, simulque vocato Episcopo ill. M. auxiliante Domino Metropolitanus sancta sedis Apostolica ill.*

Dilectionem vestram salubriter alloquimur. Quia prædictum talem à vobis electum episcopum, virum venerabilem, tali ecclesiæ ordinari compellimur: laudemus & honoremus Iesum Christum, vt qui vobis hanc electionis deuotionem dedit, nobis quoq; perficiendi tribuat facultatem. Iam fatum virum religiosa violentia tenete, & ad sanctam sedem nostram ill. perducere festinate: qui forte magis dignior erit, si se occultare voluerit. Ob quam rem hanc diximus admonitionem, quemadmodum optime placuit S. Synodo, Episcopum sine vocatoria suscipi non debere, ne obscuritas dubiæ ordinationis incurrat.

Tunc aduocantur in Basilicam Presbyteri à dextris eius, & Diaconi à sinistris. Ipse vero inclinato capite in medio eorum incedit, vsque dum veniat ante altare, tunc exuatur casula, & induat eum Pontifex planeta, & legat breuem hunc modum continentem.

Ciues nostri elegerunt sibi illum pastorem. Oremus itaque Deum pro hoc viro, vt Deus omnipotens infundat in eum gratiam Spiritus sui, vt dignus habeatur ad Cathedram Episcopatus regendam: *Et respondetur à schola*, Christe audi nos: *& cantatur Letania, &c.*

Et alloquatur populum sequentibus verbis pro ordinando Presbytero.

QVomodo, dilectissimi fratres, rectori nauis & nauigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel timoris: ita communis eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit: nec frustra à patribus reminiscimur institutum, vt de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus; quia de actu & conuersatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis. Et necesse est, vt facilius quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuit ordinando. Fratrum nostrorum & Presbyterorum N. conuersatio, quantum mihi videtur probata ac Deo placita est, & digna, vt arbitror, Ecclesiastici honoris augmento; sed ne vnum fortasse vel paucos, aut decipiat assensio, aut fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum moribus aut actibus noueritis, quid de meritis consentiatis, Deo teste consulimus. Debet hanc fidem charitas vestra habere, quam secundum præceptum Euangelij, & Deo exhibere debens, & proximo, vt his testimonium Sacerdotij magis pro merito quam affectione aliqua tribuatis. Et qui deuotionem omnium expectamus, intelligere tacentes non possumus. Scimus tamen quod est acceptabilius Deo. Aderit per Spiritum sanctum consensus vnus omnium animorum. Et ideo electionem vestram debens publica voce profiteri. *Illis autem profitentibus, dicat eis Episcopus, qui ad Presbyterij gradum prouehendi sunt.*

Professio fidei ordinandi Episcopi.

INterea fidei professio nulla certior rectiorque potest proferri, quam Nicænæ Synodi competens & consonans, & in nullo à veritate excedens, quæ hic sub breuitate perstringitur.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem: & in vnum Iesum Christum Dominum & Deum nostrum, natum ex patre, Deum ex Deo, lumen de lumine, omnipotentem de omnipotente, immensum de immenso, inuisibilem de inuisibili, eiusdem vnigenitum, ex substantia Dei patris, Omousion, id est, eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & in terra subsistunt; Qui in plenitudine temporum humanos miseratus errores, pariterque propinatus saluti, descendit de sinu Patris incarnatus, homo factus est, passus, & sepultus est, ac die tertia resurrexit, quadragesimo die ad cœlos ascendit, inde venturus est iudicare viuos & mortuos, vt reddat vnicuique secundum opus eius. Credo in Spiritum sanctum illuminatorem & viuificatorem omnium, ex Deo Patre & Filio æqualiter procedentem, per cuius gratiæ donum in Ecclesiæ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ baptismate tribuitur remissio peccatorum. Credo sanctorum communionem, & veram carnis resurrectionem; vitam quoque Angelicis spiritibus & sanctis omnibus æternam confiteor. Amen.

Professio Morinensis Ecclesia Episcopi nomine Adalberti ad Hincmarum Remorum Archiepiscopum.

EGo ill. Presbyter vocatus Episcopus, &c. Reuerendissimo Patri Hincmaro Remorum Archiepiscopo. Quia fundamentum bonorum operum, per quod ad cœleste regnum gratia Domini peruenitur, fidem, quæ per dilectionem operatur, esse non dubium est; non abs re censuit veneranda Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, vt ab eis, qui ad prædicationis promouentur officium, fidei integritas & confessio requiratur. Quia, sicut Magister egregius & doctor gentium Paulus declarat: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ideò mox gratia superna per sacrosanctum ministerium vestrum, Morinensis Ecclesiæ futurus Episcopus, profiteor vnam fidem esse, eamque, operante gratia, superni largitoris, me tenere, prædicare, atque defendere, quam à Deo inspiratam, & ab Apostolis traditam, atque à successoribus eorum custoditam habemus.

Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum: vnam Apostolicam & vniuersalem Ecclesiam, in qua sola possunt relaxari peccata in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tam per Catholicum baptismum, quam & per dignos pœnitentiæ

fructus, & Apostolicæ authoritatis largitam sibi à Domino potestatem. Extra hanc autem Ecclesiam Catholicam neminem saluari posse confiteor. Sex denique sanctas & generales de fide Synodos, quas sancta & Apostolica Ecclesia recipit, me recipere & venerari profiteor: videlicet Nicænam CCCXVIII. Patrum sub Syluestro Papa, & Constantino Imperatore, contra Arium & eius sectatores celebratam: Constantinopolitanam, CL. Patrum contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ, & Gratiani principis actam: Ephesinam CC. contra Nestorium, sub Theodosio principe, & Papa Cœlestino, cui per suos vicarios præsedit item beatus Papa Cœlestinus, & sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus: Calcedonensem DCXXX. Patrum, cui præsedit per vicarios suos sanctus Leo Papa temporibus Martiani principis, contra Eutychen nefandissimum Præsulem Monachorum celebratam; item Constantinopolitanam temporibus Vigilij Papæ, sub Iustiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos: item Constantinopolitanam CL. Patrum, sub Agathone Papa, Constantini, & Heraclij, ac Tiberij principum temporibus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum de duabus naturis & operationibus in vna persona Dei & hominis filij, Domini nostri Iesu Christi. Eos autem, quicumque ab eisdem SS. Patribus in memoratis Synodis, vel postea, similiter per Spiritum sanctum sentientibus diuersis vicibus, litteris diuinitus inspiratis damnati leguntur, eandem venerandam Patrum auctoritatem sequens condemno. Sed & Epistolam beatæ recordationis Leonis Apostolicæ sedis Antistitis ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum datam, & omnes eius Epistolas de fidei firmitate perscriptas, per omnia & in omnibus inuiolabiliter custodire, & me libere semper prædicare profiteor, in quibus inter cætera (sicut & in sermone B. Athanasij, quem Ecclesia Catholica venerando vsu frequentare consueuit, qui ita incipit: *Quicumque vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem*) post documentum, quo docemur, quomodo Trinitas personarum in vnitate Diuinitatis, & vnitas Deitatis in Trinitate personarum veneranda sit, euidentissime continetur, vnam ex eadem sancta Trinitate personam, Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum Dei hominisque filium, ex duabus & in duabus naturis, hoc est, diuina & humana in vna persona consistentibus, & in sua proprietate differentiaque manentibus, esse credendum & prædicandum; qui secundum Apostolicum Symbolum de semper Virgine Maria, quæ veraciter Dei est genitrix, secundum carnem natus, passus, mortuus, resurrexit, & in cœlos ascendit, sedet quoque ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus iudicare viuos & mortuos: ad cuius aduentum omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddent de factis propriis rationem, & recipiet vnusquisque prout gessit, & in factis suis perseuerauerit, ab eodem iusto iudice, & sine fine regnante, cum ibunt impij in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam. Anathematizo quoque omnes hæreses ac schismata, quæ Catholica & Apostolica Ecclesia anathematizat: & quicquid sanæ fidei intelligentiæ contradicit, respuo & anathematizo; & quicquid Catholica & Apostolica Ecclesia recipit & tenet, me adiuuante Domino, recipere & sequi; & à sacris Canonibus, atque à regularibus decretis Apostolicæ sedis de Ecclesiasticis ordinibus & disciplinis Canonum promulgatis, seu à Synodalibus constitutionibus, quas Catholica Ecclesia ad auctoritatem recipit, me per contemptum pertinaciter non deuiaturum profiteor. Priuilegio etiam metropolis Remorum Ecclesiæ ac eius præsulis, secundum sacrosanctos Conciliorum Canones, & decreta sedis Apostolicæ ex sacris Canonibus & legibus promulgata, pro scire & posse absque dolo & simulatione, vel indebita & pertinaci contradictione me obediturum profiteor. Sed & obseruationes ac regularia mandata, sacrorumque Conciliorum placita, quæ post ordinationem Episcopalem in litteris canonicis secundum morem Ecclesiasticum propriis subscriptionibus roboratus collecta, & mihi tradenda coram omnibus prædixistis, me seruaturum profiteor: & omnibus supra scriptis cum cordis & oris professione subscribo.

Ex Pontificali Meguntino de ordinatione Episcopi.

ITa quoque examinatus, & plene instructus, cum consensu clericorum & laicorum, ac conuentu totius prouinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani authoritate, aut præsentia, ordinetur: *Nullus inuitis detur Episcopus: Cleri, plebis, & ordinis consensus, & desiderium requiratur.* His ita peractis, duo Episcopi cooperatores ordinis sacri reduceunt electum in sacrarium.

Et paulo post, sequitur sermo Metropolitani ad plebem & Clerum.

SEruanda est, dilectissimi fratres, in excessu Sacerdotum lex & antiqua Ecclesiæ consuetudo, vt decedentibus aliis, qnique dignissimi subrogentur, per quorum doctrinam fides Catholica & religio Christiana subsistat, ne in ouile Domini prædo violentus irrumpat, & dispersas absque pastore oues fur nocturnus inuadat. Recepto itaque dispensatione Dei sacerdote nostro, sollicite vobis agendum est, vt in locum defuncti talis successor præparetur Ecclesiæ, cuius peruigili cura & instanti sollicitudine, ordo Ecclesiæ & credentium fides in Dei timore melius conualescat, qui (præcipiente Apostolo) in omni doctrina formam boni operis ipse præbeat, cuique habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina, virtus sit, qua nos vt pastor bonus instruat, exemplo patientiæ doceat, doctrina religionis instituat, & in omni opere bono confirmet charitatis exemplo. Secundum igitur voluntatem Domini, in locum sanctæ memoriæ, illius nomine, virum venerabilem, illustri testimonio Presbyterorum & totius Cleri, consilio eiusdem & consentientium, credimus eligendum virum, vt nostis, natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, humilem, castum, pacificum. patientem, charitatem habentem, tenacem incunctis quæ in sacerdotibus eligenda sunt, bonis operibus exuberantem, Hunc ergo, dilectissimi fratres, testimonio, ac bonis operibus electum, dignissimum sacerdotio consonantibus laudibus exclamata & dicite; Dignus est.

Littera, quas ab Ordinatoribus debent accipere Ordinati.

ANno Incarnationis Iesu Christi Domini nostri DCCCLXVI. Indictione XIV.............anno piissimi Regis Karoli XXVII. Kalend. Octobris. In parrœchia Turonica ... . Ordinamus, & ad Pontificalem sedem Redonensis Ecclesiæ consecramus Electrannum, electiona atque decreto Cleri & plebis eiusdem Ecclesiæ, noa in Dei nomine Antistites, Herardus Turonicæ metropolis, Actardus Nannetensis, atque Rotbertus Cenomanensis, cum consensu & litteris cæterorum Diœcesanorum adhibito, apicibus etiam præmoniti iam dicti gloriosi Regis Caroli, huiusmodi statuto, & paternæ cômemorationis decreto ipsi viro allato, vt canonicis

sanctionibus, quantum suffragauerit pietas, libenter obtemperet, & ab in huius ordinationibus abstineat, & pestem simoniacæ Hæresis deuitet, Concilia quoque sacris præfixa Canonibus certis sibi designata temporibus celebrare procuret, atque matri suæ metropoli debita reuerentia se subdere non negligat, & iuxta sanctorum Patrum regulas nihil nisi quæ ad propriã pertinent Ecclesiam extra eius consensum pertemptet. Hæc ergo, aliaque ad institutionem & informationem fidelis viri fratris & filij nostri Electranni, die præfixo verbo pariter & stilo promulgantes, pontificali eum infula ad ornantes, sacra quoque benedictione mora sanctæ Ecclesiæ ditantes, anulo quoque dotantes, & baculo decorantes, sanctæ Redonensi Ecclesiæ Pontificali eum ordine præfecimus, & paternæ cathedrali solio sublimantes confratrem, consacerdotem, & cõparticipem in regimine & gubernaculo Ecclesiæ sanctæ nobis ex integro in Dei nomine efficimus, manuũ quoque adnotationibus confirmauimus.

Exemplar quod de parrochia ad parrochiam conuenit transeunti.

Specialis gratia munere redimito consacerdoti egregio ill. nomine solo non merito Episcopus ill. perennem in Domino fælicitatem.

Magistra omnium charitas ita in omnibus omnia possidet, vt & in singulis singula, & in omnibus contineat vniuersa, Apostolo ita dicente, *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam.* Itemque; *Non quæro quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Propter inuiolabilem igitur eiusdem charitatis compagem, certum est regulis sanctorum Patrum esse statutum, nequis de ciuitate ad ciuitatem, aut de parrœchia ad parrœchiam transeat, & propter vnitatem eiusdem quæ sanctæ charitatis, quæ non............... diffunditur, nec quærit quæ sua sunt, sed quæ multorum.............. ...dem sacris statuitur regulis, vt serie litterarum commendentur quicumque necessitate, aut vtilitate huiusmodi transitum decurrere ....dilectionis tenore seruato, mittimus beatitudini vestræ paliterque fraternæ.............. ....præsentem fratrem illum dictum in gremio nobis Ecclesiæ diuinitus creditæ.................. ....temporibus aliquotiens immoratum, quinetiam ad...officio soblimatum: quem quia sanctæ Ecclesiæ vtilem filium atque perspicuum Dei munere........................ ....egregia quoqua perspeximus fructuosum, sanctitati vestræ, cæterorumve fratrum................ apicibus benigne poscimus suscipiendum, tractandum in omnibus, atque fouendum, ita vt................ ....clementia ad superioris ordinis vocare delegarit officia, vbicumque eum Cleri aut plebis cõsensus Canonico comitante decreto vocauerit coadunato vobiscum nostræ humilitatis spiritu, libere in eo, & de eo quæcunque iure Canonico exequenda sunt, agere procuretis, & efficaciter nostris postulatis annuentibus, petitionibusque suffraganubos, efficere decernetis. Vt autem gesta sanctæ paternitatis vestrę erga eundem fratrem immota esse valeant per succedentia tempora, manum Pontificij nostri eisdem apicibus adnotanda subiungimus.

Epistola Luidberti Archiepiscopi Moguntinensis ad Hludouicum Regem.

Domino piissimo, & amantissimo, atque in fide Catholica florentissimo, Rege Hludouico, Luidbertus Archiepiscopus, sanctæ Dei Ecclesiæ vernaculus, præsentem & perpetuam in Domino salutem.

Tacendi vel deliberandi inducias non habeo, neque enim silere me causa permittit, quam si relinquo, apud Dominum nostrum Iesum Christum, cuius interest, inexcusabilis ero, & vobis promissam humanitus fidem temerasse conuincor, qui in specula, qua constitutus sum, videns periculum vobis imminens, desidiosa vel infideli taciturnitate dissimulem, & Ecclesiæ Dei cuius indignus curam pastoralem ac solicitudinem suscepi, negligens effectus, mercenarius potius esse videar, quam pastor. Quatitur namque grauiter & dehonestatur primatus & dignitas eius in sede S. Petri, eo quod inaudita quadam & occulta persecutione, non ab infidelibus & Dominum nescientibus, sed ab eis (quod dolendum & plangendum est) qui Duces & Rectores populi Dei esse debuerunt, iniurijs appetitur, humana diuinis præferre conantibus; & necesse est, dolorem, qui constat in capite, nisi salubris & velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi. Igitur quamuis nouerim prudentiam vestram humanis admonitionibus non egere, quæ syncerissimam de gratia Spiritus sancti hausit doctrinam, mei tamen officij est, & acta patefacere, & agenda demonstrare. Scitis periculum populi Dei, quod terribiliter imminet: neque latere vos potest, quod vbique auditum; ipsa quoque (vt dicam) elementa tramiscunt, vt Rectores, qui saluti infirmorum studere debuerant, relicto salutis tramite, eunt in præceps, & sequentibus se foueam perditionis aperiũt. Vnde prudentiam vestram veritatis & iustitiæ amatricem exhortor; vt secundum datam vobis diuinitus sapientiam, cum scientibus legem Dei, & iustitiam eius diligentibus tractare studeatis, quomodo remotis dissensionum scandalis, quæ zizaniorum Sator subdola machinatione spargere nititur; pax Ecclesijs, & vnitas optata reddatur, & celeriter vigilantiæ profectus adhibeatur, nec vulneribus locum præbeat incauta securitas. Neque enim totum adhuc corpus Ecclesię læsum est: quanquam capite iniuriis pulsato, mẽbra quædam debilitata esse videantur; & ideo, cũ illis, quæ sana esse constiterit, infirmãribus, si forte medicinam suscipere patiuntur, succurrendum erit: alioquin imputanda erunt, secundum veri medici nostri preceptum, ne totum corpus eat in perditionem. Quapropter necessarium mihi videtur & vtile, vt religiosus Princeps Carolus frater vester, legatis atque litteris à vobis destinatis, super hoc negotio mature conueniatur: vt tam ipse, quam sacerdotes regni eius, qui hactenus ab huiusmodi sordibus mundi sunt, vobis & vestris Episcopis adiungantur, eandemque curam & solicitudinem vobiscum participent: quatenus posteaquam cum auxilio Dei prospere & pacifice de itinere, quo ire disponitis, reuersi fueritis, pari consensu & communi studio pacem & concordiam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, orthodoxis dogmatibus, adiuuante Domino reformetis.

Epistola Otfridi Monachi ad Luidbertum Archiepiscopum Moguntiacensem.

Dignitatis culmine gratia diuina præcelso, Luidberto Moguntiacensis vrbis Archiepiscopo, Otfridus, quamuis indignus, tamen deuotione monachus, Presbyterque exiguus, æterna vitæ gaudium optat semper in Christo.

Vestræ excellentissimæ prudentiæ præsentis libri stylum comprobare transmittens, in capite causam, qua illum dictare præsumpsi, primitus vobis enarrare curaui, ne vllorum fidelium mentes, si vilescet, vtilitatis meæ præsumptioni deputare procurent. Dum rerum quondam sonus inutilium pulsaret aures quorundam probatissimorum virorum, eorumq; sanctitatem Laicorum cantus inquietaret obscœnus, à quibusdã memoria dignis fratrib. rogatus, maximeq; cuiusdam venerandæ matronæ verbis, nimirum fla-

gitantis, nomine Iudith, vt partem Euangeliorum eis Theotisce conscriberem, vt aliquantulum huius cantus lectionis ludum secularium vocum deleret, & in Euangeliorum propria lingua occupati dulcedine, sonum inutilium rerum nouerint declinare; petitioni quoque iungebant querimoniam, quod Gentilium vates, vt Virgilius, Lucanus, Ouidius, cæterique quamplurimi suorum facta decorarent lingua natiua, quorum iam voluminum dictis fluctuare cognoscimus mundū. Nostræ iam sectæ probatissimorū virorum facta laudabant Iuuenci, Aratoris, Prudentij cæterorūque multorum, qui sua lingua dicta miraeula Christi decenter ornabant. Nos vero, quamuis eadem fide, eademque gratia instructi, diuinorum verborum splendorem clarissimum proferre propria lingua, dicebant pigere. Hoc dum eorum charitati importune mihi instanti negare nequiui, feci non quasi peritus, sed fraterna petitione coactus. Scripsi namque eorum precum suffultus iuuamine Euangeliorum partem Francice compositam, interdum Spiritualia moralia que verba permiscens, vt qui in illis alienæ linguæ difficultatem horrescit, hic propria lingua cognoscat sanctissima verba. Denique legem sua lingua intelligens, inde se vel parum quid deuiare mente propria pertimescat. Scripsi itaque in primis & in vltimis huius libri partibus inter quatuor Euangelistas incedens medius, vt modo quid iste, quidve alius, cæterique scriberent, inter illos ordinatim, prout potui, penitus item dictaui. In medio vero, ne grauiter forte pro superfluitate verborum ferrent legentes, multa & parabolarum Christi & miraculorum, eiusque doctrinæ; & quamuis iam fessus (hoc enim nouissime edidi) ob necessitatem tamen prædictam prætermisi inuitus, & non iam ordinatim, vt ceperam, procuraui dictare, sed qualiter meæ paruæ occurrerunt memoriæ. Volumen namque istud in quinque libros distinxi, quorum primus natiuitatem Christi memorat, fine facit baptismo doctrinaque Ioannis. Secundus, iam accersitus eius discipulis, refert, quomodo se, & quibusdam signis, & suam doctrinā præclaram mundo notam fecit. Tertius signorum claritudinem & doctrinam ad Iudæos aliquantulum narrat. Quartus iam, qualiter suæ passioni propinquans, pro nobis mortem sponte pertulerit, dicit. Quintus eius resurrectionē cum discipulis, suā postea collocutionem, ascensionē, & diem iudicij memorat. Hos, vt dixi, in quinque (quamuis Euangeliorum libri quatuor sint) ideo distinxi, quia eorum quadrata æqualitas sancta nostrorum quinque sensuum inæqualitatem ornat, & superflua in nobis quæque, non solum actuum, verum etiam cogitationum, vertunt in eleuationem cœlestium. Quicquid visu, olfactu, tactu, gustu, audituque delinquimus, in eorum lectionis memoria prauitatem ipsam purgamus. Visus obscuretur inutilibus? illuminatur Euangelicis verbis. Auditus prauus non sit cordi nostro obnoxius. Olfactus & gustus ea prauitate constringant, Christique dulcedine iungant, cordisque præcordia lectiones has Theodisce conscriptas semper memoria tangent. Huius enim linguæ barbaries, vt est inculta, & indisciplinabilis, atque insueta capi regulari freno grammaticæ artis, sic etiam, vt in multis dictis scriptum est, propter literarum aut congeriem, aut incognitam sonoritatem, difficilis. Nam interdum tria VVV, vt puto quærit sono. Priores duo consonantes, vt mihi videtur, tertio vocali sono manente. Interdum vero nec A, nec E, nec I, nec V; vocalium sonos præcauere potui, ibi P. Græcum mihi videtur adscribi. Græciæ hoc elementum lingua hæc horrescit interdum: nulli sese characteri aliquotiens in quodam sono nisi difficile iungens, κ & z, sæpius hæc lingua extra vsum Latinitatis vtitur, quas Grammatici inter litteras dicunt esse superfluas. Ob stridorem autem interdum dentium, vt puto, in hac lingua Z vtuntur: K. autem ob faucium sonoritatem. Patitur quoque metaplasmi figuram nimium, non tamen assidue quam doctores grammaticæ artis vocant Synalœpham, & hoc, nisi legentes præuideant ratione, dicta deformius sonant, litteras interdum scriptione seruantes: interdum vero Hebraicæ linguæ more vitantes, quibus ipsas litteras ratione Synalœphæ in litteris, vt quidam dicunt penitus amittere, & transilire moris habetur. Non quod series scriptionis huius metrica sit subtilitate constricta, sed schema *homœoteleuton* assidue quærit. Aptam enim in hac lectione & priori decentem, & consimilem quærunt verba in fine sonoritatem: & non tantum per hanc inter duas vocales, sed etiam inter alias litteras sæpissime patitur collisionem Synalœphæ. Quærit enim linguæ eius ornatus, & à legentibus; Synalœphæ lenem, & collisionem lubricam præcauere, & à dictatoribus *homœoteleuton*, id est, consimilem verborum terminationem obseruare. Sensus enim hic interdum vltra duos, vel tres versus, vel etiam quatuor, in lectione debet esse suspensus, vt legentibus, quod lectio signat, apertius fiat. Hic sæpius I. & O. cæteræque similiter in illis vocales simul inueniuntur inscriptæ, interdum in sono diuisæ vocales manentes, interdum conunctæ, priore transeunte in consonantium potestatem. Duæ etiam negatiuæ, quæ in Latinitate rationis dicta confirmant, in huius linguę vsu pœne assidue negant: Huius enim linguæ proprietas nec numerum, nec genera me conseruare finebat: Interdum enim masculinum Latinæ linguæ in hac fœminino protuli, & cetera genera necessaria, & simili modo permiscui numerum pluralem singulari, singulatum plurali variaui, & tali modo in barbarismum & solœcismum sæpius coactus incidi.

Horum suprascriptorum omnium vitiorum exempla, de hoc libro Theotisce ponerem, nisi irrisionem legentium deuitarem. Nam dum agrestis linguæ inculta verba inseruntur latinitatis planitiei, cachinnum legentibus præbent. Lingua enim hæc velut agrestis habetur, dum à propriis nec scriptura, nec arte aliqua vllis est temporibus expolita. Quippe qui nec historias suorum antecessorum, vt multæ gentes cæteræ commendant memoriæ, nec eorum gesta vel vitam ornant dignitatis amore. Quod si raro contigit, aliarum gentium linguam, id est, Latinorum, vel Græcorum, potius explanant. Cauent etiam aliarum deformitatem, non verecundant suam. Stupent in aliis vel litterula parua artem transgredi, & pene in propria lingua vitium generant per singula verba. Est tamen conueniens, vt qualicunque modo, siue integræ artis, humanum genus auctorem omnium laudet, qui plectrum ei dederat linguæ verbum in eis suæ laudis sonare, qui non verborum adulationem politorum, sed in nobis pium cogitationis affectum, operumque pio labore congeriem, non labiorum inanem seruitutem.

Hunc igitur librum vestræ sagaci prudentiæ probandum curaui transmittere, & quia à Rabano venerandæ memoriæ digno vestræ sedis quondam Præsule, educata mea paruitas est, præsulatus vestri dignitati sapientiæque in vobis commendare curaui; qui si sanctitatis vestræ placet obtutibus, & non decienandum iudicauerit, vti licenter fidelibus vestra auctoritas concedat, Sin vero minus aptus, parque meæ negligentiæ pater, eundem veneranda sanctaque condemnet auctoritas. Vtriusque enim facti causam arbitrio vestro decernendam, mea parua commendat humilitas. Trinitas summa vnitasque perfecta cunctorum vos vtilitati multa tempora incolumem, ac in recta vita manentem conseruare dignetur, Amen.

Præfatio in librum antiquum lingua Saxonica conscriptum.

CVm plurimas Reipubl. vtilitates Hludouicus pijssimus Augustus summo atque præclaro ingenio prudenter statuere atque ordinare contendat: maxime tamen, quod ad sacrosanctam religionem æternamque animarum salubritatem attinet, studiosus ac deuotus esse comprobatur. Hoc quotidie solicite tractans, vt populum sibi à Deo subiectum sapienter instruendo ad potiora atque excellentiora semper accendat, & nociua quæque atque superstitiosa comprimendo compescat. In talibus ergo studiis suus iugiter beneuolus versatur animus, talibus delectamentis pascitur, vt meliora semper augendo multiplicet, & deteriora vetando extinguat. Verum, sicut in aliis innumerabilibus infirmioribusque rebus eius comprobari potest affectus, ita quoque in hoc magno opusculo sua non mediocriter commendatur beneuolentia. Nam cum diuinorum librorum solummodo literati atque eruditi prius notitiam haberent, eius studio atque Imperij tempore, sed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter actum est nuper, vt cunctus populus suæ ditioni subditus, Theudisca loquens lingua, eiusdem diuinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam viro de gente Saxonum, qui apud suos non ignobilis vates habebatur, vt vetus ac nouum Testamentum in Germanicam linguam Poeticè transferre studeret, quatenus non solum literatis, verum etiam illiteratis sacra diuinorum præceptorum lectio panderetur. Qui iussis Imperialibus libenter obtemperans, nimirum eo facilius, quo desuper admonitus est prius, ad tam difficile tamque arduum se statim contulit opus: potius tamen confidens de adiutorio obtemperantiæ, quam de suæ ingenio paruitatis. Igitur à mundi creatione initium capiens, iuxta historiæ veritatem quæque excellentiora summatim decerpens, & interdum quædam, vbi commodum duxit, mystico sensu depingens, ad finem totius veteris, ac noui Testamenti, interpretando more Poetico, satis faceta eloquentia perduxit. Quod opus tam lucide tamque eleganter iuxta idioma illius linguæ composuit, vt audientibus ac intelligentibus non minimam sui decoris dulcedinem præstet. Iuxta morem vero illius poematis omne opus per vitteas distinxit, quas nos lectiones vel sententias possumus appellare.

Ferunt eundem vatem, dum adhuc artis huius penitus esset ignarus, in somnis esse admonitum, vt sacræ legis præcepta ad cantilenam propriæ linguæ congrua modulatione coaptaret. Quam admonitionem nemo veram esse ambigit, qui huius carminis notitiam, studiumque eius compositoris, atque desiderij anhelationem habuerit. Tanta namque copia verborum, tantaque excellentia sensuum resplendet, vt cuncta Theudisca poemata suo vincat decore. Clara quidem pronunciatione, sed clarius intellectu lucet. Sic nimirum omnis diuina agit scriptura, vt quanto quis eam ardentius appetat, tanto magis cor inquirentis quadam dulcedinis suauitate demulceat. Vt vero studiosi lectoris intentio facilius quæque, vt gesta sunt, possit inuenire, singulis sententiis, iuxta quod ratio huius operis postularat, capitula annotata sunt.

Versus de Poeta & Interprete huius codicis.

Fortunam, studiumque viri, latosque labores,
Carmine priuatam delectat promere vitam;
Qui dudum impresso terram vertebat aratro,
Intentus modico, & victum quærebat in agro,
Contentus casula fuerat, cui culmea tecta,
Postesque acclines, sonipes sua limina nunquam
Obtriuit, tantum armentis sua cura studebat.
O felix nimium proprio qui viuere censu
Præualuit, fomitemque ardentem extinguere diræ
Inuidiæ, pacemque animæ gestare quietam.
Gloria non illum, non alta palatia regum,
Diuitiæ mundi, non dira cupido mouebat.
Inuidiosus erat nulli, nec inuidus ulli.
Securus latam scindebat vomere terram,
Spemque suam in modico totam statuebat agello.
Cum sol per quadrum cœpisset spargere mundum
Luce sua radios, atris cedentibus vmbris,
Egerat ex.guo, paucos minando iuuencos.
Depellens tecto vasti per pascua saltus.
Lætus & attonitus larga pascebat in herba,
Cumque fatigatus patulo sub tegmine, fessa
Conuiuus somno tradidisset membra quieti:
Mox diuina polo resonans vox labitur alto;
O quid agis vates, cur cantus tempora perdis?
Incipe diuinas recitare ex ordine leges,
Transferre in promptam clarissima dogmata linguam;
Nec mora, post fuerat miracula dicti,
Qui prius agricola, mox & fuit ille Poeta:
Tunc cantus nimio Vates perfusus amore,
Metrica post docta dictauit carmina lingua:
Cœperat à prima nascentis origine mundi.
Quinque relabentis percurrens tempora sæcli.
Venit ad aduentum Christi, qui sanguine mundum
Faucibus eripuit tetri miseratus Auerni.

Epistola Cleri Rauennatis ad Carolum Iuniorem.

DIuina largitatis munere, sapientia, potentiaque præfulgido, Domino Regi Carolo gloriosæ sancta Rauennas Ecclesia, inclitos cum fælici successu semper manere triumphos.

Quamquam enim vestræ celsitudinis gloriæ, pro sapientiæ altitudine, & honore Imperij, quod inter mortales principalis habetur, viuendi & docendi Ecclesiasticæ regulæ pene omnia nota videantur, nihilque sit quod de sacris lectionibus minus intellectum vestræ regali prudentiæ arbitretur: tamen quoniam quandam difficultatem & scrupulum super quorundam habitu, qui ex diuersis morum & regulæ disciplinis ad sacram proueniunt dignitatem, in vestra sacra mente fore audiuimus, collectis super hoc quibusdam patrũ antiquorum exemplis, quid de hoc priores sensisse contigerit, & quid data auctoritate mandauerint, seruato in talibus nostræ tenore Ecclesiæ, dignum duximus & morem nostræ Ecclesiæ demonstrare, & vestram in talibus feruentem diligentiam serenare.

Pontificum enim Romanorum auctoritas, quibus in B. Petro cura & solicitudo pascendi gregem Ecclesiæ à Domino IESV Christo est tradita, ex clara fidei puritate docet, quibus rebus & regulis Christianorum vita in sua cuiusque professione debeat contineri, qualisque seruetur in vrbis Romæ Ecclesiis disciplina, quorum beatus Cœlestinus de hac re disputans, inter cætera infert: *Dicimus enim Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inseruire, quam mentis vel fidei puritati, & non mirum, ait, si contra Ecclesiasticum morem faciunt, qui in Ecclesia non creuerũt: sed alio venientes itinere, secum hac in Ecclesiam, quæ in alia conuersatione habuerant, intulerunt. Amicti enim pallio, sicut Græci monachi & lumbos præcincti, credunt se sanctæ Scripturæ fidem non per spiritum, sed literam complexuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, vt taliter seruarentur: cur non fiunt pariter quæ sequuntur, vt lucernæ ardentes vna cum baculo teneantur? Habent enim suum ista mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, vt ea magis, quam decet, significatione seruentur. Nam in lumborum significatione*

castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentib. fulgor operis boni demonstratur.

Habeant tamen hi istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul à cæteris degunt. Vnde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, vt tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi à plebe vel cæteris sumus, doctrina, non veste, conuersatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Docendi enim sunt populi potius, quam ludendi; nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus præcepta sunt infundenda. Leo n. sanctæ Romanæ Sedis Episcopus dicit: *Propositum monachi proprio arbitrio vel voluntate susceptum, deseri non posse absque peccato. Quia quod quis vouit Deo, debet reddere. Vnde eum, qui relicta singularitatis professione ad militiam, vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandum.* Relictam singularitatis professionem, non scapulare, quod pro opere fertur, exemplo supradicto accipimus. Neque si ad Sacerdotij dignitatem ascenderit, sed si ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus habetur. In quibus licet innocens possit esse militia, & honestum coniugium, electionem meliorem, quæ in sacerdotali officio esse non potest, deseruisse, transgressio est. In quo capitulo propositum monachi, deuotionem sanctæ conuersationis, non vestium cultum intelligentes, qui multiplex & varius pro locorum & Regnorum diuersitate, in Græcorum & Latinorum monachis inuenitur; in his qui ad regimen Ecclesiasticum, Canonico ordine, Episcopali dignitate sacrantur, si in sacerdotali habitu & consuetudine ministrent Ecclesiis, in quibus prouecti sunt, nihil obuiare paternis antiquorum regulis pro nostræ capacitatis intelligentia omnino confidimus, sed potius Ecclesiasticis & Apostolicis regulis innitentes, concordiam quam in habitu sacerdotum Romana conseruat Ecclesia sequendam omnimodis iudicamus: Melius multo magis arbitrantes, vt vniformis sacerdotalis vestis æqualitate, commune ministrandi Ecclesiæ ministerium sortiantur, quam amicto sub honore Pontificatus pallio singulari, ab vtriusque ordine, singularitatis siquidem, & Episcopalis, professione, vita, & moribus discrepetur. Nec enim dicimus, vt generaliter omnibus ecclesiis hac lege habitus constringendi auctoritatem donemus.

Scimus enim, *quod vnusquisque in suo sensu abundet:* sed nos nostrarumque Ecclesiarum Pontifices, quos ex diuersis morum & regulæ disciplinis ad sacram peruenisse dignitatem gaudemus, si in habitu sacerdotali ecclesiis ministrauerint, nullum habendum præiudicium, neque pro habitus qualitate feriendos censura canonica formidamus, ex antiquorum Patrum institutis omnimodo arbitramur.

Verum insuper consuetudinem ac morem nostræ Ecclesiæ concorditer retinendum, quem cæteris stola vestibus superiecta pro dignitate Sacerdotij, qua in populo principantur, conseruandum, eius Pontificis, quam sub veste pœnitentiæ & laboris in suo ordine statuerint, tenentes, pro vestium qualitate & habitu, nullum bonius ordinis, si vita eius in cuiuscunque proposito nullo graui facinore probatur infecta, id est, si non sit secundæ vxoris copulæ alligatus, si pœnitentia publica non famosus, si nulla parte corporis imminutus, si seruili aut originariæ conditioni nequaquam obnoxius, si curiæ probatur nexibus absolutus, paternorum decretorum regulis aut institutis obnoxium, sed potius morem, qui in ea Ecclesia ex antiquo est, inuiolabiliter omnimodo obseruandum. Neque enim ad conseruandam totius singularitatis professionem, quam sacerdotale officium in forma vitæ Ecclesiasticæ minime patitur; obseruandum in singulis, quæ huius sectæ regularis auctoritas præcipit operanda, in esu, in Vestitu, in horis custodiendis, & in omnibus regularibus actibus exhibendis, solum scapulare pallium, neglectis cæteris, sufficiens omnium authorum iudicio retinemus: sed potius sub habitu singulari à vita penitus discordantes, in communis vitæ participatione reprehendendos acrius æstimamus. Nec hoc quidem dicimus, vt in omnibus huius religionis, cum ad sanctam peruenerint dignitatem, relicto more Ecclesiæ vel religionis, in qua prouecti sunt, mutandam vestem singularitatis generaliter censeamus: sed potius in vtroque habitu sacerdotum, morem Ecclesiarum & ordinem, in quibus prouecti sunt, nullis patrum præiudiciis obnoxium, irreprehensibiliter arbitramur sequendum.

Huius enim nostræ consuetudinis causam, ô bone Rex, pro nostræ reprehensionis necessitate, vestræ serenitati reddentes, placitam Deo sollicitudinem vestram, quam pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ in omnibus suis vtilitatibus vos feruentissimo mentis studio habere multorum relatione cõperimus, serenare data authoritate humiliter exoptamus: pariterque etiam immensas gratiarum actiones principali magnitudini vestræ referimus, quæ nos in nostris filiis, vestris siquidem fidelibus oratoribus, monere & corrigere suis sacris apicibus est dignata, & insuper quantum pro sancta religione serueant, in suæ deuotionis admonitione nobis, ne reprehensibiles videamur, ostensa. Vnde ne statutorum Canonum in hac nostra consuetudine semper transgressores apud vos videamur, quibus regulis ad huiuscemodi tenorem & ordinem nostræ Ecclesiæ conseruandum innitimur, in his nostris satisfactionis literulis vestræ principali magnitudini relegendis ostendendum curauimus lubentissime, si quid melius aut piorum regulis Canonica scriptione congruentius tenendum de hac re vestra reperit deuota religiosque prudentia, vestris in omnibus monitis annuentes. Conseruet Deus omnem vestram salubrem dominationem, ad gubernandam & tuendam Ecclesiam suam sanctam: Amen.

Epistola Episcoporum Germaniæ ad Ioannem Papam VIII.

Summo Pontifici & vniuersali Papæ Domino Ioanni Romanæ sedis magnifico gubernatori, humillimi paternitatis vestræ filii, Theotmarus Iuuauensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Vualdo Frisingensis, Zacharias Sebanensis, Tuto Ratisponensis, Richarius Pataniensis Ecclesiæ Episcopus, necnon & vniuersus clerus, populusque Christianus per totam Noricam, quæ & Bauaria vocatur, prosperum in Saluatore nostro prouectum, Catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum.

Antecessorum vestrorum decretis, & sanctorum Patrum institutis plenissime instruimur in omnibus nostro sacerdotali ministerio obstantibus & aduersantibus Romanum appellare Pontificem, vt quod ad vnitatem concordiæ, & ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, sed ab ipso summa prouisione decernatur. Nequaquam n. credimus, quod coacti quotidie audimus, vt de illa sancta & Apostolica sede, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, & origo Christianæ Religionis, profluxerit quippiam peruersitatis, sed doctrina & authoritas Ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt, vt ipsi promulgauerunt, de latere vestro tres Episcopi, videl. Ioannes Archiepiscopus, Benedictus, & Daniel Episcopi, in terram Sclauinorum, qui Moraui dicuntur, quæ Regibus nostris, & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ religionis, quã in tributo substantiæ secularis, quia exinde primum

imbuti, & ex paganis Chriſtiani ſunt facti. Et idcirco Patauienſis Epiſcopus ciuitatis, in cuius Diœceſi ſunt illius terræ populi, ab exordio Chriſtianitatis eorum, quando voluit & debuit, illuc nullo obſtante intrauit, & Synodalem cum illis, & cum ſuis, & etiam inibi viuentibus conuentum frequentauit: & omnia, quæ agenda ſunt, potenter peregit & nullus ei in faciem reſtitit. Etiam & noſtri Comites illi terræ confines placita ſæcularia illic continuauerunt, & quæ corrigenda ſunt correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis reſtiterunt, vſque dum incraſſante corda eorum Diabolo Chriſtianitatem abhorrere, & omnem iuſtitiam detrectare, belloque laceſſere ac obſiſtere ſæuiſſime cœperunt: adeo vt via Epiſcopo & prædicatoribus illuc non eſſet, ſed libitu ſuo egerunt quæ voluerunt. Nunc vero, quod nobis graue videtur & incredibile, in augmentum iuſtitiæ iactitant, ſe magnitudine pecuniæ egiſſe, vos eoſdem præfatos Epiſcopos ad ſe direxiſſe, & in eodem Patauienſi Epiſcopatu talia egiſſe, qualia de illa Apoſtolica ſede nunquam exiſſe, neque Canonum decreta ſanxiſſe, vt tantum ſchiſma vna pateretur Eccleſia. Eſt enim vnus Epiſcopatus in quinque diuiſus. Inſtantes autem prædicti in veſtro nomine, vt ipſi dixerunt Epiſcopi, ordinauerunt in noſtro eodemque Epiſcopatu vnum Archiepiſcopum (ſi in alterius Epiſcopatu Archiepiſcopus eſſe poteſt) & tres Epiſcopos eius ſuffraganeos, abſque ſcientia Archiepiſcopi, & conſenſu Epiſcopi, in cuius fuerunt Diœceſi: cum in Concilio Africano, cap. 20. decretum ſit, *Vt plebes, quæ in Diœceſibus ab Epiſcopis retinentur, quæ nunquam Epiſcopos habuerunt, nec niſi cum voluntate eius Epiſcopi, à quo tenentur, proprios accipiant Rectores & Epiſcopos.* Item in eodem Concilio, cap. 45. *Vt plebes, quæ nunquam habuerunt proprios epiſcopos, niſi ex Concilio plenario vniuſcuiuſque Prouinciæ, & Primatis, atque conſenſu eius, ad cuius Diœceſim eadem plebs pertinebat, epiſcopos minime accipiant.* In decretis Papæ Leonis, cap. 15. ſcriptum eſt: *Nulla ratio ſinit, vt inter epiſcopos habeantur, qui à Prouincialibus epiſcopis, cum Metropolitani iudicio non conſecrantur.* Item cap. 49. *Vt ſi indignis quibuſque & longe extra Sacerdotale meritum conſiſtentis paſtorale faſtigium & gubernatio eccleſiæ detur, non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.* Et in eodem cap. poſt pauca inquit, *Difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.* Et in decreto Papæ Cœleſtini anteceſſoris veſtri cap. 17. continetur: *Ne alicui locus concedatur ſacerdoti in alterius iniuriam*: Anteceſſor veſter Zuentibaldo Duce impetrante, Vvichingum conſecrauit Epiſcopum: & nequaquam in illum antiquum Patauienſem Epiſcopatum tranſmiſit, ſed in quandam Neophytam gentem, quam ipſe Dux bello domuit, & ex paganis Chriſtianos noſeſſe patrauit. Cum autem eiſdem Slauis locus familiaris apud legatos veſtros dabatur, accuſabant & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus inſtabant, quia nemo eis vera reſpondebat, dicentes, nos cum Francis & Alemanis ſcandalum & diſcordiam habuiſſe: Cum hoc falſum eſſe ex hoc conuincitur, quia amiciſſimi noſtri ſunt, & charitatiui cooperatores; Et etiam cum ipſis impacatos eſſe accuſabant. Quod non noſtra culpa exigente, ſed ſua potentia facićre ita fatemur eſſe. Quia quando Chriſtianitas illis cœpit vileſcere, & inſuper debitum tributum ſenioribus noſtris Regibus & Principibus eorum ſoluere reſpuerunt, belloque reſiſtere, & gentem noſtram cœperunt laceſſere, orta eſt ſeditio inter illos. Et quoniam armis ſi eos defenderint, in ſeruitium redegerint: idcirco iure proprio tributarios habere debuerint, & debent: & ſiue velint, ſiue nolint, regno noſtro ſubacti fuerint. Quapropter oportet nos ab alto ſpeculari, & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne peior pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque sereniſſimi ſenioris noſtri Hludouici, videlicet Imperatores, & Reges ex Chriſtianiſſima Francorum gente prodierunt; Maraui vero Slaui à paganis & Ethnicis venerunt. Illi potentia Imperiali Romanam Rempublicam ſublimauerunt, iſti damnarunt: Illi Chriſtianum regnum confortauerunt, iſti latibulis & vrbibus occultati fuerunt: illorum conſilio Apoſtolica ſedes pollebat, iſtorum perſecutione Chriſtianitas dolebat; in omnibus his iuuenculis Rex noſter, nulli prædeceſſorum ſuorum ſecundus, nulli & inferior, ſed ſecundum virtutem à Deo ſibi datam, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & vobis ſummo Patri, cum omnibus regni ſui principibus, adiutor optat eſſe fortiſſimus. Omne namque regnum diuinitus ſibi commiſſum ad Dei ſeruitium, ſuumque adiutorium, vnum vult & operatur. Vnde & pace viget, & concordia gratulatur, atque ad veſtram paternitatem, ſicut patres ſui ſe pertinere lætatur. Quod nos præfati Slaui criminabantur cum Vngaris fidem Catholicam violaſſe, & per canem ſeu lupum, aliaſque nefandiſſimas & Ethnicas res Sacramenta & pacem egiſſe, atque vt in Italiam tranſirent, pecuniam dediſſe, ſi vobis coram poſita ratio inter nos agitaretur, ante Deum, qui cuncta nouit antequam fiant, & coram vobis qui vicem eius Apoſtolicam tenetis, & eorum falſitas manifeſtaretur, & noſtra innocentia probaretur. Quia enim Chriſtianis noſtris longe à nobis poſitis, ſemper imminebant, & perſecutione nimia affligebant, donauimus illis nullius pretioſæ ſubſtantiæ pecuniam, ſed tantum noſtra linea veſtimenta, quatenus eorum aliquoties viriliratem mulceremus, & ab eorum perſecutione quieſcere faceremus. Talia namque, vt præſcripſimus, iuxta malitiam cordis ſui argumentantes, & Pontifices veſtros ad iniuriam noſtram incitantes, adeo vt directa nobis Epiſtola quaſi ab Apoſtolica ſede hæc omnia improperabant, & diuerſas iniurias ingerebant, atque inter alia diuino gladio feriendos dignos dicebant. Impleuit enim in nobis quod quidam Sapiens ait: *Iuſtus tulit crimen iniqui.* Ipſi enim crimen, quod nobis falſo ſemel factum impoſuerunt, multis annis peregerunt. Ipſi Vngarorum non modicam multitudinem ad ſe ſumpſerunt, & more eorum capita ſuorum pſeudo-Chriſtianorum penitus detruderunt, & ſuper noſtros Chriſtianos immiſerunt, atque ipſi ſuperuenerunt, & alios captiuos duxerunt, alios occiderunt, alios peſſima carcerum fame & ſiti perdiderunt, innumeroſos vero exilio deputauerunt, & nobiles viros, ac honeſtas mulieres in ſeruitium redegerunt, Eccleſias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleuerunt, ita vt in tota Pannonia noſtra maxima Prouincia tantum vna non appareat Eccleſia, prout Epiſcopi à vobis deſtinati, ſi fateri velint, enarrare poſſunt, quantos dies tranſierunt, & totam terram deſolatam viderint. Quando vero Vngaros Italiam intraſſe comperimus, pacificari cum eiſdem Slauis, teſte communi Deo, multum deſiderauimus, promittentes eis propter Dominum omnipotentem, ad profectum indulgere omnia mala contra nos noſtroſque facta, & omnia reddere, quæ de ſuis noſtros conſtaret habere, quatenus ex illis ſecuros nos facerent, & tamdiu ſpatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res S. Petri defendere, populumque Chriſtianum diuino adiutorio redimere liceret: & nec ipſum ab eis obtinere potuimus. Et poſt tanta maleficia habent beneficia, & ſunt falſi accuſatores, qui ſemper fuere Chriſtianorum perſecutores. Si quis in toto mundo aliorſum nos oberraſſe, & iuſtitiæ reſtitiſſe conetur, veniat præſens, & eum ludificaſſe, & nos de hac re ſentientes puriſſimos eſſe. Idcirco ſinguli omneſque admonendo precamur, ne vllo modo alicui falſo de nobis aliquam ſuſpicionem referenti creduli ſitis, antequam opportunitas exigatur: vt huius rei gratia

missus de vestra celsitudine nobis aut à nostra paruitate directus appareat vobis. Communis gemitus, & generalis dolor angustat quos Germania & tota tenet Norica, quod vnica Ecclesia diuiditur scissura. Ideo si quid trans maligna Slauorum calliditate adduxerit, iustitia auertas: vosque ex alto virtute induti, & Apostolica potestate armati, iuxta Prophetam, *quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abiectum reducite*; vt deinceps populus & fidei integritate gratuletur, & sancta Ecclesia tranquilla deuotione lætetur. Theotmarus indignus Archiepiscopus, & Apostolicarum rerum procurator promptissimus, pecuniam vestro iuri debitam, propter infestam paganorum sæuitiam, nec per se perferre, nec per alios poterat transmittere: Sed quia Dei gratia liberata est Italia, quantocius potero, vobis transmitto. Precatur nostra humilitas, vt dignetur vestra sublimitas respondere per singula ad transmissa cum Epistola.

Ezech. 34.

Alme pater mundi dignus prænomine Petri,
Nomine quem sequeris, vtinam virtute sequaris;
Sisque tuis famulis protector verus, & ipsos
Commendes Domino, cœlo qui præsidet alto.

DIALOGVS DE STATV sanctæ Ecclesiæ.

EVTITIVS Residentibus nuper sanctis & gloriosis sacerdotibus in palatio regio, simulque plurimis astantibus nobilibus viris, me quoque contigit affuisse: Ortusque est sermo inter eosdem venerabiles sacerdotes de statu sanctæ Ecclesiæ; qualis in primordio sui fuerit; qualiter sub procellis persecutionum pugnauerit: quomodo his sopitis effloruerit: quamdiu in eodem flore permanserit: & qualiter nunc in fine sæculorum pene vsque ad terram deiectus sit. His sermonibus alternatim percurrendo, dum me hiantem auidumque audiendi profunda suspenderet consideratio, repente surripientes quorundam sæcularium negotiorum turbines sermones exortos de magna & communi vtilitate disciderunt. Meum autem desiderium cum de his vel cogitandi, vel retractandi minui non posset, festinaui ad te mi Theophile, vt quod sæcularium tumultus abruperant, tua dulcis & grata semper mihi suppleret oratio. Quodam enim ardore ita inflammatus sum, vt si de his sufficientem non hausero potum, nullatenus me requiescere patiatur anima mea. THEOPHIL. Cum tu schola Christi educatus sis, & veteris ac noui Testamenti notitia sit tibi tradita, quod noui in palatio audisti, vt tam subito tam vehementer inflammatus sis? EVTITIVS. Eorum, quæ audiui, partim noua, partim mihi vetera visa sunt: noua quidem, de crebrescentibus malis; vetera vero, de recordatione transactæ fœlicitatis. Sed quia solet præsentium malorum dolores recordatio præteritorum bonorum aliquando linire, nonnunquam augere, declinata ea parte, qua exasperantur dolores, ei animum intendamus, qua liniri solent. THEOPH. Quæ est illa? EVT. Vt mihi videtur, spes euadendi: his enim, qui sic affliguntur, vt spem euadendi amiserint, transacta fœlicitas pœna est: his vero, quibus spes liberandi arridet, solamen. THEOPH. Sic videtur. EVT. Cum ergo sic videatur; peto vt collatione tuæ dilectionis mihi satisfiat, & quæ diu intacta quasi inueterauerunt, mutua allocutione atque retractatione innouentur. THEOPH. Bonum desiderium omnimodis adiuuari fas est; morem ergo geram tibi, secundum quod dederit diuina propitiatio, dum tu ipse quid desideres, & qualiter, cur etiam assignaris. EVTIT. Quid desiderem in promptu est; ea [illegible]cet, quæ in palatio degustaui, plenius haurire. Qualiter autem, vt quæ dicuntur, non decurso pereant sermone, sed scriptis adhibitis, fiat mihi quidam Enchiridion, quem præ manibus ferens, secreti silentij mihi habeam consolatorem. Cur etiam, manifestabo, vt non solum meæ, sed etiam aliorum vtilitati proficere possit. THEOPHIL. Oportet igitur, quæ necessaria sunt, per singulas diuidi species, vt his capitularum adnotatis atque propositis, subsequens ordo expositionis nullo errore turbetur. EVTIT. Cum de statu Ecclesiæ res agatur, hic erit quasi supremum genus: diuidatur autem in his speciebus; qualis fuerit in principio; qualis sub passionibus; qualis post passiones; quibus auctoribus prouectus sit; quibus decretis confirmatus; cur olim solis spiritualibus intentus, postmodum, ad instar Reipublicæ, magistratibus & defensoribus fultus: erunt autem forte & aliæ quæ his explanatis, subdiuidi possint. THEOPHIL. Magna sunt, quæ postulas, & ipsa sui propositione iam mihi metum præstantia; neque enim vires meæ sufficiunt ad portandum quod imponis, onus. EVTIT. Gregorius dicit: *Vires, quas imperitia denegat, charitas ministrat: non ergo subterfugiendus est plus labor, quem charitas ex dilectione proponit arctare.*

Ex hoc pia fiducia crescere debet, quia non tantum tuis, quantum Patrum scriptis, ad hæc efficienda flagitaris; simulque volo, vt audeas te admonitum, enchidion cudere, non immensa volumina adunare. Ne ergo dubites, sed Christo rectore, de priori statu Ecclesiæ, iā nunc incipe disputare. THEOPHIL. Suaues quidem sunt sermones tui, sed dui [illegible]peria; vis enim vt tuis conuicio dictis, vt ampla contraham, contracta quæque testimoniis accingam: quæ cū laboriosa sint, tuo intentus desiderio non perpendis. EVT. Vide ne Comici illo verbo te notaueris, *Nulla res tam facilis, quin difficilis, si & quam inuitus facias.* Cum ergo tibi proposuerim adiutorem fontem sapientiæ, qui dicit: *Omnia possibilia credenti*; cur amplius dubitare mauis? THEOPH. Non dubito, vt qui os asinæ articulata voce resoluit, inertiæ quoque meæ fatuitatem sale sapientiæ suæ condire possit. Itaque fo[illegible]to rudeore, spiritui eius carbasa nostra committentes, hinc optati nauigij ordiamur exordium.

Marc. 9. Sam.

Ad redimendum hominem inuidia diaboli ab æternitate deiectum, Deus Pater omnipotens filium suum coæternum sibi & coosubstantialem mittere dignatus est, qui de virgine carnem assumens, ita diuinam naturam humanæ vniuit naturæ, vt illius ad infima descensio nostra fieret ad summa prouectio. Hic est fundamentum Ecclesiæ, de quo Paulus dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Qui antiqui hostis superbia triumphata, à mortuis potenti virtute resurgens, & cœlorum summa conscendens, Apostolis suis vndecim, cum septuaginta duobus discipulis, & aliis quamplurimis, in Hierusalem residere præcepit, dicens: *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Hi ergo perseuerantes erant vnanimiter in oratione*, sicut Lucas in Actibus Apostolorum testatur, *cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius.* Decimo igitur die post Ascensionem Redemptoris ad cœlum, hora tertia, super hos omnes Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit, & inflammauit eos, sicut ferrum inflammatur ab igne. Nulla igitur mora in discendo fuit, sed mox vt iste incomprehensibilis & ineffabilis Spiritus corda eorum repleuit, omnium linguarum scientiam dedit, & cœperunt Christum loqui in aliena lingua, qui catenus eum confiteri non præsumebant in propria. Huius igitur nouitate miraculi multitudo

1. Cor. 3. Luc. 24. Act. 1. Act. 2.

multitudo conueniens percellitur, & duce Petro, vno die tria millia, altero quinque millia conuertuntur. Dehinc infinita crescente turba, primitiuæ Ecclesiæ status exortus, est, qui sicut sol mundum irradiat, sic Spiritus sancti præsentia illuminatus, miraculis coruscus, linguarum varietate admirandus, beneficiorum diuersitate munificus apparuit, vt nec dici, nec scribi possit, quanta claritate diuini radij totum mundum perfuderit: Neque enim quæ Christus per semetipsum, vel discipuli eius operati sunt, omnia scripta sunt, teste Ioanne, qui dicit: *Quod si omnia scriberentur, quæ Iesus fecit, nec ipsum mundum capere arbitror eos, qui scribendi sunt libros.* EVTIT. Placet valde quod dicis, sed quæso te, qualiter communi vita, id est, secundum carnem viuebant, vt ex eorum conuersatione aliquid in vsu nostræ conuersationis trahere possimus? THEO. Hi in carne ambulantes, non secundum carnem viuebant; secundum enim carnem viuitur, quando carnis desideria perpetrantur. Sed quia simpliciter requisisti, simpliciter tibi respondendum est: Quæris enim de cibo & potu eorum, & de his, quæ ad corpus pertinent. EVTIT. Ita est. THEO. Lucas dicit: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: prædia & possessiones vendebant, & afferebant pretia ante pedes Apostolorum, & diuidebatur singulis, prout cuique opus erat.*

Et in decretis Pontificum legitur: *quia Apostoli Iudæam erant relicturi, & in gentibus dispergendi: ideirco prædia in Iudæam minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fouendos egentes: Creaturam autem aliquam, quæ vsibus hominum concessa est, non repudiabant, ne si ex parte spernerent, totam damnasse viderentur.* EVTIT. Non ergo eis erant prædia & possessiones, quæ ab improbis quibusque diripi possent. THEO. Minime. EVTIT. Quid ergo eorum authoritate contra eos agendum est, qui res Ecclesiæ & peierant & vsurpant? THEO. Magnum quoddam Labbatum ex eorum auctoritate contra hos erigere possumus. Certe Ananias conscia vxore sua Sapphira agrum vendidit, & facta de suis fraude, partem quandam ad pedes Apostolorum posuit. Sed Petro per Spiritum sanctum cuncta cognoscente, fraudis conuictus est, & illico cum vxore morte subita damnatus. Nota quod dicitur: *Qui de suis fraudem fecit morte damnatus est.* Si ergo ille morte damnatus est, qui de proprijs fraudem fecit; quid illi passuri sunt qui non ea quæ dederint repetunt; sed quæ alij pro remedio animarum suarum contulerunt, inuadunt? EVT T. Qui inuadit, inuasor; qui vsurpat, vsurpator dicitur. Talibus autem leges diuinas atque humanas resistere, manifestum est. Quomodo autem is, qui ab Episcopo donum aliquod ex aliquibus rebus Ecclesiæ percepit, inuasor, vel vsurpator dicetur? Ecce tu, cum sis Episcopus, si aliqua proximis, vel amicis tuis ex rebus Ecclesiæ largitus es, nunquid inuasisse dicentur? THEO. Ex iniusto dono nulla iusta retentio. Sunt autem diuisa, quæ episcopus dare potest, & quæ non debet: ex his quæ dare potest, iustum dicimus donum; ex his, quæ non debet, iniustum. EVTIT. Ita mihi videtur. THEO. Non tibi soli, sed omni recte sapienti ita videndum est. EVTIT. Rogo ergo te, vt distinguas quæ danda sunt, & quæ non danda. THEO. Non hoc verbis meis distinguendum est, sed eorum Canonibus, de quibus locuti sumus, Apostolorum, & qui eos recto calle prosecuti sunt. Sic ergo in Canonibus Apostolorum capitulo tricesimo nono scriptum est: *Non liceat Episcopo ex his aliquid contingere omnino, aut parentibus proprijs quæ Dei sunt condonare, nec rerum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur.* EVTIT. Omnia quæcumque sunt, Dei sunt: Quomodo ergo dicitur, *vt aliquid ex his, quæ Dei sunt, Episcopo non liceat contingere, vel proprijs parentibus condonare?* Certe quotidianus victus ex his est, quæ Dei sunt: prohibetur ergo quotidianus victus ab Episcopo contingi, vel proprijs parentibus denegari, qui iubetur episcopi manibus etiam pauperibus tradi? THEO. Qui sophistice loquitur, odibilis est. Tu ergo teipsum reprehende, qui in sacris scriptis cauillari ausus es. Prohibetur igitur Episcopus ex his, quæ Dei sunt, aliquid contingere, vel proprijs parentibus condonare, non quod cibum, vel vestitum ipse non contingat, aut parentibus vel quibuslibet egenis deneget, sed ne prædia & possessiones, quæ à fidelibus oblata sunt, aliquatenus alienare præsumat. EVTIT. Quod si Episcopus hac auctoritate contempta, propinquis vel amicis, quæ Dei sunt donare præsumpserit, quid faciendum censes? THEO. Nihil censeo nihil iudico: *Est qui quærat & iudicet.* Interim autem audi simpliciter, quid sacra auctoritas contineat. Karolus Magnus, & filius eius Hludouicus cognomento Pius, fortissimi sanctæ Ecclesiæ tutores, antiquas Canonum sanctiones inuiolabiliter conseruantes, de rebus Ecclesiæ non diuidendis, sic in suis edictis septuagesimo septimo dicunt capitulo: *Res Ecclesiæ vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Statuimus ergo, vt neque nostris, neque filiorum, & successorum nostrorum fidelibus, qui nostram, vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, vllam penitus sectionem, aut diuisionem patiantur.* Rursus de iisdem rebus Ecclesiæ, quibus & qualiter diuidantur, in eodem libro capitulo octuagesimo: *Statutum est vt quicquid à fidelibus tempore nostri imperij Ecclesiæ sponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in vsus pauperum, tertia in stipendia Clericorum aut monachorum: in minoribus vita æqualiter inter Clerum & pauperes fore diuidendum.* EVTIT. Et ego hoc legi; sed cum dicunt, *quicquid collatum fuerit tempore nostri imperij*, videntur exclusisse quæ ante data sunt. THEO. Ita est. Nam sancta Ecclesia postquam sibi subdidit culmen imperij, ex consilio Regum, vel optimatum, per sanctos sacerdotes elegit sibi in singulis Ecclesiis vicedominos, aduocatos, defensores, & cæteros adiutores, quibus tantum de rebus Ecclesiæ delegatum est, vt sine querela, fideliter seruitio sanctæ Ecclesiæ, & imperio Pontificum obedirent; sicque confirmatum & sancitum est, vt res talibus delegatæ, per succedentia tempora nec crescere, vel minui præsumerentur; sed idoneis & dignis collatæ æqualem constantiam in perpetuo continerent. Sed Karolus, & Hludouicus filius eius iam intelligentes hanc, quam patimur, auaritiam, ad comprimendam ambitionem, hanc dederunt legem, vt antiquis essent contenti beneficiis, & de crementis & auctionibus pontificum aures non inquietarent. EVTIT. Si ita est, vt dicis, nihil nunc sacerdotibus nouare licet. THEO. *Omnia licent, sed non omnia expediunt.* Vt autem intelligas, res Ecclesiasticas stabili & iusto ordine olim dispositas, sic accipe. Certe Archidiaconatus in Ecclesia olim ordinaros putas, an minime? EVTIT. Archidiaconatus olim certis terminis distributos non dubitauerim. THEO. Nunquid licet Episcopo pro libitu suo hunc augere, hunc minuere? EVTIT. Promouere super eos quem placuerit; ipsos autem Archidiaconatus augere vel minuere puto non oportere. THEO. Sic quoque de exterioribus accipiendum puta. Cœlum est enim sancta Ecclesia; & sicut sydera certum non deserunt ordinem, sic ministeria Ecclesiastica olim à Deo & sanctis Patribus ordinata nulla confusione conuenit permiscere. Qui autem confundunt & permiscent ea, alieni ab Ecclesia Dei sunt; qui autem alieni ab Ecclesia Dei sunt, ab ipso Deo alieni sunt; qui autem ab ipso Deo alieni sunt, diaboli participes sunt: *Diabolo autem & sociis eius paratus est ignis, qui non extinguitur, & vermis qui non mori-*

Act. 2. & 4. — Ioan 21 — Act. 4. — Act. 5. — 1 Ioan. 8. — 1. Cor. 6. & 10. — Matt. 25. Marc. 9.

tur. Evtit. O he! quam terribilem consequentiam nexuisti? Quid ergo facient principes & sacerdotes nostri? Theo. Principes & sacerdotes vestri quid amplius facere habent, nisi vt tantum Deo reddant rationem, quantum illis summam tradidit potestatem. Apud principes enim & sacerdotes vestros ius confunditur; lex abrogatur; fasque nefasque miscentur; Dei timor contemnitur; sacri Canones conculcantur; & ita omnia permixta sunt vt nihil aliud nisi iudicium Dei supersit. Decedente Episcopo substantia eius inuaditur, bona eius sicut hostium spolia diuiduntur; iste inuadit Ecclesiam, alter vsurpat Abbatiam. Exilit in medio miles dicens; hoc & hoc dedisse mihi dominum meum, qui decessit, Sacramento firmabo, ipse Episcopus nondum perunctus, nec sedi impositus, residuas reliquias rerum Ecclesiasticarum patronis dispertit & dum desiderat nomen pastoris iam lupus factus est. Talia ergo facientes dicitis vos Christianos, cum manifeste Antichristi sitis? dicit enim Christus: *Qui non est mecum, contra me est & qui non colligit mecum, dispergit.* Vos, quæ Christus construxit, destruitis; & quæ collegit, dispergitis: & Christianos, vel cum Christo vos esse putatis? frustra venistis ad ecclesiam, cuius inimici estis; frustra offertis ad altare nummum, quem ipsi altario tulistis. Quid de vobis dicam sæculares, qui non solum Ecclesias, sed etiam ipsa altaria possidere vultis? Nunquid vos, qui oblationes pauperum comeditis & bibitis, ad offerendas Deo hostias pro ipso populo accedetis? vos horrea frumento & cellaria ex his, quæ Ecclesiæ sunt, vino complebitis, & sacerdotes eius fame affligetis? Cur non pertimescitis iudicium Dei? Panes propositionum non licet comedere nisi mundis & purificatis sacerdotibus: & vos cum vxoribus & ancillis vestris, & quod peius est, nonnulli cum scortis decimas & oblationes fidelium manducabitis? Coram vobis ardebit candela quæ Deo est oblata, & eius altare & sacrificium sine lumine erit? Chore, Dathan, & Abiron contra Moysen & Aaron pro sacerdotio murmurant, & ea quæ Dei sunt, auferre moliuntur. Chore cum ducentis sociis suis igne diuino exustus, perit: Dathan, & Abiron cum vxoribus & liberis, & vniuersa familia, & supellectili tota viuos terra absorbuit. Acham, quia vsurpauit de anathemate, cum omnibus suis viuus incensus est. Oza, qui præsumpsit arcam Dei tangere, mortuus est in eodem loco. Balthazar Rex in conuiuio suo decimas & oblationes Dei non apposuit, sed in sacris eius vasis bibere præsumpsit; ob hoc cœnanti ei apparuit manus, quæ scriberet in pariete: Mane, Techel, Phares: cuius rei interpretationem à Daniele sancto in testimonium sui accipiens, ea nocte interfectus est, & regnum eius dissipatum.

Luc. 11. — 1. Reg. 21 — Num. 16. — Iosu. 7 — 2. Reg. 6. — Dan. 5. — Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14.

Cur induratis cor vestrum sicut Pharao, qui seruituti subigebat populum Dei? decem hic plagis percussus, ad vltimum in mari rubro cum omni suo exercitu suffocatus est. Similiter vos populum Dei manducatis & dispergitis, sacerdotes eius contemnitis, præcepta eius non auditis, flagella eius dispergitis, beneficiis non flectimini: scitote, quia sicut mare rubrum Pharaonem, sic infernus deuorabit vos, & non dixeritis, nos Christiani sumus, vos Christiani non estis. Sed bestia illa, quæ apparuit in visione Danieli Prophetæ, fortis & terribilis nimis, dentes & vngues eius ferrei, conterens & comedens omnia, & reliqua pedibus suis conculcans. Verbo dominico concludam sententiam: *Qui est ex Deo, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Evtit. Vehementer te video commotum, & illius sententiæ oblitum: *obsequium amicos, veritas odium parit.* Theo. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, & qui propter timorem reticet veritatem, veritatis proditor est. Et vere factor, quia qui nunc per ambitionem, vel auaritiam, vel timorem, vel vanam gloriam, cito mendaciis fauent, apparente omnium malorum capite, id est, Antichristo, cito fidem negaturi sunt. Nec eius nunc erunt manifesti defensores, cuius nunc sunt subdoli cultores. Evtit. Dura sunt verba tua, neque omnibus placitura: sed quia illa per excessum deplorasti, ad propositum reuerti oportet. Theo. Propositum distinguendum tibi, quæ Episcopo dare liceret, & quæ minime. Evtit. Ita est: Sed peto recapitulari breuiter ea, quæ prohibentur, vt ad concessa postmodum veniamus. Theo. Tutoribus & actoribus patrimonium hæredis alienare, omnium gentium, quæ legibus vtuntur, leges prohibent: Vsum autem fructus, saluo iure hæredis, legare non defendunt: sic quoque patrimonium sanctæ Ecclesiæ, quæ Christi cohæres est, tutoribus & actoribus, id est, Episcopis, & Clericis alienare, vel parentibus & amicis contradere, leges, & diuinæ, & humanæ terribiliter contradicunt: vsum autem fructus, & sibi, & cunctis egentibus, cum timore Dei fideliter committunt. Si autem Episcopus, vel à parentibus dimissa, vel aliunde adquisita habuerit, ea suis posse relinquere: sic in Canonibus Apostolorum capitulo XL. scriptum est; *Manifesta sunt res Episcopi (si tamen habet proprias) & manifeste dominicæ,* * *& potestatem habeat Episcopus moriens de propriis sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere: Nec sub occasione Ecclesiasticarum rerum, quæ Episcopi probantur esse, intercidant, & rursus pro rebus Episcopi Ecclesia detrimentum patiatur.*

Ioan. 8. — Act. 5.

* al.

Item in Concilio Antiocheno, capitulo XXIV. eisdem pene verbis, sensu vero toto integro idem diffinitum est. De dispensatione quoque fructuum, sic in eodem Concilio capitulo vltimo scriptum est: *Si Episcopus minime his, id est, victu & tegumento contentus fuerit, conuertat autem res Ecclesiæ in suos domesticos vsus, & eius commoda, vel agrorum fructus non cum Presbyterorum conscientia, Diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis aut propinquis aut fratribus, aut filiis committat, & per huiusmodi personas occulte cætera lædantur Ecclesiæ, iste pœnas Synodo prouinciæ persoluat.* Vides igitur, quod ipsa procuratio agrorum, ad læsionem Ecclesiæ, domesticis, vel propinquis Episcopi non conceditur, quanto magis alienatio conceditur? Evtit. Valde diuersa sunt, quæ à te audio, & quæ in Ecclesiis perpetrari cognosco. Sed quia satis distincta puto, quæ Episcopus dare possit, quæ vero minime, ad eos, qui iniusta dona susceperunt, & iniustius retinere conantur, sermonem conuerti peto. Theo. Anacletus Papa in Epistola de laceratione & oppressione Christianorum omnibus Episcopis directa, sic dicit: *Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: Mater vero nostra Ecclesia, quæ nos spiritualiter in baptisterio regenerauit, Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida est, atque homicida ante conspectum iudicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui iniquitatem operatur; qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Priuilegia enim Ecclesiarum, & Sacerdotum, sancti Apostoli iussu Saluatoris intemerata, & inuiolata eius decreuerunt manere temporibus.* Evtit. Hæc querimonia satis superius deplorata est. Nunc vero diligenter intende, quæ proponere paro. Theo. Propone, & audiemus.

Evt. Si quilibet Episcopus res, quas dare superius non posse demonstrasti, parentibus, vel fratribus, aut quibuslibet aliis dederit, alienauerit, scripto quoque sua dona firmauerit? Episcopus, qui succedit, num repetere potest res, quæ iniuste datæ sunt? Theo. Omne quod iniuste sublatum est, iuste debet restitui. Dic ergo mihi, si tutor patrimonium hæredis; quod tuendum susceperat, inscio pupillo alienauerit; nunquid idem hæres suæ redditus potestati, quod iniuste sublatum est, legi-

bus repetere potest? Evtit. Sic videtur. Cum ergo liceat morituro homini iniuste sibi sublata repetere; Ecclesiæ, quæ semper viuit, non licebit eadem facere? Theo. Vt enim iam superius audisti, ex iniusto dono, iusta non est retentio; vbi non est iusta retentio, iusta consequitur repetitio. Evtit. Quibus argumentis adstipulabitur, vt quod decedens Episcopus quolibet malo dederit, à succedente repeti possit? Theo. Dic mihi? si Episcopus præcedens hæreticus esset, succedens deberet in eadem hæresi permanere? Evtit. Non est dubium, quin hæreticum sequens, ipse quoque hæreticus sit. Certe Paulo Samosateno cum omni hæresi damnato & ab Ecclesia pulso, successores ei Catholici subrogati sunt. Cum ergo errorem eius, qui circa fidem deuiauerit, non modo liceat, verum etiam necesse sit corrigi ab eo, qui succedit: res, quæ præcedens iniuste alienauerit, succedens iuste repetere non poterit? Ophni, & Phinees filij Heli Sacerdotis, ipsi quoque sacerdotes, arcam testamenti à tabernaculo fœderis abduxerunt, & contra hostes dimicaturi, capiendam hostibus exposuerunt. Pugnatum est acriter, vterque Sacerdos mortuus est, arca Dei capta est; sed ipsis debito supplicio condemnatis, Arca Dei demum post multas plagas hostibus inflictas loco suo restituta est.

Reg. 4

Templum Dei Chaldæis incensum & subuersum, ipsa quoque Hierusalem desolata post septuaginta annos à reducibus captiuis, & restituta, & possessa est. Quanta mala Antiochus in Hierusalem fecerit, qualiter templum spoliauerit, legem aboleuerit, arcem Sion ad confusionem sanctificationis erexerit, tibi notissimum scio. Sed Iudas Machabæus & frater eius constantissime resistentes, non ante cessarunt, quam leges & patriam ab hostibus tuerentur. Quid ergo, vel arca testamenti, vel templum Domini, ipsa quoque Hierusalem, nisi sanctam Ecclesiam designat? quæ vel exposita, vel desolata hostibus, à suis vere filiis vsque ad sanguinem certantibus vindicari & restitui debet. Evtit. Modo martyrij tempus non est, quia vero non omnes sumus filij Ecclesiæ, de maternis stipendiis nutriri & foueri habemus. Theo. Filij Ecclesiæ non sunt, vt superius quoque dictum est, qui eam contra leges diuinas inuadunt, quinimo atrociores inimici manifestissimis hostibus sunt, qui intra eam positi lacerare & disrumpere eam non desistunt. Audi vero quid Pius Romanæ sedis Episcopus, in Epistola Italicis fratribus directa, de talibus dicat: *Ad sedem Apostolicam perlatum est, quod sint inter vos dissensiones & æmulationes; & prædia diuinis vsibus tradita, quidam humanis applicant vsibus: & domino quæ tradita sunt, ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia secretorum cælestium indicata à quibusdam irruentibus vexentur: Quod si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, & vt sacrilegus iudicetur: Ipsos autem qui hoc agunt, clericos & Domini Sacerdotes persequi, eosque infamare audiuimus, vt malum super malum addant & deteriores fiant, non intelligentes, quod Ecclesia Dei in Sacerdotibus consistat, & crescit in templum Dei; & sicut qui Ecclesiam Dei vastat, eius prædia & donaria & expoliat & inuadit, fit sacrilegus; sic & ille, qui eius Sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur.*

Et post pauca *Non est grauius peccatum fornicatio quam sacrilegium, & sicut maius peccatum est, quod in Deum committitur, quam quod in hominem: sic grauius est sacrilegium, quam fornicari.* Evtit. Probatum est igitur res Ecclesiæ non licere Episcopo, vel cuilibet ita alienari, vt reuocari non possint. Restat ergo qualiter reuocari debeant, sequens sermo declaret: forte enim, hi, qui res Ecclesiæ susceperunt iniuste, non iustitiam doni, sed nudum donum defendere volent. Defensio autem, quæ iustitiam declinat, iniusta est; Si autem defensio, quæ iustitiam declinat, viribus humanis sit fulta: Episcopus autem, qui iustitiam defendit, & res alienatas repetere tentat, nec Regio, neque suorum, qui esse debuerant, fulciatur auxilio; quid ei faciendum erit? Theo. Sicut Philo maximus legatorum à Iudæis Gaio directorum, dicit: *Necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium.*

Metropolitæ ergo suo, si suffraganeus est, id intimare debet; qui concilium cogat, & quid facto opus sit, edoceat. Quod si ibi causa terminata non fuerit, Primatem suum Metropolitanus adhibeat, secundum canonicam authoritatem: At vero si coram eo causa supradicta competenti termino definiri nequiuerit: Episcopus, cuius causa est, Primatis, & Metropolitani sui auctoritate roboratus, sedis Apostolicæ Præsulem petat, & causa sua pleniter exposita, summam huius consilii requirat. Summa autem consilii hæc est, vt hi, qui res Ecclesiasticas occupauerunt, tertio vocentur: Non acquiescentes anathematis & excommunicationis vinculo à Vicario sancti Petri adligentur; cui dixit Christus; *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Evtit. Quia ista frequentius fiunt in cordibus reproborum; *.............. relicto igitur timore Dei ad iudicia sæcularia conuolabunt, patritiis se munient, castellis vallabunt, & deteriores ex correctione fient, homicidiis, incendiis, & rapinis cuncta vastantes. Theo. Non hæc diutius permanerent, si inter Episcopos vera pax & firma concordia permaneret: sed sicut Salomon dicit; *Vnus ædificans, & alter destruens, quid proficit illis nisi labor? Vnus benedicens, & alter maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?* Cum istius dispendium, alterius videatur lucrum, & vnius deiectio, alterius sit * elatio, inter hæc veræ charitatis diuortia, refugium restat Ecclesiæ desertoribus, & quem vnus deiicit, alter suscipit, non considerans neque pertimescens sententiam Apostoli, quæ dicit: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Initium ergo superbiæ ab ipsis oritur, à quibus destrui debuerat. Evtit. Testimonium, quod de Apostolo protulisti, de fornicariis dictum est; sed tu cum sis Episcopus, & fratrem, vel nepotem meum, vel quemlibet propinquum, aut amicum, à rebus, quas à prædecessoribus tuis acceperat, diuertere velis, & eum ibidem excommunicaueris, vel eum à sede Apostolica excommunicari feceris; Ego qui Episcopus sum, sicut & tu, amicum meum à te deiectum recipere & consolari negabo? Theo. Testimonium, quod supra de Apostolo protuli, de fornicariis quidem dictum non abnuo: verum si recordari velis, quæ à Pio Episcopo superius scripta audisti, atrocius recognosces sacrilegium, quam fornicationem: Sacrilegium autem dicit, res Ecclesiasticas occupare, qui autem sacrilegium facit, sacrilegus est, quamuis id Dialectico Sophismate refelli videatur, non posse aliquem denominare ab aliquo, quod ad passio in habitum conuertatur. Tu ergo, qui fornicarius consentire erubescis, sacrilegos suscipies? num sententiam dominicam paruipendes, qua dicitur, *Qui amat Patrem, aut matrem, aut filium, vel filiam, plus quam me, non est me dignus.* Evtit. Sed ideo eos recipio, vt mea receptione ad satisfactionem venire possint. Considera ergo, ne eos iniuste à communione segregaueris, & dicatur de te illud, quod in Propheta scriptum est: *Mortificabant animas, quæ non moriuntur: & viuificabant animas quæ non viuunt.* Scis vero promptissime, quæ res æquitatem iudicii peruertunt, à quibus dum te immunem videro, necesse est, vt amplius sententiam tuam pertimescam. Theo. Quia video te personam resistentium assumpsisse, eodem schemate tibi respondere congruebat, sed eo habitu non omnino assumpto, quid melius sit, inter nos videamus. Equidem, vt tu asseris, quatuor

Matth. 16.

Eccl. 34

* reuelatio.

Rom. 1

Matth. 10.

noui, quæ iudicij dissipant æquitatem, gratiam videlicet, odium, cupiditatem, & metum. Age igitur, prædecessores* mei res Ecclesiæ, cui auctore Deo, deseruio, eas videlicet res, quas alienari nullatenus, vt supra diffinitum est, posse; parentibus & amicis tuis tradiderunt, alienauerunt, scripto quoque talia confirmauerunt. Ipsi quoque* .... qui defunctis datoribus alia occuparunt, quæ illis quidem data non sunt, sed sibi data legibus & sacramento confirmare contendunt. Tu ergo, qui Episcopus es da sententiam, cui possim inniti, & caue ne quatuor superiora, quæ mihi opposuisti, iudicij rectitudinem subuertant. EVTIT. Vndique me comprimis, & artificiosissimo loco coarctas. Si enim dixero prædecessores tuos ista largitos, ea res occurrit, quam concessisse me memini: Res, quæ Dei sunt ab hominibus alienari non oportere. Quod si iniustum donum præcessorum tuorum dixero .... concessum est enim superius, ex iniusto dono iustam retentionem non esse. Quod si ità est, immo, quia ità est, cogor iudicare amicos meos, quæ sibi iniuste conlata sunt, iuste retinere non posse. Sed si inter has duas necessitates, aliquod medium inueniri posset, à te desiderarem audire. THEO. Te oportet medium perquirere, qui causidicus & assertor partium amicorum tuorum cœpisti esse. EVTIT. Cum superiora ita sibimet opponantur, vt vno constituto, alterum perimatur, quid medium adijciam, non inuenio. Esse autem contraria mediis carentia, rursus alia quæ medietates habent, alia plures, alia pauciores, alia singulares, Dialectici nostri asseuerant: Inter iustum autem & iniustum medium esse, quod vtriusque negatione perficitur. Quod cum ita sit, quid tuis obiectionibus respondeam, non inuenio. Impossibile tamen scio, eos, de quibus sermo est, donum, quod semel susceperunt, aliquibus ad reddendum, vel nullis legibus cogi posse. Eorum enim medium erit, quod iustitia non possunt, vi tuebuntur. THEO. Si vi terrena diuinæ atque humanæ leges conculcantur, fidei vigor atque auctoritas infirmatur, quantum autem fides infirmatur, tantum perfidia conualescit. Eo ergo valentius pugnare debemus, dum iam non contra fideles, sed contra perfidos certamen assumpsimus. EVTIT. Vt superius quoque dictum est, hi nudum donum tanta iustitia defensuri sunt. THEO. Quid nudum donum suppressa iustitia consequatur, satis ostensum puto. Restat igitur, vt qualiter id defendere velint, manifestes. EVT. Judicio, pugna, sacramento. THEO. Hæc omnia de incertis & dubiis fieri solent. Ego autem incerti & dubij leges non requiro, sed manifestis iustitiam peto, quæ si mihi negata fuerit, non ad vestras dubietates, sed ad Ecclesiasticorum dogmatum certitudinem me conuertens, causam suam Christo consignabo, dicens: *Exurge Domine, iudica causam tuam.* EVTIT. Ita facere oporteret, nisi ipsi, de quibus sermo agitur, pias preces & diuina & humana iura floccipenderent. Sed in tantum eorum efferbuit superbia, vt cum sacros præsules ad arma diuina recurrere viderint, quasi inertes & ignauos despiciant, seque mutua allocutione cohortantur, dicentes: *Dimittite hos insanos verberare pectora, aera quatere, funes disrumpere, inaniter lectitare, Canonicas auctoritates proferre: nos interim castellis & patronis fortibus muniti, quæ inuasimus, teneamus.* THEO. Verum est, quod asseris. *Quia enim*, vt scriptum est, *non cito profertur iudicium, absque retractatione homines perpetrant mala;* non tamen eos defatigari, vel tædiari conuenit, quibus dicitur: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Gregorius quoque dicit: *Cum malorum peruersitas crescit, non solum frangi prædicatio non debet, sed etiam augeri.* EVTIT. Si Deum contra inimicos rogaueris, nonne potius hoc dicetur imprecatio, quam prædicatio? Dic ergo, si in inimicos imprecationes vel maledictiones fieri oportet, cum Dominus dicat: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

[Margin: * f. possessores aut vsurpatores. — Psal. 73 — Matth. 10. & 24.]

THEO. Postquam assidua prædicatione mixta simul oratione fideli, duritia improborum non emollescit, & incorrigibilis iudicatur prauorum nequitia, quid amplius faciendum est, nisi vt oretur Omnipotens agricola, quatenus de vinea sua sarmentum tollat, lolium de messe, & igni perpetuo tradat: vt his euulsis, vinea & messis vberius fructum ferant. Certe Petrus Simonem magum in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis videns esse, cum sæculo æternæ maledictionis confodit dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere.* Paulus quoque vas electionis Elimam magum tali inuectione percussit dicens: *O plene omni dolo, & omni fallacia, veritatis inimice, fili diaboli, non desinis subuertere vias Domini rectas; & ecce enim manus Domini super te & non videbis solem vsque ad tempus.* Et vt ostenderetur non esse hoc motus hominis irascentis, sed sententia integri iudicis, continuo cecidit super eum caligo, & tenebræ, & quærebat qui ei manum daret. De Alexandro quoque idem Paulus ad Timotheum: *Alexander*, inquit, *ærarius multa mala mihi ostendit; reddat ei Dominus secundum opera eius, quem & tu deuita, valde enim restitit verbis nostris.* Non autem hoc passim vel pro libitu faciendum est, sed cum grandi cautela & consilio Metropolitani, & vicinorum Episcoporum: Sic enim B. Gregorius dicit, *Tunc iusta est sententia præsidentis, quando arbitrium interni sequitur Iudicis.* EVTIT. Cum his reniti non possit, cumque dixeris te in hac tua causa, non pugnam, non sacramentum, non iudicium perquirere, quippe cum his egerent & incerta: te autem manifestorum iustitiam poscere, quam iustitiam in suis manifestis capetas, intimato. THEO. Iustitiam Canonica auctoritate munitam, vt quibuscumque Ecclesia iniuste nudata est, iusto ordine vestiatur.

Cum autem suis spoliis vestita fuerit, legitimum spatium tractandi ei causam concedatur. Tunc qui iustitiam se habere putauerint, in conspectu Regis, & sanctorum sacerdotum, virorumque sapientium causam suam dicant. Et quicumque in huiusmodi negotio, sicut iam supradictum est, gratia, odio, cupiditate, & metu, à recto scienter exorbitauerit, sciat se non in hominem, sed in Deum peccare, reumque se illius sacrilegii, quod deterius esse fornicatione, Pio Episcopo auctore, superius comprobatum est. Nonne vides, quod sæculares quæque personæ, si rebus propriis expoliatæ fuerint, si ad iudicium coguntur, his quibus exutæ sunt, primo se reuestiri clamabunt? Quod ergo non tam maioribus, quam etiam minoribus licet, sanctæ Ecclesiæ, quæ est mater omnium, non licebit? EVTIT. Iustissime liceret, si hoc humana iniustitia consentiret. Sed heu proh dolor! nobis iustitias quantum possumus perquirimus: & iustitiam sanctæ Dei Ecclesiæ, quantum possumus, conculcamus. Vnde video tuam superiorem sententiam veram esse, qua tales pronunciasti Ecclesiæ non esse filios, sed inimicos. In Saxoniæ autem, & Germaniæ partibus, quandam vmbram iustitiæ in hac re adhuc reseruari opinio est: inthronizato enim Episcopo omnes quicumque Ecclesiæ beneficia tenent, ante pedes Episcopi inthronizati ea deponunt, in potestate Episcopi, quem honorare antiquo beneficio, vel quem expoliare malit, relinquentes. Neque timore est aliquis, vel qui rebus Ecclesiasticis ab Episcopo nudatus fuerit, per fortitudinem sæcularium, nisi supplex & humilis, ad eas aspirare possit. Inter nos autem, si de iustitia sanctæ Dei Ecclesiæ Episcopus vel mutire præsumpserit, non solum de rebus, sed de vita illius, quemlibet profanum minas inferre vilissimum est. Tu ergo eo tempore querimoniari cœpisti, de qua Psalmista canit: *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, &*

[Margin: Act. 8. — Act. 13. — 2. Tim. 4.]

apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem. Et de quo Salomon dicit: *Cum impij sumpserint principatum, gemet populus.* Rursus quoque considero quod idem dicit Salomon. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui prouocat iras, producit discordias.* Itaque dum desideramus lac vel butyrum elicere, forte dicemur à quibusdam iras & discordias prouocare. TH. Paulo Apostolo Hierusalem profecturo: *Agabus Propheta zona illius sibi manus & pedes alligauit, dicens: Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt Iudæi in Hierusalem: Quod cum audissent fideles, qui præsentes erant, flentes & lugentes dicebant Paulo, ne ascenderet Hierusalem. Sed Paulus respondit, dicens: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed & mori paratus sum in nomine Domini mei* IESV *Christi.* Certe Christus est veritas. Quæ pars ergo constantiæ in nobis inuenietur, si pro veritate verba calumniatorum metuimus? quid in verberibus, quid etiam in ipsa morte faceremus? Patres nostri per arctam & angustam viam transierunt, nos autem, qui amplam & latam diligimus, aduersariis veritatis resistere non præsumpsimus. Verumtamen quia ista in quorundam persona per excessum locuti sumus, longe à proposito digressi videbimur, cum propositum sit de priori statu Ecclesiæ. Nam ab ipso incipientes, vsque ad vltima tempora mundi, mediis speciebus qua postpositis, iam peruenimus. Succingendus est ergo sermo hodiernus, vt ad loquendum de reliquis, nocturna intercapedine vires reformentur.

Prou. 29. Prou. 30. Act. 21. Ioan. 14

IESSE AMBIANENSIS Episcopi Epistola.

SACRIS *Sacerdotibus, & in Christo omnibus Diœcesi nostra digne militantibus,* Iesse *humilis Episcopus in Domino salutem.*

Quoniam quidem dubitor me loqui vobis, cum sæpius fore cognosco de diuinis libris ac sacerdotalis officij mysteriis, quamquam mihi causa impossibilitatis impediat ac absentiæ. Ideo breuiter vobis, in quantum temporum adfuit spatium, qualiter à sacri baptismatis vnda per gradus peruenire debeatur, scribendo perstrinximus. Scio vero quia multi ex vobis eius bene nouerunt mysteria, sed propter exercitationem & ignorantiam, causam conuenientius mihi omnibus scribere videtur, quam aliquibus insciis. Vnde & rogo, vt vos qui capaciores sensu estis, instruatis & adhortatis eos, qui minoris sunt ingenij, in spiritu mansuetudinis ac lenitatis, vt intente quæ in eo latent, perquirant, & ad fructum sanctæ Dei Ecclesiæ, Domino fauente, inquisita perducant, semper culmen beatitudinis vestræ prospere in Christo opto valere.

De Catechumeno primo dicendum est, quia ipse primus efficitur in ordine.

Int. Catechumenus cur dicitur; & in qua lingua dicitur, & quo tempore vel ordine efficitur si necessitas non interuenerit, & quot personæ quales ve ad illud ministerium sunt adhibendæ:

Resp. Catechumenum ab audiendo vel ab instruendo dictum fore legitur. Audit namque doctrinam percipiendæ fidei, instituiturque qualiter ad sacri baptismatis lauacrum peruenire debeat; vnde & auditor vel instructus interpretatur: Catechumenus enim Græce; Latine audiens, siue instructus dicitur. Fit enim hoc tempore, vel isto ordine; Tertia hebdomada in Quadragesima, II. Feria. hora tertia veniant ad Ecclesiam; & antequam ad Ecclesiam introeant; scribantur nomina infantum, & eorum, qui eos suscepturi sunt, ab Acolito; & tunc vocentur ipsi infantes ab Acolyto infra Ecclesiam, nominentur per ordinem, sicut scripti sunt; & statuantur masculi seorsum ad dexteram partem, fœminæ vero seorsim in læua: & tunc veniens Presbyter faciat in singulorum frontibus crucem cum pollice, ita dicendo; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Deinde ponat manum super capita eorum, dicens orationem hanc: *Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi*, & reliqua. Deinde vertens se ad fœminas faciat similiter; Et postea benedicat Sal hoc modo; *Exorcizo te creatura salis*, & reliqua. Benedicto autem sale; mittat de ipso in ore infantum per singulos, ita dicendo: *Tu ille accipe sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam.* Hoc expleto exeant foras Ecclesiam expectantes horam quando reuocentur. Interim incipiat Clerus Antiphonam ad introitum eo die pertinentem; qua finita, dicat Sacerdos; *Oremus; Da, quæsumus Domine, electis nostris*, & reliqua: finita hac oratione, sedeat in sede sua; Deinde dicat Diaconus, *Catechumeni procedant.* Et vocentur infantes ab Acolyto per nomina, & ordinem, vt scripti sunt, & statuantur sicut prius. Postmodum vero admoneantur à Diacono dicente: *Orate electi, flectite genua.* Et postquam orauerint, dicat: *Leuate; Complete orationem vestram in vnum, & dicite Amen*; & respondeant omnes, *Amen.* Item dicat Diaconus; *Signate illos; Accedite ad benedictionem;* & signent ipsos infantes in frontibus eorum Susceptores viri vel fœminæ, id est, patrini vel matrinæ de pollice dicendo; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; & imponat primum manum super viros, postea super fœminas, dans orationem excelsa voce his verbis: *Deus Abraham*, & reliqua. Post hæc vertens se ad fœminas faciat sicut supra & dicat; *Deus cæli, Deus terræ*: & iterum annunciet Diaconus dicens: *Orate electi,* & reliqua: Et signent Susceptores vt prius, & sequatur Acolytus alius faciens per omnia sicut ille primus fecit, & dicat: *Audi maledicte Satana,* super viros primum, deinde super fœminas separatim, & iterum dicat: *Deus Abraham, & Deus Isaac*, & reliqua, Item dicat Diaconus vt orent electi, & signent eos Susceptores vt prius. Post hæc tertius Acolytus faciat sicut illi priores fecerunt, dicendo orationem hanc: *Exorcizo te immunde spiritus*, primum super viros, postmodum super fœminas; qua expleta, iterum annunciet Diaconus, vt orent electi, &c. & faciant sicut prius: His omnibus expletis, veniens Presbyter faciat crucem in frontibus singulorum, ponetque manum super capita eorum data oratione hac: *Æternam ac iustissimam pietatem tuam*, & reliqua. His vero consummatis, iterum admoneantur à Diacono ita: *Orate electi, flectite genua,* Et post pusillum dicat: *Leuate; Complete orationem vestram in vnum, & dicite, Amen: Signate illos, state cum disciplina & silentio.* Post hæc reuertatur Sacerdos ad sedem suam, & lectio legatur, & psallatur graduale pertinens ad ipsum diem. Postea vero taliter à Diacono admoneantur, *Catechumeni recedant; Si quis Catechumenus est, recedat*: Omnes Catechumeni recedant foras, & egrediantur electi expectantes pro foribus, quo vsque completa fuerit Missa. Deinde legatur Euangelium, & offerantur oblationes à parentibus, vel à Susceptoribus infantum, & ponat ipsas Sacerdos super Altare, dicatque orationem hanc secrete: *Miseratio tua, Deus, ad hæc percipienda mysteria*; & reliqua. At vbi dixerit; *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum*, recitentur nomina virorum, ac mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt. Item in fractione; *Hanc igitur oblationem expletam*, recitentur nomina virorum electorum, & postquam recitata fuerint, dicat, *hos fonte baptismatis innouandos*, & reliqua, Missa finita communicent omnes

præter ipsos infantes. Iterum denunciet Presbyter, vt in ipsa hebdomada, feria, quali voluerit, veniant omnes ad Ecclesiam, qualem eis denunciauerit. Venientes autem ad Ecclesiam condictam faciant scrutinium alterum per ordinem, sicut prius fecerunt. Similiter faciendum est de scrutinio tertio, quarto, vel quinto in illis tribus hebdomadis vsque in quarta feria ante palmas. In eadem autem IIII feria sequente veniant ad Ecclesiam, qualemcumque dixerit, & tunc faciant scrutinium sextum per omnem ordinem, sicut illa quinque fecerunt, vsque ad locum, vbi dicit, *Signate illos, state cum disciplina & silentio*, & legatur in aurium apertione lectio Isayæ Prophetæ, *Hæc dicit Dominus, audite audientes me, & comedite bonum*, vsque, *quoniam multus est ad ignoscendum.* Sequitur Responsorium; *Venite filii.* Item alia lectio ad Colossenses, *Fratres, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*, vsque, *gratias agentes Deo Patri per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Sequitur responsorium, *Beata gens*; Post hæc procedant quatuor Diaconi de Secretario cum quatuor libris Euangeliorum, præcedentibus eis duobus candelabris, cum thuribulis & incenso, & ponant ipsa Euangelia in quatuor angulis altaris, & antequam aliquis eorum legat, tractet Presbyter his verbis, *Aperturi vobis; filij charissimi, Euangelia, id est, gesta diuina, prius ordinem insinuare debemus, quid est Euangelium, & vnde descendat, & cuius in eo verba ponantur, & quare quatuor sunt qui hæc gesta scripserunt, vel qui sunt*, & reliqua ad hæc pertinentia. Tunc iterum dicat, *Ideo præmisimus, ne sine huius ordinis ratione stuporem mentibus vestris relinqueremus: & quia ad hoc venistis, vt aures vobis aperiantur, ne sensus vester hebetando obtundatur.*

Hoc facto iterum adnunciat Diaconus dicens, *State cum silentio, & audientes & intendite*; Tunc accipiens vnus ex Diaconibus de angulo Altaris, qui est ad læuam primus, librum Euangelij, præcedentibus duobus candelabris cum thuribulis, ascendat ad legendum, & legat, *Initium sancti Euangelij secundum Matthæum*, vsque, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quo lecto suscipiat ab eo Subdiaconus Euangelium in linteo, & deferat in Secretarium. Deinde tractet Presbyter his verbis, *Filij charissimi, ne moram vobis innectamus, exponere vobis cupimus, quam rationem, figuramque vnusquisque Euangelista in se contineat:* Et exponat singulorum Euangelistarum rationem, & cur ita figurentur. Expleta autem narratione Sacerdotis, iterum anounciet Diaconus; *State cum silentio, audientesque intendite*, & legatur *Euangelium secundum Marcum*, vsque ad locum vbi dicit; *Ego vos baptizo aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto*; & similiter exponat sacerdos de Marco, sicut de Matthæo. Post hæc iterum annunciet Diaconus sicut supra, & legat, *Initium sancti Euangelij secundum Lucam*, vsque, *parare Domino plebem perfectam*; & faciat Sacerdos verbum de Luca sicut fecit de aliis. Iterum autem adnuncietur à Diacono, vt supra, & legat, *Initium sancti Euangelij secundum Ioannem*: vsque, *plenum gratiæ & veritatis*: & exponat Sacerdos de Ioanne, sicut exposuit de aliis.

Post hanc iterum vero expositionem, adnuncietur eis à Sacerdote præfatio Symboli his verbis, *Dilectissimi nobis, accepturi sacramentum baptismatis*, & reliqua; qua expleta, tunc accipiat Acolytus vnum ex ipsis infantibus masculum, tenens eum in sinistro brachio, ponatque manum super caput eius, dicatque Presbyter, *Adnuncia fidem illorum, & qualiter confiteantur Dominum* IESVM *Christum*; & dicat Symbolum decantando. Hoc finito faciat alius Acolytus super vnam de fœminis. Deinde subsequatur Presbyter his verbis, *Hæc summa est fides nostra, dilectissimi nobis*, & reliqua. Et postea adnuncietur à Diacono, vt supra; & tunc dicat Presbyter Orationem Dominicam ita; *Dominus & Saluator noster*, & reliqua. Diximus autem superius, quæ vel quot personæ ad hoc opus deputatæ sunt, scilicet specialiter: quatuor sunt personæ, secundum numerum librorum quatuor Euangeliorum, vnde paulo superius mentio facta est, exceptis Subdiaconibus, reliquisque ministris, ac cæteris. Sunt enim ibi susceptores infantum, Acolyti, Subdiaconi, ac Presbyteri. Catechumenus enim mysterium fidei iam accipiens, signaculum Crucis in fronte portans, in Christum se credere profitetur, sed nondum lauacri vnda regeneratus corpus & sanguinem Domini meretur percipere. Vnde bene beatus Augustinus in sermone Euangelico ex verbis Domini ad Nicodemum ait; *Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Ipsis ergo se credit* IESVS, *qui nati fuerint denuo. Ecce illi qui crediderant in eum, &* IESVS *non se credebat eis; tales sunt omnes Catechumeni, ipsi iam credunt in nomine Christi, sed* IESVS *non se credit illis. Intendat & intelligat charitas vestra, si dixerimus Catechumene; Credis in Christum; respondet, Credo, signat se, iam Crucem Christi portans in fronte, & non erubescet de Cruce Domini sui. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum; Manducas carnem filij hominis, & bibis sanguinem filij hominis? nescit quid dicimus; quia* IESVS *non se credit ei.*

De Competente.

Int. Inter Catechumenum, & Competentem quæ differentia est?

Resp. De Catechumeno, quid sit, super satis dictum est: Sed de Competente, quid sit, breuiter est dicendum. Competens est, qui diligenter instructus de fide, & attente de credulitate imbutus, post traditam sibi doctrinam Christianitatis, & mysterium Symboli, & traditionem orationis Dominicæ, petit & rogat, vt possit consequi mysterium sacri baptismatis, & gratiam Christi, & particeps fieri sanctæ Dei Ecclesiæ, & in seruitio cum fidelibus esse Christi: vnde & à petendo competens vocatur.

De Sale.

Int. Cur Catechumenus accipit Sal?

Resp. Adhibetur ergo Sal, & mittitur in ora Catechumenorum, videlicet Sal condimentum omnibus cibis præbet pulmentum, fatuitatem expellit, auiditatemque excitat, & appetitum in omnibus cibis facit. Ex illo enim totus victus delectatior & suauior efficitur gustu hominis. Congruenter autem Sal ad officium Christianitatis adsumitur, de materia enim aquæ conficitur, & vndecumque sit, in aqua resolui potest, sicut enim in lege mel in sacrificiis prohibetur offerri, & Sal per omnia iubetur, ita oblaturis Domino, & hostia effecturis Sal tribuitur, vt omnia, quæ ad Christi honorem cultumque offerimus, Sal rationis ac discretionis sine oblatione mellis semper habeant. Ideo & in Catechumeni Sal corpore vere Sacerdos imponit, vt significet Sale diuinæ sapientiæ fluxa ac voluptuosa eius peccata ab illo depelli, & omnia eius eloquia condita esse ac perornata, Paulo attestante, qui ait, *Sermo vester in gratia Dei Sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.* Sal ergo in igne exilit: nam quamuis sit igneum, ignem tamen fugit, naturam enim sequitur; quia ignis & aqua inimica sunt sibi. Bene autem baptizandis, & ab igne æterno elapsis, Sal tribuitur, vt relicta vanitate, ex qua infideles liberos suos per ignem lustrantes dæmonibus offerebant, ad aquam regenerationis perducti oblatique Deo ac consecrati, infidelitate reiecta, efficiantur filij Dei, & Christum qui est pax vera, suscipiant, dicente ipso, *Sal habete in vobis*, id est, pacem: Et, *Vos estis Sal terræ.* Bene autem conuenit, quod Sacerdotes Dei, qui sunt condimentum populi, Sal ad officium Christianitatis adponunt,

vt vitijs exclusis paruulos Sale sapientiæ bonæ conditos Deo pacificos offerat.

Exorcizatur siue Catechisatur infans.

Inter. Exorcismus cuius lingua est, & quid interpretatur? & quid est Catechizare?

Resp. Exorcismus Græce, Latine coniuratio siue increpatio dicitur. Increpatio, *Nec te latet Satana imminere tibi pœnas*, & reliqua. Coniuratio simul & increpatio damnati & damnandi, *Da honorem Deo viuo, da honorem* IESV *Christo, da honorem Spiritui sancto, & recede ab hoc, & ab hac famula Dei, in nomine Domini nostri* IESV *Christi*, & reliqua. Est enim contra Diabolum dictum, vt discedat, & relinquat quem tenebat, sicut in Zacharia Propheta manifestatur dicendo, *Ostendit* IESVM *Sacerdotem stantem coram Angelo Domini, & Sathanas stabat à dextris eius, & dixit Dominus ad Sathan; Increpet Dominus in te Sathan, qui elegit Hierusalem*, Hoc est, Exorcismus, increpare & coniurare. Non enim creatura Dei in illis, qui non sunt, exorcizatur, sed malignus spiritus, vt relinquat Dei creaturam.

De Exsufflatione.

Ideo enim & exsufflatur, non homo, sed sub quo sunt omnes qui sub peccato nascuntur, quia ipse est auctor mali & princeps peccatorum. Recte enim exsufflatur, & proiicitur, *tanquam puluis à facie venti*, confusus in sua nequitia Diabolus, vt eo fugato homo renouandus, & viuificandus, calefactus flatu diuino, perducatur ad gratiam Christi, & in illo Christo Deo nostro dignus patefiat introitus. Catechizare enim est docere, vel castigare, vnde & Apostolus, *Communicet autem is qui Catechizatur verbum ei, qui se Catechizat, in omnibus bonis.* Catechizatur qui discit, Catechizat qui docet. Præcipit enim, vt doctori adhæreat, & communicet discipulis.

Int. Quare de Saliua tanguntur nares & aures?

Resp. De Saliua tangitur ante baptismum homo, vt postea ad baptismum perducatur; Dominus autem quando cæcum à natiuitate inluminauit, *expuit in terram, & fecit lutum de saliua sua, & vnxit oculos cæci*, & misit illum ad piscinam, & lauit, & vidit. *Quando inunxit*, Augustino dicente, *Catechumenum fecit. Quando lauit, baptizatus est in Christo. Inunctus erat, & non videbat: lauit, & vidit. Quando enim in seipso quodammodo baptizauit, tunc inluminauit sputum enim, quod ex capite suo descendit, Dominus terræ commiscuit, vt diuinam eius naturam, quæ ex Deo est, atque humanam, quæ ex hominibus adsumpta est, designet, vt Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.*

Tanguntur autem nares, & aures digito, vt dona sancti Spiritus hi, qui à via veritatis aberrauerant, audiant, & corde percipiant: & percepta, quam audierunt, in fide perdurent, vt dicere possint, *In auditu auris obediuit mihi*; vnde & Dominus. *Qui habet aures audiendi, audiat*, id est, qui habet intellectum intelligendi, intelligat, *Nam & Dominus surdum & mutum adprehendens de turba seorsum; misit digitos suos in auriculas.* Prima salutis ianua, est infirmum, apprehendente Domino, seorsum de turba educere, id est, de conuersatione gentili ad fidem prouocare. Digitos in auriculas mittit, cum ad suscipienda & intelligenda per dona sancti Spiritus verba salutis, aures cordis aperit. Nares etiam tanguntur, vt per inuocationem sancti Spiritus odorem bonorum operum, reiectis operibus scurrilibus & fœtidis, percipiant, & delectatione florum virtutum, adspirante Domino, frui mereantur. Vnde & ad Catechumenum faciendum preces funduntur ita, *Aperi ei Domine ianuam misericordiæ tuæ, & signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, atque ad suauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deseruiat, & effectis, secundum Apostolum, Christi bonus odor dicamus, in odore vnguentorum tuorum curramus.*

De vnctione pectoris & scapularum ex oleo.

Tangitur etiam de oleo sancto pectus, vt immundo spiritui prohibeatur introitus. Scapulæ enim eodem signantur oleo, vt vndique munitione Crucis firmetur, & ad gratiam Christi perductus, participare mereatur & adhærere Christo Domino, *qui vnctus est oleo lætitiæ præ participibus suis.* Inter scapulas tangitur, vt consecratus humerus cum scapulis totum se subiiciat potestati Dei & dominationi, *cuius principatus & regnum super humerum esse eius* ostenditur: vnde & Crucem suam ipse portauit, habens *nomen super omne nomen*: Namque & nos humerum & ceruices inclinemus, credentes, & adorantes illum, cui omne genu flectitur. Portemus enim Crucem, & sequamur illum, *quia iugum eius & onus suaue & leue est*, vt audire credentes mereamur, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Perducamus ad orationem opera nostra, ad fidem cum desiderio currentes; quia in humero & scapulis opus, in pectore ratio intelligitur: fides enim quæ capitur auditu, corde creditur, ore *promittitur ad salutem, secreto mentis est conlocanda, & ipsis est nostri pectoris vitalibus committenda. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vnde & Dominus tetigit linguam muti, & loquitur ac confitetur mutus: linguam quippe muti Dominus tangit, cum ad confessionem fidei ore Catechizatorum instruit, dicente ipso; *Dilata os tuum, & ego adimplebo illud*: Hoc est, tu dilata con fitendo, & ego illud ipsius confessione replebo Sacramento, sermone mystico ditabo, vt & tu respondere possis, *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.*

De abrenunciatione Diaboli, & pompis eius.

Prælibato hoc ordine officio, perducitur infans ad baptismi sacramentum, & interrogatur de credulitate Christi, & abrenunciatione Diaboli; pompas autem, quas, Diabolo nunciante & suadente, susceperat homo, abrenunciat, vt reiectis Diaboli operibus & vitiis veternosis, renouatus expolietur, qui pannis sordidis & conscissis mundatur, induatur albis & nouis vestibus, currat cum desiderio ad fontes. Pompæ Diaboli sunt vitia mortifera, quæ primo homini, ipso consentiente, immisit, id est, superbia, vana gloria, & cætera, quæ ad omnes homines peruenerunt, secundum Apostolum, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.*

Ad imaginem quippe Dei homo factus, & indutus stolam mortalitatis, quam consentiendo Diabolo admisit, nunc abiiciat: imaginem eius vt habeat, mundatur, cælestem, vnde & Apostol. dicit, *Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cælestis.* Sicut enim nummus habet imaginem Imperatoris mundi, sic qui facit opera rectoris tenebrarum portat imaginem eius, quam reiiciunt omnes in Christo baptizati, vt Christi portent imaginem vexillo Christi signati Iste est enim fons sacri baptismatis, vbi hœdi descendunt fœtidi & cœnosi, & accedunt agni immaculati. De hoc enim baptismate Apostolus loquitur; *Quicumque enim baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum.* Mori enim oportet nos peccato, vt possimus consepeliri cum Christo. Mortuo enim sepultura debetur. Qui enim viuit peccato, consepeliri non potest Christo. *Expoliantes ergo*, secundum Apostolum, *veterem hominem cum actibus eius*, abrenunciando pompis, & operibus malis, *induamus nouum, qui secundum Deum creatus est* in iustitia & sanctitate; *quia semel vetus homo noster simul crucifixus est, vt*

Marginalia: Zach. 3. — Psal. 1. — Gal. 6. — Ioan. 9. — Ioan. 1. — Psal. 17 — Matt. 8. — Marc. 7 — Cor. 2 — Psal. 44 — Ioan. 19 — Philip. 2 — Matth. 11. — * f. promittur. — Rom. 10 — Marc. 7 — Psal. 80 — Psal. 118 — Rom. 5. — 1. Cor. 15 — Rom. 6. — Coloss. 3. — Ephes. 4. — Rom. 6.

[Matth. 27.] *destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Dominus autem in sepulchro nouo sepultus, & in syndone munda obuolutus est; & quicunque consepeliri vult Christo per baptismum, abiecta vetustate & immunditia, mundatus & nouus induatur syndone noua, Apostolo præcipiente, [Ephes. 4] *Renouamini spiritu, nouitate mentis vestræ; & induite nouum hominem.* Ibi etiam nominatur infans, sicut Ioannes in Apocalypsi dicit, [Apoc. 2.] *& dabo illi calculum candidum*, id est, corpus baptismo candificatum, & in resurrectione incorruptionis gloria refulgens, [1. Ioan. 3.] *& in calculo nomen nouum scriptum, vt filij Dei nominemur & simus.* Vnde & eidem Ioannes; [Apoc. 3.] *Scribam super eum nomen nouum*, hoc est nomen Christianum, vt à Christo Christianus deinceps vocetur, & renatus, nouus qui effectus, omissis vitijs & pompis Diaboli, nomen nouum, id est, Christianum portet, & opera sequatur.

De symbolo.

Symbolum itaque Græce, Latine signum vel cognitio interpretatur. Discessuri Apostoli ad euangelizandum gentibus, hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Continet autem credulitatem Trinitatis, & vnitatem Ecclesiæ, ac omne Christiani dogmatis sacramentum; quod Symbolum fidei & spei nostræ non scribitur in charta & atramento, *sed in tabulis* [2. Cor. 3.] *cordis carnalibus.* Sicut namque in bono Symbolum Ecclesia tradit nostræ saluti profuturum, ita infideles in malo, testante in Apocalypsi Ioanne Apostolo, *Qui ha-* [Apoc. 13] *bet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis e-* [2. Thess. 2.] *ius*, id est, *mysterium iniquitatis*, mercandi aut vendendi in vnitate malitiæ licentiam habet. Hoc signum Antichristi est, in quo totus Satanas habitaturus est corporaliter: Aliis enim dicitur non licere vendere aut emere, nisi illo charactere signatis. Symbolum autem sacramenti diuini nobis commissum, ideo non est committendum chartis, non scribendum litteris: quia chartæ & litteris: magis curam quam gratiam proloquuntur. Vbi vero Dei gratia, donatio diuina consistit ad pactum fides & altitudo cordis sufficit ad secretum; vt hoc salutis Symbolum, hoc in te semper pactum testis falsus ignoret. Symbolum enim inter duos firmat semper geminata conscriptio, & in stipulationibus cautum reddit humana cautela, ne vi subrepat, neque decipiat perfidia contractibus semper inimica, sed hoc inter homines, inter quos fraus aut à quo facta est lædit: inter Deum vero & homines Symbolum fidei sola fide firmatur: non litteræ, sed spiritui creditur, quia diuinum creditum humanam non indiget cautionem. Deus vero facere fraudem nescit, pati non potest. Sed forte dicitur, qui falli non potest cur exigit placitum? quid Symbolum? quærit illud propter te, non propter se: non quia ille dubitat, sed vt tu credas. Quærit Symbolum; quia te modo non ad rem conuocat, sed ad fidem; & per præsens placitum, futurum pertrahit ad lucrum, ex fide in fidem.

De trina mersione.

Abrenunciatis operibus Diaboli, & mysterio credulitatis accepto, mergitur infans in aqua, & baptizatur: Baptismus Græce, Latine tinctio interpretatur; sub Trinitatis enim designatione fit, id est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, dicente Domino ad Apostolos, [Matth. 28.] *Ite, docete, omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Conuenienti ergo ratione sub trina mersione homo ad imaginem reuocatur sanctæ Trinitatis, qui ad eandem Deo cooperante in principio est creatus; & bene qui lapsus est in mortem tertio, gradu delicti, id est consensu, tertio à lauacro receptus recuperetur ad vitam. Quod autem per aquam baptismus datur, hæc ratio est; voluit enim Dominus, vt res illa inuisibilis per congruens, & profecto contractabile, & visibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus. Inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cœlis, & medicatis aquis sanctificat easdem, ex ipso accipiunt vim purgationis, vt in eis caro & anima delictis coinquinata mundetur. *Baptismus enim talis est* (sicut Augustinus dicit) *qualis ille est, in cuius potestate datur; non qualis ille est, per cuius ministerium datur: non enim nocet si aliquis a malo homine baptizatur, si tamen* recte baptizetur.* [*rite.]

De vnctione capitis.

Baptizato autem facit Presbyter signum Crucis de chrismate cum pollice in verticem capitis. Sicut enim in baptismo peccatorum remissio datur, ita per vnctionem sanctificatio Spiritus adhibetur: Nam & in veteri testamento Sacerdotes, & Reges vngebantur, sicut Aaron à Moyse vnctus est, & Dauid à Samuele. [Leuit. 8. 1. Reg. 16.] In capite vngitur; quia ex ipso omnes sensus procedunt, & ipse sensus capit. Nam mulier super caput IESV vnguentum fudit Nardi pistici, vt fidem Ecclesiæ & gentium [Marc. 14.] ostenderet per vnctos chrismate salutis.

De velamine capitis.

Pannus ornatus super capist baptizati ponitur. Sæpe enim nomine capitis mens solet intelligi; vnde & in Apocalypsi, [Apoc.] circumamicti vestimentis albis in capitibus suis coronas aureas habere dicuntur, id est, bonis operibus induti perenni memoria mentis gaudia superna quærant. Iam tunc equus albus effectus, & sessor [Apoc. 6.] super illum habens arcum, id est, Ecclesiæ, quæ super niuem gratia baptismi dealbata est, Dominus præsidet, vexillum crucis habens.

De Confirmatione Episcopi.

Post hæc confirmet eum Episcopus in fronte de chrismate. Ideoque manus impositio fit, vt per benedictionem aduocatus inuitetur, Spiritus sanctus super eos descendat, iuxta exemplum Apostolorum; [Act. 8.] *Cum audiuissent*, inquit, *Discipuli, qui Hyerosolymis erant, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum, & Ioannem, qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum; nec dum enim in quenquam illorum superuenerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini nostri Iesu Christi; tunc imponebant manus super eos & accipiebant Spiritum sanctum.* Sciendum est, quod Philippus, qui Samariæ euangelizabat, vnus de septem fuerit: si enim Apostolus esset, ipse manum imponere potuisset vt acciperent Spiritum sanctum: hoc enim solum Pontificibus debetur. Nam Presbyteri cum baptizant, chrismate baptizatos vngere licet; sed si ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis Episcopis debetur, quo tradat Spiritum Paraclitum baptizatis: *Postquam enim ascendit Dominus de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritum* [Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan.] *sanctus tanquam columba descendit super eum.* Hoc mysterio expleto, si seruauerit fidem Christianus, profecto beatus erit. *Beatus*, in Apocalypsi, *qui habet partem in* [Apoc.] *resurrectione prima.* Resurrectio prima est in baptismo, [Col.] vt Apostolus dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Non autem solum Episcopis, & Presbyteris dictum est, sed omnes qui seruauerint, quo renati sunt, Christi dicuntur, propter mysticum chrisma, & Sacerdotes nominantur, quia membra sunt Christi, qui est Sacerdos summus & sanctus: de illis ait Petrus, [1. Pet. 2.] *Gens sancta, regale sacerdotium.* Fidelis vero Christianus à Christo dicitur, si nomen factis sequatur: fidelis est qui veraciter credit id quod non videt, & inde dicta est

fides ſi fiat quod dictum eſt aut promiſſum inter duos. Inter duos enim placitum factum, & ea, quæ ſunt inter Deum & hominem, veræ fidei ſunt, ideo quod promiſit homo ſeruare debet: quia & Deus quod promiſit homini, ſi promiſerit ſeruare, non fraudabit.

De confirmatione corporis & ſanguinis Chriſti.

Nouiſſime autem corpore & ſanguine Chriſti confirmatur infans, vt eius poſſit eſſe membrum, qui pro eo paſſus eſt & reſurrexit, ipſo Domino atteſtante, qui dixit, *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: quia caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Vnde & Auguſtinus; *Si*, inquit, *in Chriſti corpore homo fuerit, accipiat Chriſti Spiritum. Sicut autem corpus noſtrum ſine ſpiritu viuere non poteſt, ſic non habet ſpiritum vita, niſi qui in Chriſti corpore fuerit munitus: ideoque qui vult viuere accedat, credat, viuat Deo: Deo incorporetur, vt viuificetur.*

Ioan. 6.

Item traditio baptiſterij.

Primo Paganus poſtea Catechumenus fit. Accedens ad baptiſmum renunciat maligno ſpiritui, & omnibus damnoſis eius pompis. Exſufflatur etiam, vt fugato diabolo, Domino præparetur. Exorcizatur, id eſt, coniuratur malignus ſpiritus, vt exeat, & excedat, dans locum Deo vero. Accipit Catechumenus ſalem, vt putrida & fluxa eius peccata ſapientiæ ſale, diuino munere, mundentur. Deinde Symboli Apoſtolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à priſco habitatore derelicta fide ornetur, & præparetur habitatio Dei. Tunc fiunt ſcrutinia, vt experiatur ſæpius quam firmiter poſt renuntiationem Sathanæ ſacra verba data fidei radicitus corde defixerit. Tanguntur & nares, vt quamdiu ſpiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo in ſanctæ Crucis ſigno, vt Diabolo claudatur ingreſſus. Signantur & ſcapulæ, & vndique muniuntur: item in pectoris & ſcapulæ vnctione ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeuerantia; & in nomine ſanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizatus: & recte homo, qui ad imaginem ſanctæ Trinitatis conditus, per inuocationem eiuſdem ſanctæ Trinitatis, ad eandem renouetur imaginem, & qui tertio peccati gradu, id eſt, operatione, cecidit in mortem (cecidit homo per cogitationem, delectationem, & operationem) tertio eleuatus de fonte per gratiam reſurgat ad vitam. Tunc albis induitur veſtimentis, propter gaudium regenerationis, caſtitatem vitæ, & Angelici ſplendoris decorem. Tunc ſacro chriſmate caput perungitur, & myſtico tegitur velamine, vt intelligat diadema regni, & ſacerdotij dignitatem portare iuxta Apoſtolum; *Vos eſtis genus regale, offerentes voſmetipſos Deo viuo, hoſtiam ſanctam, Deo placentem.* Sic corpore & ſanguine Dominico confirmatur, vt illius ſit membrum, qui pro eo paſſus eſt, & reſurrexit. Nouiſſime per impoſitionem manus à ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accepit, vt roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis qui fuit in baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ. Videtis quam fideliter ſeu rationabiliter & prudenter hæc omnia nobis tradita ſunt obſeruanda. *Nemo Catholicus contra Eccleſiæ auctoritatem; Nemo ſobrius contra rationalem conſuetudinem; Nemo fidelis contra pietatis intelligentiam certare audet*; & ne Schiſmaticus inueniatur, & non Catholicus. Sequamur pro baptiſmate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, vt vnde Catholicæ fidei initia accepimus, inde exemplaria ſalutis noſtræ ſemper valeamus; ne membra à capite ſeparentur ſuo, ne clauiger regni cœleſtis abiciat quos à ſuis diuerſos intelligit doctrinis.

1. Petr. 2.

S. Aug. lib. 4. de Trin. cap. 6.

*Item de baptiſmo officioque eius, * auctoribus nominatim venientium ad fidem.*

Oratio, quaſi oris ratio, eo quod ex ore & ratione procedit, *ſuper electos*, id eſt, aduocatos, qui de gentilitate ad Chriſti fidem veniunt. *Catechumenus* Græcum eſt, audiens interpretatur ſiue * docens. *Omnipotens*, quia omnia poteſt, & omnia creauit abſque malo & mendacio; *ſempiterne Deus*, id eſt, quia ſempiternus eſt, nec initium habet, nec finem; *reſpicere dignare*, id eſt, reſpectum miſericordiæ habere; *ſuper hunc famulum, quem ad rudimenta*, id eſt, ad nouitatem, *fidei vocare*, id eſt, appellare, *dignatus es; cæcitatem*, id eſt, obſcuritatem, vel tenebroſitatem, *cordis expelle*, proiice, *diſrumpe*, frange, *laqueos*, id eſt, captiones vel muſcipulam, *Satanæ*, Græcum eſt, quod interpretatur aduerſarius, quia ſemper eſt aduerſum nos colligatus, id eſt, conſtrictus; *aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ*, id eſt, oſtium fidei, ſicut Veritas in Euangelio ait, *Ego ſum oſtium, ſi quis per me introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet; vt ſigno ſapientiæ tuæ*, id eſt, vt ſignum Chriſti poſſit intelligere, quomodo incarnatus, quomodo natus, quomodo paſſus, quomodo crucifixus, quomodo mortuus, quomodo deſcendit ad inferna, quomodo ſurrexit, quomodo in cœlum aſcendit; *imbutus*, id eſt, inſtructus, vel doctus, *ſpurcitiis*, id eſt, inſpurcitiis vel inquinamentis, quæ ad cupiditatem ſæculi pertinent, *careat*, habere non velit; *præceptorum*, id eſt, mandatorum, *lætus*, id eſt, hilaris, clarus, vel lætabundus, *tibi in Eccleſia tua deſeruiat*: Eſt & alia Eccleſia hæreticorum, quia non debet credere in Eccleſia Hæreticorum, ſed in Eccleſia Catholicorum: Propterea dixi, *in Eccleſia tua deſeruiat, & proficiat*, ſiue creſcat, *in fide*, vel in augmentum faciat; *de die in diem*, omni tempore vitæ præſentis, *vt idoneus*, id eſt, dignus, vel ſufficiens, ſiue purus, *efficiatur*, id eſt, poſſit accedere, id eſt, appropinquare, *percepta*, id eſt, receptæ, *medicina*, id eſt, ſanitatis; *Exorcizo te*, id eſt, increpo te, vel coniuro te; *ad tutelam*, id eſt, ad defenſionem vel ad ſanitatem; Sal elementum eſt, & poſtquam ſanctificatum eſt, fit Sacramentum, *in nomine Dei Patris omnipotentis*, id eſt, per Patrem, *& in charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti*, id eſt, per Filium, *& in virtute Spiritus ſancti*, id eſt, tota Trinitas. *Exorcizo te per Deum viuum*, id eſt, ad comparationem Deorum mortuorum; *& per Deum verum*, id eſt, ad comparationem falſorum.

* f. diſcens.

Ioan. 10.

Primam enim adnotationem percunctare curauimus: quid ſit Canon, vel quid contineatur in Canone? Canon autem Græce, Latine Regula nuncupatur: Regula autem dicta eo quod recte ducit, nec aliquando ſine rectitudine ſtat. Canones tempore Conſtantini Imperatoris exordium habere cœperunt, propter Arium blaſphemantem Dei filium, nam coæternum Patri eſſe denegabat; ex qua re in Nicæa ciuitate Prouinciæ Bithiniæ CCCXVIII. Epiſcopi conuenerunt, ibique fidem Catholicam expoſuerunt, quam tota complectitur Eccleſia. Secunda Synodus Conſtantinopoli congregata eſt CL. Epiſcoporum ſub Theodoſio ſeniore contra Macedonium Spiritum ſanctum Deum eſſe negantem. Tertia Synodus Epheſina prima CC. Epiſcoporum ſub iuniore Theodoſio aduerſus Neſtorium, qui duas perſonas in Chriſto aſſerebat. Quarta Synodus Calcedonenſis DCXXX. Epiſcoporum ſub Martiano Imperatore aduerſus Eutychen verbi Dei & carnis vnam naturam pronunciantem. Iſtæ igitur quatuor Synodi principales, quaſi quatuor flumina paradiſi emanant, & irrigant corda fidelium. Si qua vero alia Concilia ſanctorum Patrum, pro neceſſitate cauſarum, plena Spiritu Dei in vnum congregata ſanxerunt, cuſtodienda & recipienda. Synodus Græcum eſt, in Latinum interpretatur comitatus vel cœtus. Nunc diximus

quid sit Canon; restat vt dicamus, quid contineatur in Canone. Canon enim (vt dictum est) Regula nuncupatur, id est à recte viuendo, recte operando, recte in fide tenenda diuinitatem & humanitatem Domini nostri Iesu Christi veraciter confitendo, hæreticorum prauitatem calcandam, & sanctorum Orthodoxorum Patrum normam tenendam denuntiat. Docet enim Canon quomodo iuste viuere quis debeat, vel qui decliuat à via recta qualiter corrigendus sit. Est enim quodammodo lex legum, quia omnes præeminet leges, quæ humano arbitrio compositæ sunt.

Post cognitionem fidei Canonicæ; adnotandum est qualiter fides Catholica & credatur & obseruetur ab omnibus, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres personas confiteri; sed Trinitas est in vocabulis personarum; vnitas vero nunquam separetur à maiestate, ab essentia, & ab æternitate, ita vt sit consubstantialis Pater videlicet, & Filius, & Spiritus sanctus, coæternus, & cooperator secundum fidem quæ exposita est in Nicæna Synodo à CCCXVIII. Episcopis, constituens hunc modum; *Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem cæli & terræ*, & reliqua, fidem etiam sancti Athanasij Episcopi in hoc opere censuimus obseruandam, & Symbolum Apostolorum cum traditionibus & expositionibus sanctorum Patrum in his sermonibus adnotatis.

Cap. I. Primo omnium admonendi sunt de rectitudine fidei suæ, vt eam & ipsi teneant, & intelligant, & sibi subiectis populis viuo sermone adnuntient, & vnusquisque eos, quos habet in suo ministerio cognoscat, siue viros, siue fœminas, & pueros, vt nouerit singulorum confessiones & conuersationem, quia pro omnibus redditurus est rationem Deo.

Cap. II. Secundo, vt ipsi Sacerdotes talem ostendant suam conuersationem subiectis sibi populis, quæ imitabilis sit, videlicet sicut Apostolus dixit; *In castitate, in sobrietate*; vt non deseruiant gulæ & cupiditatibus huius sæculi; vt quod alios monent obseruare, in seipsis ostendant; vt caueant se ab omni auaritia & cupiditate, quia multi diu noctuque laborant, vt adquirant temporalia, videlicet, mancipia, vinum, & annonam cum vsura, à qua & Deus prohibet, & omnis scriptura diuina, & sancti Canones: nec non mulierum declinent consortium, & secum habitare non permittant, vt auctoritas est Canonica.

2. Cor. 6 1. Tim. 3

Cap. III. Tertio vt Orationem Dominicam, id est, *Pater noster*, & *Credo in Deum Omnipotentem*, sibi subiectis insinuent, & sibi reddi faciant tam viros & fœminas, quamque pueros.

Rom. 13

Cap. IV. Quarto, & ipsi Presbyteri à commessationibus, & potationibus, vt Apostolus monet se subtrahant: Nam quidam illorum cum quibusdam vicinis suis .... vsque ad mediam noctem & eo amplius cum ipsis bibendo morantur, & qui religiosi & sancti esse videntur non quidem tunc ibi manent: sed tamen saturati vel ebrij reuertuntur ad Ecclesias suas; & neque in die, neque in nocte officium Deo in Ecclesia sibi credita persoluunt: nonnulli vero in eodem loco, vbi ad conuiuium pergunt, dormiunt.

Cap. V. Quinto, vt ipsi Presbyteri tales Scolarios habeant, id est, ita nutritos & insinuatos, vt si forte eis contingat non posse occurrere tempore competenti ad Ecclesiam suam officij gratia persoluendi, id est, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas, ipsi Scolarij & signum in tempore suo pulsent, & officium honeste Deo persoluant.

Cap. VI. Sexto, vt diligenter resciatis post ordinationem vniuscuiusque Presbyteri, quantum quisque profecerit in suo ministerio: quia qui ante ordinationem pauperes fuerunt; post ordinationem vero de rebus, cum debuerant Ecclesiis seruire, emunt sibi alodium, & mancipia, & cæteras facultates, & neque in sua lectione aliquid profecerunt: neque libros congregauerunt, aut ea quæ pertineot ad cultum religionis augmentauerunt, sed semper conuiuiis, & contentionibus, & rapina viuunt.

Cap. VII. Septimo, vt domesticos suos, id est, eos qui cum ipsis sunt in sua mansione, siue Scolarios, siue alios seruientes, diligentissime præuidere studeant ab omnibus vitiis, & maxime de ebrietatibus, & luxuriis, & variis immunditiis: nam sicut dicit Apostolus; *Qui domesticorum suorum curam negligit*, aliorum non prodesse potent conuersationi.

1. Tim. 5

Cap. VIII. Octauo, vt hospitales sint, quia multi, qui sciunt hospitem superuenisse ad Ecclesiam suam, fugiunt; sed quod Apostolus iubet & cætera scriptura diuina sectari sequi, illi econtrario fugiunt, & pauperibus subuenire metuunt.

Cap. IX. Nono iubet Apostolus omnibus fidelibus, *vt sermo eorum in gratia sit, semper sale conditus*, id est, vt ea loquatur Christianus quæ religione conueniunt, vnde aliorum mentem condire possit, & à putredine peccatorum mentem emundare, ... *Reliqua desunt.*

Colos. 4

HERIVEI REMORUM ARCHIEPISCOPI EPISTOLA AD VVITONEM Archiepiscopum Rotomagensem.

QVALIS POENITENTIA debet iniungi non baptizatis Gentilibus, & baptizatis, & rebaptizatis, & postea more paganico Ecclesias deuastantibus, & Christianitatem delentibus, ex sententiis Patrum, & Canonibus, & Decretalibus Pontificum Romanorum.

Reuerendissimo ac dilectissimo fratri & Coarchiepiscopo VVitoni Heriueus Rhemorum Archiepiscopus, plurimam in omnium Saluatore Salutem, æternaque beatitudinis felicitatem.*

* Rotomagensi.

Vt rogastis humilitatem nostram quærere diuinis in oraculis, qualiter consulendum vobis foret his qui rebaptizati sunt, & æque vt ante baptismum iuxta paganismi morem, quemadmodum sues sunt reuersi ad volutabrum, & canes ad vomitum, ludicras voluptates nefando paganorum ritu exercuere, seu de illis qui nondum baptismum percipere meruerunt, prout quiuimus satisfacere precatui vestro sategimus, quantum vetat breuitas temporis sui. Et vt vnumquodque capitulum vobis facilius fieret ad reperiendum, capitulatim in hac scedula fecimus scriptum. Et quia *misericordia Domini plena est terra*, cui & Ecclesia per Apostrophem precabiliter dicit, *Misereris omnium Domine, & nihil odisti quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*; Dignum duximus mirabile & misericordissimum Beati Ioannis Apostoli & Euangelistæ factum, immo ipsius Domino opus piissimum & consuetissimum hic vobis ponendo breuissime expromendum, quemadmodum vobis notissimum, & in Ecclesiastica historia latius digestum.

Psal. 32 Sap. 11

Cap. I.

Cum ipse Ephesum rediens lustraret vicinas & illustraret Prouincias; vidit quendam iuuenem animis

acrem nimis, quem loci illius Episcopo commendauit, qui & illi gratiam tradidit baptismi: Deinde confidens gratiæ, qua fuerat commonitus, eundem iuuenem remissius habere cœpit; sed ille immatura libertate potitus, corruptæ viæ tramitem incedit; deinde à furtis mala quæque sensim incipiens, demum magister latronum in breui effectus est, donec idem Ioannes eundem locum tempore elapso inuisens à præfato requisiuit depositum suum Episcopo. Et cum comperisset eundem absentaturo esse iuuenem, ascenso citius equo perquisiuit eum ac perquisito & fugitanti dixit Apostolus; Sta tantum & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens restitit; tum deinde tremefactus flebat amarissime, & accedentis ad se senis genibus prouoluitur, gemitibus & vlulatibus, quibus poterat, satisfaciens, & vberrimis lacrymarum suarum fontibus iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam: Apostolus vero iurisiurandi sacramento se ei impetraturum à saluatore veniam pollicens, simulque genibus eius prouolutus, atque ipsam dexteram, ex cuius cædis conscientia torquebatur, tanquam iam per pœnitentiam purgatam deosculans, ad Ecclesiam reuocat, & indesinentes pro eo orationes profundens, & cũ ipso pariter ducens crebra ieiunia, indulgentiam à Deo, quam ei pollicitus fuerat, expetebat; nec prius abstitit, quam eum in omnibus emendatum etiam Ecclesiæ præficeret.

Cap. II.

Iuuat hic & illud memorabile factum Beati Papæ Siluestri erga Imperatorem Constantinum inserere, maxime propter ieiunium hebdomadæ ab ipso ei indictum. *Sanctus*, inquit, *Syluester inter cætera ad eandem dixit Cæsarem; Exige à te ipso hac una hebdomada ieiunium, & deposita purpura intra cubiculum tuum, ubique induere cilicio prostratum humo; & confitere te modo per ignorantiam errorem passum, ut Christianis persequutionem inferres, & ipsum Saluatorem corporum & animarum Iesum Christum, non solum loquendo, sed & credendo praemunias, & pœniteat te multos sanctos Dei occidisse.* Et paulo post; *Iube per totam hebdomadam eleemosynam fieri, beneficia etiam postulantibus exhibe, & idoneos, qui hæc exequantur, constitue.* Et post aliquanta, *Imposuit sanctus Syluester manum suam super caput eius* (quia Augusti Constantini) *benedicens eum, ac faciens Catechumenum. Tunc congregatis omnibus Presbyteris, & Diaconibus, cum vniuerso Clero, indixit ieiunium omni Ecclesiæ dicens; Si Niniuitæ in prædicatione Ionæ per triduanum ieiunium iram Dei, offensamque, quam promiserat, hoc debitam euaserunt, quanto magis nos in prædicatione Domini nostri Iesu Christi persequutiones euadimus, lucramur animas, pacem Dei Ecclesiæ adquirimus, & idololatriæ finem imponimus? Hæc autem faciamus ieiuniis & orationibus, ut hæc à Deo impetremus*, & cætera.

Cap. III.

Beatus quoque Gregorius in Euangelij homilia ad populum, *Si Deo*, inquit, *viuere in pueritia & iuuentute noluistis, saltem ad vltimam ætatem resipiscite, & ad vitæ viam, cum iam laboraturi multum non estis, vel sero venite.* Et paucis interpositis, *Plerumque tales ante remunerantur, qui prius ad regnum de corpore exeunt, quam hi, qui iam in pueritia vocati esse videbantur. An non ad undecimam venit Latro? qui etsi non habuit per ætatem, habuit tamen sero per pœnam. Qui Deum in cruce confessus est, & pene cum voce sententiæ spiritum exhalauit vitæ. A nouissimo autem reddere denarium paterfamilias cœpit, quia ad paradisi requiem prius Latronem quam Petrum perduxit.* Item idem. *Regnum cælorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Præstat magnam veniæ fiduciam Latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde Latro: Nam Latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate rogo, cogitate quam sint incomprehensibilia in omnipotente Deo misericordiæ viscera. Latro iste cruentis manibus abstractus a fauce itineris, suspensus est in patibulo Crucis, ibi confessus est, ibi sanatus est, ibi audire meruit; hodie mecum eris in Paradyso*, & cæt. Qui rursus Petro Episcopo Corsicæ scribens ait; *Fraternitas vestra sollicite studeat opus, quod cœpit, auxiliante Domino, ad perfectionem deducere & sin eos qui aliquando fideles fuerunt, sed a cultu Idolorum, negligentia aut necessitate faciente reuersi sunt, cum indicta pœnitentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, ut reatum suum plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc, ad quod adiuuante Domino reuertuntur, quanto illud perfecte defleuerint unde discedunt, sine eos, qui necdum baptizati sunt, admonendo, rogando, de venturo iudicio terrendo, rationem quoque reddendo, quod ligna & lapides colere non debent: festinet fraternitas tua omnipotenti Domino congregare, ut ita ad uentu eius cum districtus index venerit, in numero sanctorum possit tua sanctitas inueniri. Quodcumque enim vtilius & sublimius altiusue, quam ut de animarum viuificatione & collectione cogitans, & tuo Domino, qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes?* Et reliqua. Et alibi ad Mellitum Abbatem. *Quia gens Anglorum boues solet in sacrificio dæmonum multos occidere, debet etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutata sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solemnitatem celebrent, nec Diabolo iam animalia immolent; sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est. Quia enim qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus non autem saltibus eleuatur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum vsum quem Diabolo solebant exhibere, in cultum proprium reseruauit, ut eis in suo sacrificio animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio omitterent, aliud retinerent, ut & si ipsa essent animalia, quæ offerre consueuerant, veruntamen Deo hæc & non idolis immolantes, iam sacrificia ipsa non essent.*

Cap. IV.

His non dissimilia de pœnitentum mitissima susceptione sanctus Ambrosius annectit, in libro qui inscriptus est pœnitentiæ: *Qui studet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere & quoquomodo pensare humeris, non abijcere. Nam Pastor ille Euangelicus lassam ouem vexisse legitur, non abiecisse. Et Salomon ait: Noli iustus esse nimium: Debet enim iustitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum se tibi curandum præbeat, quem fastidio habeas, qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurum? Ideo Dominus Iesus compassus nobis est, ut ad se vocaret, non ut deterreret, mitis venit, venit humilis: Denique ait; Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. Reficit ergo Dominus Iesus, non excludit, neque abijcit, meritoque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet erroneos Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur; & cum ipsi quærant Domini misericordiam, aliis eandem denegant, ut sunt doctores Nouatianorum, qui mundos se appellant. Quid his superbius? cum scriptura dicat; Quia nemo mundus à peccato, nec vnius diei infans. Et Dauid clamat; A delicto meo munda me.* Et post pauca, *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.*

Cap. V.

Beatus docet breuiter Augustinus, qualiter eis, qui præsunt, de quibuscumque hominibus prauis agendum sit, dicens; *Non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius supplicandum; quia numerus sancto-*

rum de numero semper auctum est impiorum.

Cap. VI.

De S. Remigio Episcopo.

Legitur & ad locum in libro vitæ Beati Remigij Francorum Apostoli inter cætera, quibus refertur conuersio Hludouuici Regis, & populi eius: *Ille* (quin sanctus Remigius) *gaudio magno repletus, Regem, & populum qualiter Diabolo, & operibus, ac pompis eius abrenuntiare, & in Deum credere deberent, aperto & breuibus verbis instruxit: & quia dies sancti Paschæ imminebat, teiunium secundum Christianorum consuetudinem eis indixit.* Hinc & in Beati Pontificis Vedasti vita inuenitur; quomodo in via sub præsentia eiusdem Regis & populi, vir Dei Vedastus cæcum illuminauerit; & quemadmodum idem Rex ad baptismum venerit, & in Remensi ciuitate virum Dei Vedastum sancto commendauerit Remigio. *Rex*, inquiens, *à viro Dei Euangelicæ apprime imbutus doctrina, & huic præsenti miraculo in fide firmiter confortatus nil moratus in via, nil dubitans in fide, sed magna alacritate animi, magna festinatione itinere sanctissimum Pontificem Remigium videre properauit, vt illius sacratissimo ministerio, Spiritu sancto operante, in remissionem peccatorum, & spem vitæ æternæ Catholici baptismatis vnico ablueretur fonte, cum quo aliquantis moratus diebus, vt Ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, & pœnitentia, secundum Apostolicum præceptum, prius ablueretur lachrymis, dicente Beato Petro principe Apostolorum; Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi: & sic in nomine sanctæ Trinitatis cælestis mysterij baptisma susciperetur.*

De S. Vedasto.

Act. 2.

Cap. VII.

Ex Vita S. Basilij de quodam Apostata.

De quodam Apostata reperitur in miraculis Beati Basilij Cæsariensis Episcopi, quia scripto negauit Christum, & Diabolo in testimonium negationis suæ tradidit seipsum, cui idem vir mirabilis Basilius inter cætera dixit; *Vis reuerti ad Dominum Deum nostrum? ad quem puer; Vtique volo sed non valeo; Dicite ei, quare? respondit puer; Scripto abnegaui Christum, & professus sum Diabolo. Dicit ei sanctus Basilius; Non sit tibi cura; benignus est enim Deus noster & recipiet te pœnitentem: Compatitur enim malitiis nostris.* Et quibusdam interpositis; *dicit ad puerum id in Sanctus; Credis fili mi? qui ait; Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam; & continuo apprehendens manum eius, faciens Christi signum in ipso, & orans conclusit eum in vno loco interioris sacri periboli, & dans ei regulam, collaborabat ei per tres dies.* Et post aliquanta; *Quadragesimo die ipse sanctus ad eum rediit, & dicit ei, Quomodo habes, frater? et respondens dicit ad eum: Bene habeo, sancte Dei. Vidi enim te hodie in visu pugnantem pro me, & vincentem Diabolum. Et iterum mane facto vocauit sacrum Clerum, & monasteria, & omnem Christo amabilem populum, & dixit eis; Filioli mei dilectissimi, omnes gratias agatis Domino: Ecce enim ouem perditam debet pastor bonus in humeris reportare, & efferre Ecclesiæ. Quapropter debitum est, & nos vigiliam facere nocte, ac postulare eius benignitatem, vt non vincat corruptor animarum etiam in hoc facto; & alacriter populo coaggerato per omnem noctem postulauerunt Deum cum bono pastore, cum lacrymis clamantes pro eo, Kyrie eleison, & mature cum omni multitudine populi accepit sanctus puerum, & tenens dexteram manum eius, ducebat illum in sanctam Dei Ecclesiam cum Psalmis & hymnis: & ecce Diabolus oculos omnium fascinans in tristem vitam eum omni perniciosa virtute aduenit, & visibiliter apprehendens puerum, conabatur rapere eum de manu sancti, & cœpit clamare puer; Sancte Dei adiuua me: Et rursus conuersus sanctus ad Diabolum dixit; Improbissime, & animarum corruptor, pater tenebrarum & perditionis, non sufficit tibi tua perditio, quæ te, & eos, qui sub te sunt, affecisti, nisi etiam & Dei mei tentes plasma.* Et per paucis interpositis; *Sanctus Dei ait ad Diabolum; Increpat te Dominus, Diabole, Qui respondens ait ad eum; Basili, præiudicas me: Non abij ego ad eum, sed ipse venit ad me: Abnegauit Christum, & professus est mihi, & ecce manuscriptum habeo, & in die iudicij ad communem iudicem eum duco. Sanctus Dei dixit: Benedictus Dominus Deus meus: Non deflectet populus iste manus de altitudine cœli, donec reddas manuscri-*

A *ptum, & conuersus se dixit populo: Erigite manus vestras in cælum clamantes cum lacrymis: Christe, Kyrie eleison. Et stante populo in horam multam, extensas habente manus in cælum: ecce manuscripta pueri per aërem delata, & ab omnibus visa, venit, & imposita est manibus nimis abi... nostri Patris & pastoris. Suscipiens autem eam, & gratias agens Deo, gauisus factus est valde, & cum omni populo dixit ad puerum: Cognoscis litterulas has frater; qui ait ad eum; Etiam, sancte Dei, manuscripta mea est, & disrumpens manuscriptam sanctus Basilius, perduxit eum ad Ecclesiam, & dignum fecit eum sancto ministerio, & communione mysteriorum & munerum Christi.*

Cap. VIII.

Inter alia scriptum habetur in passione Beati Laurentij Archyleuitæ & martyris Christi; *Erat homo in carcerali custodia multo iam tempore Gentilis, qui plorando amissis oculis cæcus factus fuerat. Dixit ad eum B. Laurentius: Si credis in Filium Dei Dominum Iesum Christum, baptizare, & illuminabit te; & continuo post ipsius confessionem baptizato, aperti sunt oculi eius, & cœpit clamare dicens: Benedictus Dominus Iesus Christus Deus æternus, qui me illuminauit per Beatum Laurentium; quia semper fui cæcus, &* B *modo video. Post hæc, & Beatum Hypolitum more [illegible] catechizatum, & accepta aqua benedixit, & baptizauit illum. Deinde simili modo militem baptizauit Romanum, qui & baptizatus mox martyrio est coronatus.*

Cap. IX.

Scriptum est & in passione S. Sebastiani ad locum: *Cum omnes, qui ad decipiendos sanctos* (quin Marcum, & Marcillianum) *venerant, vnanimiter crederent Christo; Nicostratus cum coniuge sua vrgebat dicens; Non capiam cibum neque potum, nisi mysterium mihi Christianæ rel[igioni]s fuerit traditum; Cui sanctus Sebastianus dixit; Muta dignitatem tuam, & incipe esse Christi magis Primi[ceri]us quam Præfecti. Audi itaque consilium meum, & omnes quos carcer inclusit, quos vincula tenent, quos et custodia custodiunt in vnum redige, quod cum feceris, Antistitem sacrosanctæ legis adhibeam, vt cum omnibus, qui credere voluerint mysterij suscipias sacramentum. Si enim Diabolus Christo* C *electos eius auferre conatus est & conatur, quanto magis nos pietatis argumento hos, quos Diabolus iniuste lucratus est, curare debemus, & suo restituere Creatori? Et Nicostratus ad hæc respondit dicens; Quomodo iniquis & criminosis possunt sancta committi? Sanctus Sebastianus ait; Saluator noster pro peccatoribus suam nobis dignatus est exhibere præsentiam, & ostendit mysterium, per quod omnia peccata & crimina omnia hominibus auferantur, & omnes virtutes Domini conferantur.* Et post multa: *Sanctus Sebastianus abiit ad Polycarpum sanctum Presbyterum, vbi erat causa persecutionis occultus, & narrauit ei omnia quæ gesta sunt: Quibus auditis, Polycarpus gratias egit Deo, & venit cum eo vsque ad domum Nicostrati, & videns turbas credentium, salutans eos cum omni gaudio, ait; Beati vos omnes qui audistis vocem Domini nostri Iesu Christi dicentis; Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere* D *faciam: Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Vos itaque, fratres nostri, quos baptismatis vnda diluit, & consecrando Deo omnipotenti charissimos filios fecit, pro hoc quod à proposito suo sancto reuocare conati estis beatissimos milites Christi, opus vobis erat pœnitentia, vt per ipsam ad indulgentiam veniretis. Nunc autem, quia ad tantam gloriam [illegible] stis, vt etiam ad passionem, à qua dolenter alios reuocare [illegible] stis, ad ipsam desideretis gratanter velle currere & libenter vetus hoc Christi artificium est: Nam ipsum, quem vas electionis suæ esse dignatus est, & voluit magistrum gentium esse, qui non solum fidelium animos à peccatis prop[ositi] [illegible] cabat, sed etiam nolentes à Christo discedere [illegible] ebruebat, hunc nobis ipse Dominus Apostolum [illegible] tribuitque nobis ex Saulo Paulum, ex Apostata [illegible] lum, & dedit Ecclesiæ ex persecutore rectorem. Amen [illegible]*

Matth.

nu factus est qui persecutionum auctor extiterat; & qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus lætabatur. Ipse qui tunc in Apostolo suo virtutem istam c[...]it, ipse nunc de ipso inferorum conclaui, & ex ipsis draco[...]um faucibus animarum vestrarum captiuitatem eripuit, & vobis nunc à tenebris ad lucem remeantibus æterna vitæ ianuam patefecit. Quia ergo omnes Dæmones, qui sunt tenebrarum filii, contristantur, & omnes sancti Angeli, qui sunt filii luminis, gratulantur, accedat vnusquisque, & det nomen suum, vt hodierno die vsque ad vesperum, producente somno, festiuum baptismatis sacramentum opportunum tempus inueniat. Et iterum: *Omnis familia, quæ erat in domo Nicostrati, animæ* XXXIII. *promiscui sexus & ætatis: de hinc omnes qui victi, ac de carceris squalore adducti, animæ* XVI. *omnes isti* XLIX. *à sancto Polycarpo Presbytero baptizati, & à S. Sebastiano suscepti sunt.*

Cap. X.

Iuxta salutiferam & firmissimam fidei Catholicæ doctrinam in toto terrarum orbe vnanimiter ac fideliter ab omnibus cõseruandam, quod de carnali, hoc etiam de spirituali generatione sentiendum, nequaquam videlicet eam, postquam semel expleta fuerit, posse repeti. Siue enim hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui ita baptizatus est, à bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio vel exhibitio tanti nominis videatur annullari.

Cap. XI.

De his, quibus dubium est, vtrum baptismum perceperint, necesse est vt renascantur, ex decretis Papæ Leonis. *Si nulla exstant inter propinquos aut familiares indicia, nulla inter Clericos aut vicinos quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur est, vt renascantur, ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit vt videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod ab eorum parentibus dabatur acceperant: Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur; quia non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.*

Cap. XII.

Captiuis cibos immolatitios necessitate comedentibus pœnitentia concedenda, ex decretis eiusdem Papæ Leonis, *de his Christianis, qui inter eos, à quibus fuerant captiuati, immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, * consolationi charitatis tuæ hoc etiam respondendum esse credimus, vt pœnitentia satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est; & siue hoc terror extorserit, siue fames suaserit, non dubitetur abolendum, cum huiusmodi cibus pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.*

Cap. XIII.

De laicis, qui Deum negauerunt, & de his qui abrenuntiauerunt, & iterum ad seculum sunt reuersi, ex Concilio Nicæno, *De his qui præter necessitatem præuaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid huiusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit Synodo, quamuis humanitate probentur indigni, tamen eis beniuolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se contritione deiiciant; duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.*

Cap. XIV.

Ex Concilio Carthaginensi, *Gratus Episcopus dixit; Si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis; vnde sanctitatem vestram postulo, vt mentis vestræ placita producatis ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate secundum Euangelii fidem, & Apostolorum doctrinam; & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Iesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aquam iterum tingi. Vniuersi Episcopi dixerunt, Absit Absit. Illicitas esse *sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum à fide & Catholica disciplina.*

Ex Concilio Carthaginensi II. Can. 1.

Cap. XV.

De his qui rimore ritus Gentilium peregerunt. *Quotquot ascenderunt templa cum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducauerunt flentes, si compleuerint pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est, vt ipsi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templo non manducauerunt, biennium maneant in pœnitentia: tertio vero anno communicent, sed sine oblatione, vt dictum est, vt quarto iã anno perfectionem suam percipiant. Episcopum autem hinc habere licentiam oportet, vt probi speciata singulorum consideret, & prout viderit conuersationem, normam regulamque conuersionis attribuat, id est, vt humanius agens, secundum vitæ modum tempus alicui breuiare, aut etiam prolixius, quod correctioni necessarium viderit, addere. Discutiatur autem omnium horum & præcedens vita & posterior, & ita circa eos sacerdotalis humanitas moderetur.*

In Concil. Ancyrano. Can. 3.

Cap. XVI.

De his qui frequenter Idolis immolauerunt, ex Concilio Ancyrano, *De his qui festis diebus paganorum in remotis eorum locis conuiuiis interfuerunt, & suas nihilominus epulas ibidẽ portauerunt atque comederunt, placuit, vt post biennii pœnitentiam suscipiantur, ita tamen, vtrum aut cum oblatione recipiendi sint, an ad solam communionem admitti debeant, vnusquisque Episcoporum examinet vitam eorum, & præterita ac præsentia, debita consideratione perpendat.*

Ex eodẽ Concilio Can. 7.

Cap. XVII.

De his qui coacti Idolis immolauerunt, ex eodem Concilio: *Hi qui secundo aut tertio sacrificauerunt coacti, quatuor annis se ad pœnitentiam summittant, duobus autem aliis sine oblatione communicent; septimo anno perfectionem recepturi communionis.*

Ex eodẽ Concilio Can. 8.

Cap. XVIII.

De his qui conuiuio Gentilium & escis immolatitiis vsi sunt, ex decretis Papæ Leonis, *Si conuiuio solo Gentilium & escis immolatitiis vsi sunt, possunt ieiuniis & manus impositione purgari, vt deinceps ab Idolothytis abstinentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem Idola adorauerunt aut homicidiis vel fornicationib. contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.*

Leo Papa ep. 52.

Cap. XIX.

Quod hi qui ad iterationem baptismi, vel vi, vel timore coacti, animos inclinauerunt, pœnitentiæ sunt subleuandi remedio, Leo Papa ad * Rusticum Narbonensẽ Episcopũ; *Hi, de quibus dilectio tua nos credit consulendos, qui ad iterandum baptismum, vel metu coacti, vel errore traducti sunt, & nunc se contra Catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt ea est constituenda moderatio, qua in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium & per impositionem Episcopalis manus, communionis*

Item Leo Papa ep. 47. * vel. Nicetã Aquileiensem Episcopum.

*recipiant vnitatem, tempora pœnitudinis habita moderatione tuo constituenda iudicio, pro vt conuersorum animos inspexeris esse deuotos, pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorũque, aut ægritudinum respicientes necessitates, in quibus si quis ita grauiter vrgeatur, vt dum adhuc punitur, ne de salute ipsius desperatur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia * saluari.*

* subueniri.

Cap. XX.

De Actibus Apostolorum, cap. 15.

Legitur in Actibus Apostolorum, quod *quidam descendentes de Iudæa, docerent fratres oportere circumcidi, & seruare legem Moysi. Apostoli tamen & seniores cum omni Ecclesia inferunt nihil oneris vltra eis imponentes, vt abstinerent se ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocatis, & fornicatione.*

Cap. XXI.

Ex Cõcilio Africano, cap. 33.

Vt cum Donatistis, qui ab omnibus Catholicis, sicut ab vniuerso terrarum orbe erant damnati, lenius ageretur, ex Cõcilio Africano, *Pertractatis & consideratis omnibus, quæ vtilitati Ecclesiæ conuenire videbantur, annuente atque administrante Spiritu Dei, legimus eum memoratis hominibus, quãuis de Dominici corporis vnitate inquieta dissensione præcisis, leniter & pacifice agere, vt (quantum in nobis est) omnibus, qui eorum communione & societate irretiti sunt, per vniuersas Prouincias Africanas penitus innotescat, quã miserabili errore deuincti sunt, nisi forte (sicut dicit Apostolus) nobis in mansuetudine corripientibus, diuersa sentientes, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de Diaboli laqueis, captiuati ab ipso in ipsius voluntate.*

2. Tim. 2.

Cap. XXII.

Cœlestinus PP. cap. 15.

Quod nulli sit vltima pœnitentia deneganda ex Epistola Papæ Cœlestini ad Episcopos Galliarum: *Agnouimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore, hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri. Horremus (fateor) tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere, quo se ille expediri desiderat & liberari. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad subueniendum paratissimus inuitans ad pœnitentiam sic promittat; Peccator, inquit, quacumque die conuersus fuerit, peccata eius non reputabuntur ei. Et iterum; Nolo mortem peccatoris, sed tantum vt conuertatur & viuat. Salutem ergo homini adimit, quisquis eis mortis tempore pœnitentiam denegarit: & desperauit de clementia Dei, qui eum ad subueniendum morienti succurrere vel in momento posse non credidit. Perdidisset Latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset, cum esset in pœna pœnituit, & per vnius sermonis confessionem habitaculum paradisi Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum mente potius est æstimanda quam tempore, Propheta hoc taliter asserente; Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum illi se obliget iudici, cui occulta omnino nouerit reuelari.*

Ezec. 18. Luc. 23. Ezech. 3 & 13. 1. Reg. 16. Hier. 17.

Cap. XXIII.

In Pœnitentiale Bedæ Presbyteri.

In libello qui superscriptus est, pœnitentialis Bedæ Presbyteri venerabilis, *solerter admonemus doctum quemque Sacerdotem Christi, vt in vniuersis quæ hic adnotata repererit, sexum, ætatem, conditionem, statum, personam, ipsum etiam pœnitentes curiose discernat; & secundum hæc, quod sibi visum fuerit, singula quæque iudicet, quibusdã næque à cibis abstinendo, aliis eleemosynas dando, nonnullis flectendo sæpius genua, siue in Cruce stando, aut aliud aliquid huiusmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat, [il]ciendo: plurimis vniuersa hæc agen[da] sunt; nec e[st] [...]rata corrigere, quæ vniuersa in exam[ine] discreti debent pendere iudicis.* Semper in Christo fœlici successu pax polleat, & omnibus in bonis vigeat reuerenda & pe[r]colenda germana charitas vestra, memor nostri in orationib. suis, & vniuersæ Ecclesiæ nostræ.

EPISTOLA STEPHANI CARdinalis ad I. Dolensem.

Stephanus Petri Apostolorum Principis & sanctæ Romana Ecclesia Cardinalis, I. Dole[nsi]s Ecclesiæ [...] Archiepiscopo, resipiscere & ad viam salutis & emendationis redire.

Dominus meus Pontifex summus, & vniuer[sal]is Papa Nicolaus te quamuis rebellem, & monitis [sa]lutaribus auersum, nequaquam tamen paterna & c[on]sueta Romanæ Ecclesiæ misericordia indignum iudicauit, sed missa (si tamen ad te peruenit) legatione ad Synodum, quæ antiquo more Romæ post Pascha celebrabitur, adhuc tibi resipiscendi locum donans, euocauit. Sed & post datas ad te litteras secundum co[nsi]lij sui prouidentiam, & temporum euentuumque necessitatem, me ad has partes destinauit, & vt quæ possem, in Ecclesia Gallicana, Deo adiuuante, Concil[ii]s, cæterisque laboribus emeodarem, vices suas mihi tradens iniunxit. Vnde apud Turonum Dominica ante mediam quadragesimam Synodum indixi, ad quam Domnum meum sollicitudine, & mediocrita[te] m[e]a sumptibus & labore leuans, sancti Petri, eiusq[u]e Vicarij, mihique tradita auctoritate te conuoco, [et ab] omni periculo, quod tibi ex parte principis [...] eiusdem euenire possit, securum facio. Quod si [a]d tios, nec ad Dominum meum in dictis terminis [venire] volueris, vindictam absque misericordia [...] [ec]clesiasticæ districtionis. Exemplar etiam mitto [e]pistolæ huius potestatis à Domino meo mihi traditæ.

EPISTOLA G. LVGDVNENSIS Ecclesiæ presbyteri ad R. Turonensem Archiepiscopum.

*G. Lugdunensis Ecclesiæ Presbyter indignus [...] I. [...]tri & specialiter colendo * R. Turonensis [se]dis Archiepiscopo cum grege sibi commisso æternæ beatitudinis glori[am].*

O quam bona & quam sublimis est humilitas, q[uæ] potentes elatos de sede superbiæ deiecit, & pauperes humiles de stercore erigit. Ipsius est enim tanta potestas, vt per ipsam de labore ad requiem, de morte ad vitam, de pœnis ad gloriam transire debeamus. Ipsa est per quam fortes deprimuntur, humiles exaltantur, humilitate profecto Deus super omnia manens de foris armato nobiliter triumphauit, & de mundo, quem captiuum tenebat, exclusit humilitas Dei, propter quod exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Hac itaque virtute vestrã benignitate plenam esse reperimus, cum sanctæ matri Lugdunensi Ecclesiæ more prædecessorum vestrorum tã humillima deuotione, tã charitatiua supplicatione humilitatis ac totius obedientiæ obsequium reddere non dedignamini. Vnde quatenus penset magnitudo vestræ discretionis, cum quanta dulcedine, cum quanto charitatis feruore humilitatem vestram di[li]gamus, certi quod nos à vobis diligi sciamus [Scri]ptura dicit; *Amat anima amantem se.* Præt[e]reat [...] ctio vestra, quod cum tanta dulcedine vos amamus,

vt ſi veſtra poſtularet neceſſitas, qua dilectione Apoſtolus pro Galatis oculos dare profitetur, eadem nos oculos noſtros pro vobis eruere, & pro vobis dare nõ dubitaremus. Nam vbi humilitatem matri veſtræ oſtenditis, quid aliud hoc faciendo agitur, niſi vt vos ex debito noſtri, & nos ex charitate veſtri efficiamur? Vnde tanto magis ac magis veſtra apud pium Redemptorem erit vberior, quanto magis humilitatem, per quam cunctorum fratrum concordia, & ſanctæ vniuerſæ Eccleſiæ vnitas cuſtoditur, retinere ſtudueritis. De charitate igitur veſtra, ſicut reuera de carisſimo amico confidentes, aures pietatis veſtræ fiducialiter pulſare non dubitamus, proculdubio credentes, quod minime patiamini nos contriſtari, maxime in tali re, vnde animna veſtra multum poterit adiuuari. Eſt enim vobis Abbatia quædam Sabiniacus nomine, locus ab antiquo nobiliſſimus, antiquam Deo gratias adhuc ſeruans nobilitatem, qui ſuo iamdiu eſt orbatus paſtore, pro quo rogo ego, rogat Eccleſia Lugdunenſis, pro quo huc ad vos imploraturus veniſſem, niſi quod tot ac tantis infirmitatibus premor, vt non dicam me ad vos ire, ſed reſpirare vix licet. Nunc igitur, quia præſentia corporali vobiſcum eſſe nequeo, Spiritu autem vobiſcum ſemper maneo deprecor, vt in vno ſpiritu congregati, domnum * B. maioris monaſterij Abbatem cum multa dulcedine ex noſtra parte & veſtra, monendo, deprecando exoretis, quantinus mihi ſuo dilecto, & deſolatis fratribus miſericordiam ſuam poſcentibus conſulere non differat. Mittat patrem, mittat paſtorem, qui cum tanta cautela gregem ſuum cuſtodiat, ne antiquo hoſti ex aliqua parte aditus pateat, per quem ad ipſum gregem vnquam irrumpere valeat. Valete. Omnipotens Deus vitam veſtram per multorum annorum curricula extendat, & poſt longa tempora in cæleſtis vos patriæ menſa ſuſcipiat. Item valere, mandatis inſiſtite.

FINIS.

HISTORIÆ

REMENSIS ECCLESIÆ,

LIBRI IV.

AVCTORE

FLODOARDO PRESBYTERO ET Canonico eiuſdem Eccleſiæ, deinde monaſterij S. Remigij monacho & abbate,

OPERA ET STVDIO GEORGII COLVENERIIS S. Theol. Doctoris, & Regij ac ordinarii Profeſſoris, Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri Propoſiti, & Academiæ Duacenſis Cancellarii in lucem editi.

ADDITA EST APPENDIX, ET CATALOgus omnium Archiepiſcoporum Remenſium.

IN ANTIQVIS MONVMENTIS Mss. Repertum.

Sto ven de Reim ſauoir les eueques,
Ly cly temporair de Flodon le ſage.
Y les mort du tam d'Odalry eueque:
Et fut d'Eſſernay né par parantage,
Vequit caſte clercq, bon moine, millen abbé.
Et d'Agapit ly Romain fut aubé.
Par ſen hyſtore maintes nouuelles ſaura,
Et en ille toute antiquité beura.

Auct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Beneuole Lector quid à nobis præſtitum ſit ab huius auctoris editione paucis accipe. Collatio facta eſt in vniuerſum ad ſeptem exemplaria. Tria enim inter ſe contulit pia m. Dominus Nicolaus Cheſneau, Decanus & Canonicus S. Symphoriani in vrbe Remenſi, qui hanc hiſtoriã, ſeu verius hiſtoriæ huius bonam partem in Gallicam linguã tranſtulit, & eadem lingua edidit Remis excuſam anno 1581. per Ioannem Fogny. Huius Decani exemplar Latinũ manuſcriptum, ex quo ille vertit in Gallicum, attulit ad me Thomas Vuitus I.V. Licentiatus, tradente ei R. viro Domino Antonio Beauchesne Remenſis eccleſiæ Canonico & ſucceſſori, qui teſtamenti prædicti Domini Cheſneau fuerat executor. Hoc notauimus littera c. Porro collatum eſt ad exemplar monaſterii S. Remigii, quod littera r. deſignauimus, ad exemplar eccleſiæ metropolitanæ B. Mariæ, & ad tertium, quod particulari nomine nõ deſignat, ſed credo fuiſſe Igniacenſe. Ex his ſecundum diuerſum fuit ab eo, quod ad me poſtea tranſmiſſum eſt, de quo infra. Nam ſæpe notat in margine aliter legi in exemplari B. Mariæ, quam habeat in eo quod nos habuimus, vt exempli gratia lib. 1. c. 20. in codice Metropolit. dicit legi: ſecus amnem Naram, cum in eo quod habuimus legatur Faram. Lib. 3. c. 4. notat lego Algardis abbatiſſa, vti & in codice S. Remigii, cum in noſtro ſit Adalgardis. Ibidem c. 7. dicit legi in codice S. Mariæ & S. Remigii: cum palmis, in alio autem exemplari cum pſalmis, quomodo etiam habebat noſtrum B. Mariæ. Hoc igitur exẽplar Domini Cheſneau curaui meis ſumptibus deſcribi, & poſtea exacte relegi. Verum deprehendens quibuſdam locis nonnulla deeſſe, quærere cœpi alia exemplaria ex quib. impleri poſſent iſta lacunæ: Tum mihi opportune, opera dicti Domini Vuiti, duo alia exemplaria integra Remis trãſmiſſa ſunt, vnum ex archiuis Eccleſiæ Metropolitanæ B. Mariæ in membrana antiqua manu exaratum, quod ſignauimus litteram. Alterum recens, anno videlicet 1596. deſcriptũ in charta, ex eodem veteri exemplari per Dominum Georgium Montgerard Priorem cœnobii S. Martini Sparnacenſis, partim correctis, partim mutatis hic & ibi verbis quibuſdam. Signauimus litteras, & vtrumque fere ſemper iunctim notauimus. quandoquidem & pro vno exemplari habenda ſint hæc duo, eo quod poſterius ex priori ſit deſumptum. Duo tamen numerauimus, quia multis locis correctio aut mutatio facta eſt. His acceptis integris exemplaribus, deprehendi in exemplari dicti Domini Cheſneau facile deeſſe quartam partem operis. Quapropter deſcriptis locis ſingulis quæ deerant, nouo labore totum exemplar meum ita ſuppletum contuli, & integre relegi cum prædictis duobus integris exemplaribus, & poſtmodum quam fieri potuit accuratiſſime diſpunxi. Adhæc pro maiori luce etiam ad exemplar Gallicum omnia recenſui, & ex eo plerumque patria lingua obſcuriora nomina propria in margine adnotaui lectori gratũ id fore non dubitans. Ex omnibus autem correctius viſum eſt exemplar monaſterii S. Remigii, ex quo exemplar Metropolitanæ eccleſiæ, alioqui ſatis correctum, multis locis ſuppleri debuit, non tantum in verbis, ſed etiam integris ſententiis, quæ omiſſa fuerant. Sciebam Pariſiis & alibi plura exſtare calamo deſcripta exemplaria. Commemorat enim Papirius Maſſonus lib. 2. ſuorum annalium, ſe aliquot eius exemplaria vidiſſe Lutetiæ. Sed quia puriores ex ipſo fonte hauriri ſolent aquæ, idcirco ex archiuis Remenſibus ea potius petenda eſſe iudicaui, pro quibus magnas ago gratias Theſaurario, & archiuorum dictæ Metropolitanæ eccleſiæ magiſtris, qui ea duorum annorum ſpacio mihi vtenda communicarunt. Prædictis exantlatis laboribus, prodiit hoc opus ſine vllis tamẽ notis aut ſcholiis Pariſiis anno 1611. cura

& studio R. P. Iacobi Sirmondi Soc. Iesu presbyteri. Quod exemplar nacti denuo, à capite ad calcem, omnia cum eo relegi: & sicut illius ope non paucas mendas sustuli, sic ibi cõplures esse derelictas deprehendi, & nonnunquam integras lineas deesse. Hoc exemplar notamus littera j.

Cæterum nihil est à nobis immutatum, vel in textu positum, quod non erat in exemplaribus, vel in originalibus in iis quæ aliunde citantur, nisi id ipsum expresse in margine, vel in scholiis significauerimus, vel vbi exploratum erat mendum esse, & lapsum scriptoris, vnam litteram pro alia scribentis. Vbi diuersa erat lectio, nec certo constabat quæ vera esset, probabiliorem in textu retinuimus, alteram plerumque ad oram relegauimus.

In orthographia nihil etiam mutauimus, nisi eas, quæ insolentes & deprauata censentur, vt domptus, damnatio. sõpnus, contẽpnet, solempnetas, ebdomas, parrochus, parrochia, carta, summittere, Nicholaus, Nichasius, subiciẽs, adiciens, exeniũ, & similes. In aliis placuit scripturã illo tempore vsitatã relinqui in gratiam antiquitatis, vt Karolus, Karolomannus, Pippinus, Theodulfus, cotidianus, inlicita, inreligiosus. Placuit & seruari scribendi varietatem, quæ vna eademq; dictio, nunc hoc, nunc illo modo scribitur, vt pro inlicitum, aliquando illicitum. Nunc inregularis vel irrationabilis, alias irregularis, vel irrationalis. Nam ex hac varietate cõstat, quod vtroq; modo proferebãt & scribebãt, vti & hodie.

Omnia scripturæ loca, quæ citantur, plerumque etiam ea ad quæ respicitur, margini adiecimus. Similiter & ea quæ ex aliis citantur auctoribus, quæ omnia ad originalia contulimus, & sæpius ex iis emendauimus. Quædam tamen reperiri non potuerunt. Qua ratione nonnulla sunt emendata, quæ aliqui vix emẽdari potuissent, cum exemplaria auctoris multis locis fuerint deprauata, & præ vetustate, legentium oculos fugientia.

Quæ tertio libro habentur (qui totus est de gestis & scriptis Hincmari) contuli ad opuscula & epist. eiusdem Hincmari, tam à R. P. Ioanne Busæo, quam à Ioanne Cordesio Ecclesiæ Lemonicensis Canonico edita.

Adhæc collatio facta est ad tomos Conciliorum, & epistolas Romanorum pontificum, vbi de Conciliis agitur. Item cum annalibus Ecclesiasticis Cæsaris Baronii, & præcipuis Galliæ ac Belgii historiographis, Gregorio Turonensi, Aimoino, Sigeberto, Christiano Masseo, Iacobo Meyero, Papirio Massono, & aliis. Ex quibus auctoribus plerumque certo temporis cuiusque rei gesta nota est adiecta in margine, vel in scholiis post calcem operis adpositis.

Hæc enim scholia omnino necessaria esse iudicamus: tum quod auctoris dictio ob hoc frequenter obscura sit, quod longas texat periodos, quæ implicantur varietate & multitudine eorum quæ congerit & interserit: tum etiam quod interdum vtatur vocabulis illo quidem æuo tritissimis, sed quæ iam abierunt in desuetudinem. Hac indice separato recensuimus. Denique per hoc multam auctori lucem attulisse credimus, quod in his scholiis quæcumque possent in dubium verti explicuerimus: pleraque etiam auctoris dicta aliorum testimoniis firmauerimus, & vnde plura in eam rem, de qua agitur, peti possint, indicauerimus.

Postremo Catalogum omnium Remensium Archiepiscoporum adiecimus, non sola nomina recensentes, sed & tempus sessionis eorum & decessus, quam potuimus certa fide, & principalia eorum gesta. Si tamen in tempore, in tanta vetustate, scriptorum raritate, & opinionum diuersitate, scopum vbique non attigimus, veniam dabit æquus lector, & candide emendabit. In hoc catalogo plurimum adiuti sumus iis, quæ nobis communicare dignatus est Claudius Despertz Atrebas, dominus de Queant, I.V.L. consultissimus, depromptis ex variis antiquitatibus locorum Galliæ, partim mss. partim excusis. Qui etiam nobis suppeditauit Statuta Synodalia per dominum Sonnacium, epistolam Adelagi ad Flodoardum, & nonnulla alia de eodem testimonia. Iuuit præterea catalogus ad calcem exemplaris ecclesiæ Metropolitanæ B. Mariæ Remensis diuersa manu adscriptus. Qui etsi vsque ad 54. Archiepiscopum non habeat nisi nuda nomina, in sequentibus est copiosior.

VITA AVCTORIS EX HIS libris, aliunde conscripta per Georgium Coluenerium.

VT à nomine ordiamur, integrum auctoris nomen fuit, vt arbitramur, Flodohardus, seu [illegible]doardus, ex quo per syncopen factum est [illegible] & Floardus. Quod posterius in nostris fere exempl[illegible] ribus reperitur, quomodo item legit Ioannes S[illegible]aro in notis suis ad Sidonium Apollinarem. Si[illegible]bertu[s] Flavvaldum, Trithemius Flaualdum nominat. Petrus Pithœus in xij. auctoribus simul editis, Papir[i]us Massonus, eosque secutus illustrissimus Card[i]na[lis] Cæsar Baronius Frodoardum appellant. Sed pro li[t]teral, non r, in prima syllaba facit, quod libr. 2. h[u]ius historiæ cap. 3. meminerit Flauuardi, siue vt habet aliud exemplar Flauardi auunculi matris suæ, in chronico suo anno 963. nepotis sui Flodoardi, ibi legit correctius exemplar Diuionense. Vnde [&] prædictus Pithœus in Glossario Capitularium Karo[li] Magni & Ludouici Pij, quod auctum posterius [in] lucem emisit, perpetuo Flodoardum nominat, vti & Iosias Simlerus in præfatione seu epistola dedicatoria Cosmographiæ Æthici, quod & nos sequemur. Patria ei fuit Sparnacum oppidum non procu[l] R[e]mis dissitum. Vixit sub Archiepiscopis Remensibus Heriueo, Seulfo, Artoldo, & Odalrico. Sub Ar[tol]do eum hoc opus conscripsisse patet ex libr. 3 cap. Vixit sub regibus Francorum Carolo Simpl[ici], Ludouico Transmarino, & Lothario eiusdem L[udouici] filio, quem in regem Francorum consecrauit Artoldus anno 954. Fuisse presbyterum & Can[onicum] Ecclesiæ Remensis testãtur codices Remeolis &[illegible] censis, qui illum bis titulis ornant, immo o[illegible] stra exemplaria manu exarata, in quorum [illegible] tur: Explicit Floardus vel Flohardus presbyte[r] [Re]mensis Canonicus. Similiter dictus Iosias [illegible] terum vocat, & Ioannes Filesacus Parisiensi[s] [T]heologus in veteris Ecclesiæ Gallicanæ querela Cano[ni]cum Remensem, vti & Iohannes Molanus in Nat. SS. Belgij die Augusti. Fuisse etiam aliquando [illegible] rem seu pastorem Colmisciaci vici testatur [illegible] libr. 4 cap. 28. At postmodum vitæ genus mutasse, [re]licto Canonicatu monasticæ regulæ sese sub[di]di[sse], & deinde abbatem factum esse, certa sunt [illegible] ta ex epistola Adelagi Bremensis Archiepi[sco]pi, q[uam] habes infra. Item ex eo quod de se [scr]ibit in c[hroni]co anno 963. his verbis: *Ego vero fractus ætate, & attritus infirmitate, & ministerio me abdicans pra[illegible] coram eodem præsule* (scilicet Odalrico, Arto[ldi suc]cessore) *quique me hoc absoluens iugo, imposuit [illegible] electionem fratrum meorum, nepoti meo F[l]odoar[do] [illegible] ptuagesimo ætatis meæ anno.* Sic ibi. Iden[illegible] confi[illegible] versus Gallici in codice perantiquo ms. reper[illegible] no bis in frontispicio positi, quorum hæc est [illegible] tio: Si vis scire Remenses Episcopos, lege [illegible] con Flodoardi docti. Is mortuus est tempore [illegible] rici Episcopi, oriundus ex Sparnaco. V[illegible] clericus, bonus monachus, melior Abbas ab A[gā]pito Papa fuit factus sacerdos. Ex eius histor[ia] [illegible] ta noua scies, & in illa totam antiquitatem [illegible] Idẽ deniq; probatur ex testimonio Dominici [illegible] Cardinalis, quod infra posuimus. Fuit au[tem] [illegible] & abbas ordinis S. Bened. Remis in monast[eri]o S [illegible] nigij. Quare non fallitur, nec iniuste [illegible] vendicat Tritthemius, Sigebertum [illegible] viris illustribus ordinis S Bened [illegible] 6 & [illegible] scriptorum ecclesiast. cum dicit eum f[ui]sse [illegible]

Remensem ordinis S. Benedicti. Quoa item sequitur Conradus Gesnerus in sua bibliotheca, & Arnoldus Vuion lib. 2. ligni vitæ cap. 6, . sed hic in ætate eius fallitur centum prope annis, scribens eum floruisse ann. 870. Fallitur quoque Antonius Possevinus apparatu sacro, in eo quod Flaualdum à Flodoardo & Frodoardo distinguat, tanquam diuersos auctores: Frodoardo solummodo tribuens chronicon, de quo infra, Flodoardo autem hanc Remensium Episcoporum historiam. Sed quæ in appendice nonnihil corrigit. Similiter dictus Vuion in adiunctis ad lignum vitæ pag. 909. Flodoardum à Flauardo non recte distinguit. Præterea fallitur Papirius Massonus in catalogo auctorum, quibus vsus est in suis Annalibus, dũ vocat eum Remensem Pontificem. Quod secutus est Baronius anno 943. nisi in Baronio mendum sit, & pro Rhemensi Archiepiscopo legendum sit, Rhemensis Archiepiscopus, vt ad Artaldum referatur. Nam anno 948. vocat eum Rhemensis Ecclesiæ presbyterum, sicut & ipse Papirius libr. 2. in Carolo Simplice, vt per inaduertentiam pontificem vocasse videatur.

Illud interim verum est, mortuo Rodolfo, ab vtroque Capitulo Nouiomensi & Tornacensi die 10. Iulij ann 950. electum fuisse in Episcopum Nouiomẽsem & Tornacensem. Non fuit tamen confirmatus, quia Ludouicus Transmarinus rex Francorum subdole, clam, & via extraordinaria in sedem vtriusque ecclesiæ intrusit & introduxit imputum monachum & Simoniacum clericum Fulgerum, sui archimagiri Kenn, filium nothum. Quod resciens Adelagus, vel vt vocat Albertus Krantzius in sua metropoli, Adaldagus Bremensis Archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, in hæc verba prorupit: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Deinde consolatoriam epistolam eidem transmisit, cuius exemplar infra posuimus. Hæc ex mss. Quibus habent consona de Fulcbeto Iacobus Meyerus & Antonius Lemochares in tabulis Episcoporum Tornacensium his verbis 144. *Fulcharus siue Fulcherus monachus Suessionensis sancti Medardi. sepultus in templo S. Eligij extra muros ciuitatis Nouiomensis, de quo scribit Meyerus ann. 955. Fulcherus homo spurius, filius existimatus principis coquorum Ludouici regis, Nouiomagensem malis artibus adeptus Episcopatum, omnia fecit deteriora, administrauitq; menses omnino 18. morbo absumptus pedicularis & phthiriasi, magnum exemplum puniti ambitus, & Simoniæ, si nos pestiferi timeremus Deum.*

Fuit porro Flodoardus vir litteris & moribus egregie exornatus, vt declarant testimonia, quæ infra subiungemus, & quod in historico præcipuum est, variæ lectionis, magnæ diligentiæ, & indefessi laboris. Hinc ait in præfatione huius historiæ, opus hoc vndecumque collectum esse: videlicet ex scriptorib. sacris & prophanis, gestis martyrum & vitis aliorum Sanctorum, actis Concil orum, & epistolis pontificum, præsertim Remensium, quas ex archiuis ecclesiæ suæ deprompsit. Sane à prædictis eum commendant nostri seculi doctissimi Annalium scriptores Baronius & Papirius Massonus, qui suos Annales ex ipsius scriptis plurimum exornauerunt. Meminit ipsius frequentissime Baronius tom.10. ab an. 845. vsque ad an. 962. Sed quod dolendum, ea allegans, quæ ex Gallico exemplari mutilo & imperfecto curauit in Latinum transferri, vt ipse fatetur dicto ann. 845. recensens ibidem diploma Caroli Calui, quo edicit vt Hincmaro restituantur omnia bona Episcopatus Remensis, quod habetur libr 3. cap. 4. De quo non sine ratione ait Pithœus in dicto Glossario verbo Beneficiario iure: Nollim virum multæ lectionis ex interpretatione Gallica, alienis à sensu verbis, hoc idem diploma retulisse. Verum ab anno 865. incipit ipsa verba Latina Flodoardi allegare, sed ex vnico exemplari, eoque sæpe incorrecto & deprauato, vt eodem anno, item 871. 877. 892. 893. & alibi videre est. Cæterum non sine laude ipsius meminit, vt ann. 9.3 vocans accuratum illius temporis scriptorem, cui tantam fidem tribuit, vt anno 954. ex eo alios omnes mendacij redarguat. Quantæ vero auctoritatis fuerit, ex eo discimus, quod ad legationes & publica negocia interdum adhibitus sit. Vnde libro 1. cap. 10. se scripsit ab Artaldo Episcopo missum propter res quasdã Remensis ecclesiæ ad Otthonnem regem & Conradũ duce.

Vt vero ad scripta eius veniamus. Quattuor huius operis libros esse demonstrat auctoris prologus, in quo vocat quadrifidum laboris sui opus. Quapropter male Trithemius, & qui eum sequuntur tres solummodo numerant. Præter hos quatuor libros historiæ Remensis ecclesiæ, siue vt alij vocant, de Gestis Remensium Pontificum, in quibus multa alia de sanctis & monasterijs eiusdem ciuitatis & diœcesis interserit. Scripsit etiam chronicon ætatis suæ exactissimum ab anno Domini 919. vsque ad 966 quod in lucem protulit Petrus Pithœus inter 12. scriptores coëtaneos Annalium & historiæ Francorum. Excusum est opus in octauo Parisiis 1588. & Francofurti 1594. Tametsi in præfatione dubitet idem Pithœus, sitne eiusdem auctoris. Sic enim ait. *Iam de Frodoardi chronico (siue is Flaualdus vel Fleardus sit Remensis ecclesia presbyter, qui Archiepiscoporum suorum vitas à B. Remigio ad Artaldum, diuerso plane stilo descripsit) & hoc monere visum est, ea qua ad Virdunenses Episcopos pertinent, sed & alia quadam virgulis inclusa, ex tribus vnius esse quod Diuionense appellauimus, quamquam Viriduni potius descriptum videatur. Quisquis ille fuit scriptor, multas profecto nobis sui seculi historia tenebras discutiet &c.* De hac re Pithœum non abs re dubitasse ait in præfatione Sirmondus, adhibito etiam hoc argumento, quod in vetere Kalendario S. Mariæ Remensis adnotatus sit obitus his verbis: *xvj. Kalendas Iunias Flodoardus presbyter & Canonicus* cum auctorẽ chronici Flodoardũ V. Kalendas Apriles vita functum esse Chronici appendix doceat. Verum scire oportet non ijsdem diebus, quibus aliquis ex hac vita discedit, anniuersariam commemorationem obitus ipsius celebrari in ecclesijs, vt passim testatur vsus, idque ob varia impedimenta & potissimum circa tempus paschale, quo iste migrauit è vita. Quapropter eundem esse vtriusque operis auctorem, non solum fatetur Papirius lib. 2. Annalium Francorum in Carolo Simplice; sed etiam apertissime conuincitur ex ijs, quæ habentur in eodem chronico anno 940. collatis cum ijs quæ habentur lib. 4. historiæ Remensis c. 28. Vtroq; enim loco eamdem rẽ gestam narrat auctor de seipso, videlicet de sua detentione in custodia ab Heriberto Comite, & ablatione ecclesiæ, quam regebat in Colmisciaco. Neque sane id Pithœus vnquam scripsisset, si hanc pariter historiam legisset, quæ non à B. Remigio, qui fuit decimus quintus Remensis sedis Archiepiscopus, sed à Sixto, primo eiusdem sedis Episcopo, primisque fidei patribus & fundatoribus exorditur. Tantumque abest, vt stilus sit diuersus, quod etiam vbi res eadem refertur, iisdem pene verbis vtatur. Conferantur cũ hoc chronico ea quæ habentur lib. 4. c. 35. vsque ad 35. Vtrum vero prius ab eo scriptum sit non certo constat. Chronicó ex eo videtur posterius, quia hæc historia definit in actis Artoldi, pertingẽs ad annum vsque 948. Chronicon vlterius progreditur vsque ad 966. Quod ait Trithemius, præter gesta Remensium Pontificum, eũ vitas quoque multorum Sanctorum libro vno scripsisse, cum eius operis nusquam meminerit, forte non aliud, sed hoc ipsum est, vt Sigebertus insinuat, in quo agit de vita & miraculis multorum Sanctorum. Porro non prosa tantum, sed & carmine valuit Flodoardus. Scripsit enim versibus miracula suo tempore facta in ecclesia B. Mariæ ab Hincmaro ædificata, vt ipse testis est li. 3. c. 6. Plutarcum scripsisse de viris Sancto-

ruio metrice, testis est Ioannes Bundetios Gandauensis ord. Prædicatorum, qui viuebat aoo. 1550. in indice mss. eodicum in Belgio exstantium his verbis: *Flodoardus presbyter scripsit de triumphis Italicis Martyrum & confessorum metrice lib. xv. mss. Treueris in summo templo. De triumphis Christi & Sanctorum Palestina metrice lib. 3. mss. ibid. Tertio de triumphis Christi & Antiochia gestis, metrice libros duos mss. ibidem.* Quæ scripta si adhuc exstent, vtinam Treuerenses publico ecclesiæ bono euulgent. De cæteris ipsius operibus compertum nihil habeo. Obiit autem plenus dierum, ætatis videlicet suæ anno 73. incarnationis Dominicæ 966. quinto Calendas Aprilis, hoc est 28. die Martij, non quinta die Aprilis, vt inaduertenter adnotauit Nicolaus Chesneau & Posseuinus. Sic enim in supplemento chronici ipsius legimus:

Ipso anno (videlicet 966.) vir vitæ venerabilis, & Remensis ecclesiæ presbyter, nomine Frodoardus, honore sanctitatis venerandus, castitatis splendore angelicus, fulgore sapientiæ * cælitus [cælicus] cæterarumque virtutum insignibus abundanter oppletus, præcedentis libelli, aliorumque librorum dictator egregius, quinta kalendas Apriles terrenæ peregrinationis relinquens exilia, ciuica, vt credimus, adeptus est iura.

ALIORVM DE HOC AVCTORE testimonia & elogia.

EPISTOLA ADALGAGI SIVE ADELAGI Bremensis Archiepiscopi consolatoria ad Flodoardum.

ADELAGVS MISERATIONE DIVINA Bremensis ecclesiæ seruus Frodoardo patri Remensi verbum pacis.

Qui dudum deposuisti beneficium, vt tecum mundana gloria contempterem animum in solitudinem & monasterii latebram deferres, ex voto non ante vita finem discessurus, quid iam doles tibi inde non licere egredi ad Episcopum ascendendo, quod surripuit Fulcherus? Stas, & non stas? Deo promisisti de stabilitate, vt si aliquando aliter feceris, ab eo te damnandum scires, quem irriseris; & eam tamen vacillas. Esto firmus in via Dei & à matutina vsq; ad noctem, quæ sunt honorum & dignitatum obliuiscere. Orasti: Suscipe me domine secundum eloquium tuum, & viuam. [Psal. 118.] *Eloquium Dei est: Omnis ex vobis qui non renunciat omnib. quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* [Luc. 14.] *Saluabuntur qui fugerint ab eis, & erunt in montibus sicut columbæ conuallium.* [Ezech. 7] *Vidit Deus boni operis tuo affectum, exercendi præstitit facultatem, exaudiuit preces, ne dubita, consummandi afferet auxilium. Sed dicis: negotiari volenti commodat Deus talentum, lucrantes beat.* [Matth. 25.] *An nescis quanto quis altius erectus est, tanto propius esse ne cadat? Ignoras honorum gradum superbiæ esse irritamentum, esse inanis gloriæ materiam? Caue, ne tibi blandiaris, ne iustitiam tuã facere desideres coram hominibus, vt videaris ab eis.* [Matth. 6.] *Puta te aptum regno Dei, negotiare, lucrare, super destinato brauio tuæ vocationis in Christo Iesu. Qui te aptum dicunt dignitate maiori, ipsi te, frater, decipiunt, & viam gressuum tuorum, consultore diabolo, conantur dissipare.* [Isa. 3.] *Fateor eum qui prodesse non præesse, qui contradictiones non honores, qui labores non delicias, qui opus, non opes episcopatus desiderat, bonum opus desiderare: sed tu omnibus interiorem discute animum, & disce Christum non semetipsum clarificasse vt pontifex fieret.* [1. ad Tim. 3.] [Ad Heb. 5.] *Officium quidem episcopale suscepimus, sed opus officii non implemus: in affectata præeminentia latet periculum. Horreo notare quod dixit sanctus, audiuit sanctus, rescripsit sanctus: Nunc essem de numero damnatorum si fuissem de numero Episcoporum. Hæc accipe ab eo qui tuus est, & iacta in Domino cogitatum* [Psal. 54.] *patientia tua non peribit in finem.* [Psal. 9.] [Psal. 27] *Fiant in desolationem, subito deficient, peribunt* [Psal. 9.] *propter iniquitates suas qui te oderunt: cognoscetur Dominus iudicia faciens, & in operibus manuum suarum comprehendetur peccator: Ora pro me. Scriptum pridie Kalend. Octob. anno. ix. cli.*

SIGEBERTVS GEMBLACENSIS IN libro de illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap. 132.

Flauualdus monachus Remensis scripsit gesta Pontificum Remensium, orditus narrationem suam a conditione ipsius ciuitatis, quæ à qualitate ciuium, qui in bello erant duri cordis, primo aucupata est sibi nomen Cordurus. Postea milites Remi, à Romulo fratre suo à facie Romuli fugientes ad eam profugerunt, eamque à nomine principis sui Remi Remum denominauerunt. Hic scriptor digne scriptoribus ideo connumeratur, quia digressus ab opere suo, memoriam faciens Sanctorum martyrum, vel Confessorum quiescentium in ecclesiis Remensi Ecclesiæ adiacentibus, vel subiacentibus, vitas vel passiones eorum legentibus notificauit.

IOHANNES TRITTHEMIVS DE Scriptoribus Ecclesiasticis.

Flauualdus monachus Remensis, ordinis S. Benedicti, in scripturis diuinis eruditus, & in secularibus litteris egregie doctus, ingenio subtilis, & disertus eloquio, scripsit non contemnenda lectionis opuscula, quorum studio nomen suum cum gloria transmisit ad posteros. E quibus feruntur opus insigne, à conditione Remensis ciuitatis, quam milites Remi à fratre Romulo necati fugatos, ob memoriam domini sui construxisse, & sic appellasse commemorant, vsque ad sua tempora: in quo multa de sanctis martyribus & aliis rebus ac gestis interserens, voluminis hunc titulum dare voluit, G[...]a Remensium pontificum lib. 3. Vitas quoque multorum Sanctorum lib. ... Alia insuper multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Eadem scribit de eo lib. 2. de viris illustribus ordinis S. Benedicti cap. 68.

DOMINICVS GRIMANVS CARDInalis S. Marci io Diario ad Des. Erasmum can. ordin. S. Augustini, quod excusum est Basileæ anno 15. 8. apud Michaelem Furterium, & Ioanoem Scotum. fol. 32. nota 13.

Dum Remis agerem, obtulit mihi D. Robertus Briconetus Archiepiscop. clariss. Galliæ Cancellarius registrum ms. continens quatuor libros historiæ Remensis ecclesiæ, authore & collectore Flodoardo, illius quondam Canonico, exinde monacho. Mutatio status, & ex canonico factum fuisse monachum, indicat pietatem viri. Docte scripsit & diligenter. Plurima enim illius registri iis contuli quæ hic in Vaticana asseruantur, eaque fideliter exscripta inueni: abest ab eo veteratorum rubigo, & nouorum auctorum asperitas. Et nostris temporis ærumnosa miseria non præferret studio historiæ lucrum vitæ, nec magis consuleret auaritia, quam antiquitatis notitia, dignus esset prælo auctor.

GVILIELMVS EYSENGREIN IN catalogo testium veritatis orthodoxæ matris ecclesiæ.

Flauualdus, Remensis Benedictinæ professionis monachus, vir tam diuinis quam profanis scripturis eruditus, Historicus perfectus, Theologus vero profundus, iusta Remensium pontificum, ab vrbe Remis condita, quam milites Remi a fratre Romulo necati fugatos, ob memoriam domini sui construxisse commemorant, vsque ad sua tempora tribus voluminibus, quibus complures S. Martyrum historias recitat, deduxit.

PAPIRIVS MASSONVS LIB. II.
Annalium Francorum in Carolo
Magno,

Frodoardus Carolo Simplice & Ludouico floruit, vitasque pontificum Rhemensium diligentissime scriptas, ad posteros transmisit, cuius operis exemplaria aliquot Lutetia vidimus.

IDEM IN CAROLO SIMPLICE.

Sequenti anno (hoc est 9.0.) magni motus in Gallia sunt exorti, de quibus & aliis publicis negotiis dicemus ex chronicis eiusdem Frodoardi (quem alii Flodoardum vocant) Rhemensis ecclesiæ presbyteri. Is enim auctor præter vitas Pontificum Rhemensium scripsit chronica ab anno nongentesimo decimonono vsque ad annum nongentesimum sexagesimumsextum, qui excessit è vita quinto Calendas Aprilis septuagesimo sexto ætatis anno: nosque illum scriptorem deinceps in Carolo, Roberto, Rodulpho, Ludouico, & Lotario sequemur, prætereritis V.itichindo, & aliis minoris diligentia ac fides scriptoribus.

Aliorum testimonia, vt Conradi Gesneri, Arnoldi Vuion, Antonii ossemini, & Israelis Spachii prætermittimus, eo quod nihil habeant à præcedentibus diuersum.

PROLOGVS AD R. EPISCOPVM.

Domino venerabili, & in Christi charitate admodum diligibili, præclaro præsuli R. Flodoardus, tanta beu gustatis famulus, omne sanctarum virtutum in Christo gaudium.

CRebertimis admonitionum vestrarum stimulis castigatus, discusso tandem desidiæ pigritantis corpore, abiectisque diuersarum curarum occupationibus, tele go feruentis studii vestri solertiæ quadrifidum nostri laboris opus vndecumque collectum, & capitulatim prout iubere dignati estis, dispositum, nostræ scilicet ecclesiæ Remensis historiarum librum. Haod mirari vel cumque petens sanctitatem culminis vestri super hac remoratione obsequii nostri, vtpote diuersis occupationibus præpediti, hiemali quoque glacialis gelu rigoris obstricti, charaxatorum insuper indigentia coartari. Neque mirum, ne minimum in correctione meorum terere moras opusculorum, cum veterum nonnulli scriptorum magis in retractatione suorum, quam meditatione demorati ferantur librorum. Sed nec adhuc omnes ad perfectum me puto eliminasse meodas: & si qua reperientur scriptoris forte vicia, industriæ vestræ poterunt expurgari sagacia. Non enim me ita perfectum teor ad vnguem fore perscrutatorem, vt ferre nolim, si quem diligentiorem in elimandis viciis inuenero correctorem. Igitur quia sanctitatis vestræ circa tantitatem nostram profusa videtur exoberasse dilectio, hunc studij nostri fructum, vestri dignum duxi tutaminis delegare patrocinio, vt quæ à nostra sunt dicta in tenebris humilitate, ab industriæ vestræ sublimitate dicantur in lumine.

INCIPIVNT CAPITVLA
Libri primi Historiæ Remensis Ecclesiæ.

1 DE conditione vrbis Remensis.
2 De amicitia Romanorum atque Remorum.
3 De primis huius vrbis Episcopis.
4 De primis eiusdem martyribus.
5 De successoribus præmissorum præsulum.
6 De sancto Nicasio.
7 De miraculis ipsius ecclesia.
8 De sancto Oriculo & sororibus eius.
9 De successoribus B. Nicasii.
10 De sancto Remigio.
11 De Ordinatione ipsius ad Episcopatum Remensem.
12 De diuersis ab eo patratis miraculis, & doctrina ipsius.
13 De conuersione Francorum.
14 De possessionibus quas ei rex Ludouicus & Franci contulerunt.
15 De victoriis Ludouici per auxilium S. Remigii, & fine ipsius regis.
16 De Synodo vbi conuertit hæreticum.
17 De mitigatione ignis, & obitu eiusdem, vel sepultura ipsius.
18 Testamentum ab ipso editum.
19 De remedio pestis inguinariæ, & cæteris per ipsum collatis.
20 De translatione corporis ipsius, & quibusdam denuo patratis miraculis.
21 De altera vel iterata translatione, seu relatione corporis eius ad vrbem.
22 De remediis subinde pluribus impensis.
23 De discipulis eiusdem beati Remigii.
24 De S. Theodorico.
25 De S. Theodulfo.
26 De fonte in hortum Sanctorum monasterie nuper exorte.

Capitula libri secundi.

1 De successoribus beati Remigii.
2 De Egidio præsule.
3 De sancto Basolo.
4 De Romulfo præsule.
5 De Sonnatio.
6 De Leudegisilo, Angleberto, & Landone.
7 De sancto Niuardo.
8 De translatione sanctæ Helenæ ad ipsius sancti monasterium.
9 De translatione S. Sindulfi ad idem monasterium.
10 De sancto Reolo episcopo.
11 De sancto Rigoberto.
12 De eius expulsione ab vrbe Remensi.
13 De miraculis in vita ipsius per eum ostensis.
14 De obitu & sepultura ipsius.
15 De translatione corporis eiusdem.
16 De Abel eius successore.
17 De Tilpino episcopo.
18 De Vulfario episcopo.
19 De Ebone præsule.
20 De ipsius depositione.

Capitula libri tertij.

1 De domni Hincmari electione vel ordinatione.
2 De reparatione indiscretæ Ebonis depositione.
3 De visione cuiusdam Bernoldi.
4 De restitutione rerum Ecclesiasticarum à Karolo rege peracta.
5 De reparatione Remensis Ecclesia ab ipso Hincmaro patrata.
6 De miraculis in eadem ecclesia posita declaratis.
7 De visione cuiusdam Gerhardi presbyteri.
8 De aliis quibusdam miraculis.
9 De secunda B. Remigii corporis translatione.
10 De Synodo comprouinciali apud Suessonicam vrbem habita.
11 De vacatione Cameracensis sedis, & coniunctione Balduini cum Iudith filia regis.
12 De causa Rothadi Suessonensis episcopi depositi.
13 De quodam Gothi scalco schismatico.
14 De libris quos idem præsul Hincmarus composuit.
15 De his quæ Karolo [illegible]
16 De Synodo sexprouinciali [illegible] habita.

Capitula libri quarti.

INCIPIT

LIBER PRIMVS

HISTORIÆ REMENSIS

ECCLESIÆ AVCTORE Flodoardo Presbytero & Canonico eiusdem Ecclesiæ.

De conditione vrbis Remensis.

CAPITVLVM PRIMVM.

Fidei nostræ fundamina proditurus, ac nostræ patres Ecclesiæ memoraturus, mœnium nostrorum locatores, vel instructores exquisisse, non ad rem adeo pertinere videbitur, cum ipsi salutis æternæ nil nobis contulisse, quinimmo erroris sui vestigia lapidibus insculpta reliquisse doceantur. De vrbis namque nostræ fundatore, seu nominis inditore, non omnimodis à nobis approbanda vulgata censetur opinio, quæ Remum Romuli fratrem, ciuitatis huius institutorem, ac nominis tradit auctorem; cum vrbe Roma, geminis auctoribus Romulo Remoque fundata, fratris militibus Remum, certius accipiamus scriptoribus, interfectum: nec illum prius à fratre recessisse, dum vno partu editi, & inter pastores educati, latrociniisque dediti, vrbem construxisse reperiantur, ortaque simultate, ac Remo fratre interfecto, ciuitati Romulus ex nomine suo nomen dedisse legatur. Nā vt Titi Liuij verbis vtamur: *Numitori Albana permissa, Romulum Remumque cupido cepit, in his locis, vbi expositi, vbique educati erant, vrbis condendæ; & superat multitudo Albanorum, Latinorumque: ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent, paruam Albam, paruum Lauinium, præ ea vrbe quæ conderetur, fore. Interuenit deinde his cogitationibus auitum malum, regni cupido: atque inde fœdum certamen coortum à satis miti principio. Quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, vt Dii quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent qui nomen nouæ vrbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatinum Romulus,*

Remum Auentinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur sex vultures: iamque nunciato augurio, cum duplex numerus Romulo se ostendisset, vtrumque regem sua multitudo consalutauerat tempore illo præcepto: at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi, à certamine irarum ad cædem vertuntur. Ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior autem fama est, ludibrio fratris Remum nouos transiluisse muros. Inde ab irato Romulo (cum verbis quoque increpitans adiecisset: Sic deinde, quicunque alius transiliet mea mœnia) interfectum. Ita solum potitus imperio Romulus, condita vrbs, conditoris nomine appellata. Ita Liuius. Probabilius ergo videtur, quod à militibus Remi patria profugis vrbs nostra condita, vel Remorum gens instituta putatur: cum & mœnia Romanis auspiciis insignita, & edirior porta Martis (Romanæ stirpis, veterum opinione, propagatoris) ex nomine vocitata, priscum ad hæc quoque nostra cognomen reseruauerit tempora. Cuius etiam fornicem prodeuntibus dexterum, lupæ, Remo Romuloque paruis vbera præbentis, fabula cernimus ionoratum, Medius autem, duodecim mensium, iuxta Romanorum dispositionem, panditur ordinatione desculptus. Tertius qui & sinister cygnorum vel anserum figuratus auspicio. Nautæ siquidem, cygnum bonam prognosim prodere ferunt: vt ait Æmilius.

Porta Martis

Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales,
Hunc optant nautæ, quia se non mergit in vndis.

Anseres quoque nocturnas excubias celebrant, quas cantus assiduitate testantur. Denique Romana etiam capitolia Gallo seruasse traduntur ab hoste.

Nec mirum tamen, vrbis nostræ conditionem vel originem non in propatulo dari, cum de ipsius gentium, vel orbis dominæ Romæ conditione, Isidoro teste, oriatur plerumque dissensio: vt eius diligenter agnosci non possit origo. Nam Sallustius: *Vrbem, inquit, Romam sicuti ego accepi, condidere atque habitauere initio Troiani qui Ænea duce sedibus incertis vagabantur.* Alij dicunt ab Euandro secundum quod Virgilius:

Isido. l. 15. orig. cap. 1.
Sallust. in catil.

Tunc rex Euandrus Romana conditor arcis.

Virg. 8. Æneid.

Eutropius quoque in libro historiarum sic loquitur, dicens: *Romulus cum inter pastores latrocinaretur, 18 annos natus, vrbem exiguam in Palatino monte constituit, conditamque ciuitatem ex nomine suo Romam vocauit. Post hunc Tullus Hostilius eam, adiecto Cælio monte, ampliauit. Indeque cæteri diuersis diuersi temporib. principes, eius æditores vel amplificatores extitere.* Vrbis autem nostræ nomen Durocortorum quondam dictum, Cæsaris astruitur historia, in qua libro sexto sic legitur: *Vastatis regionibus, exercitum Cæsar Durocortorum Remorum reducit, conciliique in eum locum Galliæ indicto, de coniuratione Senonum & Carnutum quæstionem habere instituit.* Æthicus etiam in Cosmographia sic memorat. *A Mediolano per alpes Cottias Viennam M. pm. cccc. ix. Inde Durocortorum, M. pm. ccc. xxxiii. quæ fiunt leugæ ccxxi. Item à Durocortoro Diuorum vsque, M. pm. lxxi. Item alio itinere à Durocortoro Diuodorum vsque M. pm. lxxxviii. Item à Durocortoro Treueros vsque leugæ xcviii. Item à Bagaco Neruiorum Durocortorum Remorum vsque, M. pm. liii.*

Eutrop. l. 1. hist. Rom.
Iul. cæs. l. 6. de bell. Gall.
in fine.

De amicitia Romanorum atque Remorum.

Cap. II.

Constat itaque Remorum populum populo Romanorum tenacissima priscis olim temporibus, amicitia iunctum, prælibatæ Iulii Cæsaris historiæ libris hoc ipsum adstipulantibus, vbi legitur. *Eo, scilicet ad fines Belgarum, ipso Cæsare de improuiso, celeriusque omnium opinione, perueniente, Remos (qui proximi Galliæ ex Belgis sunt) ad eum legatos Iccium, & Andebrogium primos ciuitatis suæ, misisse, & se suaque omnia offerentes in fidem atque amicitiam populi Romani omnino coniurasse, paratosque esse & obsides dare, & imperata facere, & oppidis recipere, & frumento, cæterisque rebus iuuare. Reliquos omnes Belgas in armis esse, Germanosque qui cis Rhenum incolunt sese cum his coniunxisse, tantumque esse eorum omnium furorem, vt ne Suessiones quidem, fratres, consanguineosque suos, qui eodem iure, & isdem legibus vtantur, vnum que magistratum cum illis habeant, deterrere potuerint, quin cum his consentirent.* Item. *Cæsar postquam omnes Belgarum copias in vnum locum coactas ad se venire vidit, neque iam longe abesse, ab his quos miserat exploratoribus, & ab Remis cognouit, flumen Axonam, quod est in extremis Remorum finibus, exercitum traducere maturauit, atque ibi castra posuit. Quæ res & latus vnum castrorum ripis fluminis muniebat, & post eum quæ erant, tuta ab hostibus reddebat, & commeatus ab Remis, reliquisque ciuitatibus, vt sine periculo ad eum portari possent, efficiebat. In eo flumine pons erat. Ibi præsidium ponit, & in altera parte fluminis Titurium Sabinum legatum cum sex cohortibus relinquit. Castra in altitudinem pedum 12. fossamque pedum 18. munire iubet. Ab his castris oppidum Remorum, nomine Bibrax, quod aberat millia passuum * 18. ex itinere, magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt. Ægre eo die sustentata est Gallorum atque Belgarum oppugnatio hæc. Vbi circumiecta multitudine hominum totis mœnibus, undique in murum lapides iaci cœpti sunt, murusque defensoribus nudatus est, testudine facta, portas succedunt, murumque subruunt, quod * tum facile fiebat. Namque tanta multitudo lapides ac tela coniiciebant, vt in muro consistendi potestas esset nulli. Cum finem oppugnandi nox fecisset, Iccius Remus summa nobilitate & gratia inter suos qui tum oppido præfuerat, vnus ex his, qui legati de pace ad Cæsarem venerant, nuntium ad eum mittit, nisi subsidium sibi mittatur, sese diutius sustinere non posse. Eo de media nocte Cæsar, iisdem ducibus vsus, qui nuntii ab Iccio venerant, Numidas & Cretas sagittarios, & funditores Baleares subsidio oppidanis mittit. Quorum aduentu, & Remis cum spe defensionis studium propugnandi accessit, & hostibus eadem de causa spes potiundi oppidi discessit. Itaque paulisper apud oppidum morati, agrosque Remorum depopulati, omnibus vicis, ædificiisque quo adire poterant, incensis, ad castra Cæsaris omnibus copiis contenderunt, & à millibus passuum minus duobus castra posuerunt.* Et post pauca: *Hostes protinus ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt, quod esse etiam post nostra castra demonstratum est. Ibi vadis repertis, partem copiarum suarum transducere conati sunt, eo consilio, vt, si possent, castellum, cui præerat Quintus Titurius legatus expugnarent, pontemque interciderent. Si minus potuissent agros Remorum popularentur, qui magno nobis vsui ad bellum gerendum erant, commeatuque nostros sustinebant. Cæsar certior factus à Titurio, omnem equitatum & leuis armaturæ Numidas, funditores, sagittariosque pontem traducit, atque ad eos contendit. Acriter in eo loco pugnatum est. Hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audacissime transire conantes, multitudine telorum & audacia repulerunt: primos qui transierant, equitatu circumuentos interfecerunt.* Item in eadem Historia libro tertio. *Cæsar Labienum legatum in Treuiros, qui proximi Rheno sunt, cum equitatu mittit. Huic mandat Remos reliquosque Belgas adeat, atque in officio contineat.* Item lo V. *Tantam omnium voluntatis commutationem,* Cæsar scilicet, *attulit, vt præter Heduos & Remos, (quos præcipuo semper honore Cæsar habuit: alteros pro vetere ac perpetua erga populum Romanum fide: alteros pro recentibus belli Gallici officiis) nulla ferè ciuitas fuerit non suspecta nobis.* Item lo VI. *Carnutes legatos, obsidesque mittunt, vsi deprecatoribus Remis, in quorum erant clientela. Eadem ferunt responsa,* quæ videlicet Senones, *obsidibus imperatis.*

Iul. cæs. de bell. Gall. l. 2. initio.
Ibidem
Gal. A. fine.
Orig. octo.
ms. adactu.
Orig. inter ciede sene.
Cæs. l. 3.
Lib 5. in fin.
Lib 6. initio.

Principatum quoque Remos antiquitus ioter sibi finitimos tenuisse constat. Sed & apud Romanos id ipsum obtinuisse, auctumque sibi legitur in præmissa, tam ius, quam decus, historia, vt in eodem libro 6. *Sequani principatum dimiserant: in eorum locum Remi successerant.* Semper enim, & in omnibus bellis Remi fidem Romanis seruauerunt. Et in 7. etiam quando totius pene Galliæ populi aduersus Romanos conspirasse, conciliumque Bibracte habuisse leguntur, illi nullatenus adesse voluere, quod amicitiam Romanorum sequebantur. In necessitatibus autem copias eius Romanorum sustentasse produntur, vt in quinto huius historiæ lib. *Quo anno frumentum propter siccitates angustius prouenerat, coactus est.* Cæsar scilicet, *aliter ac superioribus annis, exercitum in hibernis collocare, legionesque in plures ciuitates distribuere. Ex his vnam in Morinos ducendam, C. Fabio Legato dedit: alteram in Neruios Q. Ciceroni: tertiam Essuos* L. Roscio: quartam in Remis cum T. Labieno in confinio Treuirorum hiemare iussit.* Item in VII. *C. Fabium, & L. Minucium cum legionibus duabus in Remis collocat.* Insuper & vsque ad internecionem pene Remos pro salute Romanorum certasse Orosius etiam libro 6. adstipulatur, eo prælio quod Bellouaci, post cæterorum Gallorum, qui arma contra Romanos tulerant, deuictum exercitum, instaurauerant, magnam Remorum manum, quæ auxilio Romanis erat, asserens trucidatam. Remos denique prælus fortes, optimosque fuisse iaculatores: sed & ad bella ciuilia quibus Pompeio superato, monarchiam totius, vt fertur, orbis obtinuit, Cæsare inuitante profectos, Lucanus libro primo restatur his versibus.

Lib 7. post med.

in P.

Lib 7. in fin.

Paulus Oros. l. 6. hist. c. 11.

Rura Nemetis
Qui tenet, & ripas Satyri, qua littore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor,
Signa mouet, gaudetque amoto Santonus hoste.
Et Biturix, longisque leues Axones in armis,*
Optimus excusso Leucus, Remusque lacerto.
Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis,
Et docilis rector rostrata Belga couini.

Lucan. l. 1 de bello ciu.

m j. Bitures.

De primis huius vrbis Episcopis.

Cap. III.

NEc solum apud Ethnicos tunc temporis tanti habitum Remorum populum, quin & apud primos Ecclesiæ Dei propagatores, atque per Euangelium in Christo patres. primæ huius prouinciæ nostræ sedis Pontifices constat semper honore decoratos: adeo vt ipse beatissimus Ecclesiæ Christi princeps, Petrus Apostolus, vrbi nostræ beatum Sixtum à se Archiepiscoporum ordinatum, cum suffraganeorum auxilio censuerit delegandum, idoneos ei, ac necessarios in eadem prouincia destinans socios S. Sinicium videlicet, Suessonicæ sedis primo, nostrum postea Præsulem, ac beatum Memmium Catalaunicæ vrbis rectorem. S. vero Sixtus Remorum primus Episcopus, etiam Suessonicam fundasse fertur Ecclesiam, & B. Sinicium collaboratorem & cooperatorem suum inibi constituisse: quique post eiusdem S. Sixti decessum, nepote suo, vt ferunt, Sancto Diuitiano Suessoni à se Pontifice ordinato, quoniam ooniter instituta Remensis Ecclesia, lacte adhuc, tenera fotefouebat pignora, necdum ad onus Pontificale perferendum robusta, Remis Archiepiscopalem (ea cogente necessitate) subiit cathedram. Vbi pro animarum salute fideliter elaborans, bonumque certameo decertans, cum decessore, vt in cœlis, ita etiam meruit in terris habere consortium, vnius eiusdemque templi tumbæque sortitus cum B. Sixto sepulchrum. Quorum postmodum meritis Basilicæ domus ipsorum claris illustrata miraculis, nonnullis dotata ditatur muneribus: agris quoque domibusque ac vineis locupletata, clericorum pariter enituit ministeriis decorata. Quorum nonnunquam decem, vt domni Sonnatii Præsulis tempore, ibidem repperitur congregationem fuisse, donec moderno tempore, abundante iniquitate, & refrigescente charitate, deficere Deo inibi militantium chorus, & vnius ipsum cœpit esse templum* presbyteri titulus. Quocirca etiam ipsorum nuper abinde ossa translata, in Ecclesia beati Remigij post altare sancti Petri, eorundem præceptoris, seruantur recondita. Nec eos Ecclesiam nostram tantummodo ab vrbe Roma constat habuisse patres vel fundatores, quæ Martyribus etiam redimita, eorumque sacrata sanguine atque triumphis, sub ipso Neronianæ persecutionis articulo, decorata probatur.

S. Sixt. S. Sinicius S. Memmius.

Basilica ss. Sixti & Sinicii.

De primis eiusdem Martyribus vrbis.

Cap. IV.

BEatus siquidem Timotheus, ab Orientis partibus ad hanc Remensem vrbem perueniens, Iesu Christi Domini publice non veritus est prædicare veritatem. Vnde & à præside Lampadio quitunc præerat huic populo, tentus, & quod nouæ legis propositum hominibus suaderet, conuentus, hinc minis principum, legumque seueritate vexatus, opum quoque pollicitatione tentatus, responsum quod olim ab Ecclesiæ principe didicerat, improbo iniussum supernæ nundinatori gratiæ rependere non timuit: Diuitiæ (inquiens) tuæ tecum sint in perditionem, & ibi cum ipsis in ignem æternum. Dominus enim meus Iesus Christus filius Dei, ipse te iudicaturus est. Tunc Præses ira repletus, iussit eum torqueri. Et dum Christum constanter inter ipsa cruciatuum confiteretur tormenta, inferens inter cætera, quod illi, quos Præses pro Christi nomine se putabat occidere, ipsi pænaliter eum iudicaturi essent: & Præses diceret. Ergo tu iudex eris mei? Ego te occidam, & quis erit qui te eripiat de manibus meis? Sanctus Timotheus respondit: Dominus meus cui credo, potest liberare me, te autem debita tormenta immittet. Iterum dum supplicia multa cruciari iussus fuisset, ait ad iudicem: Quanto tu mihi ampliora tormenta intuleris, tanto amplius refrigerium præstabit Dominus cui credo. Et cum cæderetur à ministris, exclamauit voce magna, dicens: Aspice Domine, & vide quæ infert diabolus seruo tuo, ne me derelinquas, ne dicant homines, vbi est Deus eius? Præses denique iussit calce viua & aceto aspergi plagas ipsius. Sanctus vero Timotheus dixit: Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe, qui mihi das tolerantiam vt hæc possim sufferre. Ita istud factum est in corpore meo, tanquam oleo perunctus sim. Vnus autem de ipsis cædentibus, nomine Apollinaris, vidit duos Angelos stantes ad eius, & dicentes illi: Confortare Timothee: missi autem sumus ad te, vt ostendamus tibi Dominum Iesum Christum, pro cuius nomine sustines pœnas, vt videas quæ aguntur in cœlis: Erige caput tuum, & vide. Aspiciens autem S. Timotheus vidit cœlos apertos, & Iesum ad dexteram Patris, coronam tenentem ex lapidibus pretiosis, ac dicentem sibi: Timothee, hæc quam vides, tibi parata est. Accipies illam tertia die imminente de manibus meis. Et Angeli dixerunt ei: Confortare Timothee; & abierunt in cœlis. Apollinaris vero cum hæc vidisset, procidens ad pedes eius, dixit ei. Domine Timothee ora pro me. Ego enim libentissime torquebor pro nomine Christi quia vidi tecum loquentes viros splendidissimos, dum te cum loquerentur magnalia Dei illius qui regnat in cœlo. Tunc præses, vt vidit se esse confusum, dixit: Sistatur Apollinaris: afferte autem mihi plumbum bulliens, & effundite in os ipsius, vt non talia verba

loquatur. Cumque allatum fuisset plumbum bulliens, & missum in ore eius, factum est frigidum tanquam glacies. Viso autem hoc miraculo, multitudo magna credidit in Dominum Iesum Christum. Tunc præses iracundia plenus & confusione, dixit: Ducite illos in carcerem, vsque dum ego pertractem quo supplicio interficiantur. Cum autem ducerentur, plurima turba sequebatur eos flens, & dicens: O iniustum iudicium quod incidit in ciuitatem istam! Perducti sunt vero in carcerem: & multi erant circa eos, desiderantes consolari à sancto Timotheo. Ipsa autem nocte adueniens quidam Presbyter, nomine Maurus, multitudinem hominum baptizauit in nomine Domini nostri Iesu Christi. Apollinaris vero cum baptizaretur, vidit cœlos apertos, & audiuit Angelum dicentem sibi, Beatus es Apollinaris qui credidisti, beati omnes qui tincti sunt in aqua, in qua tu purificatus es. Quicunque hac nocte hic baptizatus fuerit, crastina die in paradiso suscipietur. Hoc autem dictum omnes qui ibidem aderant audierunt, & genua flectentes, dixerunt: Parce nobis Domine Deus noster, & præsta misericordiam tuam his qui diligunt nomen tuum. Altera autem die iussit Præses adduci eos ante tribunal suum. Astantibus autem illis Præses dixit: Stulti homines, quæ res vos circumuenit, vt credatis in hominem crucifixum, qui sub Pontio Pilato multa perpessus est, nouissime autem crucifixus asseritur. Tunc illi responderunt, dicentes: Vidimus in hac nocte Angelum Dei loquentem cum Sanctis quos tu tenes in carcere: & ipsi Angeli dixerunt nobis, hodie ituros esse in paradisum, & accepturos coronas quas tui oculi videre non merebuntur. Præses vero iracundia plenus, iussit* cunctos decollari. Cumque ducerentur Sancti extra ciuitatem, signauerunt se signaculo Christi, & sic martyrizati sunt, confitentes Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Fueruntautem omnes qui decollati sunt quinquaginta viri sub die vndecimo Calendas Septembris.

Altera autem die procedens Præses, sedit pro tribunali: Sanctum vero Timotheum & Apollinarem adduci præcepit. Astantibus autem illis, ait ad eos Præses: Infœlicissimi hominum consentite præceptis Imperatorum, & adorate eos quos illi adorant. Timotheus & Apollinaris dixerunt: Nos dæmones non adoramus, sed solum Dominum Iesum Christum, qui est Deus viuus & verus, ipsum oportet confiteri nos. Tu ergo ne putes nos arbitris tuis separari à charitate, & à regno Dei. Hoc autem tibi notum sit, quia qua hora nos putas mortificari, tunc viuificamur, sicut illi qui à te hesterna die interfecti sunt, & viuunt in cœlis. Te ergo vere percutiet Iesus Christus vlcere pessimo. Iratusque Præses, dixit: Istos si non mortificauero, alij multi ad nouam sectam venturi sunt. Sic dedit aduersus eos sententiam, vt gladio interficerentur. Illi autem cum magna fiducia perducti sunt extra ciuitatem, in via quæ appellatur Cæsarea, in locum qui Buxitus dicitur, ibique martyrizauit eos, sub die decimo Calendas Septembris, & coronati sunt ab Angelis, & vox audita est, dicens: Venite Timothee & Apollinaris dilectissimi mei, & ostendam vobis quanta mirabilia meruistis pro animabus vestris, quas obtulistis pro nomine meo: & scitote quæ facturus sum Lampadio Præsidi. Statimque iaculum igneum descendit de cœlo multis videntibus, & ingressum est humerum eius dextrum, & à dæmonio arreptus vitam finiuit. Corpora vero sanctorum sepulta sunt à Christianis die nono Calendas Septembris. Eusebius quidam vir spectabilis, qui & ipse per verbum ipsorum credidit, fabricauit illis basilicam, in qua multa signa & remedia ostenderunt. Cæcis visum, claudis gressum reddiderunt, & qui à dæmonibus vexabantur curati sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi. Eorum vero corpora dominus Tilpinus Archiepiscopus

Tim. Apol martyr Augusti.

A veteri promouens tumulo, sepulchrum ipsorum decenter argento decorauit & auro. Altare denique quod ante tumbam eorumdem stat medium, sancti Mauri fertur reliquiis & honore dicatum, qui eodem, quo præfati, tempore, pro Christo cæsus capite, ipsorum meruit consortio teneri. Cuius ossa in Ecclesia B. Celsini seruantur deposita. Caput autem infra ciuitatem intra beatæ Dei genitricis Mariæ basilicam in arca secus altare veneratur reconditum. Ipsa etiam præmissorum ecclesia Martyrum pignoribus complurium traditur insignita Sanctorum. In cuius dextera parte sanctorũ Siluani &* Siluiani: in sinistra vero S. Tonanni & sancti Iouini feruntur reseruari corpora. Hic etiam in eadem Sanctorum basilica Beatus Remigius tumulum sibi parari præcepisse reperitur, vt post conditam testamenti sui continentiam subintulit, addens: *Post conditum testamentum, immo signatum, occurrit sensibus meis, vt basilicæ domnorum martyrum Timothei & Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, vt ex eo sedes futura meorum ossium componatur.* Sed & in ipso testamento suo, duodecim solidos ad ipsius basilicæ cameram struendam iusserat dari. Diuersi quoque diuersis idem locupletauere dotibus templum: vbi domnus Gondebertus, vir clarissimus, cum vxore sua Bertha, villam in pago Vontinse sitam, Perthas nomine, dedit. Reperitur autem congregationem ibidem nonnunquam viginti, nonnunquam duodecim fuisse clericorum, vt in tempore Theodorici Regis, quando ad eandem basilicam prædiorum donaria plura leguntur tradita. Et vsque ad recentia nuper tempora quibus, religione deficiente, ad vnius est redacta Presbyteri titulum) Deo seruientium cœtu, dignoscitur insignita virorum. Nonnullis etiam aliis templa locis, eorum splendenti honore decorata: quoniam signis pluribus eis olim coruscantibus, amatores Christi memoriis ipsorum suas excolere studuerunt atque munire possessiones. Quorum quidam, ceu Gregorius Turonensis Episcopus in libro miraculorum refert, eorum reliquias, ædificata horum honore basilica, deuotus expetiit. Quas pontifice loci per Presbyterum honorifice dirigente, dum iter idem Presbyter ageret, ab obuia quadam muliere salutatus, obnixe, importuneque ab ea rogatus est, vt horum sibi quiddam pignerum condonaret. Qui diu nutatim differens, mulieris improbitate tandem deuictus, sacrorum cinerum particulam tradit roganti. Ascensoque caballo, iniunctum sibi moliens iter expedire, nullatenus eum percussis admodum lateribus, valet itineri, promouere. Insuper ipse quoque sic interim prægrauatus opprimitur, vt vix valeret adtollere caput. Ita demum animaduertens virtute se detineri Martyrum, motus pœnitentia, recepit opportune, quod largiri præsumpsit incongrue, redibitaque sacrorũ quam denipserat portione, liber ad iussa relaxatur abire. Apud Duodeciacum quoque vicum horum constructa decore sanctorum basilica Martyrum, magnorum D prædicatur radiare nitore magnalium, optabilique refulgere gratia sanitatum.

* Siluiniani.

Hodie 12. sunt canonici in eccles. S. Timot.

Grego. Turon. Li. Miracul. seu de gloria martyr. c. 55.

Beati denique Timothei ossa, Rex Otho, concedente Artaldo Archiepiscopo, transferri fecit in Saxoniam, & monasterium monachorum in eius instituit honore. In qua translatione multa mira feruntur ostensa. Nam vt Aono tunc Abbas, nunc Episcopus, mihi retulit, à quo eadem sacra pignera translata sunt, præter alia plura remedia, duodecim inter claudos & cæcos fuere curati. Beatus quoque Apollinaris ossibus suis in Orbacense monasterium translatis, nonnullis inibi florere spectatur gratiarum insignibus.

Otho. I. qui & magn*.

Orbay, ou Orbé.

De successoribus præmissorum Præsulum.

Cap. V.

FRequentibus igitur persecutionum procellis intonantibus, Ecclesiæ puppis nostræ iactata, diuersisque oppressa fluctibus, quoniam caput vix attollere poterat, quanto sedes ipsa tempore rectore vacua digno resederit, haud facile panditur: adeo vt post præmissos nostræ fidei patres, beatum Sixtum atque Sinicium, vnum duntaxat præsulem inueniamus Amansium ad imperium vsque Constantini, sub quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito diacone suo, primus ex hac Belgica prouincia legitur Arelatensi primæ interfuisse Synodo, relatæ per Martinum Episcopum beatissimo Papæ Siluestro, Volusiano & Aniano consulibus. Post quem Aper, inde Maternianus, cuius reliquias ossium domnus Hincmarus Archiepiscopus Ludouico Regi Transrenensi, se direxisse commemorat in epistola pro eiusdem, aliorumque Sanctorum pigneribus ad eundem regem transmissa. Hinc Donatianus extitit Episcopus, cuius etiã pigneta maritimas in partes Episcopij Nouiomagensis vel Tornacensis perlata, vario signorum memorantur splendore decorata. Quem beatus Viuentius tam celsus illustris vitæ meritis, quam claro pontificalis sequitur ordine culminis. Cuius etiam sacra membra domno Ebone Antistite nostro deferente, super fluuium Mosam translata, Braquis instructa Ecclesia, dispositaque famulantiorum caterua Clericorum, debito deponuntur honore seruanda. Vbi etiam pluribus olim renituisse prædicatur insignibus, claudis gressum, cæcis quoque reformans aspectum, cui successit Seuerus.

S. Amansius. Betausius. 1. Synod Arelat. an. 314. Aper. S. Maternianus. S. Donatianus. S. Viuentius. Braux. Seuerus

De sancto Nicasio.

Cap. VI.

POst præmissos Præsules beatus Nicasius cultu sequitur Pontificatus, magnæ vir charitatis; magnæque constantiæ, sub Vuandalica in Gallijs persecutione, sanctæ sibi commissæ validissimus rector Ecclesiæ, in pace quidem nobilitator ac decorator; in periculis vero moderator & tutor, piis populum doctrinis & exemplis instituens, decoremque cœlibis sponsæ Christi Ecclesiæ, fabricis & ornatibus attollens. Is namque sedis huius sanctæ basilicam in honore perpetuæ Virginis Dei genitricis Mariæ, diuina traditur admonitus reuelatione fundasse, quam proprio quoque consecrauit sanguine. Cathedra siquidem Pontificalis antiquitus in Ecclesia, quæ ad Apostolos dicitur, extitisse fertur. Hic beatus Antistes angelica præmonitione instructus, futuram longe ante præscisse docetur internecionem; perniciosamque prosperitatis redarguendo securitatem, imminentem diuini prædixisse verberis vltionem. Portabat autem charitatis humeris anxius peccatorum crediti sibi gregis pondus, mori paratus pro omnibus, vt iram indignationis Dei à populo auerteret, aut in ipsa certe vindicta, cœlestem clementiam humilitatis spiritu & animo contrito placaret, ne vsque ad animam, licet temporalis, at non æternalis perueniret gladius. Sed quia verbi Dei semen in spinis diuitiarum suffocatur consiliorum, prosperantesque, & in vanitate sæculi gloriantes monita salutis, aure cordis ad fructificandum non admittunt: immo perituris impliciti occupationibus, nec vera vitæ, quin letifera peccati, mortisque stipendia sequentes, quoniam perfecte mala non oderant, vera sectari bona digne non valebant. Piam insuper religionem negligere, diuinitatis præcepta postponere, vanitatibus inseruire, concupiscentiæ vitiis inhærere, schismatica scandala fulcitare, D[...] dolor) in his omnibus haud metuebat [...] Et ecce subito eiusdem prosperitatis tempori[...] molitas dirissimarum gentium commota, D[...] sionis iram in diuersas vindicatura prouincias [...] tione truculenta, Vuandalorum multitudo [...] rantet accelerat, subuersis multarum [...] vrbium, gladioque interemptis vtriusque sexus progenitoribus cum filiis, non aliam dignitatis gl[...], non aliud aliquid in temporalibus lucris [...] ranter concupiscere cernebatur, quam humanum haurire ac fundere sanguinem, & Christianorum duntaxar sitire internecionem. Sub huius vero tempestatis turbine, gloriosi renitebant in Gallijs inter Episcopos viri, sanctissimus Remorum præsul Nicasius, & beatissimus Aurelianensium pontifex Anianus, Sanctus quoque Lupus Trecassinus, & beatus Seruatius Tungrensis Antistes, aliique nonnulli virtutibus insignes, qui hanc indignationis Dei, suis meritis ac precibus, iram diu differre certauerunt, vt omnibus [...]resibus & prauitatibus populi restinctis, ad Catholicam religionem & verum Dei cultum per pœnitentiam reuocarent; ac tantæ persecutionis, & di[...] animaduersionis gladium ab Ecclesiæ ceruicibus a[...]carent. Sed (pro nefas!) *impius*, vt scriptum est, *in profundum peccatorum venerit, contemnit*, salut[...] eorum præceptis nullatenus obtemperabant. A[...] beatissimus Nicasius præsul, instantibus studiis, continuisque doctrinis ac precibus, populum D[ei] ad pœnitentiam seu patientiam, & triumphum marty[rii] prouocabat, vt quos incauta prosperitas ad offersionis impulerat foueam, aduersitatis deuota tolerantia non iudicium damnationis, sed gratiam purgationis causamque salutis efficeret. Interea castrame[...] agmina Vuandalorum circa vrbem Remoru[m] [...]uersaque regione depopulata, neces tantum [...]bitantium feruentissime pertractantes Christianorum. Hos veluti Deorum suorum inimicos, & [...]bus paganorum contrarios, interimere, [...] de terra delere ambiebant. Beatus itaque [...] animam suam pro fratribus, Christi sequens ex[em]ponere paratus, elegit, obnixeque proposuit, sibi [com]missum nullatenus omittere gregem: prorsus instituit, aut cum eis pariter viuere, aut pariter, qu[...] eos paterfamilias perpeti vellet, sufferr[e]. ne fugiendo, Christi videretur (sine quo non possunt homines vel viuere vel fieri Christiani) deserere ministerium. Vnde & iuxta B. Augustini sententiam, maiorem charitatis reperit fructum quam qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens, atque comprehensus non negauit Christum, suscepitque martyrium. Metuebat enim potius Antistes sanctissimus, ne se deserente, lapides viui extinguerentur, quam ne lapides & li[gna] terrenorum ædificiorum, se præsente, incenderentur: magis timens, ne destituta Christo corporis membra spiritali victu, necarentur, quam ne membra corporis sui hostili oppressa impetu torquerentur. Paratus ad vtrumque, vt si non posset hic calix transire, fieret voluntas eius, qui mali aliquid non potest velle. Nec requirebat quæ sua sunt: sed imitans eum qui dixit, [non] quæro quod mihi vtile est, sed quod multi[s, vt salui] fiant. Et ne magis fugiendo obesset exemplo, quam viuendo prodesset officio, nulla ratione consensit esse fugiendum. Neque temporalem mortem (quæ quandoque ventura est, etiamsi caueatur) sed æterna[m] [...] potest si non caueatur venire, & potest si caueatur non venire) formidans; non sibi placens, nec personam suam in tantis periculis fuga digniorem, vt po[te] gratia excellentem, iudicans, ne ministeriu[m] in maxime periculis necessarium, ac debitum, s[ub]traheretur Ecclesiæ. Non, vt mercenarius [...] lupum venientem, dimissis ouibus [...] vt pastor bonus, pro grege sibi credito a[nimam suam] pa[...]

S. Nicasius. Transferri sedem Episcopalem ad Eccles. B. Mariæ. Mat. 26

simus obtulit. Et quod melius ageodum inuenire potuit, sedulas ad Dominum pro se suisque fundere preces elegit. Fatigatis igitur tandem præliatoribus impugnatione continua, excubiis & inedia, furentibusque circumquaque hostibus, ac fortiter bello concurrentibus vrbem, nimio terrore tædio ciuitas vniuersa perculsa, ad sanctissimum Nicasium in orationibus prostratum decurrunt, futuram paganorum victoriam pertimescentes, & auxilium consolationis ab eo (velut à parte filii) requirentes, Interrogant, quid vtilius consilii faciendum decernat, aut seruituti gentium sese tradere, aut ad mortem vsque pro salute vrbis dimicare. Beatus autem Nicasius cœlitus diuina præsciens reuelatione, Remorum subuertendam ciuitatem, consolans eos, infatigabiliter Domini supplicabat clementiæ, quatenus hæc tribulatio mortis temporariæ, non ad iudicium, sed ad indulgentiam, persistentibus in vera fidei confessione proficeret: pro animæ pugnare salute, non armis visibilibus, sed probis docens moribus, non corporalium fiducia virium, sed spiritalium exercitatione virtutum. Hanc supernam iusto Dei iudicio, peccantium sceleribus excitatam demonstrans indignationem. Certum salutis id prædicans esse consilium, si ad diuina compuncti flagella conuerterent animum; suscipientes hæc non inuiti aut desperantes, vt iniquitatis filii; quin patientes ac mansueti, ceu filii pietatis, promissa regni cœlestis præmia percepturi. Exhortans eos, spe salutis æternæ præsentem deuotissime sufferre tribulationem; vltroque seipsos ad hanc offerre momentaneam necem: quo debitam reatibus perpetuæ damnationis euadere mererentur vltionem, quatenus eis mors præsens, non supplicium, sed animarum fieret perenne remedium. Pro inimicis eos etiam admonens exorare, vt tandem aliquando resipiscerent ab iniquitatibus suis, & qui ministri tunc videbantur impietatis, possent cultores nonnunquam pietatis, sectatoresque fieri veritatis. Seipsum paratum esse depromens (vt bonum decet pastorem) pro ouibus animam ponere, præsentemque vitam contemnere, quatenus ipsi peccatorum veniam & salutem secum mererentur æternam accipere. Aderat etiam germana sua B. Eutropia, virgo Christi sacratissima, quæ ob castitatis munitionem, sanctissimum semper imitando & adhærendo sequebatur Episcopum, vt & ab spiritalibus aliena nequitiis à Domino seruaretur puritas mentis, & à carnalium corruptione delectationum regeretur immunis integritas corporis. Ambo itaque plebem Dei pro viribus ad coronam martyrii piis exhortationibus animabant; & agonem victoriæ suæ Domino precibus commendabant. Dei tandem decreto iudicio irruptionis die, dum paganorum furibondum beatus Præsul Nicasius irruere comperit impetum, sancti Spiritus virtute roboratus, alma comitante sorore, cum hymnis & canticis spiritalibus ad ostium basilicæ sanctæ Dei genitricis Mariæ (quam ab eodem in huius vrbis arce fundatam memorauimus) traditur occurrisse, dumque diuinæ deditus psalmodiæ, versum Domino Dauidicum pia voce decantat inquiens, *Adhæsit pauimento anima mea*, mox insequente gladio ceruicem, cæsi verbum pietatis ab ore non defecit: capite in terram cadente, immortalitatis (vt traditur) sententiam prosecuto: *Viuifica me* * *secundum verbum tuum*, inferendo.

Ioan. 10. | Psal. 118 | * al. ad in Domino. | S. Eutropia.

Sancta vero Eutropia videns impietatem circa se quasi mitigatam, & pulchritudinem suam ceu paganorum libitibus reseruatam, super eundem sacerdotis interfectorem insiliens, magnoque clamore increpitans, & ad martyrii sui bellum prouocans, sacrilegi alapa faciem percussi, oculos, diuini virtute numinis euulsos, in terram proditur effudisse. Quæ mox insanientium ferro iugulata, sacro fuso sanguine, palmam victoriæ cum germano suo pontifice Christi, cæterisque triumphatoribus sanctis, adipisci promeruit. Fuere siquidem nonnulli, tam ex clero, quam ex laicali cœtu, constantiæ huius consectatores ac comites, qui per præsentis tolerantiæ participationem æternæ beatitudinis cum hoc beatissimo patre suo consequi certauere communicationem. Inter quos Florentius diaconus, & B. Iocundus extitisse clarissimi referuntur: quorum capita Remis post altare sanctæ Dei genitricis Mariæ tumulata seruantur. Barbaros igitur de constantia virginis, & profani speculatoris subitanea mulctatione stupefactos, expleta cæde, facto inundante errore, terribilis omnes horror inuasit, quasi cœlestes acies dimicantes, tanti sceleris vindices, aspicientes, ipsa quoque horrendo reboante basilica sonitu. Relictis ergo passim spoliis, territa Vvandalorum agmina, dum diuinam meruunt vltionem, irreuocabiliter per diuersa fugientes, inuasam trepidi deserunt ciuitatem. Qua diu sic manente solitaria, Christianis qui ad munitiones montium fugerant, incursiones paganorum trepidantibus, paganis vero cœlestes quos ibi pertulerant horrores pertimescentibus, sub diuina duntaxat Angelicaque custodia, Sanctorum seruabantur inibi martyrum corpora; ita vt in noctibus à longe cœlestia cernerentur lumina, & suauissimi siderei supernarum inibi virtutum choreis dulciter reboantibus, audirentur à nonnullis carmina. Vnde & cœlestis victoriæ reuelatione confortati tandem conciues, qui ad sepelienda Sanctorum corpora, diuina remanserant prouidentia, cum precum votis ad vrbem regredientes, inæstimabilem suauitatis odorem, vbi sanctorum decubabantur funera, hauriunt. gaudioque permiscentes gemitum, lachrymosis Dominum laudibus magnificant, & ad tumulandum sacra se præparantes pignera, congruis ea circa ciuitatem locis veneranter recondunt. Beatissimi vero Nicasii Præsulis ac sororis eius, sacratissima solemniter in cœmiterio sancti Agricolæ, templo quondam à Iouino Christianissimo Romanæ militiæ magistro, longe scilic. ante fundato, magnificeque decorato, collocant membra. vt appareat, instinctu diuinæ procurationis, ad celebritatis istorum dignitatem magis, quam ad primæ præparatam fuisse conditionis auctoritatem. Hunc autem basilicam præfatus vir Iouinus, his versib. aureo prætitulauit decore.

S. Florentius. | S. Iocundus. | Hæc hodie est eccles. S. Nicasii, quomodo infra vocatur c. 12.

Fœlix militiæ sumpsit deuota Iouinus
Cingula virtutum culmen prouectus in altum:
Bisque datus meritis equitum, peditumque, Magister.
Extulit æternum sæculorum in sæcula nomen.
Sed pietate grauis tanta hæc præconia vicit,
Insignesque triumphos religione dicauit,
Vt quem fama dabat rebus superaret honorem,
Et vitam factis posset sperare perennem.
Consessus hic sancto manantis fonte salutis,
Sedem viuacem moribundus ponere membris,
Corporis hospitium lætus metator adornat,
Reddendos vitæ saluari prouidet artus.
Omnipotens Christus iudex venerabilis, atque
Terribilis, pius, longanimis, spes, fida precantum,
Nobiles eximios famulos non imputat actus.
Plus iusto fidos ac pietatis præmia vincant.

Vbi posteaquam sunt horum deposita Sanctorum Martyrum corpora, innumerabilibus eadem Ecclesia constat miraculorum signis redimita: vt & eorum meritis ac precibus, multitudo languentium recuperationis ibi percipiat alacritatem, & exemplis ipsorum plebs ad Cœlestem * discat properare sublimitatem. Meminit huius barbaricæ persecutionis beatus Hieronymus scribens ad quandam adolescentulam viduam Ageruchiam nobilem, & exhortans eam de perseuerantia viduitatis; ita memorando inter cætera, *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum, quod Oceano & Reno includitur, Quadus,*

* C. deuota. | Hieron ep. 11.

Vvandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & ô lugenda respublica! Hostes Pannonii vastauerunt. Etenim Assur venit cum illis. Magontiacus, nobilis quondam ciuitas, capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa millia hominum trucidata. Vvangiones longa obsidione deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrabates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus translata in Germaniam. Aquitania, Nouemque populorum Lugdunensis, & Narbonensis Prouincia, præter paucas vrbes, cuncta populata sunt, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames, &c. In præfata denique basilica B. Remigius morandi traditur habuisse consuetudinem, quatenus sanctorum martyrum meritis, vt erat spiritu semper, ita proximus redderetur & corpore. Monstratur adhuc ædicula secus altare vbi secrete Domino vacare, & inspectori summo, beatissimæ speculationis hostias, turbis remotus popularibus, deuotissime consueuerat immolare. Istuc enim intentus his degebat officiis, quando comperto vrbis incendio, cum diuinitatis inuocatione depropetans, Sanctorum fultus suffragio, lapidibus Ecclesiæ graduum deinceps expressa reliquit vestigia.

Psal. 82. Virgi. 8 Æneid.

De miraculis ipsius Ecclesiæ.

Cap. VII.

Diuersis etiam multimoda clarificatione fertur hæc illustrata temporibus ædes. Sed nos vnum tantum, quod nostris fere diebus actum, referentibus nostris qui interfuere patribus, agnouimus, propalandum putauimus. Solemnitas hiemali tempore præfatorum agebatur Martyrum, quæ solito XIX. Calend. Ianuarias celebrari consueuit. Ad cuius celebritatis vigilias fratres tempestius exurgentes, custodes ipsius Ecclesiæ dormientes, ostia quoque diligenter obserata reperiunt. Quæque diutius obterendo pulsantes, dum neminem responsa dantem deinde accipiunt, domum presbyteri petunt. portamque crebris incutientes ictibus, & tecta lapidibus verberantes, vbi nullum sibi qui pandat excitare præualent, templi ianuam repetunt, quam sponte patentem reperientes, accensa luminaria cuncta vident; sed auctorem facti neminem intus aspiciunt. Sicque post orationem Christo gratias agentes, nocturnas ineunt laudes. Quibus iam magna parte decursis, ad horum voces Presbyter excitatur, rem cum suis admiratus, hymnos dicturus cum cæteris stupefactus appropetat. Nullamque demum accensionis huius, vel reserationis reperire queunt administrationem, nisi summum diuini duntaxat muneris largitorem, qui Sanctorum suorum iugi mirorum splendore, propagare non desistit honorem. Artus autem B. Pontificis & Martyris pignera quædam Nouiomagensium Episcopus quidam obtenta, suam pertulit ad ciuitatem. Quæ tam apud Nouiomum, quam & apud Tornacum castrum (vbi nunc quoque seruari perhibentur) claris, multisque referuntur illustrata miracolis. Postea vero cætera corporis eiusdem martyris Fulco Archiepiscopus, simul cum corpore beatæ sororis eius Eutropiæ intra Remensia transuexit mœnia, retroque post altare S. Dei genitricis Mariæ, vbi ea modo veneramur, iuxta B. Papæ Calixti membra, debita recondidit reuerentia.

Festum S. Nicasij & sociorum 14. Decemb.

De sancto Oriculo & sororibus eius.

Cap. VIII.

Sub eadem Vvandalorum, vel Hunorum persecutione, quidam Dei seruus, Oriculus nomine, Deo vacabat, cum sororibus suis* Oricola & Basilica in hoc eodem Episcopatu Remensi, in pago Dulcomensi, vico Sindunoin Ecclesia quam construxerat: vbi fertur quoque peremptus à Barbaris cum prædictis sororibus suis. Traditur etiam caput suum, postquam decollatus est, ipse in quodam fonte lauisse. De sanguine quoque suo signum crucis (quod adhuc manifeste patere dicitur, in quadam petra digito figurasse suo: & proprium manibus caput ferens, sepulchrum, quod sibi * construxerat, expetisse: ad quod multa miracula referuntur ostensa. Erat olim quidam rusticus ibi manens, cui reuelatio in somnis facta est, vt fontem de quo caput sibi sanctus Dei (ceu diximus) lauerat, tecto cooperiret. Qui postquam bis admonitus facere id distulit, in infirmitatem decidit, in qua integro anno ægrotans decubauit. Post hæc votis, vt iussa compleret, promissis, conualuit, & fontem ligneis tabulis circumdans, operuit. ex quo fonte potantes, à diuersis multi curantur languoribus. Presbyter eiusdem loci, nomine Berto, balneum ex ipsius puteo, quem infra Ecclesiam hic S. Martyr edidisse traditur, sibi parari præcepit: quo postquam ablutus est balneo sic elanguit, vt vsque ad anni terminum ægrotus iacuisse, nec adhuc perfecte postea reuiguisse constiterit. Quorum Sanctorum corpora vno dudum sarcophago recondita, tempore Seulfi Archiepiscopi leuantur è terra, humo prius sponte patefacta. & loculo, in quo iacebant, vltro sursum mirabiliter eleuato.

al. Oricula. al. * nunc. * al. mem. C. dua.

De successoribus Beati Nicasii.

Cap. IX.

Post præmemoratam Vvandalorum discessionem, B. Nicasio Baruc Episcopali sede traditur successisse, quem Barucius, inde Barnabas subsecuti feruntur: enim Bennadius, cuius tamen Bennagius nomen in testamento suo, propria ipsius manu (velut inibi legitur) perscripto, reperitur caraxatum. Huius enim ipse testamenti auctoritate, rerum suarum hæredem Remensem fecit Ecclesiam cum fratris sui filio quem in sacro fonte, sub gratiæ sempiternæ traditione, se commemorat suscepisse. Inter cætera vero vas argenteum ab antecessore suo sanctæ recordationis Episcopo Barnaba, sibi (vt meminit) testamento collatum, Ecclesiæ suæ delegat hæredi: quod ad ipsius ornamentum (cum illud proprios distrahere potuisset in vsus) se asserit reseruasse. Deputat & solidos viginti ad eiusdem Ecclesiæ reparationem, cum agellis & siluis, Presbyteris ipsius Ecclesiæ solidos octo: Diaconibus solidos quatuor, ad captiuos solidos viginti: Subdiaconibus solidos duos: Lectoribus solidum vnum; Ostiatiis & Exorcistis solidum vnum, Sanctimonialibus & viduis in matricula positis solidos tres. Heredem suam subinferendo alloquens Ecclesiam, vt in se ducat esse collatum, quidquid presbyteris, diaconibus, ac diuersis clericorum scholis, captiuis quoque & pauperibus, pro refrigerio sui fuisset in commemoratione deuotum.

al. Barucius. al. Barnabas. al. Bennadius.

De sancto Remigio.

Cap. X.

Præfato Bennagio beatissimus succedens Remigius imbuendis ad fidem præfulgidum surrexit lumen gentibus. Quem diuina pietas (vt Fortunatus quoque poëta noster asserit) non solum priusquam nasceretur, sed & antequam conciperetur, elegit [illegible] tum, vt Montanus quidam monachus, dum lenissimo sopore quiesceret, tertio * fuisset admonitione pulsatus, vt matri suæ benedictæ Ciliniæ, quod masculum conceptura esset, veridica relatione prædiceret, & nomen eius vel meritum designaret. Hic itaque Montanus in reclusione solitariam

vitam ducens, ieiuniis, vigiliis, & orationibus assidue vacans, cæterarum quoque virtutum insignibus diuinitati se commendabilem reddens, dum supernam Christi clementiam pro pace sanctæ ipsius Ecclesiæ, quæ variis apud Galliarum prouincias vexabatur afflictionibus, indefessis precibus exoraret; vbi quadam nocte carnis compellente fragilitate, membra permittit sopori, quiete reparanda, Angelicis subito per diuinam gratiam choris, sanctarumque sibi videtur animarum cœtibus interesse, celeberrimum quoque haurire colloquium, eosque de Gallicanæ deiectione vel restitutione Ecclesiæ cōferentes, & quia iam tempus esset conferendi eius, percensentes, audire. Interea vocem à superioribus atque secretioribus suauissime intonantem excipit: Quod Dominus de excelso sancto suo prospexit, de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum vt solueret filios interemptorum, vt annunnietur nomen eius in gentibus, in conueniendo populos in vnum & Reges, vt seruiant ei. Et quod Cilinia in vtero concipiens, filium pareret, nomine Remigium, cui saluandus foret populus committendus. Vir igitur iste venerabilis tanto percepto solamine, post tertiam diuinæ super his præceptionis admonitionem, visionis ætheræ nuntiat oraculum Ciliniæ. Hæc autem beata genitrix in flore dudum iuuentutis, ex vnico viro suo Æmilio pepererat Principium, Suessiorum ciuitatis postea sanctum Episcopum, & patrem beati Lupi, eiusdem Principij successoris. Miratur beata Cilinia, vtpote iam prouecta, quonam pacto sit anus paritura, vel subolem lactatura. Et quia tam vir eius, quam ipsa diebus tam multis processerant, effœti & carne infœcundi, nec spes eis vlterius procreandi, nec appetitus inerat pigneris. Beatus vero Montanus, vt meritis accresceret patientiæ, corporalium priuatus oculorum ad tempus exterat lumine. Qui dictis vt fidem faceret, oculos sibi lacte ipsius asserit perungendos, moxque lumen amissum, pueri sibi fotu recipiendum. Gauisis ergo de tanta consolatione parentibus, concipitur futurus Christi Pontifex: cuius adminiculante gratia, fœliciter editus, nomen sacro sumit è fonte Remigius. In cuius lactatione promissum pridem vatis gaudium, veraciter adimpletur, dum eius oculis beatæ matris illius lacte tactis, lumen olim perditum reparatur. Ortus est autem puer iste, præconiis declaratus antequam natos, in pago Laudunensi, alto parentum sanguine, iam tamen senum, diuque sterilium, resplendens, insigne mirificatus in ortu, qui magnifice disponebatur mirificandus in actu. Nomen illi digne diuina imponitur iussione Remigius, vtpote qui Ecclesiam Dei, specialiterque Remorum, in huius fluctuantis vitæ salo remis erat doctrinæ recturus, & ad portum salutis æternæ, meritis & orationibus perducturus. Remedium tamen eum fuisse vocatum in veteribus quibusdam reperitur scriptis. Quod & merita vel acta ipsius attendentes, non crederemus, nisi gestis emendationibus, oraculo illum diuino, Remigium nuncupari debere cognosceremus. In versibus etiam ab eo compositis, & eius præcepto in vase quodam per eundem Deo dicato sculptis, ita lectum asseritur.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Iniecto æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domi[illegible] sua vota sacerdos.

Quod vas vsque ad moderna tempora perdurauit, donec fusum, Nurmannis dudum in redemptionem datum est Christianorum. Huius beatissimi Remigii nutrix B. Balsamia fuisse traditur, quæ mater extitisse S. Celsini memoratur: qui & ipse B. Remigii discipulus fuisse familiaris asseritur, miraculis quoque postmodum claruisse dinoscitur, & æquorum maxime votis adhuc insignis habetur: in cuius & [illegible] beata genitrix eiusdem requiescit Ecclesia. Traditus à parentibus scholæ B. Remigius literis imbuendus, breui coæuis, sed & natu maioribus doctrina eminentior est effectus. Cunctos superans condiscipulos, morum maturitate ac beneuolentiæ charitate, populorum studens turbas vitare, atque solitarius in reclusione Domino deseruire: quod & obtinuit, habitaque, sanctæ conuersationis studiis adolescens pius, in clusione, Lauduni Christo militauit.

Laudunus solitarie viuit.

De ordinatione ipsius ad Episcopatum Remensem.

Cap. XI.

Ast vbi vigesimum secundum ætatis subiit annum, defuncto præfato venerabili Bennadio Archiepiscopo, in hac vrbe Remensi, omnium generaliter votis ad apicem pontificatus non tam electus, quam raptus fuisse dinoscitur. Fit siquidem populi concursus, diuersi quidem sexus, conditionis, dignitatis, & ætatis, vna eademque sententia, hunc vere Deo dignum, & qui populis præfici deberet, acclamantis. Sanctissimus igitur adolescens his depressus angustiis, quoniam nec fugæ locus ei vspiam parebat, nec populo, vt ab intentione cœpta desisteret, vllo modo satisfacere poterat, super ætatis infirmæ cœpit conqueri tempore, & quod Ecclesiastica regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem, voce publica prædicare. Sed cum irreuocabiliter populi adclamaret frequentia, & vir Dei magna retineretur constantia; placuit omnipotenti Deo manifestissimis indiciis propalare, quod ipse de eo iudicium dignabatur habere. Traditur enim cœlestis radii lucem super ipsius sanctum subito descendisse verticem, & cum ipso lumine cœlitus eius infusum capiti vnguinis diuini liquorem, cuius sacri nectaris, eiusdem totum videretur caput infusione delibutum. Omni ergo posthabita dubitatione, Præsulum Remensis vnanimitate prouinciæ, Pontificali consecratur benedictione. Ad quod officium mirifice mox deuotus & aptissimus apparuit exequendum: largus in eleemosynis, sedulus in vigiliis, attentus in orationibus, in humanitate profusus, in charitate perfectus, in doctrina præcipuus, in conuersatione sanctissimus. Mentis purissimæ sinceritatem, pii vultus præferebat alacritate: clementissimique cordis benignitatem sermonis indicabat tranquillitate. Salutis æternæ munia non minus implens opere, quam edocens prædicatione. Reuerendus aspectu, venerandus incessu, metuendus seueritate, amplectendus benignitate censuram districtionis permixtione temperabat mansuetudinis. Minari quidem frontis videbatur austeritas, sed cordis blandiebatur serenitas: vt erga deuotos Petrus appareret in vultu: contra delinquentes Paulus videretur in spiritu: sicque gratiarum diuersitate in vnum conueniente, illius pietatis, huius erat imitator auctoritatis, neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Et vt ante nos de ipso prædicatum legitur: sic in se diuersas excoluit gratiarum virtutes, vt vix ita pauci tenerent singulas, quomodo ille impleuit vniuersas. Semper in sancti operis exercitio, semper in compunctionis affectu, nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi aut de Deo in lectione, atque sermone: aut cum Deo in oratione loqui: sicque attenuato continuans ieiuniis corpore, de persecutore certabat inimico, iugi triumphare martyrio. Inter hæc tamen omnia intendebat vir beatissimus vt etiam ab aliis de ipso iamdudum prædicatum legitur: Iactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia celsa latere. Præeminebat enim ad admirationem omnium, veluti ciuitas supra

Catalogus virtutum eius, & in eo descriptio boni episcopi & pastoris.

Hincm. in li. de vita ipsius.

Hincm. ibid. & Fortunatus.

Auct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2.

montis verticem sita: nec sub modio voluit Dominus hanc oculi lucernam, quam supra candelabri constituerat eminentiam, igne diuinæ tribuens eam charitatis ardere, claraque splendidarum Ecclesiæ suæ virtutum lumina ministrare.

M. 165.

De diuersis ab eo patratis miraculis, & doctrina ipsius.

Cap. XII.

AD cuius sanctitatis innocentiam, non solum rationabilium, sed etiam irrationabilium * consueuerant agrestia corda mansuescere, adeo vt dum inter domesticos secretius eum contigisset habere conuiuium, & delectaretur in hilaritate carorum, passeres ad eum sine trepidatione descenderent, & mensæ reliquias ab eius manu colligerent, discederent alii saturi, accederent alii saturandi. Quod ab eodem nequaquam jactantia propalabatur meritorum: sed id Dominus agi certa disposuerat vtilitate conuiuantium, vt hoc, aliisque frequentissimis per hunc Christi famulum visis miraculis, sese dominicis seruentius studerent mancipare seruitiis.

S. Consueuerant.

Hic vir beatissimus, cum ex more, quodam tempore pastorali solertia parrochias circumiret, vt si negligenter aliquid in diuinis cultib. ageretur fidelis Christi seruus agnosceret, in vicum Calmiciacum nomine, ipsius accessit studii deuotione. Vbi dum quidam cæcus ab eo misericordiæ postulasset opem, cœpit qua dudum captus extiterat infestatione dæmonis, vexatione torqueri corporis. Tunc sanctus Remigius in oratione, qua Deo semper sancta intentione vacabat, corporea se deiectione prostrauit, statimque pristinum cæco lumen redhibens, immundi quoque pestem spiritus effugauit; triplici remedio, nimirum victu solans egenum, munerans visu cæcatum, restituens libertati captiuum.

Alio quoque tempore, dum pontificali sollicitudine parrochiam peragraret, rogatus à quadam sobrina sua, nomine Celsa, Deo sacrata, villam ipsius, vocabulo Celtum adiit. Ibi dum beatus vir, spiritalibus colloquiis vitæ propinat hospiti de more pocula, minister præfatæ Celsæ, vini sufficientiam dominæ suæ nuntiat non adesse. Re huiuscemodi cognita, S. Remigius hanc hilari consolatur vultu, & post blanda verbi solamina, eiusdem sibi domus ostendi præcepit habitacula. Sicque de industria prius perlustrans cætera, tandem ad cellam peruenit vinariam: quam sibi faciens aperiri, rogitat si forte remanserat in aliquo vasorum quidpiam vini. Et designato sibi vase, in quo tantillum vini, pro saluando scilicet eodem, relictum fuerat, claudi præcepit ostium, iussoque consistere loco cellerarium: ipse vero ad alteram accedens vasis frontem, super idem, quod erat non modicæ quantitatis Christi annotat Crucem, flectensque genua secus parietem, cœlo deuotam dirigit precem. Cœpit interea (mirum dictu) vinum per foramen superius exundare, ac supra pauimentum abundanter effluere. Exclamat hoc viso Cellerarius, stupore perculsus. Sed mox à sancto viro repressus, ne id palam faciat, inhibetur. At quia tam clari lumen operis minime valuit abscondi: vbi consobrina sua factum comperit, eandem villam ipsi, & Ecclesiæ ipsius perpetim possidendam tradidit, ac legali iure confirmauit.

Gal. Gernay

Huic simile ferme miraculum ab eodem domno Remigio in olei fertur liquore patratum. Cum ægrotus quidam familiæ non ignobilis, nec tamen baptizatus, à S. Remigio se visitari postulasset, & iam velut in vltimo spiritu se credere fateretur, & baptizari deposceret, B. Pontifex à Presbytero loci oleum & chrisma requirens, iamque penitus in ampullis vtrumque defecisse comperiens, ipsas ampullas [illegible] vacuas super altare posuit, ac sese in oratione prostrauit. Surgens autem ab oratione, vascula plena reperit: & sic infirmum oleo diuinitus dato perungens, Ecclesiastico de more baptizauit, & chrismate cœlitus collato liniuit, redditaque sanitate, tam animæ salute, quam corporis incolumitate donauit.

Humani denique generis hostis, ostendere nequitiam non desistens suę malignitatis, vrbem Remorum, surgentibus flammarum subito globis, immissione dira succendit: crudelique vastatione, iam partem fere tertiam concrematio peracta consumpserat: & quod residuum erat victrix flamma lambebat. Cuius rei nuncium beatus Antistes accipiens, ad solita sese confert orationis præsidia, & in Beati Nicasij martyris basilica, vbi tunc temporis morandi consuetudinem fecerat, Christi prostratus exposcit suffragia. Surgensque ab oratione, oculos ad cœlum attollit, & exclamans cum gemitu ait: Deus, Deus meus adesto voci meæ. Sicque cursu concito, per gradus, ante ipsam lapidibus stratos Ecclesiam descendens, ciuitatem petiit: in quibus gradnum lapidibus, ac si supra molle lutum depressa, hodieque, ad memoriam diuini miraculi, signata visuntur vestigia. Celerique festinatione depropetans se flammis obiecit, statimque, vt extensa contra ignem dextera, signum Crucis cum inuocatione Christi nominis edidit, totum illud incendium, fracta, & in sese relisa virtute, cedere, atq; ante viri Dei præsentiam quasi fugere cœpit. Quod beatus Remigius insequens, & se inter ignem & ea quæ adhuc videbantur intacta, cum signo sanctitatis opponens, hanc omnem flammarum immanitatem ante se fugientem, per patentem portam, fultus diuinæ potentiæ præsidiis, expulit, & eandem portam [illegible] sit, vtque nunquam aperiretur ab aliquo, cum [illegible] minatione vindictæ in eum qui vetita hæc pr[illegible] psisset, inhibuit. Post aliquot vero annos [illegible] dam, nomine Fercinctus, secus ipsam portam commanens, maceriem qua eadem porta fuerat obstru[illegible], vt suæ domus hinc eijceret rudera, perforauit. Sed mox vltio tanta fertur eius audaciam consecuta, non pecus, nec homo, clade superueniente in eadem remanserit domo.

Quædam puella præclaris ab vrbe Tolosa natalibus orta, maligni spiritus ab infantia tenebatur obsidione captiua. Quam cum tenero genitores amore diligerent, ad sepulchrum sancti Petri Apostoli cum magna deuotione duxerunt. In eisdem namque partibus enitebat tunc virtute venerabilis Benedictus, plurimis effulgens virtutibus. Cuius comperta fama, puellæ parentes hanc ad eundem perducere satagunt, qui multis ieiuniis & orationibus pro ipsius emundatione laborans [illegible] diri serpentis virus ab ea non valuisset eijcere, hoc tantum responsi, nominis diuini obtestatione, ab antiquo extorquere potuit hoste, quod nunquam alterius de eodem habitaculo, nisi huius beatissimi Remigij Pontificis orationibus posset expelli. Tunc parentes eius, tam ipsius Beati Benedicti, quam etiam Gothorum Regis Alarici affatibus suffragari, eorumque literis ad Beatum Remigium datis (vt traditur) freti, ad eundem sanctum Antistitem cum deuincta sobole peruenerunt, vix iteru deprecantes eius in purgatione pro[illegible] [illegible]moliere, quam latronis iam præsenserant confessione. A beatissimus Remigius, cum diuturna reluctatione se non esse dignum assereret, & humilitate solita repugnaret, precibus est populi supplicantis euictus, vt orationem pro ipsa funderet, ac parentum lachrymis condoleret. Meritis itaqu[e] sanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, vt iniquus prædo per quod ingressus fuerat discedens, Chri[illegible]mulam relaxaret. Sicq. cum nimio vomitu & obscœno

Curat dæmoniacum

fœtore, per nos quo fuerat intromissus, abscessit. Sed paulo post recedente Pontifice, dum nimio labore fessa nutaret, vitæ calore priuata, spiritum vitalem amisit. Iteratis ergo precibus, turba supplicantum recurrit ad medicum. Beatus autem Remigius se potius accusat facinus perpetrasse, quam sanitatis remedium indulsisse, homicidiique reum extitisse, non remedium contulisse. Igitur ad Sancti Ioannis Basilicam, vbi corpus iacebat exanime, populi obtentus deprecatione regreditur: ibique cum lachrymis ad pauimenta Sanctorum in oratione prosternitur, & reliquos vt ita facerent adhortatur. Hinc effuso lachrymarum imbre consurgens, suscitauit mortuam, quam prius purgarat obsessam. Quæ protinus, apprehensa manu Pontificis, cum integra incolumitate surrexit, & ad propria feliciter remeauit.

Suscitat mortuã

Cuius vero doctrinæ, cuius sanctitatis, atque sapientiæ beatissimus hic pater nitore radiauerit, opera testantur ipsius: quia vera proculdubio sapientia esse dinoscitur, quæ operum exhibitione (velut arbor fructibus) approbatur. Testatur gens Francica per eum ad fidem Christi conuersa, & baptismi sanctificatione consecrata. Testantur diuersa prudentissime ab ipso tam facta, quam prædicata. Testantur diuersæ ipsius, personæ, temporis: ex quibus Sidonij Aruernorum Episcopi, viri eruditissimi, & tam genere, quam religione ac sermone clarissimi, epistolam huic beatissimo Pontifici directam inserere placuit.

*SIDONIVS Domino Papæ Remigio, salutem. Quidam ab Aruernis Belgicam petens (persona mihi cognita est, causa incognita, nec refert) postquam Remos aduenerat, scribam tuum siue bibliopolam, pretio fors fuat officione demeritum, copiosissimo, velis nolis, declamationum tuarum schedis emunxit. Qui redux nobis atque oppido gloriabundus (quippe perceptis tot voluminibus) quæcumque detulerat, quanquam mercari paratis, quod ciun, nec erat iniustum, pro munere ingessit. Cura mihi è vestigio fuit, hisque qui student, cum merito lecturiremus, plurima tenere, cuncta transcribere. Omnium assensu pronuntiatum, paucos nunc posse similia dictare. Etenim rarus aut nullus est, cui meditaturo par assistit dispositio per causas, positio per literas, compositio per syllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietas in epithetis, vrbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis. Structura vero fortis & firma, coniunctionumque, perfacetarum nexa cæsuris insolubilibus. Sed nec hinc minus lubrica & * lenis, ac modis omnibus erotundata: quæque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa iuncturas, per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida prorsus & ductilis, veluti cum crystallinas crustas, aut onychintinas non impacto digitus vngue perlabitur: quippe si nihil eum rimosis obicicibus exceptum tenax * factura remoretur. Quid plura? non extat ad præsens viui hominis oratio, quam peritia tua non sine labore transgredi queat ac superuadere. Vnde prope suspicor, Domine Papa, propter eloquium exundans atque ineffabile (venia sit dicto) te superbire. Sed licet bono fulgeas, vt conscientiæ, sic dictionis ordinatissimæ, nos tamen tibi minime sumus refugiendi; qui bene scripta laudamus, etsi laudanda non scribimus. Quocirca desine in posterum nostra declinare iudicia, quæ nihil mordax, nihil quoque minantur increpatorium. Alioquin si distuleris nostram sterilitatem facundis fœcundare colloquiis, aucupabimur nundinas inuolantum, & vltro scrinia tua, conniuentibus nobis ac subornantibus, effractorum manus arguta populabitur: inchoabisque tunc frustra moueri spoliatus furto, si nunc rogatus non moueris officio.*

j. lenis.

orig. j. fractura.

De Conuersione Francorum.

Cap. XIII.

Cuius autem prudentiæ, quam sancti studii noster hic pater ac pastor almus extiterit, quam fidelis & prudens in eroganda Domini sui pecunia viguerit, Francorum, vt prætulimus, ab idolis ad Deum verum facta per ipsum probat conuersio, qui Gallicas eo tempore transito Reno deprædabantur prouincias, & Agrippinam iam Coloniam, quasdam quoque alias occupauerant Galliæ ciuitates. At postquam rex ipsorum Clodoueus Siagrium, Romanum quendam principem, qui Galliis tunc præerat, eiicit atque peremit, omni pene Galliæ dominari cœpit. Comperta beatissimi gestorum fama Remigij, quod scilicet eniteret virtute sanctitatis ac sapientiæ, miraculorum præclarus exhibitione, reuerebatur eum: & licet paganus, diligebat tamen illum. Quo quondam secus vrbem Remorum transitum faciente, à quibusdam militibus eius agminis ablata quædam Remensis Ecclesiæ vasa referuntur. Ea inter vrceus etiam magnus argenteus, & decora pulchritudine comptus, pro quo beatus Remigius legatos ad eum direxisse traditur, vt illum saltem recipere mereretur. Ast vbi ad locum diuisionis prædæ ventum est, rogat Rex milites suos, vt ipsum sibi dare ne renuant vrceum: Pluribus igitur annuentibus, quidam Francus bipenni percutiens vrceum, nihil hinc à rege nisi sorte tollendum proclamat. Obstupefactis hac temeritate cæteris, Rex iniuriam patienter ad tempus tolerans, apprehensum, plurimis fauentibus, vasculum Ecclesiastico reddidit misso, iram sub corde tectam reseruans. Peracto denique anno cunctum sui exercitus apparatum solito prodire iubet in campum, vt armorum speculetur de more nitorem: quem conuentum, à Marte, Martium vocare consueuerant. Rex ergo instructas circumiens rite phalanges, ad eum qui dudum percusserat vrceum peruenit, spretisque ipsius armis, eius tandem franciscam proiecit in terram, ad quam recipiendam inclinato militi rex in caput suam defigit bipennem, quam pridem in vase perpetrauerat, cum increpitationis acerbitate, rememorans præsumptionem. Quo sic interempto, timor ingens Regis hac super vltione, cæterorum perstringit corda Francorum. At postquam Clodoueus Thoringiam sibi Prouinciam subjugauit, & regnum vel ditionem suam dilatauit, etiam Rothildim, filiam Chilperici, fratris Gundebaudi Burgundionum Regis, in matrimonium sumpsit. Quæ cum esset Christiana & filios ex Rege susceptos baptismate consecrari (marito quoque nolente) fecisset, etiam virum ad Christi fidem perducere conabatur. Sed animum barbari mulier ad credendum flectere non valebat. Interea bellum Francis aduersus Alemannos accidit, & Francis cæde nimia corruentibus. Rex ab Aureliano consiliario suo suadetur, vt credens in Christum, ipsumque Regem regum, & cœli ac terræ Deum confitens, inuocet, qui ei victoriam pro velle possit conferre. Quod cum fecisset, Christique suffragium iam deuotus expetisset, fiendumque se Christianum vouisset, si virtutem ipsius in capiendo victoriam experiri meruisset: post huius voti pollicitationem mox in fugam vertuntur Alemanni, Regemque suum comperientes interfectum, Clodouei se subdunt ditioni. Quos ille sub jugo constituens tributario, reuertitur victor in sua, gaudium referens magnum reginæ, quod ad inuocationem, scilicet, Christi nominis, victoriam meruerit obtinere. Tunc regina beatum Remigium vocat, deprecans, vt Regi viam salutis ostendat. Quem sanctus sacerdos doctrina vitæ salutaris informans, ad

Locus diuisionis fuit ciuitas Suessionum.

Id factũ an. 10. regni sui.

Ann. 15. regni sui.

baptismi commonet venire sacramenta. Ille se populum super his exhortatum ire respondens, affari studet exercitum, vt Deos, qui eis subuenire non poterant, deserentes, ipsius cultum susciperent, qui tam præclaram largitus eis victoriam fuerat. Conclamat multitudo, diuina se præueniente gratia, mortales se Deos relinquere, atque in Christum qui sibi præsidio fuerat, credere. Nunciantur hæc sancto Remigio, qui magno repletus gaudio, Regem populumque, qualiter Diabolo & operibus ac pompis ipsius abrenunciantes, Deum verum credere debeant, instruere satagit: & quia Paschalis solemnitas imminebat, indicit eis ieiunium iuxta morem fidelium.

Die vero passionis Dominicæ, pridie scilicet antequam baptismi gratiam percepturi erant, post hymnos, precesque nocturnas, Præsul regium cubile petiit, vt absoluto curis sæcularibus rege, liberius ei cōmittere sacri valeret mysteria verbi. Quo reuerenter à cubicularijs admisso, Rex prosiliens obuius alacriter occurrit, & oratorium beatissimi Apostolorum principis Petri, cubiculo Regis forte contiguum, pariter ingrediuntur. *Est Ecclesia vetus s. Petri.* Cumque dispositis sedilibus, Pontifex, Rex, atque Regina consedissent, intromissis quibusdam clericis, sed & aliquibus Regi necessarijs ac domesticis, & venerabilis pater Regem monitis imbueret salutaribus, ad corroborandam salutiferam fidelis serui sui doctrinam, Dominus etiam visibiliter dignatus est ostendere, sese fidelibus suis in nomine suo congregatis, vt promiserat, semper adesse. *Mat. 18.* Repente namque lux tam copiosa totam repleuit Ecclesiam, vt solis videretur euincere claritatem. Mox cum luce vox facta est, inquiens: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Manete in dilectione mea. *Luc. 24. Ioan. 15.* Post quæ verba lux quæ aduenerat, abcessit, sed ineffabilis odor suauitatis in eadem domo remansit. Vt euidenter valeret agnosci lucis, pacis, atque piæ dulcedinis illuc auctorem aduenisse. Beatus etiam Præsul ex eodem lumine, non modicum visus est vultus fulgorem traxisse. Rex igitur atque Regina pedibus almi sacerdotis adstrati, cum magno pauore ipsius requirunt consolationem audire, opere adimplere parati quæ propalarentur ore patroni. Delectabantur etenim verbis quæ audierant, interius illuminati, quam viderant, luce, licet exteriore territi luminis claritate. Sanctus autem pater supernæ repletus splendore sapientiæ de cœlestis eos instruit visionis consuetudine, quæ aduentu quidem suo corda mortalium terret, sed timorem precedentem subsequenti consolatione demulcet: vt quibus apparuit patribus, primum quidem pauorem incusserit: at postea per pietatis gratiam lætitiæ blandimenta refuderit. Irradiatus quoque vir beatissimus Remigius, vt exterius, veteris exemplo legislatoris, vultus illustratione, ita, multoque magis, interius, diuini fulgoris illuminatione, spiritu prophetico, quæ ipsis, vel eorum forent euentura prosapiæ, traditur prædixisse. *Exo. 34.* Quomodo videlicet eorum posteritas Regnum nobiliter esset propagatura, Ecclesiam quoque Christi sublimatura, Romanaque dignitate vel regno potitum, & victorias contra impetus aliarum gentium perceptura, si non à bono degenerantes, salutis viam forte relinquerent, & quibus Deus offenditur scelera consectati, pestiferorum vitiorum laqueos incurrerent, quibus regna subuerti, atque de gente solent in gentem transferri. *Eccl. 10.* A domo denique Regis eundi ad baptisterium via præparatur, vela, cortinæque appenduntur, hinc inde plateæ sternuntur; Ecclesia componitur, baptisterium balsamo, cæterisque odoramentis aspergitur, tantamque Dominus populo gratiam subministrabat, vt odoribus se Paradisi refoueri gauderet. Sicque præcedentibus sacrosanctis Euangelijs, & crucibus cum litanijs, hymnis, & canticis spiritalibus. S. Pontifex manum tenens Regis, subsequente Regina cum populo, ab aula pergit ad baptisterium. Et inter eundem Rex rogitasse fertur Episcopum, an id erat Dei, quod sibi promiserat regnum. Non hoc (Præsul inquit) illud est regnum, sed initium viæ qua peruenitur ad id ipsum. Vbi vero ad præparatum baptisterij peruentum est locum, clericus chrisma ferens à populo interceptus ad fontem pertingere penitus est impeditus. Sanctificato denique fonte, nutu diuino chrisma defuit. Sanctus autem Pontifex oculis ad cœlum porrectis, tacite traditur orasse cum lachrymis. Et ecce subito columba, ceu nix, aduolat candida, rostro deferens ampullam cœlestis doni chrismate repletam. Cuius odoris mirabili respersi nectare, inæstimabili qui aderant super omnia quibus antea delectati fuerant, replentur suauitate. Accepta itaque S. Præsul ampulla, postquam chrismate fontem conspersit, species mox columbæ disparuit. Rex autem tantæ gratiæ conspecto miraculo lætus, abnitum Diaboli pompis & operibus abnegatis, à reuerendo se petit Pontifice baptizari. Quo vitæ fontem perennis ingresso, beatus profatur Præsul ore facundo. *Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Sicque post orthodoxæ confessionem fidei, trina tinctus mersione, diuino summæ indiuiduæque Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti sub nomine, suscipitur ab eodem sancto Pontifice, diuoque consecratur insignitus vnguine. Baptizantur sorores Regis Albofledis & Landehildis, simulque de Francorum exercitu virorum tria millia, præter mulierum, paruulorumque nomina, Quo die magnum in cœlis celebratum sanctis gaudium credere possumus angelis, & hominibus lætitiam non modicam in terra deuotis. Exercitus autem pars magna Francorum necdum ad fidem Christi conuersa, cum quodam Raganario principe, trans Somnam fluuium, post aliquan diu in infidelitate versata est, donec superna disponente gratia, præfato Rege Ludouico gloriosis potito victoriis, idem Raganarius flagitiorum sectator ac turpitudinum, vinctus à Francis traditus est. & interemptus, omnisque Francorum populus ad Christi fidem, per B. Remigium conuertitur, ac baptizatur.

De possessionibus quas ei Rex Ludouicus & Franci contulerunt.

Cap. XIV.

REx igitur, Francorumque potentes, plurimas B. Remigio possessiones per diuersas contulere prouincias, ex quibus ille, tam Remensem, quam reliquas nonnullas Franciæ * dotauit Ecclesias. Non modicam necnon earumdem partem rerum, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Lauduni clauati, Remensis parrochiæ castri, vbi nutritus fuerat, tradidit: ibique Genebaudum, carne nobilem virum, tamque sacris, quam sæcularibus literis eruditum, qui relicta coniuge, S. Remigii (ceu traditur) nepte religiosam subierat vitam, ordinauit Episcopum, Comitatusque Laudunensis eidem castro subiecit parrochiam. Qui Genebaudus de ante acta vita nimium, gradusque sublimitate confidens, ab vxore quam reliquerat, incaute, quasi pro instruenda ea, se crebrius visitari permisit. Sed vt diuina testantur eloquia; *Lapides excauant aqua, & alluuione terra consumitur, & * rupes transfertur de loco suo:* ita quoque huic contigit, vt frequentes mulieris visitationes blandaque colloquia, durum validumque contra libidinem pectus emollirent Episcopi, & quasi rupem de loco sanctitatis ad cœnum transferrent luxuriæ. Qui suasione diabolica in libidinis flammas exagitatus erupit, veterique se miscens sodali, filium ex eadem progenuit, quem velut in latrocinio procreatum, Latronem nominari præcepit. Et quia culpa pluribus ignota (ne in suspicionem hinc forte pro-

cederet, si à solita se Præsulis visitatiooe fœmina submoueret) cœpit (vt antea) domum frequentare Pontificis. Sicque factum est, vt hominibus culpa celata, tacitusque tam viri quam mulieris ardor, in corde, libidinis, compunctum prius contra peccatum, ad culpam tandem retraxerit Episcopum. Qui velut oblitus quod planxerat, iterauit crimen quod deflenerat. At vbi exortam de flagitio competit illam, nomen eidem mandat imponi Vulpeculam, vtpote fraudibus argutæ matris generatam. Domino denuo, qui B. Petrum respexerat, hunc quoque respiciente, compunctus mente Genebaudus, S. Remigium petit non ire Laudonum. Quo cum debita veneratione suscepto, postquam cubilis iniere secretum, magnum prorumpens io eiulatum, stolam deponere nititur reus, sancti se patroni prosternens pedibus. Quo doloris tanti causam diligenter indagante, lachrymis, singultuque præpediente, vix admissa transgressor narrat ex ordine. Quem vir Dei contritum videns, ac pene desperatum, blande consolari satagit, dolere se protestans, non tam de perpetrato facinore, quam quod ille de Domini videbatur benignitate diffidere, cui constat nihil quod voluerit impossibile: qui nullum ad se reuertentem peccatorem despicit, qui pro peccatoribus etiam sanguinem suum fudit. Diuersis itaque vir benignus & prudens erigere lapsum certat exemplis, quod apud Deum scilicet facile reatus huius veniam valeret obtinere, si dignos pœnitentiæ fructus Deo studeret offerre. Sic demum digois exhortationibus iodicit animato pœnitentiam, structaque mansiuncula, feoestellis paruis illuminata, cum oratorio (quæ adhuc secus Ecclesiam S. Iuliani manere feruntur) in ea pœnitentem concludit Episcopum. Eius quoque per annos septem gobernans parrochiam, vnam Remis Dominicam, Lauduni celebrare coosueuerat alteram. Qoa sub reclusione, quantæ contritionis ac contineonæ distrinctione se vir præfatus coarctauerit, quam dignos ioibi pœnitentiæ fructus exegerit, diuina postmodum propalauit clementia. Anno siquidem septimo, cum in vigilia Cœnæ Dominicæ pœnitens pernoctaret in oratiooe, seipsum deflens in boc, quoniam qui ad id vsque prouectus fuerat, vt Domino pœnitentes reconciliaret, hac die nec ioter pœniteotes ipse (criminibus suis exigentibus) in Ecclesia merebatur consistere: Angelus Domini circa mediam noctem magoa com luce veoit ad eum, vbi pronus iacebat in oratorio, talique decubantem compellasse fertur alloquio: *Genebaude, exaudita sunt pro te orationes patris tui Remigij. Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum. Surge, & hinc egrediens fac ministerium Episcopalis officij, & reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis.* Genebaudos autem nimio terrore perculsus, respondere non poterat. Tunc Angelus Domini confortans eum, ne timeat hortatur: immo gaudeat de Domini misericordia sibi collata. Robotarus tandem respondisse fertur, noo se posse hinc egredi, quia domnus & pater suos Remigius ostij clauem secum haberet, quod & sigillo suo signasset. Et Angelus ad eum, *Vt non dubites*, inquiens, *à Domino me missum, sicut patet tibi cælum, sic & ostium istud patebit.* Et statim saluo sigillo ac sera, ostium illud apertum est. Tunc Genebaudos in modum crucis se prosterneos in limine, sic traditur asseruisse. Etiamsi Dominus ipse Iesus Christus dignatus fuerit ad me peccatorem venire, non hinc egrediar, nisi veoerit ille, qui me in eius nomine sob hac reclusione constituit. Ad quæ responsa mox Angelus abscessit ab eo. Beatus autem Remigius in crypta, quæ subter Ecclesiæ sanctæ Mariæ sedem Remis habetur, in oratione pernoctabar. Quam postea cryptam Præsul Heriueus in honore consecrauit eiusdem beatissimi Remigij, vbi tunc ipse vir sanctus, vigiliis fatigatus, & quasi dormiens, in excessum raptus, videt Angelum sibi assistentem, qui hæc vt acta fuerant ita narrat eidem, iubens, vt quantocyus Laudunum petat, atque Geucbaudum sedi datæ restituens, ei coram se Pontificali fungi ministerio persuadeat. Ilico vir beatus nihil hæsitans, adit magna cum celeritate Laudunum. Quo perueniens, in ostio hinine, saluo sigillo seraque, reserato, Genebaudum iacentem reperit: quem protensis brachiis cum gaudii lachrymis Domini clementiam collaudans, erexit, eumque sedi & officio sacerdotali reddens, Remos cum gaudio repedauit. Genebaudus autem in sanctitate postea cunctos vitæ suæ dies, Dei fretus gratia, peragens, palam quæ sibi Dominus fecerat, prædicabat. Obiit igitur Genebaudus in pace sanctis Dei connumeratus, tamdiu Episcopatu persunctus, vt ei successerit Latro filius eius, Episcopus & ipse postea sanctus.

Geneb. sedi suæ restituitur.

S. Latro eidem succedit.

Rex denique Ludouicus in ciuitate Suessionica sedem suam constituens, delectabatur præsentia & colloquio S. Remigij. Sed quia vir hic sanctus in ciuitatis huius vicinia villas non babebat alias, nisi quandam paruam quæ sancto Nicasio data fuerat, Rex (suggerente Regioa, locorumque peteonbus iocolis, qui multiplicibus erant aggrauati xeniis, vt quod Regi debebant, Ecclesiæ Remensi persoluerent) sancto proposuit Remigio, vt quantum circumiret dum ipse meridie quiesceret, illi totum donaret. Beatus igitur Remigius per fines qui videntur adhuc manifesti, profectus itineris sui signa dimisit. In qua determinatione qoidam possidens molendinum repulit sanctum virum, ne intra ipsos illum concluderet fines. Quem vir Domini leniter affatus ait: Amice, non sit tibi durum, vt babeamus simul bunc molendinum. At ille vt eum reiecit, statim io contrarium rota molendini verti cœpit. Repulsor autem clamare cœpit post sanctum Remigium: Serue Dei, veoi, & habeamus pariter molendinum: Cui vir sanctus: Nec mihi, nec tibi. Mox ianta profunditas in eodem loco, tellure so subdocente, facta est, vt nuoquam deinceps inibi molendinus haberi posset. A quibusdam quoque repulsus, ne syluulam quandam suos intra terminos comprehenderet, dixit, vt nec folium vnquam de ipsa sylua, (licet esset contigua) trans fines ipsos euolaret, neque fustis ex ea versus eosdem terminos caderet. Quod & obseruatum voluntate Dei traditur, donec ipsa sylua perdurasse dinoscitur. Abinde qnoque procedens, venit ad villam, nomine Cauniacum, quam finibus suis nitens concludere, prohibetur ab hominibus eiusdem villæ. Tunc ille miti vultu modo rejectus, modo repropinquans, signa quæ parent adhuc per suum dimisit iter. Tandem repulsus dixisse fertur ad illos: *Semper laborate, & egestatem sustinete.* Quod hodieque compleri, manentis sententiæ virtus ostendit: Surgens autem Rex à somno meridiano, qnæcunqoe B. Remigius ambitu soæ circumitionis incluserat, eidem præcepto regiæ dedit auctoritatis. Quatom rerom sunt Iuliacus & Codiciacus capita, quæ Remensis adhuc iure quieto possidet Ecclesia.

Chauignon.

Luilly & Cocy

Eulogius denique vir quidam prępotens conuictus apud Regem Lodouicum super Regiæ maiestatis crimine, ad intercessionem B. confugit Remigij. Coi vir sanctus tam vitam, quam rerum obtiouit possessionem. Ipse vero, qoasi recompensatioois beneficio, benefico patrono Sparnacum villam suam obtulit in proprietatem. Beatus autem Præsul, temporalem pro suæ intercessionis munere vitans retributionem recipere, prædictum virum, qnoniam verecundiæ confusione depressus (quia contra natalium decus suorum, vita donari per indulgentiam meruisset) in habitu sæculari manere nolebat, salubriter exhortatus est, dicens: vt si perfectus esse vellet, vendens omnia sua daret pauperibus, & sequeretur Christum. Sicq; taxatum, de thesauris Ecclesiasticis, pretium, quinque millia scilicet argenti libras, Eulogio fertur dedisse,

Esparnay.

Mat 16.

ipsamq; villam in Ecclesiæ possessionem comparasse. Bonum cunctis relinquens exemplum Episcopis, cæterisq; Sacerdotibus, vt dum pro his qui ad Ecclesiæ sinum, vel seruorum Dei præsidia confugium faciunt, intercedunt, aut bona quælibet agunt, hæc pro temporali recompensatione non expleant, nec transitoria velint recipere: sed iuxta mandatum Domini, qui gratis acceperunt, studeant quoq; gratis impendere.

Mat. 10

De victoriis Ludovvici per auxilium S. Remigii, & fine ipsius Regis.

Cap. XV.

an. 501. Sigeb.

REx itaque Ludovvicus contra Gondebaudum & Godegisilum fratrem eius ducens exercitum, percepta benedictione à B. Remigio victoriam sibi prædicente, accepit in mandatis ab eo sibi datis, vt tamdiu contra hostes dimicaret, quamdiu benedictum sibi vinum, quod ei vir Domini dederat, in vsu quotidiano sufficeret. Contra quem Burgundiones cum prædictis ducibus pugnaturi, venerunt super Oscaram fluuium, secus Diuionem castrum. Vbi confligentes atrociter Burgundiones in fugam vertuntur, & in Auinione castro se Gondebaudus concludens, à Ludovvico pacem per Aredium consiliarium suum, multis datis thesauris, obtinuit. Ludovvicus autem cum exercitu Francorum præda potitus maxima, reuertitur ad propria. Sic etiam constituta Parisius in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli basilica, & Synodo per sancti patroni sui Remigij consiliũ, in vrbe Aurelianensi habita, pergens contra Regem Alaricum Arianum, & accipiens à B. Remigio benedictionem, redditur de victoriæ perceptione securus. Cui vir quoq; sanctus, vt & pridem fecerat, vas, quod vulgo flasconem vocãt, vini à se benedicti plenum dedit: hoc idem quod antea mandans, vt eo vsque ad bellum procederet, donec sibi suisque, quibus exinde dare vellet, hoc vinum de prædicto flascone non deficeret. Bibit igitur Rex ex eo, pluresque suorum, vas tamen vini non patitur detrimentum. Bellum vero cum Gotthis conserens, eos in fugam vertit, & ipse, Beato Remigio se suffragante, victor extitit. In qua pugna dum duo Gothi contra eum in latera feriunt, huius patroni sui se protegentibus meritis, illum lædere nequiuerunt. Multis autem ciuitatibus suæ ditioni subactis, vsque Tolosam perrexit, & Alarici thesauros accipiens, per Engolismam ciuitatem, (cuius ante conspectum ipsius muri corruerunt) interfectis Gotthis qui erant intus, ad propria cum gloriosa redit victoria, vino flasconis non deficiente, donec reuersus est in sua.

Hodie est S. Genouefa.

an. 509. Sigeb.

Denique Rex Ludovvicus, exhortante Sancto Remigio, regnum, hoc est coronam cum gemmis pretiosis auream, donum Beato Petro Apostolo misit: & * Codicillos ab Anastasio Imperatore pro consulatu sibi missos, cum corona aurea, tunicaque blattea, sumpsit, & ab inde Consula appellatus esse memoratur. Hormisda quoque Romanæ sedis Pontifex, Sancto Remigio vices suas in regno Ludovvici, litteris suis ad ipsum directis, commisit. Post hæc mortuus Ludovvicus Rex in pace, ac sepultus in Basilica Sancti Petri Apostoli, quam Parisius ædificauerat, eodemque momento quo spiritum emisit, reuelante Spiritu sancto, Beatus Remigius Remis positus, eum obisse cognouit, & assistentibus sibi manifestauit.

M. S. j. Codicillos.

an. 514. Sigeb. Baron. Maræus

De Synodo vbi conuertit hæreticum.

Cap. XVI.

GAlliæ quondam Præsules ad Synodum fidei gratia conuenientes, beatum Remigium, vtpote virũ diuinis eloquiis eruditissimum, & doctrinis Ecclesiasticis exercitatissimum, ad idem Concilium venire petierunt. Cui conuentui Arianus quidem Episcopus acerrimus disputator, & dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus; hincque nimis elatus, intererat. Ingrediente vero Concilium Sancto Remigio, & ad multitudinẽ fratrum, reuerenter ei cunctis assurgentibus, excepto, superbus hæreticus illi assurgere dedignatur. At mox vt beatus Remigius ante ipsum transijt, ille locutionis officium ore obstructo amisit. Expectantibus vniuersis, vt post allocutionem Sancti Remigij loqueretur ille, ne vllum quidem verbum proferre potuit. Sicque beati viri vestigia pronus tandem petens, nutibus veniam postulauit. Cui Sanctus Remigius: *In nomine* (inquit) *Domini nostri Iesu Christi, veri filii Dei viui, si sic de eo recte sentis, loquere, & de illo sicut Catholica credit Ecclesia, crede & confitere.* Ad cuius vocem hæreticus ante superbus, humilis iam factus atque Catholicus, orthodoxam fidem de diuina & inseparabili Trinitate, ac de incarnatione Christi Catholice confessus, in eadem confessionis suæ fide se permansurũ repromisit. Sicque anima per infidelitatẽ perdito, & corporali voce propter superbiam iuste condemnato, virtute diuina venerabilis Pontifex, & animæ reddidit & corporis sanitatem: cunctis qui aderant, vel hæc cognituri forent, sacerdotibus pariter ostendens, in hoc male sentiente de Christo [qui proximus & frater nobis per humanitatem fieri dignatus est] qualiter contra peccantes in ipsum, vel in Ecclesiam atque rebelles, & erga post recognoscentes ac pœnitentes debeant agere.

De mitigatione ignis, & obitu eiusdem, vel sepultura ipsius.

Cap. XVII.

SEnescente iam S. Remigio, Deiq; spiritu sibi reuelante, quod abundantiam tunc præsentem, fames secutura foret, de frugibus villarum Episcopij nonnullos iussit aceruos fieri fame laboraturæ postmodum profuturos plebi: quorum in villa (quæ Celtus vocatur) facti sunt plures. At homines ipsius villæ seditiosi & rebelles erant: qui die quadam inebriari cœperunt inter se dicere: Quid ille Iubilæus (ita virum sanctum propter ætatis prolixitatem vocitantes) facere vellet ex his quas aggregauerat metis? An ciuitatẽ de ipsis facere cogitaret: quia sicut turres per muros ciuitatis, ita per circuitum curtis dispositi cernebãtur aceruí. Tandem suadẽre diabolo se mutuo cohortati, miserunt in eos ignem. Quod cum B. Præsuli nunciatum fuisset in propinqua villa, quam Basilicæ cortem vocant, tunc forte consistenti, ascenso protinus equo, celeriter ad tantam compescendam præsumptionem deuenit Celtum. Quo cum peruenisset, ardentesque fruges reperisset, ad ipsum calefacere se cœpit ignem: Semper (inquiens) est bonus focus, si non super potest. Veruntamen omnes qui hoc egerunt, & qui de ipsorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, & fœminæ gutturis calamitate plectantur. Quod ita quoque constat impletum. Vsque ad tempora siquidem Caroli magni, qui huiuscemodi homines de Celto, quoniam Vicedominum Ecclesiæ Remensis in eadem villa necarunt, exterminauit, cædis auctoribus interfectis, & consentientibus per diuersas prouincias dispersis, atque perpetuo condemnatis exilio: ac de cæteris huius episcopij villis eandem restaurari fecit. Ita viri fœminæque generationis huius multati permanserunt, vt sancti viri sententia promulgauit. Et apte quidem vir Dei [quoniam posteros eorum rebelles ac seditiosos fore præuidit] huiusmodi vindicta non solum præsumptores, sed etiam genus ipsorum plecti decreuit.

Post hæc igitur, aliaque multarum magnalia virtutum, quæ Dominus operari per hunc fidelem suum famulum dignatus est, gemitus illius exaudiens atque suspiria, quibus dicere consueuerat: *Quando veniam & parebo ante faciem Dei? Satiabor dum manifestabitur gloria eius*: illi pia consolatione Dominus obitus sui diem reuelauit imminere. Qua reuelatione fretus, rerum suarum condidit testamentum, ad illam pertingere festinans hæreditatem, de qua dicit Propheta: *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini*. Sic ergo sanctus hic vir Dei, terrenā derelinquens hæreditatem percepit æternam. Condito si quidem testamento, & suis omnibus rite dispositis, quia verus agricola omnem vitis veræ palmitem fructum ferenté purgat, vt fructum plus afferat, oculorum corporalium lumine priuatus est aliquandiu, quo superna, mentis oculis, ad quæ toto anhelabat desiderio, contemplari valeret attentius. Ipse vero studebat in suæ probationis tentatione semper gratias agere, laudibus, hymnisque Deo diebus ac noctibus vacare, fideli mente pertractans: Quoniam qui patienter humiliterque flagella suscipiunt, post flagella sublimiter ad requiem suscipiuntur. Cuius æternæ gloriæ pignus in eo Dominus volens ostendere, priusquam decederet, ei visum restituit. Vnde, sicut & de amissione, nomen Domini benedixit. Et non post longum spatium, sciens adesse sui transitus diem, per Missarum celebrationem, & sacræ communionis participationem, valefaciens, & dans pacem filiis suis, postquam septuaginta quatuor annos in Episcopatu religiosissime fidelis seruus & prudens Domino ministrâuerat, nonagesimo sexto ætatis suæ anno, • Idibus Ianuarij, cursu sancti certaminis consummato, fide seruata, cū multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro, vt diu desiderauit, anima cœlos penetrās, terræ corpus reliquit: accipiens stolam candidam, beatitudinem scilicet animæ sempiternam, percepturus in resurrectione alteram, beatam videlicet ad gloriam resuscitati corporis immortalitatem: possessurus partem societatēque cum præcipuis Christi membris in regno cœlesti, sicut attestatur Apostolica sibi collata gratia. Gens siquidem Francica per ipsum ad fidem Christi conuersa, martyrij palma, longanimitas patientiæ in longæuitate ipsius vitæ, confessionis gloria, orthodoxæ fidei prædicatio, magnaliumque tam in vita corporis, quam post obitum præclara manifestatio. Cum vero funus ipsius sanctissimum deferretur ad sepulturam Sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris in Ecclesia præparatam, ita feretrum in medio vico est aggrauatum, vt nullo modo posset, hominibus quantumlibet annitentibus, amoueri. Stupefactis omnibus, Deique misericordiam postulantibus, vt dignaretur ostendere, quo in loco Sancti sui vellet recondi corpus, designant ad basilicam præfatorum Martyrum, nec feretrum mouere possunt. Proponunt ad Ecclesiam Sancti Nicasij, nec capulum valet attolli. Decernunt ad ædem Sanctorum Sixti & Sinicij, nec sic potest moueri. Tandem coacti, quoniam parua supererat Ecclesia in honore beati Christophori martyris, & nullius propalati corpus seruabatur in ea Sancti, circumiacentibus tamen atriis, Ecclesiæ cœmiterium ferebatur ex antiquo Remensis, petierūt vt Dominus declararet, vtrum nam in eadem Ecclesiola pignus illud sacratissimum reponi decerneret. Ad quæ vota tanta facilitate loculum leuant, vt nullum portantes onus sentirent. Recondita sunt autem reuerendissimi Patris huius membra in hac Ecclesiola, moderante dispositione, in loco vbi nunc habetur altare beatæ virginis Genouefæ. Vbi vero feretrum constat ipsius aggrauatum, multa feruntur ostensa miracula postmodum. Hic etiam crux extat abinde posita, columnæ monumentis his insignitæ præfixa.

Cum transisset ex hoc mundo ad cælestem patriam.
Præsul magnus Beatus Remigius.
Huc à plebe sancta digne delatus est, corpore
In ecclesia condendus Timothei Martyris.
Tunc hoc loco moram fecit, nec moueri potuit,
Donec quo locandus esset reuelauit Dominus:
Vbi nunc fauente Christo prapollet virtutibus,
Præstans hic Deo deuotis apta beneficia,
Cæcis visum, claudis gressum, & ægris remedium.
Igitur profusis votis exoremus Dominum,
Veniam vt delictorum pius eius precibus
Mereamur adipisci, & cælorum gaudia.
Sancte Remigi confessor pretiose Domini,
Adeloldi quoque tui miserere famuli.

Testamentum ab ipso editum.

Cap. XVIII.

IN NOMINE PATRIS, ET Filij, & Spiritus Sancti, Gloria Deo, Amen.

*EGo Remigius Episcopus ciuitatis Remorum, sacerdotij compos: testamentum meum condidi iure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei iuris aliquid videbitur defuisse. Quandoque ego Remigius Episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto Sancta & venerabilis Ecclesia Catholica vrbis Remorum, & tu fili fratris mei, Lupe Episcope, quem præcipuo semper amore dilexi: & tu nepos meus agricola presbyter, qui mihi obsequio tuo à pueritia placuisti, ex omni substantia mea, quæ mea fortè obuenerit antequam moriar: præter id quod vnicuique donauero, legauero, darive iussero, vel vnumquemque vestrum voluero habere præcipuum. Tu sancta hæres mea Remensis ecclesia, colonos quos in Portensi habeo territorio, vel de paterna maternaque substantia, vel quos cum fratre meo, sanctæ memoriæ Principio commutaui, vel donatos habeo possidebis, Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Temnaicum, Maurilionem, Bedolesum, Prouinciolum. Nauiatenam, Lautam, Suffroniam colonas, Amertinum quoque seruum, cum omnibus quos intestatos reliquero, tuo dominio vindicabis. Necnon villas, agrosque quos possideo in solo Portensi, Tudianicum scilicet, & * Balatoniam, sine Plerocacum, & Vaculiacum, vel quæcunque in eodem solo Portensi qualibet auctoritate possedi, integre cum omnibus campis, pratis, pascuis, siluis, ad te testamenti huius auctoritate reuocabis. Simili modo, sanctissima hæres mea, quæcunque tibi à propinquis & amicis meis, in quocunque solo & territorio collata sunt, sicuti disposuero in parochiis, cænobiis, martyriis, Diaconiis, Xenodochiis, omnibusque matriculis sub tua ditione degentibus, ordinationem meam futuri successores mei, ordinis sui memores, sicut ego prædecessorum meorum, ita quoque incontulse, & absque vlla fragilitione seruabunt. Ex quibus Celtus, * quam per manum meam Celsa sobrina mea tibi tradidit, & Huldericiaca villa, quam Hulderieus Comes, * in loco vbi ossa mea sanctis fratres & Coëpiscopi diœceseos tua ponenda elegerint, in tegumentis deseruiant. Sitque locus ille successoribus meis Remorum Episcopis peculiariter proprius, & in alimoniis ibidem Dei militantium, vtcum ex proprio, in Portensi, & ……villanis quoque ex Episcopio in Remensi deseruiant. Blandibaccius villa in Portensi, quam à coharedibus meis Benedicto & Hilario, datis pretiis emi de thesauro Ecclesiæ, & Albiniacum ex Episcopio, in alimentis Clericorum Remensis Ecclesiæ communiter deputentur. quibus etiam Berna ex Episcopio, quæ peculiaris prædecessoribus meis esse solebat, cum duabus villis, quas Ludouuicus à me sacro baptismatis fōte susceptus, amore nominis mei, Piscofesheim sua lingua * vocatas, mihi tradidit, sine cum Coslo & Glenis, vel omnib. siluis, pratis, pascuis, quæcunque per diuersos ministros in Vosago infra, circū, & extra, tam vltra quam*

m. Belatonā.

c. & brisi-quem supra cap 12.

Deest dictio.

j. vocatas.

citra Rhenum pretio dato comparaui, piceni annuatim ministros, cunctisque locis regularibus, tam à me, quam ab antecessoribus meis ordinatis, siue in futuro ab Episcopis successoribus meis ordinandis, pro necessitate locorum ad vascula vinaria componenda annuatim distribuas. * Crusciniacum vero & Faram, siue villas quas sanctissima virgo Christi Genouefa, à Rege Christianissimo Ludouuico pro compendio itineris sui, cum Remensem Ecclesiam sapissimè visitare soleret, adipisci promeruit, alimoniisque ibidem Deo famulantium deputauit, sicut ab ea ordinatum est, ita confirmo, vt Crusciniacum futuri Episcopi successoris mei obsequiis, & sartatectis principalis Ecclesiæ deputetur. Faram vero eidē Episcopo, & sartatectis Ecclesiæ vbi iacuero, perpetualiter seruire iubeo. Sparnacum villa, quam datis quinque millia libris argenti, ab Eulogio comparaui, tua (sanctissima hæres mea) non extraneorum hæredum meorum esse cernitur, eo quod cum criminis accusatione regiæ maiestatis idem teneretur obnoxius, & se minimè purgare posset, non solum ne occideretur, dato iam dicto pretio de thesauris tuis, sed ne pecunia eius publicaretur, vnà tecum obtinui: & ideo vt præfata Sparnacum perpetualiter tibi ad restituendum thesaurum, stipendiisque tuis Pontificis deseruiat, liberali sanctione firmaui. Duodeciacum vero, sicut à Clodouualdo nobilissimæ indolis puero confirmatū est, tibi hæres mea perpetualiter famuletur. Villas quas mihi dominus illustrisq; memoriæ Ludouuicus Rex, quē de sacro baptismatis fonte suscepi, cū adhuc paganus Dēū ignoraret, ad propriū tradidit, locis pauperioribus deputaui: ne forte, cum esset infidelis, cupidū terrenarū rerum me arbitrari posset, & non potius suæ salutem animæ, quā exteriora ab ipso bona requirere. Quod & admiratus, intercedēte me pro quibuscunque necessitatem patiētib. & fidelis, & ante fidem, benignè liberaliterq; concessit. Et quia ex omnib. Episcopis Galliaeū, pro fide & conuersatione Francorum petissimum me laborare cognouit, dedit mihi Deus tantā gratiam in conspectu eius, virtusq; diuina, quæ per Spiritū sanctum me peccatorē plurima signa ad salutē præfatæ gentis Francorū operari fecit, vt non solū ablata omnib. Ecclesiis Regni Frācorum restitueret, sed etiam de proprio, gratuita bonitate, plurimas ditaret Ecclesias. Neq; prius de regno eius, quantū passus est pedis, Ecclesiæ Remorū iungere volui, donec, vt hoc omnib. Ecclesiis adimpleret, obtinui. Sed neque post eius baptismum, nisi Codiciacum & Iuliacū super quibus iā dictus puer sanctissimus & vnanimus mihi Clodouualdus, & incolæ loci illius multiplicibus xeniis grauati, obnixe deprecantes, quod Regi debebant Ecclesiæ meæ soluendū, me petere compulerunt. Quod idē piissimus Rex & gratanter accipiens, prōptissima voluntate largitus est, vsibusq; tuis, sanctissima hæres mea, iuxta eiusdē piissimè datoris præceptum, Episcopali auctoritate firmaui. Res etiā quas sæpe dictus Rex, piissimusq; Princeps, tibi in Septimania & Aquitania cōcessit, & eas quas in Prouincia Benedictus quidā (cuius filiam mihi ab Alarico missam, gratia Sancti Spiritus per impositionem manus meæ peccatricis, non solū à diabolica fraudis vinculo, sed ab inferis reuocante) ad vsum luminis tui, & loco vbi corpus meū iacuerit, continuatim deseruire præcipio, villasque in Austria siue Teringa. Futuro Episcopo successori meo amphibalū album paschalē relinquo, stragula columbina duo, vela tria, quæ ad ostia diebus festis triclinii, cellæ, & culinæ. Vas argenteum triginta, & aliud decē & octo librarū, inter te, hæres mea, & diœcesin tuā Ecclesiam Laudunēsem, factis patenis atq; calicibus ad ministerium sacrosanctū, prout volui, Deo annuente distribui. Illud quoque vas aureū decē librarum, quod mihi sæpe nominatus dominus, illustrisque memoriæ Ludouuicus rex, quē (vt prædixi) de sacro Baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, vt de eo facerē quod ipse voluissem, tibi hæredi meæ Ecclesiæ supra memoratæ iubeo turriculum & imaginatum calicē fabricari, & epigrāmata, quæ Lauduni in argenteo ipse dictaui, in hoc quoque conscribe volo. Quod faciā per me, si habuero spatium vitæ * si autē clausero vltimum diem, tu fili fratris mei Lupe Episcope, species ante dictas, tui ordinis memor, efficias. Compresbyteris meis & diaconibus qui sunt Remis,

al. Cruciniarum

m s. Spernacus & I. Supra c.14.

Supra c.14.

Briss. Sin. aute.

xxv. solidos æqualiter diuidendos in cōmune dimitto. Vitis plantā super vineā meam ad suburbanū positam, similis modo cōmuniter possidebunt cū Melanio vinitore, quē de iure Ecclesiastici hominis Albonichi, vt Albonicus libertate plenissima perfruatur. Subdiaconibus solidos duodecim, Lectoribus, Hostiariis, & iunioribus solidos octo iubeo dari Pauperibus duodecim in matricula p. sitis, ante [illegible] Ecclesiæ expectantibus stipem, duo solidi vnde se reficiant, inferentur, quib. Corcellis villā dudū deseruire præcepi. Aliis pauperibus tribus, vbi fratres quotidie pedes lauare debet, quibus etiā Balateferum, quod dicitur Xenodo[illegible]n, ad hoc ministerium statui, solidus vnus dabitur. Viduis quadraginta in porticu Ecclesiæ alimontā præstolantibus, quib. de decimis villarum Calmisciace, Tosiace, Nouauiua stipendia ministrabantur, superadde de villa Huldriciaca superius memorata, eis in perpetuū stipendia inferri, & tres solidos, & denarios quatuor dari iubeo. Ecclesiæ S. Victoris ad portā Suessonicā solidos duos. Ecclesiæ Sancti Hilarii ad portā Martis solidos duos. Ecclesiæ Sanctorum Crispini & Crispiniani ad portam Treuericam, solidos duos. Eccle[si]a S. Petri infra vrbem, quæ Curtis Dominica dicitur solidos duos. Ecclesiæ quam in honore omnium Martyrum [su]pra Criptam Remorum ædificaui, cum per auxilium [illegible] Dei ab igne dæmonis pene iam totam vrbem conuer[illegible] eripui, solidos duos. Ecclesiæ, quam pro eodem [illegible] tutis Dei, in honore Sancti Martini & omnium confes[so]rum infra vrbem, quæ dicitur ad Apostolos, [illegible] Titulo Sanct. Mauricii in via Cæsarea, solidos du[os]. E[ccle]siæ * Iouiniana tituli beati Agricolæ, vbi ipse vir Ch[ri]stianissimus, Iouinus, & Sanctus Martyr Nicasius [illegible] plurimis societatis suæ Christi Martyribus, requie[scit], vbi etiam quinque Confessores proximi antecessores domni Nicasii, cum sanctissima virgine & Martyre Eutropia conditi sunt, solidos tres. Eidemque quoque Eccle[si]a pre[illegible] fuerat Iouini in solo Suessonico, cum Ecclesia beati [illegible] lis, rebus prioribus superaddidi. Ecclesiæ Sanctorum [Mar]tyrum Timothei & Apollinaris, vbi etiam Domino dante, si fratribus, ac filiis meis Episcopis Diœce[illegible] visum fuerit, ossa mea ponere disposui, solidos qua[illegible]. Ecclesiæ Sancti Ioannis, vbi virtus Christi, me orante, [fi]liam Benedicti suscitauit, solidos duos. Eccle[s]ia S[anct]i Sixti, vbi cum tribus successoribus suis requiescit, so[l]i[dos] tres, cui etiam de proprio meo Plebeias supra Matronam adiunxi. Ecclesiæ S. Martini in eodem solo sanctæ Remensis Ecclesiæ posita, solidos duos. Ecclesiæ S. Chris[to]phori, solidos duos. Ecclesiæ Sanct. Germani, quam ipse in sol[o] [illegible]mensi ædificaui, solidos duos: Ecclesiæ SS. Martyrum Cosmæ & Damiani in præfatæ maioris solo posita, soli[do]s duos. Matricula Sanct. Mariæ, quæ dicitur Xenodochium, vbi duodecim pauperes stipem expectant, solidus d[a]bitur. Q[ui]s denique matriculam loco vbicumque fratribus meis & filiis ossa mea ponere placuerit, perseuerare præcipio, & vt [illegible] diu noctuque pro peccatis atque criminibus meis Dominum deprecentur de proprio hæreditatis meæ iure, rebus quas antecessores mei in eorum stipendiis Domino dederunt, superaddo etiam villam Soladronam, & villam Sancti Stephani, & quidquid in villa Hermundi mihi per successionem euenit. Quod vero pretio ibidem comparaui, Ecclesiæ Sancti Quintini Martyris iam diu delegaui. Dein dicti [illegible]liaco, Frumenium, Dagaleifum, Dagaredum, Du[illegible]linem, Baudenmeum, Vdulfum, Vinofeifam, liberos [illegible] Tenaredus qui de ingenua nascitur matre, [illegible] vtatur. Tu vero fili fratris mei Lupe Episcope, [illegible] vindicabis Nifastem, & matrem suam Nuciaro. Vineam quoq; quam Aeneas vinitor colit, Aeneam & Monulfum eius filium minuierem iubeo libertate perfungi. Melle[illegible]carium & Paschasidem coniugem suam, Vernin: annum cum filiis suis, excepto VVidragasio, cui iccirco libertatem tuo iure deputabis. Seruum meum de Cesinusec tuum esse præcipio. Agrorum partem ad te, quā frater meus P[rinci]pius [Epis]copus tenuit, cum siluis, pratis, pascuis, renerabis. Seruum meum quē Mellonicus, tenuis, Viteretum tibi [illegible] el[illegible]os. Teneursolū Capalinum, & vxorem suam Theod[illegible]e, tuo

Relinq.

M. in.

iuri dominioque transcribo. Theodonima quoque ex mea præceptione sit libera. Edoneisã quæ homini tuo sociata fuit, & eius cognationem retinebis. Vxorẽ Aregildi, & cognationẽ suam ingenuos esse iubeo. Partem meam de prato quod Lauduni iuxta vos habeo, ad imitatẽ montiũ posito, & quæ Iouia sunt pratella quæ tenui, ad te reuocabis. Labrinacum tibi, vbi ossa genitricis meæ posui, cũ præfixis terminis deputaui. Tibi autem, nepos meus Agricola Presbyter, qui intra domesticos parietes meos exegisti pueritiam tuã, trado atque transcribo Merũvastem seruum, & vxorẽ suam Meratenã, & eorum filium, nomine Marconicum. Eius fratrem Medouicum iubeo esse liberum. Amantium vxorem suam tibimet derelinquo. Eorum filiam esse præcipio liberam Dasoũdam. Alaricum seruum tuæ deputo portioni, cuius vxorem, quam redemi & manumisi, cõmendo ingenuam defendẽdã, Bebrimodum & vxorem suam Moriam tuo dominio vindicabis. Eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellarcium & vxorem suam Placidiam ad tuum dominium reuocabis, Medaridus eorum filius sit libertus. Vineam quam Mellaricus Lauduni fecit, tibi dono: Britobaudem seruũ meum, necnon etiã Gebericum. Vineam quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, vt dieb. festis, & omnib. diebus Dominicis, sacris altarib. meæ inde offeratur oblatio, atque annua conuiuia Remensis Presbyteris & Diaconib. præbeantur. Delegoque nepoti meo Prætextato Moderatum, Totticeonem, Marconicum, Innocentium seruum, quẽ accepi à Profuturo originario meo, cochlearia quatuor de maioribus, acetabulum, lacernam, quã mihi tribunus Friaredus dedit, & argenteam cabutam figuratam. Filiolo illius Parouio, acetabulũ, & tria cochlearia, & casulã cuius fimbrias commutaui. Remigii cochlearia tria, quæ meo sunt nomine titulata, mãtile ipsiusque habeo feriale, transcribo: hichinsculumquoq; dono illi, de quo Godebodo dixi. Delegoque benedictæ filiæ meæ Hilariæ Diaconæ ancillam nomine Nocam, & vitium pedaturam, quæ suæ iungitur vineæ, quam Catusio facit, dono: & partem meam de Talbusiato transcribo, pro obsequiis quæ mihi indesinenter impẽdit. Aetio nepoti meo partẽ de Cesurnico, quæ mihi sorte diuisionis obuenit, cũ omni iure quod tenui atq; possedi. Ambrosiũ quoque puerũ ad ius illius, dominiumq; trãsmitto. Vitalẽ colonũ liberum esse iubeo, & familiã suam ad nepotẽ meum Agathimerũ pertinere: cui vineã dono quã posui Vindonissæ, & meo labore constitui, sub ea cõditione, vt à partib. suis, omnibus dieb. festis ac Dominicis pro commemoratione mea sacris altarib. offeratur oblatio: & Laudunensib. presbyteris atq; Diaconib. annua conuiuia, concedente Domino præbeantur. Dono Ecclesiæ Laudunensi ex villis quas mihi sanctæ recordationis præfatus Rex Ludouuicus dedit, duas, Anisiacum, solidosq; decẽ & octo, quos Presbyteri & Diaconi inter se æquali diuisione distribuãt. Partẽ meã de Secio ex integro ad se reuocet Ecclesia Laudun. & Lauscitã, quã mihi carissima filia & soror mea, virgoq; (vt credo) Christi sanctissima Genouefa, in vsib. pauperũ Christi tibi dandã ad integrũ delegauit. Cõmendo sanctitati tuæ, fili fratris mei Lupe Episcope, & præfatis villis, quos libertos esse præcipio, Catusionẽ, & Auliatenã coniugem suã, Nonnionem qui meã vineam facit, Sonnoneisã, quam captiuam redemi, bonis parẽtibus natam, & eius filium Leutiberedum, Mellaridum, & Mellatenam, Vasantẽ, Cocum, Cæsariam, Dagarasenam, & Baudorosenam Leonis neptem. & Marcoleisum filiũ Totnonis: hos totos, fili fratris mei Lupe Episcope sacerdotali auctoritate liberos defensabis. Tibi autẽ, hæredi Ecclesia mea, Flauianum & vxorem suam Sparagildem dono. Eorum filiolam paruulam Flauarasenam, liberam esse constitui. Fedamiã vxorem Melani, & eorum paruulam Remenses Presbyteri & Diaconi possidebunt. Crispiciolum colonum liberum esse præcipio, & ad nepotem meum Aetium eius familiam pertinere: ad vtrumq; id est ad Aetium & Agatimerũ peruenire colonicã Passiacum. Pronepti meæ Prætextatæ dono Modorosenum. Profuturo Leudocharium puerum trado. Profuturæ dari iubeo Leudoneram. Laudunensibus Subdiaconib. Lectoribus, Ostiariis, & Iunioríb. quatuor solidos derelinquo. Pauperibus in matricula positis solidus dabitur ad eorum refectionem. Delegoque ex dato præfati Principis Saluonarias supra Moram, & decem solidos Ecclesiæ Suessionicæ pro commemoratione nominis mei. Nam Sablonarias supra Matronam hæredib. meis deputaui. Catalaunensi Ecclesiæ ex dato sæpe dicti filii mei, Gellonos supra Matronam, & solidos decem. Ecclesiæ Sancti Memmii, Fascinarias ex donis præscripti Principis, & solidos octo. Mosomagensi, solidos quinq;. Vongensi, agrum apud officinam molinariũ, quæ ibi est constituta. Catar.gensi Ecclesiæ, solidos quatuor: totidemq; Portensi pro commemoratione mei nominis inferentur. Ecclesiæ Attrabatensi, cui, Domino annuente, Vadastũ fratrẽ meum charissimum Episcopum consecraui, ex dono iam dicti Principis villas duas in alimoniis Clericorum deputaui, Orcos videlicet & Sabucetum: quib. etiam pro memoria nominis mei solidos viginti dari iubeo. Vrsi Archidiaconi familiarib. vsus obsequiis, dono ei domi textilis casulã subtilẽ, & aliam pleniorẽ, duo saga delicata, tapete quod habeo in lecto, & tunicam quã tempore transitus mei reliquero meliorẽ. Hæredes mei, Lupe Episcope, & Agricola Presbyter, porcos meos inter vos æqualiter diuidetis. Friaredus, quẽ ne occideretur quatuordecim solidis comparaui, duos concessos habeat, duodecim det ad basilica damnorũ Martyrum Timothei & Apollinaris cameram faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Cæteri omnes exhæredes estote, suntote.

Huic autem testamento meo dolus malus abest, aberitque in quo si qua litura, vel caraxatura fuerit inuẽta, facta est me præsente, dum à me relegitur & emendatur. Neq; ei duo priora testamenta, primum quidem quod ante xiiii. & alterum quod ante septem condidi annos, obsistere obuiare, aut vllatenus nocere poterunt: eo quod quidquid in ipsis continebatur, in præsentia fratrum meorum hic inserta, & quæ deerant adiuncta, insuper & quæ Dominus mihi largiri in postmodũ dignatus est, superaddita noscuntur. Sed incõuulsum & incontaminatum præsens hoc quod condidi testamẽtũ, à fratrib. meis successoribus, videlicet Remorum Episcopis, * conseruandum; à regibus quoque Francorum, filiis scilicet meis carissimis, quos per baptismum, Iesu Christi dono & gratia Spiritus Sancti cooperante, Domino consecraui, vbiq; defensum, atque protectum contra omnia, & in omnibus, inuiolabilem perpetuamq; semper obtineat firmitatem. Et si quis, in ordine clericali, à Presbytero vsque ad tonsum cõtradicere, aut obuiare ei præsumpserit, & correptus à successore meo satisfacere neglexerit, cõuocatis ex viciniorib. locis Remorum Diœceseos trib. Episcopis, deponatur à gradu. Si vero (quod nõ opto, nec cupio, sed neq; spero) successor quilibet mihi in hac sede Remorum Episcopus, execrabili cupiditate ductus, res præfatas, sicut à me, auctore Domino meo Iesu Christo, ad illius honorem, & eius pauperum consolationem ordinata sunt, alior sum distrahere, immutare, cõmutare, seu quolibet obtẽtu in vsus laicorũ, beneficii gratia dare, aut à quolibet datas, fauere, aut cõsentire præsumpserit, cõuocatis totius Diœceseos Remorũ Episcopis, Presbyterisq; ac Diaconibus, nec non & ex filiis meis carissimis Francis religiosis quamplurimis, reatus sui pœnã, priuatione sui Episcopatus persoluat: & nequaquã vltra recuperationẽ gradus amissi, in hoc sæculo promerebitur. Quicunque vero ex laico habitu à nobis statuta paruipendens, sibiq; fauens, quæ pauperibus Ecclesiæ attributa sunt, abuti, aut vsurpare quolibet obtẽtu præsumpserit, pari simul perpetuaq; damnatione, alienator, petitor, dator, acceptor, peruasor, anathematis vinculo ab Ecclesia Catholica seiungantur, donec valeant, Deo miserãte, cõdigna satisfactionis emẽdatione, indulgentiam promereri. Sin autem in hoc perseuerare cuiuscunque donationis occasione quilibet delegerit, spes ei præsentis ac futuræ restitutionis à successore meo, Remorum scilicet Episcopo, omnimodis auferatur. Generi tantummodo regio, quod ad honorem sanctæ Ecclesiæ, & defensionem pauperum vna cũ fratribus meis & Coëpiscopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atq; † Neustriæ, in regiæ maiestatis culmen perpetuo regnaturum statuens elegi, baptizaui, à fonte sacro suscepi, donoque septiformis spiritus consignaui, & per eiusdem sacri chrismatis vnctionem ordinato in Regem, parcens, statuo, vt si aliquando genus illud regium per benedictionem meam toties

MS i. conseruatum.

Pœnæ violatoribus huius test. indictæ.

Hæc postea dicta est Nordmánia.

*Domino consecratum, mala pro bonis reddens, Ecclesiarum Dei peruersor, destructor, depopulator granu, aut contra eius existere voluerit, conuocatis Remorum diœceseos Episcopis, primum moneatur: & deinde Ecclesia * Remensi præfata, adiuncta sibi sorore, Ecclesia, scilicet Treuirensi, iterum * conueniatur. Tertio vero, Archiepiscopis tantummodo Galliarum tribus aut quatuor conuocatis, Princeps ille, quicunque fuerit, moneatur: ita vt vsque ad septimã monitionem, si prius satisfacere renuerit, paterna pietatis lõganimitate differatur. Tandemque, si postpositis omnibus præfatis * benedictionibus, incorrigibilis contumaciæ spiritum nõ deposuerit, & se per omnia, Deo subdi nolens, benedictionib. Ecclesiæ participare noluerit, elogium segregationis à corpore Christi, ab omnibus ei porrigatur, quod per prophetã & regem Dauid longe ante, eodem qui in Episcopus est, dictante Spiritu sancto, noscitur decantatum: Quia persecutus est (inquit) hominem inopem, & mendicum; & compunctum corde, & non est recordatus facere misericordiam, & dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Totumq; et quod in persona Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi, & malignorum Episcoporum, Ecclesia decantare solet, per singulas ei decãtetur Ecclesias: quia Dominus dixit: Quamdiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis: & quamdiu hi non fecistis, nec mihi fecistis. Et ideo quod probatur in capite, in membris intelligendum esse non dubitetur. Vnum tantummodo ibi verbum per interpositionem commutetur: Fiant dies eius pauci, & principatum eius accipiat alter. Quod vtiq; si successores mei Remorum scilicet Archiepiscopi, operero, sicut à me ordinatũ est, neglexerint, in se quidquid in Principibus refocandũ fuerat, maledictionibus deprauaci reperiant: vt fiant dies eorum pauci, Episcopatum eorum accipiat alter. Si vero Dominus meus Iesus Christus vocem orationis meæ, quam quotidie pro genere illo in conspectu diuinæ maiestatis specialiter fundo, audire dignatus fuerit, vt sicut à me accepit, ita in dispositione regni, & ordinatione sanctæ Dei Ecclesiæ perseueret, benedictionibus quas Spiritus sanctus per manum meã peccatricem super caput eius infudit, plurima super caput illustrius per eundem Spiritum sanctum superaddantur: & ex ipso Reges & Imperatores procedant, qui in præsenti & in futuro, iuxta voluntatem Domini, ad augmentum sanctæ suæ Ecclesiæ, virtute eius sæ in iudicio & iustitia confirmati, & corroborati regnum obtinere atque augere quotidie valeant: & in domo Dauid, hoc est in cælesti Hierusalem, cum Domino in æternum regnaturi, sublimari mereantur. Amen. Peractum Remis, die & consule supradicto, intercedentibus & mediis signatoribus.*

Ego Remigius Episcopus testamentum meum relegi, signaui, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti (Deo adiuuante) compleui † Vedastus Episcopus: cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Genebaudus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atq; subscripsi. † Medaedus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atq; subscripsi. † Lupus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi, & cui benedixit, benedixi: interfui quoque atq; subscripsi. † Benedictus Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atq; subscripsi. † Eulogius Episcopus: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque; subscripsi. † Agricola Presbyter: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi. † Theodonius Presbyter: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atq; subscripsi. † Celsinus Presbyter: Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atq; subscripsi. † V. C. Pappolus interfui, & subscripsi. V. C. Eulodius interfui, & subscripsi. V. C. Rusticolus interfui, & signaui. V. C. Eutropius interfui, & signaui. V. C. Daunius interfui, & signaui.

Marginal notes: Remensis. &c. conueniat. — monitionib. — Ps. 108. — Matth. 25. — Ps. 108.

*Post conditum testamentum, iamque signatum, occurrit * sibi mens, vt basilicæ domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, vt ex eo sedes futura meorum ossium componatur.*

De remedio pestis inguinariæ, & cæteris per ipsum collatis.

Cap. XIX.

POst huius beatissimi patris obitum, cum lues inguinaria, veluti Gregorius Turonensis enarrat, *populum Germaniæ deuastaret, & omnes eius cladis terrerentur auditu, concurrit Remensis populus ad Sancti sepulchrum, congruum huius causæ flagitare remedium. Accensis cereis, lychnisque accensis non paucis, hymnis, Psalmisque cælestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto quid adhuc precatus desit in tractatur rimatur. Reperierunt etenim, reuelante Deo, qualiter oratione præmissa, maiori adhuc propugnaculo muniretur. Assumptam igitur pallam de beati sepulchro componunt in modum feretri, accensisque super cruces cereis, atque Ceroferariis, dant voces in canticis circumeunt vrbem cum vicis, nec prætereunt vllum hospitium, quod non hac circumitione concludant. Nec post multos dies fines huius ciuitatis lues aggreditur memorata. Verumtamẽ vsque ad eum locum accedens, quo Beati pignus acceperat, ac si constitutum cerneret terminum, intro ingredi non est ausa; sed etiam quæ in principio peruaserat, huius virtutis repulsa reliquit.* Multa deoique postmodum ad ipsius sepulchrum sunt diuinitus ostensa miracula, quæ per negligentiam non habentur scripta.

De translatione corporis ipsius, & quibusdam deinde patratis miraculis.

Cap. XX.

SEpultu igitur in præmemorata basilica, [illegible] Remigij corpore, cum multa stupendaque in eadem per Domini gratiam fierent miracula, dilatata & exaltata est ipsa Ecclesia, factaque crypta post altare in qua transferretur pignus venerabile. Deteguntur humo loculum, quo præparatum deponant in antrum, sed ipsum penitus mouere non possunt. Superueniente vero nocte multis accensis luminaribus, circa noctis medium sopor excubantes occupat omnes. Quibus euigilantibus, inuenitur transuectus sacro cum thesauro sarcophagus, in præparatum (non nisi manibus Angelicis) habitaculum deportatus. Tantaque cuncti replentur odoris suauitate, quantam lingua non valet humana propalare. Quæ delectationis amœnitas in eadem, per totam diem illam, sed & in crastina, perseuerauit ecclesia. Hac igitur die translationis eius, scilicet Calendis Octobris, cum diuinis laudibus sumptæ sunt reliquiæ de capillis eius, & casula, tunicaque ipsius: & integrum, licet exsiccatum, corpus eiusdem rubeo constat brandeo inuolutum.

Hic itaque patet reuereodus, & in vita corporis, & post obitum, sicut infirmis sanitatum gratiam contulit, sic & in peruasores vel præsumptores sæpissime vindex apparuit. De quo præfatus episcopus Gregorius referre studuit, quod ex ipsius hic verbis inderere placuit. *Erat enim haud procul à basilica * fundus telluro fœcundus (tales incolæ Olcas vocant) & hic datus basilicæ Sancti fuerat: quem vnus è ciuibus peruadit, despiciens hominem qui eum loco sancto contulerat. Qui cum ab Episcopo ac loci Abbate crebro conuentus fuisset, vt quæ iniuste peruaserat redderet: paruipẽdens verba quæ audiebat, pertinaci decepta defensabat intentione. Denique cau[...] sitio, & non deuotio, vt vrbem adiens, properaret ad Sancti basilicã. Arguitur iterũ ab Abbate pro campi peruasione.*

sed

Sed nih ld gnum ratione respondet. Expletisq; negotiis ascen'o equo domum redire disponit. Sed obstat ei sui eius sacerdo ii iniuria. Nam sanetanus a sanguine, deruit in terram: obligatur lingua quæ locuta fuerat campum tolli: claudunturoculi, qui concupieraut: manus contr.huntur, quæ apprehenderant. Tunc balbutiens & vix sermonem explicare valens, ait: Deferte me ad basilicam Sancti: & quantumcumque* super me auri est ad sepulchrum eius proiicite: peccatis enim auferendo vereruit. Aspiciens autem clausi campi hunccum muneribus deferri, ait: Ne accipias quaso, Sancte Dei, munera eius, qua nunquam cupide accipere consuensti. Nec deprecer ad m eciuis, quis inflammante concupiscentia rerum tuarum nequam possessor extitit. Nec distulit Sanctus audire vocem pauperis sui. Nam homo ille licet dedisset munera, ostendit Sanctus Domini se illis non accepisse, dum redeem per naso domum amisit spiritum, & recepit Ecclesia res suas.*

Temporibus Chilperici Francorum Regis extitisse fertur Moderamnus, Redonensis ecclesiæ Præsul, vir nobili prosapia oriundus: qui per licentiam prædicti Regis limina Sancti Petri adire disponens, diuertit in Monasterium beati Remigij situm in suburbio Rhemensis vrbis. Vbi liberaliter à fratribus eiusdem loci susceptus, imperrauit à Bernehardo sacrorum custode reliquias de stola, cilicio, atque sudario Sancti Remigij. Quibus grataanter acceptis, iter inceptum lætus agens, dum permeat Italiam, in monte Bardonum quadam nocte metatum habens, memoratas in ilicis ramo suspendit reliquias. Cumque diluculo surgens, iter cœptum arriperet, immemor harum (nutu, ceu creditur, diuino) hæc ibidem remansere pignera. Procedente vero aliquanto longius Episcopo, vbi relictarum memor fit reliquiarum, suum statim ad has recipiendas dirigit clericum, nomine Vulfadum. Quo ad has perueniente, nullo valet eas ingenio contingere, dum mirabili signo, vt eas attingere vellet, eleuarentur in sublime. Hoc præfatus Episcopus audito miraculo, regrediens, in eodem loco fixit tentorium: Sed relicta pignera eadem nocte minime valuit recipere; donec facto mane, in Monasterio quod vocatur Bercerum, in honore S. Abundij Martyris inibi constructum, Missam celebrans, prædictorum partem munerum deuoueret ibidem se relicturum. Sicque rapta sibi recipiens, impleto venerabiliter voto cœptum repetit iter. Cui obuius factus * Luitbrandus Italorum rex strenuus qui hanc audiu iam compererat sacrorum virtutem, amore B. Remigij ductus, idem Monasterium, Bercetum scilicet, cum omnibus adiacentiis, omnique Abbatia, mansos* octingentos (vt tradunt) continenti, præfato Præsuli Moderamno delegauit, eique in præsentia fidelium suorum, legali de more, vestituram ex ea, & chartam fecit. Remeans autem ab vrbe Roma memoratus Præsul, accessit ad venerandum beati Remigij sepulchrum: atque sicut illi præmissus Rex hanc terram tradidit, ita nihilominus ille S. Remigio eandem contulit. Sicque prospere in suum reuersus Episcopium, successorem sibi ordinari fecit, & vale faciens filiis suis, Bercetum monasterium repetiit, & vsque ad obitus sui diem in loco illo moderate & honeste, vt seruus Dei, conuersatus vixit. Qui quoque nonnullis deinceps locus miraculis illustratus claruit.

Luidbrandus.

Processu denique temporis Pippinus Rex, Karoli Magni pater, Episcopij Laudunensis villam, quæ dicitur Anisiacus, accipere nisus quasi sub censu, velut alias quasdam fecerat, venit in eam, vbi cum dormiret, apparuit ei S. Remigius, dicens: *Tu quid hic facis? Quare in hanc villam intrasti, quam mihi homo devotior dedit, & quam ego Ecclesiæ Dominæ meæ Dei genitricis donaui?* Et flagellauit eum satis acriter, ita vt liuores in eius postea corpore paterent. At vbi disparuit B. Remigius, surrexit Pippinus, & correptus valida febre, quantocius ab ipsa villa recessit. De qua febre non paruo tempore laborauit. Deinceps vero Regni Princeps inibi vsque ad moderna tempora non mansit, vt nec in Codiciaco vel Iuliaco, nisi Ludouicus Rex Germaniæ, qui quando fratris sui Karoli regnum peruasit, in Iuliaco mansit, & inde turpiter in crastinum fugiens ante ipsum fratrem suum, vix euasit.

Partem quoque magnam siluæ in saltu Vosago beatus hic pater, dato comparauit pretio: villulas etiam quasdam inibi constituisse fertur, quæ Cosla & Gleni vocantur: incolasque de vicina Episcopij villa, nomine Berna, dudum sibi à Francis data, in eas transferens, ibidem manere disposuit, & vt picem religiosis annuatim locis ecclesiæ Rhemensis administrarent, instituit. Quibus & pensam tribuit, quæ hodie ab ipsorum successoribus accipitur, cum qua suum quoque persoluunt debitum. Huius etiam suæ coemptionis fines ita per gyrum determinauit, vt & omnibus videntibus pateat ipsa determinatio, & hactenus ipsi fines ab eo denotati nomine tenus vocitentur & assignentur. In quibus determinationibus ligni cuiusdam contacto, manu sua petram coniecisse traditur: quam quicunque voluerint contrectare, manum in ipsam cauernam valent inferre, lapidem deuoluere, sed ab eadem concauitate nullo modo queunt educere. Post aliqua vero tempora quidam beati viri laudibus inuidens, ipsam manu petram de ligno nisus est euellere: quod explere non valens, ipsum securi foramen tentauit ampliare. Sed eleuato ferro, vt arborem percuteret, arefacta mox iam dextera, quam procaciter extulit, *ipsum quoque lumen oculorum amisit: & qui famam Sancti Patris huius extinguere voluit, venerationem laudis adauxit inuitus.

Id patet ipsius.

M.S. ipsi..

Istius partem siluæ huius almi patroni nostri studiis emptæ, duo quidam fratres custodes regij saltus inuadentes, asserebant quod potius ad fiscum, quam ad ius S. Remigij pertineret. Accidit autem dum quondam cum incolis Ecclesiæ Rhemensis ditioni subditis, ob id altercarentur, vt vnus eorum veniens ad porcos suos, quos in eandem siluam pastum miserat, lupum inter eos inueniret: quem ascenso equo celeriter insecutus, eumque percutere molitus, equo pauefacto caput ad quandam collisit arborem, cerebroque ipsius in terram defluente, mortuus est. Frater vero ipsius in alteram pergens partem, peruenit ad quandam petram, dicens: *Omnibus notum sit, quia vsque ad hanc petram est ista silua Imperatoris*: eoque sic lapidem cum dicto bipenni, quam manu gestabat, percutiente, saxi particulæ in eius oculos ab ipso prosiliunt, & cæcus efficitur. Sicque præsumptionis vterque mercedem recepit, & mendacij sui.

Contigit tempore Ludouici Imperat.

Quidam vir nobilis ex territorio Niuernensi, B. Remigij reliquiis obtentis, oratorium in sua proprietate sub ipsius ædificauit honore: Vbi Dominus nonnulla, propter huius dilecti sui merita propalanda, dignatus est ostendere signa. Cum denique Ludouico Imperatore defuncto, Aquitani absque Principis iugo facti, gentilitiaque mobilitate permoti, pro vt quique poterat, efferre sese, mutuoque impugnare, ac per contiguos pagos debacchari cœpissent, pauperes quique res suas in ecclesiis reponere studuerunt. Vnde confisi, virtutum quæ inibi fiebant, opinione, sua multi seruanda in eodem certatim recondunt oratorio. Audientes autem prædones hoc opibus oratorium pluribus refertum plurimorum, eas vi diripere nituntur. Quorum quodam obserati seram conante frangere ostij, mox vt ianuam calce percussit, eidem cohærente pede ipsius ostio, resupinus in terram præsumptor cecidit. Quod alij cernentes, aufugiunt. Ipse vero miser, cogente cruciatu, cum maximo suos eiulatu cœpit exprimere dolores, & amarissimis promittere cum lacrymis, quia si Deus per merita S. Remigij pedem ipsius ab hac compede solueret, vlterius nunquam, vel de illa, vel de qualibet aliquid ecclesia tolleret, aut tolli: quantum ex

ipsó esset, vllo modo consentiret. Caballum quoque suum cum sella, & alia quæ potuit ad eandem donauit ecclesiam. Sicque post confessionem, lacrymas, & votum, pes eius ab ostio, cui adhæserat, est solutus. Veruntamen eo post modum pede claudus permansit, dum crure, femoreque computrescente, morte decessit.

Quando tres fratres Lotharius, Ludouicus, & Karolus regnum sibi Francorum post patris obitum diuisere, villas Episcopi Rhemensis, quod tenebat Fulco Presbyter, Karolus suis distribuit militibus. Ex quibus villam Iuliacum cuidam Ricuino dedit. Cuius vxor nomine* Berta, dum in ipsius villæ cubiculo iaceret, venit ad eam S. Remigius in somnis dicens: *Non est iste locus tuus adiacendum. Alterius meritis & officij debet esse, qui hanc villam habere, & in hoc cubiculo debet iacere. Surge quantocius, & hinc abscede.* Quod illa paruipendit, putans inane se visum videre. Iterum quoque apparuit ei sanctus Domini, dicens: *Cur hinc non abscessisti, sicut tibi præcepi? Vide ne te hic amplius inueniam.* Quod ipsa ceu prius, etiam nunc pro nihilo duxit. Tertio venit ad eandem beatissimus Præsul, & dixit: *Nonne iam semel & secundo tibi iussi, vt hinc abscederes? Sed quia pergere contempsisti, aliorum deportatione discedes.* Et percussit illam virga quam tenebat in manu, quæ mox in maximum toto corpore conuersa tumorem, viro suo quod videtat, aliisque nonnullis dixit, & per aliquot dies seuerissime cruciata, vitam finiuit. Cuius corpus vir eius in Eccles. S. Remigij deportari, & ibidem sepeliri fecit. Quod autem funus ipsius in Ecclesia sua pater hic almus receperit, non adeo mirabitur, si quis digne perpenderit, quas Sancti vindictas in delinquentes exercere soleant intentione videlicet, vt si pœnituerint, hic recipiant quod merentur, ne post æternis suppliciis addicantur, vt in Regum libro de Propheta legitur, qui ori Domini inobediens extitit, & à leone percussus interiit: atque post vltionem perceptam corpus ipsius intactum à fera remansit. Quod vero præmissam mulierem ter admonere curauerit, nec eam primo vel secundo visitans, percutere voluit (quam tamen vltione plectendam vtpote Deo coniunctus, non ignorauit) quid aliud quam patientiæ nobis exempla proposuit? ne scilicet ad proferendam in quemque sententiam faciles simus, qui Deo per diuersa disiungimur, cum & eum patienter expectare probemus, quem Deo cohærere, atque cum ipso iudicare confidimus.

c.a. Beuta.

2. Reg. 13.

Moderno tempore colonus quidam villæ Rhemensis Episcopi, quæ plumbea Fontana dicitur, manens iuxta regij villam fisci, quam Rosetum vocant, neque messem, neque pratum, cæterumve peculium, propter fiscalinorũ infestationẽ habere quiete valebat. Vnde sæpe iustitiam apud ministeriales regios sibi fieri petiit, nec obtinere potuit. Inuenit autem tandem sibi salubre consilium. Nam coxit panes & carnes, & accepta ceruisia prout visum fuit, in vasculis, hæc omnia vehiculo, quod vulgo bennà dicitur, imposuit, & iunctis bobus ad basilicam Sancti Remigij, candelam manu ferens properauit. Quo perueniens, cibariis quæ detulit matricularios pauit, ad sepulchrum Sancti candelam posuit, & eius auxilium contra suos oppressuros expetiit. Puluerem quoque de pauimento Ecclesiæ colligens, panno colligauit, & in prædicta benna ponens, linteum desuper (vt supra corpus mortui solet fieri) composuit, & ad propria remeare cœpit. Si qui vero de obuiantibus cum interrogabant, quid in illo carro duceret, respondebat se S. Remigium ducere. Mirabantur autem omnes in dictis & factis illius, amentem hunc esse ferentes. In pratum vero suum perueniens, pastores inibi de Roseto diuersi generis animalia pascentes inuenit. Ast vbi S. Remigium ferre sibi suffragia postulans, inuocauit, cœpere boues, hirci, capræque inuicem se cornibus impetere, porci cum porcis confligere, veruces cum veruecibus se collidere, [...] se fustibus & pugnis mutuo percutere. Maxi[...] gente turbine pastores eiulantes, animalia quæque [...]ta genus suum magno sonitu perstrependo, ita cœperunt Rosetum versus fugere, ac si multitudo persequentium flagris videretur insistere. Quod cernentes fi[...]ni, terrore perculsi, mortis imminere sibi pericula verit[...], tandemque correpti, cessarunt ab afflictione pauperis S. Remigij. Sed quia secus amnem Saram loco lutos[...] manebat, & in suis habitaculis à serpentibus molestiam magnam sustinebat, accipiens puluerem quem secum ab Ecclesiæ pauimento collectum detulerat, per [...]bitacula sua respersit: ac postea serpens in eisdem locis [...]n apparuit. Compertum quoque traditur, quod in omnibus Ecclesiæ beati Remigij circumiacentibus atriis, vel cœmiteriis coluber nunquam soleat inueniri, sed & delatus huc aliquomodo fuerit, nullatenus hic viuere possit.

Tempore domni Hincmari Præsulis, quidam Bertgarius Ecclesiæ mansum in villa Teriodo, apud ip[...]us Ecclesiæ custodem impetrauit pretio, vnde famulos Sancti Remigij eiecit cum flagellis, conclamanti[...] us et S. Remigium sibi ferre subsidium. Quibus idem B[...]garius cum irrisione dixit: *Modo parebit qu[...] te [...] Sanctus Remigius adiuuabit. Videte quoniam in adiutorium vestrum venit.* Moxque inter hæc verba m[...] clamore ingemiscens, mirabili turgore distentus [...]muit, & expirans crepitit medius. Qua vindict[...] commonemur vltionem diuinam pertimescere, cru[...]liter Ecclesiasticam non tractare familiam, & in Deum ac Sanctos eius summopere cauere blasphemiam.

Nostris olim diebus quidam VVarnerius pagi Vormacensis Comes, res Sancti Remigij præmis[...] [...]sago sitas, inuadens, hominibus suis distribuer[...] [...]niens autem B. Remigius ad Herigarium Mogu[...] Præsulem, in somnis ei visus est, præcipiens [...] ad Conradum Regem, commonens eum, iubere [...] iectis, quatenus dimitterent terram suæ ditio[...] Qui consurgens à somno, licet miratus de visione, R[...] men omisit indicare. Rursus post aliquot dies a[...]rens ei S. Remigius redarguit eum, quare ma[...] non adimplesset illius, admonens iterum ne [...] quam Regi iussa denuntiet. Item, ceu prius [...]sum reputans inane, neglexit perficere iu[...]. Tertio hunc iam cum flagello sanctus adiens [...] crepauit contumaciam, quemque per brac[...] [...]prehendens, lecto visus est extraxisse. Sicque flagel[...], quod tenebat, eum verberans, acriter cæsum di[...], & humiliatum. Non amplius enim iam temere [...] pta sumens, Regem mox adit, secretum pet[...], [...]stem deponit, liuidum corpus ostendit, & dicta acta fideliter ex ordine pandit. Accidit autem, vt eadem die legatus domni Præsulis nostri Heriuei, nomine Tendoinus, ab eodem seniore suo pro ipsis rebus repetendis ad Regem cum muneribus deueniret, atque horam qua Regi præsentari posset extra stans, expectaret. Cumque rem gestam rex admiratus, requiri præcepisset, si quis illic inter suos forte nostris è partibus inueniretur, ille pro hac eadem re forte sustinens reperitur adesse, Regi nunciatur, eo iubente coram deducitur, & ei res quæ propalata fuerat aperitur. Ille gratias agens, pro rebus ipsis se missum retegit, res, rege reddente, recipit, & eodem fauente præfato Pontifice Herigario tutandas ad fidelitatem S. Remigii committit. Posteaque domnus Præsul Heriueus dum advixit, ex iisdem rebus annuatim debitum sine contradict[...]e censum recepit.

Easdem res domnus Artaldus Episcopus du[...] Conrado duci commiserat: quas ille Ragenbaldo [...] dam suorum delegauerat. Qui Ragenbaldus earu[...] rerum colonos valde affligebat. Ipsi vero pr[...] a[...]nc sua sæpe ad sanctum Remigium clamabant, Remis

venientes, & ipsius patroni sui patrocinia requirentes. Pro qua re nuper anno præterito, cum Rege Ottone & præfato Duce locuti sumus, quando Aquis ad eundem Regem missi fuimus. Sed vt idem Ragenbaldus ab ipsarum rerum direptione desisteret impetrare nequiuimus. Vnde contigit * horno, vt dum quodam sabbato eosdem colonos ad opus quoddam peragendum congregatos haberet, præciperetque Presbytero, ne signa vespertinalia vsque prope noctem pulsaret, operique implendo insisteret; percuteretur percussore inuiso. Qui dum requireret quis eum percussisset, omnesque se vidisse negarent, furiis exagitatus, sensum amisit, grauiterque vexatus, spiritum exhalauit. Quo comperto dux Conradus nimium territus ad Sanctum Remigium venit, eique res ipsas reddidit, quas præmissus Præsul Artaldus Hincmaro Abbati, ac cæteris monachis ad supplementum victus attribuit.

.hoc
a.

In Vulfiniaco Riuo, pago Laudunensi, habetur Oratorium in honore S. Remigii dedicatum. In quo dum Rodulfus Rex Heribertum Comitem persequeretur, qui Episcopatum Remensem à Rege sibi commendatum tenebat, homines ipsius villæ res suas propter hostiles incursus recondere studuerunt. At dum Rex præfatus ad obsidendam Rhemensem venisset vrbem, & in Culmisiaco metatus esset, exercitus eius vicinas occupauit villas. Quidam vero illorum, qui in prænotata villa, scilicet Vulfiniaco Riuo, metatum habebant, vinum quod in Ecclesia timoris causa reconditum fuerat, inuadit: & quasi tabernam constituens in eadem Ecclesia, paribus suis illud vendere cœpit. Hæc dum ageret, percussus morbo, repente sensum amisit, ore sibi ad aurem vsque pene retorto: diuque cruciatus tormento, vitam finiuit. Quod cernentes cæteri, eidem loco sacro debitam deinceps exhibentes reuerentiam, ab huiusmodi se se cohibuere præsumptione.

De altera vel iterata translatione, seu relatione corporis eius ad vrbem.

CAPVT XXI.

an. 852. Col. Ocobris.

HVius beatissimi patris nostri venerabile pignus, domnus Hincmarus Archiepiscopus, adhuc amplata ipsius Ecclesia, cryptaque opera maiore atque pulchriore præparata, præsentibus & annitentibus Episcopis diœceseos huius Rhemensis, transtulit: integrumque illud cum brandeo, quo prius repertum fuerat inuolutum, in argenteo locello transposuit. Sudarium vero quod super caput ipsius erat, cum parte prædicti brandei, scriniolo reconditum eburneo, Rhemis abinde reseruatur, in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ. Denique cum corpus ipsius sacratissimum de lapideo sarcophago in præmisso transponitur loculo, Rado quidam Suessonicæ tunc Ecclesiæ Subdiaconus, qui cum Episcopo suo Rothado illuc aduenerat, adeo dolore dentium per integrũ vexatus annum, vt doloris nimietate perditurus metueretur sensum, maxillam peste grauatam loco vbi sanctum pignus iacuerat, apposuit: & mox ab hac liber redditus ægritudine, dolorem deinceps huiuscemodi metuit non sentire. Hac eadem die duo quidam homines morbo contracti apud pagum Ribuarium, in oratorio quodam memoriæ huius beati nostri patroni dedicato sanitatem nunciantur recepisse. In ipsius autem qua corpore quiescit, basilica, continua fieri non omittuntur insignia, dum aduenientes ægroti sanantur, peruasi dæmone peruaduntur, energumeni liberantur, illuminantur cœci, eriguntur claudi: vt in cælis gloriose cum Christo viuere demonstretur, qui tot miraculorum signis, vbi corpus exanime seruatur, in terra viuere comprobatur. In loculo vero vbi tunc depositum corpus eius est, hi versus à domno Hincmaro editi, leguntur insculpti.

Buie-tes id Linois.

Hic famulus Hincmar Domini sacra membra locauit,
Dulcis Remigij, ductus amore pio.
Qui primus est sanctus, mundo quam mare creatus,
Et magnus dictus cælestis ore Dei.
Bis denos, binosque gerens feliciter annos,
Sorte Dei sumpsit pontificale decus.
Sexaginta simul bis septem manserat annis
Istius vrbis honor, Præsul, & orbis amor.
Vitam defunctis, reddens quoque lumina cæcis:
Egerat & viuens plurima mira satis.
Nam domuit fera corda animo pius, ore profusus,
Sicambra gentis regia sceptra sacrans.
Nonaginta quidem sex cum compleuerat annos,
Splendida lux nostras deseruit tenebras.
Idus iam plenas cum Ianus mensis haberet,
Emeritus miles præmia digna capit.
Isdem Hincmarus primus hac sede Sacerdos
Post triginta, loco constitit & numero:
Qui sextus decimus sub hac radiante lucerna.
Remigio, Remis munia cara dedit.
Annis septenis, quinis ac mensibus egit
Pastoris curam, hac recolenda patrans.
Octingentesimo quinquagenoque secundo
Quo Deus est anno virgine natus homo:
Tertius & Karolus regni componeret actus,
Octomber primam cum daret atque diem,
Ac ter centenus octauus tangeret annus
Hic iustus Dominus quo petiit astra poli.
Ter centeni fuerant, tres & deni quater anni,
Quo vita Francos gurgite lauit ouans.
Ipsius e precibus cælesti in sede locetur,
Quem terris coluit verus amator. Amen.

Accidit autem postea, peccatorum meritis exigentibus, vt Dominicæ incarnationis anno D. CCC. LXXXII. sub Rege Karlomanno, prædicto domino Hincmaro Archiepiscopo satagente, transferretur venerabile pignus corporis huius sacratissimi patris & domni nostri Remigij (propter infestationem paganorum) ad villam ipsius iam supra taxatam, nomine Sparnacum: quia ciuitas Rhemorum tunc temporis non habebat in ambitu sui murum. Cuius obtentu totius tunc pagi ad quem delatum munus hoc habetur amantissimum, prouisa probatur salus à peruasione Barbarorum, vel incursu prædonum. Post Hincmari denique Pontificis obitum, desiderabilis hic sacrorum thesaurus membrorum, ad Orbacense perducitur monasterium. Hic quoque beatissimi huius patroni nostri suffragiis omnis commoditas aëris circumquaque degentibus attribuitur incolis, cum insolita fertilitate telluris.

Obiit dicto an. 88. vt est in fine lib. 3.

Post decessum vero sæpedicti Præsulis Hincmari, cum Pontificatus subusset honorem Fulco, sui primo præsulatus anno referre decreuit alma beatissimi huius nostri patris ossa. Quod vbi aggreditur, perueniente iam eo, cum coëpiscopis & cleri plurimis ad locum vbi pignus seruabatur pretiosum, cum esset magna cœli serenitas, sed feruens admodum siccitas, subito se tantus effudit imber, vt totius huius superficiem terræ videretur vbertim irrigasse. In crastinum vero dum sacra referre promouent munera, cuncta clara, cuncta iocunda, cuncta mundanæ speciei redduntur amœna: prosperoque progressu confluentibus vndique populis, ad vicum deueniunt Calmiciacum, in quo nonnulla pater hic eximius adhuc carne septus, virtutum dinoscitur exhibuisse magnalia. Hic membra veneranda in ecclesia deponentes eius nomine dedicata, noctis quiete fessa leuant corpora. Post requiei subsidium, iam terras solis illustrante iubare, voces vndique Deum benedicentium concrepant, atque laudantium, quod eis pastorem, patronum, ac protectorem redderet corporaliter proprium quem semper apud diuinam clementiam intercessorem,

ann. 883.

&a ſſiduum ſe habere confidant aduocatum. Præſatus interea Præſul, cœleſtium ſacramentis myſteriorum rite celebratis, imminentis iuga cum laudibus ſcandit montis, comitantibus vndique ſecus populorum ſtipatus cateruis. Hic vbi pro populi delictis, & iræ mitigatione cæleſtis ad Dominum fudiſſet orationem, paululumque proceſſiſſent, adhuc clarificare Christus, mirificare, atque glorificare diſponens hunc beatiſſimum Patrem noſtrum in terris quem magnificare cum Angelis elegerat in cœlo, quanti ſit apud ſe meriti concurrenti propalare decernit multitudini.

De remedijs ſubinde pluribus impenſis.

CAPVT XXII.

ACcedit itaque mulier cæca, nomine Doda, manu ſibi greſſus regentis innixa, quæ mox vt cominus approperat, viſum ſibi reſtitui coram omnibus impetrat. Quod Præſul audiens, hymnum laudis Dei cum populo, magno repletus concelebrat gaudio Necdum finierant odas exultatione cælum replentes, & ecce fruſtratu quidam multis greſſu diebus cum integra procedit incolumitate lætabundus.

Tranſire cum laudibus inde paulisper: & mulier quædam manuum potita ſanitate ſuccedit. Duplicant ergo, triplicantque comitantia gratiarum actiones agmina. Tremefacti proximi quique mirabilium magnitudine tantiſper à tantæ deliberant ſecedere ſanctitatis ſublimitate. Nec vox reciproca laudantium defecerat ab ore dum quidam puer, Grimoldus nomine, diu lumine priuatus, os quoque miſerabiliter à rectitudinis loco diſtortus, inuiſaque deformitate turpatus à parentibus obuiam delatus, priſtinum quem dudum amiſerat, eſt viſum conſequutus, & in propriam ſanctiſſimi patris huius opitulatione mirabiliter eſt effigiem reſtitutus. Interiecto velut vnius horæ ſpatio, puer alius à contractione corporis eiuſdem patroni ſuffragiis feliciter eſt erectus. Cohors igitur deuota, melodiis Dauidica nequaquam ſufficiens reboare carmina, maximo cordis affectu permota, inter laudum voces, eliciente gaudio lacrymis ora rigare profuſis, & ſuſpiria, ſingultuſque formare pro canticis. Concurrentium quoque nimia ſtipatio plebium, ſacri muneris gerulum deoſculari cupientium loculum, importunitate valida vehentium cœpit figere greſſum. Mirorum ſiquidem quæ gerebantur, percrebreſcebat opinio; certatimque tam ſani, quam diuerſis calamitatibus attriti, properare ſtudebant, cupientes intueri magnalia quæ Dominus omnipotens, in Sancti ſui clarificatione, multiplicare propoſuerat. Pro magno namque ſibi damno quiſque reputabat, immo delictum deputabat, non modo, ſi non procederet, verum ſi poſtremus accederet. Approperantes autem ciues obuiam, dum grata deferri cernunt munera, terræ ſe proſternentes, ſoli deoſculantur terga, ſuſpicienteſque, vbi contemplantur loculum, pretioſæ diuitu diadematis gemmæ baiulum, multas inter eximia gaudia lacrymas fundunt: obſecrantes ne amplius eiuſdem patris affiri cenſeantur abſentia, quin perpetua mereantur gratulari præſentia. Pater interea beatiſſimus filiorum deuotioni præclaris fauens nutibus, addit adhuc diuinis plebem ſuam multipliciter exhilarare mirabilibus. Etenim dum Clerus cum ſacerdotibus, pſalmis, hymnis, & canticis intonant ſpiritalibus, populus etiam iubilationis immenſæ reboat vocibus, vt mirabilem Deum in Sanctis ſuis, iucundioribus adhuc præconarentur animis, priſtinam multitudo languentium ſoſpitatem manifeſte conſpicitur recuperare, leuatis pluribus varia peſte corporibus: adeoque per ſingula pœne momenta, cœleſtia pandebantur miracula, vt ad hæc locorum vel temporum vix enumeranda cenſeri valerent interſtitia.

Tunc igitur Oſanna quædam mulier, cum admiratione gaudentium, celeri meruit proſperitate recipere viſum. Et poſt puſillum claudus quidam felici munere conſequitur greſſum. Deodata quædam patefactis aurium ianuis, adipiſcitur auditum. Quidam, nomine Teuto, deſiderabili potitur illuminationis dono. Item quædam mulier eodem gauiſa lætatur beneficio. Similiter Auſoldus quoque lumine, quod nimio flagrabat aſſequi deſiderio, fido ceu credidit animo, patris huius piiſſimo perfruitur ſuffragio. Quidam Gerbertus, paralyſis eſt à diſſolutione ſanatus. Quidam quoque alius eiuſdem muneris exultat hic largitate perfunctus,

Cumque certatim quique, ſtudio piæ deuotionis obuiam ſtuderent occurrere, ac non modo benignæ cordis intentionem, quin etiam rerum temporalium exhibitionem, prout cuique facultas ſuppetebat, afferrent: mulier quædam paupercula, de ciuitate properans in occurſum, manu cereum ferebat, qui accenſus nunquam fuerat. Mirabile dictu, ſubito cælitus nutu diuino cereus in manu gerentis eſt illuminatus: ipſumque dum per totam defert illa vitam, Dei confitendo miraculum, nequaquam ſuperni luminis amittit ille beneficium, donec mirifici pignora patris in ſtationis propriæ perferrentur domum, hicque à Pontifice ſolemnia celebrarentur miſſarum. Tunc femina cereum lumine flagrantem mirabili baſilicæ tradit cuſtodi: qui ob ſupernæ gratiæ quod contigerat gaudium, luminaria quæcunque per eccl[illegible]iam videbantur ardere, mandat extingui, lumineque diuinitus hoc dato rurſus accendi; huius vero partem [illegible] rei cœlo dati miraculi decernit in teſtimonium [illegible]uari.

Rotgardis quædam femina de pago Caſtricio gradiendi carens officio, priſtinæ gaudet cum incolumita[illegible]tis dono: vt quæ plauſtro deuehente fuerat [illegible], propriis poſtmodum pedibus remeare valeret ad [illegible]a. Præterea mulier quædam ſecum paruulam [illegible] annorum fere defert filiam, nomine Vulfildem: quæ dum quadam die cum coæuis luderet, ab aliqua tranſeunte forte muliere percuſſa fuerat in capite. Q[illegible]a læſa, ita vt eius retro reflexum inhærere ceruic[illegible]deretur occipitium, nec in aliam caput reclinare partem valeret: cibi vero nullam, niſi liquidam ſumere poſſet ſuſtentationem, quæ integrum ſub tali ferme labore duxerat anni curriculum. Quam mater affectu diligens tenero, deque ſalutis ipſius ſollicita recuperatione, ſtuduit obuiam deducere. Dumque comminus ob denſitatem multitudinis non valet accedere, procurrat aliquantulum vulgus antecedere. Mox in via per quam iter erat agendum, ſeſe proſternens, ſimul cum ſobole, fulta valida fide, preces ad Dominum deuota dirigit mente. Necdum ab oratione ceſſarat, & ecce, ipſius cœpit vociferari filia. Quam genitrix, vt maternis conſoletur blanditiis, ſurgens, intuita, caput eius ab inflexione videt ad propriam rectitudinis lineam remeaſſe. Tunc nimia hilaritate repleta, ſed & de prolis ſanitate confiſa, perluſtrans vulneris locum, cernit ſanguine madidum, neruoſque diu contractos, ac ſi ſanes extendi, productos. Sic accepta miſericordiæ quod quæſierat benedictione, domum læta cum gratiarum reuertitur actione.

Hac igitur dignitate clarificationis, & rerum geſtarum admiratione cohors ſtipata, votoque gratulationis, arreptum toto feruoris iter anniſu, cum canticis hymniſque percurrere ſatagebat. Præceſſerat equidem Præſul, ſed reuerſus cleri comitantibus choris, pretioſ[illegible] propriis theſaurum ſumit humeris: & ſic ad [illegible]ius p[illegible]priam beatiſſimi domum patris, cum magna peri[illegible] gloria iubilationis. Aſt vbi peruenitur in Eccleſiam, quæ competere viſa ſunt rite diſpoſitis, inchoata iam victimæ

spiritalis immolatione, mulier quædam de pago Trecasino membrorum omnium agitatione mulctata, veniens coram altari fuit in pauimento: ibique miserabiliter diu vexata, huius pullimi consolatoris miseratione surgit incolumis effecta. Quæ super euentu tantæ consulta calamitatis, necem se propriæ confitetur pergrtrasse matris. Missarum denique solemnibus ex more peractis, sua quique repetunt, reuersuri maturè in crastinum, ad hoc tutelæ suæ præsidium in ciuitatem perferendum. Mane iam facto, dum ad condictum studiose contenditur, Erluidis quædam mulier, haud procul ab vrbe degens, ad tantæ processionis spectaculum disponebat exire: quatenus optatæ sospitatis vti mereretur munere. Quæ quia iam per quinquennium languore pressa, partem corporis dextram præmortuam, peneque gestabat inutilem, nisu quo poterat accedere, & ad visendum sacri huius muneris loculum, sese moliretur promouere. Cumque tali conamine iam fere medium peragrasset itineris huius spatium, non valens vlterius procedere, graui corruit confecta labore. Meditatur domum redire, sed nequit hoc vllatenus adimplere. Quæ postquam hac aliquamdiu nutans iacuit hæsitatione; demum resumpto moliminis ausu, tentat an valeat adhuc aliquantulum propinquare. Moxque diuina miserante clementia, vigor ægris additur nitibus: viribusque cum salubritate receptis, libera festinans celeritate, nimiaque tripudians hilaritate, quo decreuerat ægrota se trahere, agili cœpit incessu gaudens appropetare. Infirmitatis etiam suæ solamen manu ferens baculum, iter peragit destinatum, non vt eius amplius egeret auxilio, sed vt in huius datæ sibi sanitatis ostenderet testimonio. Perueniensque quo desiderauerat, laudabunda deuotas interuentori suo rependit gratias, hicque perlatum dimittens bacillum, priscæ calamitatis suæ solatium, alacris iam, nec opis huius indiga, repetit iter emensum, referens læta quæsitum diuinæ consolationis suffragium.

Adueniens Pontifex, cleri, magnatumque stipatus agmine, victima salutis oblata, vestibus albis indutos, cum choris psallentium gratissimum deducit ad mœnia ciuitatis thesaurum. Illis autem feliciter eo progredientibus, & gratanter ad destinatum locum tendentibus, omnipotens Deus in huius carissimi sui glorificatione fontem suæ benignitatis ac largitatis abunde est dignatus effundere: vt vix lingua quælibet effari valeat, quæ hoc tunc itinere per ipsa pene momentanea gesta probantur horarum interstitia. Nam tantam Dominus hic operatus est hac die miraculorum magnitudinem, vt viri quatuor, fœminæ vero nouem, visum, viri quoque duo egressum recipere mererentur. Cum huius itaque præclaræ gratulationis admiratione, in ciuitatem ad Ecclesiam Dei genitricis, prosperrima peruenitur exultatione. Sicque lucerna hæc lucens & ardens æternaliter, in altaris sistitur crepidine. Dum Præsul igitur ad sacrandum viuifici munus accedit mysterij, quis tam ferreum pectus, tam lapideum corgessit, qui non gemitus ederet, pectus tunderet, lacrymas funderet, dum tam stupenda diuinorum dona charismatum conspiceret? Quis etenim queat enumerare mirorum copiam, cælitus hic ea die profusam? Nemo reuera, qui præualeat expedire sermone, quot ægrotantes sanati, quot titubantes erecti, quot ipsa die diuersis hic sunt cladibus absoluti.

Post expleta mysticorum discedentes sacra, maturabant quique repetere sua. Sed inter abscedendum minax omni territatio, nubes teterrimæ, terribilesque consurgere, truculenta polum caligine claudere, micare fulgura, concrepare tonitrua, grandoque solum verberare cœpit non minima. Quo terrore perculsi redire plurimi, clementiam deprecantes altissimi, quatenus huius intercessione patris beatissimi mererentur ab his imminentibus periculis erui. Mirum in modum perturbatio, quæ terrorem incusserat, immutari nubium * rarescere tenebrositas, cessare fulgura, mitigari tonitrua, cunctaque sedari cœpit ac dissipari tempestas. & ex truci conuersa in exoptabilem pluuiam grandine, telluris vbertim superficies, quæ nimio solis exusta feruebat ardore, perfusa fecundo salubriter refouetur humore. Sicque manifeste dignosci datur indignationis ad horam concitata permotio, salutis immutata subsidio. Denique benignissimi patris huius solatio, totius diræ pestis nostris videtur finibus eliminata corruptio. Salubris aër, pluuia data congruens; timor etiam qui regnum peruaserat hostilis, in spem paulatim securitatis tranquillitate vertitur pacis.

* *f. Clarescere.*

Hac eadem præfata scilicet illationis sacri corporis in vrbem die, tingui feruida iam solis Oceano rota petente, quidam, Niuolus nomine, de villa quæ vocatur dominica, Rhemorum montis in latere sita, surdus & mutus, manibus quoque per annos nouem debilis ac pedibus, qualicumque valuit per totam diem conamine, ab ipsius surgentis auroræ lumine, per quinque ferme passuum repens millia, vix ad ipsius ædis sepulchri limina, quasi decima tandem peruenit hora. Qui dum veniens, sacrum corpus ibidem non adesse comperisset, templique fores seris diligenter obfirmatis clausas perspiceret, cadens in faciem super terram, quadam præsumptionis importunitate, sanctitatis aures clandestino cœpit clamore pulsare, tam magno se conquerens labore fatigatum, nec sibi fore permissum videre saltem loculum sacri pignoris baiulum, qui tamen eius filii posse subuenire celium nequaquam diffideret præsidium. Talia denique dum tacita secum volutat mente salutis vigor ipsius per membra quæque sensim cœpit irrepere, priscasque simul stuper omnium se vires sensuum recuperare. Cumque rumor huiuscemodi operationis, quibusdam nunciantibus, aures percelleret plurimorum, certatim quique procurrunt, admiranda Dei magnalia lætantes aspiciunt: ouanter hominem ad locum venerandi sepulchri perducunt, campanas pulsant, lætabundis Deo laudes vocibus intonant. Huius miraculi permoti fama quam plurimi, domum petunt Ecclesiæ, videre cupientes magnalia Dei. Videntes vt audierant, diuinarum signa virtutum, manibus gratanter in cœlum porrectis, benedicunt Dominum. Quod diuinæ benignitatis miraculum valde tunc profuisse dinoscitur ad eorum solatium, qui se corporaliter deseri tanto querebantur patrono. Quibus tamen spiritaliter se non deesse tali patratæ pietatis declarauit indicio.

In Ecclesia quoque Beatæ Dei genitricis, vbi venerabile patris huius seruabatur pignus, nonnulli diuersis ægroti sunt interim curati languoribus. Nam quidam nomine Natalis de Burdenaco, mulier etiam quædam dicta Teutberga, item mulier altera nomine Gonthildis, huius patrocinio patris visum recipere meruerunt. Alia quædam quoque mulier vnius oculi visum in eadem domo recuperauit amissum. Quædam præterea puella, cognomine Flotgildis ex villa quæ vocatur Caucella secus Libram riuulum sita, quatuor circiter ætatis annos gerens, lubricando prolapsa, vtrumque sibi genu debilitauerat: ita clauda facta, vt omnino nec gressum figere, nec pedibus valeret insistere. Quam parentes eius quamuis pauperes, de sospitate tamen ipsius solliciti, per diuersas deferre Sanctorum curauerunt Ecclesias. Ast vbi iam per duodecim fere annorum spatium tali vexaretur languoris acerbitate, nec remedium posset doloris inuenire; comperiens de relatione sacri corporis, operumque miraculis, quo valuit nisu, repere cœpit, nec se carpento permittit imponi, sed tractu (prout valet) illud agere gestit iter. Ad templum vero perueniens, quo pretiosum salutis audierat munus inesse, fusis Domini clementiam votis pro sui flagitat liberatione. Sed & proprius fertur pauimenta lacrymis humectasse. Quæ post-

quam per tres ita dies egisset, dum denuo precibus incumberet, diuina sibi gratia superueniente, vim medicinæ vix valens ferre magnis cœpit vocibus strepere, & eiulatus acerbos edere. Sicque nodis neruorum resolutis, omnique poplitum contractione relaxata, vnius horæ ferme spatio, viribus exhausta, iacuit quasi mortua. Sed qui contulit absolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem. Moxque ceu de graui euigilans somno, vbi supernum sibi sentit obuenisse beneficium, pignoris almi petit loculum, cuius gratia sibi conugisse non hæsitabat remedium. De hinc gratias hic agens, ibidemque degere gratifica decernens, & precibus crebris insistens, debitas medicatori suo celebrat excubias, ac salutaris quotidie libaminis offert oblationes.

Fuit autem Remis in præfata Dei genitricis Ecclesia corpus illud sacratissimum beatissimi patroni nostri Remigii, & dum præmemoratus Antistes domnus Fulco prælulatus fungitur officio, scilicet vsque ad Episcopatum venerabilis Heriuei Archiepiscopi, qui cessante Nordmannorum persecutione, per solam Dei clementiam pace recuperata, munus idem supernum propria sepulturæ ipsius referre decreuit intra mœnia. Quod dum conuocatis quibusdam regni proceribus agere maturaret, accumulare Dominus eius non distulit clarificationem, suorum repetentis ossium sedem. Contigit enim, dum magna populi confluentis stiparetur caterua, postquam sunt vrbem egressi, quidam claudus & ariditate neruorum poplitumque contractus, Abtabam nomine, qui scabellulis hærens, per terram se tantum modo trahebat, vt poterat, vbi secus vrbem veniens, iter ad S. basilicam inchoasset intendere, diuina tactus potentia compagum duritia resoluta, cœpit ad salutis extendi remedia. Quem sospitate recepta pluribus vidimus annis incolumem, erectum gradientem, collataque sibi prosperitate gaudentem. In eo vero loco vbi hoc salutis accidit donum, posita deinceps extat columna cruce præfixa, glorificationis huius continens monimenta. Sed & tam prius creberrime, quam postea, clarissimis sæpe multiplicibusque miraculis eius sepulchri decoratur Ecclesia, quæ nequaquam litteris habentur comprehensa: sunt namque multimoda.

an. 901.

De discipulis eiusdem beati Remigij.

CAPVT XXIII.

FVerunt huius denique beatissimi patris nostri temporibus, in hac vrbe viri clarissimi, Deoque virtutibus accepti, tam ex clero, quam ex ordine laicali, vtpote qui tali, tam venerando, tamque sanctissimo famulabantur patri. Quorum videtur eximius, Agricola nepos ipsius, Presbyter venerandus, & eidem obsequiis, vt ipse testatur, à pueritia placitus, quam domesticos eius exegit intra parietes: quem etiam cum Ecclesia Rhemensi, beatoque Lupo Episcopo fratris sui filio, in omni substantia sua, præter id quod specialiter vnicuique donauerat, darive iusserat, hæredem constituit. Ei quoque mancipia nonnulla cum vineis peculiariter deputans, tradidit, hoc illi fidenter iniungens, vt diebus festis & omnibus Dominicis, sacris altaribus eius offerretur oblatio, annuaque conuiuia Rhemensibus presbyteris & diaconibus præberentur. Erat & alius nepos eius, Etius nomine, cui partem de Cesurnico, quæ sibi forte diuisionis obuenerat, cum omni iure quod ibi tenuerat atque possederat. Ambrosium quoque puerum, cum famulis quibusdam designans, ad ius illius dominiumque transmittit. Aderat & Agathimerus, æque nepos ipsius, cui familias quasdam delegans, vineam quoque, quam pater idem beatissimus Vindonissæ posuerat, & suo labore constituerat, sub ea conditione donauit, vt omnibus diebus festis ac Dominicis pro commemoratione sua sacris altaribus offerretur oblatio, & Laudunensibus presbyteris atque diaconibus annua conuiuia pararentur. Archidiaconi sui Vrsi se familiaribus asserens obsequiis vsum, donat ei casulam quandam subtilem, & aliam pleniorem, duo saga delicata, tabere quoque quod habebat in lecto, & tunicam quam tempore transitus sui relinqueret meliorem. Erant & alii probati viri tunc Remis ex clero tam presbyteri quam diaconi, quos munere suo dignos ostendit, quibusque dona largitus, & vineam delegat communiter possidendam cum vinitore, addens eis alia quædam quoque mancipia. Aderat Hilaria diacona, quam benedicens idem pater sanctissimus, filiam vocat: cui ancillam quandam deputat, & vitium pedaturam, quæ suæ iungebatur vineæ, donat, partemque suam de Talpusciaco pro obsequiis quæ sibi indesinenter ab ea impensa testatur, ei transcribit. Erat & Remigia, cui dat cochlearia tria, quæ ipsius beatissimi patris fuerant nomine titulata: delegans illi alia quædam quoque munuscula. Sed & laici clarissimi nonnulli renitebant viri, quorum Pappolus, Eulodius, Eusebius, Rusticolus, Eutropius, & Dauueus priuatis licati viri rebus interfuerunt, & ... sius testamento subscribentes nomina propria subdiderunt.

Enituit etiam vir præclarus Attolus, qui, sicut in eius epitaphio legitur, amore studioque Sancti Remigii, Xenodochia xii. rebus è propriis struxit: sepultusque cum filio & filia post altare in Ecclesia beati Iuliani martyris, hunc sepulturæ declaratur habere titulum templi pinnaculo innotatum.

Hic igitur nullum lateat, quid terra retentat,
Ne quis si cupiat discere, cassus eat.
Sub isto enim tria consistunt monumenta petrina,
In quibus almorum corpora condita sunt.
Hic pater est Attolus, nato, nataque sepultus,
Expectantque diem nunc Domini properam.
Illius certè natum memoratur Elanum.
Nata deinde sua dicitur Eufrasia.
Qui placuere Deo, dictis factisque supremo,
Nunc pariter, quorum membra tenent loculum.
Is struxit bis sena suis Xenodochia rebus,
Iure fouens plebes, dinutijs inopes.
Sic proprium censum cælum transuexit ad altum,
In quo suscepit quod miserando dedit.*
Hoc totum sub amore sacri studioque Remigii,
Ob quod præruti lum detinet ipse p...um.

Hanc esse quoque reor Ecclesiam, de qua Gregorius Turonensis refert, quod quidam Belgicæ secundæ prouinciæ in suburbio Rhemensis vrbis in honore B. Martyris huius basilicam studiosè construxit. Cuius reliquias post perfectam fabricam, fideliter expetens ac deuotè, percepit: acceptisque, viatim psallendo regrediens, dum Rhemensem cum his campaniam ingreditur, à peruasione dæmonis homo quidam, sanctis sibi Martyris huius pignoribus applicitis, liberatur.

De sancto Theoderico.

CAPVT XXIV.

EXtitit his etiam beatissimi Remigii temporibus beatus vir Theodericus, almi magistri pius discipulus, quem non ex alto voluit adeo sanguine generari, qui sublimiter hunc in generatione iustorum decreuerat nobilitare. Ortus autem pago Rhemensi, villa (vt traditur) Alamannorum corte, patre latrone, velut rosa spinarum procreatur horrore. Ad declarandam vero castitatis eius munditiam, quo infantilium eiusdem * panniculi feruntur abluti, non sordium tactu, non alicuius immonditiæ puteus inquinamento, licet os eius ex tunc de more pateat, astruitur infici. Beatus itaque Theodericus ad annos vsque pubertatis laudabiliter

MS. panuli.

educatus, iuxta morem propagationis humanæ, studio petentium coactus, sponsam cœpit habere nomine tenus vxorem, ceu non habiturus. Amore siquidem cœlestium latenter inflammatus, fieri studebat Dei cultor occultus. Huius igitur Angelici cultus habuit in proximo, quo sanaretur medicum, quo iuuaretur patrocinium, quo doceretur magistrum, beatissimum videlicet patrem religionis suæ Remigium. Cuius pijssimi præceptoris irradiatus exemplis, ardens desiderio virtutum, certatim crescebat in virum perfectum. Copulæ nuptialis amor amarescit, & castitatis dilectio indulcescit, desiderium desiderio restinguitur, & ardor carnis ardore spiritus superatur. Abrenunciat amator pudicitiæ mundo, fœdus init cum Deo. Bellum continentiæ indicitur hosti, singulari locus quæritur certamini. Alloquitur Beatus Theodericus sponsam, & ad sponsi cœlestis hortatur amorem, perpetuumque pro virginitate pollicetur honorem. Sed sponsa tabescens amore carnalis desiderii, spernit salutaria monita sponsi: & amaro animo respondet, dum se despectam videt. Cumque Dei seruus cerneret, quod eius in animo sponsæ cohortatio locum non haberet, dissentientem deserit, & vrbem Rhemensem properè petens, Abbatissam quandam cœlibis vitæ cultricem, nomine Susannam, requirit. Sobrius adit sobriam, pudicus pudicam, virgo virginem; quæ sub tutela beati Remigii puellari præerat congregationi, femina virilis animi, virago profundi consilii, consiliatrix altioris ingenii. Ad cuius pijssimæ matris sinus mitissimos Sanctus se contulit Theodericus, solo sternitur ante pedes spiritalis matris, eique prodit arcana soli Deo cognita sui cordis, erumpentibus lachrymis gemitu conturbatur, singultu concutitur, atque salubre consilium sibi cum subsidio precum subnixè ferri precatur. Ad hunc compunctionis mœrorem deuotissimi iuuenis commota sunt viscera benignissimæ matris, flenti compatitur, lugentem consolatur, mœrentem lætificat, & vt eum voti compotem faciat Dominum pietatis exorat. Communis itaque pater vtriusque pijssimus, ab vtroque simul hac de causa Sanctus consulitur Remigius: cuius institutione sublimiter iam beatus profecerat Theodericus. Pro sponsa denique mittitur, æternæ præmium retributionis in virginitate perseuerantibus à patre seruari demonstratur: & quia virginitas Angelicæ grata munditiæ sit amica, propalatur. Adquiescit sponsa demum prudentissimi patris, imo complectitur affamina, vitæ cœlestis dulcedine mellita: seseque pollicetur, si Christo mereatur adhærere, incorruptam salua pudicitia permanere. Lætus tandem castitatis decore sponsus amplexatur sponsam quam videt à voluntate seductoris, & voluptate carnis ereptam, conditorique iam sub integritatis honore mancipatam.

Dirigitur ad prouidendum sibi locum habitationis cum virgine virgo, Susanna cum Theoderico. Est siluula in monte sita tribus à ciuitate millibus separata: in quo visum est venerabili semper in diuinis flagranti patri Remigio construi cœnobium: quo sub pio regimine ductoris, quem proficere probabat exemplo virtutum, cateruam Christo militantium colligeret fratrum. Conscenso denique siluosi montis vertice, dum circumferentes oculorum aciem, de monasterii corde volutant positione subito sublimi cœlorum mittitur aliger index à culmine, per quem cœlos scansuro locus in terris beato depromeretur Theoderico. Nam mysticus ales aquila spatiando gyrans, & gyrando circumuolans, quantum in ipso fuit; locum monasterii capacem secans aëra designauit. Et vt expressius ostenderet, quid Dominus vellet vnius ferè horæ spatio, supra vbi Ecclesia construi debuit, lentis volatibus stetit, & ne hoc ab incredulis casu contigisse putaretur, ipso natalis Domini die, quadriennio continuo superuolando, monasterium circumire (mirantibus plurimis) eadem Aquila cernebatur. Quæ vero virtutum opera, quanta miraculorum miles Christi Theodericus inibi gessit insignia, non humanus sermo valet enarrare per singula.

Post successum denique temporis, vbi Presbyteralis subiit onus honoris, implere volens officium sacerdotis, prædicare cœpit omnibus præcepta salutis. Specialiter autem tangit animum pijssimæ prolis carissimi cura genitoris. Filius sapiens lætificat patrem, cœloque regenerat, terræ se generantem. De lubrico monachum, de latrone datorem largissimum, de seruo diaboli Christi facit libertum. Iam iamque viritim de eo sancta per populos diuulgabatur opinio. Et ne veluti lucerna contecta lateret sub modio, sed omnibus in Dei luceret domo, quantum sublimis erat meritis, tantum coruscis cœpit insignis effulgere miraculis. Eius namque beatissima fama peruenerat vsque ad Francorum Regis palatia, quorum Rex tunc erat Theodericus, Clodouei filius, cuius oculus doloris subiti nimiis cruciatibus ita fuerat oppressus, vt nullis diuersi generis medicaminibus ad sanitatem pristinam posset vllus eum reducere medicus. Vnius oculi lacrimabilis ægritudo, multorum lacrymas oculorum prouocauerat in populo. Mentem regis varii conturbant exitus cladis. Hinc metus stimulat amittendi luminis: illinc imminentis pudor deformitatis. Nam si Rex adforet luscus, maximum fuisset in populo dedecus. Aut enim turpiter, regnando, fœditatis gestaret opprobrium: aut cum luminis amissione forte perdidisset & regnum. Vnum ergo restabat Regi consilium, quatinus vbi remedium cessabat humanum, diuinum requireretur auxilium. Mittit igitur ad venerabilem Theodericum, cui venienti pandit miserabilis oculi morbum. Prodit pœnam quam patitur: præuenit precibus pericula quæ veretur. At vir Dei virtutem sciens operationis esse diuinæ, non fragilitatis humanæ, corpus solo sternit, animum supra cœlos erigit, orationi se totum committit. Tandem finitis, surgens, precibus, ad sidera vultu sublato, sanctæ Trinitatis nomen inuocans, olei sanctificati paululum summitati pollicis infundit, & oculo malè habenti signum salutiferæ crucis imprimens, simul cum sospitate lumen in momento restituit. Regem Regum magnificat Rex lætus, celebri repletur lætitia populus, exultat ingenti gaudio cunctus senatus: laudatur Theodericus Dei seruus, & glorificatur ab omnibus mirabilis in sanctis suis Deus. Conuocantur à Rege primates populi, de magnitudine congratulantur miraculi, quod tam cito Rex senserit virtutem spiritalis medicamenti, * & nullius cicatricis vestigia, nullius caliginis, vel glaucomæ resideret in oculo saluti reddito macula. Quantis honoribus Rex sublimaret famulum Christi si vellet, ac quantis muneribus vel dignitatibus remuneraret, si contemptor ipse dignitatum permitteret. Quid enim oculo in corpore carius? Sed humanæ laudis, & mundanæ retributionis refuga, gratis dare maluit quod gratis accepit: atque vir magnæ humilitatis; sollicitus ne Regi foret vnniuocus, petit vt non Theodericus de cætero; quin vocetur Theodotio. Tunc Rex admiratus purissimæ simplicitatis humilitatem, venerabiles manus deosculans, sacerdotis benedictionem deuote postulat, & eum honorificè ad suum deduci monasterium mandat. Quantas tunc cerneres ad eum confluere debilium multitudes, quæ sine mora quæsitas reciperent sanitates!

Reperitur etiam præfati Regis filiam vita defunctam magnificus hic Domini præco vitæ reformasse spiraculo, pro qua languente Rex ad sanctum direxerat Remigium, petens vt ad se veniret, atque cum precibus ægrotanti filiæ manum imponeret. At pius Præsul molestia quadam corporis (vt fertur) detentus, beato Theoderico (quem pie casteque nutrierat, & spiritalibus doctrinis instruxerat, quemque gratia curationum repletum videbat) negotium quod petebatur, vt pater filio commendat. Qui magistri iussa cupiens solerter explere, dum festinus iter ad palatium Regis ageret,

Prou. 10

v. vt.

ad fiduciam sibi diuinam confidens clementiam, nuntiis accipit obiisse puellam: & ne fatigari debeat, suadetur propriam repetere cellam. Ille vero præceptoris patere non desistens imperio, peruenit ad palatium: mœrore parentes affici, luctu palatinos inuenit * comprimi. Quorum lacrymis & ipse sanctus Dei permotus, plures secedere præcipit, cum paucis ad funebria resedit. Cor & oculos ad cælum cum manibus extendit, deuotas in cubiculo mentis Deo preces compunctionis, perfusus faciem lacrymis, effudit. At vbi exauditum se spiritu sentit, ad exanime corpus accedit, oleo sancto sensuum vias cum tactu pollicis illinit: mirumque in modum membra mortua in rediuiua reparantur officia. Oculi lumen hauriunt, vox admoto pectoris impulsu prorumpit, & puella se beati Theoderici votis redditam pandit saluti. Accurrunt genitores cum gaudio miraculum stupentes: omnis exultat aula, tripudians lætatur familia. Veneratur Sanctus, tam à Rege quam à proceribus, glorificatur à Palatinis omnibus. Laudibus effertur à turmis vulgaribus. Rex itaque non solum discipulum, sanctum scilicet Theodericum, sed & B. Remigium cupiens munificentiæ sublimare dono, villam quam dicunt Venderam, sitam super fluuium Maternam, reuetendo patri Remigio: Gaugiacum vero in pago Rhemensi, præcepto suæ auctoritatis, sancto contulit Theoderico. Processu denique temporis, Karolo Ludovvici Imperatoris filio, sceptra regni Francorum gubernante, Angilrannus aulicorum quidam, traditionis huius ignarus, à Rege Venderam sibi postulat dari. Quod vbi Rex annuisset, audiens domnus Hincmarus præsul, qui sedem tenebat Ecclesiæ Rhemensis, hanc infiscari villam, Regalis præcepti chartam in Ecclesiæ huius archiuo repertam, dationis huiusce seriem continentem Karolo mittit, & ne contra legem Canonicam res vsurpet Ecclesiæ, commonefacere satagit. In quo præcepto manifeste legitur, quomodo Rex Theodericus, pro resuscitatione filiæ S. Theoderici precibus obtenta, non solum prænotatam conferens ei villam, Dei seruum sui muneris honore prætulerit, quin & magistro, præstantissimo scilicet Remigio, cui Dominus tantam gratiam contulerat, vt talem discipulum haberet, qui spiritus sancti dono, sicut & magister, mortuos resuscitaret, beneficientiæ gratia, villam Venderam obtulerit. Hæc vt ita se habere, ex ipsis chartarum monimentis animaduertit, à peruasione villæ destitit, & ecclesiæ proprijs libere vti permisit.

[Margin: mt. j. op primi.] [Margin: Vendi-er.]

Traditur huius beati viri suggestione sanctus Remigius collectionem meretricum, quæ ad id vsque temporis prostibula fertur extra ciuitatem retinuisse, subuersis fornicibus, in viduarum quadraginta congregationem permutasse, sumptusque quotidiano victui necessarios instituisse, ipsumque numerum viduarum perpetim manere, vt adhuc quoque manet, decreuisse. Nam dum sanctus Remigius monasterium sancti Theoderici visitans, secus meretricium, psalmos cum eodem carissimo discipulo suo concinendo transiret, ac sancto Theoderico vox faucibus hæsisset, iterumque, in redeundo scilicet, idem in eodem (ceu memoratur) loco & versiculo contigisset: admiratur pater sanctissimus, & requirens cur discipulus solers in Dei laudibus contra morem titubauerat, accipit dolere beatum virum de animarum dispendio perditarum, & in tam sancti Patris vicinia, tam fœdæ turpitudinis tanta diabolo crescere lucra. Sicque persuasum patri piissimo, discipulo suggerente castissimo, subuertere latibula diaboli, & deceptas atque decipientes animas in castimoniam transducere Christi. Multa præterea constat virtutum per huc fidelem Dei famulum patratas operationes. Cæcis nempe visum, surdis auditum, claudis gressum restaurans, aridas contractasque manus relaxans, obsessos à dæmonibus liberans, mille nocendi Sathanæ fraudes per diuinæ medicinæ destruebat oppositiones. Et reuera felicem gregis Christi ductorem, cui datum est, tam corporibus quam animabus conferre salutem. Perseuerauit autem in Dei famulatu vsque in finem, & quod ore docuit, exemplis euidentissimis demonstrauit. Qui post multarum virtutum opera, post miraculorum insignia, bono certamine ad victoriam perducto, felici cursu consummato, sanctis ei obuiantibus spiritibus, & gaudenter eum Angelis suscipientibus, die Kalendarum Iuliarum cum gloria migrauit ad Christum. Cuius audito transitu pretiosissimo, præfatus Rex Theodoricus ad monasterium propere cum magna venit multitudine, prærogatique sibi benefici, memor, sed & debitæ seruitutis non immemor, ad tumulum beatissimi corpus Abbatis proprijs euehere studuit humeris. Nec mirum, si Rex hominum illius membra condiderit tumulo, cuius animam cum gaudio Rex Angelorum suscepit in cœlo. Ad cuius venerabile sepulchrum diuina virtus vsque in hodiernum diem multimodam dignatur operari salutem.

Desidia vero vel raritate scriptorum, plurima silentio constat neglecta mirorum. Nos tamen vnum, quod nuper comperimus actum, decreuimus inserendum. Quadam denique Sabbatorum die, iam vespera Dominici diei accedente, quædam paupercula, nomine * Gillaidis, ex familia sancti Dionysij, villæ Cortis superioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipsius inhæsit dexteræ, vt diuelli posset à nemine. Tandem molæ manubrium ex vtraque parte manus abscindere coguur, indicium nolens secum deferre miserabilis operæ. At salutis suæ sollicita, quoniam B. Dionysij tunc Remis ob infestationem paganorum seruabantur membra, veloci ingressu ad eiusdem sancti Martyris Domini sui contendit accedere pignera. Perueniens ergo, cum magno timore ac reuerentia solo prolapsa, liberationem deprecatur à tantæ confus[illegible] miseria. Id cum die peregisset ac nocte, remedium [illegible] non desperans accipere, apparuit in somnis [illegible] clericali habitu, veste indutus candida, [illegible], capillo admodum albo, vultu paulisper macilento, dicens illi: *Surge hinc, & vade ad Sanctum Theodericum: quia secunda feria, quæ est post cras, ipsius erit festum celebrandum, & vide ne eandem domum appareas vacua: id accipe ceram prout tibi ad præsens suppetit facultas, & sic ad ecclesiam ipsius perge, & illius quod implores obtinebis interuentione.* Illa mox euigilans, hac de visione stupefacta, orat ex voluntate Dei sibi confirmari visa, & cum gaudio festinat peragere visa. Venit igitur ad ecclesiam Sancti, venerandæ solennitatis die, beati scilicet Theoderici, tres hebdomadas habens ex quo id discrimenis acciderat illi. Tunc se ante sepulchrum ipsius cum lacrymis sternens, pro salute sua preces effundit: ibique tota nocte perseuerans in oratione, veniam de piaculis suis humiliter ac * fidenter expostcit. Dumque adhuc ante tumbam iaceret beati confessoris Christi, diuina iubente gratia, per intercessionem sancti cœpit manus ipsius fœminæ paulatim à ligno disiungi, & absque læsione cuiuslibet doloris aperiri. Sicque dein tota manus expanditur, & lignum dicto citius in pauimento prolabitur, ac si numquam adhæsisse videretur. Multi vero qui aderant, hoc supernæ pietatis cernentes miraculum, glorificauerunt mirabilem in Sanctis suis Deum.

De sancto Theodulfo.

CAPVT XXVI.

TErtius post beatum Theodericum S. Theodulfus eiusdem monasterij rector extitit, qui conspicua fulsisse fertur aulicorum propinquitate, & venerabilium monachorum, atque sacerdotum dignitate, quique nobilitatis pompam pro nihilo ducens, elegit in sanctificatione Deo seruire, relinquensque deuios anfractus, viam recti callis expetit, illa secutus vestigia, per

quæ turgidos mundi fluctus pertransiens, properatet ad cœlestia. Ingressus itaque monasterium B. Theoderici, gloriam huius seculi tradidit obliuioni, dignitatemque natalium suorum humilitate despexit, & vltimæ seruitutis famulatui se subiugauit, humum rastro fodiens, & aratri vomere telluris terga scindens: illud psalmographi factis implere satagens: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Hoc autem quotidiano per viginti duos annos insistens operi, cum duobus iuuencis ad hoc sibi commissis, duros & varios temporum pertulit inuictus labores. Quod vero memorabile traditur, ijdem iuuenci nec ætate, nec lassitudine deficientes, quod alij ruricolæ cum quatuor, vel sex, aut octo vix poterant perficere, hic cum duobus infatigabiliter explebat. Cumque paululum cessaret ab aratro, rursum illudebat insistere rastro. Stupendum quoque valde, quod cum tam duro seruitio intentus esset, nec deficeret, ab agro rediens vnam sæpe noctem, frequenter duas peruigil hymnorum, psalmorumque laudibus traditur excubare solitus.

psalm. 127.

Quadam denique die, dum laboris intermittendi tempore domum rediturus ab agricultura cessasset, monasterium repetenti quodlibet opus emendandi aratri accidit, virgamque stimuli figens in terram, domum quo tendebat, immemor eiusdem forte, immo sic diuina disposuit fieri moderatio, peruenit Mirabile dictu, spinea virga sub nocte radices in terram dedit, & mane, cum ad consuetum beatus vir opus rediret, atque resumere vellet, turgentem frondibus inuenit. Quæ plurimo tempore, cumulando robur, in excelsum creuit, & factum multis enituit, donec iter agens quidam pœna plectendus, eandem abscindit, oculorumque sibi lumine cum abscisione pariter adempto, iuges incurrit tenebras.

Eius post hæc aratrum à fidelibus in Ecclesia villæ Colubrolæ suspensum, ibi, donec eandem inimico impellente vorax flamma cremauit basilicam, permansit. De quo quisquis dolorem dentium patiens hastulam præcidisset, ac de loco doloris parum sanguinis fluere fecisset, statim medelam salutis exoptatam, beati Theodulfi meritis percipere merebatur. Hæc beneficia non audita solum, sed à plurimis etiam visa noscuntur, & sanitate recuperata, sunt certissime propalata.

Defuncto denique Abbate, qui beato Theodulfo præerat tertius (vt præmissum est) idem vir venerabilis in loco sanctæ recordationis domni Theoderici est ordinatus Abbas, Præsule annuente, & monachorum cateruа petente. Qui adepto regiminis honore, quasi rudis tiro nouiter addictus exercitio, nullam fere præstabat artubus requiem. Quin vt infatigatus in opera manuum persistit, sic exercendo se, non sibi parcens, ad diuina torum dupliciter aptabat ministeria. Fabricauit enim basilicam in honorem S. Hilarij, quo cursum sui duplicaret laboris. Signo siquidem dato, cum fratribus conueniens, harum laudes persoluebat hymnologiarum. Sed vt duplex esset corona meriti, quasi nihil ante gessisset, iterum prædicta vota reddebat in ecclesia: qui licet clam, taliter agendo, vellet habere quod meruit, opera tamen cultoris sui non est passa diuinitas oculi.

Accedit itaque quadam die, vt sus circa puteum, quo loci huius vicini adaquabantur, deambulans, rueret in ipsum. Circumfluentibus vndique monachis, cum nullus esset qui pereuntem posset eripere de profundo, præsertim cum ipse puteus centum pedum feratur altitudinis, vir Dei superuenit: factoque comperto, de coinquinatione aquæ, si animal idem ibi moreretur, anxiari cœpit oculisque ad cælum porrectis, atque animo cum precibus in Domino fixo dum Christi suffragia deuotus exposcit, ante pedes ipsius subito, limpha super os putei redundante, animal inlæsum peruenit. Videntes cuncti stupore vehementi repleti, gratias egerunt Deo, qui tantam benignitatis suæ gratiam fideli suo contulit seruo.

Quadam quoque die, cum iisdem vir Dei iter ageret, à monasterio ad quendam locum properans, agricolam quemlibet arantem viam publicam, per quam transire solitus erat, inuenit. Cui & dixit: *Non est bonum (ô homo) viam aratro scindi, qua debet à viatoribus inoffenso pede calcari.* Regrediens autem vir sanctus per eandem viam, rursus agricolam, viam vt cœperat arantem offendit. *Nonne*, inquit, *Dixi tibi, quia viam istam arare non debes?* appropiansque manu sancta caput rustici tetigit dicens: *Per istud caput te, homo, contestor ne viam istam amplius ares.* Retrahente autem eo manum, tota pars capitis* hominis, quam vir Dei tetigerat, candens apparuit, vt lana. Nec dubium, quod non homo Dei voluit, vt capilli caderent, sed vt signa per succedentem generationem promererentur huius facti: ne quis agere simile præsumeret, quod sanctus Dei Theodulfus imperauit ne fieret. Nam dum generatio ipsius agricolæ mansit, signum quod a sancto viro pater accepit, & ipsa simili modo pertulit.

* c. fili lius.

Vir denique quidam venit ad virum Dei oculum habens virgulto percussum, & lumine priuatum, cui nulla dabatur requies de cruciatione, nec spes erat de visus recuperatione. Quem beatus Theodulfus ad sacrosancta ducens altaria, docuit osculanda. Ille sacra velamina ore tangebat, & seruus Christi precibus incubabat. Surgit Sanctus à pauimento, & nulla doloris vestigia remanserunt in iuuenis oculo. Qui, vt erat dignum, viro Dei gratias referens pro medela, gaudens remeauit ad propria, collata sibi quam quæsierat medicina.

Quidam quoque Legatus Austrasiorum, nomine Osso (qui sunt superiores Franci) veniens à partibus Orientis, dum ad huius tunc regni Principem mitteretur, orationis gratia monasterium viri Dei videtur ingressus. S. vero Theodulfus, corpore laboribus vigilusque confecto, fessus forte quiescebat in lecto. Legatus animi felle commotus, quod Abbas loci non sibi dedisset occursum, rancore turbidus mentis, dabat ore proferens quæ non decebant. Cumque abiret indignans, vt ira iræ misceretur, potentissimus eius equus, à puero mortuus nunciatur. Ipse denique frendens in semetipso, cumulansque furorem furori, geminos dat cruciatus animo, de indignatione videlicet, & damno. Cumque vir sanctus id post soporem nuntio cognouisset, ad hominem consolandum non distulit exire: suetoque de more blando conatur alloquio efferos eius animos mitigare: inuitansque ad orationem, monet in Deo spem ponere, ac de hoc quod accidisset minime conturbari. Pergentibus autem illis ad basilicam Christi confessoris Hilarii, dum veniunt in locum vbi signum crucis adoratur, in via prece solito dara, blande vultum vertens in prædictum Legatum: *Noli (ait) vereri, quia equum tuum inuenies ante fores monasterij sanum, qui si ita furibundus, vt cœperas, recessisses, cadauer equi mortui nobis reliquisses.* Legato vero animum non apponente, præsertim cum viderit eum mortuum, ac toto corpore tumidum, decurrit puer eius, affirmans ita se rem habere, vt ei sacerdos Christi Theodulfus studuerat indicare: sicque quod non credebat, miraculo virtutis probato mentis furore deposito, gratias refert Domino, vera se testans oculorum experiri probatione, quæ de seruo Domini quorundam dudum perceperat relatione. *Non* (inquit Sanctus Dei) *hoc meis, cum sim homo peccator ascribas meritis, sed Deo gratias age, Sanctorumque merita non cesses venerari, qui tibi possunt in omnibus auxilium largiri.* Talibus itaque virum instruens monitis, data benedictione permisit abire. Vnde liquido patet, eum cum virtute mirabilium spiritu quoque viguisse

prophetiæ, qui animal, quod mortuum dimiserat, esse viuum prænunciabat.

Nec vllatenus omnia virtutum ipsius enumerare sufficimus insignia. Quot enim diuersis detenti languoribus per eius intercessionem, plenissimam receperunt sanitatem, solus ipse nouit, qui hæc fieri præstitit. Inter cætera quoque bona quæ Christus huic seruo suo concessit, illud memorabile spectabileque prædicatur, quod cum ad vsque nonaginta vixerit annos, canitie præclarus, aspectu iocundus, moribus temperatus, caritate plenus, eleemosynis largus, contemptor sæculi gloriosus, nullo febrium dolore, nulla corporis lassitudine, nullo rerum variatum casu confectus, nulla mentis molestia motus, ab oratione, vel operum Dei exercitio cessauit, quousque beata eius anima corpus vegetauit. Cum vero diuina clementia fidelem famulum senio detentum, pro laboribus suis, quietis refrigerio, meriti præmio vellet remunerare, febrium calore aliquatenus eum permisit æstuare. Ingressusque basilicam die quadam dum matutinorum solemnia celebrarentur, orationibus profuse incumbens, Deo commendare studebat animam, quam corporeo ergastulo cito præoouetat absoluendam. Depulsis itaque noctis tenebris, aurora rutilante, comitantibus secum quibusdam monachis, cellulam repetit, hilaris de visitatione sibi facta Sanctorum, ac de reuelatione, qua sui transitus horam sibi gaudebat intimatam. Ad quam dum se peruenisse cognouit, cum fratribus pacem faciens, oculos ad cælum cum manibus eleuauit: & animam sanctam mundi naufragiis ereptam conditori lætus reddidit, quam Christus cum curiæ cælestis exultatione suscepit.

Horum denique beatorum monasterium patrum, pro monachis modo clericos habet. Quorum quidam nuper, Otbertus nomine, priusquam Gallia gladiis Hungarorum laceranda traderetur, ad extrema deductus, dum certamina dæmonum pro se litigantium, & eum ad interitum rapere conantium pateretur, almi patroni sui domni Theoderici tandem se videt eripi meritis: dæmones vero per inuocationem Christi nominis & sanctorum eius, à se cum magno strepitu & indignatione recedere. Vidit etiam & quendam fratrem, dictum Bertricum, qui non longe ante decesserat, se crebro visitantem: consolando quoque monentem; ne hic apud sæculum vltra manere cupiat: immo ad eum quantocius ire gaudeat, vt ea quæ nunquam potuit cogitare, valeat videre. Quoniam si demoraretur in sæculo diutius, nequaquam tantum malum vidisset aliquando, quantum visurus esset in proximo. Cuius dicta, probatio constat veritatis insecuta. Iste siquidem leui dolore corporis tactus, ad Ecclesiam properans, exitum suum precibus Domino commendat, fratres aduocat, Missam quoque, quam debito properantius celebrarant, illos repetere facit: quæ viderat, narrat, & eos coram se caritatis gratia potum sumere rogat. De seruitio Dei studiosius agendo, & psalmodiam cum deuotione canendam monet, atque iam quasi securus & hilaris migrat. Post cuius obitum geos Hungarorum Galliam ingressa, cædibus, incendiis, ac rapinis pene cuncta deuastat: ipsumque monasterium flammis exurit, & proxima quæque circumpositarum ruinis fere villarum procerit. Intuemurque modo iam manifeste, quam vera fuerint quæ ille audierat ex reuelatione.

De fonte in horum Sanctorum monasterio nuper exorto.

Capvt XXVI.

IN siluula huic contigua monasterio, fons dudum nouiter exortus est. Ad quem febricitans quidam casu deueniens, vidit supra ipsum fontem inclinatum quendam senem in clericali habitu stantem, aureum baculum manu tenentem. Qui cum sonitu aduenientis motus se videretur erexisse à fonte tanto iste pauore concussus est, vt attonitus in terram caderet, & nihil omnino videre valeret. At post modicum rediens ad se, surrexit, & splendorem qua senior abierat monasterium versus, magnum vidit: sicque saluatus ab infirmitate sua, lætus abscessit. Cæci tunc temporis hoc in loco illuminati nonnulli, claudi erecti, muti locuti sunt, & surdi receperunt auditum.

Nuper quoque ordinato Hugone Rhemis Episcopo, quædam paralytica, quæ iacebat in ciuitate ad ianuas Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, Magenildis nomine, admonita per visum, illo se deferri petiit, atque vt aqua ipsius fontis perfusa est, incolumitatem recepit. Quædam nihilominus Adelvvidis nomine, arida brachiis, vt eadem lota est aqua, sospitate potita recessit. Cæcus quidam de castro Mosomo tunc adueniens, mox vt ecclesiam Sancti Theoderici visus est introisse, lumen recipere meruit. Quædam paupercula de ipso loco, vt oculos sibi hoc fonte diluit, lumen quod iam ab annis vltra quam sexdecim perdiderat, recepit. Fulbertus quidam brachium gerens aridum, & inde sibi membrum, vt se hac aqua perfudit, sanitatem, brachiique recepit vtilitatem. Tunc etiam quidam cæcus, nomine Amalricus, ibi visum recepit, mox vbi se hoc fonte [illegible]uit: aliaque plura nunc ibi refulsisse probantur miracula, & ex diuersis ægritudinibus diuersa sunt collata remedia.

LIBER SECVNDVS FLODOARDI HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ.

De successoribus beati Remigij.

Capitvlvm. I.

BEATO Remigio successisse traditur Romanus, Romano Flauius, post quos Mapinius, cui potestas regia quædam cessisse reperiuntur prædia, deinceps ab Ecclesia Remensi possidenda. Huius quoque temporibus Suauegotta regina Remensi Ecclesiæ tertiam partem villæ Virisiaci, per testamenti paginam, delegasse reperitur. Quam partem villæ ipse quoque Præsul Teudechildi præfatæ reginæ filiæ, vsufructuario, per precariam, saluo Ecclesiæ iure, concessit: ita duntaxat, vt post eius obitum, absque vllo præiudicio, sicut ab ea meliorata fuisset, ad ditionem Remensis reuocaretur Ecclesiæ. Quæ scilicet Teudechildis regina postmodum nonnulla, per testamenti sui auctoritatem, tempore domni Egidij, Remensi contulit Ecclesiæ prædia.

De Egidio Præsule.

CAPVT II.

QVi Præsul Egidius in Episcopatu Maurinum legitur securus, Episcopiumque inuenitur auxisse: arua scilicet & mancipia nonnulla emisse, quarum eius emptionum adhuc quædam quoque reperiuntur instrumenta, vt illud, quo campos duos ab Oboleno super fluuium * Rotumnam legitur dato pretio comparasse, quorum vnus modios mille tenere seruerris, alter inscribitur quadringentos. Villarem etiam quemdam à Bertulfo quodam, cum adiacenti campo modios centum tenente. Partem quoque cuiusdam filiæ à Charibodo quodam reperitur emisse. Nec non apud regiam maiestatem immunitatis præceptum Ecclesiæ suæ obtinuit, vt ab omni fiscali functione, vel mutilatione, prorsus haberetur ac permaneret immunis: omnia quoque data Ecclesiæ stabilem obtinerent firmitatem. Childebertus etiam rex villarem quendam situm in Vosago, prope fluuium Saroam, tam ipsi quam Ecclesiæ suæ possidendum, instrumentis adhuc manentibus, inuenitur tradidisse. Huius Præsulis tam vitam quam prædicationem Fortunatus Italicus (qui tunc apud Gallias io metrica insignis habebatur) his studuit commendare versibus.

Actibus egregiis venerabile culmen Egidi,
Ex cuius meritis crevit honore gradus.
Subtrahor ingenio, compellor amore parate,
Laudibus in vestris prodere pauca fauens.
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam quicquid vbique sonat.
Sed quamuis nequeam digno sermone fateri,
Da veniam voto me voluisse loqui.
*Exiit in * mundo gestorum fama tuorum,*
Et propriis meritis sidus in orbe micas.
Clarior effulges quam Lucifer ore sereno.
Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nullus insidiis e tuto subducit ouili,
Te pastore sacro peruigilante gregem.
Facundo eloquio cælestia dogmata fundis,
Ecclesia crevit te monitore domus.
Pontificis studio correctis plebibus haberis,
Ne tenebræ noceant, semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui satias epulis, pascis & ore greges.
Præcepta implentur, non solo pane cibamur,
Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Vt gaudet corpus cui mitior esca paratur:
Sic anima gaudent, si tua lingua sonet.
*Hæresis * illa cadit forti te milite Christi:*
*Adquiris regi, * qui dedit arma tibi.*
Qui purgas spinis agros sermone colente,
Et mundata Deo surgit vbique seges.
Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus,
Hic recipit patriam te refouente suam.
Quæ doluit tellus, gemitus in gaudia vertens:
Exilium remouens reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum.
Inuenit hic semper quæ bona quisque cupit.
Consulium tribuis generaliter omnibus vnum.
Qui populi pater es, tot pia iure regis.
Hæc tibi vita diu, Domino tribuente supersit,
Atque futura micet lucidiore die.

Ab hoc Præsule Gregorius etiam Turonensis benignè quondam se narrat fuisse susceptum, quando Siggo quidam Sigeberti Regis referendarius, virtute beati Martini, cuius idem Gregorius tunc secum habebat pignora, in sacrario domus Ecclesiæ Rhemensis auditum surdæ recepit auris. Qui tamen Gregorius in historia gentis Francorum de hoc Præsule narrat, quod Legatus ex parte Childeberti regis Sigeberti filij, ad

A Chilpericum regem patruum ipsius Childeberti, cum aliis legatis missus fuerit. In qua legatione constitutum fuisse refert, vt ablato Guntramni regis Chilperici fratris regno, in se coniungere pacem deberent. Qua pactione firmata, Legati cum magnis ad Childebertum sunt muneribus regressi. Item quod postquam Chilperico filius natus est, & ipse Parisius peruasit, Legatis Childeberti ad eum venientibus, primus inter eos hic Pontifex fuerit, qui data suggestione, pacem, quam Chilpericus cum præfato Childeberto fecerat, vt conseruaretur, Childebertum petere promunt: cum fratre verò ipsius Chilperici Gontramno pacem habere non posse Childebertum: quia partem Massiliæ post mortem abstulerit patris, fugacesque suos retinens, nolit ei remittere. Adiecit etiam Childericus, in multis eundem fratrem suum esse culpabilem, cuius colludio pater huius Childeberti fuerit

Ibid. c. 31.

B interfectus. Vnde Legati quoque permoti vltionem debitam super eum velocius inferri petunt: idque vt est iuramento firmatum, datis & acceptis obsidibus, discesserunt. Pro quibus legationibus rex Gontramnus huic Archiepiscopo semper erat infensus. Vnde & cum pacem postea fecisset cum Childeberto, hortatus est eum, vt nullo modo crederet, aut haberet hunc Præsulem, conuicians eum periurii crimine. Postea denique dum quidam reus torqueretur, qui ad percutiendum Childebertum regem à Fredegunde regina fuerat missus, confessus est hunc episcopum socium fuisse in quorundam consilio ad interficiendum eundem Childebertum regem. Nec mora, Episcopus rapitur, & ad Mettensem vrbem, cum esset valde ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur. Ibique dum sub custodia degeret, rex Episcopos accersiri ad eius examinationem præcepit, & apud Virdunensem vrbem initio mensis octaui * adesse

Gregor. li. 10. c. 19.

C iussit. Tunc à quibusdam * clam sacerdotibus increpatus, cur hominem ab vrbe rapi absque audientia, & in custodiam retrudi præcepisset, permisit eum ad vrbem suam redire, dirigens epistolas ad omnes regni sui Pontifices, vt medio mense nono ad eum discutiendum in vrbe supradicta deberent adesse. Denique conuenientes pertracti sunt vsque ad Mettensem vrbem: ibique & Egidius Præsul adfuit. Tunc rex inimicum sibi eum, religionisque proditorem esse pronuncians, Ennodium Ducem ad negotium dirigit prosequendum. Cuius propositio prima hæc fuit. Dic mihi, ô Episcope, quid tibi visum fuit, vt relicto rege, in cuius vrbe Episcopatus honore fruebaris, Chilperici te regis amicitiis subderes, qui semper inimicus domino nostro regi fuisse probatur, qui patrem eius interfecit, matrem exilio condemnauit, regnumque peruasit, & in his vrbibus, quas vt diximus, iniquo peruasionis ordine suo subiugauit, tu ab eodem possessionum fiscalium prædia meruisti? Ad hæc ille respondit. Quod fuerim ami-

t. Augusti.

Clam. deest in ms. & Gregorio.

D cus regis Chilperici, negare non potero, non tamen contra vtilitatem regis Childeberti hæc amicitia pullulauit. Villas vero quas memoras, per istius regis chartas emerui. Quo proferente easdem in publico, negat se res hæc largitum fuisse. Requisitus Otto, qui tunc referendarius fuerat, cuius ibi subscriptio meditata tenebatur, adfuit, negans se subscripsisse. Hæc igitur causa primum fallax Episcopus repertus esse dicitur. Post hæc epistolæ prolatæ sunt, io quibus multa de improperiis Brunechildis tenebantur, quæ ad Chilpericum scriptæ fuerant. Similiter & Chilperici ad Episcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur insertum, quia si radix cuiuslibet rei * incisa non fuerit, culmus qui terris est editus non arescit. Vnde prorsus manifestum est ideo hæc scripta, vt superata Brunechilde filius eius opprimeretur. Item alia nonnulla eidem Præsuli obiiciuntur,

excisa

tam de pactionibus regum, quam de perturbatione patriæ, quorum quædam negauit, quædam negare non potuit. Et dum altercatio diutius traheretur, adfuit etiam Abbas Epiphanius basilicæ sancti Remigii, dicens, quod duo millia aureorum, speciesque multas pro conseruanda Chilperici regis amicitia idem Præsul accepisset: & cum legatis, qui cum Episcopo missi fuerant ad memoratum regem, propalat idem Abbas, qualiter de excidio regionis ac regis Gontranni conuentum fuerat, & vt gestum est ex ordine narrat. Hæc audientes Episcopi, & in tantis malis sacerdotem Domini contuentes, triduani temporis spatium deprecantur tractandi: scilicet vt vllum modum reperire posset Episcopus, per quem se ab obiectis excusare valeret. Sed illucescente die tertia, conuenientes in Ecclesiam interrogant Episcopum, vt si aliquid excusationis haberet, ediceret. At ille confusus ait: *Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego necui me ob crimen maiestatis reum esse mortis, qui semper contra vtilitatem huius regis, matrisque eius egi: ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina noui, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt.* Hæc Episcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtenta vita, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus, remouerunt. Qui statim ad Argentoratensem vrbem, quam nunc Strateburgum vocant, deductus, exilio condemnatus est. In cuius loco Romulfus filius Lupi Ducis, iam presbyteri honore præditus, Episcopus subrogatus est, Epiphanio ab abbatis officio, qui basilicæ sancti Remigii præerat, remoto. Multa enim auri, argentique in huius Episcopi regesto pondera sunt reperta. Quæ autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus thesauris sunt illata: quæ vero de tributis, aut reliqua ratione Ecclesiæ inuenta sunt, ibi relicta.

c.confesas.

De sancto Basolo.

Capvt III.

HVius Egidii tempore sanctus Domini Basolus, territorio Lemouicino, regione Armoricana, nobili prosapia oriundus, à partibus Aquitaniæ, patrocinia beatissimi Remigii desiderabiliter appetens, Rhemensem deuenit ad vrbem. Cui aduenienti comes itineris apparuisse traditur Angelus Domini, quem constat habuisse præducem, dum destinatam ingreditur vrbem. Hunc dignissime præfatus Præsul Egidius suscipiens, cognito peregrinantis desiderio, peritusque secretioris conuersationis habitaculum concedere, libentissime cessit, sicubi sibi placitum Dei famulus infra Episcopium Rhemense valuisset reperire. Inuenit tandem, superna disponente gratia, locum sibi congruum in vico Viriziaco, ad radices montis Rhemorum, quem nemus inde incipiens obumbrat Rigerium. [illegible] loci tunc temporis erat cœnobium, numero duodecim monachorum. Hic igitur benigne susceptus à fratribus, traditur ab Abbate litteris imbuendus. Nec longum, sic doctrina emicuit, vt coætaneos & contubernales sapientiæ luce præiret. Nulla illi propensior cura, quam aut in lectione vel sermone de Deo, aut in oratione loqui cum Deo. Transitoria despiciens, & æterna concupiscens, victus pensam pauperibus erogabat, pauxillum sibi duntaxat reseruans, ad infirmitatem corporis sustentandam.

Ita virtutum crescens culmine, solitariam concupiscit vitam, fastigiumque, ad secretius habitandum, contigui deligit montis, in quo cellulam cum oratorio construit, vbi liberius cælesti deseruiret contemplationi. In qua inclusionis habitatione per XL. traditur annos Deo militasse, & contra serpentis [illegible] menta viriliter dimicasse, ieiuniis, eleemo[illegible], vigiliis, orationibus, atque lectionibus indesinenter vacans, & ad se venientes doctrinæ sanctæ l[u]ce perfundens.

Dum hic igitur almifica conuersatione decertat, placuit supernæ pietati virtutem sui mil[it]is cernenti[bus] ostendere signis. Nam orante illo Dominus aquam ei montis in vertice produxit è silice, quæ [ad] Sancti sepulchro fertur exilire, ac per Ecclesiæ fundamenta quasi de vasculo sese profundere, haustu dulcis, & ad potandum salubris. De quo vi[illegible] fonte multi sanitatum remedia, potantes, vel [illegible] neis tenentes, seu capita diluentes, consequuntur ægroti.

Quodam denique tempore, cum puer quidam priuatus oculorum ab ætate primæua lumine, Anne[illegible]lus nomine, ante fores excubaret ipsius, duode[cimo] suæ cæcitatis anno, lapsa virtute cælitus, orante v[iro] Dei luminis est honore donatus. Quod diuinæ [illegible] tus miraculum comperientes monachi, magnis gratiarum actionibus Deum glorificant in clarificatione fi[de]lis serui sui.

Accidit etiam quodam venatore, Atila nomine, in saltu eius cellulæ contiguo aprum insequente, vt vsque ad ipsius præsentiam fera perueniret, & quasi liberandam se per ipsum credens, ad pedes eius, deposita feritate procumberet, canesque naturalis obliti sagacitatem insequi parcerent. Exinde mos, mirio virtus [illegible] sti, ad honorem dilecti famuli sui, adhuc modo seruatur, vt * promota quælibet venatio, si aggestum [illegible] cuitu siluæ ipsius prominentem fuerit ingressa, ne[illegible] num vlterius insequatur auiditate, nec venatorum [illegible] petatur audacitate.

Fertur & aliud non contemnendæ rei miracu[lum], huius beati Confessoris sui meritis, à Domino prærogatum, quod suspensus laqueo quidam, nomine Ragenulfus, ab aduersariis, cum in supremo mortis p[eri]culo oculos ad cælum intenderet, inuocato [illegible] c lac[illegible] mabili beato Basolo, mox à morte dira rupt[illegible] liberati laqueo. Post multa denique pietatis insig[nia] vna ipsius ab eodem patrata, prænoscens per spi[ritum] suæ vocationis imminere sibi tempus, misit ad nepote[m] suum, nomine Balsemium, qui cum ad se à Lemouic[i]na regione perduceret, significans illi, quod post [illegible] tum suum in prædicto suo conuersationis habitaculo deberet vitam ducere, iuxta quod reuelatum sibi fuerat à Domino. Cuius salutaribus præceptis, [u]t bonus filius obtemperans, & ad supernam hæreditatem peruenire desiderans, vsque ad exitus sui diem in eadem permansit habitatione. Decessit autem beatus pater Basolus VI. Kal. Decemb. supernis aggrega[tus] ciuibus. Ad cuius sepulchrum multa postea monstrata sunt miraculorum insignia, quæ tamen per negligentiam, & ob sui frequentiam non sunt litteris comprehensa.

Processu denique temporis, post obitum sancti [illegible], aduenit huic homo quidam natione nobilis, sed fero tumore mentis: qui post orationem baculum [illegible] beati patris accipiens; & illum super pedem suum ponens, vt erat procerus corpore, quasi subsannando [illegible] tulit dicens: En manifestat iste baculus, quam paruæ staturæ fuerit Basolus. Nec mora, pes idem cui super positus sancti baculus fuerat, emarcuit: quoque p[illegible] facto, diuina vir idem perculsus vltione [illegible] cedit labore. Cuius corpus ad tumulandum [illegible] ponitur ad huius Sancti Dei monasterium: sed a[illegible] tum nullo modo valet moueri feretrum. Propo[nitu]r ad cimiterium sancti Remigii, sed nec sic potest m[o]ueri. Cogente tandem necessitate, in Catalau[n]icum fertur territorium, ibique demum permitt[itur] [illegible] sepulchrum.

Non longe quoque valde à nostra ætat[e] [illegible]

scilicet domni Ebbonis Archiepiscopi, eius ordinatione quidam vir religiosus, Benedictus nomine, Abbas constituitur huius Abbatiæ. Qui cum modestia familiam sancti Basoli tractans, & in simplicitate Domino seruiens, diuersis ecclesiam donariis ornauit, & post non modica vitæ suæ spatia, diuina præceptione vocatus, ad Dominum transiit. Cui carne frater, cognomine * Speruus, Abbas in eodem loco subrogatur. Qui moribus fratri dissimilis, & diræ facibus ardens cupidinis, dum temulentus aliquando sederet, cœpit dicere, quod frater suus de Abbatia illa nihil boni sciuerit habere, præcipiens villarum procuratoribus, in crastinum sibi ruricolas exhibere, quos variis faceret suppliciis torqueri, vt facultates ipsorum ab eis posset extorquere. Audientes ergo villarum incolæ, quantæ intentabantur sibi pœnæ, omnes sancti Basoli * flebiliter expetunt suffragium, ne tam crudeli lanio traderentur ad dilacerandum, lugubresque in gemitu pernoctantes, non cessabant sancti Basoli implorare solatium. Nec renuit audire Sanctus Domini querelas suæ plebis. Nam facto mane Speruus idem reperitur mortuus: quem lecto nitentib. extrahere suis, crepuit medius, tantusque fœtor eundem locum repleuit, vt nemo inibi remanere valuerit. Sicque familia S. Basoli trepidaris eripitur defensa suppliciis.

Auunculus matris meæ, * Flauuardus nomine, duos filios in huius sancti viri cœnobio Deo seruientes habuit: quorum iuniorem, nomine Terbertum, caritate supra vires etiam exuberantem vidimus, qui Presbyter dudum apud nos obijt. Is denique de patre suo quod dicturi sumus, narrare nobis solebat: cui rei testis adhuc supererat nuper * Raroldus Presbyter, horum tertius frater. Consueuerat si quidem semel in anno vir præfatus ad hoc monasterium venire, fratribusque de suis facultatibus ministrare. Qui cum aliquando de more veniret, latrones eum properantem inuadunt, caballum cui sedebat, cum cæteris quæ sibi visa sunt, sed & pecunias, quas seruis Dei distribuendas ferebat, ornamenta quoque vxoris suæ pariter auferunt. Cumque de præda lætantes aliquantulum processissent, vxor eius, quæ simul aderat, ingemiscens pro iniuria, querulosis sanctum Basolum cœpit inclamare vocibus, dicens: Non vltra se venturos in eius vel famulorum ipsius seruitium si sic eos abijceret non ferendo præsidium. Post quas lamentationis voces, equi latronum, qui cum spolijs concite ferebantur, subito defiguntur, nec vllo modo promoueri possunt ad gradiendum. Ipsos quoque latrones caligo quædam perfudit, vt quonam sese verterent ignorarent. Resipiscentes tandem prædones, conferunt inter se, ob innocentum factam iniuriam sibi talia contigisse: initoque consilio, ad eos, quos rebus iniuste priuatos dimiserant, reuertuntur: sua illis cuncta restituũt, & vt veniam facinoribus suis deprecentur, exposcunt. Ita consolatione, domini Basoli suffragante sibi patrocinio, recepta, rapacibus ire dimissis, deuotiores ad destinatum properant cœnobium: gratias Deo & sancto suo Confessori pro indultis sibi beneficijs referunt, & læti seruis Dei ministrare satagunt, pecuniis honorant, ac deinceps annis singulis idem promptiores quod cœperant, peragunt.

Quando nuper hæ Galliarum patriæ, peccatis nostris impellentibus, Hungarorum gladiis dilacerandæ sunt traditæ, quidam Barbarorum sancti Basoli monasterium ingressi, dum clerici iam cum patroni sui pignoribus ad ciuitatem confugissent, habitacula cœnobij hominibus pene vacua repererunt, ibique metatum suum constituentes, huc vndecunque prædatum reuerti cœperunt. Quorum quidam in ecclesiæ signorum turricula, deaurata conspiciens relucere metalla, cupidus auri pecuniæ, tectum conscendit basilicæ, nisusque dissipare turriculam, subito delapsus ad terram corruit, membrisque confractis interiit. Alius horum super aram ipsius ecclesiæ, in honore beati Martini consecratam, conatus ascendere, dum manum supra cornu altaris apposuisset, ipsa manus eius ita inhæsu marmori, vt nullo modo ab eo postea potuisset auelli. Et quia hic eum sui noluerunt relinquere, partem lapidis circa manum ipsius bipennibus abscindentes, eum secum particulam marmoris, quæ manui eius adhæserat, inuite ferentem deduxerunt. Qui etiam (vt captiui qui reuersi sunt referunt) vsque ad terram suam, arente iam brachio, hunc lapidem ferens & Basoli virtute factum proclamans, reuersus est.

Spernus & alia. | à sup- be.ter | Flaualardus | al. Raut baldum. | Flodoard. in Chron. an. 937.

De Romulfo Præsule.

Cap. IV.

POst Egidium Romulfus Remense rexit Episcopium, vir carne nobilis, germanus Ioannis tunc temporis Ducis: quorum pater Lupus multas eis possessiones æqualiter inter se diuidendas reliquit. De qua diuisione pari iure gerenda præceptum obtinuerunt regale. Multis siquidem excellebat patrimoniis, maximeque trans Ligerim, & in pago Pictauensi: quorum ea parte maiore, per paginam testamenti ecclesiam Remensem fecit hæredem, quædam dimittens fratribus vel nepotibus suis, quædam matriculæ quoque sancti Martialis deputauit, quædam ad basilicam sancti Remigij. Villam vero Lauiniacum super fluuium Caltaionem, contulit Monasterio puellarum Remis in honore sancti Petri constructo: quam villam dato pretio se memorat comparasse. Quædam præterea donaria testamento diuersis attribuit ecclesiis, tam Remensis Episcopij, quam Suessonici: sed & Turonici, aliorumque quorundam. Familiæ suæ partem maximam ingenuitatem donauit. Cuius adhuc testamenti pagina in archiuo Remensis Ecclesiæ reseruatur, cum auctoritate Childeberti regis: qua petitus idem rex à præfato Præsule per Sonnatium Diaconem virum venerabilem hoc testamentum confirmare decreuit: Scilicet, vt terras, vineas, & mancipia, quæ ad ecclesiam præcipue Remensem, vel ad cætera loca Sanctorum prædictus Pontifex delegauerat, si quis ex hæredibus ipsius iniuste vsurpare præsumpsisset, omnimodis ea recipiendi sacerdotes eorumdem locorum liberam valerent habere potestatem. Quasdam quoque villas in territorio Metensi constitutas, quarum caput est * Orriuallis, quas domnus Egidius à Vincentio quodam traditur coëmisse, cum Childeberto rege commutauit, pro aliis villis in pago Remensi sitis, id est Marciliana & Arbidogilo. Res quoque, vel mancipia, in pontificatu positus ad augmentum ecclesiæ inuenitur emisse. Oratorium denique sub honore beati Germani construxit in atrio sancti Remigij. Quasdam quoque res à quibusdam peruasas, apud regiam maiestatem, agente præfato Sonnatio Archidiacono, euindicasse reperitur, regiæ auctoritatis super his euindicationibus, adhuc manentibus instrumentis.

i Orciuallis. | f Margilly & Ardeuil

De Sonnatio Episcopo.

Cap. V.

ROmulfum sequitur in Episcopatu Sonnarius, qui Synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta, vel eo amplius Galliarum Episcopis. Vbi etiam sanctus Arnulfus Metensium Præsul inuenitur interfuisse, cũ Theoderico Lugdunensi, Sindulfo Viennensi, Sulpitio Biturincensi, Medegiselo Turonensi, Senoco Elosanensi, Leontio Xantonensi, Modoaldo Treuerensi, Chuneberto Coloniensi,

Richerio Senonensi, Donato Vesontionensi, Auspicio Augustudunensi. Item Modoaldo Lingonensi, Ragneberto Baiocensi, Childoaldo Abriocatensi, Bertegisclo Carnotensi, Palladio Autisiodorensi, Gondoaldo Meldensi, Leudeberto Parisiacensi, Chainoalgo Lauduni Clauati, Godone Virdunensi, Ansarico Suessionensi, Claudio Reiensi, Berthoaldo Camaracensi, Agomaro Siluanectensi, Cæsario Atoernensi, Veto Rutenensi, Agricola Gabalensi, Lupoaldo Magontiacensi, Vvillegiselo Tholosano, Constantio Albiensi, Nammario Egolesmensi, Rustico Caturcensi, Auderico Auscensi, Emmone Aresetensi, Felice Carhalauensi, * Hadoindo Cenomanensi, Magnebodo Andegauensi, Ioanne Pictauensi, * Leobardo Namnetico. In qua Synodo multa leguntur vtilia constituta.

ms. Chadoindo. al. Leobardo.

1. De rebus scilicet Ecclesiæ, qualiter tractandæ sint: & de his quæ per precatoriam impetrantur ab ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vsurpentur, & ecclesiæ defraudentur.

2. De clericis, si qui rebellionis ausu sacramentis se, aut scripturæ coniuratione constrinxerint, atque insidias Episcopo suo callida allegatione confecerint, vt si admoniti emendare contempserint, gradu proprio omnino priuentur.

3. Vt capitula canonum Parisius acta in generali Synodo, in basilica sancti Petri, Lotharij regis studio cōgregata, omni firmitate custodiantur.

4. Vt si qui hæretici adhuc esse suspicantur in Galliis, à Pastoribus Ecclesiarum perquirantur: & si veraciter fuerint inuenti, ad fidem catholicam reuocentur.

5. Vt temere nullus excommunicetur & si excommunicatus existimat se iniuste damnatum, in proxima Synodo habeat licentiam reclamandi: & si iniuste damnatus fuerit, absoluatur: sin autem iuste, impositum pœnitentiæ tempus exsoluat.

6. Vt si quis Iudex cuiuslibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare præsumpserit, aut pro quibuslibet causis, absque conscientia & permissu Episcopi distringere, aut contumeliis, vel iniuriis afficere præsumpserit, communione priuetur. Episcopus tamen de reputatis conditionibus clericorum negligentias emēdare non tardet.

7. Hi vero, quos publicus census spectat, sine permissu principis, vel iudicis, se ad religionem sociare non audeant.

8. Si quis fugitiuum ab Ecclesia absque sacramento, quo ei iurandum est, vt * de vita, tormento, & truncatione securus exeat, qualicunque occasione abstraxerit, communione priuetur.

c. detruncatio.

9. Similiter si quis ius sacramenti præstitum violauerit, communione priuetur. Ille vero qui sanctæ Ecclesiæ beneficio liberatur à morte, non prius egrediendi accipiat libertatem, quam pœnitentiam se pro scelere acturum esse promittat, & quod ipsi canonice imponetur impleturum.

10. De incestis coniunctionibus, si quis infra præscriptum canonibus gradum incestuoso ordine cum his personis, quibus à diuinis regulis prohibetur, se coniunxerit, nisi pœnitentiam sequestratione testentur, communione priuentur, & neque in palatio militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant. Et quando prædicti incestuosi se coniunxerint, Episcopi seu Presbyteri, in quorum diœcesi vel pago actum fuerit, Regi vel iudicibus scelus perpetratum adnuncient, vt cum ipsis denunciatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent, & res eorum ad proprios parentes perueniant, sub ea conditione, vt antequam sequestrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perueniant facultates, nisi præfati sceleris separatione pœnitentiam fateantur.

11. Si quis homicidium sponte commiserit, & non violentiæ resistens, sed vim faciens impetu hoc fecerit, cū isto penitus non communicandum: sic tamen vt si pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis viaticum non negetur.

12. Clerici etiam vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumpserint: aut id, quod ipsi donauerint ecclesiis aut monasteriis, crediderint auferendum, sicut ante Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.

Conc. Paris. cap. 1.

13. Vt Christiani Iudæis vel gentilibus non vendantur: & si quis Christianorum necessitate cogente mancipia sua Christiana elegerit venundanda, non aliis nisi tantum Christianis expendat. Nam si paganis aut Iudæis vendiderit, communione priuetur, & emptio careat firmitate. Iudæi vero si Christiana mancipia ad Iudaismum vocare præsumpserint, aut grauibus tormentis afflixerint, ipsa mancipia fisci ditionibus reuocentur. Qui tamen Iudæi ad nullas actiones publicas admittantur. Iudæorum vero conuiuia in Christianos penitus refutanda sunt.

14. Item si clericus proficiscens de ciuitate ad alias ciuitates voluerit, aut prouincias pergere, Pontificis sui epistolis commendetur. Quod si sine epistolis profectus fuerit manifestus, nullo modo recipiatur.

15. Item vt Episcopus mancipia vel res ad ius ecclesiæ pertinentes neque vendere, neque per quoscunque contractus, vnde pauperes viuunt, post mortem alienare præsumat.

16. Item de his qui auguria, vel paganorum ritus inueniuntur imitari, vel cum paganis superstitiosos comedunt cibos, quos benigna placuit admonitione suaderi, vt ab erroribus pristinis reuocentur. Quod si neglexerint, & idololatris vel immolantibus se miscuerint, pœnitentiæ dignum tempus exsoluant.

17. Item vt seruiles personæ ad accusationem non admittantur: & qui personam susceperit accusantis, cū vnum crimen non probauerit, ad alia accusandum non admittatur.

18. Item si quis in quolibet gradu vel cingulo constitutus, aut potestate suffultus, decedente Episcopo res cuiuslibet conditionis in domos vel agros Ecclesiæ positas, ante reserationem testamenti, vel audientiam ausus fuerit occupare, vel Ecclesiæ repagula effringere, & supellectilem infra domum Ecclesiæ positam contingere, vel scrutari præsumpserit, à communione Christianorum penitus abdicetur.

19. Item si quis ingenuum aut libertum ad seruitium inclinare voluerit, aut fortasse iam fecit, & commonitus ab Episcopo se de inquietudine eius reuocare neglexerit, aut emendare noluerit, tanquam calumniæ reum placuit sequestrari.

20. Item vt clerici cuiuslibet ordinis, neque pro propriis, neque pro ecclesiasticis causis aliter adire debeāt forum, nec causas dicere audeant, nisi quas cum permissu & consilio Episcopi agere eis fuerit omnino permissum.

21. Item vt in parochiis nullus laicorum Archipresbyter præponatur, sed qui senior in ipsis esse debet, clericus ordinetur.

22. Item Pontifices, quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut donatur (quia ille qui donat, pro remedio animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre non quasi suum proprium, sed quasi dimissum ecclesiæ inter facultates ecclesiæ computabunt, quia iustum est, vt sicut sacerdos habet quod ecclesiæ dimissum est, ita & ecclesia habeat quod * reliquerit sacerdos. Sane quicquid per fidei commissum aut Sacerdotis nomini aut ecclesiæ fortasse dimittitur,

cuicunque aliis postmodum profuturum, id inter facultates suas Ecclesia computatum retinere non poterit.

23. præsentia. Item si quis Episcopus res, quæ ab alia Ecclesia * præsentnaliter possidentur, quocunque ingenio aut callida cupiditate peruaserit, aut sine audientia præsumpserit vsurpare, ac suis vel Ecclesiæ suæ ditionibus reuocare, dum communione priuari non potest, vt necator pauperum, ab officio deponatur.

24. Item si quis Episcopus (excepto si euenerit ardua necessitas, pro redemptione captiuorum) ministeria sancta frangere pro qualicunque conditione præsumpserit, ab officio cessabit ecclesiæ.

25. Item viduas, quæ se Domino consecrari petierunt, vel puellas Domino consecratas nullus, neque per auctoritatem regiam, neque qualicunque potestate suffultus, aut propria temeritate rapere, aut trahere audeat. Quod si vtrique consenserint, communione priuentur.

26. Iudices, qui super auctoritate & edicto dominico canonum statuta contemnunt, vel edictum illud dominicum, quod Parisius factum est, violauerint aut contempserint, placuit eos communione priuari.

27. Item vt decedente Episcopo in locum eius non alius subrogetur, nisi loci illius indigena quem vniuersale & totius populi elegerit votum ac comprouincialium voluntas assenserit. Alter qui præsumpserit, abijciatur è sede, quam inuasit potius quam accepit. Ordinatores autem triennio ab officio administrationis suæ sedis cessare decernimus.

Præterea res Ecclesiæ præfatus præsul domnus Sonnatius probabiliter ordinasse legitur, augens etiam Episcopium, terris ac mancipiis dato pretio coëmptis, quarum adhuc emptionum nonnulla reperiuntur monimenta. Quasdam quoque res, quas praui quidam peruaserant, apud regiam maiestatem, tam per seipsum, quam etiam per suos actores, Marco Presbytero quoque legato suo causas agente, repetitas & obtentas Ecclesiæ rite restituit. Colonias etiam villarum quarundam Episcopij depositis ordinauit seruitiis. Præcepta nec non regalia super ecclesiasticarum immunitate rerum, sed & traditionum quarundam obtinuit firmitate. Sed & res inuenitur quasdam cum regina Brunechilde commutasse, pro vtriusque partis opportunitate.

Testamentum quoque rerum suarum condidit, in quo plura diuersis donaria contulit ecclesiis. Basilicam tamen beati Remigii præcipue sibi hæredem instituit, vbi & sepulturam se habiturum delegit: ibique missorium argenteum deauratum deputauit. Cochlearia quoque duodecim, & salarium argenteum, ac portionem suam de villari quodam cum mancipiis, vineis, pratis, cæterisque adiacentibus, & alia nonnulla, quæ se dato pretio meminit comparasse. Ad basilicam sanctorum Timothei & Apollinaris delegauit casas quasdam tam iuxta ipsam Ecclesiam, quam infra ciuitatem. Ad basilicam sancti Martini quem peculiarem patronum suum dicit, villam Mutationis, quam comparauit, ad integrum sicut à se possessa est, tradidit. Insuper & aurum dedit, vnde calix inibi fieret. Ad basilicam sancti Iuliani recuperandam auri solidos v. Ad basilicam sancti Nicasij similiter solidos quinque. Ad basilicam sancti Iohannis solidos v. Ad basilicam sancti Sixti similiter in auro solidos tres. Ad basilicam sancti Mauricij solidos iij. Ad basilicam sancti Medardi solidos iij. Ad Monasterium puellarum vineam in Germaniaco sitam, cum quibusdam vasis ipsi basilicæ profuturis. (Germaniy.) Ad basilicam, quæ dicitur ad Apostolos, auri solidos iij. cum aliis munusculis vnde calix fieret. Ad basilicam sancti Petri in ciuitate auri solidos iij. Ad basilicam Sancti Theodorici portionem suam de villa Germaniaco, cum mancipijs, vineis, & cæteris ad ipsam pertinentibus: argentum quoque ad sepulchrum domni Theodulfi fabricandum, vel exornandum. Ad basilicam sancti Viti vas quoddam argenteum ad calicem faciendum, & in auro solidos xv. Ad basilicam sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani auri solidus xv. Ad matriculam præterea sanctæ Remensis Ecclesiæ nonnulla contulit donaria.

Cæteris quoque matriculis vel congregationibus diuersa delegauit munera. Quibusdam hæredum quoque suorum personis prædia quædam eo tenore dereliquit, vt ad loca Sanctorum à se destinata post eorum reuerterentur decessum. Mancipia nonnulla libertate donauit, additisque ditauit peculiis. Quod viri Dei testamentum regalis præcepti repetitur pagina roboratum.

De Leudegiselo Episcopo, Angleberto, & Landone.

Cap. VI.

POst hunc beatum virum Leudegiselus, Anilæ Episcopi frater, tempore Dagoberti Regis Episcopium rexit, quod etiam rebus emptis, scilicet siluis, pratis, turibus auxit. Quædam quoque cum Abbone Tricassino Episcopo, pro vtriusque partis opportunitate, commutauit: sed & alia quædam cum aliis quibusdam personis. Res etiam quasdam Ecclesiæ ordinans disposuit colonis.

Hinc sequitur Anglebertus. Ipse quoque rebus emptis auxisse reperitur Episcopium. Cui successit Lando vir illustrissimus, & multorum possessor prædiorum: quorum nonnulla iunxit Ecclesiæ, quædam verò propinquis suis distribuit. Sed & ea quæ trans Ligerim Remensis habuerat Ecclesia, & Felix Abbas quidam Ecclesiæ sancti Iuliani martyris indebitè retinebat, apud maiestatem regiam legibus euindicata recepit: pro quibus iam antea prædecessor eius Anglebertus Episcopus cum Gallo Aruernensi Episcopo, coram rege controuersiam habuisse reperitur. Hinc Lando Præsul Ecclesiam Remensem rerum suarum per testamenti paginam ritè fecit hæredem: & quæcunque aliis dedit personis vel ecclesiis, eidem Ecclesiæ vel successori suo constituit dispensanda. Diuersorum siquidem Sanctorum basilicis diuersa delegauit donaria. Basilicæ scilicet sancti Remigij, vbi sepulturam fieri sibi delegit, villas & munera. Basilicæ sancti Gaugerici & sancti Quintini argenti varia dona. Item Basilicis atque matriculis Remis: sanctorum scilicet Timothei & Apollinaris. Item sancti Martini. Item sancti Nicasij. Item sanctæ Genouefæ. Monasterio quoque sanctorum Theodorici & Theodulfi. Item ad basilicam sancti Germani, & matriculam ipsius. Item sancti Iuliani. Item sanctorum Cosmæ & Damiani. Item sancti Petri ad cortem. Item sancti Petri ad monasterium puellarum. Item ad basilicam S. Symphoriani, quæ vocatur ad Apostolos. Item sancti Medardi, & sanctorum Crispini & Crispiniani. Item sancti Victoris. Item sancti Mauritij. Item sancti Basoli diuersa contulit donaria. Ecclesię quoque Laudunensi cuiusdam villæ portionem suam delegauit, & basilicæ sanctæ Genouefę ibidem constitutæ villam Appiam, cum omni re ad se pertinente tribuit. (Le villa ge d'Eppe.) Turrim quoque auream, quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit S. Mariæ Remensis ecclesiæ, & patenas tres, ac brachiale aureum. Fuit autem Sigiberti regis tempore.

De sancto Niuardo.

Cap. VII.

POst præmissos, ad Episcopale culmen eligitur beatus Niuo, qui & Niuardus. Vtroque namque reperitur vocitatus nomine. Hic prius in aula regis, vtpote vir illustrissimus, traditur conuersatus. In Episcopatu vero positus, emptis per diuersa loca tam fundis, quam domibus, necnon mancipua dilatasse res inuenitur Ecclesiæ. Disposuit etiam nonnullas ordinatis colonis villas Episcopij: quasdam quinque res commutasse reperitur cum Attila Laudunensi Præsule, pro vtriusque partis opportunitate. Commutauit etiam à Bauone & Theodetamno fratribus locum quendam super fluuium Maternam de rebus

Haut villiers.

Remensis Ecclesiæ, vbi construxit Monasterium, quod dicitur Altum villare, petente Berecario Abbate, qui ab eo petierat locum sibi dari, vbi cum fratribus suis monachis, sub regula patrum sancti Benedicti & sancti Columbani viuere posset: quod & idem Præsul facere studuit, vt infra continetur. Sed & cum aliis quibusdam personis, pro vt congruum visum fuit, res quasdam commutauit. Dedit quoque, sub iure priuilegij, ad monasterium sancti Basoli Ecclesiam in Virziaco in honore sanctæ Mariæ constructam, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, simulque locellum qui Vuasciatus dicitur. Immunitatem quoque ipsis monachis, sub Petrone Abbate ibidem Deo seruientibus instituit, vt nullus Ecclesiasticorum iudicum eos indebite in aliquo inquietare præsumeret, sed eis quieto ordine sub sancta regula viuere, ac Deo seruire liceret. Præceptum etiam im-

Childebertus iij.

munitatis à Childeberto rege super teloneis & quibusdam tributis, ecclesiæ Remensi obtinuit. Cui Ludouicus quoque rex, sub ecclesiæ suæ nomine, res

Mally. Veeste.

quasdam in Malliaco super fluuium Vidulam, quas quibusdam infidelibus suis eiectis receperat, auctoritatis suæ præcepto concessit. Huius etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris sancto Remigio villas suas Calmiciacum & Victuriacum, pro animæ suæ remedio.

Hic beatus Niuardus, dum ex communi consensu totius Concilij Præsulum Galliæ, Namnetis, Romani iussione Pontificis, exhibiti, rege fauente, restruxisset Ecclesiam monasterij super ripam Maternæ fluminis, in loco nuncupato Villari, dudum siti, sed à Babaris diruti, & ab eo constructa hæc funditus cecidisset Ecclesia, in alio loco rursus ab ipso restructa, rursum traditur corruisse. Quadam vero die veniens de villa Sparnaco, simul comitante secum præfato Abbate Berecario, visum sibi est, transito flumine,

Idem latius refertur in vita S. Bercharij.

debere paululum requiescere: sicque caput in sinum sedentis reclinans Berecarij, obdormiuit, & visum vidit, scilicet columbam locum siluæ circumire, & in fago quadam post hanc circumitionem resedisse: idque tertio columbam videt eandem egisse, tumque cælos petisse. Quam visionem, sicut ipse in somnis, ita prædictus quoque Berecarius vigilans fertur aspexisse. Quo viso compunctus idem cœpit Abbas fundere lacrymas. Experrectus autem Beatus Præsul à somno, ex lacrymis eius sibi faciem reperit vdam: & interrogans quæ illi causa fletus existeret, accipit eum propter sui ruinam fleuisse operis. Inuicemque sibi visa referentibus, traditur Pontifex hæc etiam cuidam Dei seruo, nomine Bauoni, cuius erat ipsa possessio, visa narrasse. Qui oratorium in honore sanctæ crucis illic habens, ibi conuersabatur. Qui etiam postquam visionem Præsulis, & eius agnouit voluntatem, obtulit illi eandem possessionem suam, partem quoque possessionis cuiusdam fratris sui, nomine Baldini. Alterius vero fratris, Theoderamni nomine, causam retulit, quod esset scilicet in factione contra Reolum Comitem, qui Remensis post extitit Episcopus, pro filiis eius, quos occiderat in vltione filiorum suorum, quos Reolus pro latrocinio, quod exercebant, suspendio necauerat. Vnde dominus Niuardus eum cum Reolo, qui neptem suam filiam Childerici habebat vxorem, pacificauit, & sic ipse Theoderamnus simul cum cæteris fratribus suis eandem possessionem sancto Niuardo, commutatione ab eo sumpta, tradidit. Mox idem Præsul succidi siluam iubens, in honore sancti Petri, & omnium Apostolorum ibi construxit Ecclesiam, & vbi resedisse columbam viderat, altare instituit, collectis quæ seruis Dei Monasterium ordinauit. Vbi etiam præfatus Theoderamnus monachus efficitur, Sed & Reolus filium suum nomine Gedeonem, de nepte sancti Niuardi susceptum, ibi monachum fieri petiit, & rerum suarum partem ad idem monasterium condonauit. Beatus autem Niuardus, constituto monasterio, quicquid possessionum ante Episcopatum fuerat visus habere ad ipsum locum tradidit, & exhortatus beatum Reolum, religionis ei suasit assumere habitum. Priuilegium quoque, poscente præfato Abbate Berecario, eidem contulit monasterio vt scilicet ipse Præsul idem monasterium in sui iuris dominatione dum adviueret, conseruaret, & vt post suum decessum Remensis Episcopus ipsum cœnobium gubernet, & eosdem monachos contra omnes aduersitates defendat. ipsi vero monachi potestatem habeant Prælatum sibi regulariter eligendi, prout in descriptione ipsius priuilegii continetur. Post hæc in ecclesiola sanctæ Mariæ, quam in eodem monasterio construxerat, obisse fertur & ad ecclesiam sancti Remigij Remis deportatus, ibidem sepultus est.

De translatione sanctæ Helenæ ad ipsum Sancti Monasterium.

Cap. VIII.

AD prænotatum huius sancti viri viri cœnobium beatæ Helenæ reginæ constat corpus ab vrbe Roma deuectum. Quod quidam Presbyter Remensis parrochiæ, Tergisus nomine, Romam profectus, noctis inopinus in ecclesia remanens tempore, furatus cautissime secum studuit deferre. Qui dum iam secundam mansionem haberet in silua quæ ciuitati adiacet Sutriæ, in crastinum vnus è comitibus eius pignera sancta leuare super asellum gestiens, ea minime valuit mouere. At stupidus hæc magistro notificat: qui concitus pergens, thesaurum pauidus apprehensum immenso sine grauitate ponderis imposuit, cum esset inferior repulso viribus corporis, Confessus est autem idem minister nocturno se pollutum fuisse somnio. Venientes ad rapidissimum fluuium Taram, cum illum non auderent ingredi, propter validissimum ipsius impetum, animal, sacrum tutum munere, sponte descendit in flumine. Quem sequutus alter asellus ferens Presbyterum, licet vndis pene videretur immersus, transiit tamen fluuium, cum latera fluctibus non tinxisse probaretur almi pigneris baiulus. Item dum superant Alpium iuga quædam comes huius itineris puella in præceps labitur acta. Quæ dum miserabiliter voluitur per deuexa, socij beatæ reginæ proclamantes expetunt patrocinia: Cum subito in prærupto montis læsit latere delapsa: sicque demissis fasciolis retrahitur incolumis ad superiora, nullam, ceu visum sibi est, læsionem perpessa. Quibus compertis non-

nulli miraculis, deuotius ueris famulabantur obsequiis. Inter quos equo quidam desiliens, beata superimponit pignera, descensusque montis arram ingressus semitam, proprius onus extullit humeris. At subito lubrica pede secuto ruit in præceps, sacra tamen brachiis astricta nullatenus omittens munera: cum protinus, turba sequente nomen reginæ precibus ingeminante, equus, qui sacra gesserat, suam nihili pendens ruinem, ruentem anterioribus hominem cruribus amplexus tamdiu eum, Deo se sustinente, tenuit, donec ab incolis subter degentibus glacies ferro crispata, & tam homo quam equus in callem sunt funibus reuocati. Peruenientes autem ad pagum Lingunicum in vicum, qui vocatur Osismus, ecclesiæ beati Vvinebaldi almas intulerunt reliquias. Vbi quædam contracta genibus repens muliercula, mox vt horum gestamen pignerum attigit, ad sua reuocatis officia neruis, sanitati perfectissime redditur. Inde itinere vnius diei peracto, quidam omnibus iam per sexennium dissolutus artubus, linteum beatæ Reginæ cum gladio mittit in munere. Sed antequam coniux eius ad eum, qui hæc detulerat munuscula, rediret, infirmus idem membrorum omnium recuperat munia. His auditis quædam matris ab vtero cæca puella deducitur huc ad sancta præsidia, moxque dum feretrum beatæ contigit dominæ, depulsa lumen recepit cæcitate. Ingressis villam Auergam quædam muta, sed & officio manuum destituta, progreditur obuiam, quæ statim, recuperatis membrorum munus, optatam meruit inuenire medelam.

Deinde venerando huc in Ecclesia villæ Faletiæ posito munere, quidam lunaticus eandem basilicam est ingressus Tum nouissime vexatus, merita beatissimæ petentibus cunctis plenissime regreditur absolutus, integra scilicet sospitate donatus. In eadem villa quidam morbo attritus tria grabato exegerat lustra, carne iam ita putrefacta vt viginti tria è corpore ipsius cecidisse feratur ossa: qui ad diuam perlatus medicatricem virtute diuina erectus stupente populo redditur sanus. Quædam quoque puella nomine Baua, genibus attracta repens, vt pote vtroque poplite contracto matris ex vtero, basibus hic solidatis, rectore recessit vestigio, quæque postmodum Remis in sancto permansit propulitu. Accedit quoque fœmina, quæ paralysi resoluta linguæ penitus amiserat officia, laxisque neruis, dextræ manus inutilia dependebant vincula. Cuius allatus in munere linteolus, vt thecam sacri contigit corporis, mulier pristinæ munia perfectæ recepit saluus. Quidam surdus à natiuitate vertecem adduxit, ecclesiam ingressus ad missarum solennia stetit. Vt ad Euangelium ventum est recitandum, verba vitæ insolita cœpit aure percipere: quod perlecto curatus, confessus est, Euangelium se nunquam prius audisse. Pater quidam lactentis aduenit pueri, quem ad exitium iam iamque vis impellebat ægritudinis. Genitor ergo, votum pro vita vouens nati, redit, & puerum, qui per quinque iam dies fomenta spreuerat mammæ, reperit incolumem, lacque sugentem. Paralyticus quidam Treoirorum è finibus est aduectus, qui septem dudum vicibus omnium membrorum soliditatem adeptus, toties, carnis se prementibus desideriis, miserabiliter est recontractus. Qui postquam propria confessus est facinora, quod non egerat iam vicesimus voluebatur annus, permansura deinceps est sanitate potius. Adlata est item mulier quædam dextro latere pestis immanitate resoluta, quæ perfectam consecuta medelam, reuersa est sana. Item adducitur mane mulier cæca, quæ hora rutilante tertia, gemina regreditur illuminata lucerna.

Denique vt perlata est ad præfatum Altumuillatense monasterium sacratissima gleba, quibusdam dubitantibus, an ipsa foret Helena Constantini Augusti genitrix, vitalisque ligni repertrix, id probabili Christus asseuerare dignatur aquæ iudicio, triduano supplicatus ieiunio. Mittuntur etiam tres fratres ex eodem monasterio Romam, ad indagandam translationis huius beatæ reginæ certitudinem: qui redeuntes & veritatis huius indaginem, & geminatum gaudium corpus videlicet beati Polycarpi Presbyteri, collegæ sancti Sebastiani, huic attulere cœnobio.

Huius beatæ reginæ quondam natali die imminente, piscatores monachorum noctu capturæ instabant piscium in Materna flumine, cassuque frustrati per totam fere noctem labore, tandem conquesti, Sanctam Helenam pro sua cœperunt inclamare fatigatione. Tum in Dei, & in ipsius nomine laxantes rete, gemino ditari gaudent esoce. Sed mox vnus horum repetens martem, quodam gaudia interpolauit mœrore. Dumque rursus quæruntur, iterumque dominam inclamando turbantur, piscis elapsus mirabiliter dans saltum ab imo, superiorem retis funem tenacissimo corripit morsu, & sic inhærens funi pependit, donec stupefactus eum tandem piscator gratanter excepit.

De translatione sancti Sindulfi ad idem Monasterium.

Cap. IX.

AD hoc Monasterium beati Sindulfi translata sunt ossa, quæ in villa, quæ dicitur Alsontia, fuerant posita, vbi Deo idem sanctus vir sacerdotali seruierat officio, & vbi pluribus post obitum claruerat miraculis. Cuius pignora vt perlata sunt ad villam, quæ dicitur Spida, mulier quædam cæca pristinum gauisa est lumen adepta. Cumque appropinquarent iam portæ ciuitatis Remensis, obuiam properante populi multitudine, accessit quædam muta & debilis manu puella: quæ vt se terræ prostrauit, ab vtraque sanati peste promeruit. Allata est illuc quædam muliercula manibus, genibusque contracta, quæ continuo vt est ad terram deposita, sanitati lætatur restitura. Sed vbi victa luxu gloriari cœpit, quod eam vellet, nollet, vir suus reciperet, qui eam infirmitatis huius causa dimiserat, ad depulsam rursus est miseriam reuoluta. Item vt posita sunt beati viri membra in ecclesia, coram altari sanctæ Mariæ, aduenit quædam puella reptans genibus contracta, quæ virtute erecta, huius sancti meritis astitit sana. Adducitur etiam quædam iam per annos septem cæca, quæ mox vt valuas templi attigit, lumen recipere meruit. Celebratis Missæ Sacramentis, defertur inde corpus beati viri ad basilicam sancti Remigij. In crastinum perfertur ad monasterium Auennacum, & occurrentibus sanctimonialibus, aduenit quidam iam duobus annis claudus: qui vbi se prostrauit in humū, surgens priscum cœpit figere gressum. Affertur etiam quædam contracta, membrisque resolota, quæ sine mora sospitati gaudet restitura. Tum perlatum est munus hoc venerabile ad monasterium Altumuillatense, vbi quædam puellula aduecta, à primo natiuitatis anno cœca, vt ad ianuam monasterij peruenit, lucem videre cœpit. Duo Germani prouectæ fratres ætatis sub vno anno luce priuati oratorium ingressi, vt se dederunt in orationem, cruor eis pro lachrymis fluere cœpit ex oculis, moxque lumine recepto, lætantur sepulchrum videre sanatotis. Quædam Deo sacrata votum habuit cum sociis, vt iret ad locum pignoris: quæ de itinere medio cæteris iter peragentibus cœptum, reuersa, vt ad suæ locum cellulæ peruenit, poplitibus, brachiisque contracta dirigitur. Postea plaustro

Gallice s. Rieul

ad præfatum deuecta cœnobium postquam aliquamdiu ibidem in hac est ægritudine remorata, exultat tandem pristina sibi sospitate redhibita.

De sancti Reolo Episcopo.

Cap. X.

POst S. Niuardum præfatus domnus Reolus Episcopium hoc est adeptus, quod tam hæreditariis quam emptitiis inuenitur auxisse rebus. Qui ex præcepto domni Niuardi causas apud regiam maiestatem pro rebus Ecclesiasticis, vel colonorum legibus egisse ac euicisse reperitur. Ipse vero beatus Reolus in Episcopatu iam positus magnam habuit intentionem, pro rebus præmissi sancti Niuardi Episcopi, cum Gundeberto regis optimate, ipsius domni Niuardi fratre germano dicente Guodeberto, quod villæ germani sui Niuonis Episcopi, tam de paterna, quam de materna hæreditate, quas Niuo moriens dereliquerat, ipsi iure legitimo deberentur. At contra domnus Reolus vel agentes sui dicebant, quod domnus Niuardus omnem rem suam, pro animæ suæ remedio, ad loca sanctorum per sua instrumenta contulisset, scilicet ad ecclesiam sanctæ Mariæ, & sancti Remigii, atque ad monasterium Altumuillare, nec non & Vitiziacum, vbi domnus Basolus in corpore requiescit: quæ monasteria ipse domnus Niuo suo construxerat, vel restruxerat opere. Item Remis ad monasterium puellarum, vbi Boba præesse videbatur Abbatissa. Item sanctis Rufino & Valerio, vel per reliqua loca sanctorum. Sed dum inter vtramque partem hæc intentio verteretur, meditantibus pacificis tandem personis, eo tenore ad pacem concordia redierunt, vt Gundebertus ea quæ vltra Ligerim fuerant Emmæ genitricis ipsorum, absque repetitione Reoli Episcopi, vel agentium suorum, in sua reciperet potestate. Reliqua vero, quæcunque bonæ memoriæ domnus Niuo ad loca sanctorum per sua instrumenta delegauit, ad integrum eadem Sanctorum loca perpetualiter absque repetitione Gundeberti, vel hæredum suorum cum Dei adiutorio possiderent. Vnde côuentiale quoque scriptum digestum apud nos adhuc reseruatur, vtriusque partis assignatione roboratum.

ms Her

fiaico.

Hic partem villæ Dietiaci positus in Episcopatu emit, Item mansum & campos in villari * Bersiniaco. Item mansos aliquos plusquam quatuor infra ciuitatem Remensem à diuersis personis, & alia quædam. Item portionem de villa, quæ dicitur Mons Allonis. Item partes villarum Rosiciaci & Popiciaci & alia nonnulla, tam prædia quam mancipia, eius temporibus tradidit vir illustris Vuaratus ad ecclesias sanctæ Mariæ, & sancti Remigij Remis Cruciniacum mootem, Curbam villam, cum Acciniaco, in pago Tardonensi. Quædam denique hic beatus Præsul Reolus ex rebus Ecclesiæ inuenitur cum quibusdam personis commutasse, partium scilicet liberata opportunitate.

Cruny. Courville & Arcinié Tardenois.

Habuit filiam Deo sacratam in monasterio, quod Ebroinus Suessionis construxit, sub sancta regula conuersantem, nomine Odilam, quam ex legitimo susceperat ante clericatum matrimonio; cui villas quasdam tam in pago Remensi, vel Bellouagensi, quam etiam in partibus Translationis, eo tradidit iure, vt ad idem monasterium res ipsæ post eius decessum, proficerent omni tempore.

Orbacense fundat. monast.

Coostruxit hic venerabilis Præsul monasterium Orbacense, in loco quem promeruit dono regis Theoderici, per ipsius licentiam, suffragante quoq; Ebroino Maiore domus. Impetrauitque domnus idem Reolus à monasterio Rasbacensi sex monachos, qui regimina sanctæ regulæ ibidem tenerent, & alios ea docerent. Ex quibus vnum, * Landemarum nomine, in eodem loco Abbatem constituit, qui rexit idem monasterium donec vixit. Nam licet ab Odone quodam fuerit expulsus, à Childeberto tamen rege postea restitutus est. Post cuius obitum domnus Rigobertus Archiepiscopus ipsum recepit & rexit. Huius monasterii monachum nomine Hucboldum, nuper Hungari comprehensum trucidare nisi sunt, sed nequaquam ferro incidere potuerunt. Nam vt idem refert, & nonnulli captiui qui viderant, reuersi nunc quoque testantur, dum sagittis eum nudum vndique Barbari petiissent, vt ab adamante tellsæ, sic ab eius corpore resiliebant sagittæ, nec signum ictus vllum apparebat in cute: sed & omni conatu gladio perculsus, nihilominus mansit intemeratus. Vnde & Deum dicentes eum esse, duxerunt reuerti secum, donec redemptus à quodam Episcopo, atque dimissus reuertitur.

De sancto Rigoberto.

Cap. XI.

PRæfato domno Reolo beatus Rigobertus successit in Episcopatu, eius, vt traditur, etiam carne propinquus in regione Ribuariorum nobili prosapia genitus: patre siquidem ex eodem pago, nomine Côstantino, matre vero ex Portensi oriunda territorio: vir piis moribus instructus, & virtutum insignibus adornatus. Qui nonnulla in Episcopio collapsa reperiens, reparauit. Sed & Canonicam clericis religionem restituit ac sufficientia victualia constituit, & prędia quædam illis contulit, nec non ærarium commune vsibus eorum instituit. Ad quod has villas delegauit: Geroiacam cortem, Musceium Roccium, Vvulfiniacum Riuum, Curcellas: Ecclesiam quoque [illegible] Hilarii, cum suburbio ad eam pertinente: scil[illegible] vt in annoua transitus sui die sufficiens eis inde refectio pararetur: quæ superessent, ipsis communiter diuidenda cederent. Famulos quoque, & eorum colonias ad necessaria Canonicorum seruitia deputauit, & eosdem Christi pauperes rerum suarum hæredes fieri destinauit. Harum vero summa rerum in xl. vel amplius mansos colligitur. Nonnullas etiam Episcopij villas, descriptis earum colonis, seruituique, ritè disposuit.

Res etiam quibus Episcopium auxit quasdam dato pretio comparauit, vt illam nomine Cartobran, in pago Tardonensi, à Gomnualdo, pro qua dedisse traditur auri solidos quingentos: & in villa, cui nomen Turba, mansos duos, à diuersis personis. Item portionem de villa, quæ dicitur Campaniaca, super fluuium Vidulam, ab * Hosonio, pro qua ded[illegible] reperitur in auro solidos cxl. Item à quadam [illegible]nsobrina sua, nomine Gilsinda, portionem de villa Bracaneto super fluuium Rotumnam, cum mancipiis, ædificiis, & omnibus ad ipsam possessionem pertinentibus. Item ab eadem Gilsinda partem quandam de villa Bobiliniaca supra fluuium Suippiam, cum domibus, mancipiis, pratis, campis, & cæteris ad eandem possessionem pertinentibus: pro quibus rebus in auro solidos centum inuenitur dedisse. Quasdam quoque res trans Ligerim non modico auri dato pondere reperitur emisse. Quædam quoque cum aliquibus personis inuenitur commutasse, pro partium scilicet opportunitate. A Dagoberto denique rege pręceptum immunitatis suę obtinuit ecclesiæ, suggerens eidem regi, qualiter ipsa ecclesia sub pręcedentibus Francorum regibus, à tempore domni Remigij & Clodouei regis, quem ipse baptizauit, ab omni functionum pu[illegible]carum iugo liberrima semper extiterit. Qui P[illegible]ætatus rex hoc beneficium confirmare vel innouare disponens, cum consilio procerum suorum statuit, ad p[illegible]ædecessorum formam regum, præcipiens vt omnes ipsius sanctæ Dei ecclesiæ res, tam in Campania, & in-

Dagobert

Gernicourt

Bouquenay

fra vrbem, vel suburbanis, quam in Austrasia, seu Neustria, vel Burgundia, seu partibus Massiliæ, in Rodonico etiam, Gaualitano, Aruernico, Turonico, Pictauico, Lemouicino, vel vbicumque infra regna eius ipsa Remensis Ecclesia, vel basilica beatissimi Remigii villas aut homines habere videbatur, sub integra immunitate omni tempore possent manere. Sic quoque vt nullus iudex publicus in ipsas terras auderet ingredi, vt mansiones intrando faceret, aut quælibet iudicia, vel xenia ibidem exigere vllatenus præsumeret: sed quodcunque à prædecessoribus suis regibus ecclesiæ Remensi vel basilicæ sancti Remigii fuerat concessum, cunctis diebus eadem ecclesia valeret habere conseruatum. Sed & à filio ipsius super huiusce auctoritatis corroboratione, & à cæteris sui temporis regibus, immunitatis, ac teloneorum remissionis præcepta ecclesiæ suæ studuit obtinere. Item Theoderici regis specialiter pro villa Calmiciaco, quam Grimoaldus vir illustris Ecclesiæ Remensi contulerat. Quarum adhuc regalium monimenta præceptionum in archiuo sanctæ huius Remensis conseruantur Ecclesiæ.

Hic venerabilis Præsul Pippinum Maiorem domus regiæ traditur amicissimum habuisse: cui eulogias pro benedictione crebro solebat mittere. Ad quem collocuturus, dum venisset aliquando, cœpit idem Princeps requirere, quid huic sancto patri gratum potuisset offerre. Morabatur autem tunc apud Gerniacam cortem, quam villam eidem oblatam, vbi gratam haberi beato Pontifici comperit, offert ei, vt quantum vellet in gyro acciperet, vel quantum circumiret, dum ille meridie quiesceret. Beatus itaque Rigobertus, exemplum beatissimi Remigii secutus, per fines qui manifestissimè parent, pergens, passim itineris sui limitem poni præcepit, vt litem discerneret auis. Cui regresso surgens Pippinus à somno, largitus est omnem quem circuitu suo concluserat locum. Ad indicium vero memorabile super hoc itineris sui vernantior omni tempore, quam in cæteris circa locis, visitur herba virere. Est & aliud non contemnendæ rei miraculum, quod procul dubio meritis ipsius constat eisdem rebus à Domino prærogatum. Siquidem postquam eius cessere dominio, fertur eas nunquam læsisse tempestas, nec cecidisse super illas grando: & cum in locis contiguis videbatur cadere, fines eorum non præsumit attingere.

Pippin' Herstal us, qui & Grossus.

Denique res istas, vel cætera quæ visus est obtinuisse, nullo mundanæ cupiditatis impetrauit obtentu: sed Ecclesiæ suæ in cunctis consulens vtilitatibus, illam constituit hæredem. Plures etiam rerum suarum participes fecit Ecclesias, vt variis chartarum documur instrumentis. Sub ipsius Episcopatu dedit Ado quidam Abbas ad ecclesiam sanctæ Mariæ Remensis res suas sitas in pago Laudunensi, in vico, qui dicitur * Rausidus, cum adiacentiis earum, domibus scilicet, colonis, campis, vineis, pratis, siluis, piscinis, aquis, aquarumve decursibus, & omnibus appendiciis. Item ad matriculam sancti Remigii res quasdam in pago Tardonensi in villa Corneciaco constitutas. Diuersæ quoque personæ in locis diuersis res suas pro animarum remedio Ecclesiæ Remensi sub hoc patre beatissimo tradiderunt, vt * Beroaldus & Saireberrus in monte Betelini, & Taxonariis domos, arua, mancipia, vineas, ac siluas: Gairefredus & Austreberta in pago Laudunensi, in villa Vvarocio, mansos cum terris adiacentibus, vineis, ac mancipiis. Abbo res suas sitas in pargo Portensi, villa Augusta. Landemarus in Camarciaco, in pago Remensi, mansos cum ædificiis, mancipiis, ruribus, vineis, siluis, pratis, & cæteris adiacentiis. Rodemarus res suas sitas in vico Castricensi. Item Austrebertus suas in eadem villa. Quarum adhuc exemplaria traditionum apud nos condita reseruantur.

r. j. Rasidus.

ms Heroaldus

De expulsione ipsius ab vrbe Remensi.

Cap. XII.

ORta denique simultate inter regem Chilpericum & Carolum præfati Pippini filium, Maioremque domus Ragemfridum, Carolus iste prope vrbem transiens Remorum, clamasse fertur ad beatum Rigobertum supra portam ciuitatis situm, vt ei iuberet eandem portam aperiri, quatenus ad ecclesiam sanctæ Dei genitricis oratum posset abire. Cui crebris in idipsum vocibus instanti respondisse vir Domini perhibetur, quod non illi eam prius aperiret, donec sciret quem finem lis cœpta perciperet. ne fortè vrbem sibi commissam ipsi diripiendam proderet, qui aliarum res nonnullas vrbium iam diripuisset. Ad hæc Carolus comminatus asseritur furibunde, quod si reuerteretur victor in pace, non vltra idem vir Dei tutus maneret in eadem ciuitate. Supra portam siquidem, quæ dicitur Basilicaris, vel quod basilicis in gyro sui dispositis abundauerit, vel quod euntibus ad basilicas in vico sancti Remigii sitas peruia fuerit, hic benedictus Domini consueuisse traditur commorari: quod apertis cœnaculi sui fenestris, loca sanctorum beati Remigii, cæterorumque orandi gratia solitus fuerat contemplari.

an. 7. 7. Sigeb. 7 8. Chilp. ij. Carolus Martel

Porta basilicaris.

Oratorium quoque super eandem portam construxerat in honore S. Michaëlis Archangeli, de quo in contiguam sancti Petri Ecclesiam descendere morem fecerat orationis amore. Quod oratorium non pauco tempore perseuerauit ibidem, donec Ludouicus Imperator idem sancti Petri monasterium Alpaidi filiæ suæ dedit. Cuius mulieris vir, nomine Bego, præfatum dirui iussit oratorium: quia scilicet quadam die caput in superliminari eiusdem ostioli grauiter elliserit, eo quod statura procerus fuerit, & erecto collo ambulauerit, nec ad introeundum seipsum humiliauerit: prætendens quod fenestram obnuberet ecclesiæ præ sui celsitudine. Quod tamen oratorium vt cœpit euerti, mox ille corripitur à dæmone, vt erat in pago Laudunensi, procul ab vrbe Remensi. Porro per huius portæ viam puluis & venti mixtim ferebantur, vnde & tenebræ vrbi videbantur illatæ: nec per eandem viam facile valebat quisquam incedere. Hoc autem oratorium modo reparatum & in præmemorato beati Michaëlis veneratur honore restitutum.

Prælatus itaque Carolus vt principatum bello adeptus est, hunc virum Domini Rigobertum patronum suum, qui (vt traditur) eum de lauacro sancto susceperat, Episcopatu deturbauit, & cuidam Miloni sola tonsura clerico, quod secum processerat ad bellum, dedit hoc Episcopium. Hic Carolus ex ancillæ stupro natus, vt in annalibus regum de eo legitur, cæteris qui ante se fuerant audacior regibus, non solum istum sed etiam alios Episcopatus regni Francorum laicis hominibus & comitibus dedit: ita vt Episcopis nihil potestatis in rebus Ecclesiarum permitteret. Verum quod contra hunc virum sanctum, & alias Ecclesias Christi perpetrauit malum, iusto iudicio Dominus refudit in caput eius. De quo Patrum scripta relatione traditur, quod sanctus Eucherius, cuius in monasterio sancti Trudonis humatum est corpus, Aurelianensium quondam Episcopus, dum in oratione positus, mente cœlestibus intenderet, ad alteram vitam raptus, inter cætera quæ Domino sibi velante conspexit, hunc Carolum in inferno inferiori torqueri vidit. Cui de hoc sciscitanti responsum est ab Angelo ductore suo, quod sanctorum iudicio, qui in futuro examine cum Domino iudicabunt, quorum res abstulit, sempiternis sit pœnis deputatus. Qui beatus Eucherius ad seculum reuersus, sancto Bonifacio, qui tunc Galliis, ad restituenda iura canonica, fuerat ab Apo-

r. j. qui.

stolica sede prælatus, & Fulrado Abbati monasterij S. Dionysij, & summo Capellano regis Pippini, hæc indicare studuit, dans in assertione, vt ad sepulchrum eius accedentes, si corpus ipsius inibi non reperierint, quæ de illo referebat, vera esse scirent. Quibus ad locum, vbi corpus eiusdem Caroli sepultum fuerat, venientibus, & sepulchrum ipsius aperientibus, subito visus est serpens egressus: & totum illud sepulchrum vacuum repertum interius, sicque denigratum, ac si fuisset flammis exustum. De præfato denique Milone Zacharias Papa Romanus, prænouato sancto Bonifacio inter cætera, quæ ad eum mandata dixerit, ita scribit: *De Milone autem, & eiusmodi similibus, qui Ecclesiis Dei plurimum nocent, vt à tali nefario opere recedant, iuxta Apostoli vocem opportune, inopportune prædica. Si acquieuerint admonitionibus tuis, saluabunt animas suas: sin vero, ipsi peribunt obuoluti in peccatis suis, tu autem, qui recte prædicas, non perdes mercedem tuam.*

Pippin rex fili Carol Martel.

Zacar. cap. 12. 2 Tim. 4.

Cæterum sanctus Domini Rigobertus, dominicis obtemperando præceptis, quibus iubetur sub persecutione de ciuitate in ciuitatem fugere, secessit in Vasconiam. Ibi exulando, dum multorum sanctorum seruorere memorias Sanctorum lustraret, quandam ingressus basilicam, donec insistit orationibus, campanæ pulsantur ex more, ibidemque duo pulsata signa sonitum nullum reperiuntur dedisse. Tunc sacerdos & alii circunstantes sollicite perscrutantur, quis sit, & vnde aduenerit. Ille se profitetur clericum, & de Francia profectum. Adijcientes illi, super nouæ rei suscitantur euentum: cur scilicet impulsa eorum consuete non resonent signa. At ille duo pandit sibi de quadam Ecclesia sua furtim ablata, arbitratique se, ne forte sint ea. Quibus sibi ostensis, vt asserit sua fuisse, experimenti gratia rogatur pulsare illa. Ad cuius impulsum his altisone reboantibus, vera dixisse comprobatur. Ita cunctis super huiuscemodi facto stupentibus, suæ sibi nolæ redduntur: & ipse tam admiratione quam veneratione dignus habetur, quæ postmodum in Franciam relatæ, & Ecclesiæ Germaniacæ cortis sunt restitutæ.

Matt. 10.

Fertur hunc virum Dei præfatus Milo (cui Episcopium Remense datum fuerat à Carolo) functus legatione apud Vascones iri hac regione repertisse, eique vt in Franciam reuerteretur suasisse, suumque sibi tedhibendum Episcopum spopondisse. Qui regressus petitur à Milone, vt res quas Ecclesiæ iam delegauerat, in ius proprium sibi traderet. Quod eo nullateous assentiente, & Milone se de pollicitatione mutante alrare tantum vir Dei sibi rogat concedi sanctæ Dei genitricis Mariæ, vt scilicet in eo missas sibi liceat celebrare. Quo demum obtento, habitauit in Germaniaca corte tempore non panco, vitam in humilitate, parcitate, vigiliis, orationibus, & elemosynis, cæterorumque bonorum operum exhibitionibus agens. Morisque fuit ei, ciuitatem Remorum frequenter inuisere, & in ara beatæ Mariæ missas, vt optauerat, celebrare. Tum per Ecclesiam sancti Mauritij ad sanctum Remigium orandi gratia pergere. Inde sancti Theoderici monasterium visitare, ac per Ecclesiam sancti Cyrici de Culmisciaco ad sanctum Petrum in Germaniacam cortem redire.

De miraculis in vita ipsius ostensis.

Cap. XIII.

Contigit itaque quondam, dum ad sanctum Cyricum oratum venisset in Culmisciacum, locutum enim cum Oeconomo Remensis Ecclesiæ qui aderat: rogatusque ad prandium, recusauit, vtpote missas acturus ad sanctum Petrum. Interea mulier quædam anserem attulit Vicedomino, quem ille offerens Episcopo, petit vt iubeat recipi, secumque deferri. Quem puer viri Dei suscipiens ferebat, cum subito de manibus eius euadens auolauit, spemque resumendi puero abstulit. At pater sanctus puerum vehementer anxiatum conspiciens, blande, seu vir mitissimus, consolatur, docens de temporalium amissione rerum nequaquam flendum vel contristandum; quin immo semper in Domino, qui dat omnibus affluenter, sperandum. Et ecce post aliquod spacium, auis vltro reuolans, ad tetrarcam sancto Præsule descendit, eumque quasi prædux præiens, nusquam à tramite deuiat, donec ad Germacam cortem quo ibant, peruenit. Quam vir Domini non passus occidi, præuiam habebat itineris. Fertur enim ante se cursitare solita, dum ciuitatem adibat. Huius beati Præsulis Adrianus, sedis Apostolicæ Pontifex, meminit in epistola sua Tilpino, post Episcopo Remensi directa, in qua & querimoniam facit super eo, scribens in hunc modum: *Tua fraternitas nobis retulit, quia faciente discordia inter Francos, Archiepiscopus Remensis, nomine Rigobertus, à sede contra canones deiectus & expulsus fuit, sine vllo crimine, & sine vllo Episcoporum iudicio, & sine illo Apostolicæ sedis consensu, vel interrogatione: sed solummodo quod antea non consensit in* * *parte illius qui postea partem illam de illo regno in sua potestate accepit, in qua parte Remensis ciuitas est* * *& donatus, atque magis vsurpatus contra Deum & eius auctoritatem fuit ille Episcopatus, simul cum alio Episcopatu, & aliis Ecclesiis, secularibus potestatibus Miloni cuidam, sola tonsura clerico, nihil sapienti de ordine Ecclesiastico, & alii Episcopatus de ipsa Remensi diœcesi diuerso modo essent dimissi, & aliqui ex magna parte sine Episcopo consistentes, & ad alias metropolitanos Episcopo & clerico ordinationes aliquando accipientes erant, & refugia indebita habebant, & a suo Episcopo iudicari & distringi non sustinebant, & clerici, & sacerdotes, & monachi, & sanctimoniales sine lege Ecclesiastica pro voluntate & licentia viuebant, &c.*

Iac. 1.

Adr. 1 Epist. ...

or parte ...

De obitu & sepultura ipsius.

Cap. XIV.

Hic denique beatus Præsul Rigobertus actibus egregiis, magnisque virtutibus pollens, annos plures in hac exegit conuersatione, consummataque vitilitet præsentis vitæ militia, decessit pridie Nonas Ianuarii. Humatus est autem venerabiliter à sacerdotibus in præfata villa, in qua morari solebat, in Ecclesia sancti Petri, ad Australem plagam altaris. Qui multis hic post sanctam depositionem suam refulgens miraculis, quanti sit apud Deum meriti, patenter innotuit: quæ tamen mira ob curiam, vel scriptorum raritatem, non fuere descripta.

Tres siquidem claudi ab incolis einsdem loci memorantur inibi fuisse curati. Cuius redhibitæ sanitatis indicia bacilli videlicet ac scabella, in eadem Ecclesia diu sunt reseruata donec exinde beata eius sunt pignora translata. Quædam quoque mulier cæca, nomine * Ansildis, ipsius loci habitatrix, ibi pristinum meritis huius patrocinantibus lumen recepit oculorum. Puer quidem, scholaribus apud loci presbyterum studiis deditus, lasciue quondam ludendo supra tumulum eius subsilire cœpit, non dans honorem Deo, neque sancto ipsius ibidem sepulto. Sed vt sepulti meritum panderetur, & huiusmodi præsumptio cohiberetur, continuo pes illius indoluit: moxque claudus effectus, officium pedis vnius amisit. Quo comperto, presbyter cancellos inibi circa tumbam, ne quis ignarus simile quid pateretur, fieri procurauit. In eadem basilica voces tantæ dulcedinis post eius sepulturam sæpius auditæ narrantur, vt non nisi Angelicæ comprobentur. Lux quoque tantæ claritatis mediis inibi noctibus emicuit, vt solis fulgorem vi ille videretur, quæ magno etiam quondam iubare, facer-

doris contiguam penetrauit ædiculam. Quo viso tantus timor inuasit presbyterum, vt ab inde maiorem huic loco venerationem exhiberet, quam antea solitus fuerit. Ad hoc viri Dei sepulchrum diuersis ab ægritudinibus multi curantur infirmi. Frigoritici quidam cum fide venientes, candelam in votis offerunt, & abrasum sepulchri puluerem sumunt, quem aquæ mixtum bibunt, & sanitatem huius sancti meritis adipiscuntur. Dentium vero doloribus cruciati hunc debita cum veneratione tumulum deosculantur, & ita curari merentur.

De translatione corporis eiusdem.

Cap. XV.

ITaque dum in hoc loco hic inclytus Domini Confessor pluribus clarificatus signis teneretur, domnus Præsul Remensis Hincmarus hunc eum transtulit, & ad cœnobium sancti Theoderici detulit, ac secus ipsius beati viri tumbam posuit. Vbi dum aliquot annis veneratur, plura per eum Dominus mira patrare dignatus est. Multi siquidem febribus vexati, vel dolore dentium fatigati, eius hic quoque cum fide petentes auxilium, diuinum gaudii sunt adepti remedium. Ex quibus mulier quædam, nomine Audinga, de quadam proxima monasterio villa, nomine Colmelecta, febribus attrita, hæc apud se super recuperanda sibi sanitate fecisse traditur experimenta. Tres enim candelas vnius fecit quantitatis, quarum vnam nomine sancti Theoderici, alteram sancti Theodulfi, tertiam sancti Rigoberti constituit: quas simul accedens, quæ superaret ardendo, probare disposuit. Quo facto, dum superdurat flagrando quæ beati fuerat nomine Rigoberti, mulier id te putans Deo placitum, eidem Sancto fieri votum suum instituit. Continuo aliam instantans candelam, huius almi viri duntaxat venerationi dicatam, veniensque ad locum designatum, munusculum obtulit: & ante quæsita sancti Dei pignora post orationem dormiuit, euigilansque desideratam se sospitatem recepisse probauit.

Post annos nouem huius beati Præsulis ossa Remorum perferuntur in vrbem, & in basilica S. Dionysii honore dicata locantur, vbi Canonicorum sepultura Remensium tunc habebatur. Erat tunc quædam mulier cæca, in villa, quam vocant Alamannorum cortem, quæ dormiens audiuit in somnis vocem dicentem sibi: Quid hic facis? cur iaces? Crastina die Pontifex Hincmarus & Canonici Remenses sanctum transferent Rigobertum: Vade ad illum, & ille te adiuuabit. At illa diluculo consurgens acceleranit, candelam secum deferens, aduenire. Quæ mox ad loculum beati pignoris accessit, lumen olim amissum recipere meruit. Surdus etiam quidam translationis huius æque die veniens, vt locellum sacri corporis baiulum tetigit, auditum statim recepit, qui tali quoque modo se retulit accepisse. Noctu siquidem in diuersorio quiescentem persona quædam incognita leuiter huic iolatere percussit & excitauit, excitatumque vocauit. Sensit ille tangentem, sed non audiuit, vtpote surdus, vocantem. Audierunt tamen qui secum aderant in domo vocem ad sanctum Rigobertum ire quantocyus eum admonentem, licet viderint neminem. Qui confestim abijt, & salutem diu desideratam inuenit.

Huius beati Patris membra veneranda, quoniam Ecclesia prænotata necessitate muri ciuitatis, ob infestationem paganorum construendi, euertebatur, Fulco Præsul vrbi postmodum intulit, & in medio Ecclesiæ beatæ Dei genitricis Mariæ post altare sanctæ crucis collocauit: vbi plures etiam cum fide accedentes optatam reperere medelam. His fere diebus monachus quidam cœnobij beatissimi Remigii, nomine Sigloardus, validissima febre correptus, impos quoque mentis effici videbatur. Qui dum quadam nocte cubitum pertexisset, vocatus tamen, & quiescere nullatenus sinceretus, arctatus vndique, beatum Rigobertum auxilium sibi ferre clamans, inuocat, & optatam pronnus sanitatem recupetat.

Post aliquantum temporis deferuntur huius sancti viri pignora in pagum Veromandensem ad villam Nemincum, quam Odalricus comes, Ecclesiæ Remensi tunc temporis contulerat, & Fulco Præsul Canonicorum victui deputarat, vbi quidam commanebat in proximo presbyter, nomine Signous, qui magno cruciabatur dentium dolore. Hic audiens hęc pretiosa illuc delata membra, quoniam victus ægritudine impediebatur adire, candelam illo studuit transmittere. Ac licet absens corpore, precibus tamen & lachrymis sanctum Domini Rigobertum non distulit exorare, quatious per ipsius interuentum medelam mereretur accipere. Qui mox vt munusculum eius ad sancti loculum peruenit, medicum cœlestem sibi adesse, recepta sanitate, sentire promeruit. Et confestim ad locum sacri medicatoris profectus est, totumque se in lachrymis ante ipsius effundens memoriam, gratias retulit, & quanta sibi per huius inuocationem patris fecerit Dominus, indicauit. Nec longum post hæc vbi Remorum sacra membra reuocantur, & Ecclesia sancti Dionysii extra murum ciuitatis Canonicorum Remensium studio sumptibusque restructa, ibidem cum beati Theodulfi pignoribus honorifice venerantur illata.

De Abel eius successore.

Cap. XVI.

BEatum Rigobertum secutus Abel in Episcopatus ordine reperitur, quamuis eum quidam Coepiscopum tantum fuisse tradant. Pontificem tamen illum extitisse diuersis inuenimus assertionibus, & maxime in epistolis Zachariæ Papæ ad sanctum Bonifacium directis: in quarum vna commemorat, indicasse prædictum beatum Bonifacium suis literis inter cætera, quod tres Episcopos per singulas Metropolitanas vrbes ordinasset, id est Grimonem in ciuitate quæ dicitur Rodumus: secundum vero Abel, in ciuitate quæ dicitur Remorum, tertium denique Hartbertum in ciuitate quæ dicitur Senonis. *Qui & apud nos*, inquiens, *fuit, & tuanobis pariter, & Carlomanus atque Pippini detulit scripta, per qua suggessisti, vt tria pallia iisdem tribus pranominatis Metropolitanis dirigere deberemus, quod & largiti summo praordinatione & reformatione Ecclesiarum Dei.* Item in alia ipsius ad eundem epistola. *De Episcopis vero Metropol tanis, id est Grimone, quem nos iam compertum habemus. Abel, siue Hartberto, quos per vnamquamque Metropolim per prouincias constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus, & pallia dirigimus ad eorum firmam stabilitatem, & Ecclesia Dei augmentum, vt ita meliori proficiat statu. Qualiter enim mos pallii sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hic qui pallii vti licentia conceduntur, tu direximus, informantes eos, vt sciat quod sit pallei vsus, & subiectis viam prædicare salutis, vt Ecclesiastica disciplina in Ecclesiis eorum in mutilate seruetur, & maneat inconcussa: & sacerdotium, quod in eis fuerit non pollutum, vt antea fuit, sed mundum, & acceptum Deo esse possit, quantum humana conditione valet: ita vt, nullus reperiri possit sacris deuiare canonibus, & sacrificium mundum eorum ab eis immoletur: ita vt Deus in eorum placetur muneribus, & populus Dei pur ficatis mentibus ex omni squalore sincerum exhibere valeant Christiana religionis officium.* Sed & quædam chartæ ipsius Episcopi reperiuntur nomine titulatæ.

De quo etiam præfatus Adrianus Papa in præmemorata epistola ad Tilpinum Archiepiscopum, post

Marginal notes: A; B; C; D; 4 translatio.; 2. translatio.; Aumeia court.; 1. leniter.; 3. translatio.; Zachar. ep. 65. tom 3 Concil.; Zacha. ep. 7. al. 4.; 1. etiam; in mutilate quid. al. ms. conditione; Adrian. 1 vbi sup. c. 15

illa quæ superius præmissa sunt, ita subinfert. *Sanctæ memoriæ Bonifacius Archiepiscopus & Legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præfatus amabilissimus Fulradus Franciæ Archipresbyter, tempore antecessorum nostrorum Zachariæ & Stephani successores illius, multum laborauerunt, vt bonæ memoriæ prædecessor noster domnus Zacharias pallium Archiepiscopo Remensi, Abel nomine, per deprecationem supra scripti Bonifacii transmitteret,* ° *quod ab illo constitutum fuit, sed ibi permanere permissus non fuit, sed magis contra Deum erectus est & Remensis Ecclesia per multa tempora, & per multos annos sine Episcopo fuit, & res Ecclesiæ de illo Episcopatu ablatæ sunt, & per laicos diuisæ sunt, sicut & de aliis Episcopatibus, maxime autem de Remensi Metropolitana ciuitate.*

Steph. 3. Zachar. 3. qui.

De Tilpino Episcopo.

Cap. XVII.

PRæmissos in Episcopatu sequitur Tilpinus, ex Monasterio sancti Dionysij assumptus, cui magnus Karolus ab Adriano Papa impetrasse pallium reperitur, sicut eiusdem Papæ, ad ipsum directa pandit epistola, quæ ita incipit.

Nõ extat inter eius epist.

ADRIANVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei Reuerendissimo & Sanctissimo confratri nostro Tilpino Ecclesiæ Remensis Archiepiscopo.

QVia ad petitionem spiritalis filii nostri & gloriosi Regis Francorum Karoli, præbente tibi bonum testimonium de sanctitate & doctrina Fulrando amabilissimo Abbate, Franciæ Archipresbytero, pallium secundum consuetudinem tibi transmisissemus, cum priuilegio vt Metropolis Ecclesia Remensis in suo statu maneret, ° *bene memoramus*: & post aliquanta, quæ de sancto Rigoberto, & Abel superius iam præmissa sunt, cum de rebus Ecclesiæ Remensis ablatis loqueretur: *Et tua*, inquit, *fraternitas iam ex magna parte ipsas res apud gloriosum filium nostrum Karolum, & ante ad Carlomannum fratrem eius impetratas habes, & ordinem ex aliqua parte, & in episcopio, & in aliis secundum Canonicam & sanctæ sedis Romanæ auctoritatem directum habes: propterea petisti à nobis, tibi & ecclesiæ tuæ fieri priuilegium ex auctoritate B. Petri principis Apostolorum & S. sedis Romanæ, ac nostra, vt quod perfectum habes in ante valeat permanere, & quod adhuc perfectum non habes, per nostram auctoritatem possis, auxiliante Deo, & B. Petro Apostolo ad perfectionem perducere. Ideo quo & nos ardenti animo, & diuino iuuamine Apostolica fulti auctoritate, non solum vetera, secundum sacros Canones, & Apostolicæ huius sanctæ sedis decreta statuimus, sed & noua tibi pro tuo bono studio concedimus, atque auctoritate B. Petri Principis Apostolorum, cui data est à Deo & Saluatore nostro Iesu Christo ligandi, soluendique potestas peccata hominum in cælo & in terra, confirmamus atque solidamus, Remensem ecclesiam sicut & antiquitus fuit, Metropolim permansurã, & primam suæ diœceseos sedem esse, & te qui in eadem sede, cooperante Deo, ordinatus es, primatem ipsius Diœcesis esse, cum omnibus ciuitatibus quæ ab antiquo tempore Remensi Metropoli ecclesiæ subiectæ fuerunt, atque etiam perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis sit confirmatum. Et hoc interdicentes, vt nullus audeat iuxta sanctorum Canonum traditionem, ex alio episcopatu ibidem translatare, aut constituere episcopum post tuam de hoc sæculo euocationem. Neque aliquis tuas parrochias, aut ecclesias, vel ciuitates subtrahere, neque Diœcesim Remensem vllo vnquam tempore diuidere, sed integra maneat, sicut antiquitus fuit, & sacri Canones & prædecessorum nostrorum firmauit, & nostra firmat auctoritas. Et te, aut futuris temporibus Remensem episcopum, & primatem illius Diœcesis, non præsumat, neque valeat vnquam aliquis de episcopatu deiicere sine canonico iudicio, & neque in* ° *illo iudicio sine consensu Romani Pontificis, si ad hanc sanctam sedem Romanam, quæ caput esse dignoscitur orbis terræ, appellauerit in ipso iudicio. Sed in sola subiectione Romani Pontificis permanens, Diœcesim & parrochiam Remensem, adiuuante Domino, & nostra atque B. Petri fultus ex ista sancta sede auctoritate, secundum sanctos Canones, & huius sanctæ sedis præceptiones, tibi subiectos ita certe & studeas gubernare, vt illam desiderabilem vocem Domini nostri Iesu Christi valeas cum electis eius audire: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã, intra in gaudium Domini tui. Et quod ad nostram notitiam perduxisti, quia ad alios episcopos de ipsa Diœcesi Remensi quidam accipiebant ordinationes, & habebant indebita refugia, & hoc per omnia prohibemus, sed sicut sacra docet auctoritas, & in Synodos comprouincialibus conuocandis & faciendis, & in ordinationibus, ac diiudicationibus, Remensis ecclesia, & Archiepiscopus, qui in ea constitutus fuerit, talem habeat auctoritatem, sicut sacri Canones, & huius sanctæ ecclesiæ constitutiones docent. Et nullus per vllum vnquam tempus tibi, vel Remensi ecclesiæ, de rebus ad illam debite pertinentibus diuisionem vel violentiam, sicut antea factum fuit, facere præsumat. Nam si (quod non credimus) quis ille fuerit, qui contra hanc nostram præceptionem temerario ausu venire tentauerit, nisi se cito, & maxime post commonitionem correxerit, sciat se æterno Dei iudicio anathematis vinculo esse innodatum. Si quis vero Apostolica seruauerit præcepta, & normam rectæ & orthodoxæ fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam consequatur. Hæc à nobis diffinita per huius nostræ confirmationis paginam, in tua ecclesia perpetuis temporibus pro sua confirmatione conseruanda esse mandamus. Iniungimus etiam fraternitati tuæ, vt quia de ordinatione episcopi nomine Lul. sanctæ Moguntinæ ecclesiæ ad nos quædam peruenerunt, assumptis tecum Visomago & Possessore Episcopis, & missis gloriosi ac spiritalis filii nostri Karoli Francorum Regis, diligenter inquiras omnia de eius ordinatione, & fidem ac doctrinam illius atque eius ordinationem & mores ac vitam inuestiges: vt si aptus fuerit & dignus ad Episcopalem cathedram gubernandam expositam & conscriptam, & manu sua propria subscriptam catholicam & orthodoxam fidem per missos suos cum litteris ac testimonio tuo, seu aliorum Episcoporum, quos tecum esse mandauimus, ad nos dirigat, vt pallium illi secundum consuetudinem transmittamus, & ordinationem illius primam iudicemus, & in eadem sancta ecclesia Moguntina Archiepiscopum constitutum esse faciamus. Bene vale.*

ms. i omit. &c.

Mat. 26 Ioan. 21

ms. h. vllo.

Matt. 25

Qui Præsul res Ecclesiæ diuersa per loca direptas, tam per se apud regiam maiestatem, quam per auctores Ecclesiæ, diuersos apud iudices legibus obtinuit, & Ecclesiastico iuri restituit: maximeque per quendam Achabbum, qui tam in Francia, quam etiam trãs Ligerim pro rebus Ecclesiæ reuocandis operose laborauit, & tam prædia, quam mancipia multa legibus euindicata Ecclesiæ reformauit. Possessionibus quoque vel mancipiis à quibusdam dato pretio coemptis, res auxisse Præsul iste reperitur Ecclesiæ: nonnullarum quoque iura villarum dispositis ordinasse colonis. Sed & sacrarum codicibus scripturarum, quibus adhuc aliquibus quoque vtimur, hanc instruxit Ecclesiam. In cœnobio denique sancti Remigij monachos ordinasse, ac monastica vita eos tradidit instituisse, cum canonicos prius idem cœnobium à tempore Gibehardi Abbatis, qui eandem congregationem, ob amorem Dei & sancti Remigii repetitur aggregasse, ad hoc vsque tempus habuisse feratur. Immunitatis denique præceptum à Carlomanno rege filio Pippini, primo mox regni eiusdem anno, Ecclesiæ Remensi obtinuit, ad exemplar immunitatum, quas ipsius prædecessores reges huic contulerant Ecclesiæ: quarum ostendere quoque curauit ei monimenta: vt nullus scilicet iudex publicus in huius Ecclesiæ terras auderet ingredi ad mansiones parandum,

monast. Re...

vel qualibet iudicia facere, aut penitus xenia inibi requirere. Sed quæcunque antecessores eius idem concesserant Ecclesiæ, perpetualiter habere valeret indulta. Postea quoque aliam eiusdem regis de omnium teloneorum remissione impetrauit præceptionem. Item aliam de ponte Baisonensi. Item de chartis concrematis, quarum tunc temporis per negligentiam acciderat exustio, vt res & facultates Ecclesiæ, quas eo tempore possidebat, ita permanerent absque diminutione confirmatæ ipsi Ecclesiæ per regiam eius auctoritatem. Item de militibus, qui in villa Iuuiniaco residentes erant super terram sanctæ Mariæ, & sancti Remigii, concessa, remissaque ipsis omni quam debebant exactione militiæ. Item aliud de his qui in Cruciniaco, Curba villa, vel in omni pago Tardonensi infra terram Remensis Ecclesiæ residebant. Dedit etiam idem Carlomanus rex sub hoc Pontifice per chartarum instrumenta, pro loco sepulturæ vel remedio animæ suæ, villam Nouiliacum in pago Vrtinse sitam, cum omnibus terminis vel aspicientiis suis, omnique integritate, ad basilicam vel monasterium sancti Remigii vbi sepulturam quoq; habere dignoscitur. Cuius germanus Carolus Imperator magnus huic Præsuli Tilpino pallium per Legatos & litteras suas obtinuit ab Adriano Papa, sicut in eiusdem Papæ litteris ad ipsum regem super hac ipsius petitione directis, continetur. Immunitatis quoq; præceptum ab hoc etiam rege, iuxta præcedentium exemplaria regum, Remensi Ecclesiæ idem Præsul impetrauit. Item aliud præceptum de militibus pagi Tardonensis, iuxta cessionem germani sui Carlomanni regis. Item de chartis concrematis. Item de confirmatione traditionis præfati germani sui regis, qua Nouilliacum & Bebriacum villas idem rex ad basilicam sancti Remigii condonauit. Præterea multi sub huius Præsulis Episcopatu res suas ad Ecclesiam Remensem, tam sanctæ Mariæ, quam sancto Remigio, contulerunt. Qui Præsul defunctus est anno sui Episcopatus XL.VII. cuius corpus ad pedes sancti Remigii tumulatum, huiusmodi cernitur habere titulum.

Hac requiescit humo Tulpinus Præsul honoris.
Viuere cui Christus vita & obire fuit.
Hunc Remis populo martyr Dionysius almus
Pastorem vigilem misit, & esse patrem.
Quem pascens quadragenis est amplius annis.
Veste senectutis despoliatus abit.
Quartas cum Nonas mensis September haberet,
Mortua quando fuit mors sibi vita manet.
Et quoniam locus atque gradus hos iunxerat, Hincmar
Hunc fecit tumulum, composuit titulum.

De Vulsario Episcopo.

Cap. XVIII.

Tilpinum sequitur Vulfarius, qui ab Imperatore præfato magno Karolo Missus dominicus ad recta iudicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutus super totam Campaniam: in his quoque pagis, Dolomense scilicet, Vongense, Castricense, Stadonense, Catalaunense, * Otmense, Laodonense, Vadense, Portiano Tardunense, Suessionense, sicut & alii quidam sapientes & Deum timentes habebantur Abbates per omnem Galliam & Germaniā à præfato Imperatore delegati, quo diligenter inquirerent, qualiter Episcopi, Abbates, Comites, & Abbatissæ, per singulos pagos agerent, qualem concordiam & amicitiam adinuicem tenerent, & vt bonos & idoneos Vicedominos & Aduocatos haberent, & vndecunque necesse fuisset, tam regias, quam Ecclesiarum Dei iustitias, viduarum quoque & orphanorum, sed & cæterorum hominum inquirerent, & perficerent,

al. Ornecose.

& quodcunque emendandum esset emendare studerent, in quantum melius potuissent, & quod emendare per se nequiuissent, in præsentiam Imperatoris adduci facerent, & de his omnibus eidem principi fideliter renunciare studerent. Residens igitur præfatus vir illustris Vulfarius ad iniuncta sibi definienda iudicia, cum quibusdam Comitibus in mallis publicis, iam quoque vocatus Episcopus, adhuc etiam antequam ordinaretur, res quasdam Remensi Ecclesiæ, sed & mancipia nonnulla, vel colonos reimpetrasse, ac legibus per Ecclesiæ aduocatos euindicasse reperitur. Necnon etiam postquam Præsul ordinatus est, plura inuenitur Ecclesiæ conquisisse, & res & colonos, tam apud regiam maiestatem, quam apud Colonos & iudices publicos, nec solum per auctores Ecclesiæ, sed etiam quando per sui præsentiam. Cui valde credidisse Carolus Imperator magnus ex comprobatur, quod illustres Saxonum obsides XV. quos adduxit de Saxonia, ipsius fidei custodiendos commisit.

Hic Synodum inuenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCC. XIV. in Ecclesia Nouiomensi, regnante Ludouico filio Caroli, congregatis secum coëpiscopis suis Hildoardo, Ermenone, Iesse, Ragumberto, Grimholdo, Rothardo, Vvendilmaro, Ostroaldo, & Chorepiscopis Vvaltario, Speruo, necnon & Abbatibus Adalbardo, Nantario, Fultado, Ericho, Hilderico, Remigio, Ebbone, Sigbaldo, cum cætero clero, Presbyteris & Diaconibus: conuocatis etiam Comitibus Gunthardo, Rotfrido, Gisleberto, Otoero. His omnibus residentibus; sententia ventilata est inter Vvendilmarum & Rothardum Episcopos de terminis parrochiarum suarum, & requisitum ac definitum est, quod hæc loca trans fluuium Isaram in pago Nouiomensi pertinere deberent ad parrochiam Ecclesiæ Nouiomensis, id est, Varinę, Vrbs campus, Trapiacus, Ierusalem, Harbaudianisua siue Ecclesia sancti Leodegarii, cum reliquis villis ad has Ecclesias conuenientibus. Cætera vero loca trans supradictum fluuium, in prędicto pago, omnia pertinere deberent ad parrochiam Ecclesię Suessionicæ. Hæc diligentissime inuestigata consenserunt supra scripti Episcopi, & Chorepiscopi, Abbates, Presbyteri, & Diaconi, & pars Ecclesiæ Nouiomensis, clerici & laici: & pars Ecclesiæ Suessionicæ, similiter clerici & laici & vno animo vnoq; consensu confirmare decreuerunt. Nec suæ tantum Diœcescos, quinetiam Treuericę vrbs Archiepiscopum Amalarium, cum Adalmaro ipsius Coëpiscopo, & Herilando, iussione Imperatoris magni Caroli, ab eodem scilicet Vulfario Metropolitano conuocatum ad ordinationem Episcopalem cuiusdam Frotharii præfatæ Treuerensis Ecclesiæ Presbyteri, eidem paruisse reperimus. Hoc etiam Vulfario Præsule ordinante, congregatum reperitur Remis ab Imperatore Carolo magno Concilium plurimorum patrum, in quo constituta xliiij. leguntur capitula, in quibus de fidei ratione, atque Dei Ecclesiæ honore, rectorumque ipsius ac ministrorum dispositione, Regisque fidelitate, atque totius regni vtilitate tractatum est.

Ludouic. Pius.

Oyse.

Quasdam præterea villas Ecclesiæ Remensis, rite distributis atque descriptis ordinauit colonis. Sed & res Ecclesię aliquas, mancipiaque, cum personis quibusdam pro partium commutauit opportunitate. De thesauris etiam sanctæ Mariæ, ac Sancti Remigii nonnulla cum testimonio virorum illustrium, tam clericorum quam laicorum * mutauit, & ornamenta vel vasa ecclesiastica exinde, prout dignum sibi visum fuit, fabricari fecit. Eundi denique Romam causa orationis ad Sanctum Petrum licentiam ab Imperatore se accepisse in quadam sua designat epistola; sed vtrum ierit, certum non habemus. Reditus autem villarum quarumdam Ecclesiæ in eleemosyna probabiliter, pro

al. mutuauit.

sui corporis & animæ salute, distriburi, quibusdam adhuc descriptionibus tunc factis leguntur. in quibus inueniuntur inter Termidum, Grandem pratum, Vindicum, * Furusllam, * Gramadum, Pidum, (adeuellum, & Cortem Magnaldi, in distributione eleemosynæ de annona modii M. DCCCC. LXXV. De animalibus inter maiora & minora capita * CLXVIII. Item inter villas Fagum, siue Boleticum, & alias quasdam annonæ modij M. LII. vini mod. LXIV. salis modii v. cum diuersis animalibus, & alijs varijs rebus expensa. Ad opus quoque fratrum Orbacensis cœnobii quantum sufficeret eis. Vnde datur intelligi, in maioribus quoque locis multa tunc plura fuisse dissipata. Immunitatis quoque præceptum ab Imperatore Ludouico, secuodum præceptionem Caroli Augusti patris ipsins, Ecclesiæ Remensi, monasterioque sancti Remigii obtinuir.

al. Furnillam, Granagum.

al. clxvij

De Ebone Præsule.

Cap. XIX.

HVic successit Ebo, vir industrius & liberalibus disciplinis eruditus, patria Transrhenensis ac Germanicus, Imperatoris, vt fertur, Ludouuici collactaneus, & conscholasticus, qui mulns Ecclesiam curauit instruere commodis, & præcipue artificibus: quibus vndecunque collectis sedes dedit, & beneficiis munerauit. Mancipia vel colooos quosdam Ecclesiæ desertores tam per seipsum, quam per Radulphum Vicedomioum & Ecclesiæ Aduocatum. apud iudices publicos legibus euindicatos & obtentos, Ecclesiastico iuri restituit. Qoasdam qooqoe res Ecclesiæ, atq; mancipia, cum aliquibus personis pro partium commoditate commutauit. Sed temporalia super eiusdem commutationibus præcepta obtinuit. Ab Imperatore quoque Ludouico literas ad Robertum Comitem pro Ecclesiasticarum rerum defensione, (quas quidam peruadere moliebantur) impetrauit. Colonias vero nonnullas Ecclesiæ, descriptis per strenuos viros colonis, eorumque seruitiis, ordinauit.

Archiuum Ecclesiæ tutissimis ædificiis, cum crypta in honore sancti Petri, omniumqoe Apostolorum, Martyrum, Confessorum, ac Virginum dedicata, vbi Deo propino deseruire videmur, opere decenti construxit: vbi multorum tam Apostolicorum, quam cæterorum Sanctorum condita pignora reseruantur. In qua ooonullæ illustrationes ostensæ noscuntur. Vidi siquidem nutritoris mei Gundacri, in prospectu ipsius Ecclesiæ commanentis, seruom, dum temere prope fenestram huius cryptæ accessisset mingere, terribili quadam quasi armati cuiusdam viri visione ita deterritum, vt putaretur amittere sensum. Sed & Rohingum quemdam, huius loci diaconum, à simili præsumptione pari ferunt visione cohibitum. Vnde cautum deinceps ac prohibitum, ne quis talem præsumere gestiat ausum.

Huius Ecclesiæ pinnaculum talem . videtur præmonstrare titulum, personis etiam vel imaginibus Stephani Papæ, ac Ludouici Imperatoris insignitum.

Ludouicus Cæsar factus coronante Stephano
Hac in sede, Papa magno, tunc & Ebo Pontifex
Fundamenta renouauit cuncta loci istius,
Vrbis cura sibi subdens, Præsul auxit omnia.

Matris eiusdem Ebonis huiusmodi habetur epitaphium.

Mea forte si requiris temporis initia.
Scito Caroli fuisse regni sub primordia:
Ludouico triumphante dies finxit vltima.
Rhenus primos lauit mores, alueus Germanicus.
Hinc nutriuit & secundos Liger amnis Gallicus.
Sequana fouit iuuentam, sordes sordens Pidula.
Præsul erat vrbis huius mihi natus vnicus,
Idem me conduxit sibi sociam laboribus,
Proximum ruinæ locum renouandi cupidus,
Decem ferme nuper annos simul hic peregimus.
Ebo rector, ego mater Himiltrudis humilis,
Fundamenta sedis sanctæ pariter erexemus,
Deo debitum laborem dum gerebat Pontifex,
Fessa quietem quærebam: ecce sub hoc tumulo
Quinto me September mensis Kalendarum rapuit.
O viator, esto cautus semper ab excessibus.
Fateor non profuisse vt debui, dum potui:
Veniam dic pro vindicta da Deus peccantibus.

Huius Præsulis hortatu Alitgarius Camaracensis Episcopus sex libellos de remediis peccatorum, & ordine vel iudiciis pœnitentiæ conscripsit. Ad quem talis eius extat epistola.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO Fratri ac Filio Halitgario Episcopo Ebo indignus Episcopus salutem.

NOn dubito tuæ idnotum esse charitati, quanta mihi Ecclesiastica disciplina, quantisque nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundialium oppressionibus, quibus quotidie agitamur, cura constringat. Ideo, vt tecum contuli, ex patrum dictis, canonumque sententiis ad opus consacerdotum nostrorum excerpere Pœnitentialem minimè valui, quia animus cum diuiditur per multa, fit minor ad singula. Et hoc est quod in hac re me valde sollicitat, quoniam ita confusa sunt iudicia pœnitentium in Presbyterorum nostrorum opusculis, atque diuersa, & inter se discrepantia, & nullius auctoritate suffulta, vt vix propter dissonantiam possint discerni. Vnde fit vt concurrentibus ad remedium pœnitentiæ, tam pro librorum confusione, quam etiam pro ingenii tarditate, nullatenus valeant subuenire. Quapropter, charissime frater, noli teipsum mihi negare, qui semper in diuinis ardenti animo disc... & solerti cura scripturarum meditationibus perfectissime floruisti. Arripe, quæso, sine excusationis verbo, huius saccina pondus à me quidem tibi impositum, sed à Domino, cuius onus leue est, leuigandum. Noli timere, neque formides huius operis magnitudinem: sed fidenter accede, quia aderit tibi qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Scis enim optime paruis parua sufficere, nec ad mensam magnatorum pauperum turbam posse accedere. ... tua deuotionum nobis subtrahere scientiam: noli accensam in te sub modio ponere lucernam, sed præcel... eam super ... candelabro, vt luceat omnibus, qui in domo Dei sunt fratribus tuis, & profer nobis veluti scriba doctus quod accepisti à Domino. Aderit tibi huius laboris itinere illius gratia, qui duobus discipulis euntibus tertium se socium addidit in via, & aperuit illis sensum, vt sanctas intelligerent scripturas. Spiritus paracletus omnis veritatis doctrina & perfecta charitatis scientia tua coefflendeat pectora, charissime frater, vale.

Mat. 11.
Ps. 80.
Mat. 5.
Luc. 24.

Ad quæ idem talia rescribit Alitgarius.

DOMNO ET VENERABILI PATRI in Christo Eboni Archiepiscopo Halitgarius minimus Christi famulus salutem.

POstquam venerande pater, directas beatitudinis vestræ accepi litteras, quibus me hortari dignati estis, ne mentis acumen inertis, torpentique otio submitterem, sed cognitioni ac meditationi quotidie sacræ scripturæ me vigilanter traderem: & insuper ex sanctorum patrum, canonumque sententiis Pœnitentialem in vno volumine aggregarē, durū quidem mihi, & valde difficile, tremendum: ne hi... imperium, vt hanc susciperem sarcinam, quam à pendentibus cognosco celsitudinem. Multumque renisus sum voluntati vestræ, non velut procaciter durus. ... propria infirmitatis admonitus. Hac itemum cura so... icitus, necessarium duc...

vt ...

ut aliquamdiu me à scribendi temeritate suspenderem: quia sicut perpendi iniuncti operis difficultatem: ita & iniungentis auctoritati nec volui, nec debui usquequaque resistere, tertius quia imbecillitatem meam multo amplius vestra adiuuaret præcipientis dignitas, quam grauaret mea ignorantia difficultas. Valete.

Steph. V Ludouic. Pius rex & imp. Leo 3.

Hic Ebo Præsul supra memoratum Papam Stephanum cum Ludouico rege Remis suscepit, postquam rex idem Sclauos in Oriente positos ductu deuicit, & oppressit exercitu: quando præfatus Papa Stephanus, qui Leoni successerat, legatos suos ad eundem Principem destinans, intimauit ei, quod libenter eum videre vellet in loco vbicunque ipsi placuisset. Quod audiens rex, magno repletus gaudio, iussit obuiam missos suos ire summo Pontifici, & seruitia præparare. Post quos & rex ipse perrexit: obuiaueruntque sibi in campo magno Remensium, & descendit vterque ab equo suo. Et Princeps prostrauit se in terram tertio ante pedes tanti Pontificis: salutaueruntque se inuicem magnifice, & amplexantes se deosculati sunt pacificè, perrexeruntque ad ecclesiam, vbi cum diu orassent, erexit se Pontifex, & excelsa voce cum choro suo fecit regi laudes regales. Postea Pontifex honorauit eum magnis & multis honoribus, ac reginam pariter Hirmingardim, dein & optimates atque ministros eorum. Proximaque die Dominica, in ecclesia ante missarum solemnia, coram clero & omni populo, consecrauit, & vnxit eum in Imperatorem. coronam miræ pulchritudinis auream, pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum detulerat, imponens super caput eius. Reginam appellauit Augustam, & coronam auream posuit super caput eius. Et quandiu mansit ibi Apostolicus Papa, quotidie colloquium habuere de vtilitate sanctæ Dei Ecclesiæ. At postquam imperator eum maximis munerauit donis, amplioribus multo quam suscepisset ab eo, dimisit eum cum legatis suis Romam reuerti, quibus præcepit vbique in itinere honestum ei seruitium exhibere.

Cupiens ergo præfatus Pontifex Ebo domum ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ diuturna pene lapsabundam vetustate reparare, in qua etiam secundus Stephanus Papa Pippino regi dudum, & Leo tertius Carolo magno Imperatori Apostolica reperiuntur monia contulisse, vt in epistola commemoratur Imperatoris Lotharii, Leoni quarto pro causa commendationis Hincmari Archiepiscopi directa, petiit à præmisso Imperatore Ludouico ad renouandam & amplificandam eandem basilicam murum ciuitatis sibi concedi. Quod idem Princeps quietissima pace fruēs, & imperii præclarissima potestate subnixus, nullas barbarorum metuens incursiones, nequaquam refutauit, sed benignissime ob amorem Dei, & ipsius almæ genitricis honorem concessit, atque iussionis suæ monimento fieri delegauit, huiusmodi super hoc suæ dans præceptionis decreta.

Infra li. 3. c. 10.

*In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, Ludouicus diuina ordinante prouidētia imperator Augustus. Si locis venerabilibus ea quæ exinde à prædecessoribus nostris regibus, vel imperatoribus, ad reipublicæ vsus exigebantur, religiosa liberalitate in vtilitatibus & necessitatibus eorundem sanctorum locorum expendenda committimus, & fidelium nostrorum saluberrimis pro hac eadē re suggestionibus ac petitionib. benignum cōmodamus assensū, maximū & animæ nostræ, & regi ac regno prouidemus consultum: quia nihil cernitur respublica imminuisse, quicquid ex eadem republica piis actibus, & locis religiosis, ac ecclesiarum Dei vtilitatibus, seu seruorū Dei fuerit cōmoditatis indultum. Quapropter notū esse volumus omnibus Dei fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, præcipue quoque successoribus nostris in potestatis culmine, in quo sumus, auctore Domino, constitutis, ab eodem dominorum Domino deinceps constituendis: quia Ebo venerabilis Archiepiscopus Remensis ecclesiæ, & reuerendissimæ sedis S. Remigii, gloriosissimi Pontificis, & specialis patroni nostri Præsul, clementiæ nostræ intimauit, quia vetustatis senio contrita iam dictæ Metropolis vrbis sancta mater nostra ecclesia, in honore sanctæ, semperq; virginis ac genitricis Mariæ consecrata, existeret. In qua auctore Deo, & *cooperatore S. Remigio gens nostra Francorum, cū æquiuoco nostro rege eiusdē gentis, sacri fontis baptismate ablui, ac septiformis Spiritus S. gratia illustrari promeruit. Sed & ipse rex nobilissimus ad regiā potestatem perungi Dei clementia dignus inuentus fuit. Vbi etiam & nos diuina dignatione per manus domni Stephani Romani summi Pōtificis, ad nomen & potestatē imperialē coronari meruimus. Quā pro tantis beneficiis nobis ibidem à Deo collatis remunerare cupientes, & ad id exequendum loci incommoditatem cernentes, concedimus ad hoc opus, & ad cætera quæq; pro seruorum Dei ibidem degentium necessitatibus ædificanda, murum omnem cum portis ipsius ciuitatis, & omnem operam, cum cunctis impendiis, quæ ex rebus & facultatibus ipsius ecclesiæ & episcopatus Remensis Aquis palatio nostro regio peragi & exolui solitū fuerat, in eleemosyna videlicet nostra, & pro remedio animæ domni ac genitoris nostri, atq; cæterorū prædecessorum nostrorū, qui eundem episcopatum contra salutem suam aliquamdiu tenuerant, & in suos vsus contra ecclesiasticas regulas & res ac facultates ecclesiæ ipsius expenderant: & ob hoc minus quā debuerat vtilitatis sacris locis in eodem episcopatu constitutis exinde prouenerat. Volumus etiam, vt vassalli, & quicūque fideles nostri ex rebus eiusdē episcopatus aliquid habēt, eidem per inseruiant, sicut constitutū est à bona memoria domno & genitore nostro, & sicut decretū est à proauo domno & auo nostro Pippino, decimas & nonas eidē ecclesiæ sanctæ ex rebus, quas exinde habent, persoluant. Vias etiam publicas omnes, quæ circa eandem ecclesiam vadunt, & impedimento esse possunt ad claustra & seruorum Dei habitacula construenda, vt transferri atq; immutari possint, concedimus. Et si aliquid ibi de fisco nostro habetur, per hoc nostræ auctoritatis præceptū perpetuo atque concedimus, vt nullus Iudex, Comes, aut Missus, siue aliquis ex iudiciaria potestate, vllā inde eidē sanctæ Dei prædictæ Remensi ecclesiæ inquietudinē, aut vllū calumniæ impedimētū inferre vnquā præsumat, obsecrantes successores nostros, vt memores salutis suæ, præsentis scilicet & æternæ, memores etiam beneficiorū, quæ nobis & genti nostræ ac prædecessoribus nostris in eodem sancto loco, per B. Remigium, meritis sanctæ Mariæ collata sunt, sicut sua bene gesta à suis successoribus conseruari voluerint, ita quæ pro amore Dei, & sanctæ eius genitricis ac beati protectoris nostri Remigii sæpefato sancto loco contulimus, perpetuo inuiolabiliter conseruare procurent. Et vt hæc nostræ concessionis auctoritas per futura tempora pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, annuli nostri impressione subtersignari decreuimus.*

ms. cooperāte.

Sed & quendam fabrum seruum suum, nomine Rumaldū, ad petitionem eiusdem Præsulis ecclesiæ Remensi concessit, vt hic de talento à Dño sibi collato, iuxta vires dieb. vitæ suæ proficeret: Quam etiā cessionem apicum adnotatione & annuli sui sigillatione roborauit. Aliud quoq; præceptum de viis publicis trāsmutandis ob quasdam clausuras in locis vicinis ipsius vrbis faciendas, & multimoda ecclesiæ compendia, eidem Pontifici dedit, quod & annulo suo insigniuit. Præterea de restituendis eidē sanctæ sedi prædiis, quę illi quondam fuerant ablata, vna cum filio Lothario Cæsare talem præcepti dedit auctoritatem.

In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi Ludouicus & Lotharius diuina ordināte prouidentia Imperatores Augusti. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddā cōferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas nostro releuamus iuuamine, id nobis & ad mortalem vitā temporaliter transigendā, & ad æternam feliciter obtinendā profuturū liquido credimus. Ideirco notū fieri volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quod sanctam Remensem ecclesiā, in qua prædecessores nostri, reges videlicet Francorū fidem & sacri baptismatis

*gratiam perseperunt, in qua & nos per impositionem manum domni Stephani Papæ imperialia sumpsimus insignia, ob reuerentiam fidei Christianæ, & ob animæ nostræ salutem, ab imo construi fecimus, eamque in honorem Domini nostri Iesu Christi Saluatoris mundi, simul & in honorem eiusdem sanctæ & intemeratæ genitricis Mariæ consecrari decreuimus. Itaque diuina inspiratione compuncti, & cœlestis patriæ amore succensi, quædam prædia, quæ eidem sanctæ sedi quondam ablata fuerant, deuotamente restitui iussimus, id est, in suburbanis ipsius sanctæ Ecclesiæ titulum S. Sixti, nec non & titulum S. Martini, cum appendiciis eorum. Exterius etiam in eadem parrochia, in castro Vouzensi titulum baptismalem & titulum in eadem parrochia S. Ioannis similiter baptismalem, suis cum appendiciis, & Bretiniacum: villam quoque Sparnacum cum appendiciis suis, & in villa, quæ vocatur Lucida, nec non & in Prouisiato in eodem pago Remensi. In pago vero Dulcomensi villam, quæ vocatur * Cancra, nec non & in villa quæ dicitur Verna in pago Vertudense. Vel si forte deinceps de rebus prædictæ sanctæ Ecclesiæ temporibus nostris adhuc superaddendum decreuimus: statuimus per nostræ auctoritatis præceptum, vt non tantum de istis restitutis, sed etiam restituendis, quicquid de ipsis vel in ipsis rectores & ministri præmemoratæ ecclesiæ elegerint, ita debeant perpetualiter possidere, atque ordinare, vel etiam facere, prout cumque sibi propensius voluerint: vt absque vllius iniusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quicquid ad vtilitatem prædictæ Ecclesiæ cōgruere & conuenire prospexerint. Et vt hæc nostra auctoritatis confirmatio præsentibus futurisque temporibus firmiorē in omnibus semper obtineat vigorem, manibus propriis subterfirmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus.*

Lude & Prouilly. *Cancta.

Obtinuit etiam idem Præsul ab eodem Imperatore Ludouico Remensi Ecclesiæ, secundū antiqua exemplaria priscorum regum immunitatis præceptum. Aliud quoque præceptum de ponte Bansionensi, & teloneis, vel exactionibus publicis. Item aliud de chartis concrematis secundum auctoritatem Imperatoris Caroli. Item à Pippino Aquitanorum rege præceptum immunitatis de rebus Remensis Ecclesiæ in pago Aruernico sitis. De villa vero Sparnaco semotim quoque præceptum Ludouici, atque separatim postea præceptum Lotharii filii eius reperitur accepisse. Hic Præsul Ebo cum consilio Ludouici Imperatoris, & auctoritate Paschalis Romani Pontificis, prædicandi gratia ad terminos vsque Danorum accessit, ac multos ex eis ad fidem venientes baptizauit.

Orta denique simultate inter patrem & filium Ludouicum scilicet Imperatorem, & Lotharium, partibus filii fauit, & cum cæteris Episcopis corripuit Imperatorem Ludouicum pro quibusdam erratis, quæ ei obiiciebantur, quando filii sui comprehenderunt eum, & Lotharius adduxit secum patrem ad Compendium palatium, vbi eum afflixit cum Episcopis & cæteris nonnullis * optimatibus, qui iusserunt vt in monasterium iret, & esset ibi cunctis diebus vitæ suæ. Quod ille renuens, non consensit voluntati eorum. Tunc omnes Episcopi, qui aderant, molesti ei fuisse narrantur, & improperantes illi peccata sua, abstulerunt ei gladium à femore suo, induentes eum cilicio.

Compienne. *al. primatibus.

Dum frequenter igitur Ebo Præsul in palatio tunc moraretur, huiusmodi de eo in monasterio sancti Remigii visio reuelata est. Erat ibi monachus quidam, nomine Raduinus, genere Longobardus, qui Abbas quondam extiterat monasterii, quod in monte Bardonis in Italia beatissimi Remigii celebri pollet memoria, Moderamni Redonensis Episcopi studio dedicata. In quo monasterio dum præfatus Raduinus monachicæ professionis gereret officia, ductus amore meritorum beati Remigii, sepulchri eiusdem limina petiit. Qui cum fratribus eiusdem loci vitam ducens religiosam, digne sese ad cœlestem satagebat præstare militiam. Quadam vero die, sacræ scilicet assumptionis sanctæ Dei genitricis, post exactum matutinæ solemnitatis officium, reliquis fratribus quietem petentibus, ille precis gratia solus remansit in choro, custodibus Ecclesiæ quiescentibus. At vbi psalmorum continuatione fatigatus, irruenti cœpit soporari somno, vidit à loco sepulchri sancti Pontificis † procedere beatissimam Dei genitricem nimio lumine coruscantem, cuius lateribus hærebant Euangelista Ioannes, & ipse sacer Remigius: sicque se visi sunt compositis adire gradibus. Superposita vero manu virgo gloriosa leniter eius capiti: Quid hic, inquit, agis frater Raduine? quo mox pedes illius osculari procumbente, adiecit: Vbi modo degit Ebo Remensis Archiepiscopus? Quo respondente: palatina iussu regis exequitur negotia. Et cur, (inquit) tam sedulo palatii terit limina? prorsus hinc nequaquam maiore ditabitur sanctitatis efficacia. Veniet enim, veniet celerrime tempus quando non prosperabitur in talibus. Quem nihil adhæc audentem respondere, tali prosequens affatur allocutione: Quæ vestrorum versatur apud homines regum disceptatio? Tunc eo respondente: Domina genitrix Saluatoris mundi, tuæ melius nouit hoc sanctitatis incorruptio, ait, quid tantæ malo cupiditatis illecti vana nunc grassantur audacia? Illud enim tunc aderat tempus, quando filiorum suorum contumeliis agebatur Imperator Ludouicus; En, inquit, huic (astringens manum sancti Remigii) auctoritas est à Christo tradita Francorum perseueranter imperii. Equidem sicut hanc gentem sua doctrina percepit ab infidelitate gratiam conuertendi, sic etiam donum semper inuiolabile possidet eis regem vel imperatorem constituendi. Quæ beatissima Dei genitrice dicente, frater præmemoratus euigilauit repente.

† sc. Euang.

De Ebonis depositione.

Cap. XX.

Itaque postquam Ludouicus ab æquiuoco filio suo restitutus est in regnum & honorem suum, Ebo propter huiuscemodi factum depositus est ab episcopatu, pro infidelitate Imperatoris. Pro qua re ipse iam Iesse Ambianensium Præsulem dudum deposuisse traditur, sed nunc eum reuocasse fertur in gradum priorem.

De Ebonis autem depositione, requirente postmodum Papa Nicolao ab episcopis Galliæ, maximeque Belgicæ prouinciæ, hæc inter alia in responsis scepit. Quod Ebo Remorum episcopus accepta à Lothario pro patris proditione Abbatia sancti Vedasti, falsarum obiectionum incentor extiterit, & taliter criminatum eundem Imperatorem idem Ebo à suis complicibus à liminibus ecclesiæ proiectum, ac publicæ pœnitentiæ mancipatum, custodiri fecerit, vsque dum in anno incarnationis Dominicæ octingentesimo tricesimo quarto, Lotharius territus conuentu fratrum suorum, ac plurimorum fidelium patris Imperatoris, fuga lapsus patrem suum adhuc ab ingressu ecclesiæ sequestratum dimisit. Cum quo inter alios etiam quidam episcopi, fautores ipsius in aduersitate patris sui, relictis contra sacras regulas sedibus suis perrexerunt, Iesse videlicet Ambianensis, & Hereboldus Antisiodorensis, Agobardus Lugdunensis, & Bartholomæus Narbonensis episcopus: & abscedente illo, qui affuerunt episcopi Imperatorem in ecclesia sancti Dionysii reconciliauerunt, & ecclesiasticæ communioni restituerunt. Quod Ebo audiens, quibusdam familiaribus suis plenitudinem suorum delegauit hominum, & certum eis placitum dedit, vbi & quando iterum ad eum veniens

an. 834.

Adiicitur etiam, quod Ebo plurima, quæ de facultatibus Ecclesiasticis ferre tunc in argento & auro potuit, secum assumens, cum quibusdam Normannis, qui iter & portus maris ac fluminum mare influentium notos habebant, cum paucis quoque aliis domesticis suis, nullo impetente vel persequente, noctu Remis aufugit, & non solum parrochiam suam, verum & Belgicam regionem deseruit, & iter ad Normannos, quibus à Paschali Papa, necnon ab Eugenio successore ipsius, sicut epistolis eorundem Præsulum ad ipsum pro hac re datis edocemur, fuerat prædicator destinatus, arripuit. Quod manifestantibus eis, cum quibus hoc consilium iniit, Imperatorem latere non potuit. Quapropter Imperator eum per Episcopos, Rothadum scilicet Suessonicam, & * Erchentadum Parisiorum Episcopum, reuocari fecit, & in monasterio sancti Bonifacii, ei, & clericis ac laicis qui cum eo erant, necessaria ministrari, & Synodum expectare præcepit. Sed & Hildemannus Beluacensis Episcopus insimulatus, quod sicut præfati Episcopi, fugam ad Lotharium moliretur, in monasterio sancti Vedasti detentus, Synodum expectauit. Ad quam anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo tricesimo quinto venientes, omnes Episcopi qui conuenerant, sigillatim libellos de restitutione Imperatoris communi consilio atque consensu ediderunt, & propriis manibus subscripserunt. Cum quibus & Ebo (vtpote vera in statu suo adhuc manens) libellum manu sua cum additamento Archiepiscopi scriptum edidit. In quo libello professus est, quicquid in ipsius Imperatoris dehonoratione gestum fuerat, iniuste factum fuisse. Item post pauca. Et post datos libellos, venientes Episcopi cum Imperatore & quam plurimis eius fidelibus ac regni primoribus, in vrbem Metensium, in basilica B. Stephani, publice à Drogone Episcopo relecta sunt, quæ de restitutione Imperatoris omnium vnanimitate inuenta fuere. Post hanc adnunciationem, Ebo Remorum Episcopus, qui eiusdem factionis velut signifer fuerat, conscendens eundem locum, vbi Drogo steterat, coram omnibus professus est, eundem Augustum iniuste depositum, & omnia, quæ aduersus eum patrata fuerant, inique & contra totius auctoritatis tramitem fuisse machinata, meritoque iusteque proprio imperii solio reformatum. Et sic omnibus laudes Deo canentibus, & quæ tunc ibidem fuerant agenda peractis ad Theodonis villæ palatium regressi sunt, ibique Hildemanons in Synodo præsens, se à calumnia sibi impacta regulariter exuēs, satisfecit Synodo, & per eam Imperatori. Ebo vero in eadem Synodo præsens ab imperatore præsente accusatus est, quod eum falso fuerat criminatus, & eisdem falsis criminibus appetitum à regno deiecerat armisque ab eo ablatis, nec confessum, nec conuictum, contra regulas Ecclesiasticas ab Ecclesiæ aditu ac Christianorum societate eliminauerat: sicut & idē scripto subscriptione sua roborato, & verbis coram omnibus professus fuerat. Et cum essent alia etiam crimina, de quibus post hanc accusationem accusandus erat, & de quibus apud Imperatorem iam antea fuerat accusatus, & non canonice purgatus, sicut & epistola Episcoporum ad Sergium Papā demonstrat, & pro quibusdam eorum extiterat à consilio Imperatoris eiectus: quæ patefacta veritate negare non valebat, petiit secessum, vt sine præsentia Imperatoris liceret ei in Synodo Episcoporum suam agere causam. Quod obtinens, conuocauit ad se quosdam Episcopos, & nullo cogente, sed propria sponte, secundum eorum consilium sequentium Africanum Concilium, vt parceretur ipsius verecundiæ, ac propter Ecclesiæ opprobrium & insolentem insultationem sæcularium, ne dignitas sacerdotalis pollueretur, si publice de his de quibus impetitus & adhuc impetendus erat, confessus aut conuictus foret, libellum suæ depositionis dictauit, & scribi coram se fecit, & propria manu subscripsit, secundum traditionem Ecclesiasticam, eundemque libellum propriæ ac viuæ vocis confessione attestatum in abdicationem sui, nullo ab eo quærente vel exigente, Synodo vltro porrexit. Et sicut videri tunc ab his, qui interfuerunt, potuit, sacerdotio se sponte submouit, quærens remedium pœnitendi, sicut in eodem professionis ac subscriptionis suæ libello continetur hoc modo.

Pasch. Eugen. 2.
al Archenrad. / al Ar quens.
an. 835.
Syn. Metensis.
Drogo Met. Episc.
Syn. apud Theodonis Villam al. Thionville, et Dietenhoffen.

*Ego Ebo indignus Episcopus recognoscens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Aiulfum videlicet Archiepiscopum, & Badaradum Episcopum, nec non & Modoinum Episcopum, constitui mihi iudices delictorum meorum, & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, vt recederem ab officio & ministerio Pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse secreto ipsis confessus sum. Eo scilicet modo, vt ipsi sint testes * alii succedendi & consecrandi in loco meo, qui digne præesse & prodesse possint Ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et vt inde vltra nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmaui. Ebo quondam Episcopus subscripsi.* †

ms. alio

Et vt omnia secundum leges quibus moderatur Ecclesia, in Synodo legaliter adimpleret, simul cum eis, quos secundum Africæ prouinciæ canones legerat sibi iudices, dicente Apostolo: *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus*, vt in ore duorum vel trium testium constaret etiam suæ accusationis, & vt alius se sacerdotio defuncto ei succederet, testificationis verbum, asciuit & alios tres Episcopos, veritatis de sua accusatione & testificatione conscios in testimonium suæ professionis, Theodericum scilicet Episcopum, & Achardum Episcopum diœceseos suæ, & Nothonem Archiepiscopum. Et sic ipse professus, & sex Episcopis suæ professioni attestantibus, vt prædiximus, libellum Synodo porrexit, cunctique Episcopi, qui Synodo interfuerunt, † singillatim ac viritim dixerunt illi: Secundum tuam professionem & subscriptionem cessa à ministerio. Et coram omnibus hanc notitiam cum præscripto libello temporibus futuris conseruandam, Ionas Episcopus Heliæ notario (qui libellum Ebonis scripserat, cui idem Ebo subscripsit, secundum LIX. capitulum, & item secundum capitulum LXXIV. Concilii Africani) pro omnibus dictauit: & idem Helias hæc quæ sequuntur conscripsit. *Acta est hæc Ebonis professio, eiusque propria manus subscriptione roborata in conuentu Synodali generaliter habito apud Theodonis villam, anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo tricesimo quinto, anno etiam imperii gloriosi Cæsaris Ludouici vicesimo primo.* Item post aliquanta: Libellum sibi ab Ebone porrectum post damnationem eius Synodus Fulconi presbytero, qui eidem Eboni in episcopii Remensis susceptione successerat, cum Synodali notitia dedit, quique in Remensis Ecclesiæ scrinio conseruatur, cuius exemplar sanctæ memoriæ Papæ Leoni directum didicimus, &c.

Can. 63 1 Tim 5.
vet. numero 44.

Igitur Ebo post hanc depositionem suam in Cisalpinis fertur regionibus conuersatus vsq; ad obitum Ludouici Imperatoris, qui contigit anno Dominicæ incarnationis DCCCXL. Quo Imperatore defuncto Lotharius ab Italia in Franciam venit, cui Ebo ad Vuormaciam ciuitatem occurrit, eique Lotharius post aliquot dies sedem & diœcesim Remensem per edictum imperiale restituit. Cuius edicti hoc habetur exemplar.

an 840

IN NOMINE Domini nostri Iesu Christi Dei æterni, Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus.

Quia confessio delictorum non minus in aduersis necessaria est, quam in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit, gaudium etiam esse Angelorum, in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente non dubitamus, nos mortales in terris eos nequaquam despicimus, pro quibus gaudere Angelos in cælo diuino testimonio non ignoramus. Accusantes & reprehendentes in excessibus semetipsos diuina nos benignitas non condemnare, sed recreare docuit, qui meretricem non solum à legali damnatione eripuit: verum etiam publicanum humiliatum & accusantem se non condemnauit, sed magis iustificando exaltauit. Qui non dixit, omnis qui se humiliat condemnabitur, sed exaltabitur. Potestatem ergo, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesiæ tuæ filiis, præsentibus quoque adstantibus ac decernentibus Præsulibus, sedem ac diœcesim Remensis vrbis tibi, Ebo, restituimus, vt pristino sanctæ largitatis Apostolicæ pallio indutus concordiam atque gratiam diuini officii nobiscum, humili satisfactione expleta, solemus nostra à largitate recipiendo exerceas. Drogo Episcopus assensi, Otgarius Archiepiscopus, Hetti Archiepiscopus, Amaluuinus Archiepiscopus, Audax Archiepiscopus, Ioseph Episcopus, Adulfus Episcopus, Dauid Episcopus, Rodingus Episcopus, Giselbertus Episcopus, Flotharius Episcopus, Badaradus Episcopus, Hagano Episcopus, Hartgarius Episcopus, Ado Episcopus, Samuel Episcopus, Rimbertus Episcopus, Haiminus episcopus, Ratoldus presbyter, vocatus episcopus, Almaricus vocatus episcopus, cum cæteris pluribus presbyteris ac diaconibus publice assistentibus. Actum in Engilenheim palatio publice, in mense Iunio 8. Cal. Iulii, regnante & imperante domno Lothario Cæsare, anno renouationis eius 1. successor factus patris in Francia, Indictione III. Cui restitutioni præfatæ, quæ Suessionis habita est, contradixit Synodus, asserens quod damnatus à se atque à xliij. Episcopis, à minori numero restitui non præualuit. Quod edictum Remis Ebo secum detulit, & apud Episcopos & plures illud diuersæ professionis & ordinis * dimulgauit, & in Ecclesia Remensi publice recitari fecit. Et ita eo tempore, quo Lotharius Carolum à regno expulit, & vltra Sequanam fugauit, Ebo sedem Remensem, post sex annos suæ depositionis recepit, & Episcopale ministerium agere cœpit: sicque * ordinationes celebrans quosdam clericos ordinauit, & per totum circiter annum hoc Episcopium tenuit, donec Carolus resumptis viribus in Belgicam reuersus est. Quod audiens Ebo, relicta sede Remensi, ad Lotharium profectus est, & in eius familiaribus mansit obsequiis: donec vna cum Drogone Metensium Præsule Romam petiit, vbi à Sergio Papa reconciliari, ac pallium sibi tribui postulauit. Cui idem Papa, communione tantum concessa, dare pallium renuit.

At Ebo Roma reuersus, Abbatiam sancti Columbani in Italia dono Imperatoris Lotharii possedit, donec legationem in Græciam ab eodem Imperatore sibi commissam exequi detrectauit. Quocirca rebus sibi ab Imperatore quæ datæ fuerant ablatis, ad Ludouicum regem Germaniæ demigrauit. A quo in regione Saxoniæ quoddam Episcopium promeruit: vbi & Episcopi deinceps perfunctus est ministerio.

Psa. 50. Luc. 15. Ioan. 8. Luc. 18. Ib. * diuulgauit. * ordinationem. Sergius II.

LIBER TERTIVS,
FLODOARDI
HIST. REMENNSIS ECCLESIÆ.

De electione vel ordinatione Hincmari.

Cap. I.

ANno denique Dominicæ Incarnationis DCCCXLV. Karolus Synodum Episcoporum regni sui apud Bellouagum ciuitatem Remensis prouinciæ conuocauit. Vbi inter cætera Ecclesiæ, regnique negotia, de Remensis Ecclesiæ desolatione, quæ Fulcone presbytero illam diu tenente, & Nuthone inde sibi succedente, tanto vacare pastore videbatur tempore, cum eisdem Episcopis cœpit tractare. Qui sicuti viderant, vel audierant, depositionem narrantes Ebonis, & auctoritatem sanctorum patrum super huiusmodi negotiis ad memoriam reuocantes, cogente necessitate, atque suadente auctoritate, communi decreuere consensu, qui tandem post decennium depositionis Ebonis in Ecclesia eadem ordinaretur Episcopus. Igitur à clero & à plebe ipsius Metropolis, nec non ab Episcopis eiusdem prouinciæ, Archiepiscopo Sennensis Ecclesiæ Vuenilone, atq; Ercamrado Parisiorum Episcopo annuente, cum consensu Abbatis sui & fratrum monasterii S. Dionysii, in quo degebat, fauente quoq; Carolo rege, Hincmarus electus est. Sicque decreto peracto, eligentiumq; manibus roborato, Ecclesiæ Remensis ordinatur episcopus. Is siquidem Hincmarus, à pueritia in monasterio sancti Dionysii sub Hilduino Abbate monasteriali religione nutritus, & studiis literarum imbutus, indeque pro illustri tam generis, quam sensus nobilitate, in palatium Ludouici Imperatoris deductus, & familiarem ipsius notitiam adeptus fuerat: ibique prout potuit, cum Imperatore & præfato Abbate, sub Episcoporum auctoritate laborauit, vt ordo monasticus in prædicto monasterio, quorundam voluptuosa factione diu delapsus, restauraretur. Et vt opere quoque adimpleret quod sermone suadebat, etiam ipse religiosæ conuersationi cum aliis se subdidit, castigans corpus suum, & spiritali subiiciens seruituti. Processu vero temporis, cum præmemoratus Hilduinus Abbas Imperatoris Ludouici Archicapellanus, offensam ipsius Augusti adeo cum aliis regni primoribus incurrisset, vt ablatis sibi Abbatiis, in Saxoniam fuerit exilio relegatus, iste per licentiam proprii Episcopi cum benedictione fratrum illum secutus est in exilium. Cui pro familiaritatis * propiore notitia, tantam Dominus apud Imperatorem, proceresque contulit gratiam, vt studere pro suo nutritore quiuerit, donec ab exilio reuocatus duarum fuerat Abbatiarum Prælationi restitutus. Deinde quando Gregorius Papa in Galliæ venit regiones, & regnum Francorum à præfato defecit Imperatore, voluit enim præmemoratus Abbas suus in obsequium suum contra fidelitatem Imperatoris ducere: quod nequaquam potuit ab eo exigere. Restituto postea Imperatore, prout potuit Abbati suo prodesse studuit. Sicque deinceps in monasterio sine querela custos sacrorum pignerum, Ecclesiæque sanctorum Martyrum conuersatus extiterat, donec regiis ascitus obsequiis regimen monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Germani regali &

Conc. Bellouac. * exigente. Greg. 4.

Episcopali, atque Abbatis sui Ludouici Diaconi jussione suscepit, rerum quoque ac mancipiorum possessionem quandam regia liberalitate percepit, quam consecratus iam Præsul monasterio sancti Dionysij, vbi Christo militauerat, per testamenti paginam tradidit.

De reparatione iudicii pro Ebonis dispositione.

Cap. II.

EMenso denique anno post ipsius Hincmari ordinationem, Lotharius Imperator pro contentione regni quam erga fratrem suum Carolum habebat, cuius obsequiis idem Præsul fideliter adhærebat, contra eum commotus, epistolas à Sergio Papa eaegit pro reparando iudicio de Ebonis depositione. Vnde idem Papa litteras Carolo regi mittens, præcepit vt Guntboldum Rothomagensem Episcopum cum cæteris Episcopis regni sui, quos ipse Guntboldus ad hoc sibi eligeret, Legatis eius obuiam Treueris ad hanc discutiendam querelam dirigeret, & Hincmarum Episcopum ad ipsam Synodum venire faceret. Ipse quoque Guntboldo litteris mandauit, vt cum post diem sanctæ Domini resurrectionis missos suos in seruitium Imperatoris mitteret, ipse cum Episcopis prædictum locum, hanc causam diffiniturus, adiret. Sed & ipsi Hincmaro litteras misit vt ad idem veniret concilium. Legatis itaque Sergii Papæ iuxta condictum non venientibus, Guntboldus, * annuente rege Carolo, cum Episcopis Synodum conduxit, ad quam Ebonem per litteras & legatos ex auctoritate prædicti Papæ conuocauit. Quo tamen Ebo neque venisse, neque vicariam pro se personam, vel litteras canonicas misisse traditur. Guntboldus tamen & cæteri Episcopi, qui apud Parisios tunc conuenerant, Vvenilo scilicet Ecclesiæ Senonicæ Metropolitanus cum Diœcesanis suis, * Lantrannus Turonensis cum suffraganeis suis, & specialiter Hincmarus cum omnibus Remensis diœceseos coëpiscopis, litteras suas ad eum miserunt, et diœcesim Remensem interdicentes, vt non haberet deinceps licentiam ex ea quempiam sollicitare, nec scripto, nec verbo, nec misso aliquo, donec secundum iussionem Sergii Papæ ipsis occurreret, & iuxta canonica & Apostolica statuta definitionis sententiam ab ipsis coram generali conuentu perciperet. Sed ille ad nullam Synodum, vel ad sedem Apostolicam, vocem postea reclamationis, vel repetitionis de sede Remensi, aut de ordine suo emisit. Qui etiam (postquam res gestas Leoni Papæ referentibus Episcopis, & regalibus insuper epistolis, ordinatio Hincmari, quando fidei quoque suæ tenorem Romam misit rata est cum largitione pallii comprobata) per quinque circiter annorum curricula superuixisse fertur in corpore, vsque ad annum videlicet incarnationis Dominicæ octingentesimum quinquagesimum primum.

Sergij. | * al. anniente. | Syn. Paris. ann. 847. | * al. Lanfrannus | Leo 4.

De visione eiusdem Bernoldi.

Cap. III.

DE quo postmodum talis ostensa est reuelatio cuidam homini Remensis parrochiæ, nomine Bernoldo, qui depressus infirmitate, pene vsque ad mortem peruenit, ita vt per quatuor dies nec cibum, nec potum capere, nec loqui valeret. Quarto vero die hora nona, velut exanimis iacuit: adeo vt non posset in eo sentiri halitum remansisse, nisi per vices, dum quis manum misisset ad os eius vel super pectus illius vix sentiebat in eo adhuc spiritum esse. Rubor illi tamen in facie magnus videbatur, & sic jacuit vsque ad mediam noctem. Tunc viriliter oculos aperiens, & affatus vxorem suam, atque circumstantes, iussit vt quamtocius currerent, & presbyterum suum velociter ad se venire rogarét. Accito autem presbytero, antequam intraret ille domum, dixit infirmus vt apponerent sellam, quia presbyter iam domum intraturus esset. Illo vero ingresso postquam orationé pro eo fudit, dixit ei vt sederet iuxta eum, & attenderet quæ dicturus erat, vt si ipse superstes illi non potuisset annunciare, saltem presbyter ea nunciaret. Tunc ergo cœpit vehementer flere; & cum singultibus dixit; Ductus de isto seculo ad aliud veni ad quendam locum, inueni episcopos quadraginta & vnum, inter quos cognoui Ebonem, Pardulum, & Æneam pannosos, & denigratos, squalentesque sicut & alios; ac si vstulati fuissent; & per vices nimio frigore horribiliter cum fletu ac stridore dentium tremulantes: per vices autem calore nimio æstuantes. Et Ebo episcopus me vocauit ex nomine, dicens: Quia tibi dabitur licentia redeundi ad corpus, precamur te ego & isti confratres nostri, vt adiuues nos. Et ego respondi: Quomodo vos possum adiuuare? qui ait: Vade ad homines nostros clericos & laicos, quibus benefecimus, & dic illis vt pro nobis faciant eleemosynas, & orationes, & impetrent pro nobis offerri sacras oblationes: & ego dixi, quia nescirem vbi homines illorum essent. Ille vero ait: Nos dabimus tibi ductorem, qui te ad illos ducat. Et dederunt mihi ductorem quendam, qui me præcessit & duxit ad quoddam palatium magnum, vbi multitudo erat hominum eorumdem episcoporum, qui de ipsis episcopis inter se loquebantur. Quibus suggessi, quod mihi fuerat iussum ea parte episcoporum. Inde cum ductore meo reuersus, ad locum redii vbi erant ipsi episcopi, & quasi iam facta fuissent pro ipsis ea quæ postulauerunt, inueni eos facie jocundos, ac si à nouo rasos, & balneatos, albis vestitos, & stolis amictos, atque sandaliis calciatos. Et dixit mihi præfatus Ebo Præsul: vides quantum nos adiuuit tua legatio; Vsque modò nimis durum custodem, & custodiam grauem habuimus sicut vidisti, modo vero habemus domnum Ambrosium custodem, * & leuem custodiam: & cætera quæ visa atque relata ab eodem Hincmarus episcopus descripsit.

Viuorũ suffragia prosunt defunctis. | * al. lenem

De restitutione rerum Ecclesiasticarum à Karolo rege peracta.

Cap. IV.

ORdinato denique ceu præmissum est, Hincmaro ecclesiæ Remensis Archiepiscopo, rex Carolus res quas ex eodem episcopio suis palatinis vsurpare concesserat, ipsi sanctæ reddidit ecclesiæ. Pro qua restitutione talem præcepti sui dedit auctoritatem.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Carolus Dei gratia rex. Si ea quæ à prædecessoribus nostris vel fidelium deuotione bene tradita, statuta, ac confirmata sunt, nostris oraculis roboramus: si etiam illa, quæ quacunque necessitate corrupta sunt regia nostra auctoritate corrigimus, & in melius commutamus, saluti nostræ consulimus, & regiam in ministerium susceptum à Domino exercemus. Proinde nouerit omnium fidelium Dei, ac nostrorum solertia, quia res ex episcopatu Remensi, quas magna necessitate, & per omnia inuiti dum à Pastore sedes illa sancta vacaret, fidelibus nostris ad tempus, vnde quoddam temporale solatium à nostro haberent seruitio, commendauimus, electo & ordinato munere sancti Spiritus, per Dei & nostram dispositionem, in eadem sancta sede Hincmaro Archiepiscopo, hac nostra auctoritatis præcepto cum integritate quicquid exinde nos fidelibus nostris beneficiamus, præsentialiter restituimus, tum Sparnacum & Iuliacum, vel quicquid ex eodem episcopatu

*Richuinus habuit, vel quicquid eminde Odo Comes habuit: quam & villam Culmisciacum, cum Capella quam Rabanus presbyter habuit: seu & illa, quæ Pardulus, nec non & * Adalgardis Abbatissa, siue Rotbertus, atque Amalbertus clericus, vel Altmarus, seu Ioannes medicus, siue item Rabanus, atque pusillus puerulus, * Ratholdus quoque, Goderamnus, & Herenboldus, vel Donatus, seu Gilbuinus habuerunt: siue etiam illa omnia, quæ tam clerici quam laici, qui in nostra dominatione ad quamdiu fuerant, quosque tam dicto Episcopo commendauimus, habebant. Et vt in calce omnia concludamus, quicquid ex eodem Episcopatu, quando de manu Fulconis illum recepimus, alicui præstito beneficio concessimus, per hanc nostræ confirmationis auctoritatem, inspecto coram cœtu fidelium nostrorum, tam Ecclesiastici quam laicalis ordinis testamento sancti Remigii, præsentialiter casæ sanctæ Mariæ & sancti Remigii, atque Hincmaro Archiepiscopo cum omni integritate reddimus vel restituimus, vt absque vlla refragatione, cassatis quibuscumque aliis conscriptionibus, easdem res per hanc nostram auctoritatem recipiat: vt sicut res Ecclesiæ disponendæ sunt ad vtilitatem ipsius Ecclesiæ Dei, tam ipse, quam successores ipsius disponant: Quam auctoritatem, (in qua nos vlterius tale quiddam erga ipsam casam Dei non acturos spondemus, & vt nemo successorum nostrorum agere moliatur, per omnipotentem Dominum eiusdem Virginis filium obsecramus) vt per ventura tempora certior habeatur, & contra æmulos ipsius sanctæ Ecclesiæ sui notitia valeat, manu nostra subterfirmauimus, & annuli nostri impressione roborari decreuimus. Data Kalendis Octobris anno 6. regnante Karolo gloriosissimo Rege indictione 8. Actum in pago Andegauensi, in villa Anegie.*

c. j. Algardis. ms. Ratholdus

De cæteris quoque rebus, quæ tunc redditæ non fuerunt, huiusmodi postmodum inuenitur * dedisse præceptum.

ms. edidisse.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex, omnibus Comitibus, Abbatibus, Abbatissis, Missis, Vassallis, & cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus ac nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum esse volumus, quia Hincmarus sanctæ Ecclesiæ Remorum religiosus, nobisque valde dilectus ac venerabilis Pontifex, accedens ad celsitudinis nostræ magnitudinem, innotuit mansuetudini nostræ, quod ex rebus sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti ac pretiosi confessoris Christi Remigii, quæ per parentum antecessorum videlicet nostrorum regum dationem, siue per rectorum eiusdem Ecclesiæ imprudentiam, vel concessionem, vel etiam quorumcumque maliuolorum machinationem ab eadem sancta Ecclesia abstracta esse cernuntur, nonæ & decimæ, ad eandem prædictam ecclesiam minimè (sicut rectum est) persoluatur. Vnde magnificentia nostra petiit dignitatem, vt nostræ auctoritatis præceptum ob Dei & sanctæ ipsius genitricis, siue pretiosi patroni nostri Remigii amorem ei fieri iuberemus. Cuius nobis amabilibus & necessariis petitionibus acquiescentes, & liberè placidéque obsequentes, hoc nostræ magnæ auctoritatis præceptum ei fieri iussimus. Per quod præcipientes expresse iubemus, vt quisquis fidelium Dei omnipotentis, nostrorumque, ex eisdem sanctæ Dei genitricis Mariæ, vel sancti Confessoris Christi Remigii, Remorum Ecclesiæ rebus, siue Episcopatus religiosissimi & dilectissimi nobis Hincmari venerabilis Archiepiscopi, aliquid habere dignoscitur, siue per largitionis nostræ concessionem, siue per quorumcumque supramemoratam affectationem, vel machinationem, seu etiam & deprecationem, aliquid tenere aliquo ex prædictis rebus tenere vel possidere cernitur, nonam & decimam in Missorum nostrorum præsentia, Misso Ecclesiæ sanctæ Mariæ, vel sancto Remigii Remorum, siue Hincmari venerabilis Archiepiscopi reddat: & annis singulis ad eandem præfatam & memoratam Ecclesiam persoluere, absque vllius occasionis contradictione cum omni vigilantia studeat. Quicumque vero contra hanc nostræ auctoritatis præceptionem de hoc fieri præsumpserit, sciat secundum digna memoria aui, & piæ recordationis genitoris nostri capitula se emendaturũ, & ipsas easdem res absque alicuius intercessionis impetratione amissurum. Et vt hæc nostra præceptionis auctoritas inuiolabilem obtineat firmitatis vigorem, & ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, verius, certius credatur, eam annulo nostro subter sigillari iussimus. Data 4. Nonas Septemb. anno 8. indictione, 10. regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum in monasterio sancti Quintini.

Lib. 2. c. 163. lib. 2. c. 21. lib. 4 c. 40.

Immunitatis etiam secundum antecessorum suorum regum exemplaria eidem sanctæ sedi suam contulit auctoritatem. Cessionem quoq; genitoris sui Ludouici de exactione regia, vel operariis ac muro ciuitatis ob restaurationem ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ delegata, huiusmodi confirmauit auctoritate.

Fatat supr. li. 2. c. 1

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Si petitionibus fidelium nostrorum, maximè Domini sacerdotum, præcipue in his, quæ Ecclesiasticis vtilitatibus possunt præbere consultum, benignum commodamus assensum, nobis id ad æternæ remunerationis credimus prouenire augmentum. Proinde nouerit omnium fidelium Dei ac nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria, quia venerabilis Hincmarus Remensis vrbis Archiepiscopus obtulit serenitatis nostræ obtutibus præceptum piæ memoriæ domni ac genitoris nostri Ludouici Imperatoris, quod in eleemosyna augmento Ecclesiæ S. Mariæ atque sancti Remigii fieri decreuit, de opere & operariis, atque omni exactione, quæ tempore aui nostri domni Caroli Imperatoris ex eadem casa Dei exigebantur ad palatium, quod vocatur Aquisgrani, vt in ædificatione & restauratione ipsius Ecclesiæ Dei, per futura tempora vsque ad finem seculi, ad vtilitatem sæpe dictæ sanctæ Ecclesiæ in eleemosyna illius proficerent, & nec ad eundem locum, vel ad alium quemlibet ipsæ redhibitiones, vel impensæ vllo vnquam tempore exigerentur, sed remissa indulgentia illius in eodem loco proficerent. Cuius bene gesta rata indicantes, per hoc nostræ auctoritatis præceptum decernimus, vt quicquid de exactione, vel operariis prædictæ constitutionis supra scriptus domnus & genitor noster, seu & de muro ciuitatis ipsius, vel viis ad vtilitates claustro Canonicorum proficientibus in suo præcepto concessit, hoc totum perpetua nostra indulgentia vel concessione, seu auctoritate concessum, vel confirmatum maneat in perpetuum. Et vt hæc nostræ confirmationis vel concessionis auctoritas per futura tempora certior cognoscatur, & permaneat inconuulsa, ea manu nostra subterfirmauimus, & de annulo nostro eam sigillari præcepimus. Data 6. Calendas Iunias, anno 10. regnante Carolo glorioso rege, Indictione 13. Actum Vermeria palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

De reparatione Remensis Ecclesiæ ab ipso Hincmaro patrata.

Cap. V.

HVIusmodi regiæ benignitatis functus auctoritatibus, & in Episcopali sede confirmatus præfatus Hincmarus Archiepiscopus, templum beatæ Dei genitricis Mariæ, quod à fundamentis Ebo renouare cœperat, iste pace gratiaque fruens regia, præclara consummauit decoris eminentia. Insuper & aram sanctæ Dei genitricis auro vestiuit, ac lapidibus pretiosis ornauit. His quoque versibus titulauit.

Hanc aram Domini genitricis honore dicatam
*Cultor vbique * suus decorauit Episcopus Hincmar*
Muneribus sacris, functus hac sede sacerdos.
Iam bene completis centenis octies annis,
Quadraginta simul quinto voluente sub ipsis.
Cum iuuenis Carolus regeret diademata regni,
Hunc sibi Pastorem poscentibus vrbis alumnis.

suu. an. 84

Et ad imaginem Dei genitricis in ipso altari.

Virgo Maria tenet hominem, regemque, Deumque
Visceribus propriis natum de flamine sancto.

Tecta templi plumbeis cooperuit tabulis, ipsumque templum pictis decorauit cameris, fenestris etiam illustrauit vitreis, pauimentis quoque strauit marmoreis. Crucem eminentiorem gemmis, auroque cooperuit. Alias etiam cruces tam auro quam argento parauit. Calicem maiorem cum patena, sumptuosoque fecit ex auro, lapidumque pretiosorum illustrauit nitore. Qui calix postea pro redemptione ac salute patriæ Normannis datus est: patena adhuc reseruatur ibidem. Libellum quoque de ortu sanctæ Dei genitricis Mariæ, sed & sermonem beati Hieronymi de ipsius dominæ Assumptione scribi fecit, & tabulis eburneis, auroque vestitis muniuit. Vocellum etiam quendam, hoc est capsam maiorem, quæ à duobus clericis ferri solet, fieri iussit, argentoque imaginato ac deaurato vestiuit: vbi ad vrbis huius totius tutamen, multorum Sanctorum pignera recondidit. Insuper & alia altaris vasa tam aurea, quam & argentea præparauit. Euangelium aureis argenteisque describi fecit litteris, aureisq; muniuit tabulis, & gēmis distinxit pretiosis. His quoque versibus insigniuit.

Sancta Dei genitrix & semper virgo Maria,
Incmarus Præsul defero dona tibi.
Hæc pia quæ gestit, docuit nos Christus Iesus,
Editus ex vtero, casta puella, tuo.

Librum quoque sacramentorum, sed & Lectionarium, quos scribi fecit, ebore argentoque decorauit. Candelabra texit argento, & templum variis ornauit lampadibus, & coronis, diuersisque tam palliorum, quam cortinarum, atq; tapetium operuit ornamentis. Sacras etiam vestes altaris procurauit ministris. Pluribus denique conuocatis Episcopis, sed & Karolo rege in hanc ciuitatem adueniente, in honore incompatabilis & perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ, vt & antiqua fuerat sacrata, basilicam solemniter dedicauit, & cum coëpiscoporum cooperatione sub omnipotētis inuocatione Trinitatis almificæ consecrauit.

De miraculis in eadem Ecclesia postea declaratis.

Cap. VI.

IN hac igitur Ecclesia multa diuersis temporibus Dei virtute sub ineffabilis Christi genitricis Mariæ sunt honore patrata miracula. Quorum plurima, quæ ante nostram ætatem sunt gesta, nobis habentur incognita. Nos tamen ea, quæ coram positi vidimus, vel personis quæ viderant referentibus agnouimus, silētio hic quoque præterire incongruum rati sumus, licet ea versib. olim exarauimus. Mulier quædam ciuis huius vrbis, nomine Altrudis, vnicam paruulam nutriebat filiam, quæ adhuc sub vbere matris posita, efficitur cæca. Pro qua cum variis frustra æstuaret mater remediis, nec vlla posset iuuari medela, ad summum cogitat se vertere medicum: eiusque probat non aptius per quempiam sanctorum poscere posse misericordiam, quam per ipsius vnicam, cuius etiam erat ipsa famula, genetricē. Præparansque candelarum munuscula, tam pro se quā filia, templum hoc petit, cælitum reginæ clementiam rogatura, præfigensque candelabris luminaria, tum pauimentis adstrata, cor supplex effundit in vota. Nec se posse præsumens sufficere, ministros suppliciter deposcit altaris ... sius petitionem suis precibus adiuuare. Et quia deuote ac fideliter postulauit, votum obtinere promeruit, lumenque sobolis impetrauit. Vnde gratias agentem Deo, ipsiusque genitrici piissimæ, cum adiutoribus sibi sacris ministris eam vidimus postea, dum sanam, clareque contuentem suam nobis exhiberet filiam.

Quidam clericus nostræ congregationis, carne nobilis, Hugo nomine, ita nimio dentium fatigabatur dolore, vt nec somnum, nec cibum præ nimietate valeret ægritudinis capere. Qui requisitus à quodam seniore, exposita suæ vexationis afflictione, hoc ab eo consilij accepit, vt coram altari Dei genitricis sese prosternens, eius corde tenus super hac anxietate sua deprecaretur clementiam. Et surgens ab oratione, osculato altari, supra nudum ipsius marmor, in qua vexabatur deponeret maxillam, sicque sanandum se confidens, domum regressus cooperiri se vestibus faceret, atque sopori permitteret. Quibus ille per ordinem patratis, somnum iniit. Tempus autem erat solemnitatis natalis Domini, & fratres post celebratum vespertinum officium in cœnaculo, vbi calefaciendi causa consueuerant colligi, residebant. Præfatus vero frater videt in somnis illic se præ gradibus cœnaculi adstitisse, atque beatam Dei genitricem in superioribus, ante ipsius ostium domus consistere. A sinistris in gradu infimo sub specie cuiusdam chirurgi, malignum conspexit adstare spiritum. Non dubitans autem, quæ esset illa quam aspiciebat Domina, pauore terri hostis abiecto, ad eam vsque conscendit, & ante ipsius procidens pedes, eiusdem susceptus est manu: ita vt mentum illius tenens, vexatam piissima Domina contingeret maxillam. Et erigens eum blande consolata est, asserens ideo se non inuentam ab eo in Ecclesia, quoniam ibidem ad custodiam fratrum staret. Ille, inquiens, malignus, quem vides hic proastantem, cogitat huc ascendere, & vult nostros fratres conturbare. Præcepitque eum redire, & de concessa sibi salute confidere. Qui rursus ad eius se prosternens pedes erectus est ab ea, vestem tantum purpuream, qua ipsa erat induta, deosculans. Sicque mox excitatus, dari sibi præcepit manducare. Quod vt eiusdem domestici audiere, insanire illum putantes, quia tam alacriter sibi cibum dari peteret, anxiari cœperūt. Ille vero confirmabat, se à beata Dei genitrice sanatū, nihilque vel ægritudinis se, vel insaniæ pati. Sicque celerrime redditus sospitati, sæpe postea fidenter adstipulabatur, non se vlterius esse passurum talia, quem rāta saluti restituisset Domina. Quod & reuera illi accidit, vt deinceps huiusmodi ægritudinem, nequaquā senserit, dum pluribus postmodum vixerit annis.

Huius Hugonis clericus & diaconus, Ehrardus nomine, febris anhelæ vexabatur æstibus: qui huius ægritudinis agitatus angoribus, in crypta, quæ sub ipsius Ecclesiæ sede in honore beati Remigij consecrata est, fessus residebat, dum illic missæ celebrarentur mysteria. Cui vi febrium fatigato [vt assolet febricitantibus] sopor irruit. Et ecce videt beatam Dei genitricem sibi adstantem, impositaque manu eius capiti pertransisse, & post altare sese visa est intulisse. Mox ille patefactis oculis surgit, finitisque mysterijs iam sanus, Amen respondet, & alacer officiorum interuit explerioni. Cuius caput ad tactum mirabilis Dominæ ita est delibutum, ac si oleo eadem fuisset hora perunctū. Quod nos quoque mirati sumus, qui eum ipsa die lætum, & comedentem nobiscum vidimus.

Tres denique claudos, & poplitibus contractis, nullo modo gressum figere valentes, in hac Ecclesia diuersis * conspeximus erectos temporibus. Vnum quidem sub Episcopatu domni Heriuei Præsulis, qui aliorum manibus illuc delatus, proprijs regressus est pedibus. Alium sub præsulatu Seulfi, nomine Maganerum, qui gente Britannus, vtroque genu claudus, & scabellis inhærens, inter nos piorum eleemosynis sustētatus, trāsacto fere iam demorabatur anno. Huic dum nocturnas in omnium Sanctorū solemnitate celebraremus laudes, ita subito in medio populi iacenti genuum extensi sunt nerui, vt lora quoque, quibus crura eius coxis erant annexa, rumperentur, rupta etiam pelle ex poplitibus ei sanguis deflueret: surgensque, stupēte populo, gressib. deinceps vsus est proprijs. Tertium vero sub huius domni Præsulis Artoldi Pontificatu, eoque missarum sacra celebrante, die solemni eiusdem sacratissimæ virginis, qua Gabriel

*ms cognouimus.

Idem refert in Chrō an. 934.

Archangelus ad eam missus ab astris, partum illi mirabilem sæculis nunciauit. Qui claudus, pauper, & miserabilis, dum per pauimenti sese marmora traheret, repente solutus extenditur, & tellurem corpore mensus, in pedes tandem erigitur, incessuque nouo auxit lætanti gaudia populo, quique adhuc inter nos degens stipe sustentatur Præsulis.

j. Gerla nus.

Quartus quoque quidam ruricola, * Gerlaius nomine, ex familia huius Ecclesiæ, hanc vrbem adiens oratorus, beatæ Dei genitricis Mariæ ingressus est basilicam. Vbi dum vota profundit, subito marcore diriguit, contractisque neruis, pene cunctis adstringitur membris, sicque coarctatus, ibidem se permansurum, & dum viueret seruiturum, si relaxaretur, promisit. Tandem post mensem his absolutus vinculis, Ecclesiasticis addicitur seruitiis. Sicque partim in eadem Ecclesia, partim in basilica sancti Dionysij extra murum ciuitatis per quinquennium incolumis deseruiuit. Post quod temporis spatium, in eadem solemnitate, Hypapanti scilicet Saluatoris, hanc ingressus Ecclesiam, dum precibus incumbit, ita rigentibus membris visus est adhæsisse pauimentis, vt nec os, nec aliquod membrum ab his releuare valeret. Erectus autem à circumstantibus, tam cruribus, quam ambabus contrahitur manibus. Quintadecima deinde die iterum absolutus, nec multo post humanis exemptus est rebus. Sed quis enarrare præualeat, quot hic languentes pene quotidie pia dona salutis sumunt? quot febricitantes, quot saluantur energumeni? quis vel edicere pestes hic liberatis hominibus effugatas? Sed de innumerabilibus saltem pauca commemorasse sufficiat.

De visione cuiusdam Gerhardi presbyteri.

Cap. VII.

PResbyter quidam de pago Portensi, Gerhardus nomine, in quandam dudum deciderat valitudinem, ita vt veneno potatus esse crederetur. In qua valitudine Sanctorum nonnullis consolatus est visitationibus, beati scilicet Petri Apostoli, qui suam ei, quam regebat, præcepit etiam bis, vt restaurare studeret Ecclesiam, atque redarguit per visa, cur totiens medicos salutis suæ requisierit causa. Sanctum quoque Remigium postea sibi videt adsistere, suam illi pandendo personam, & ægritudinis huius remedia pollicentem. Qui mox vrbem Remensem adiens, dum perlustratis orationis gratia beatæ Dei genitricis, ac sancti Remigij basilicis, in vico noctu requiesceret, ipsius beati Remigij videt se deductum in templum quoddam splendidissimum, ad quod beatissimam conspicit virginem Mariam properantem, sancto Remigio, sanctoque Martino ab vtroque latere stipantibus eam. In ipso verò templo multitudo Leuitici ordinis atque sacerdotalis dignitatis eam expectabat, & diacones induti dalmaticis, quidam cum palmis, quidam sine ipsis adstabant. Cæterorum quoque sanctorum plurimus hic ordo videbatur. Idem verò Presbyter nullius specialiter cognoscebat vultum, præter beati Petri, qui sibi iam pridem fuerat reuelatus. At postquam beata Dei genitrix ad prædictum templum peruenit, vbi eius aduentum hic frater se præstolari videbat, requirere cœpit, quis ille esset, aut quid quæreret. Cui beatus Remigius: Famulus, inquit, meus est, Domina, quærens à tua pietate salutis remedia. Quid autem ipsa responderit, iste, vt retulit, audire non potuit. Velum verò quoddam oppansum ibidem videbatur: post quod vbi ipsa intrauit, splendidius hanc sole lumen ab oculis eius suscepit, ita vt in id, præ splendoris magnitudine, intendere minimè potuerit. Post aliquot denique dies apparuit illi beatus Martinus, missumque se à sancto Remigio ad eumdem testatus est, asserens etiam illi donatam vitam, concessamque medicinam. Restitit tamen postea huic dubietas aliqua de beatæ Dei genitricis persona, quoniam nomen ipsius in visione reuelatum non audierat. Sed precabatur assidue, vt Dominus sibi monstrare dignaretur, verum ipsa fuisset, quam viderat, Dei genitrix virgo Maria. Contigit autem illi post sex fere menses, vt subito, dum noctu quiesceret, graui premeretur ægritudine, adeo vt desperaret vlterius se posse viuere. Et dum valde anxiaretur, appositis supra se beatæ Mariæ pigneribus, huiusmodi cœpit effundere preces: O beata Dei genitrix, cuius hic dependent pignera, si reuera (vt credimus) de te nobis hæ superappensæ habentur reliquiæ: & si vere de te visio est, quam nuper vidi: si tu es illa domina, quam ad illud mirabile templum sanctus Martinus, & almus Remigius comitabantur euntem, vbi te clarissimus Sanctorum cœtus expectans, aspiciente me, lætanter excepit, fer opem mihi vitam atque virtutem, vt Missæ mysteria Domino celebrem, & munera vitæ corporis Christi sumere merear: visoque, beati Pontifices Christi, quos cum eadem comitati conspexi, adiuuate me apud ipsam, qui me vestro piissimo consolari dignati fuistis alloquio. Interea inter angores precesque vix leuis obrepsit somnus, cum subito sub eodem vultu habituque, quo prius eandem aspexerat, beatissima se videndam præbuit regina, eisdem columnis innixa, quibus & antea inniti fuerat visa luce coruscans clarissima. At ille tanto tremefactus splendore, nihilque fari ausus, luminibus in terram demissis videbatur stupefactus hærere. Quem beatus compellans Remigius: Quid, inquit, nos huc aduocasti? Nonne vides Dominam nostram Dei genitricem te confortare paratam? quid dubitans tardas accedere ad illam? His dictis tremor abscedit, alleuatur animus, eleuansque oculos vires recepit, & ante pedes beatissimæ Dominæ frater ille corruisse se vidit. Quem manu ipsa leuare dignata, fronti signum crucis imponit, & talia prosequitur: Ne timeas, neque desperes, confide in Domino, quia percipies donum ab ipso salutis: signumque pulsare iube vt sacra mysteria celebres, & gratias Deo referas, eum collaudans qui te post verbera sanat. His dictis, ab eius recessit visibus, suis stipata comitibus. Sicque mox frater idem collata sibi salute lætus exurgit, & ad explenda iussa festinans, ita sanus & alacer effectus est, vt nunquam alacrior esse potuerit. Hæc vt eodem presbytero narrante didicimus, ita describere quoque dignum rati sumus.

De aliis quibusdam miraculis.

Cap. VIII.

HÆc inclyta cæli regina, vt subuenire solet humili se corde petentibus: sic in præsumptores vel contemptores visionis nonnunquam pœnas exerit. Quod pie quoque fieri credimus, vt hic in præsenti delinquentibus digna ingerantur verbera, ne in futuro grauiora eis exercitentur tormenta. Quod autem modo dicturus sum non ipse vidi, sed multorum relatu patrum narrari frequenter audiui. Quidam ex clericis nostræ congregationis, Bernardus nomine custos huius erat Ecclesiæ: à quibusdam leuibus personis (vt ipse post scripto monstrauit) quatenus ipsis quædam sanctorum dedisset pignera: dum quadam die cum quodam puero hic solus esset in templo correpta quadam pixide, in qua sanctorum continebantur reliquiæ, ausu temerario præsumpsit aperire. Quo facto nimio pauore concutitur, & nebula locus totus magna repletur: talique vallatur horrore, vt non putaret se amplius viuere. Sicque perdita voce, tam ipse, quam puer, qui secum erat, vltra loqui, nec

ea quæ videtant fari potuerunt,

Quidam quoque custos huius Ecclesiæ, vt ipse nobis narrauit, dum die aliqua post matutinales laudes in Ecclesia requiescere vellet, arripiens templi tapetia, lectum sibi ex his strauit, ibique sese somno dedit. Et ecce matrona quædam sub habitu senili eidem apparuit, quæ herbas quasdam secum videbatur deferre. Hæc primo quidem blandis eum cœpit affari sermonibus. Vbi vero sacra sub eo contemplatur tapetia, taliter infit, eum mutato quoque vultu terrens, aggressa. Et tu Dominæ sanctæ Dei genitricis ausus es violare, ac pedibus sacra superbe conculcare ornamenta, nec tantam timuisti Dominam? Modo quidem parcam: nunquam tamen vltra præsumas talia. Exemplumque dedit illi de quodam, qui sic sibi lectū solebat sternere, quem nouimus olim ærumnis affectum in paupertinio quoque statu obisse. Ita deterritus surgit propriamque culpam confessus, stamina tapetia reddit, & Dominum super hac correptione sua eiusque collaudat genitricem. Hanc autem Dominam quæ se visitauerat non agnouit: à beata Maria tamen fuisse credimus missam. Nouimus etiam quosdam deuotos atque promissos à parentibus in hac Ecclesia fore Christo, eiusque genitrici seruituros. Quod votum dum vellent postea mutare parentes, protis sunt coacti languore suam promissionem adimplere.

Peregrinationes sanctæ. Dudum cum agricolæ vrbi vicini post Pascha, solito de more, hanc petissent vrbem huius admirabilis Dominæ requirendo suffragia, suaque vota ferendo, quædam villæ consueta quærere neglexere præsidia. Quarum messes cum iam tempus instaret metendi, tanta tempestatis sunt attritæ grandine, vt pene omnia eorum perierint sata: vineæ quoque, adustis fructisque pampinis, vuatum amiserint fructum. Eorum vero fines qui se huius piissimæ dominatricis munere subsidiis, neque tangere, nedum intrare grando præsumpsit. Sicque deinceps tam hi, quam cæteri quique contigui, promptius libentiusque annuatim eiusdem Dominæ nostræ, sancti quoque Remigij, cæterorumque Sanctorum hanc Remensem adeuntes vrbem, consueuetunt expetere patrocinia.

De secunda Beati Remigij corporis translatione.

Cap. IX.

Præfatus denique Præsul Hincmarus cryptam præclari operis ad pedes S. Remigij construxit, & corpus eiusdem beatissimi patroni de loco cryptæ prioris, vna cum sepulchro ipsius in eadem, collectis Remensis Diœceseos Episcopis, vt iam superius dictum est, (Lib. 1. cap. 21.) transtulit: & ante ipsius sepulchrum opus egregium auro edidit, gemmisque distinxit, fenestram inibi, vnde Sancti sepulchrum videretur, fecit, & circa ipsam fenestellam hos versiculos indidit,

Hoc tibi Remigi fabricauit magne sepulchrum
Hincmarus Præsul, ductus amore tuo.
Vt requiem Dominus tribuat mihi, Sancte, precatu
Et dignus, meritu, mi venerande, tuis.

Euangelium aureis litteris insigniuit, ac parietib. aureis, gemmarumque nitore distinctis muniuit, versibus etiam auro inclytis prætitulauit. Sed & crucem maiorem cooperuit auro, gemmisque decorauit. Librum quoque sacramentorum sub eburneis tabulis, argento præsignitis: sed & Lectionariom ad missas librum, pari decore venustatum, ibidem contulit, aliosque libros & ornamenta nonnulla eidem venerabili loco delegauit.

De corpore autem ipsius beatissimi Remigij non est ausus aliquid sumere, sicut ipse quoque testatur in epistola ad Ludouvicum regem Transrhenensem, qui (3. id.) id sibi ab eo petebat muneris. Sed * hic Pontifex pro maxima præsumptione asserit se duxisse, corpus eius, quod Dominus per tanta tempora integrum conseruauerat, disrumpere.

De pallij cotidiani vsu à Romano sedis Præsule perceptione, & rebus Ecclesiæ sub eo concessis.

Cap. X.

Hic denique venerabilis Præsul Hincmarus, pro suæ sanctitatis ac sapientiæ reuerentia, per interuentionem Lotharij Imperatoris pallium ad cotidianum * suscepit vsum à quarto Leone Papâ, à quo (*c.j. recepit.*) iam aliud perceperat in designatis sibi solemnitatibus debite fruendum. Quem cotidianum pallij vsum nulli vnquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, idem Papa in epistola tunc ad eum directa testatur. Scripsit autem præfatus Pontifex ad eundem Papam Leonem sexies, vt ipse in quadam ad eundem asserit epistola vel septies, sua dirigens ad eum scripta. In hac vero epistola de his, quos temeritas chorepiscopalis ordinare. vel quod Spiritum sanctum consignando tradere præsumebat, requisiuit. Et quod terrena potestas hac materia sæpe offenderet, vt videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium peragereiur, & res ac facultates Ecclesiæ sæcularium vsibus expendereotur, sicut & in nostra Ecclesia iam secundo actum fuisset. Item de his, quos domnus Ebo post depositionem suam ordinauerat. In alia quoque epistola scribit de quodam Fulcrico, Imperatoris Lotharij vassallo, de quo etiam pridem ei significauerat, pro quo Ecclesiæ nonnullæ per hoc regnum maximum patiebantur impedimentum, cui vxore sua dimissa, postquam excommunicatus ab eo proinde fuerat, aliam insuper ducere præsumpsit vxorem. Item in eadem de priuilegijs huius Rhemensis Ecclesiæ, quæ habuit ab initio, quo priuilegia sedes habere cœperunt: & quia Remorum Episcopus primas inter primates semper, & vnus de primis Galliæ Primatibus extitit, nec alium se ponorem, præter Apostolicum Præsulem, habuit: vt scilicet ea, quæ tanto tempore ab antecessoribus ipsius huic sedi sunt concessa & conseruata, conseruare & augmentare dignetur. Ab Imperatore quoque Lothario præceptionis imperialis auctoritatem super quibusdam rebus coniacentibus in his locis, Meutauallis, Termedo, Roserolis obtinuit, quæ tempore Karoli Imperatoris, occasione quadam interueniente, à Remensi sunt abstractæ Ecclesia, & publicis vsibus subactæ, quas hic Lotharius imperator ad partem sanctæ Mariæ, ac sancti Remigij sua restituit auctoritate. Qui Lotharius imperator nonnullis hunc Præsulem Hincmarum apud Leonem Papam honorifice commendasse reperitur Episcopis atque Legatis. Sed & quando Romam petere idem Pontifex disposuerat, epistolam suam idem Imperator pro eo præmittens, suggessit præfato Papæ, vt ipsum decenter amabiliterque susciperet, & quicquid ab eo postulasset, libenter et liberaliterque tribueret. Item aliam pro synodalibus diffinitionibus, de ordinatis ab Ebone post suam depositionem, à sede Apostolica confirmandis, & quibusdam priuilegiis eidem Hincmaro sedique Remensi concedendis: & quia illam volentem Romam proficisci, tam ipse quam frater suus Karolus rex Franciæ, * quando valde necessarius eis erat ad sopiendas quæ tunc exortæ fuerant perturbationes, retinerent. (*M. q. c.j. quoniam.*) In qua epistola commemorat, quod in hac sede Remensi beati Sixti primi eiusdem Episcopi, & Apostolorum discipuli, prædecessores ipsius Papæ, Stephanus Pippino, & Leo Karolo magno, Apostolica contulerint munia. (*Stepha.*) Alius quoque Stephanus Ludovvicum Augustum in eadem sede im- (*Leo iij.*)

perlali diademate coronauerit. Ad hoc denique obtinendum, quod pro prædicto Præsule petebat, idem Lotharius Petrum Spoletinum Episcopum, mandatis super hac re per semet instructum, executorem direxerat, & alium Petrum Aretinum Episcopum litteris exinde commonuerat aliosque, quosdam tam suos, quam præmissi Papæ fideles ad id peragendum destinauerat. Eidem Lothario Imperatori scribit præfatus Præsul Hincmarus de Fulcrico eius vassallo, quem excomunicauerat, qualiter ad pœnitentiam venire debeat. Item aliam Epistolam in qua continentur culpæ ipsius Fulcrici, & quomodo eum rationabiliter excommunicauerit, quia noluerit ad pœnitentiam venire. Item aliam, in qua valde collaudat eum, congaudens eius humilitati, quod ipsius obaudierit monitis super præfato excommunicato, absoluitque eum id humiliter deprecantem, pro participatione quam habuerat cum ipso. Item postquam conualuerat idem Imperator de infirmitate sua. In qua epistola eum satis episcopaliter, licet succincte, de salute admonet animæ. Et alia nonnulla eidem scripsit. A Karolo denique rege sub hic Præsul Hincmarus cellam in honore sancti Martini, in municipio Vongo constructam, cum omnibus ad eandem cellam iuste pertinentibus, ad partem Remensis Ecclesiæ reimpetrauit, ac per auctoritatis ipsius præceptum recepit. Ad ipsius suggestionem dedit idem Karolus rex Ecclesiæ sancti Remigij, vel monachis ibidem Deo seruientibus, res quasdam: hoc est in pago * Pertinse, in villa Baildronis curte mansa duo, & in Dodelini monte, massa duo, atque in Vualdonis curte massa duo cum mancipiis & omnibus ad easdem res legaliter aspicientibus. Præceptum quoque ipsius Caroli de via, quæ impediebat ad claustrum Canonicorum sanctæ Remensis Ecclesiæ amplificandum (quoniam & numerum eorundem Canonicorum augmentauerat) idem domnus Hincmarus obtinuit. Res præterea quasdam quæ ab hoc rege dudum fuerant Episcopio subtractæ, Ecclesiæ redintegrari laborauit: id est villam Nouiliacum, quam Carlomanus ad Ecclesiam sancti Remigij pro animæ suæ dedit remedio tam ipsam villam quam res & mancipia, quæ diuersi homines dono regis retinebant, ad eandem pertinentia. Item res aliquas in Culmisiaco & Bairaco sitas. Item res super fluuium Rotomnam, & in aliis nonnullis locis coniacentes. Itemque à Rege Ludovvico Transrhenensi præceptum restitutionis accepit super quibusdam rebus sancto Remigio quondam legatis: hoc est in pago Vvormacensi * Scauenheim cum omnibus ad se pertinentibus, Cossa & Gleni in saltu Vosago. In Thuringia quoque & Austria, in loco qui dicitur Schonerunstat, & in Helisleba, cum omnibus ibidem aspicientibus. Res quoque nonnullas, iuraque Ecclesiæ ac mancipia legibus per aduocatos euindicata recepisse reperitur. Res etiam nonnullas Episcopij, terras scilicet atque mancipia, cum diuersis personis, ad incrementum Ecclesiæ pro partium opportunitate commutauit. Sed & præcepta regalia super pluribus earum rerum commutationibus obtinere curauit. Canonicis quoque huius Remensis Ecclesiæ hospitale constituit ad susceptionem peregrinorum, vel pauperum congruis ad id rebus deputatis, cum consensu coëpiscoporum Remensis diœceseos, atque subscriptionibus eorundem: ea conditione; vt nullo vnquam tempore quilibet Episcopus, vel qualibet persona easdem res cuiquam in beneficium dare, vel in alios vsus quocunque modo abstrahere præsumat; neque aliquem censum, vel redhibitionem exinde accipiat: sed totum quicquid ex ipsis rebus iuste adquiri potuerit, in vsus pauperum atque Canonicorum secundum modum descriptum in priuilegio, à se & cæteris Episcopis confirmato, expendatur. Super hoc quoque constituto regiæ auctoritatis præceptum à Carolo rege fieri atque firmari obtinuit. Res præterea & villas Episcopij pæne omnes ordinatis rationabiliter colonis describi fecit.

Stepha. V.

t. Po in. iuse.

Hincmarus auxit numerum Canonicorũ Remẽs.

t Stadẽ. heim.

Fundauit hospitale eccle. Remẽsis.

De Synodo comprouinciali apud Suessionicam vrbem habita.

Cap. XI.

Hic honorabilis Præsul Hincmarus, anno sui Episcopatus septimo, synodum habuit comprouincialem apud Suessionicam vrbem, in monasterio sancti Medardi, in Ecclesia sãctæ Trinitatis honore sacrata, cum Vvenilone Senonensi Archiepiscopo, Amalrico Turonensi, Theoderico Cameracensi Episcopo, Rothado Suessonico, Lupo Cathalaunensi, Immone Nouiomagensi, Erpuino Siluanectensi, Ermenfrido Beluacensi, Pardulo Laudunensi, Hilmerado Ambianensi, Huberto Meldensi, Agio Aurelianensi, Prudentio Trecassino, Hermano Niuernensi, Iona Augustudunensi, Godelsado Cauilonensi, Dodone Andegauensi; Guntberto Ebroicensi, Hildebranno Sagiẽsi, Rigboldo Remorum Chorepiscopo. Residentibus etiam Presbyteris & Abbatibus Dodone Abbate monasterij sancti Sabini, Lupo Abbate monasterij quod dicitur Ferrarium, Bernardo Abbate monasterij sancti Benedicti, quod dicitur Floriacum, Odone monasterij, quod dicitur Corbeiæ, Heriaco monasterij Corbionis, Bauone monasterij Orbacensis, & quampluribus aliis sacerdotibus, & Abbatibus, adstantibus Diaconibus, ac reliquorum graduum clero. Residente quoque in medio glorioso Rege Carolo. Vbi quædam necessaria Ecclesiæ Dei sunt pertractata negotia. Ad quam Synodum accedentes quidam Remensis Ecclesiæ Canonici ac monachi, videlicet Radoldus, Gisloldus, * Vulfadus, Fredebertus ex Canonicis ipsius matris Ecclesiæ: Sigismundus ex cœnobio sancti Theoderici: ex monachis autem monasterij sancti Remigij, Nortvinus, Heinradus, Mauringus, Antheus, Tetlandus, Hairohaldus, Radulfus, Vvicpertus, clamauerunt suspensos se à præfato Archiepiscopo suo ab administratione ordinum Ecclesiasticorum, ad quos ab Ebone quondam prouecti fuerant. Super qua reclamatione elegit prænotatus Pontifex Hincmarus iudices sibi Vvenilonem & Almaricum supra taxatos Archiepiscopos, Pardulum quoque Laudunensem Episcopum, qui in hoc iudicio locum Metropolitanæ suæ seruaret auctoritatis. Ipsi clamatores eosdem iudices suscipientes, addiderunt etiam Prudentium Trecassinæ ciuitatis Episcopum. Hi iudices constituti hoc iudicarunt, quod si Ebo Archiepiscopus in suo statu manens canonice hos fratres ordinauerit, deberent ministrare. Si etiam iniuste deiectus, & canonice restitutus, post suam canonicam restitutionem eosdem ordinauerit, sine vlla quæstione deberent etiam ministrare. Vnde interrogati sunt ordinatores Hincmari, vt edicerent quæ de Ebonis depositione, & de Hincmari comperissent ordinatione. Tunc surgens Theodoricus Cameracensis Episcopus porrexit in conspectu principis & Synodi scriptum, continens ordinem depositionis præfati Ebonis. Tum ventilatum est qualiter exauctoratus Episcopus restitui debeat, & quia idem Ebo restitutus canonice non fuerit, insuper & ab Apostolica sede Sergio Papa confirmante deiectionem illius, damnatus extiterit, vt in * laica tantummodo communione maneret. Tum recitata auctoritate, qualiter Metropolitanus debeat ordinari: litteris quoque canonicis Erchamradi; Episcopi Parisiorum Ecclesiæ, confirmatis sua suique Archiepiscopi & coëpiscoporum suorum manibus, quas ad petitionem Remensis Ec-

an. 11.

* Vol fadus.

* ministeriali.

clesiæ cleri ac plebis Hincmaro tribuerat: decreto etiam canonico Remorum cleri nobiliumque manibus roborato, qualiter eumdem Hincmarum sibi postularunt ordinari Episcopum ostensum est canonice cum præsentia vel consensu omnium coëpiscoporum Remensis diœceseos eum ordinatum Archiepiscopum. Post hæc surgens idem Hincmarus, in * conspectum Principis & Synodi porrexit litteras Canonicas quas ordinatum sacri Canones ab ordinatoribus accipere iubent, diem præferentes & Consulem. Porrexit etiam epistolam Remensis prouinciæ, ac pæne totius Galliæ manibus Episcoporum subscriptam, ad Apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis datam. Ostendit etiam diploma factum, ipsius venerandi Principis manibus insignitum, & sigillo subtersignatum, ex approbatione suæ ordinationis ad eandem sanctam & Apostolicam Romanam Ecclesiam. Sicque iudicatum atque confirmatum est Hincmarum Episcopum canonice ordinatum. Deinde ventilatum est, quid decernendum foret de his, quos Ebo suam depositionem, absque legitima restitutione, præsumpserat ordinare. Tunc surgens Immo Nouiomagensis Episcopus, porrexit * rotulum auctoritatem Canonicam & Apostolicam continentem: quoniam quæ ab ipso visi fuerant ordinari in gradus ecclesiasticos, ab eodem, quod ipse non habuit, nemo eorum accipere potuit: & cætera. Sicque decretum est, vt quicquid in ordinationibus ecclesiasticis Ebo post depositionem suam egerat, secundum traditionem suam egerat, secundum traditionem Apostolicæ sedis, præter sacrum baptisma (quod in nomine sanctæ trinitatis perfectum est) irritum haberetur, & ordinati ab eo gradibus ecclesiasticis priuati existerent. Tunc vnus ex prædictis fratribus nomine Fredebertus libellum proclamationis legit, in quo continebatur, quod ideo se ab Ebone permisissent ordinari, quia viderant suffraganeos Remensis ecclesiæ, Rothadum videlicet episcopum Lupum, Simeonem, Erpuinum in Metropolim Remensem ecclesiam conuenisse cum litteris Lotharij Imperatoris, & eundem Ebonem restituisse. at insuper ostenderunt iidem præfati clerici litteras quasi ex nomine Theodorici episcopi, Rothadi, Lupi, Immonis, ac cæterorum huius diœceseos episcoporum manibus roboratas: quæ tamen ab eisdem episcopis † recitatæ falsæque sunt comprobatæ: & quia talia episcopis impingere præsumpserint, iussi sunt communione priuati. His ita terminatis, decreto iudicium, atque consensu Principis Hincmarus Archiepiscopus primatus sui locum recepit. Tum de Presbytero quodam & Abbate Altiuillaris cœnobij, nomine Halduino, ab Ebone Diaconus visus fuerat ordinatus, & à Lupo postea Catalaunensi episcopo presbyter fuerat consecratus, mota est quæstio. Surgens itaque Lupus episcopus, porrexit volumen, in quo continebatur, quomodo iussus est regiis litteris Caroli regis vt quia Metropolis Remorum ecclesia pastore carebat, in confectione chrismatis, aliisque negotiis ecclesiasticis pro sui possibilitate consulere procuraret. Quocirca cum epistola regia vt ipsum Halduinum presbyterum ordinaret, atque in Altiuillari monasterio abbatem sacraret, Archidiaconus Remensis ecclesiæ, cum aliis comministris tam Canonicis quam monachis illi obtulerit; quemque ad votum præfati principis & offerentium ordinauerit. Vnde iudicatum est à synodo, eundem episcopum nihil damnationis de illius ordinatione attigisse. Sed qui saltu sine gradu Diaconij ad sacerdotium prosilierit, in degradationem debitam resilire deberet. Deinde requisitum est de his, qui Eboni post depositionem suam communicauerant, & recitata auctoritate qualiter sanari deberent, repertum est ex Canonicis institutis, eos post satisfactionem, data illis indulgentia & communione sacra cum benedictione tributa, per eorum proprium episcopum, operante Domino nostro Iesu Christo, purificari atque sanari posse. Quod & actum est per venerabilem Hincmarum Archiepiscopum. His ita peractis, benignus princeps Carolus petiit Hincmarum Archiepiscopum, reliquosque Pontifices, vt quia præfati fratres gradus ecclesiasticos obtinere non valebant, communionem saltem recipere possent per synodi indulgentiam. Quod & pietas sacerdotalis libenter assensit, & misericorditer eisdem fratribus veniam concessit. Et ita hæc omnia gestis inserta, & in * conspectum synodi recitata, & rata iudicata, prædictorum manibus episcoporum, & aliorum, qui interfuere, subscriptione firmata sunt.

Quæ actio synodi sedi Apostolicæ ab Hincmaro directa, & à Benedicto Papa Leonis successore corroborata est. Qui etiam Benedictus Papa priuilegium auctoritate beati Petri, & Apostolicæ ipsius sedis huic Præsuli nostro Hincmaro contulit, sciens ne quilibet huius diœceseos regulis subiectus, eo contempto impune auderet, seu valeret aliena expetere, aut expectare iudicia. Sed domnus Nicolaus eiusdem Benedicti successor, petentibus sedem Apostolicam prænotatis deiectis, præmemoratæ gesta synodi retractasse atque reprehendisse reperitur: præcipuè quod sola obedientia subditorum reputata fuisset in culpam: & qui prælati iudicio temere non restiterunt, sed humiliter colla subdiderunt, seueriſſime punirentur, & qui misericordiam petiuerant, nec iustum, vt asserit, iudicium meruerint. Intimat etiam quomodo domnus Hincmarus pro his actis Concilij Leoni Papæ non semel supplices litteras miserit, quatenus idem Concilium approbans, auctoritate Apostolica roboraret. Quod ille agere sollicite renuerit, eo quod per aliquos ex his episcopis, qui synodo resederant, vt dubitatio foret radicitus euulsa, eiusdem synodi statuta destinari debuissent, præcipue cum ibidem Legati sedis Apostolicæ præsentes non fuerint. at quia hi quos ille auctoritate synodi affirmabat depositos, per proprias litteras ad sedem Apostolicam appellauerint, & vellent iterum se Apostolicæ sedis auditu præsentia, præcepisse quoque eumdem Papam, vt Hincmarus Præsul ad Concilium cum illis occurreret, ad quod suum ipse Legatum, Petrum videlicet episcopum Spoletanum, è latere suo direxerat, ad renouandum scilicet iudicium vice sua. Cui audientiæ, quoniam domnus Hincmarus suam non exhibuit præsentiam, voti effectu frustrato, Leo Pontifex ab hac luce subtractus est. Benedicto autem viro Apostolico succedente, eidem subreptum fuisse, & in ipso consecrationis eius principio suasum, vt illud firmaret Concilium, non tamen ei suaderi potuisse, vt à iustę definitionis tramitte declinaret. Verum ita per ei concessum priuilegium illius Concilij roborasse institutum, vt auctoritatis summam sedi Apostolicæ reseruarit: ita decernens manere inconuulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia quæ de illa synodo ab Hincmaro referebantur, & vt inde quæstio nullis aliquando temporibus oriretur. Sed quoniam non ita per omnia, ceu suggestum est, fuisse comprobaretur, merito asserit in irritum deductum, quod contra deiectos non simpliciter fuerat impetratum. Quocirca primum quidem domno Hincmaro mandauit, vt commemoratos viros, Vulfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeret ad se reuocare, & de restitutione ipsorum secum fraterne tractaret, atque misericorditer consummare contenderet. Alioquin ad Concilium cum his episcopis, quibus & ipse quoque Papa pro hoc ipso scripserat, simul occurreret, quatenus omnes in vnum conuenientes, causam eorumdem clericorum examinarent, & non aliqua emergente disce-

Marginal notes: ms. conspectu. — ms. rotulam. — † lectæ, & refutatæ. — ms. conspectu. — Leo iiij. — Bened. iij. epist. j. — Nicol. J epist. 46. — Nicol. ep. 47. — Nicol. epist 46 47. & in append 13.

nicæ ciuitatis Episcopi detectione, quem ab Episcopali ministerio iudicio remouerat Episcoporum. De commemoratione etiam nominis Ebonis, atque de Gothescalci cuiusdam hæretici damnatione præfatus Præsul huiusmodi scripta duxisse ad sedem reperitur Apostolicam.

DOMNO VNICE SINGVLARITERQVE suscipiendo patrum patri, & summa veneratione honorando reuerendissimo Papæ Nicolao, Hincmarus nomine, non merito, Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus.

*IN EPISTOLA vestra sanctitatis per Odonem Episcopum Episcopis in regno Lotharii pro præiudicio Camaracensis Ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem scisscitaturam, cuius neglectu eadem Ecclesia vltra decimum mensem pastore vacaret, vnde, ne vt negligens a vestro Apostolatu succensear, indico auctoritati vestræ post directas Lothario & Episcopis regni eius atque Hilduino, qui eandem Ecclesiam irregulariter occupauit, ita vt antequam ipsas mitteretis epistolas, vel tenus præiudicium permaneret. meque Lotharium regem & legatis & litteris, prout potui, sæpe & eo vsque inde commonuisse, donec regius suis litteris mihi respondit, Hilduinum ad vestram auctoritatem suum Legatum misisse, & nihil aliter de præfata Ecclesia, nisi vt egerat, disponere debuisse, donec a vobis inde responsum acciperet. Balduinus quoque in proximo nunc decurso mense Octobrio, quinto Kalendas Nouembris, per duos homines suos mihi litteras auctoritatis vestræ direxit, in quibus continetur, vt easdem litteras coepiscopis prouinciæ nostræ legerem, & Iudith paternis ac maternis obiurgationibus præsentandam susciperemus, si tamen intelligeremus, quod confestim præfatus excellentissimus rex noster, quæ de illa vobis scripsit & verbis per Legatos vestros Apostolatus vestro renuntiari spopondit, adimplere vellet: Quod si eorum animos ad id protelandum esse intentos inuestigare possemus, nequaquam eam reciperemus. Alioquin, id est si aliter egissemus, gratia & communione vestra frui nequaquam valeremus. Quam vestræ auctoritatis epistolam, vt oportuit, reuerenter suscepi, & coepiscopis nostris eam relegi, & pro præfata Iudith apud patrem & matrem illius, quantum potuimus, vt mandastis, communiter interuenimus, & paternis ac maternis obiectionibus eam præsentare studuimus. Post quæ voluimus, quia sicut nobis secundum sacras regulas, sicut eas intelligimus, visum fuerat (non enim sine dignis pœnitentiæ fructibus absolui posse putamus, quod anathematis vinculo a sacris regulis innodatum videmus) vt iuxta Ecclesiasticam traditionem primo Ecclesiæ, quam læserant, satisfacerent, & sic demum quod præcipiunt iura legum mundialium, exequi procurarent. Sed quoniam litteras vestras, quæ inde nihil præceperunt, immo etiam nullam protelationem in eorum coniunctione fiendam significauerunt, sibi sufficere voluerunt, & sine vestra auctoritate, ad quam clamauerant, cogi nisi alio se modo submitterent, non debuerunt. Ex altera epistola vestræ sanctitatis etiam retuli, quod non leges Ecclesiasticas dissoluistis, sed preces pro eo misistis, qui puniri secundum leges mundanas poterat, quatenus locum pœnitendi haberet, quod contra leges diuinas admiserat. Sic & Saluator noster, qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem vult perire, in cruce apud patrem iure sacerdotis pro suis persecutoribus intercessit: quod in eis qui post passionem eius crediderunt, & compuncti pœnitentiam egerunt, qui cum patre omnia donat, efficaciter impetrauit. Ad cuius instar, Apostolorum Vicarius, ad quorum limina confugerunt, & Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ summus Pontifex, quod in hominem regem & in leges mundi peccatum est, perdonari petistis, vt quod in regem cæli & terræ, & in leges cælestis regni offensum erat, haberent inducias per pœnitentiam abolendi. E contra carnales, & etiam quidam eorum, qui antea coniunctioni huiusmodi contradicebant, hac defensione, vt eis visum fuerat, se protegentes, (sed sicut se habet veritas) salute nudantes, ab istis nouissima vestra epistola verbis recedere noluerunt quam sine protelatione eorum coniunctionem debere fieri demonstrare dicebant. Dicentes vero mihi, quia pro nulla potestate terrena quod de Ecclesiasticis regulis intelligerem dimittere deberem: maxime cum etiam mecum, immo cum Deo, domnus rex noster, filius vester, Karolus faceret, quasi consulendo mihi quidam hoc dederunt consilium, in quo non meis, sed verbis eorum vtar, quam mansuetudo vestra, velut exemplum & doctrix disciplinæ Dei, mitis & humilis corde ac patienter æquanimiter sustinebit, dicentium: vt quia non secularis, sed Ecclesiastica potestas de hoc mihi negotio imperaret, conspirationem resistentium aliquantulum declinarem, ne quisquam æmulus noster vestræ sanctitati suggereret, quasi in contemptum sancti Apostolatus vestri, & sedis Apostolicæ hoc egissem, & vestræ mansuetudinis erga me animum commoueret, & quamcumque excommunicationem, sicut pro Rothado actum fuerat (quod tamen ad me non peruenit, nisi quantum Odo Episcopus, & postea * Luido detulit, antequam ad auctoritatem vestram gestorum seriem inde mittere valuissemus vel quomodo res gesta fuerit per Legatos vestros rescisceretis) obtineret: præsertim cum in hac epistola vestræ auctoritatis legatur: quod si aliter egissemus, quam in ea scriptum est, gratia & communione vestra frui nequaquam valeremus. Quo contra mihi dicentes hoc in epistola vestra ob id posuisse, ne fœmina illa a nobis deciperetur, & ne ob hoc, ne Ecclesiæ satisfaceret: Responderunt, cur aliter vellem vestram epistolam intelligere, quam vobis placuit eam componere, cum de sui præterito mihi transmissis etiam sensum possem manifeste cognoscere. Quapropter memor præteritarum epistolarum mihi & Episcopis regni filii vestri domni Karoli a vobis missarum, attendens etiam quæ in epistola nuper per Luidonem mihi benignitas vestra mandauerat (hæc enim in Antisiodoro post aduentum Luidonis ventilabantur) inter metum præteritarum, & spem posterioris epistolæ mihi maiora monstrantis, contentionem in hac causa dissimulando vitaui, & condescensionem quasi in tempus aliud differendo, dissimulaui, expectans ne in causa huius quæ instat dispositione vestra, ex Rothado discere valeam, qualiter de reliquo in huiusmodi agere debeam. Sicque nihil nobis de Ecclesiastico ministerio eis interdicentibus, sed tantum quod voluimus, nostram præsentiam ab hoc negotio subducentibus, Balduinus & Iudith iura legum secularium, quæ elegerunt, exequi studuerunt. Domnus etiam noster rex, filius vester, huic desponsationi & coniunctioni interesse non voluit, sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundum leges seculi eos vxoria coniunctione adinuicem copulari permisit, & honores Balduino pro vestra solummodo petitione donauit.

* ms. Lando.

Lotharius Nicol. epist. 63. & 64.

Nota extra.

1. Tim. 2. Luc. 23.

De causa Rothadi Suessonici Episcopi depositi.

Cap. XIII.

DEnique ad epistolam vestræ auctoritatis, ad quam me misistis obedienter audiendam, generaliter omnibus Episcopis regni domni nostri Karoli regis gloriosi, pro Rothadi causa, per Odonem Episcopum transmissam, sicut litteris exiguitatis meæ directis sanctitas vestra præcepit, conueni, & simul eisdem venerabilibus Episcopis, quantum ex me fuit, mox antequam synodus solueretur, vestram iussionem de eodem Rothado, ne aliqua mora vestra præceptionis implenda, aut de superuentione paganorum, aut de alia qualibet causa interueniret, adimplere curaui; sicut & Legati domni regis ac nostri, & litteræ plenius vestræ notum facient sanctitati. Sed quoniam causa interuentionis, quam vobis ipsi Legati referent, statim vt præcepimus datis litteris, & designatis nostris vicariis, ad vestram præsentiam cum eodem Rothado ire non potuerunt, & ob id diutius quam voluerimus immorati fuerunt. Interea Luido Legatus domni nostri regis a vestra rediens sanctitate, pridie Kalendas Decembris vestras Apostolicas litteras domno nostro regi, filio vestro in ciuitate Antisiodore detulit, & quia filius eius atque æquiuocus Karolus, qui patris animum in quibusdam offenderat, & ob id ad eius præsentiam, quorumdam suggestione, aliquantulum venire distulerat, patrem Legatis suis petiit, vt meam paruitatem cum aliis quibusdam suis fidelibus pro eo ad ipsius vestigia deducendo transmitteret, quatenus nostro interuentu patrem placabiliorem inuenire valeret, exiguitatem humilitatis meæ domnus rex illuc in

Nicol. epist. 32.

*suum venire seruitium cesserat. Quo non vt vens, mihi litteras vestras legendas donauit: in quibus licet pro sua dignatione sublimi ac vestra humilitatem meam sine vlla meriti praerogatiua benigne tractauerit, & à mea insipientia sapientia vestra scripta supra id quod scio atque intelligo, non tamen absque subinductione anterio, laudare dignata fuerit: tamen in eis videor mihi videre vobis multiloquium meum increscere. Vnde dignetur sanctitas vestra dignanter suscipere, quod beatus Augustinus de suo multiloquio Domino Dominorum * audacter non dubitauit dicere, cum se inde apud eum voluit inexcusabilem reddere, inter alia scribens: Loqui multum non est nimium, si tamen est necessarium.*

* ms. audacter. August.

Qua de re, sanctissime domine & pater reuerendissime, aequanimiter sustinete modicum quid insipientiae meae, sed & supportate me, si adhuc quiddam de Rothadi causa vobis tam sufficienter notissima, quasi repetens scribo, cum quo, quia vobis placuit (cui cuncta bona placent) misimus vicarios nostros, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rothado, atque à vicinis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt, aut scire non volunt, accusati, quod non in contemptum sedis Apostolicae appellantem Rothadum secundum Sardicenses canones sedem Apostolicam sed eum qui ad electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses & Africanos canones, ac decreta beati Gregorij regulariter iudicauimus vestrae summae auctoritati humiliter intimandum. Absit enim à nobis, vt priuilegium primae & summae sedis sanctae Romanae Ecclesiae Pontificum pro se paruipendamus, vt controuersias & iurgia tam superiorε; quam etiam inferioris ordinis, quae Niceni & ceteri sacrorum Conciliorum canones, & Innocentij, atque aliorum sanctae Romanae sedis Pontificum decreta in synodis prouincialibus à Metropolitanis praecipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. At si forte de Episcopis causa nata fuerit vnde certa & expressa in sacris regulis non habeamus iudicia, & ob id in prouinciali, vel in comprouinciali nequeat examine diffiniri, ad diuinum oraculum, id est ad Apostolicam sedem nobis inde est recurrendum. Si etiam de maioribus causis à prouinciali Episcopo ad electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit iudicatus, id est à gradu suo in comprouinciali synodo deiectus, & putat se bonam causam habere, & appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur examen, scribendum est ab his, qui causam examinarunt post iudicium Episcopale, eidem summo Pontifici, & ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis concilij capitulum renouabitur examen. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica sede pallium accepit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicenum Concilium innuit, & ceteri Romanae sedis Pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, sedis ipsius Pontificis etiam ante iudicium est sententia praestolanda. Is enim est, qui secundum Ezechielem Prophetam moratur in gazophylacio quod respicit viam meridianam, & excubat in custodiis templi. Et nos Metropolitani ad comparationem illius sumus, qui in ministerio altaris, quod est ante faciem templi, in quo carnes incenduntur, seruimus, & controuersias carnalium in synodis prouincialibus laborantes dirimimus, & de maioribus ac maiorum causis ad examen summae sedis Pontificis, post iudicium referre curamus. Homines enim sub illius potestate, sub nobis commilitones habemus & dicimus huic vade, & vadit, & alij veni, & venit. Quoniam (vt Leo dicit) & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est vt ceteris praeemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & per quos ad vnam beati Petri sedem vniuersalis Ecclesiae cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam praepositum, non moleste ferre debet aliquem sibi esse praelatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat.] Quam Rothadus à suis exigere magis, quam sacris regulis sategit dependere

Concil. Sardic. ca. 4. & 7.

Concil. Afric. ca. 63. 88. 89. & 64.

Concil. Nicen. ca. 5. Innocen. j. epist. 2. c. 3.

Concil. Sard. ca. 7.

Leo epi. 84. c. 3. Concil. Nic. c. 7.

Ezech. 40.

Matth. 8.

Leo ibi. cap. 11.

Dan. 30.

(cum etiam sancti Angeli in caelo legantur suis petitionibus obedire) & ideo ad hoc peruenit vt deijci promeruerit. Quem per plures annos & beneficiis impensis, & monitis atque obsecrationibus, per me & per coepiscopos, ac per quoscunque familiares potui, ad obedientiam sacris regulis commonere curaui. Mul. etiam & per litteras Metropolitanas, & ex Apostolicae sedis auctoritate minas ei inculcare curaui, & ex lectione Catholicorum, quam grauiter offendebat, ei ostendere studui. Ad quae respondebat, quia nihil aliud facere sciebam, nisi ei meos libellos tota die ostendere. Vnde à multis & frequentissime redargutus fui, cur incorrigibilem, & ministerio sacro inutilem tamdiu scienter contra Dei voluntatem, & sacram auctoritatem portarem. Ego vero quamuis saepissime & regem, & coepiscopos ac vicinos suos, atque etiam me multo saepius, quasi ex studio ad iracundiam prouocare satageret, licet non posset, sciens periculosissimum esse in sacerdote perturbatam & praecipitem iram praecipitemque proferre sententiam, & persecutionem supplere sauitiam, dissimilitudines morum, contumacias inobedientiũ, & malignarum iura linguarum, diu illum, non sine timore ac periculo animarum sibi commissarum, portaui, & cũ amplius portare non debui, ad plurimorum Episcoporum consilium, vt vel eos audiret, illum deduxi. Quorum non auaritiae consiliũ, sed aduersum me postulare iudicium maluit. Ad cuius petitionem, vt ei satisfacerem, vt vel sic ei subsisteret, & à coepta se stultitia reuocaret, iudicio me deiunxi, velut iam vestra sanctitas plenius aliis litteris intimaui, & replicare me pro vestrae auctoritatis satisfactione cogit necessitas: vt i cogno, catis quoniam nihil in eum ego animo inimico, sed zelo diuino, quantum inconscientia mea perspicere valeo. Sed & domno regi, ac Episcopis regni eius, & quamplurimis, tam Ecclesiasticis quam saecularibus viris, has sunt nota diro. Post depositionem autem illum, obtinuit vt vnam Abbatiam valde bonam ei domnus rex & Episcopi consentirent: & omnes nos illi sicut patri, de nostris impendiis seruiremus: quatenus qui in deliciis vitam semper duxerat, non frangeretur, tantum vt seditiosus & molestus Ecclesiae, cui praefuerat, esse non decertaret. Quod primum quidem acquieuit, sed vt dicunt qui hoc se scire testantur, quidam Episcoporum regni Lotharij zelo amaro contra nos ducti, quia illorum consiliis de VValdrada non adquieuimus, & etiam aliqui de Germania (vt quidam dicunt) ad Ludouici sui regis suggestionem, quoniam cum eo non feci sicut Rothadus, in fratris sui de regno expulsione, persuaserunt eidem Rothado, vt non se ad seditione mouenda concrederet: & ipsi apud vos obtinerent, vt restitueretur. Nunc autem sicut iussistis, ad vestram praesentiam & dispositionem illum perduci, apud domnum nostrum regem filium vestrum obtinuimus, credentes quia quod Domino inde placabilius erit, corde vestro inspirare dignabitur.

De quo, quia benignissima dignatio vestra mihi seruo vestro per Ludouicum dignata est scribere, vt iuncto mihi integro collegio fratrum, secundum modum ibidem descriptum, vestra Apostolica censura fretus, studerem illum pristino redintegrare decenter officio. Sciat reuerendissima & amantissime colenda dulcissima vestra paternitas, hoc me agere nequiuisse, pro his quae continentur in subditis: videlicet quia cum litteris ad vestram auctoritatem deferendis idem Rothadus iam commissus erat eis, qui ad vestram praesentiam illum deducerent, & mihi non erat possibile integrum fratrum collegiũ conuocare: quoniam, vt supra scripsi, à dioecesi nostra longius eram remotus, in filij vestri regis nostri seruitio. Et quoniam sine illorum iudicio, qui in eius depositione fuerant, & quibus inde scripsistis, restitui regulariter non valebat, & Episcopi aliarum prouinciarum, per meam conuocationem, in multis occupati, congregari non poterant. Sed & coepiscopi Rhemensis prouinciae, ab ipsa synodo, in qua epistolam sanctitatis vestrae audiuimus, causa resistendi Normannis ad suas sedes festinare maturauerunt. Pauci etiam numero Episcopi, qui mecum in filij vestri regis nostri erant obsequio, cum eis benignitatis vestrae commendationem de Rothado relegi, responderunt non se scire talem vitam atque intelligentiam, taleque studium sacri ministerij in eo fuisse, vt in hoc se miscere auderent: praesertim cum is, qui contra aliquam reuerentiam de defectione sua habebat, & semper inobediens & sacris regulis, & regiae dignitati, & metropolitano priuilegio fuerat, nunc effrenatius

ad multorum malum exemplum, & plurimorum beniuolentium scandalum desanire, & negligentiam atque peruersitatem viuere, voluntatibus suis seruiens, cum libertate debetet.

De eo autem quod benignitas animi vestri, pensans non belluinum, sed humanum hominis animum, scripsit dicens: Fortasse cognoscet delictum suum, & sua sponte in iudicio, quo iudicatus est, perseuerare diliget. Quod si fecerit, apud regem Karolum, dilectissimum videlicet filium vestrum agendum est, vt liberalitate sua eidem congrua beneficia, quibus sufficienter cum suis sustentari, ac honorifice degere possit, benignis mentis largiatur affectu: sicut dignatio vestra, non illum esse huiusmodi temperantia. Nam ab eo quod cœpit nunquam potuit reuocari. Qua etiam ego famulus vestræ dominationis, meditatus sum cum corde meo, & conferens cum fidelissimo filio vestro domino meo rege glorioso, in hac causa prouidi, vestra sapientissima auctoritati scribere dignum duxi: id est, quia licet fretus vestræ auctoritatis litteris per Liudonem meæ exiguitati directis, quarum mentionem fecistis in epistola, quam filio vestro domino nostro regi misistis, quasque illi relegi, apud eum obtinere possim, vt missis suis, qui Rothadum ad vestram deducendum præsentiam susceperunt, mandaret, quatenus ab arripiendo Romam itinere expectarent, donec opportunum tempus Episcopos regionum nostrarum conuocandi adueniret: quia ista erat ratio, vt aliis notificaretur, cur Rothadi transmissio tardaretur, antequam Episcopis vestræ auctoritatis epistola legeretur: poterat fieri, vt qui me diuina clementia & sua benignitate & amoris deuotione colunt, & aliquid æstimant esse, cum nihil sim, cognoscentes meo obtentu id accidisse, in me scandalum paterentur, quasi contemnerem aut negligi facerem vestram commendationem, quæ intra constitutos a vobis dies in epistola per Odonem Episcopum missa, ad obediendum vestram accelerari fecerim, quantum potui, iussionem. Et si quando in vnum conuenirent Episcopi, qui sciunt, & me vna cum eis scire noscunt Rothadi negligentiam, & dementiam in sacro ministerio inutilitatem, de eius restitutione alloquerer, omnes me exsufflarent, & amentem penitus iudicarent: sic etiam si Rothado, vt se concrederet (quod non suæ salutis intuitu faceret) beneficia nos impetraturos promitteremus: quoniam pene omnes in istis prouinciis sciunt, quia secundum Carthaginenses & Africanos canones, & decreta beati Gregorij, electorum se commisit iudicio: & amplius quam quingenti interfuerunt diuersi ordinis viri, videntes quando calix aureus cum gemmis à carpone & tabernaria per missum regis de illius pignore sumptus, ac delatus fuit in synodum, & sexentæ coronas argenteas à Iudæo, cui illas dederat, resumptas, & facultatis Ecclesiasticas ab eo suppressas, & latenter commendatas, indeque receptas & Ecclesiæ redditas, & vascula argentea, quæ non parui ponderis à longe tempore in Ecclesia pependerunt. Sed & alia quæ sui decessores, ac prædecessores, cæterique fideles pro remedio animæ suæ eidem Ecclesiæ obtulerunt, ab se sine consensu Metropolitani ac coepiscoporum, & sine œconomi, ac Presbyterorum & Diaconorum suæ Ecclesiæ assensu pro libitu suo donata. Cum etiam beatus Gregorius multoties in epistolis suis ex sacris canonibus scribat: quæcumque Episcopus post ordinationem Episcopatus adquisierit, omnia esse Ecclesiæ in qua extitit ordinatus. Vnde constat, quia nec ipsi sine œconomo & consensu clericorum illa debeat dispensare. Sed & omnes vrbis incolæ ac populi, qui cum rege ac Episcopis ad synodum conuenerunt, & vt venerunt ad spectaculum currentes, eum viderunt vsque ad ostium synodi venientem, & inde ut mansuetum redeuntem, quique sciunt quantam benignitatem regis & fratrum spernens, qualiter de certis capitulis, vnde sacri canones expressa decreuerunt iudicia, iudicatus, lacrymantibus rege & Episcopis, durior saxo recesserit, putarent nos, qui eum secundum sacros canones, sicut eos intelleximus, iudicauimus, & postea vt ipsi præcipiunt canones, per coepiscopum nostrum, qui eidem iudicio interfuit, prius iudicium nostrum de eo referre, & nunc illum ipsum cum nostris litteris atque vicariis, sicut iussistis, ad Apostolicam sedem, quæ paternos canones seruandos confirmat, & confirmatos ac obseruandos sua obseruatione demonstrat, dirigere procurauimus, de vestræ auctoritatis iustitia & æquitatis libramine dubitare: & ideo vt se concrederet locarium ei promittere, sicque nos vt insanos merito diiudicarent, cum etiam si fieri posset (quod ab illa prima & sancta sede ac summo Apostolatu vestro fieri dum non creditur) vt talis à vobis cognitus, restitutus in ordine nominaretur, nulla de cætero nobis conscientia de sibi à vobis commissis animabus esset periculum. Et cum omnes in istis regionibus sciant, quam negligens & contemptor sacrorum canonum, & quamdiu, quamque patienter atque benigne fuerit toleratus, & a quam iustis, (quia se corrigere noluit secundum sacras regulas, sicut eas intelleximus) fuerat iudicatus nullam habere possemus verecundiam de restitutione illius, si foret facta à vestri summi Pontificatus potestate. Quia omnes senes cum iunioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in primatu beati Petri subiectos esse Romano Pontifici, & ob id salua fide, quæ in illa Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestræ Apostolicæ auctoritati obediendum. Nobis quippe cum aliis quibusque scriptum est: quia Iesus erat subditus parentibus suis. Nobisque item scriptum est, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Et nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Et si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Propterea locutus cum fidelissimo filio vestro, domino meo rege glorioso, illi replicaui, quod sæpe inculcaui, quodque libentissime accepit, & adimplere cupit, quia sicut Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo: & ipsius est regnum, & cui voluerit dabit illud, ita ipse supra fundamentum Apostolicæ petræ, quam fundauit Ecclesiam, quam & ante passionem, & post resurrectionem suam speciali cura & singulari priuilegio beato Petro, & in illo suis commisit vicariis: cuius sedem, suæque sedis Pontificem qui honorat, illum honorat qui dixit: Qui accipit si quem misero, me accipit. Et ab ipso honorabitur dicente: Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles. Idcirco quia multi sciunt, qualiter se Rothadi reclamatio habeat, & quidam inde aliter dicunt, & omnes generaliter sciunt, quoniam vestra auctoritas illum cum nostris vicariis ad suum præcepit destinari iudicium, dignum & iustum est, vt quemcunque Episcopum Romanus Pontifex ad se Romam venire mandauerit, si infirmitas, vel grauior quæcumque necessitas, vel impossibilitas (sicut sacri præfigunt canones) eum non detinuerit, ad illum venire studeat, multo magis etiam it, quem pro tali querela ad se quocunque modo clamantem præsentiæ suæ iudicat exhibendum. Et quicunque viderit vel audierit, quod Rex & Episcopi Apostolicæ sedis summum Pontificem promptè obaudiunt, & honorant, promptius & humilius eis subiecti sui obedient. Nam vt beatus Gregorius dicit: Sicut languente capite subiecta membra incassum vigent: ita gloria & honore coronato, id est, honorificato ac decorato capite, subiecta membra eius honore atque decore fulgebunt. Et Rothado in nullo poterat melius satisfieri, quam si ad vestram pergeret præsentiam, & et tantorum subscriptionibus Episcoporum, qui Deo & vobis mentiri nolunt & allegationibus tot vicariorum eorumdem Episcoporum fuerit, illum bonam causam nequaquam habere, ostensum. Quamobrem sibi ipsi, & non vobis reputare debebit, quia sine bona causa se & multos alios fatigauit. Vnde illum vestra discretissima pietas, quæ compassionem proximo, & rectitudinem debere vitiis nouit suis Apostolicis litteris sufficienter præmonuit. Quique inter alias* socordias tanta duritia esse dinoscitur, vt cum multotiens sine vllo respectu timoris vel amoris diuini, & absque vlla humana verecundia, per tot annos & in tantis causis, totiens sacris canonibus, & decretis sanctæ sedis Romanæ Pontificum, & suæ Metropolis priuilegio, ac synodalibus iudiciis resultauerit, & per tantos annos, atque à tantis pertoleratus à sua stultitia se reuocare contempserit, à rege & Episcopis multipliciter obsecratus, in hoc adduci non potuit, vt sacris canonibus & decretis sanctæ sedis Romanæ Pontificum, & secundum ea suæ Metropolis priuilegia de cætero se obediturum subscriberet (quoniam sine horum obseruatione nemo nostrum potest esse Episcopus) & sic pace fraterna cum omnibus poteretur. Postremò autem sua sponte in libello suæ professionis, per quem ad electorum iudicium prouocauit, hæc se obseruasse impudenter, quia

Conc. Afric. ca. 63. 88. 89 & 94.

Luc. 2. Heb. 13. Philipp. 2. 1. Cor. 11. Psal. 23. Psal. 21. Matth. 16. Ioan. 20. Ioan. 13. 1. Reg. 2.

* l. socordias.

sentientibus cunctis mendaciter, synodo misit. & sic ad iudicium prouocantes, quasi sermatuenim mendacietur, subscribere detrectauit. Quod ideo, sicut postea nobis dixerunt, qui ab ipso audierunt, subscribere noluit (quod & nos percepimus) ne vinceretur: sed si in nostra Rex & Episcopi permaneremus sententia, Romam iret antequam vinceretur, & quando illuc veniret, hic per vestram iussionem, cum à vobis foret nobis nolentibus absolutus, subscriberet. Nō intelligens, immo intelligere non valens (excaecauit eum enim malitia sua) vestram [Act. 9.] auctoritatem sapientissime intelligere, quare Dominus de caelo alloquens Paulum & dicentis: Quid me iubes Domine facere? non omnia quae agenda illi erant exposuit: sed ad Ananiam, [Ibid. 10.] a quo agenda auditurum & accepturum erat, illum direxit. Sic & Angelus Cornelium, postquam illum exauditum esse denuntiauit, ad Petri doctrinam atque obedientiam misit. Quem licet ante baptismum sancto, vt ita dicamus Spiritu baptizatum, beatus [Ibid. 11.] Petrus illum baptismate, qui baptizat in Spiritu sancto, & in quo credentium corda fide purificantur, baptizari praecepit. Vnde facta quaestione contra eum etiam à minoribus suis, tamen fidelibus, cur ad gentes intrauerit, isdem Apostolorum princeps summorum gratia donorum repletus & innumerabilium miraculorum potestate suffultus, querela non ex potestate, sed ex ratione respondit, causamque per ordinem [Act. 10.] ea mansuetudine exposuit, qua humilitate praefato Cornelio se adorare volenti dixit: Vide ne feceris. Nam & ego ipse homo sum, sicut & tu. Si enim in querela fidelium, vt Gregorius dicit, [Ibid. 11.] aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placauit, atque in causa reprehensionis suae humiliter rationem reddidit, & etiam testes [1. Pet. 5.] adhibuit, dicens: Venerunt autem mecum & sex fratres isti. [Gelas. epist. 9. or. super. eos.] Cuius humilem auctoritatem, & mansuetissimam potestatem, & rectissimam praedicationem dicentis: Non dominantes in clero, sed forma facti gregi, seruans B. Gelasius in decretis suis ad omnes Episcopos, de institutis Ecclesiasticis dicit: Cumque nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nihil licere: & cum sedes Apostolica * super his omnibus, fauente Domino, quae paternis canonibus sunt praefixa, pio, deuotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc obseruantiam [* al. addit totum.] refutare, quam B. Petri sedem, & sequi videat & docere: satisque conueniens sit vt corpus * Ecclesiae in hac sibimet obser-[Gal. 1.]uatione concordet, quam illic vigere conspiciet, vbi Dominus Ecclesiae totius posuit principatum.] De Barnaba quoque & Saulo dicente veraciter, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Dominum patrem. Qui postquam diutius fruiti sunt Apostolorum consortio, [Act. 13.] non ipsis Apostolis, sed iuxta fidem sacrae historiae, ministrantibus Domino Prophetis & Doctoribus, qui erant Antiochiae, dixit Spiritus sanctus: Separate mihi Barnabam & Saulum in opus ministerii, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt vocati Apostoli, & in [Gal. 2.] sequenti anno, id est xiiij. post passionem Domini, licet qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus sit & Paulo inter gentes, tamen iuxta condictum Iacobi, Cephae, & Ioannis, gentium magisterium vna cum Barnaba Paulus accepit. Idem quoque Paulus apud Corinthios negligentibus [1. Cor. 5.] rectoribus de incestuoso scripsit: Congregatis vobis, & meo spiritu, tradidi huiusmodi in interitum carnis, Sathanae, vt spiritus saluus sit in die Domini. Ipsi enim Corinthiorum rectores illum tradiderunt in interitum carnis Sathanae, & Pau-[2. Cor. 2.]lus cognito eius opere, sua auctoritate cum illis: & comperta eius poenitentia, ipsi eum restituerunt, & Paulus sua auctoritate cum illis: Cui, inquiens, aliquid donastis, & ego. Nam & e-[Gregor. li. 33. Moral. c. 8. al. 11.]go si quid donaui propter vos in persona Christi. Hinc beatus Gregorius: A bono, inquit, vestro non dissentio. Meum sit quod ipsi feceritis. Cui velut si dicere praesumamus, quare ita tante discipulis te copulas? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam sollicita mente conformas? vt non circumueniamur, inquit, à Sathana: non enim ignoramus cogitationes eius: id est, [Innoc. ep. 27. ad episc. Maced.] ne hoc quod bene mens inchoat ipse in malitia finem vertat. Et Innocentius: Hoc ad Corinthios Apostolica est declarata benignitas, vt in vno spiritu ductam ac reductam sententiam

bonis semper indifferenter sequantur. Et Leo ex Apostolo: Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius, & vnusquisque proximo suo placeat in bono ad aedificationem. Non enim poterit vnitatis nostrae firma esse compage, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum caritatis adstrinxerit. Quoniam sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et haec quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus [illegible] generalis, non tamen communis est dignitas omnium. Haec autem, firmata altiori intelligentia, circa superad: Hos sunt [illegible], & à praedictis docta, vt cognoscatur, qualiter minores [illegible] bus debeant obedire, & potiores minoribus prouidere, & ordo à Deo dispositus ab omnibus, & in omnibus valeat conseruari. Vnde summus Ecclesiae pastor docet: Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus, qui seruis suis commisit gratia sua, & ministrare secundum propriam virtutem: sicut & de Spiritu sancto scriptum est, quod dona diuidit singulis prout vult. Et [illegible] iuxta Sardicense concilium summus prima & sancta sedis Romanae Pontifex, pro examinis renouatione ad se reclamantis & [illegible] fugientis cum sua clamatione de sede prouinciali Episcopi vt statim singularitate priuilegii, & auctoritatis, narrauit: id remiserit eum ad prouinciam, vbi causa patrata fuerat, & in qua iuxta Carthaginenses canones, & iura legis Romanae, causa potest diligentius inquiri, & quod non sit difficile testes producere, veritas inueniri: aut finitimis Episcopis dignatur scribere: aut à latere suo mittit, qui habentes eius auctoritatem praesentes cum Episcopis iudicent, & diligenter causam inquisitam diffiniant: aut dignatur credere Episcopis sufficere, vt negotio terminum possint imponere. Et Innocentius [illegible] quae causa vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortae, congregatis secundum synodum Nicenam eiusdem prouinciae Episcopis iurgium praecipit terminari. Et Bonifacius de Maximo scribit, [illegible] prouinciam venire cogatur, & illic se constituto praesentet iudicio, & quicquid de illo duxerint prouinciae Episcopi decernendum, eum ad eum relatum ferri, suo firmaretur auctoritate: quatenus, vt idem ad Hilarium scribit, Metropolitani sui vnaquaque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet, sicut scriptum est in Niceno Concilio, vt sicut apud Alexandriam, quia & vrbis Romae Episcopo parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam, caeterasque prouincias, suis priuilegia seruentur Ecclesiis.) Vnde bene placuit annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciae, discutiantur huiusmodi quaestiones.) Et haec dico, non (quod absit) praeiudicans summae sedis Apostolicae, & sancti Apostolatus vestri in aliquo potestatem, cui in omnibus sum, sicut sectum est, obedire paratus. Sed quia summa auctoritatis vestrae obsequium praestare me puto, cum ea quae sentio, aut ad probationem, aut ad correctionem humiliter sapientiae vestri magisterii pande, & Rothadi mores vobis intimare procuro, ne mea negligentia, qui eos noui, vos lateant, quatenus certius quod vobis placuerit de illo vestra auctoritas decernere valeat. Quem si nunc in depositione iudicium vestrum manere decreuerit, scimus de benignitate & modestia ac pietate filii vestri domni nostri Karoli, quoniam quicquid de illo praefato filio vestro praeceptis, & rationabiliter poterit adimplere, sine vlla retractatione obediet. Sed & coepiscopi nostri de Ecclesiarum suarum stipendiis abundantissime [illegible] impendunt. Mea etiam exiguitas, sicut nunquam ad retributionem mali propter contemptus & contumelias ab illo mihi illatas peruenire voluit: ita quicquid benignitatis potero, libentissime abundantius etiam, quam vnquam fecerim, impendere procurabo. Si vero sine vlla satisfactione tam diutius contemptus sacrorum canonum, & sedis Apostolicae decretorum ac suae Metropolis priuilegii, atque synodalium iudiciorum, quibus nec obedire, nec se obediturum de caetero professione [illegible] scribere voluit & absque professione, vel subscriptione [illegible] correctionis & obedientiae, et à fratribus suis, quorum malitieis

regularia sperneret monita, cum inde pluraliter in Leonis & Gregorij epistolis relegatur. Sed etiam, vt illa prætereamus, quæ ob sacerdotij verecundiam & opprobrium secularium, sequentes Africanum concilium, me ad nominationem in synodum deduci permisimus, parnopensis, & sine aliqua correctione dimissis eius capitulis, auctoritate vestra sub fidei adstipulatione directis, pro quibus fuerat iudicatus ab Episcopis ad quorum iudicium prouocauerat, secundum expressa sacrorum canonum & Apostolicæ sedis decreta, Cælestino dicente. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa, frangatur? Mox vestra potestati placuerit illum restituere, vt primæ sedis & matris ac magistræ omnium Ecclesiarum Pontifici, cunctorumque Episcoporum patri atque magistro regredi – rotundicum ferre conuenit, æquo animo feram. Credo tamen diligentissimam discretionem vestram prouisuram contemptum, contumaciam subiectorum erga prælatos suos, & libertatem impune delinquendi contra canones sacros, quæ hinc in nostris regionibus poterunt (vt quibusdam videtur) noxias vires accipere, præsertim cum sapientissimæ auctoritati vestræ constet esse notissimum, demonstrare Sardicense concilium in septimo suo capitulo: qualiter deiecti & ad se clamantis Episcopi restitutiones, vel in depositione permansionis executio, cum indemnitate simpliciter iudicantium ab Apostolica sede debeat celebrari. Quod & Innocentius, ac Bonifacius, verum Leo in decretis, & Gregorius euidentius in epistolis suis demonstrant, Carthaginensis Concilij, immo Apostolicæ sedis, quæ in suis eidem præsedit vicariis, decreta sequentes: videlicet vt à quibuscunque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.) Vnde nobis & conscientia testimonium perhibet, & omnibus qui interfuerunt notum factum esse dinoscitur, quoniam illum seruare quam iudicare maluimus, si pro sacrorum canonum neglectu eorum iudicio, per quos Spiritu sancto inspirante promulgati sunt, cum eo quem corrigere nequibamus, damnari pariter non timeremus. Et ideirco nullo inimico animo, nulla cupiditate aut gratia deprauati flentes illius incorrigibilem socordiam, & irreuocabilem pertinaciam, regularia in eum iudicia executi sumus, quæ ab eo suspendere diutius non præsumpsimus. Vestra etiam sapiens & summa auctoritas in decernendo attendet Apostolum dicentem, quia quorundam peccata præcedentia sunt ad iudicium, quorundam etiam & subsequuntur. Quæ (sicut beatus exponit Ambrosius) ac si posita in bilance, in iudicio sunt examinanda, verum bona opera amplius pensanda remuneranda præcedant, & male facta minima misericorditer dimittenda demonstrent: an male facta amplius pensando præcedant, vt mereantur damnationis iudicium, & bona paucula sufficent. Quia & nos pro modulo nostro non solum inutilitatem, verum & noxietatem in Rothado cum factis suspensauimus: & velut ficulneam infructuosam, terram rationalem diutius inutiliter occupantem, & etiam post plura tempora, pluresque admonitiones, quasi cophinos pinguedinis sibi appositos non recipientem, sed sterilem permanentem, non sine dolore cordis succidendum prouidimus. Et cum hæc ita se habeat, absque dubitatione confido, quod in præfato Carthaginensis concilij capitulo sine vlla interpolatione subsequitur, decretum vestri moderaminis nequaquam præteriet: Sane, inquit, si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciore numero, quam constitutum est, non liceat prouocari. Qui numerus constitutus in iij. superiori capitulo demonstratus, & consensus partium expetitus, in adiudicatione Rothadi constat fuisse completus. Quorum & si iudicium pro quacunque causa forte rationabiliore, & adhuc nobis incognita, vestra summa auctoritas, quam multa nobis occulta non transiunt, placuerit resecari, quia meum est mea vobis obediendo committere, & non iudicia vestra discutere, sustinebo. & contra vestram regularem restitutionem, si forte inde agenda visa fuerit (in qua vestra disponet auctoritas, qualiter idem viuere, vt solet, & vos: compos quæ sunt Episcopi de reliquo faciat) non recalcitrabo, ducens pro magno si i diutius & multis molestiis, quas ab illo & pro illo passus sum, iam tandem aliquando valeam respirare. & nunquam mihi contingat vlterius contra illius inquietudines inutiliter laborare. Et quod non solum ab Ecclesiasticis personis, verum & multo magis etiam à secularibus nostra iudicia contemnuntur, & pro nihilo ducuntur: dicentibus eis, & ad nihilum deuocantibus illa, quæ mihi vestra auctoritas non sunt adscribenda, vt non animum dulcedinis vestræ in aliquo moueam, quod summopere cauere desidero. Si qui in prouincia nostra, quorum querela (illo resistente) ad vos valeat peruenire, de maioribus causis de cætero quædam commiserint, sicut de quibusdam rebus frequentius in istis, quam retroactis temporibus committuntur, ne à Deo damner silentio, eos commonere studebo, & si corrigere se voluerint congaudebo. Sin autem, ad vestrum eos iudicium prouocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia quid inde melius viderit, decernere procurabit. Si autem ire noluerint, facient quod sibi vtile iudicauerint. Me vtinam hinc à diuina damnatione sententia sancti Ambrosii liberet, quæ dicit: Si, inquiens, quis potestatem non habet, quam scit reum abiicere, aut probare non valet, immunis est. Sicque, vt puto, quia in multis occupatus, & itineris longitudine atque infirmitate obstrictus de omnibus, antequam in insolentium querela ad vos perueniat, ad Apostolicam sedem referre non vales, infirmitate grauatus, & (gratias Deo) termino iam vicinus, potero præcauere, ne à quocunque sanctitati vestræ animus erga me moueatur, vt aliqua mihi excommunicatio intentetur. Et licet nouerim secundum Apostoli euangelium, reddi verum Dominum vnicuique secundum opera eius, testimonium reddente illis conscientia, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die qua iudicabit occulta hominum. & vt Leo dicit: Si quid per seruitutem nostram, videlicet sacerdotalem, bono ordine & gratulando impletur affectu non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum: & quod secus fuerit, ratum esse non poterit: modis omnibus, quantum ipse donauerit, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, prouidere studebo, ne à communione sedis Apostolicæ (quod absit) quolibet modo extorrem me vltimus dies, qui mihi incertus est, & subito venire potest, inueniat. Erit enim, quamuis tardius quam necesse sit, quoniam ego grauis peccator, grauis carcere corporis diu inclusus teneor, merito in multis afflictus, prouidentissimo Domino prouidente, & tempus & persona in Rhemorum Ecclesia, quondam, & in qua ab Apostolica auctoritate priuilegium integratum sibi ex antiqua consuetudine collatum & confirmatum habebitur: quæ nunquam excepto Romano Pontifice, primatem habuit, nisi quamdiu eiecto, in nullo crimine ab ea suo Pontifice, violentia tyranni Milonis, tempore Karoli principis pastore vacans, Bonifacio Apostolicæ sedis legato, aliquamdiu, sicut & Ecclesia Treuerensis commissa fuit. Inter quas, Rhemensem scilicet & Treuirensem Ecclesiam (has enim duas tantum prouincias Belgica regio habet) hæc semper distinctio fuit, sicut in Ecclesiasticis monumentis inuenimus, & vetustissimam consuetudinem semper obseruari comperimus, vt isdem Episcopus non loci sed dignitate ordinis prior secundum sacras regulas haberetur, qui foret in qualibet illarum Ecclesiarum Metropoli antea ordinatus. Mihi vero necesse erit, me taliter gerere, ne totiens auctoritatis vestræ epistolas excommunicationes intentantes & obiurgationes, quas raro & magna necessitate factas in Apostolicorum virorum litteris legimus, ferentes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus, peccatis meis merentibus frequenter accepi. Quod si sanctitati vestræ placuerit, non vobis opus agere in posthmodum erit, donec Apostolica vestra iussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, inuenerit. Qui enim quaro Dominus in Euangelio Centurionis fidem, dicentis: Dic verbo & sanabitur puer meus, intelligit, quam operatorium sit Episcopi, immo sicut in Paulo in se loquentis Christi, quanto magis Pontificis Apostolicæ sedis verbum. & quam obediendum sit ipsius præcepto, etiam sine vlla adiurationis adiectione cognoscit. Quod & scientib. inculcare & nisi cuiuis intimare, sapientib. & insipientib. debitores debimus Episcopi. Quib. si de reliquo verbis inquorum præualuerint aduersum nos, sicuti satis ita proferentes, non erit necesse de prouincialibus synodis, in quibus hactenus laborauimus, magnopere le-

Conc. 3. Carth. can. 10. & Africa. 89.

Cælest. ep. 1.

Innocēt. Bonif. & Leo ibi supra. Conc. Carth. 3. can. 10.

1. Tim. 5. Ambr. lib. 1. de apol. Dauid 6.

Ambros.

2. Cor. 5. Rom. 2.

Iac. 1.

Matth. 8. Sub lau deuerit, vel quid simile. 1. Cor. 13

aberraret: quippe quoniam erit & lex, & spes sibi quisque. Quod quidem vestra humilitati nostra scripsit sublimitas, primo vos commotos esse ad Rothadi causam inquirendam, cura, qua pro vniuersis fratribus vestris constringimini, cum debita reuerentia grananter accepi: intelligens quia in numero fratrum nos qualescumque Metropolitani computari debemus. Ea propter sicut vestra discretioni prouidendum est, ne subiecti Episcopi a Metropolitanis irregulariter condemnentur: ita nihilominus prouidendum est, ut Metropolitani à subiectis Episcopis non irregulariter contemnantur. Deinde quod per spectissime scripsistis secundo, quoniam sedem Apostolicam Rothadus noscitur appellasse, & ne videamini Ecclesiæ vestræ priuilegiorum detrimenta diebus vestris aquanimiter tolerare; & hoc nihilominus a nobis, & ab omnibus est reuerentissime suscipiendum, & solertissime conseruandum. Quod & ego pro modulo meo seruandum esse volui, & volo, & fauente Domino in hac deuotione manebo, sciens priuilegium Metropolitanæ sedis Rhemorum, (cui me diuina dignatio seruire disposuit) in summo priuilegio sanctæ sedis Romanæ manere, & priuilegium esse sedis Romanæ, si sua auctoritate priuilegium sibi subiectæ sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare. De eo vero quod tertio loco ad medium deuocastis, scribere aliud nihil præsumpsi, nisi quia causa Rothadi à causis illorum, de quibus scripsistis, est pene in cunctis dissimilis. De eo quod tandem Apostolica vestra benignitas indignitati meæ scribere est dignata, ut hæc vobiscum cogitem, & quod de Rothado decernitis approbem, & non ad meis iniuriam id vos egisse aliquantulum autumem, quantum valeo totis medullis cordis, cum omni supplicatione & debita ac submissa humilitate immensas gratiarum actiones sancto Apostolatui vestro rependo, cum omni sinceritate animi rescribens, quia sicut mihi scribere dignati estis, ita per omnia credo. Et quia priuilegium vestri summi Pontificatus, ut condecet, & omnes desideramus, euindicatum habetis, quod nemo nostrum contradixerat in deductione Rothadi, sicuti præcepistis ad vestram præsentiam: ut perdonare dignati estis, videre desidero, & visurum me esse confido: quia non aliud, nisi ut supra monstraui, quod regulæ sacræ præcipiunt, & mihi petendum, & vobis concedendum est, postulo: videlicet, ut sic Rothado ab auctoritate vestra compassio exhibeatur, ut vigor Ecclesiasticus non dissoluatur: & sic vigor Ecclesiasticus conseruetur, ut debita misericordia & necessaria sufficientia ei non denegetur: quatenus nec ipsius exemplo ad excedendum alij prouocentur; ne quibus in istis regionibus longius ab Apostolica sede remotis censura Ecclesiastica moderatio est commissa, hinc (quod absit) conspiciant, vnde aut negligentia, aut dissolutione tepescant: vel terminos, quos statuerunt patres, transgrediendi materiam se sumere posse dicant: quos, sicut intellexismus, nos hactenus seruasse putamus. Vos videbitis quod inde facto melius erit, & nobis in iudicio vestro videndum est, quid Deus velit: quoniam iniusta esse non poterunt diuina iudicia, quia à soliditate confessionis Apostolicæ petra, aduersus quam inferi portæ, id est, suggestiones vel operationes prauæ non præualebunt, dictante iustitia proferentur. Epistolam quam mihi authoritas vestra, cum obtestatione præcepit Rothado dirigere, dominus noster rex, filius vester, mox ut ad eum veni, per abbatem suum Rothado direxit.

Pro. 22.

Matth. 16.

Rodulfus quoque, eiusdem filij vestri domni regis auunculus, iij. Idus nunc elapsi mensis Decembris ab Ludouico Germaniæ rege reuertens, cum valde vespere à certe ergis nostris ad mansiones nostras super fluuium Ligerim, fines confinium regni Aquitaniæ festinaremus, misit ad me hominem suum, nomine Rodulfum, mandans quia præfatus rex Ludouicus quemdam hominem Rothadi, cum epistolis vestræ sanctitatis, manus & fidei suæ commisit: quatenus ita ad præsentiam domni regis Karoli cum eisdem Episcopus eum perduceret, ut nullum malum ei inferret. Est enim apud dominum nostrum regem idem homo accusatus, quod furatus sit res, & thesaurum Ecclesiæ, & post periurium inde commissum, fuga lapsus, ad Ludouicum regem perrexerit. Vnde idem Rodulfus petijt, ut ego illum inde apud dominum nostrum regem adiuuarem: ut quoniam prædictum hominem in sua fide acceperat, nullum malum haberet. Cui respondi, ut teneret ipsum hominem seruum, ut interim vllum malum pateretur, donec ad curtem venirem, & quantum possem inde illum adiuuare curarem. Ipsum autem hominem nec tunc, nec postea vidi, nec quo abscesserit cum epistolis, audiui. Quæ idcirco sanctitati vestræ scribere studui, ut si aliquis maliuorum nostrorum (more suo) vobis quicquam sinistri ex hoc suggerere voluerit, quid inde verum sit cognoscatis, & e ga me vestrum animum non moueatis.

Rationem denique quam reddidi coram electis iudicibus, à quibus per libellum prouocationis ad electorum iudicium firmatam a Rothado impetitus, ipsi venerabiles Episcopi vestræ auctoritati transmiserunt. De gestis vero a Rothado post excommunicationem suam in prouinciali synodo compilatis, quæ per vicinos nostros ad vos in derogationem nostram peruenisse audiuimus, Episcopi Rhemorum prouinciæ per communes Legatos nostros vestræ sanctitati, quæ sunt, intimare curarunt. Item post aliquanta de promotione ipsius domni Hincmari ad Episcopatum, quæ iam superius partim prænotata non curauimus hic iteranda. Denique præfato Ebone defuncto, Ecclesia, sed & parochia nostra, secundum consuetudinem quam ex antiquo habuit (etiam de his, quam Episcopatu vsque ad obitum in eadem Ecclesia non permanserunt) ipsius nomen inter sacrosancta mysteria in Episcoporum catalogo recitare pietatis gratia cœpit, & hactenus facit. Quod ego, ne scandalizarem deuotos, quasi innuidens saluti [illegible] ma, maxime autem quiescentis in Domino animæ, qui non pro exorbitatione à Catholica fidei sanitate anathematizatus, sed sua conscientia stimulante, primum a seipso, & postea a synodo, sed & Apostolica sede damnatus extitit, ut prohibere sine Apostolica sedis auctoritate nequaquam præsumpsi, dicente beato Cælestino Papa. Quia nefas est [illegible] pati religiosas animas, quarum afflictione (quia membra nostra sunt) nos quoque conuenit macerari.] Nunc autem in epistolis sanctitatis vestræ, quas Engeluuinus diaconus attulit, inuenimus, ut Teutgaudum & Guntarium in catalogo Episcoporum non recipiamus. Et Antiochenum [illegible] bium,* ut præmisimus, & melius ipsi scitis, decoenis [illegible] damnationem, iuxta præcedentem consuetudinem, Ep[illegible] lo præsumsit ministerium (quod Ebonem fecisse non dubium est) rescribere mihi dignetur Apostolica vestra auctoritas, vtrum eumdem Ebonem inter Episcopos in sacris diptychis Ecclesia nostra nominari permittam, an, vt de cæteris Episcoporum catalogo nominetur prohibere debeam quatenus vestra auctoritate fultus, quid in nostra Ecclesia inde sit obseruandum, sine ambiguitate, decernentibus vobis, demonstrem.

De quodam Gothescalco schismatico.

CAPVT XIV.

CAEterum Luido mihi dixit, quod cum eo rationem de damnatione & reclusione Gothiscalci habuissetis. Vnde quoniam per alios iam audieram, ad sanctitatem vestram verba venisse, mihi auctoritati vestræ quadam ex verbis & Catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius perfidi hominis sensum sentiam, per Odonem Episcopum, [illegible] nihil inde responsionis accipere merui. De quo nihil omnino ut redderem rationem, quidam Episcopi, quorum nihil de eo intererat (quoniam nec eos, ut ipse manifestis indicijs prodiderunt, ad hoc caritas commonebat, nec auctoritas deducebat) me ad concilium nuper Metis habitum, quod vocari synodum vetuistis, sicut intelligo, irregulariter quarto die antequam congregaretur, cum ego longius quam lxxx. & eodem an[illegible] Gothescalcus plusquam centum millibus ab ipsa ciuitate di[illegible] parati essemus, nihil me inde ante præmonitum per quemdam laicum hominem litteris vocauerunt. Et nunc id [illegible] b custodeo sanctitati vestræ suggero, quoniam antequam ad Episcopatus ordinem peruenirem, sicut Albas suus & Monachi, inter quos fuerat conuersatus, ei testimonium perhibent [illegible] Metropolis Ecclesiæ Rhemorum monasterio, in [illegible] rochia, quod * Orbacis dicitur, habitu monachi [illegible]

etiam, quietis impatiens, & vocum nouitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis, de omnibus quæ in his regionibus peruersè tunc temporis sensa cognouerat, quædam sibi elegit capitula, vt nouitate vocum innotescere valeret, vtque simplicium & deuotorum sensus peruerteret, & magisteriè sibi nomen vsurpando, post se discipulos trahere, illisque qui ad sua vota, auribus prurientes, magistros sibi coaceruare decertant, quærere indubitè, (quoniam legitimè non poterat) simulatione vitæ religiosæ & doctrinæ prauiß. Quisque a Rhemorum Chorepiscopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus, a monasterio irregulariter exiliens, peragratis regionibus plurimis, & curiosæ feminæ sator pessimus seminans, tandem in Moguntina ciuitate habita synodo, Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis, cum literis synodalibus ad Metropolim Rhemorum (cui iam auctore Domino præeram) est remissus. Postea autem à Belgica Rhemorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus, & inuentus hæreticus, quia resipiscere a sua prauitate non voluit, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, e iudicio præfatarum prouinciarum Episcoporum, in nostra parochia (quoniam Rothadus, de cuius parochia erat, illi nesciebat resistere) nouitates amantis timebatur à nobis ne disceret praua sentire, qui noluit discere recta docere: ne et idem Gothescalcus cum aliis communem vitam ducens errores suos faceret esse communes, monasteriali custodiæ mancipatus est, docente Apostolo: Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, sciens subuersum esse huiusmodi, & proprio iudicio condemnatum. Qui, vt Leo Papa de Eutyche dicit, cum videret insipientia sua sensum Catholicis auribus displicere, reuocare se a sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ præsules commouere, vt damnationis sententiam mereretur excipere. Quam vtique si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua damnatione si voluisset ad sensum Catholicum resipiscere, paratus semper fui & sum (quoniam sic venerabiles iudicauerunt Episcopi) eum in Catholicæ Ecclesiæ communionem recipere, sicut exhibeo quæ sunt corpori necessaria ministrare. Si autem vestra Catholica sapientia vult scire, quæ contra Catholicam fidem est veteri hæresi Prædestinatiana (quæ primum in Africa, postea in Galliis per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis, exorta, & tempore Cælestini Papæ ipsius auctoritate, & instantia sancti Prosperi est extincta) dicere videatur, de multis pauca vobis numero, sed non pondere, capitulatim significamus.

Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauit ad mortem æternam. Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines saluos fieri, sed tantum eos qui saluantur: omnes autem saluari quosque ipse saluare voluerit, ac per hoc quicunque non saluantur, penitus non esse voluntatis illius, vt saluentur: quoniam si non omnes saluantur, quos vult Deus saluos fieri, non omnia quæcumque voluit facit, & si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est autem omnipotens, qui facit quæcumque voluit, dicente scriptura. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Et item. In voluntate tua Domine cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati: si decreueris saluare nos, continuo liberabimur. Dicit, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quod non pro totius mundi redemptione, id est pro omnium hominum salute & redemptione Dominus & Saluator noster Iesus Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantum pro his qui saluantur. Dicit quoque modo dispari traditione, sed pari errore, quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, exponens sententiam Apostoli Petri: Eum qui emit eos, Dominum negantes. Baptismus, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Quod autem baptismi percepti redemptio nuncupatur, Doctor gentium manifeste fatetur: Nolite contristare, inquit, Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. At illa quæ propria & specialis est filiorum omnium electorum, quam eis tantummodo crucifixus impertiuit pius redemptor ipsorum, sicut à præteritis, ita nimirum & à præsentibus natos, & nascituros, viuos & mortuos, videlicet omnes præter electos redemit, emit, abluitque peccatis. Ipsi prorsus, ipsi sunt mundus, pro quo passus est Dominus, vt ipse dixit: Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et item alibi idem Gothescalcus scribit: Absit procul a me, vt vel illud solummodo vel in somnis, nedum semel, vsurpare, vt vllum eorum perpetualiter secum per auitum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo patri Domini Dei nostri, filii sui, fusus est sanguis. Amen. Et item loquens ad Deum: Claret itaque satis aperte quod nullus tibi perit, quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ.

Quod Prædestinatiani veteres non dixerunt, iste vt audacius, ita & perniciosius dicit, deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse. Sunt & alia, quæ ipse & alii plures in istis partibus dicunt, quæ nobis sanæ fidei aduersa videntur: quæ dum per alium quam per vilitatem meæ personæ auctoritas vestra cognouerit, forte attendet solertius, & quæ inde tenenda sunt docere studebit quantocius. Restet enim in proximo inde necessitas: quia etsi eorum corda in insania peruersi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen regis nostri tempore, praua, quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. Ita vt aperte videamus impleri, quod scriptum est: Congregans sicut in* vtre aquas maris. Aqua enim maris sicut in vtre congregata est: quia amara hæreticorum scientia quicquid hodie in isto regno filii vestri domini Karoli prauum sentit, in pectore comprimit, & aperte dicere non præsumit. Meam quoque exiguitatem & occulte canino dente corrodunt. Facile autem, adiuuante Domino portare valebo: quia & mihi paucum superest temporis spatium, & si inter filios Ecclesiæ, permittente Deo, in me acceperint potestatem corporaliter affligendi, diuina gratia adiuuante, exercebunt patientiam. Sed & si tantummodo malè sentiendo aduersabuntur exercebunt, quantulamcumque scientiam & vt etiam in secundum præceptum Domini diligantur, exercebunt beniuolentiam. Præfatum autem Gothescalcum, si vestra authoritas mihi scripserit, vt eum a custodia soluam, & aut ad vos eundi, vt per vos eius doctrinam experiamini: aut ad quemcumque eum nomine designatum pergendi licentiam donem (quia vt melius ipsi scitis, sicut absolute quisque regulariter ordinatus non valet: ita nisi ex ipsius consensu, cuius esse dinoscitur, certæ personæ commendandus, & ad certum locum monachus, vel quisque sub regula constitutus, à loco suo absolui iuxta regulas sacras non valet) vestris iussionibus nullo modo resultabo. Tantum vt auctoritatem vestram habeam ne tantorum Episcoporum iudicium mea præsumptione parui pendere videar. Non enim illius delector, quam iuste sustinet pertinaciter contumax, quantulacumque reclusionis molestia: sed doleo à qua reuocari non potest perfidiam. Quem si cuicunque commendandum vestra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam prouidebit, vt cui commendabitur Catholicus sit, & grauitatem Ecclesiasticam, & vigorem, ac scripturarum scientiam habeat: quia non solum scripturas ad suum sensum violenter inflexas, sed & Catholicorum dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliqua præualet memoriter decantare. Vnde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verum & sciolos & incautos atque zelum Dei, sed non secundum scientiam, habentes, in sententiam suam facilius erat traducere. Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit, sed & hoc soleriter satis intendit, vt secum loquentes vel in sermone capere valeat. Et si de veritate non poterit, immobiliter sacramentis affirmare curabit, ea secum loquentes dixisse, quæ forte non dixerant: vt ipse verax & illi qui ei contradicunt probentur esse mendaces, & aduersarii suam doctrinam detentes.

De libris, quos idem Præsul Hincmarus composuit.

Cap. XV.

SCripsit etiam præfato Papæ Nicolao fidei suæ depromendo tenorem, & suam contra prænotati Gothescalci errorem, quam fidei Catholicæ dependere satagebat, defensionem. Scripsit præterea multa, Librum quæ-

que collectum ex orthodoxorum dictis patrum ad filios Ecclesiæ suæ, quod diuinæ Trinitatis deitas trina non sit dicenda, cum sit ipsius summæ Trinitatis vnitas, ad refellendas præmemorati Gothescalci blasphemias. Item ad Carolum regem super hac eadem re librum vnum. Scripsit & ad eumdem Carolum regem opus quoddam egregium metricè, de gratia & prædestinatione Dei: de sacramentis quoque corporis & sanguinis Christi, & de videndo Deo, atque origine animæ, simul ac de fide sanctæ Trinitatis, quod opus appellauit Ferculum Salomonis. Item collegit atque composuit volumen ingens plures continens libros, de prædestinatione Dei & libero arbitrio contra quosdam reprehensores suos Episcopos, maximeque contra Gothescalcum, atque Ratramnum monachum Corbeiensem, ad eumdem Carolum regem cui talem præfert epistolam.

Carolus Caluus.

DOMNO GLORIOSO REGI CAROLO Hincmarus, nomine, non merito, Rhemorum Episcopus, ac plebis Dei famulus vna cum collegis dominis & fratribus meis venerandis Episcopis, orationibus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ deuotus.

DEO GRATIAS agimus, qui cor vestrum ad amorem suum accendit, & ad cognitionem veritatis & orthodoxæ fidei scientiam & diligentiam ignivit, prudentiam quoque & intelligentiam vobis in litteris diuinitus inspiratam donauit, & in earum meditatione atque exercitatione, quantum vobis pro reipublicæ negotiis licet, studium vestræ deuotionis cotidiano augmento ad vtilitatem sanctæ suæ Ecclesiæ prouehit. Ceterum capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum, trium scilicet prouinciarum, sicut ibidem continetur, & inferius scriptum inuenietur, vobis delata, quæ nostra humilitas iuxta scripturam præcipientem: Interroga sacerdotes legem meam, quia & legem fidei esse legimus, præcedentium regum more, ob studium cognoscendæ veritatis, legenda & ventilanda dedistis, reuoluimus. In quibus nec, licet nomina nostra sint tacita, designatione tamen effectum velut non Catholicos reprehensos, & sine fraternitatis respectu despectos reperimus. Capitula quoque, quæ ob notam vobis, & confratribus innotescendam necessitatem, ex Catholicorum patrum sensibus & verbis excerpsimus, velut inutilia, inconnexa, repulsa & abominata inuenimus. Quæ capitula, sicut à nobis excerpta sunt, suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum capitula deuenirent, sed quædam de his, quæ in capitulis à nobis excerptis habentur, alio sensu, & aliis verbis tetigerunt, vt abominanda illa monstrarent: quædam autem suppresserunt, & taliter inde memoriam habuerunt, quasi nos contra sanctorum patrum sensa in Africana, & Arausica synodo, senserimus. De quodam autem capitulo, id est, quod omnes homines vult Deus saluos fieri, licet non omnes saluentur, funditus tacuerunt, sicut postmodum signantius demonstrabimus, cum Dominus dicat: Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Prius enim, si de conscientia recta intelligentia fuere confisi, ponentes ea, quæ destruere nitebantur, sicut illa cum integritate sua acceperant: in quibus euellenda & dissipanda erant, legentibus demonstrare, & tunc illa auctoritatem destructis atque dispersis, sua rationabiliter & ordinabiliter plantare debuerant, ac in sublime ædificantes extollere. De quodam etiam capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt, vt legentes hoc à nobis dictum fuisse intelligere possint, de quo nihil à nobis est memoratum: & quare nihil à nobis inde sit dictum, & in cuius scriptis à nobis, posteaquam capitula scripsimus sit inuentum, suo loco dicemus. Inseruerunt etiam in eisdem suis scriptis de quibusdam sexdecim capitulis, quasi nobis debeant imputari, de quibus nihil audiuimus, vel vidimus antequam venerabilis Ebo Gratianopolitanus Episcopus nobis ea, quasi à bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam

Aggæi 2.

1.Tim.2.

Ierem.1.

palatium detulit. Quorum capitulorum auctorem nec annotatum inuenimus, nec cum multum quæsierimus inuenire valuimus. Vnde putauimus quia alicuius inuidia ad cuiuslibet opinionem infamandam fuerint compilata, sicut sæpe legimus, vt de multis pauca commemoremus, velut epistola capitulorum extitit, quam venerabilis Ibas Episcopus suam esse in synodo denegauit, & sicut quidam æmuli de verbis B. Augustini adhuc in sua vita fecerunt, quæ ille argute & Catholice repulit, quantum ad illius notitiam exinde peruenit. Post eius etiam obitum, quidam inuidi capitulatim de eius ipsius scriptis, ex hoc etiam vnde nunc agitur, colligere conati sunt, vt illius doctrinam orthodoxam atque vtillimam, ob personæ illius inuidiam vilifacere præualerent, & lectores deuotos ab illius lectione ac dilectione, & necessaria credulitate auerterent. Quæ videlicet æmulorum mendacia ex delegatione sanctæ sedis Romanæ per Cælestinum Papam sanctus Prosper Catholico & prudenti stilo falsa esse, & imprudenter obiecta ostendit, & memorati ac memorandi viri doctrinam orthodoxam esse lucidissime demonstrauit. Vnde & fieri potest, vt ista capitula, quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum ab aliis quam ab illis delata vel transmissa sunt, taliter in sugillatione nostra conscripta non fuerint, sed instigante diabolo inter cætera mala, quæ nunc in hoc mundo crebrescunt, ad committendam inter Domini sacerdotes discordiam sint confecta, qui charitatem vehementer in nobis & timet & inuidet, cum videt illam à nobis seruari hominibus terrenis in terra, quam ille seruare nolens Angelicus spiritus amisit in cælo. Quomodo enim fieri posset, vt sic fratres nostri nos iuxta censuram adulationis despectu iudicarent, qui regulam Dominicam, qualiter confratrem quisque admonere debeat, continue præ oculis & in vsu cotidie habeant? Scriptum enim esse cognoscunt. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaueris, corripe iuste. Sanctus enim Augustinus hæreticorum & reprehensorum suorum scripta si in eis quiddam bene dictum inuenit, benignissime acceptauit, & plura ad rectos sensus interpretans elaborauit, nulla autem de recto sensu ad prauum inclinare tentauit. Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos secundum euangelicam regulam, vel viua voce, vel scriptis suis inde interrogarent, vt vel volentes discere docerent: vel prauum sentientes, & ad tramitem veritatis & fidei redire contemnentes, fraterne & sapius commonerent, & auctoritates diuinas & sanctorum patrum scripta nobis proponerent, & vt in vnum conueniremus nos cum mansuetudine & lenitate inuitarent? scientes quia Episcopus ideo ad synodum consacerdotum debet venire, vt aut discat, aut doceat. Litteras namque quorumdam eorum quidam nostrum benignas & fraternas suscepimus, nostrasque illis remisimus, & nihil tale de eorum parte perspeximus, audiuimus, intelleximus, cepimus, vel perperam præualuimus. Si autem talia scripserunt, forte illi scripserunt, vt suam sapientiam de nostra insipientia demonstrarent, & plus de iactantia laudis appetitum quærerent, quam bona nostra & bene à nobis dicta, si ferent, per charitatem sua facerent: si etiam secus à nobis dicta inuenerunt, plus illa publicare, quam nos fraternè corrigere maluerunt. Miramur de tantis & talibus viris, Archiepiscopis & Episcoporum primoribus, maxime autem de Ebone, qui religiosus est vt audiuimus: quippe sicut ab ipsis pene cunabulis sub religione & habitu regulari nutritus in Rhemensis Ecclesiæ monasterio, vbi requiescit sanctus Remigius. In quo loco religiose suam exegit ætatem, quousque à domno Ebone auunculo suo, tunc Rhemorum Archiepiscopo, ibidem diaconus consecratus, & Abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum & gubernandum constitutus Episcopalis est ordinatus: quemque ita humilitatis tenore nutritum, & humilitatis locum appetere, & tenere velle dicimus, vt illi & omnibus scriptum est: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Spiritus enim potestatem habentis spiritus est superbiæ, locus autem noster humilitas est, quam à se vero locus munitus & turris fortitudinis nos discere iubet: Discite à me, inquiens, quia mitis sum & humilis corde. Quamque pro loco tuto contra cl[illegible] iactantia spirituum præfatum religiosum virum ibi retenere

Matt. 18.

Eccl.

Ebo Rom. Epis.

Matt. 11.

vel audivimus & pro certo credimus, & ideirco discredimus ista capitula ab eo confecta: quia prætermissis aliorum consacerdotum nominibus, solum Ebonis nomen cum Archiepiscopi est ibidem taxatum, ut quibusdam videtur, expressum. Et quod quam maxime in hoc ipso collaboravisse: quasi egregione sit sensum, vel etiam cum Archiepiscopis maior cæteris & doctior in sententia fuerit. Hoc enim de sancto Augustino, qui in Concilio Africanis scientia & labore ac vigilantia maior extitit, nequaquam invenimus. Nam & ipse sanctus Augustinus non solum se cæteris coepiscopis, privatam gloriam quærens, non prætulit, nec præferre permisit verum, & aliis supposuit, cum ipsi plus aliis laboraverit, sicut in epistolis ad sanctum tunc Innocentium Papam scriptis, & ad alios Apostolicæ sedis Præsules, qui legere voluerit, invenire valebit. Nec de ullo Episcoporum in ullis conciliis aliter legimus [illegible] forte Apostolica auctoritate propter evidentem causam aliquem [illegible] ad hoc negotium cum Archiepiscopo suo ex nomine de[illegible] decreverint, sicut de Augustodunensi [illegible] epistolis beati Gregorii legimus. Quanto magis isto [illegible], & vir cautus in huiusmodi se efferre noluisset, aut præ [illegible] despectis ac prætermissis cæteris coepiscopis, permisisset? Huc accedit, quia fratres nostri & consacerdotes surda aure non debuissent transire Salomonis dictum commonentis, si ex [illegible] vel audita, aut scripto quoddam sinistri secreto acceptis [illegible] præpropere illud in publicum quasi cumque nobilitate [illegible] (unde non [illegible]) ad contentiones & iurgia propalarent. Ait enim: Quæ viderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. Scimus tamen quia sunt nonnulli qui dum plus sapere quam oportet sapere student, à proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt. Unde per se veritas admonet, dicens: Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos, ut quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est, quatenus à pace concordiæ nunquam recedat. Unde terribiliter Paulus admonet, dicens: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum. Præcipue autem nos eam servare & persequi, id est, perfecte sequi debemus, qui Deo quotidie sacrificare debemus, & veritate contestante specialiter quasi præcipimur, ut si offeramus munus nostrum ad altare, & ibi recordati fuerimus, quia frater noster habet aliquid adversum nos, relinquamus ibi munus nostrum ante altare, & eamus prius reconciliari fratri nostro, & tunc venientes offeramus munus nostrum. Ecce ductor & doctor noster à discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hic ergo perpendendum est, quantum sit malum discordia, propter quod & illud non admittitur, per quod culpa laxatur. Non enim nos adversus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserunt: sed credendum est, si illa scripsissent, ad nos contra quos illa scripserant transmisissent. Nunc autem illis quomodo rescribere possumus, cum utrum illa scripserint ignoremus? Verumtamen ne sine responso nostro vestra dominatio maneat, vobis de cuius manu illa accepimus, corde, ore, & stilo non formidantes carpentium nos* derogationem, respondere curamus. Primo scilicet mittentes ea, quæ ab eisdem fratribus nostris in synodo conscripta fuisse leguntur, licet hinc antea, alia fuisse conscripta experiantur. Sed quia hæc in suggillationem nostram, & contra excerpta à nobis capitula confecta noscuntur, ea permutem indicavimus ponere, quæ maioris nominis, licet non auctoritatis, quia partim non veritatis, propter synodalem tamen prætitulationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa quæ à pluribus, & per aliorum manus de pluribus ex hoc emissa accepimus. propter quam necessitatem ex Catholicorum patrum, ut diximus, sensibus & verbis capitula illa quatuor excerpere procuravimus, ea conditione, ut de singulorum scriptis ex singulis sententiis, quæ in à nobis excerptis capitulis continentur, quædam, prout necesse viderimus, ponamus. Post hæc, capitula à nobis excerpta de patrum sensibus & verbis, ut illa excerpsimus, ponere procurabimus, & si divinis & authenticis scripturis, & Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ sanctæque Romanæ sedis fidei, & orthodoxorum patrum sensibus, quos eadem sancta mater Ecclesia præsederunt, & qui ab eadem Apostolica sede Romana nobis in canone recipiendi dati sunt, sensum nostrum in eisdem capitulis expressum concordari demonstrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, ac devote studebimus: quia alium ad stipulandum nostra Catholica intelligentia sensum sententias recipere, nec proferre volumus, cum constet illum esse verum atque Catholicum, quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, & universalis Ecclesia duxerit approbandum. Et si qui fuerunt appellati doctores, ad probandam fidei sinceritatem illorum sententias non recipimus, neque proferimus, nisi quorum sententiam ipsa Catholica mater Ecclesia decrevit esse probabiles. Si autem & aliqui inveniuntur, qui doctrinalem cathedram tenuerunt, postquam ab eadem sancta sede canon sacrarum scripturarum, atque doctorum Catholicorum, fidelibus cunctis est datus, qui aliter senserunt, quam ipsi intellexerunt atque docuerunt, quos ipsa mater Catholica suo orthodoxo sinu recepit, amplectitur, atque fovet: quis nec debemus, nec necesse habemus, ad auctoritatem sententias illorum proferre, aut recipere volumus, quoniam in istis & per istos satis ad salutem habemus. Et si qui aliter quam isti, & maturiori & saniore documento tenendum docuerunt, dogmatizant aut dogmatizare præsumpserunt, totum ducimus fidei & saluti adversum, quidquid ab eorum salubri doctrina constat esse diversum. Eorum etiam sententiam, quos divina dignatione, postquam ipse canon à beato Gelasio conscriptus est, sensu & doctrina Catholica, & sanctitate conversationis in Ecclesia floruerunt, & ab ipsorum orthodoxorum patrum, qui in eodem canone adnotati sunt, fideli quia Catholica doctrina nihil dissonum, nihil diversum scripserunt vel docuerunt, reverentia pari amplectimur, veluti venerabilis Beda presbyteri à discipulis sancti Papæ Gregorii Catholica fide imbuti, & à sancto Theodoro Archiepiscopo, utriusque linguæ, Græcæ videlicet & Latinæ perito, & à sancta Romana Ecclesia ad Anglos post discipulos beati Gregorii ad eruditionem transmisso, non mediocriter instructi, ac veneranda memoria Paulini Patriarchæ Aquileiensis parochiæ, atque Alcuini viri religiosi & docti: quorum fidem & doctrinam Apostolica sedes Romana non solum benignissime acceptavit, verum & multis laudibus extulit, sicut in scriptis ipsius sanctæ sedis invenimus, quæ Ecclesiæ nostræ ab eadem Ecclesiarum matre acceperunt, tempore divæ memoriæ Karoli Imperatoris, quando synodus pro cognita infidelitate Felicis est habita, & ad Romanam Ecclesiam velut ad apicem Ecclesiarum transmissa. Sed & eorum scripta qui legit, quam sint laudanda & recipienda intelligit. Deinde si talium, ut diximus, sententiis concordari capitula quæ excerpsimus, demonstrare non potuerimus, parati sumus doctoribus & Catholicis aurem accommodare, sensum subdere, & sine contentione nos doctrinæ illorum subiicere. Et quia libellum descriptio bonæ memoriæ fratris vestri Lotharii, sine nomine auctoris suscepimus, in quo sigillatim per loca singula capitula à nobis excerpta sunt posita, & assensu illius, quisquis ille fuerit, reprehensa sunt & damnata, cum de Catholicorum patrum dictis nostra capitula, si poterimus, confirmare curabimus, ipsius etiam reprehensiones ponemus, & eas quantum Dominus dederit, confutare studebimus. Tunc demum ponemus de capitulo confratrum nostrorum quinto, unde notam nobis quasi tacite & è latere impegerunt, quod in Gothescalci scriptis invenimus, postquam capitula quatuor sæpe memorata excerpsimus, & quid inde sentiamus Domino inspirante dicemus. Et sic tandem subiiciemus illa decem & novem capitula, pro quibus de Scottorum pultibus confratres nostri, sine culpa nostra, in hac duntaxat causa nos pascere decreverunt: & quid de eisdem capitulis sentiamus, ex Catholicorum fratrum sensibus ostendemus.

Dist. 15. c. Sancta Romana.

Matth.

De his quæ Karolo Regi scripsit.

Caput VI.

Item aliud edidit volumen insigne ad eumdem regem, contra præfatum Gothescalcum, & cæteros prædestinatianos, de quo huiusmodi ad ipsum scribit epistolam.

DOMNO KAROLO REGI GLORIOSO
Hincmarus, nomine, non merito, Rhemorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, una cum collegis dominis & fratribus meis venerandis Episcopis, orationibus scilicet salutis atque prosperitatis vestra devotus.

NVPER elapso mense Iunio, per indictionem septimam, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo nono, dedistis nobis quædam capitula, sicut nostra dixistis humilitati, a Remigio reverendissimo Lugdunensium Archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati, iubentes ut tempore congruo de his vobis redderemus responsum, si unanimes, uno ore, eorumdem capitulorum sensu concordaremus: aut quia vobis à sana patrum fide in quibusdam dissentire videbantur, nostro sensui, quem a Catholico tramite non deviare credebatis, ab eis in aliquo dissideret, sequentes & præcepti Dominici iussionem, & Christianam prædecessorum vestrorum consuetudinem. Est enim & divinis legibus cautum, & prisco anteriorum principum more statutum, ut quotiescumque in, Catholica fide, vel divina religione quiddam novi emerserit à principali sententia Episcoporum consultius referatur, & quod eorum iudicio, scripturarum sanctarum auctoritate, & orthodoxorum magistrorum doctrina, atque secundum auctoritatem canonicam & decreta Pontificum Romanorum Christi Dei nostri vicarii, & sanctæ eius Ecclesiæ Præsules, credendum, sequendum, & tenendum, atque prædicandum decreverint, id ab omnibus corde credatur ad iustitiam, ore autem confiteatur ad salutem: sequatur ad vocationem, teneatur ad coronam, prædicetur ad lucrum. Quæ siquidem capitula in conventu Episcoporum habito in territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quam vobis porrecta fuerint, sunt recitata, proferente & deponente ea synodo domno Remigio Lugdunensium Archiepiscopo. Quæ sicut dixit, & in epigrammate eorumdem capitulorum continetur, in hoc ipso anno in Kalendis iun. hominibus ibidem descriptis, & in suburbio Lingonicæ urbis, ad instructionem Dominici populi, ipse & sibi comprovinciales Episcopi ediderunt: & in crastinum alia quædam capitula, de quibus post locuturi sumus, edita fuere. Super quibus, sicut quibusdam ex fratribus visum est, quorundam sensus est motus. Nam ut vere & nos fateamur, nostra conscientia super prædictis capitulis, quæ, ut diximus, Remigius Archiepiscopus synodo præsentaverat, recitatis, Catholicorum ad memoriam reducentes doctorum traditiones, non modice se concusserunt. Vnde nostrorum quidam, fidei Christianæ zelo succensi, aliqua synodo voluere suggerere: sed motus nostri ab eodem venerabili Archiepiscopo Remigio Lugdunensium sunt modeste compositi, eo venerabiliter perorante, ut si quorumcumque nostrorum sensus ab eisdem prolatis capitulis, in aliquo dissentiendo se commoverit, ad proxime futuram synodum Catholicorum libros doctorum quoque deferre curemus: & sicut melius secundum Catholicam & Apostolicam doctrinam in commune invenerimus, de cætero omnes unanimiter teneamus. In cuius devotione coepiscoporumque ipsius diœceseos, quorum etiam & ante ordinationem mentem Catholicam atque doctrinam, sicut & vos non latet, cognovimus, quantum sensui pusillitatis nostræ fidem accommodare audemus, percepimus quia non ex ipsis, ut non dicamus per ipsos synodo capitula ipsa fuere prolata. Quapropter quamvis blando sibilo eos quidam circumvenire voluerint de eo quod sanctus Cælestinus Episcopos Gallicanos redarguit, dicens: Quid illic, inquit, spei est ubi magistris tacentibus hi loquuntur qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Timeo ne conniuere sit, hoc tacere. Timeo, ne magis ipsi loquantur si permittunt illis taliter loqui. In talibus causis suspicione non caret taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori.] Nos tamen plures, qui eorum & fidem & doctrinam & prudentiam novimus, minime in eis istam oscentibus sententiam pro dissertione baptismi de beato Cypriano à sancto Augustino collaudatam, sæpenumero in libro secundo de baptismo positam proposuimus. Quomodo enim, inquit, potuit ista res tantis altercationum

Cælest. ep.1.cap. 6.

nebulis involuta ad plenarii concilii luculentam illustrationem, confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret. Hoc autem facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerumque doctioribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur: vel quomodo teneant unitatem, cum in rebus obscurioribus diversa sentiunt: vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant declaratum esse cognoscunt.) Sciebant namque iidem venerabiles, Catholici, & docti viri, quia in multis regionibus ac provinciis hæc pestifera erat recommota doctrina: & ideo silentium in suis provinciis imponere tam facile, sicut forte poterant, noluerunt errori, donec ad plurimorum notitiam perveniens plurimorum iudicio quæstio sopiretur. Quia, ut dicit sanctus Cælestinus in epistola ad Nestorium directa. Omnes debent nosse quod agitur, quoties omnium causa tractatur.) Videlicet, ut cum omnium in unius propositione fuerit diffinita consultatio, cunctorum valeat ad omnes emanare solutio. Hæc eadem namque capitula, sicut facile reminisci potestis, ante triennium nobis in villa Rothomag[illegible] episcopii, quæ Melpsa dicitur, quando in excubiis contra Normannorum infestationem degebamus, sub titulo quasi in Valentiana synodo conscripta fuerint, anno incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo quinto, sub Lothario Imperatore dedistis, ut ad illa quæ nobis viderentur Catholice ex orthodoxorum magisteriis responderemus, cum aliis quorumcumque scriptis, quæ hinc ad vestram notitiam pervenere. Quorum quædam scripta recepimus, sed ea publicare noluimus, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, donec eos, qui vobis illa transmiserant, familiari colloqueremur sermone, & eos, si aliquo modo valeremus, ab hac prava intentione ad Catholicæ fidei unitatem cooperante Domino revocaremus. Sed quia partim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis suasionibus minus quam necesse fuerat, obauditi, eos quos munere disposuimus à sua intentione revocare nequivimus. Vnde quia sicut dicit Apostolus: Quorundam hominum peccata manifesta sunt, & quæ aliter se habent abscondi non possunt: adeo quorundam excrevit dissensio, ut hæc dissonantia ad vestram perveniret notitiam, & synodali decreto pro zelo fidei, & unanimitatis amore, antequam hæc nobis perscrutanda committeretis, quatuor capitula Episcopali diffinitione vobis de Catholicorum patrum dictis collegi, & singulorum exigentiis manibus roborata. Postea vero & quorundam ex his qui eisdem capitulis subscripserant, & aliorum etiam in tantum est accumulata discordia, ut necesse foret, & iussionis vestræ instantia, & executionis nostræ obedientia, hinc eorum quos præmisimus scriptis & propositionibus litterali officio respondere. Inter quæ & his capitulis quæ nobis nuper dedistis, pro nostri ingenioli capacitate, sub dubietate tamen, respondimus: quia non credidimus, ut fratres & coepiscopi nostri contra regulas Ecclesiasticas adversum nos talia debuissent conscribere: præsertim cum non ignorarent Dominicis institutionibus & legibus sancto Spiritu promulgatis præfixum esse, qualiter si in sæpefatis capitulis fidei obloqueremur, nos compellere, & tunc synodali iudicio nos nostrasque sententias à sua debuissent communione explodere. Nunc vero quia certi sumus, eius compositionis debemus de sæpenominatis quæstionibus respondere, servatis relationum absolutionibus contra eos, quibus à vestra dominatione, pro imposito nobis ministerio, iussi sumus reddere rationem, contra hæc tantum capitula, quantum ex nobis est cum omnibus pacem habentes, ex sanctarum scripturarum auctoritate, & Catholicorum patrum sententiis simpliciter respondere curabimus: ut cuius forte omnia illa legere non licuerit, vel non libuerit, hic compendiosas pro tempore capitulorum responsiones inveniat, quas furatis horulis à diversis occupationum distensionibus, qui cognitionum ferias non habemus, sicut de sententiis sanctorum patrum accipimus, ne torpere vel inobedientia à vestra domina-

August. 2. de baptism. cap. 4.

Ibid. cap. 5.

Cælest. ep. 6.

1 Timot. 5.

Matth. 18.

Rom. 12.

remur Christiana deuotione, committere schedulis tumultuario sermone studuimus: qui tamen in præfatis relationibus, prouocati multiplicibus multiplicium illationibus, multipliciter multiplicibusque collationibus, non sine (sicut scimus & confitemur) lectoris tædio, sensu, sed tamen Catholico, in tribus literis lacinioso sermone respondere satagimus. Sed in hoc maxime benigno lectori nos satisfacere autumamus, quia singulorum singulas semper ponentes sententias, singulariter ad obiecta & resistentia fidei respondere studuimus, & vel in hoc solo deuotum quemque lectorem nobis conciliari confidimus, quia cum ex sua mente nostrum laborem perpenderit, nos apud se excusatos habebit. Quis vero sit istorum capitulorum compositor, cui quasi a nouo cogimur respondere, ipse se prodet cum necessario vrgebitur ad lucem veritatis venire: quia operator tenebrosorum operum (inter quæ ab Apostolo & hæreses describuntur) odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Omnis vero qui bona agit (inter quæ bona ab Apostolo & fides connumeratur) venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Sed & ille quicunque est, si ad lucem venerit, & veritati ex corde consenserit, esse filius lucis poterit: Si autem & pertinaciter contradixerit veritati, ipse in infidelitate sua & contentionis suæ vecordia hæretici sibi nomen imponet: quia non statim hæreticum, quod ignoranter à fide sentitur diuersum, si non fiat pertinaci contentione hæreticum.

Gal. 6.
Ioann. 3

De Synodo sex prouinciarum Galliæ apud Trecas habita.

Capvt XVII.

Anno denique Dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo septimo synodus prouinciarum Rhemensium, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Burdegalensium, atque Bituricensium, apud Trecas VIIJ Kalendas Nouembris conuenit. Vbi quidam Episcopi, vt assolet, gratia regis Karoli Vulfado fauentes, quædam contra veritatem, & Canonum sacram auctoritatem aduersus Hincmarum moliri cœperunt. Sed isdem Hincmarus, eorum molitionibus ratione & auctoritate obuiam, plurimorum sententia præualente, rerum gestarum ordinem, de quibus agebatur, communi consensu epistola, scriptum per Actardum venerabilem Nannetensem Episcopum Papæ Nicolo Episcopi, qui conuenerant transmiserunt. Cuius epistolæ tenor idem extitit, qui fuit in epistola Hincmari Rhemorum Episcopi, quam per clericos suos sub peregrinorum habitu, propter contrariorum vitandas insidias, præcedente Iulio mense Romam miserat. Epistolam autem in præscripta synodo factam, & Archiepiscoporum qui conuenerant sigillis signatam, Actardus perferendam suscipiens, cum quibusdam Episcopis ad Karolum, sicut ipse præceperat, redut. Karolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro eius honore & regni obtentu sæpefatus Hincmarus per plures annos subierat, eamdem epistolam ab Actardo sibi dari exegit, & Archiepiscoporum sigilla confringens, gesta synodi relegit, & quia, sicut voluerat, in eadem synodo Hincmarus non extitit confutatus, epistolam suo nomine ad Nicolaum Papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bulla sui nominis sigillauit, & cum epistola synodali per ipsum Actardum Romam direxit. Præfati autem Hincmari clerici in mense Augusto Romam venientes, Nicolaum Papam iam valde infirmarum & incontentione, quam contra imperatores Græcorum Michaelem & Basilium: sed & contra Orientales Episcopos habebat, magnopere laborantem inuenerunt. Quapropter vsque ad mensem Octobrium ibidem sunt immorati. Nicolaus vero Papa gratanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit. Sed & alteram epistolam eidem & ceteris Archiepiscopis & Episcopis in regno Karoli constitutis transmisit, innotescens præfatos Græcorum imperatores, sed & Orientales Episcopos calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, immo omnem Ecclesiam, quæ Latina vtitur lingua, quia ieiunamus in sabbatis, quod Spiritum sanctum ex patre filioque procedere dicimus, quia presbyteros sortiri coniuges prohibemus, quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, dicentes ipsi Græci, quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus: reprehendentes nos Latinos, quod octo hebdomadibus ante Pascha à carnium, & septem hebdomadibus à casei & ouorum esu, more suo, non cessamus. Dicentes etiam, quod in Pascha more Iudæorum super altare pariter cum Dominico corpore agnum benedicamus & offeramus: succensentes etiam nos, quia clerici apud nos barbas suas radunt: & dicentes quia Diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos Episcopus ordinatur. De quibus omnibus per singulas prouincias à Metropolitanis cum eorum coëpiscopis sibi rescribi præcepit, alloquens eumdem Hincmarum in epistolæ fine hoc modo: *Tua*, inquit, *Hincmare, charitas cum hanc epistolam legerit, mox vt etiam ad alios Archiepiscopos, qui in regno filij nostri Karoli gloriosi regis consistunt, dirigatur, summopere agere studeat, & vt de iis singuli in diœcesibus propriis vna cum suffraganeis suis in cuiuscunque regno sint constituti, conuenienter tractare, & nobis quæ repererint, suggerere curent, eos citare non negligat: ita vt eorum omnium quæ præsentis epistola nostra circumstantia continet, in & strenuus executor illic existas, & apud nos verax & prudens scriptorum tuorum fere relator inueniaris.* Quam epistolam Hincmarus suscipiens, in Corbanaco palatio consistenti regi Karolo cum pluribus Episcopis relegit, & per alios Archiepiscopos, sicut in mandato acceperat, dirigere studuit. Nicolaus Papa Idibus proxime præcedentis mensis Decembris obiit, cui Adrianus Papa electione clericorum, & consensu Ludouuici imperatoris in pontificatu successit: quem Actardus Romam veniens cum supra scriptis epistolis, in Apostolica sede iam ordinatum inuenit.

Non extat hæc Nic. ep.

ad Hincmar.
Hæc est Nicol. ep. 70.
Nouem calumniæ & obiect. Græcorum.
Corbeny.
Adrianus II Ludou. ij.

Item de præfato Rege Karolo.

Cap. XVIII.

Scripsit præmemoratus domnus Hincmarus ad eundem regem Karolum libellum, ex sacris scripturis & Catholicorum dictis collectum, ac triformi digestione distinctum, scilicet de persona regis & regio ministerio, in causa reipublicæ, & quæ debeat esse discretio in misericordia, & de vltione specialium personarum, quem conclusit in capitulis xxxiij. Scribit etiam ad præfatum regem instructionem vtilissimam, de cauendis vitiis & de exercendis virtutibus, mittens ei pariter epistolam beati Gregorii ad Recaredum VVisigothorum regem. Item scribit ad eundem regem collectionem quandam multarum auctoritatum de Ecclesiis & Capellis, contra dispositionem Prudentii Trecassini Episcopi. Scribit etiam ad instructionem ipsius regis, de duodecim abusiuis, sanctorum in his colligens dicta patrum, & præteritorum constitutiones regum. Sed & de promissione sua eum admonens, quam verbo ac scripto, antequam rex consecraretur, primatibus & Episcopis fecerat. Scripsit quoque multas ad ipsum regem epistolas, vt qui eiusdem Archiepiscopi de multis requirebat consilium, & per eius prudentiæ suggestionem multa industrie disponebat. Quando etiam filius suus Karlomannus clericus aduersus eum consurrexit, & ipse rex ad Viennam contra Gerardum comitem, (qui à se desciuerat) profectus erat, huic Præsuli nostro litteras suas misit, mandans vt conuocaret Episcopos regni, ac

17. ep. 126.

laicos ipsi fideles: vt Episcopi secundum ministerium suum prohiberent Karlomanno, ne aliquod damnum in hoc regno faceret, & laici resisterent illi, ne hoc facere posset. Qua de re Engilranno, Gossino, & Adelelmo Comitibus scripsit, quærens ab eis, immo consilium dans, quid super hac re foret illis agendum. Litteras quoque deprecatorias regi iam pro eodem Karlemanno direxerat, & pro pace inter ipsum & patrem eius laborabat: multa tamen mala, & deprædationes ab ipso, eiusque complicibus patiebatur. Accedens autem cum aliis fidelibus regis ad ipsius Karlomanni colloquium, obsides ei dedit, & accepit ab ipso vt pax fieret in regno, & homines ipsius Karlomanni pacifice in regno consisterent. Et idem Karlomannus in villis sancti Medardi cum paucis pacifice maneret, donec missi regis venirent, & Karlomannus cum fidelibus regis ad patrem suum pergeret, & placitum cum eo faceret, vel sanus ad suos rediret. Susceptis autem missis regis, misit litteras ad Karlomannum, vt veniret eius ad colloquium, auditurus ibi quid rex mandaret: vbi etiam fideles regis conuocauit, vt ibi quod rex mandaret de pace stabilire possent, agereque certarent. Quod & tunc quidem factum est. Sed rex eundem filium suum cum suis postea excommunicari fecit ab Episcopis totius regni, pro malis quæ relinquere nolebat, insuper & comprehensum oculis priuari iussit. Domno vero Hincmaro rex idem non solum de rebus Ecclesiasticis, sed & de populo in hostem conuocando, vt ipse hoc ageret, mandare solebat: & ipse accepto regis mandato tam Episcopos quam Comites conuocare solitus erat.

De hoc rege Karolo in visione Bernoldi rediuiui (de qua superius aliqua iam narrauimus) talia referuntur visa. Venit in quemdam locum tenebrosum, ad quem ex alia parte lux resplendebat de vicino loco satis lucidissimo, & pulcherrime florido ac odorifero: ibique iacere vidit hunc regem Karolum in luto ex sanie ipsius putredinis, & à vermibus edi, qui carnem ipsius omnem iam pene absumpserant, & non apparebat in corpore ipsius aliud, nisi nerui & ossa. Qui vocans hunc ex nomine, dixit: Quare me non adiuuas? Cui Respondit: Domine, quomodo vos possum adiuuare? & ille, Prende, ait, illam petram, quæ iuxta te est, & pone illam sub capite meo. Quo facto, dixit ad eumdem: Vade ad Hincmarum Episcopum, & dic ei, quia illius, & aliorum fidem meorum bona consilia non obaudiui, ideo ista quæ vides pro culpis meis sustineo: & dic illi quia semper in illo fiduciam habui, vt me adiuuet, quatenus de ista pœna sim liberatus, & per omnes qui mihi fuerunt fideles, ex mea parte postulet vt me adiuuent, quia si inde certamen habuerint, cito de ista pœna ero liberatus. Cumque interrogasset eum, quis locus esset vnde illa lux resplendebat, audiuit sanctorum esse requiem: conatusque propius accedere, vidit tantam claritatem, sensitque suauitatem, tantumque * decorem, quantum humana non potest edicere lingua. Viditque ibi multitudinem hominum diuersi ordinis in albis vestibus collætantium, & quædam sedilia lucida, in quibus nemo adhuc sedebat cotum quibus præparata erant. Et in illo itinere ingressus est Ecclesiam quandam, in qua reperisse visum sibi est Hincmarum Episcopum, paratum cum clericis reuestitis vt missam celebraret: dixitque illi hoc quod Karolus eius mandauerat. Statim regressus ad locum, vbi eumdem regem iacentem viderat, inuenit eum in loco lucido sanum corpore, & indutum regiis vestibus, dixitque illi: Vides quomodo me adiuuit tuus missaticus? & cetera. Quam visionem domnus Hincmarus sibi relatam describens, & per loca vbi necesse visum est exponens, ad multorum notitiam peruenire fecit, & tam per se quam per alios regis fideles sibi quoque subiectos, pro ipsius absolutione animæ, & adipiscenda requie, pie fideliterque laborauit.

Sup. cap. 5. Visio Ber. de Carolo Caluo qui obiit an. 877.

** l. dulcorem.*

Idem vero Præsul de multis regi necessariis sæpissime suggerebat. Inter quæ scribit ad eum pro electione Beluacensis Episcopi, post obitum Hildemanni Præsul sipsius vrbis. In qua epistola regem illudet à Simoniaca hæresi compescere: asserens sibi multo amabilius esse istum Episcopatum secundum sæculum dimittere, quam Episcopum contra canonicam institutionem non tam benedicere, quam æterna secum maledictione maledicere. Item pro cella vel monasterio Flauiaco, quod idem rex sibi, dum in ipsius ante Episcopatum moraretur seruitio, donauerat, & vt in vita sua illud teneret, præcepto confirmauerat: quodque à quodam inuasore destructum restruxerat, & religionem, prout valuit, in eo restaurauerat: quod postea rex idem conabatur iniuste à iure ipsius auferre. Item pro quodam refuga, qui quandam sanctimonialem sibi copulauerat, suggerens regi, vt eum comprehendi faceret, atque sua regia potestate separaret ab hoc crimine, quia ipse stuprator Episcopali iudicio tenuerat obedire. Item pro causa * Rothadi Episcopi, quem rex ad causas suas vocauerat, & aduocatum dirigere præceperat, qui responderet contra hominum quemdam ipsius Rothardi de beneficio ipsius, vnde inter eos causa versabatur: pro qua re subtiliter ac diligenter eumdem regem reprehendit, ab hac intentione, sacris auctoritatibus interpositis, reuocare gestiens. Item de missatico suo, quod executus est apud Lotharium imperatorem & Ludouicum Transrhenensem, fratres ipsius Karoli, pro pacto pacis inter eosdem tres fratres componendo. Item aliam epistolam de eadem re: in qua eumdem Regem Karolum instruxit, qualiter agere erga fratres suos deberet, simulque de receptione vel reiectione eorum, de quibus ratio ventilabatur. Item de causa Lotharii imperatoris fratris ipsius, qualiter Romæ habebatur, & quando venturus esset in istas partes. Instruens etiam hunc regem, qualem se tam coram Deo, quam etiam coram hominibus exhibere deberet. Vnde reginam quoque admonet, vt regem ad honestam & regi congruam studeat exhortari conuersationem. Item de militaris rei dispositione, pro soluenda Beluacensis vrbis obsidione, in qua designare curauit, qualiter Ecclesiam sibi commissam tractaret: Ecclesiasticas scilicet actiones per monasteriorum præpositos, & Archipresbyteros: curam villarum ac dispositionis domus, regalium que seruitiorum & hospitum, querelasque clamantium vel interpellantium, per fidelissimos laicos. Item de itinere ad superiorem Franciam, qualiter disponatur, & quomodo regnum illud ordinatum dimittatur. Item de synodo quam præcipiebat rex conuocari infra parochiam Rhemensem, ostendens quibus ex causis conuocari debeat synodus: & de aliis quibusdam vtilibus rebus. Item de causa Hilduini abbatis defuncti. Item de causa Gerardi Comitis. Item de causa Ludouici regis Germaniæ fratris eiusdem Karoli. Item de causa Lotharii regis Italiæ, nepotis ipsius Karoli. Item de opera pontis, quem rex cum ipso ac cæteris nonnullis fidelibus suis faciebat ad Pistas in Sequana. Item de causa Hincmari nepotis sui, montis Lauduni Episcopi, plures scribit epistolas, pro quo multum apud eumdem regem laborauit. Item de infirmitate sua, & de peregrinis quibusdam monachis suscipiendis. Item de rebus sancti Remigii sitis in prouincia Viennensi, vel Aquensi. Item de ordinationibus quotundam Episcoporum, & nonnullarum Ecclesiarum. Item de itinere ipsius regis ad Italiam post mortem nepotis eius Imperatoris Ludouici: quomodo iter illud disponat, & quomodo regnum illud ordinatum dimittat. Item de quæstionibus cuiusdam Mancionis. Item de villa Noulliaco, & rebus ad ipsam pertinentibus. Item pro litteris Ludouici Regis fratris ipsius Karoli, quas illi pro visione, qua pater suus sibi apparuit,

Alia Hincmari scripta ad Carolum Caluum.

** Rothadi.*

aparuit, ei miserat: quarum exemplar trāsmisit eidem regi Carolo, cum exemplari epistolæ, quam pro hac re ipsi Ludouico direxerat. Item pro caussa Vvaltarij defuncti, viri clarissimi & de imagine Saluatoris. Item pro causa Laudunensium, & ordinando eis Pontifice post deiectionem Hincmari. Item de eadem re. Item de passione S. Dioynisij à Methodio Constantinopolitano Græce dictata, & ab Anastasio Romanæ sedis Bibliothecario latine conscripta, & de vita vel actibus beati Sanctini, & quid in his inuenerit de commemoratione sancti Dyonisij. Item de villis sancti Remigij in Vosago, qualiter vsque ad id temporis sine habitæ. Pro diuersis quoque rebus alijs diuersas ad eumdem dedit epistolas.

Quæ Ludouico eiusdem Caroli filio scripsit.

Cap. XIX.

ITem ad Ludouicum regem filium huius Caroli, quem vnxerat & consecrauerat, de coniecto Normannis dando. Item de disponendis regni vtilitatibus, & ordinatione atque consilio patris Imperatoris sequendo. Item post obitum eiusdem Imperatoris, de ordinandis regni sui principijs, proponens ei exempla prædecessorum suorum, & instruens eum per capitula de iusto regni regimine, & honore sanctæ Dei Ecclesiæ, exterisque sibi ac regno necessarijs rebus. Item de quibusdam præsumptoribus corrigendis, & temperanda censura correctionis, & alijs commoditatibus. Item ne quippiam contra Canonicas moliretur regulas, nec alicui huc Episcoporum præciperet, ne sententiam diuinam incurreret. Item qualiter commouerit ex præcepto regis ipsius Hugonem Lotharij regis filium, super malefactis quæ agebat, & de hominibus suis ad regem cum hostili apparatu dirigendis. Ad filios quoque ipsius defuncti Regis, Ludouicum & Carlomannum, pro electione canonica Ecclesiæ Tornacensi vel Nouiomensi obtinenda post obitum Ragenelmi Episcopi. Item pro ipsa electione iam facta, quam indigne tulerant ab ipso Archiepiscopo fuisse dispositam. Item pro eadem re, ostendens qualiter in electione ipsorum consenserit, quando electi sunt ad regni principatum & quæ ab eis pro hac electione mandata perceperit: & quale sit ministeriū regale, & quale Pōtificale, & qualis eligēdus vel ordinādus sit Episcopus, & qualis vel qualiter nō debeat ordinari, & vt diuinas auctoritates addiscere curent. Itē pro eadē re, sacris demonstrans auctoritatibus, quam grauiter in Deum peccarent, qui ordinationem illam tamdiu differre facerent, & de obiectis sibi à Gosleno super Ludouici regis patris eorum assensu. Quare Ansgardim vxorem abiectam eum recipere non coëgerit, & Adelaidim ab eo retineri non prohibuerit: & de litteris Ludouici regis ad eū pro filiorū suorū prouectione datis, & de mandatis istorum regum ad se indebite missis. Item ad hunc Ludouicum solum de consilio, à se petito, quale sit vtile Regi consilium, & qualiter debeat agere iudicium & iustitiam, & quid hæc boni conferant obseruata, quodve mali neglecta irrogare soleant, & cætera. Item ad regem Carlomannum adolescentem, & ad Episcopos, admonitionem de disponendo regali ministerio per capitula. Item aliam admonitionem ad eundem regem, similiter per capitula.

De his quæ Ludouico fratri eiusdem Caroli scripsit.

Cap. XX.

LVdouico regi Germaniæ, præfati Caroli regis nostri fratri, nonnulla quoque scripsisse reperitur. Ad petitionem ipsius regis, de quibusdam quæstionib. super quibus fuerat interrogatus ab ipso pro quodam Fulcrico, reddens ei rationem dignam, cur excommunicauerit ipsum, quem sub obtentu absoluit agendæ pœnitentiæ. Item pro tuitione ac defensione rerum Remensis Ecclesiæ in Thoringia conıacentium. Item de peruasione regni fraterni, dignis & vtilissimis ei hoc dissuadens admonitionibus, ne id ad suam aggrediatur damnationem. Item aliam de hac eadem re cum cæteris regni huius Episcopis ad eumdem regem scribit epistolam, Episcopali moderatione refertam. Item semel ac secundo ad ipsum per se, de his quæ mandauerat ab eo fieri in aduentu suo Remis, vt non fieret disponebat, nec tali veniret tempore: quia incongruum esset, & animæ suæ inopportunum. Item ad eumdem qualiter de pace inter ipsum & fratrem eius Karolum stabilienda laborabat: referens ei gratiarum actiones pro filijs Ecclesiæ Remensis, qui in ipsius bene tractabantur regno: petens vt secure liceret illis suas, quas ibi habebant, tenere proprietates. Item de metallo quod ei transmisit ad faciendum signum: subiungensque de pace atque caritate seruanda, & voluntate Dei sequenda, vt illi mādat, admonitionem. Item pro rebus Ecclesiæ Remensis apud Thoringiam sitis. Item de reliquijs sanctorum Remensis Ecclesiæ, quas illi sicut petierat transmittebat, & de libro vitæ, virtutumque S. Remigij. Item de rebus S. Remigij sitis in Thoringia. Item de passionibus sanctorum, & de rebus suorum hominum, quas in illius regno habebant, vt de his nullum præiudicium sustinerent. Item scribit cum Remigio Lugdunensi, Arduico Vesontionensi, Erardo Turonensi, Adone Viennensi, Egilone Semnensi Archiepiscopis eidem Ludouico Regi, pro Bertulfo Treuerensi Archiepiscopo, reprehensible ac periculosum demonstrans esse, quod actum ab eo compererat: de hac Metropoli scilicet, & Treuerensi Ecclesia, vt eam inuadi, discindi ac depopulari à peruasore permitteret quodam monacho eiusdem Ecclesiæ: ostendens, quia licet regalis potestas præsideat humano generi dignitate, rerum Præsulibus tamen diuinarum deuote colla submittit, atque ab eis causas suæ salutis expetit, inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque vt competit disponendis, subdi se debere cognoscit religionis ordine, potius quam præesse. Itaque inter hæc illorum se pendere iudicio, non illorum ad suam velle redigi voluntatem. *Proinde*, inquit, *sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro diuinitatis cultu quod congruit: ita regia potestati (quod absit) non mediocre periculum est, si cum debeat parere effugit, quod ei ex diuina voce à sacerdotibus nuntiatur: Domino dicente in Euangelio: Qui est ex Deo, verba Dei audit. Si autem vobis aliquis minus deuotus suggessit, quod in eadem Metropoli, in contemptu vestro, vel contra fidelitatem vestram, Metropolitanum Pontificē ordinari fecimus, quin potius consensu vnanimitatis nostræ ipsi secundum sacros canones ordinauimus, quia, vt scriptum est: Sicut Deus loci angustia non continetur, ita verbum eius non est alligatum: collaudante Redemptore ac Saluatore nostro, quod Centurio in hoc sensu dixerat. Dic verbo, & sanabitur puer meus: videlicet quod hic dixeris, illic fiet. Qui in discipulis suis hodieque nobis, licet indignis loquitur: Spiritus patris vestri loquitur in vobis, qui replet orbem terrarum. Nolite credere, quæsumus, praua suadentes: quia pro certo sciatis, non in contemptu vestro, neque contra fidelitatem vestram, in eadem Metropoli sede Pontificem ordinauimus: sed perpendentes (quod & vos melius scitis) quanta & per quanta tempora ipsa Ecclesia desolata & destituta sit, & quanta contra Dei voluntatem non solum in eadem parrochia, sed & in tota prouincia ad eam pertinente, inuenerint. cùm nihil canonice sine Primate suffraganei Episcopi agere valeant, nihil quod ad proprias parochias pertinet, ibid. commoditatē regularem inuenientes, canonice pontificē ordinauimus. Quod & secundū diuinas leges agere posset atq; deberet ipsum*

Ioan. 8. 2. Tim. 2. Matth. 8. Ibid. 10. Sap. 1.

Metropolis suffraganei, et tanti numeri fuerent, vt per se regulariter possent ordinare Pontificẽ, qui non minus quã à trib. præualet regulariter ordinari. Prosequitur etiam depromens auctoritates sanctorum patrum, quibus fulti hoc egerant. Et subinde. *Et quia tot in eadem prouincia suffraganei non erant Episcopi, vt Metropolitanum regulariter ordinare valerent: quoniam Ecclesia Remensis & Treuerensis comprouinciales atq; sorores & ex auctoritate, & ex antiqua consuetudine habentur, ea conditione vt qui prior earum fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in synodo, & si mutuo consilio & auxilio faueantur, atq; fulciantur. Treuerensis prouincia Episcopi à Primate prouinciæ Remorũ solatium suæ ordinationis, secundum sacras regulas quæsierũt, sicut sancti Sardicenses canones dicũt: scilicet vt si contigerit in vna prouincia, in qua plurimi fuerũt Episcopi, vnũ forte remanere Episcopum, & populi conuenerint, Episcopos vicinæ prouinciæ, debere illum primo conuenire Episcopũ, qui in eadẽ prouincia moratur, & ostẽdere quod populi petant sibi rectorẽ, & hoc iustũ esse, vt & ipsi veniant, & cũ ipso ordinent Episcopũ. Quod si conuentus litteris tacuerit, & dissimulauerit, nihilque rescripserit, satisfaciendũ esse populis, vt veniant ex vicina prouincia Episcopi, & ordinent Episcopũ.] Ex quibus itẽ colligitur, quia si prouincia Treuerensis non nisi vnum vel nullũ haberet episcopũ, episcopi Remensis prouinciæ, petẽti clero & populo Treuerẽsis ecclesiæ, deberent ordinare episcopũ: Cui ecclesiæ omnes, quorum nomina præscripta in capite huius epistolæ legit gloria vestra, vnanimi voto atq; consensu fratrẽ & consacerdotem nostrũ Bertulfum, vt præmisimus, regulariter pontificem ordinauimus, sicut ex sacris regulis, & ordinationis eius gestis ostendere possumus, & si necesse fuerit, ostendimus. Quapropter ipsius ordinationẽ, & dispositionẽ rerum ac facultatum ecclesiasticarũ, sicut sacri præfigũt canones, ita defendimus, & perpetuo defendimus, sicut & ordinẽ nostrũ: quia si ipse non est episcopus, nec nos debemus nominari episcopi. Et si quis voluerit contra ordinationẽ eius sinistri quippiã dicere, exeat & dicat: veruntamẽ memor cõmunionis suæ, quia aut ipse non cõmunicabit ecclesiastico & episcopali ordini, aut nos non communicabimus ministerio episcopali. Vnde verbis beati Leonis Theodosium Augustum quondã alloquentis, vos Christianissime & venerabilis nobisque carissime rex, cum consacerdotibus nostris alloquimur: Implẽtes reuerentiã clementiæ vestræ synceri amoris officio, cupientesq; vos placere per omnia Deo, cui pro vobis à nobis, & ab ecclesiis nobis cõmissis supplicatur ne ante tribunal Domini rei de silentio iudicemur, obsecramus coram vnius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos & auctor regni, & coram sanctis Angelis Christi, vt in eo statu atque immunitate seu priuilegio cum suo pontifice Treuerensem ecclesiam esse iubeatis atque conseruetis, quo vestri progenitores atque prædecessores: sed & in quo frater ac nepos vester Lotharius, pater scilicet ac filius, canonice conseruarunt, quatenus & vos meritum inde apud Deum, & Beatum Apostolorum principem Petrũ, in cuius honore ecclesia ipsa est cõsecrata, habeatis, & nos amplius debitores in orationibus & cæteris debitis obsequiis acquiratis. Quia nisi pro vestra reuerentia hoc differamus, iam in peruasorẽ ipsius ecclesiæ iudiciũ in terris exertũ haberemus, quod DCXXX. episcopi in magna Calcedonensi synodo de huiusmodi decreuerunt, & de cælo super eum intentant, & in iudicio diuino ad æternam damnationem exerent, nisi dignam pœnitentiã egerit:* & cetera de auctoritatibus sacrorum canonum. Post quæ subiongitur: *Vnde vestra religiosa & nobis carissima dominatio certissime sciat, quia quamdiu iste frater noster Bertulfus à nobis in Treuerensi ecclesia ordinatus episcopus in hoc mortali corpore vixerit, alter in eadem ecclesia ordinatus episcopus non erit: nisi forte ipse, quod absit, sacris regulis obuians, per easdem sacras regulas deponatur. Et isdem præsumptor & Apostata monachus Vvalto de monasterio Treuerensis parochiæ nũquã, iam iudicio Spiritus sancti super eum prolato, in Treuerensi ecclesia, quam exitiabiliter vsurpauit & læsit, poterit esse episcopus. Et si, vt diximus, pro vestra reuerentia hoc non differremus, non solum per sacros canones decerneremus, vt nunquam & nusquam ad gradus ecclesiasticos præsumeret accedere: verum sub anathemate eum ponentes, retrudi in ergastulo, secundum sacras regulas, decerneremus: & si in contumacia sua persisterit, sine vlla retractatione modis omnibus decernemus. A præfatis autem intentationibus sacrorum canonum vos immunem atque exortem à Domino, per quem reges regnant, & ex quo & per quem exordium sacer cœpit episcopatus, fieri totis nisibus exoramus, illius clementiam deprecãtes, vt det vobis velle & perficere pro bona voluntate quæ præcipit: quatenus mereamini percipere æterna gaudia, quæ se diligentibus repromittit.* Item respondens ad litteras, quas idem rex ei transmiserat, rogatis vt tam per se quam quoscunque poterat, orationes ageret pro genitore ipsius regis, qui apparuerat ei in visione, obsecrans, vt pœnis eriperet eum quibus detinebatur. Vnde & satis vtilem ad eum rescribere epistolam de modo & qualitate orationis, auctoritatibus plenam. Item pro rebus sancti Remigij sitis in Vosago, & alia plura. Ad filium quoque ipsius, æquiuocum eius, scribit pro villa Deduciarco, significans qualiter sanctus Clodoaldus eam sancto Remigio dederit, & quomodo Carolus Pipini regis filius eamdem villam apud Tilpinũ Archiepiscopum obtinuerit in præstariam, ea conditione, vt capellas ad ipsam pertinentem cum nonis & decimis Episcopus Remorum retineret, & rex duodecim libras argenti in luminaribus Ecclesiæ daret, & quod hunc censum tam ipse rex, quam successores eius persoluerint, & quod ipse quoque à patre illius eundem censum de præfata villa receperit. Sed & de villa Nouiliaca, quomodo à Carolomanno data fuerat sancto Remigio, & quid postea de ipsa fuerit actum. Item ad eumdem de consilio diuinarum scripturarum quærendo & obseruando, & de consiliariis inconsideratis, cæterisque rebus qualiter istud regnum habebarut, & ne illud inuadere præsumeret. Item pro saluando ciuitate Remensi, & parcendo sacris locis, si veniret. Item qualiter egerint Episcopi erga Ludouicum filium Caroli quando eum regem cõsecrauerunt, quia iste aliter audierat. Item de duab. vxoribus ipsius Ludouici filij Caroli, qualiter actum fuerit, & cætera.

Scribit & Pipino regi Aquitanico, pro rebus Ecclesiæ suæ in pagis Aruernico, Lemouico & Pictauico sitis, pro quibus etiam litteras Caroli regis ad eumdem Pippinum mitti obtinuit, quas res Frigidoloni viro illustri tutandas commisit. Carolo quoque Ludouici Transrhenensis filio, collaudans fidei benignitatem, quam conseruabat erga filios sobrini sui Ludouici Carlomannum & Ludouicum, obsecrans eum pro Ecclesiæ Dei honore ac regni huius statu & defensione atque vt præfatis pueris regiis constitueret prudentes, iustosque pedagogos, qui eos docerent Dei famulos honorare, & mandata Dei seruare, semetipsos regere, regnique gubernacula rite tractare. Item pro causa Sigeberti fidelis sui. Item Lothario regi, filio Imperatoris Lotharij, pro villa Deduciacu, quam pater eius reddiderat ecclesiæ Remensi, ne res ad ipsam pertinentes aliquibus personis, sicut eum facere audiebat in proprietatem periculo suo traderet, vel colonos ipsius villæ absolueret: si quid autem tale à se factum fuisset, emendare curaret. Item pro eiusdem villæ male tractata dispositione, & censu, quem cum periculo animæ eum retinere fatetur, intimans quod sanctus Clodoaldus eamdem sancto Remigio dederit, admonens ne hoc inde ageret, vnde condemnationem animæ adquireret. Item pro electione Episcopi Ecclesiæ concedenda Cameracensi. Item de vtilitate animæ, regioque ipsius honore, in qua commemorat, qualiter pater ipsius Lotharius Augustus ei se ipsum, suamque commendauerat animam.

Leo ep. 14.

Iuxta can. 7. & 18.

P.eo. 1

Philip. 1

Carol. Crassus. Hic est 2. inter editos Busæo.

De his quæ quibusdam Archiepiscopis vel Episcopis scripsit.

Cap. XXI.

Diuersis etiam tam Episcopis, quam Archiepiscopis multimoda & vtillima dedit scripta. *Hetti* Treuirorum Archiepiscopo scribit ordinationis suæ primordia, offerens se socium & obsecutorem Ecclesiasticis negotijs ipsius paternitati. Item de eadem re petens se ab eo instrui, & pro filio haberi: significans etiam de itinere suo, quo se Romam petere disponebat. Item de Gondrico, quem excommunicauerat ille, & de Fulcrico, à se excommunicato, qui refugium in Treuerensi habere videbatur Episcopatu. *Guntbaldo* Archiepiscopo scribit pro quodam presbytero, de iure ecclesiastico conseruando. Item pro his quæ in Synodo gesta fuerant. *Amolo* Lugdunensi, de placito quod habuerat cum rege regnique primoribus, & de Iudæorum in hoc regno statu. Item de synodo à tribus regibus cōdicta, & de Ebone prædecessore ipsius, & alijs nonnullis, in qua cum carissimum & vnanimem sibi partem se habere significat. Item de Lothario rege, & alijs quibusdam rebus, in qua se filium dilectionis ipsius appellat. Item de Gothescalci vita vel cōuersatione, prædicatione, deprehensione, atque condēnatione, rei veritatem exponens. *Rabano* Moguntiæ præsuli, super eiusdem Gothescalci (quem idem Pontifex à parochia sua ob hæresum semina, quæ spargebat, repulsum, ad eumdem cum quibusdam complicibus * suis direxerat) susceptione vel discussione. Item de hac eadem re, & quid post susceptionem ipsius de eodem egerit, qualemve inuenerit ipsius vesaniam, consilium ab eo rationabilius, quid sibi aduersus eum agendum sit, expetens. Item de doctrina & hæresi eiusdem, & quid in eum fecerit, postquam in synodo hæreticus comprobatus fuerat, nec corrigi potuit: & quid ipse contra doctrinam eius senttat, damnationemque ipsius, quæve contra eumdem scripserit, huic discutienda direxit, quærens etiam qualiter de Trinitatis fide ac prædestinatione diuersorum patrum sint intelligendæ sententiæ: in qua epistola asserit hunc beatum HRabanum solum tunc temporis de discipulatu beati Alcuini relictum. *Landramno* Archiepiscopo, de consilio, quod ab eo petierat pro monasterio puellarum, quod rex dari præcipiebat inconuenienti personæ, quid inde sibi foret agendum, vtiliter admonens, vt ministerij sibi commissi sollicitudinem feruentius gerat. *Teutgaudio* Treuerensi, de primatu quem deferri ab eo debere scripserat ille sedi Treuirorum, insinuans id eidem sedi à sede Remorum nunquam fuisse delatum, &c. Item secundo ac tertio de causa Fulcrici excommunicati. Item pro rebus Ecclesiæ Treuerensis in Aquitania sitis, pro quibus idem domnus Hincmarus satis egerat apud Arnoldum quemdam Aquitanum, qui eas tenebat, vt ipsas Ecclesiæ Treuerensi restitueret, quod & se obtinuisse significat. *Amalrico* religioso Archiepiscopo, compatiens tribulationibus ipsius, & consolans patientiam, atque congaudens sanctitati eius: quem cariorem inter caros se delegisse significat, mittens ei quædam pretiosa ornamenta, casulam scilicet diaprasinam, quam habebat voicam, & alia munuscula cum solidis centum. Item scribit eidem pro rebus Remensis Ecclesiæ in Aquitania sitis, quas ei rex restitui iubet, quasque tractandas eisdem Amalrico fiducialiter committit. *Rothlando* Archiepiscopo, pro rebus sancti Remigij conjacentibus in Prouincia, & pro quodam presbytero in synodo excommunicato, & altero in loco ipsius ordinato. *Rodulf* Biturigensi, pro rebus Remensis Ecclesiæ in pago Lemouico conjacentibus. Item pro quibusdam excommunicatis. *Guntario* Coloniensi, vt intercedat apud Lotharium regem, & satagat pro electione canonica Camaracensis Episcopi post decessum Theoderici venerandi Præsulis. Item secundo, vel tertio pro hac eadem re, affirmans non nisi regulariter in diebus suis illic Episcopum ordinandum. * *Luiberto* Maguntino, pro rebus sancti Remigij sitis in Vosaro, significans qualiter quidam Gibero pro earum rerum peruasione sensum perdiderit, & per integrum mensem sine intermissione vexatus, cum dolore & periculo maximo vitam finierit. Item pro tuitione rerum præscriptarum, & earum familiæ defensione, vel gubernatione sæpe scribit. Item de collocutione sua quam habuit apud Trecas cum Iohanne Papa, & quid boni cum eo locutus fuerit de ipso, exhortans vt litteras & missum Papæ benigne suscipiat, & ad eum venire studeat. Item de quodam transgressore presbytero.

Gunth. Rhotoma. — ipsius. — Amal. Turon. — c. vi. Luith. — Vosge.

Scribit idem venerabilis Hincmarus & ad Lotharium Italiæ regem, qui se, relicta vxore propria, cuidam fœminæ copulauerat: dans ei consilium, & admonēs, vt eam à præsentia sua omnimodis remoueret, significans se domni Adriani Papæ Litteras & mandata super hac re suscepisse: & vt idem rex in hac causa ipsius Papæ præcepta conseruet, suggerere curat. Item aliam epistolam de hominibus pacem recipere nolentibus, quid inde fieri debeat: collaudans quod de quibusdam talibus regale iam ministerium exercuerit. *Scripsit* & Apologeticum contra obtrectatores suos, qui calumniabantur eum diuersis detractionum appetitionibus, scilicet apud Papam Iohannem, quod nollet auctoritatem recipere decretorum pontificum sedis Romanæ, † ad quæ & tunc in synodo Trescassina, & postea, in hoc Apologetico respondit, refellens hos conuiciatores suos, & se decretalia Pontificum Romanorum à sanctis concilijs recepta & approbata recipere & sequi discerere, prout sunt sequenda, depromens. De Hincmari quoque Laudunensis depositione vel restitutione, qualiter actum sit manifestans. De hoc etiam vnde calumniatus fuerat à quibusdam apud eumdem Papam, quasi diceret non ipsum maioris dignitatis esse Papam, quam esset ipse. De ordinatione quoque Hedenulfi in locum Hincmari in Episcopatu Laudunensi, & confirmatione Papæ ipsius ordinationis. Item de Carlomanno, & alijs quibusdam rebus, de quibus eum veritas excusabilem reddit. Quibusdam quoque calumniantibus, licet respondere posset, asserit se noluisse, ne conuitijs * conuitia videretur reddidisse, gloriosius esse ducens, eosdem tacendo fugere, quam respondendo superare, ne suam gloriam quæsisse putaretur. *Scripsit* etiam quædam ad Adrianum Papam, quæ Romanus Pontifex nonnulla ei dirigere se scripta commemorat. Cui etiam mittens epistolam suam per Actardum Nannetensem Episcopum laudibus plenam, delegauit, vt eius vice in istis partibus super Lotharij causa fungeretur, quatenus quod inde Nicolaos Papa decreuerat seruaretur. *Respondit* etiam ad capitula quædam, regni Francorum Episcopis à Iohanne Papa transmissa, de priuilegiis sedium per capitula VII. quoniam idem Papa missus fuerat Ansegisum Senensem Episcopum primatem constituere, vt Apostolica vice per Gallias & Germanias * frueretur. Cui conatui venerabilis hic Præsul Hincmarus efficaciter obstitit. *Scripsit* denique ad diuersos Episcopos idem domnus Hincmarus plurima. *Remigio* Archipræsuli, pro rebus sancti Remigij in prouincia Cisalpina conjacentibus, quas idem commonens, petit vt easdem in sua tuitione suscipiat. Item pro condinatione Isaac Lingonensis Episcopi. Item de * constitutione synodica propter Ecclesiasticarum rerum peruasores, & alia. Item de causa præfati Lotharij regis, & de

Est ep. 33 Adria. 11. 5. — Ioan. 109. — † est pro atque. Syn. Trecas. an. 8. 5. — * ms. vitia viderentur addidisse. — Dist. ep. 13. Adriano. Hæc est ep. 6. Hincmari inter 9. Busæo edent. — * fungeretur. — Rem Lugdd. — * ms. consuetudine.

prædictis rebus eidem nonnulla scripta direxit. Item ad eumdem Remigium, & cæteros Episcopos, domni Papæ Nicolai auctoritate, in synodum apud Suessionem venire iussos, pro causa Vulfadi & collegarum eius. *Adoni* Viennensi Archiepiscopo scribit inter cætera, pro epistola beati Auiti ad sanctum Remigium scripta, quam quidam Rofridus monachus ei dixerat se apud eumdem Adonem legisse. Sed & si qua præterea de sancto Remigio reperire valeret, ersuper aurum & topazion pretiosa & amabilia mitteret. *Herardo* Turonensium Antistiti, de quibusdam apostatis ad Ecclesiam redeuntibus, & aliis pœnitentibus suscipiendis. Item de aliis quibusdam rebus, vt amico carissimo, qui eadem Præsuli nostro ad ipsum veniens fraterna se dilectione commiserat, petens vt vbicumque posset regiæ dominationi pro Ecclesia illius suggereret. Obitu quoque suo propinquante litteras ad eum ipse dictauit, & ei qui domno Hincmaro de obitu illius nuntiaturus erat, easdem litteras ipsi deferendas dedit. Sed & missi Turonensis Ecclesiæ hac fidocia fulti, post obitum huius sui Archiepiscopi, ad eumdem domnum Hincmarum venerunt. Cleri quoque ac plebis petitionem ad ipsum deferentes, vt regiam celsitudinem pro eis deprecaretur, quatenus electionem canonicam rex ipsius concederet. Quod & idem Pontifex promptissime peregit. Intimans etiam regi de quodam clerico, qui se ingerebat, non recipiendo, significat quod Episcopi eiusdem prouinciæ, clerus quoque & plebs ipsius Ecclesiæ, inuitati auctoritate Apostolicæ sedis, Actardum sibi velint donari Episcopum, qui in eadem Ecclesia baptizatus, nutritus & ordinatus fuerat, licet aliæ ciuitati datus Episcopus, sed paganorum infestatione depulsus, & pallio fuerat à sede Apostolica honoratus, vt etiam si locus de Metropoli adueniret, ibi incardinaretur. Datque insuper regi consilium, quid clero, quid laïcis agere sit interim præcipiendum: quid de rebus quas ex beneficio regis habebat fecerit, intimans: quid ex his, quas reliquerat regi placeat, requirens. De quibusdam quoque libris sancti Augustini, quos sibi ab eodem remitti petierat, & de obiectionibus Græcorum, super quibus Nicolaus Papa eidem mandauerat, & alia quædam. *Bertulfo* Treuirensi Archiepiscopo, instruens eum de ordinanda & gubernanda diœcesi vel parochia sua, & cætera. A quo etiam rogatus, Vuilbertum Catalaunensem Episcopum misit ad ordinationem Arnoldi Tullensis Episcopi, quia eodem Bertulfo infirmitate detento, numerus Episcoporum à sacris canonibus præfixus in ordinatione Præsulis ei non aderat. In huius etiam Bertulfi ordinatione iam quidem iussione Caroli regis Hincmarum Episcopum Laudunensem, Hodonem Belnacensem, & Iohannem Camaracensem transmiserat, ad petitionem Aduentu & Arnulfi Episcoporum eiusdem Treuirensis diœceseos, quomodo id ritè deberet, eos canonica Apostolicaque informans auctoritate, vt à sacris regulis, nulla aut negligentia, aut præsumptione, in aliquo discederent. Scribit etiam præfato Bertulfo pro quibusdam capellis ad villam Duodeciacam pertinentibus, quas quidam ex parochia Treuirensi vsurpabat per factionem cuiusdam presbyteri, petitque sibi de his iustitiam fieri. Item pro litteris quas Ludouico regi Transrhenensi mittebat, vt eas regi atque reginæ faciat, & quæ apud eos inde audierit litteris sibi remandet. Litteras etiam, quas Arnoni Episcopo transmiserat, sibi legi faciat, & regem atque reginam, sed & populum de illorum salute & pace sanctæ Dei Ecclesiæ commoneat. *Iohanni* Rotomagensi, respondens ad interrogationem ipsius de quodam clerico, qui ad Ecclesiam quamdam promotus regendam, ordinari per ætatem rite non poterat. *Rothstano* Atelatensi, qui ei de suæ Ecclesiæ vexatione scripserat, & de quadam fœmina potenti, quæ res vsurpabat Ecclesiasticas, quid ei super his sit agendum rescribit. *Adeloldo* Turonensi petenti vt sibi liceret oratorium ædificare ac consecrare in villa suæ Ecclesiæ regio donu datæ, sita in Remensi parochia, quæ Turris vocatur, rescribit, petita concedens ea conditione, vt antiqua villæ ipsius Ecclesia, vel presbyter eiusdem nullum priuilegij sui propter hoc detrimentum patiatur. *Leoni* Episcopo, & custodi bibliothecæ Romanæ Ecclesiæ, litteras mittit pro susceptione legationis suæ, vt obtineat apud Papam Leonem, quatenus eius petitionem benigne suscipiat, & paterne rescribat eidem de his quæ in litteris ab eo missis continebantur. *Gregorio* quoque eiusdem Romanæ Ecclesiæ nomenclatori & Apocrisiario petens vt inter fideles amicos suos eum tenere dignetur. Item postulans vt domno Apostolico suggestionem suam acceptabilem fieri perat, benedictionis ei munuscula dirigens. *Formoso* sedis eiusdem religioso Episcopo, collaudans eius, quam audierat, sanctitatis & scientiæ formam: quærensque ipsius habere familiaritatem, & vt ipse pro se dignetur orare, vicem rependere spondens, & quædam ei munera mittens, vt sui memoriam in orationibus habeat. Item postquam litteras suas idem Formosus ei remiserat, in quibus de caritate erga eum significauerat, intimat quia magnã in ipso haberet fiduciam. Item *Gauderico* Episcopo præfatæ Ecclesiæ, vt eum in suæ dilectionis suscipiat gremium, & Dominum sanctosque Apostolos pro eo dignetur implorare. *Iohanni* præfatæ sedis Episcopo eadem pene scribit, & canones Martini Papæ, Euangelium quoque Nazarenorum sibi ad transcribendum mitti petens, quædam etiam xenia illi transmittit. *Vulfado* Biturigensi Archiepiscopo, de his qui inconsulte vxores suas interficiunt, sententiam Paulini, quam sibi mitti poposcerat, scribens. Sed & de aliis rebus. *Frotario* Burdegalensi, qui sibi talem dixerat versum:

Remus equum nobis, mulum Burdegala vobis. talem post remisit,

Remus equum misit, mulum Burdegala nullum.

Et alia quædam ad eundem scripsit. Pro monasterij quoque sanctæ Radegundis regulari electione abbatissæ, &c. Item de ordinatione Fulcrici. Item *Riculfo* Rotomagensi, de operarijs & opera, quam faciebat ad Pistas in Sequana. Item de causa Rothadi & Odonis Episcoporum. *Drogoni* Metensium præsuli, Imperatoris Ludouici fratri, pro familiaritate ipsius adipiscenda. Item referens ei gratiarum actiones pro sollicitudine quam habere videbatur Remensis Ecclesiæ, petens etiam de quodam fratre huius Ecclesiæ ministro, vt ita frueretur obsequijs, quatenus Ecclesia ista necessariis ipsius posset vti solatijs, & alia quædam *Rothado* Suessonico, quẽ sæpe ad synodum venire differentem vel negligentẽ vocabat, scribit de quibusdam criminatis parochiæ Suessonicæ personis, vel purgandis, vel pœnitẽtiæ subigendis. Itẽ pro ordinandis quibusdam Ecclesiarum ministris. Item pro recipiẽdo & adducendo ad iudicium Gothescalco, quem domnus Rabbanus ad diœcesim Remensem remiserat: qui profectus fuerat ex parochia Suessonica, scilicet Orbacẽsi monasterio. Item pro ordinatione monasterij sancti Medardi, & restituenda in eo regula. Item pro quibusdam monachis ex monasterio Altuillarensi fuga dilapsis. Item pro Godoldo, qui clamabat indebite se communione priuari, pro quo etiam tertio litteras ad eum direxit. Item pro quibusdam presbyteris, qui clamauerant in synodo iniuste se ab eo ecclesię rebus priuatos: & quia irrationabiliter synodi mandata tractauerat, nisi se corrigeret, canonicæ vltionis delegat interminationem. Item pro ordinatione

Adrian. ep. 11 & 12.

H. postea fuit R. pontifex.

Hincmari, post obitum Parduli Laudunensis Episcopi. Item pro Adeloldo presbytero iuxta sententiam synodi restituendo: pro quo litteras ei miserat, quas ille penitus contemnebat. Item pro mandatis regis Ludouici, & firmitate ab eo quæsita, quæ sacerdotio non congruebat. Item pro clerico quem mitteret ordinandum ad regendum Ecclesiam in villa Turre sitam. Item pro parochia, de qua contentio agebatur inter eum & Erpuinum Siluanectensem Episcopum. Item idem cum alijs Remensis diœceseos Episcopis, de Græcorum adinuentionibus, quas contra canonicas statuere conabantur regulas. Pro quibus tam ad ipsum, quam ad cæteros huius regni Archiepiscopos domnus Adrianus Papa litteras dederat. Insuper & alia sæpenumero pro diuersis negotijs ad eum scripta direxit. *Immoni* Nouiomagensi Episcopo, pro synodo comprouinciali à rege * Pansijs condicta, & pro ordinatione Iminfridi post decessum Hildemanni Beluacensis Episcopi. Item pro ordinatione Parduli post obitum Simeonis Laudunensis. Item pro consilio & auxilio dando Theoderico Cameracensi præsuli, super quodam inobediente, qui Deum non timebat, & Ecclesiasticum ministerium non reuerebatur. Item pro quodam presbytero, cui legem canonicam concedi monet. Item pro quadam fœmina, quam indebite queritur excommunicasse. Item pro colloquio Episcopali habendo. *Erpuino* Siluanectensi, pro quodam homine quem irrationabiliter ab eo excommunicatum, vt comperierat, intimat, mandans vt obuiam sibi veniat, & quid inde rectius sit agendum, secum pertractet. Item pro quodam presbytero rebus Ecclesiasticis indebite frustrato. Item pro quodam clerico, qui se præiudicium ab eo pati clamauerat. Item pro mandatis Adriani Papæ de prænotato presbytero. Item pro mandato regis regulariter exequendo. *Lupo* Catalaunensi, pro synodo celebranda. Item pro quodam, qui dolo deceptus fuerat, vt infantem proprium ad catechizandum teneret. Item quid de hac re synodus decreuit. Cui etiam testimonium bonæ vitæ perhibet in epistola, quam scripsit post obitum ipsius ad regem Carolum pro impetranda electione regulari Ecclesiæ Catalaunensi. *Prudentio* Trecassino scribens, quæritur quare sibi præsentiam suam subtrahat, significans se ab eo consilium quærere velle de statu & compressione Gothescalci, intimans quod de ipso actum vel iudicatum fuerat in synodo, quo eum reclusum tenebat iudicio, & quia multis modis eum conuerti tentauerit, & de moribus ac superbia ipsius: & sic in cœna Domini, vel in Pascha debeat illum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem, & quid sibi videatur de sententia Ezechielis Prophetæ qua dicitur: *In quacumque die ceciderit iustus, omnes iustitiæ eius in obliuione tradentur: & quacumque die peccator conuersus fuerit, omnes iniquitates eius tradentur obliuioni.* Sed & de consuetudine cœnæ Domini celebrandæ. Item pro Ecclesijs sedis Remensis in ipsius diœcesi sitis, quas ille aliter tractabat, quam Episcopali conueniret æquitati: vt de his & alijs, quæ de ipso audiebat simul loquerentur, exhortans vt alterutrum se instruerent, & Domino mutuo commendarent. Pro qua re librum quoque scripsisse reperitur. *Pardulo* Laudunensi Episcopo scribit pro transitu domni Ebonis antecessoris sui, vt illi sacerdotalis benignitas plenis caritate votis debeat exhiberi. Item de reconciliatione Luidonis inconuenienti, quod non potuerit ad eam peragendam adulationibus, vel exprobrationibus hominum insipientium deflecti: corroborans eum ad rectitudinem Episcopalem diuinarum testimonijs scripturarum, vt per auctoritatis gradiatur viam, & quid ei de præfato sit agendum Luidone significans. Item pro eadem re. Item de recognitione, humiliatione, & absolutione Fulcrici. Item de absolutione

j. Parisius.

Ezech. 18.

cuiusdam, requirens ipsius consilium. Item de ieiunio à regina mandato. Item de infirmitate & humiliatione Rothadi Suessonici, & de consilio quod ei dederat, vt illud in eo corroboret, & ad obsequendum prudenter exhortetur. Item pro auro, quod ei mittebat, per eum reginæ offerendo ad componendum quoddam Dei genitricis ornamentum. Item de opusculo Ferculi Salomonis à se composito, quod ei legerat, rogitans quid sibi videatur de illo. Item pro Ecclesia Morini vacante pastore, vt inde cum rege loquatur, qualiter ipsa electio rite peragatur, & pro libris S. Ambrosij de fide sibi mittendis. *Irminfrido* Beluacensi, pro electione pastoris Ecclesiæ Ambianensis, canonice consecrandi, post obitum Ragenarij præsulis. Item pro gubernanda prudenter Ecclesiæ naui, quæ in hoc naufragoso sæculi mari inter intestina concutiebatur bella. *Eboni* Episcopo Ecclesiæ Remensis alumno, pro quodam fratre ab hac Ecclesia fuga lapso, & apud ipsum commorante, vt quantocius illum diligenti cura remittere studeat. Item pro ordinatione Isaac in Episcopatu Lingonensi, vt exhortetur Remigium Archiepiscopum ad eamdem ordinationem peragendam. *Theoderico* Cameracensi, pro quodam Hectone Lotharij regis vassallo, cui communi consensu pœnitentiam iniunxerant: qui se absolutum à præfato Theoderico fuisse fatebatur: & pro quodam presbytero, quem idem Theodericus excommunicauerat, pro quo Papa Romanus domno Hincmaro litteras miserat, quas ipse eidem Theoderico mittebat. Item pro præfati * Hectonis absolutione. Item pro rebus Remensis Ecclesiæ, quas sibi per præstariam Theodericus Episcopus delegari petebat. Item pro ordinatione Hunfridi in Episcopatu Morini. Item pro ordinatione Ercamrai post decessum Lupi Catalaunensis Episcopi. Item de aduentu Ludouici Transrhenensis, quia Remis venerit, & quid egerit, quidve sibi præceperit. Item pro Balduino, qui viduam Iudith filiam regis Caroli furatus fuerat, vt sciat eum à se sub anathemate positum, & id per suam denunciet parochiam. Item pro quodam, qui quandam, cuidam fœminam in concubinatu accipere persuasus fuerat à patre ipsius puellæ. *Folcuino* Morinensi, pro quodam presbytero ipsius ordinato, qui clamabat iniuriam se pati ab Immone Præsule, petitque simul reliquias sanctorum in Morinensi parochia quiescentium sibi mitti, quia in consecratione Ecclesiæ Dei genitricis altare ab ipso Folcuino consecrandum, & ex ipsius parochiæ reliquijs honorandum præparabat. *Rainnero* Episcopo pro quodam presbytero, quem Notho Archiepiscopus Arelatensis, ei litteris indicauerat abiectum canonice, & excommunicatum à synodo, altero presbytero in eius loco constituto. *Agio* Episcopo pro rebus Ecclesiæ Remensis in Aquitania coniacentibus. *Abboni* Antisiodorensi, pro Heriboldo præsule defuncto, qui cuidam fratri apparens, admonuit de eleemosyna & orationibus atque oblationibus pro se offerendis. *Æneæ* Parisiorum, pro Rothado Suessonico, de quo quædam inconuenientia apud Regem ventilata fuerant, & rex eumdem Æneam cum Immone Nouiomagensi ad hæc discutienda dirigebat. * *Almarico* Cumensis Ecclesiæ præsuli, pro Egilberto diacono monasterij sancti Remigij monacho, quem eidem Episcopo id petenti ad ordinandum & regendum committit.

De hoc supra cap. 15.

Al. Hectonis.

Agio Aurel.

Al. Almarico.

Quæ instrumenta vitæ vel redargutiones Hincmaro nepoti suo scripserit.

Cap. XXII.

HIncmato nepori suo Laudunensi Episcopo, in ordinationis ipsius initio, instruens & edocens eum, qualiter iuxta canonicam auctoritatem commissam sibi tractare deberet Ecclesiam. Item admonens, vt prouideat ne conspirationes inter sibi subiectos adoleret: sed & si exortæ fuissent, mox rationis moderatione succidetentur, aut sibi si necesse foret hæc intimare curaret, & quando synodum debeat celebrare. Pro quo valde laborauit, multaque illi scribit, reprehendens eum, & castigans de leuitate morum & actuum suorum, admonensque vt ad cor suum redeat, & Deum tota intentione precari studeat, vt eum respiciat, & intelligere sibi atque corrigere peruersitatem suam donet, quia videlicet nimis sibi sapiens esse videbatur, & pertinax in contentionibus, & quia leges Ecclesiasticas ad suæ voluntatis intentionem flectere nitebatur, & melius eas se putabat intelligere, quam seniores natu. Pro quo in tantum laborauit, vt etiam senioris sui regis offensionem incurrisse se dicat: illum vero impudenti fronte, erectaque ceruice, trementibus labiis, & inflammatis verbis petitionem & humilitatem suam respuentem coram multis sustinuerit. Corripitque eum, quia nunquam se cognoscere de aliqua culpa, sed semper se defendere parabat: de habitu quoque, incessu, risu, iuramentis, impatienti locutione, ira præcipiti, & aliis multis. Item quia contra sanctarum scripturarum tramitem causa suæ iniuriæ in parochiæ suæ gubernatione excesserat, vt hæc corrigere studeat, admonens eum qualem se debeat exhibere verbis Apostoli ad Timotheum. Item de quodam sacrilegio, & à se pro sceleribus excommunicato, quod illi res Ecclesiasticas ad turpis lucri præmium dederit. Item pro Hadulfo quodam ipsius clerico petens quem idem Hincmarus excommunicauerat. Item de epistola Papæ Adriani ad quosdam Episcopos per eum dirigenda. Item pro dispositione quorundam parrochiæ suo Ecclesiasticarum rerum, vt inde vel ad prouincialem expectaret synodum. Item pro excommunicatione Carlomanni, vnde obedire ipsi nolebat, eum sæpe commonens, vt contumaciam suæ mentis deponeret, & ad obaudiendum sibi, ceu iam coram multis testibus professus fuerat in synodo atque subscripserat, se inclinaret. Item pro * Berthario diacono, quem * Metropolitanæ atque comprouincialis synodi iudicium appellantem indebite sub custodia detinebat. Vnde promens ei quod ita in eum agere non debuisset, præcepit illi auctoritate sacrorum canonum & sua, vt eumdem diaconum, vel si qui fuissent alij clericorum iudicium regulare proclamantes ab ipso detenti, ad suum ac cæterorum Episcoporum iudicium libere venire permitteret, & ipse eidem se iudicio præsentaret. Item conuocans eum ad synodum, vbi Adriani Papæ mandata tractanda erant. Scribit ad eum præterea multa. Nouissime voluminis seriem, rememorans in eo, ad mentis eius oculos reuocans qualiter illum orphanum dulci dilectione sub religione nutrierit, litteris erudierit, per singulos gradus Ecclesiasticos vsque ad Episcopatus apicem prouexerit: *Nunc*, inquit, *retribuendum mihi mala pro bonis, & odio me habentem gratis, quoniam non sanctis tuis infructuosis operibus quandiu te patiar multis à te afflictus inueniet? Et enim ab ipsa die ordinationis tuæ tam verbis quam scriptis, & inordinatis actibus ac motib. tuis frequentibus adeo sum grauatus, lacerationibus atque contusionibus, vt tædeat me vitæ meæ: quia sic pro loci mei officio tuæ insolentiæ sum connexus, vt non solum post primam & secundã correctionem, iuxta Apostolum, verum nec post plurimas priuatim, & coram communibus familiaribus nostris, sed & coram rege, & Episcopis, ac plurimis aliis, verbis & scriptis cõmonitiones, te valeam deuitare. Et licet exoptem, vt darentur mihi pennæ sicut columbæ, & auolarem ac requiescerem à te elongatus in aliquam solitudinem, non possum quoquam effugere, vt aut tua pertinacia contumaciis præsentia, aut missorum tuorum duriloquiis, aut scripturarum tuarum derogationibus & inutilibus nænijs, quin potius tragœdiis, aut talib. quæ non cõueniunt Episcopo, de te auditionibus non affligar: & iam tandem putans te pigere talia exequi, cum ecce nunc Idibus Nouembris quarta Indictionis prolixissimam rotulam, mendaciis & irrationabilitatibus ac improperiis contra veritatem & auctoritatem repletam mihi misisti. Et miror cur sic ex fronte factus, vt de Iudæa Dominus quæritur, nescis erubescere, & tibi non est nausia talia & tanta scribere, nisi quoniam vtilitatib. non est intentus. neq; in necessariis occupatus: & vt de aliis taceã, quæ si ex ordine volucro replicare, antea deficiet lux diurna, quã legẽda ex inde deficiat pagina, replicabo tibi aliqua, quæ nõ valeo nec debeo silẽtio præterire. Videlicet quia statim vt à paterna nido educationis fact⁹ Episcopus euolasti, & me & eos qui te nutrierũt deseruisti, & sæculares amicitias atq; familiaritates quæsisti, & sic subinde alios & alios deserens & acquirẽs, non solũ de cõparibus, sed etiã & de tibi cõmissis, ad hoc emersisti, vt contra sacras Antiochenas regulas præcipientes, vt præter me agere nihil debeas, secundũ antiquam patrib. nostris regulã constitutam, nisi ea tantum quæ ad tuam parochiam pertinent, possessionesque subiectas sine mea vel coëpiscoporum nostrorũ conscientia administrationem in palatio domini regis obtinueris, quam administrationem tibi coram eodem domno rege, & alii qui affuerunt ex sacris regulis interdixi, & aliquãdiu ab eadẽ administratione cessasti. Postea autem per exteras, id est seculares potestates contra Sardicenses canones eadẽ administratione cum Abbatia in tertia prouincia vltra Remensem prouinciã sine mea conscientia obtinuisti. Ad quam Abbatiam sine mea licentia quotiens tibi placuit, perrexisti, & quamdiu tibi placuit ibid. fuisti immoratus, contra Hilario Papa decreta dicentis: Illud nõ potuimus præterire quod sollicitudine diligẽtiore curandũ est, ne præter Metropolitanorum suorum litteras aliqui Episcopi ad quamlibet prouinciã audeant proficisci, quod etiam in omne genere officii clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri.] Et sic antea Zosimus, & postea sanctus Gregorius decreuerũt. Propterea quoque semel ac secundo litteris canonicis euocatus ad ordinationem Episcopi in Ecclesia Cameracensi prouincia nostra pastore destituta, vnde Apostolica sedes me suggerente non modice laborauit, nec ipse venisti, nec pro te vicariam personam, vel litteras tui consensus, vt regula sacra præcipiunt, ad me direxisti. Vnde Symmachus Papa ad Eonium ex sacris regulis promulgauit: vt si quilibet Episcopus Metropolitano pontifici iuxta canonicã diffinitionẽ vocatus obtẽperare noluerit, nouerit se succidendũ sẽ (quod nõ optamus) Ecclesiastica disciplina. Sed & hinc à me cõuẽtus, nullã satisfactionẽ, nec etiã humile responsũ mihi ac coëpiscopis nostris exhibuisti. Post hæc more tuæ instabilitatis ac incõstãtia contra domnũ regẽ in tantũ te sine ratione contumaciter erexisti: vt & administrationẽ palatinã, & ipsã Abbatiã tibi auferret, & à te exaggeratus duriora ingerenda tibi proponeret. Vnde & scriptis & verbis pro te satagẽs illũ tibi reconciliaui. Indeque sicut seniũ pluries, cõtra illũ te iterũ erexisti, & mãdata sua, vt ad eũ venires, cõtẽnens adeo illũ ad iracũdiã prouocasti, sicut omnes in istis regionib. sciũt, vt coactus te per fideles suos sicut infidelem appeteret. Tu autẽ ante in auditã excõmunicatione in meis, & multorũ Archiepiscoporum & episcoporũ parochiams, sed & in ipsum regẽ sine mea conscientia contra sacras regulas iaculasti. Vnde multos scandalizasti, & maximũ scãdalũ non solum ecclesiæ, sed & regi ac regno intulisti, cum lex prohibeat, vt per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras & mãduces. Falcẽ, inquit B. Gregorius, iudicij mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa: sed per effectum boni operis ... enutrito,*

Dominica vitiorum suorum palea exspolia, & in Ecclesia corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo, conuerte.) *Post quam præsumptionem, adhibitis mecum confratribus nostris, te & eum copacificans, & episcopus, quorum parrochianos excommunicasti, vt in te synodali sententia non inueherent, persuasisti: sed & eosdem à te excommunicatos, licet non sine labore, admonitionibus tamen domino rege, aduersum te conquiescere feci. Sed tu addens peiora prioribus, sic dominum regem, sicut mihi longum est enarrare, & multi sciunt, aduersum me exaggerasti, vt causa tua castigationis, te, sine mea voluntate, sineque meo consensu, aliquantulum detineri iuberet. Tu vero causa tua iniuria, me inconsulto, & sine consensu coepiscoporum Remensis prouinciæ, sicut petitio à clericis Laudunensis Ecclesiæ mihi porrecta demonstrat, presbyteros & comministros Ecclesiæ ac parrochiæ tibi commissæ excommunicasti, vt nemo in eadem parrochia missarum officia celebraret: neminem paruulorum, etiam in mortis vrgentis periculo constitutum, baptizaret: nullum ad pœnitentiam quisquam: nec etiam obeunti communionis viatica muneris subueniret: nulli defuncto in sepeliendo humanitatis obsequium exhiberet: donec aut tu ipse ad eos venires, aut à sede Apostolica inde relationem reciperent: Quod audiens, fateor, vehementer exhorrui, & proinde ad te, Metropolitana sollicitudine, litteras misi, monens & hortans te, vt tam intolerabilem excommunicationem & impietatis colligationem in tuum & multorum periculum intentatam, quantocyus solueres. Sed & ad ministros Laudunensis Ecclesiæ, timens tot animarum multorum interitum, certissimas & irrefragabiles diffinitiones Euangelicæ veritatis, & Apostolicæ auctoritatis, atque sacrorum canonum & Apostolicæ sedis direxi, quatenus secundum easdem diffinitiones, quæ in nullo conuelli possunt, ex eadem periculosa & irregulari excommunicatione agerent & ipsi fatis. Sed quia meæ admonitioni obedire non voluisti, misi ad te iterum exinde litteras, sed & ad clericos Laudunensis parrochiæ, & nec sic te ad obediendum inuitare praualui. Post hæc, quærens adinuentiones, vt te à Metropolitana subiectione posses exuere, libellum de antiquorum patrum scriptis ante sacram Nicænam synodi, & aliorum sanctorum canones editos collegisti: in quibus sententias inter se dissonas, & contra Euangelicam & Apostolicam atque canonicam, & Apostolicæ sedis auctoritatem immiscuisti, & eidem libello sine Metropolitani & coepiscoporum Remensis prouinciæ conscientia ac consensu subscripsisti, & à clericis ecclesiæ tuæ, nec non & à parrochianis presbyteris subscribi fecisti, volens te à subiectione tuæ Metropolis exutum ostentare, & priuilegium Metropolitanæ sedis adnullare: quasi non possem impietatis tuæ colligationes canonica auctoritate, sine tuo consensu, ac sine synodali conuentu in parrochia tua dissoluere, cum de certis & manifestis causis, quæ omnino nobis sunt dubia vel obscura, & de quibus finitas sententias, quæ nulla possunt ratione conuelli, à sanctis patribus promulgatas habemus, synodale consultum vel coepiscoporum nostræ prouinciæ consilium vel consensum non debeam expectare, & à regulis præstitutis, vt sanctus Leo dicit, nulla aut negligentia aut præsumptione discedere: nec etiam sedem Apostolicam inde inquietare, sicut ipsius sanctæ sedis beati Pontifices Innocentius, Zosimus, Cœlestinus, Leo, Hilarius, Gelasius, Gregorius, & alij plures eiusdem sanctæ sedis rectores in decretis suis ostendunt,* & reliqua. Item datis auctoritatibus Gelasij Papæ: *Post præfati denique,* inquit, *monstruosi libelli à te monstruose collecti tuam tuorumque subscriptionem, litteris quarum exemplar habeo, denuo te commonui, vt ea quæ in parrochia tua contra rationem & auctoritatem egeras, studeres corrigere: sed admonitionem meam non paruisti. Deinde ex præfatis epistolis Romanæ sedis Pontificum ante Nicænam synodum scriptis libellum à te collectum, & versiculis in nomine domini regis Karoli titulatum, per venerabilem quendam Archiepiscopum Wualtonem in Gundulfi villa coram Episcopis qui affuerunt, mihi direxisti: de quo tibi scripto respondi, cuius exemplar habeo, monens te, vt sacris canonibus & Apostolicæ sedis decretis ex eisdem sacris canonibus & Apostolicæ sedis promulgatis, fidem accommodares, & debitam obedientiam illis dependeres. Inde in Attiniaco Remensis parochiæ tibi coram episcopis dedi libellum in LV. capitulis auctoritates ecclesiasticas continentem, contra illa quæ ex præfatis tuis duobus libellis collegeras, monens, vt à talibus & huiusmodi reprehensionibus te cohiberes, & te sacris regulis subdens, pacem & sanctimoniam, secundum Apostolum sequi studeres. Tu autem nullam inde meæ admonitioni satisfactionem exhibuisti, quin potius cedulam prolixissimam contra veritatem & auctoritatem, ac rationem contextam in eadem synodo obtulisti & præfatum tuum monstruosum libellum, à te & à tuis subscriptum in eadem synodo protulisti, quem ibidem accipiens hactenus seruo. Et cum me vidisses post tot admonentes nihil apud te posse proficere, schedulam porrexi in synodo episcoporum decem prouinciarum, ab eisdem venerandis episcopis quærens consilium, quid contra tuam pertinacem contumaciam agere possem, & illa, quæ tibi in parrochia tuæ contra colligatione tuæ impietatis direxeram, coram illis relegi feci. Vnde & ab eisdem episcopis prædictis sacri conuentus auctoritatibus, quoniam iniuste ac irregulariter tantas & tales excommunicationes agere præsumpsisti, & à domino rege impetitus, quoniam iuramenta illi a te super sacra præstita non obseruasti, sed & quia eos suæ proprietatis contra leges diuinas & humanas inuasisti, & à Normanno in synodo accusatus, quoniam eum de rebus tua concessione atque consensione à domino Carolo sibi beneficiatis, sine auctoritate regia, armata militari manu, & turba vulgi collecta, cum gladiis & fustibus primum quidem vxorem suam, quæ ibi sine illo erat, & postea illum ipsum contra leges & regulas expulisti, & omnia sua, quæ ibi habuit, abstulisti: sed & à tuis hominibus accusatus, quia contra leges diuinas & mundanas eis sua beneficia abstulisti, vt synodalem censuram euaderes, dedisti regi & mihi in eadem synodo professionis tuæ libellum de regulari obedientia tua, quem habeo, & tu negare non potes, quoniam ipsum exemplar de manu mea in eadem synodo accepisti, sicut in processu monstrabo. Sed vir duplex animo, & inconstans in omnibus viis tuis, statim intrasti, & misisti mihi per Hardwicum venerabilem Vesontionensem episcopum, ad profitendum & subscribendum tibi breuiculum ita se habentem: Et ego Hincmarus Remorum Archiepiscopus tibi Hincmaro Laudunensis ecclesiæ coepiscopo tuum debitum, sacris præcipientibus canonibus, priuilegium conseruabo, & in quibuscunque ecclesiasticis negotiis indigueris, secundum sacras regulas debitum tibi iure adiutorium Archiepiscopali auctoritate adhibebo.*] *Quæ causa non solum non de humili, verum nec de sano sensu processit. Iniustum quippe ac irrationabile videtur, vt Archiepiscopus à sacris canonibus non exorbitans, recedenti episcopo suffraganeo à se ordinato, professionis in subscriptione libello, sicut postulaueras, satisfaceret. Sicut enim secundum scripturam minor à maiore benedicitur, ita prorsus minor à maiore, & non maior à minore iudicatur, ligatur, vel soluitur sicut & in decretis Gelasij demonstratur. Iuste igitur & rationabiliter tibi hinc respondetur ex Iacobo: Petistis & non accepistis, eo quod male petistis. Sed & in eo quod tibi à me subscribi proposuisti, vt tuum debitum, sacris præcipientibus canonibus, priuilegium conseruarem, petisti, quid voluisti, sed nescisti quod dixisti: quoniam vt sanctus Hieronymus dicit, priuilegia singulorum communem legem facere non possunt. Et sacri canones prouincialibus episcopis, & eorum ecclesiis vel sedibus, priuilegia, scilicet priuatas leges, vel iura priuata generaliter non dederunt, quia quod omnes generaliter habent, ius speciale & dignitatis lex priuata esse non valet. Sed Metropolitanis episcopis ac Metropolitanis sedibus priuilegia tribuerunt,* & cætera de sacris canonibus & decretis Papæ Leonis subnexa. Post quæ subinfert. *Quapropter quando talia mihi ad profitendum & subscribendum misisti, scire debueras, quod in istis regionibus nemo pene ignorat, quia municipium Laudunum, in quo es ordinatus Episcopus, ab exordio sui, postquam à Macrobio præfecto,*

Leo ep. 84. c. 2.

Syn. in Attin. an. 870.

Heb. 12.

Syn. Duziacens. an. 871.

Extat. ap. A. Aimonium lib. 5 ca. 24.

Iac. 1.

Heb. 7.

Gelas. ep. 4. & 13.

Iac. 4.

Hier. in cap. 1. Ionæ.

vt produnt historia, conditum fuit, nunquam inter sedes prouinciales Remorum prouincia, in paganismo, vel in Christianismo, nomen vel locum habuit, donec sanctus Remigius XV. Remorum Archiepiscopus, certis quibusdam accidentibus causis, primus ibidem ordinauit Episcopum, & eidem municipio, de rebus Remensis Metropolis satis superque ditato, ipsum Comitatum, in quo consistit, partem scilicet ex Remensi parrochia delegauit: sed semper fuit Remensis prouincia municipium, sicut hodieque & alia municipia in Remensi parrochia, qua in subiectionis loco ac nomine permanent. Non igitur priuilegium, sed municipatum tibi debere seruari conuenerat petere, quia sicut patres nostri ac magistri Ecclesia tradunt, Paulus Apostolus non se ciuem, sed municipem appellat, dicens: Ego homo sum quidem Iudaus à Tharso Cilicia, non ignota ciuitatis municeps. Natus quidem Apostolus in oppido Galilaa Giscalis fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Cilicia commigrauit. A quibus ob studium legis missus Hierosolymam, à Gamaliele viro doctissimo, sicut in subsequentibus ipse memorat, eruditus est. Et ideo non se ciuem, sed municipem, à municipio, id est territorio eiusdem ciuitatis, in quo nutritus est, appellat. Dictum autem municipium, quod tantum munia, id est tributa debita vel munera reddat. Nam liberales & famosissima causa, & qua ex Principe proficiscuntur, ad dignitatem ciuitatum pertinent. Nec mirum, si se Tharsensim, & non Giscalitem dicat, cum Dominus ipse in Bethleem natus, non Bethleemites, sed Nazarenus, à loco in quo nutritus erat, cognominatus est. Et tu ergo in diœcesi Remensi natus, & in Metropole Remorum nutritus, & in municipio Landuni ordinatus, non te ciuilem vel ciuicum, sed municipem, videlicet tributarium seu munerarium, vtinam spiritalium donorum, Episcopum, & excepto quod à pluribus Episcopis es ordinatus, pene vicarium Episcopum, quem Graci Chorepiscopum vocant, debueras recognoscere, ac per hoc non priuilegium tibi adscribi, sed municipatum: nec contra priuilegium tua Metropolis te oportuerat rebellare, quod non ageres, si animo Paulus, scilicet pusillus & humilis esses. Vnde timendum est, ne & in hoc perditionis filiū imiteris, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Cui quantum ex te fuit, tradidisti eos, quos irregulariter, vt pramisi, excommunicasti, non vt secundum Apostolum spiritus eorum salui: sed quantum furor & indignatio tua praualere potuit, perditi essent in die Domini. Quas colligationes impietatis, vt sape dictū est, & semper dicendum est, quoniam regulariter contra votum tuum dissolui, te aduersum me erexisti. Item, post auctoritates super illicita excommunicatione. De sacramentis autem à te regi prastitis non est mihi necesse aliquid scribere, quoniam pene omnes sciunt, quid de periurio (si forte illud admisisti) Dominus in lege & Prophetis, & in Euangelio, & per Apostolos ac ecclesia doctores atque magistros dicat. Et quia, vt in decretis Apostolica sedis dicitur, nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur iudicare quod iustum est: quoniam quod inde tibi in synodo reputatū est, iudiciario ordine comprobatum non est, sed regia benignitate intermissum est, omisi hinc regulare iudicium ponere, vt te ad conscientiam tuam remitterem. Peruasio autem rerum proprietatis regia à te perpetrata manifestissime claruit, quia nunquam res ipsa iuris Ecclesia Laudunensis fuisse legaliter probata sunt, nec sua, vel cuiusquam alterius donatione, vel concessione ab eadem Ecclesia possessas fuisse mōstratum est. Vnde super hominem tuum Teduinum, cui easdem peruasas beneficiasti, legaliter conquisitum est. Sed & proclamatio aduersum te Nortmanni vera fuisse claruit, nec testibus indiguit, quoniam tam manifestissime hoc, quod inde contra leges & regulas egisti, adeo omnibus in istis regionibus patuit, vt nulla tergiuersatione factum tegi, aut excusari valeret. Nam constat multis esse notissimum, & tu in scriptis tuis domno regi & mihi directis hoc confiteris, quoniam ad deprecationem Rodulfi & Conradi, easdem res, postquam domnus rex illas à lōgo tempore de Ecclesia Laudunensi abstractas, eidem Ecclesia sua potestate restituit, ipsi domno regi illas sine mea ac coepiscoporū nostrorum & communistrorum tuorum conscientia, atque consensu beneficiasti, quatenus eidem Nortmanno illas beneficiaret. Item post aliquas datas auctoritates: Et hoc à te ita irrationabiliter factum irrationabilius dissoluisti, qui armata militaris manu, & permixta vulgi multitudine cum armis & fustibus, & tumultu maximo, sicut dicunt qui factum illud viderunt & audierunt, eundem Nortmannum, qui ipsas res à te regi concessas, per regis beneficium retinebat, violenter & sine regis auctoritate, ac verbo, vel litteris expulisti, & expulso illo, illas inuasisti, & in eas intrasti, ac possedisti, cū sint leges & regula, sit etiam rex portans gladium ad vindictam malefactorum, sint Episcopi & canones ad iudicanda crimina sacrilegorum: vt si ipse Nortmannus peruasor rerum Ecclesiasticarum foret, gladio, id est vindicta regia puniretur: si sacrilegus comprobatus esset, Episcopali & canonico iudicio iudicaretur. Sunt etiam iudices, & sanctæ leges, quorum & quarum iudicio, si quid forte tibi, & Ecclesia tibi commissa iniustè factum erat, legaliter & regulariter emendaretur. Item post quædam, præcipue beati Gregorii præceptionum decreta. Denique ex eo quod tui homines se ad regem reclamauerunt, quoniam ab eis sua beneficia, qua apud antecessores tuos promeruerunt, iniuste & irrationabiliter abstulisses post datum regi & mihi libellum in synodo de regulari obedientia tua, secundum sacros canones, & decreta sancta sedis Romana Pontificum, ex eisdem sacris canonibus promulgata, electos iudices Episcopos apud me expetisti, & eos secundum Africanum Concilium scilicet Actardum, Rageneluum, atque Ioannem à me tibi designatos suscepisti: & eorum, atque Apostolorum Dominicorum iudicio, in domni regis, sicut postulasti, prasentia de quibusdam decretum fuit, vt beneficia sua, qua irrationabiliter perdiderant, recuperare deberent. Quorundam autem eorum causa vsque ad alium tractatum certis causis interuenientibus non diffinita, sed die alia diffinienda remāsit, & tu ante diffinitionem contra sacros canones, & sine vlla necessitate vel ratione, fuga lapsus, regularem diffinitionem expectare contēpsisti. Item, post aliqua de canonibus. Et ab electorum iudicio, vt pradixi, inante ac inhoneste fuga lapsus abscedens, pitaciolum irrationabiliter confectū, & manu tua subscriptū, ac prafata pro[...] vi tua vsquequaq; contrariū, per Ermenoldum Diaconum tuum 6. Nonas Iulii, 3. Indictione mihi misisti, quod ita se habet: Reuerendissimo Remorū Archiepisc. Hincmaro sanc[t]a Laudunensis Ecclesia Hincmarus, Deo miserante, Episcopus, debitam in Christo deuotionem. Vos scitis quia ab vniuersali sancta Romana Ecclesia Papa, patre quoque nostro & magistro Adriano bis vocatus existo, & vos ipsi in quaternoctib. mihi à vobis in Atteniaco palatio, coram Archiepiscopis & Episcopis, qui affuerūt, datis, quod ad eandē sedem venire totidem vocatus detrectē, me reprehendistis: vitio scriptoris pro detrectē, quod est dissimulem, vel differam, detractē, quod valde tractem non ab re accipi po[...], interrebaraxatū non fuit. Vnde vos nunc pro amore Dei omnipotentis, & reuerentia S. Petri exposco, sicut & in eadē synodo in eodē Atteniaco à vobis conuocata, quod impetrare non valui, expostulans, ac iam etiam per integrum efflagitans annum, & pracipue in synodo apud Vermeriam palatiū olim ab homo habita, obsecrando declamaui, nunc quoq; & obsecro, & itē declamo, vt & hactenus egi, qui vestra Archiepiscopali auctoritate apud domni nostri gloriosissimi regis Caroli clementiam obteneatis, quatenus domni & vniuersalis Papa Adriani praceptis ac institutionibus Ecclesiasticis, mihi vt omnibus expedit, velut ei qui de omni Ecclesia fas habet iudicandi, liceat obedire: videlicet vt limina sanctorū Apostolorū, Petri scilicet & Pauli, merear, vt denuo, & ab eodem insuper vocatus sum, penetrare: Alioquin me vobis ab hinc, vt Archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet, canonice sciatis obsequi non posse: quia vt decreuit beatus Papa Gelasius, nesciunt quid loquuntur, qui decreti sancta Romana Ecclesia sedis Prasulum quasi canones oppinant, quibus contraire contra canones est ipsos se erige[re]. [...] Gelasius Papa venerabilis & sanctus omnes decretales epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas nec non venerabiliter us-

Act. 21. — Act. 22. — 4. Thes. 2. — 1. Cor. 5. — Deut. 5. Zach. 5. Mal. 3. Mat. 5. Iac. 5. — Rom. 13. — C. Aph. can. 11. & 9. — Exstat ad Eccl. [...] Adriani 2. — Syn. apud Vermer. an. 870. Carol. Calui. — Gelas. ep. 4.

cipiendas: nec eas venerabiliter suscipit, licet ad tomum caput inclinet, qui eis nõ obedit, sed potius porro obuias manus inferens, quod sine periculo agi non potest, respuit, vtpote qui de se iudicari non prospicit. Nam velimus nolimus, aut eis parebimus aut eorum iudicio percellemur, quorum nos minimas quiqué reprobare valemus. De Archiepiscopo autem Remigio ac Harduico, quod mihi per Teu landam Diaconum mandasti, priuilegio sancta Romana Ecclesia nõ præiudicat, sed quod eis eadem sancta sedes de me voluit ac disposuit committere, commisit, vos vero quod vestrũ est agite. In Domino Iesu Christo bene valete. Ego Hincmarus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopus sponte subscripsi.] De quo pitatio tibi distuli respõdere putans te retractare, & à tua contumacia resipiscere: tu autem non quieuisti, sicut causa breuitatis omitto. Et post hæc per Clericum tuum Bertharium domno regi tuas litteras direxisti, excusans te, quoniam ad illum, sicut tibi mandauerat, venire nõ posses, quia febricitans, vt te sol tangeret sufferre nequibas: sed tibi Romam eundi licentiam daret, secundum votum tuum quod vouisti, quando altera vice febrem habuisti, vt ad sanctorũ Apostolorum limina, sicut voueras veniens, ibidẽ ab eadem febre liberareris. Is autem domnus rex coram Episcopis & aliis fidelibus suis, qui affuerunt, tibi per eundem clericum tuum remandauit, verum & non verum esse quod diceres, quoniam ad illos venire non posses, & Romam adire valeres. Venires autem ad illum, & si ipse pro causa rationabili te illuc ire velle cognoscere posset, tibi licentiam non denegaret. Tu vero ad illum venire noluisti, donec circa Calendas Septembris tertia Indictionis, ad Siluacum de colloquutione fratris sui Ludouici rediit, quo obuiam illi veniens, nihil cum eo, sed nec mecum, per te, vel missos tuos, aut litteras tuas de licentia tua Romam eundi dixisti. Sed & quando missi domni Apostolici Remis fuerunt, quotidie per septem dies, cũ rege & mecum locutus fuisti, & inde nihil dixisti. Quod dicis te in synodo apud Vermeriam, indeque apud Attiniacũ licentiam eundi Romam petisse, & impetrare non potuisse, omnes Episcopi, qui in eisdem synodis fuerunt, liquido sciunt, quoniam cum de tua insolentia increpabaris, timens regulare iudicium, vel regis castigationem, licentiam eundi Romam petebas. Cum vero videbas, quia & rex & Episcopi erant tibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicebas, sicut nec modo facis, donec aliquã nouitatem, vt soles, quam semper timendo expecto, iterum facias, de qua compellatus solitam cautionem de licentia tua reuocantes. Petitio autem tua apud domnum regem talis fuit, quando ad eum venisti, quia sicut plures & pene omnes in illis prouinciis scire dicuntur, & patet, addens grauibus grauiora, velut ipsa sacrorum canonum demonstrant iudicia, nescio quibus machinationibus exquisitos à te iussio est principalis elicita, vt de his de quibus electos iudices secundum sacros canones expetisti, non solum eorum querela, quorum causa vsque ad alium tractatũ diffinienda remansit: verum & quæ, vt dixi, in domni regis præsentia electorum iudicum sententia diffinita fuerũt, sine Metropolitani conscientia, sineque canonico & Episcopali iudicio, per iudices seculares, Helmigarium scilicet mercati palatini Teloneiarium, & Flethariũ ac Vrsionem villarum regiarum maiores refricarentur, contra canones, qui ab Ecclesiasticis ad maioris auctoritatis Ecclesiasticos iudices, & non à maioribus ad minores, nec ab Ecclesiasticis ad seculares, neq; à consensu partiũ electis prouocare permittunt. A quibus iudicib. secularib. à te petitis quædã ex diffinitis refricata & immutata, quædam vero ex diffiniẽdis sunt diffinita, adinuẽtitia reputatione, sicut ab ipsis, qui in eodem placito fuerunt, dicitur, de non necessariis & inconuenientib. iuramentis reperta, & à te etiam prædictis iudicib. ipsis tuis accusatorib. quos cõtra electos iudices sicut expetieras, suscepisti, proposita: quatenus & is de quo legaliter ac regulariter diffinitũ fuerat, vt beneficium suum haberet, quod contra rationem & æquitatem perdiderat, eadem adinuentione dimitteret, & illi quib. iudicatum fuerat, vt quoniam tu post expetitũ electorum iudicium subterfugisti, beneficia sua vsq; ad legalem diffinitionem tenerent, beneficia ipsa deserrent, & tu quod incepisti euindicares: cum sicut tibi non liceat de accusatione, siue criminalis causæ, siue ciuilis, relicto Ecclesiastico, publico prouocari iudicio: ita etiam non licet tibi præposito vel contempto Ecclesiastico iudicio, ad secularia iudicia consulare, vel quemcumq; nec etiã laicam personam pertrahere, neq; ad forum suum sequi, si ipsa persona laica cõsenserit Ecclesiasticũ subire iudicium, sicut lex Valentiniani, quam probat Ecclesia, demonstrat. Item post ostensas auctoritates. Et non pertranseat etiã tuam considerationem, cur domnus rex tua petitioni annuerit, vt vnde in præsentia illius electos iudices Episcopos secundum sacros canones accepisti, sine conscientia Metropolitani, sineque Ecclesiastico iudicio consenserit, vt seculares iudices ad retractanda ea quæ diffinita fuerunt, vel ad diffinienda, de quibus iudices acceperas, domnus acciperes. Scio enim & certus sum hinc illum canonicum scire iudicium, & miror ac doleo cur tu hæc videre non voluisti, aut Deo iudice arrogantia cæcatus non potuisti. Inunge igitur, secundum consilium Apocalypsis Ioannis, collyrio oculos tuos, vt vides, & albuginem arrogantiæ de oculo mentis, id est, intellectu tuo abiicere valeas, & pensa, ne forte domnus rex, quem toties exacerbasti, sciens diuina iudicia atque eloquia hinc innuendo votis tuis cogitauerit contra te sententias dominas, de his qui dura ceruice & indomabiles corde sunt: Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc, vt impleant peccata sua semper: & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis: &c. Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum: iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Et cũ tantarum transgressionum inuentaris obnoxius, non cessas me prouocare, vt de promisso pitacio tuæ professionis atque subscriptionis, de quo tibi, vt prædixi, respondere hactenus distuli, sed & de aliis tuis professionibus atque subscriptionibus vel lacessitus rescribam; quatenus professionum & subscriptionum tuarum historiæ plures legẽtes, si forte sunt qui adhuc eas ignorent, earum diligentiam, cautelam quoq; & vtilitatem cognoscant. Et primum quidem respondebo tibi de præfato à te subscripto pitacio, in quo scribis in admoniculis tuo esse à me reprehensum, & esse me ostendis reprehensibilem. Sed ego spreta reprehẽsione tua, qua me quasi sub quodam excusationis velamini, de scriptoris vitio mire tuo euidenter reprehendere satagis, qui aut differentiam verbi * detrectum, quod in meis scriptis tibi datis posui, nescisti, aut scriptoris vitiũ in eis corrigere non sapuerim, vel emendare neglexerim, & ex mea reprehensione tuam ostentare scientiam, Cham Noë filius voluisti, non solum in verbis illeus de differentia, sed & in alio verbo, quod ad ostentationem tui in tuis adinuentionibus iteratũ inuenit: & cum hinc meam insipientiã voluisti ostendere, tuã studuisti apud scholasticos stultitiam propalare. Pro me nihil curo dicere: Mihi enim pro minimo est, vt à te iudicer, aut sine dilectione, à tua scientia reprehendar. Sed ne apud illos, qui tecum cum musculos captant, glorieris, quasi me mutum effeceris & elinguem, qui solus nostris temporibus thesauros sapientiæ & scientiæ penetrans introisti, hic causa compendii prætermittens, cum mihi vacauerit, ostendam quid regularum in Grammatica artis auctores, quid orthographia doctores, quid sanctæ scripturæ tractatores inde sentiant atque dicant. Item post nonnulla. Sed & alia sunt hinc ex sacris canonibus & Apostolicæ sedis decretis, quæ mihi hic ponere longum fuit, & in opusculo LV. capitulorum, quod ad tuam commonitionem & correctionem atque instructionem tibi dedi, potes relegere, præter epistolas præmissas quas tibi direxi ad redarguendam tuam temeritatem contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam atque canonicam auctoritatem, contraque sedis Apostolicæ decreta, in tuam & & perniciem multorũ præsumptam, sicut in synodo plurimorum Episcoporum est comprobatum. Sed & præter alias epistolas, ac alia scripta, quæ tibi direxi, vel dedi ad comprimendam tuam insolentiã, & commonendam ac instruendam tuam dilectionem, vt ageres iuxta Domini dictum: Quid quærit Dominus Deus à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & facias voluntatem eius, obediasque ipsius imperio. Quæ frater sollicita

Marginal letters: A, B, C, D. Marginal notes: Apo. 3. — Exod. 2. — Apo. 22 — 1. Th. 4 — Ps. 80. — Deut. 3 — Rect. pro detrectem — Gen. 9. — 1. Cor. 4. — Deu. 10.

cordis intentione reuolue, & recogita quid sit quod dixisti: Quia ex tunc quando mihi litteras illas misisti, ut Archiepiscopo coepiscopus obtemperare debet canonice seruem obsequi mihi te non posse: & reuoca ante oculos tuos, quod coram Episcopis decem prouinciarum professus es, & manu propria subscripsisti: scilicet quia priuilegio Metropolitani prouincia Remorum Ecclesia, secundum sacros canones & decreta sedis Apostolicae ex sacris canonibus promulgata proferre & posse te obediturum profitereris & subscripsisti. Dic frater, quando, & ubi, vel in quibus à te requisiui vel extorquere volui, ut mihi contra haec in aliquo obedires? qui nunquam tua, sed iuxta Apostolum te quaesiui, & qui meas iniurias, scilicet meae personae, facile (Deo gratias) possum dimittere, sicut & quotidie pro te omnipotentiam Domini deuote exorans facio: iniurias ordinationis diuinae, quae à tua insolentia exquiruntur, ut Metropolitano priuilegio canonice non subdaris, in eum redundantes, qui Spiritu sancto suo, à quo promulgato leguntur & creduntur canones, instituit, patienter ferre non possum, nec debeo, quin tantum inde non satagam quantum potero. Nam sicut sollicitudo & primatus totius Ecclesiae Catholicae sanctae sedis Romanae Pontifici diuinitus est collata: ita & vnicuique Metropolitano ac Primati prouinciae sollicitudo sibi delegatae prouinciae, per sacros canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos noscitur esse commissa, &c. Sequuntur denique plura de professionibus & subscriptionibus eiusdem Hincmari, & correctionibus eius, vsque ad finem operis. Item aliud opus incipiens ita.

HINCMARVS REMORVM EPISCOpus Hincmaro Laudunensi Episcopo.

VIR diuersis flagellis à diu rsis attritus dicit: Qui me comedunt non dormiunt, ac si diceret non quiescunt. Et tu, frater, me tua lingua flagellis atterere, & venenosis scriptis tuis ad iracundiam prouocando inficere non quiescis. Sed qui illum seruum suum custodiuit à murmurationibus, me peccatorem, & fragilem in se confidentem potest custodire à rancore & malitia contra tuas falsas criminationes. Post alia multa super dolorem vulnerum meorum addens, dicis, sicut in scriptis tuis peruersis inuenio, quia Apostolicae sedis potestati derogo: unde nemo sanum sapiens tibi vnquam credidit, vel credet, quoniam & ipsa scripta quae ad Apostolicam sedem saepissimè misi, & illa quae tibi resultanti saepe transmisi, te reuincent, & in isto seculo, & in futuro iudicio. Non enim de me verum est vt debis vnquam, vel vsquam probare quod dicis: Ab his, inquiens, à quibus pro Apostolicae sedis priuilegiis, quae Christi sunt vsq; ad mortem fas erat decertari, praedicatur & docetur, id his quae eadem sedes statuit, velut respuens probari. Sed tu probaris eius priuilegiis resultare, qui secundum sacros sanctorū Conciliorum canones supra positos, ab ipsa prima sede, atq; ab omni Ecclesia Catholicos comprobatos, ut re vera Spiritu Dei conditos, & totius mūdi reuerentia consecratos, & iuxta decreta ipsius sanctae sedis, ex eisdem sacris canonib. promulgata, Metropolitano priuilegio, semel & secundo ac tertio commonitus, obedire detrectasti, ut colligationes impietatis, quas contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam atque propheticam auctoritatem, contraque sanctorum canonum, & decreta ipsius veneranda sedis exitiabiliter, in tuum, & multorum periculum colligasti, dissolueres. Insuper contra sacras regulas aduersus Metropolitanum priuilegium libello perniciose subscripsisti, & subscribi fecisti. Vnde in Synodo conuentus ab Episcopis decem prouinciarum libellum professionis de futura tua obedientia, subscriptum propria, quam habeo, porrexisti. Contra quem iterum resubscripsisti. Nam ego decretales epistolas sedis Apostolicae diuersis temporibus, pro diuersorum patrum consolatione, vel consultatione, ab eiusdem sedis pontificibus datas, & venerabiliter suscipio, & venerabiliter suscipiēdas dico & scribo, & sacros sanctorum conciliorum canones cum decretis Apostolicae sedis, ex eisdem sacris canonibus promulgatis, & recipiendos & custodiendos, & seruandos sicut supra ostendi, profiteor. Et quod dicis, te audire obloqui de iudicio domini Papae Nicolai: si de me dicis, mendacium est. Nam quod ille de Rothado, siue de Vulfado iudicauit, non contradixi: sed sicut ipse praecepit obedire curaui. De eo quod dicis de Rothado, quia in eius depositionem consensisti: subscriptiones tua manu propria te reuincunt. Nihil enim inde egi, quod mecum non egeris: nihil iudicaui, quod non iudicaueris: nihil subscripsi, quod non subscripseris. Habes enim illas ipsas manu tua subscriptiones. Et circa huius operis finem. *De aliis vero, quae in scripto apud Attiniacum dato mihi improperando mendaciter dicis, tibi r[illegible] [illegible]dere non curo. Sed scias quia non sum oblitus quod scriptum est in Isaia propheta quoniam sanctus Ezechias arctatus angustia, blasphemas epistolas sibi directas in templo coram Domino expandit, & ad eum clamauit, & exauditus est. Expandam autem manus meas ad Dominum cum blasphemis & superbissimis scriptis tuis mihi à te directis, etc. ut quando scit, & quando vult, & sicut scit, & sicut [illegible] te conuertat ad vera pacis & dilectionis atque debitae [illegible]dientiae † dilectionem, & me liberet à labiis iniquis, & a lingua dolosa. Et domina mea beata & gloriosa Dei [geni]tricis Maria meritis, ac precibus sancti Remigii, cuius priuilegio derogas, exaudiet me adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Et quia beatus Hieronymus de his, quorum aduersum me gratis suscepisti officium, dicit: Audiant [illegible]nes mei, Tu qui de filio in fratrem, indeq; creuisti in coepiscopum, & post adeo profecisti, ut in canem meum excreueris accipe hanc peruersa contumacia tua, pitaciolis exigētibus causa, prolixam responsionem. Cum autem mihi vacauerit, succinctius de aliis peruersis, & incompositis scriptis tuis in quibus quaedam mendaciter, quaedam reprehensibiliter me reprehēdendo, quaedam ficte humiliter, & vere superbe [scri]psisti, rescribam, & in illo scripto, quia lego dixisse Dominū. Iam non irascar tibi amplius, quantum mihi adhuc pa[tet] de huiusmodi altercationibus tibi scribēdi finem imponam. De hoc quod dicis, quia dicunt de me homines: Qualis est ille auunculus, qui talia suo nepoti scribit? dicant & de te ipsi homines: Qualis est ille nepos ab auunculo suo tal[is] ut tunc erat assumptus, & talis, sicut nunc est in spiritali & temporali honore effectus, qui talia sibi exigit ab [illegible] auunculo, ut talis ab aliis, sicut à nepote suo depingitur, aestimatus, per eum blasphemetur nomen Domini, & vituperetur ministerium eius, secutus Apostolum scribentem ad Corinthios contra se blasphemantes, & vilipendio ab aliis laborantes. Egit quippe doctor egregius, ut dum ipse qualis esset agnosceretur, & vita & lingua male praedicantium eius praedicatio ne vilesceret. Illos videlicet commendare, si [s]e absconderet. Cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Dicunt etiam & ipsi homines de te: Qualis est ille nepos, qui talia contra suum auunculum, & nutritorem, atque ordinatorem machinatur, & quantum potest mali agit, & plusquam potest agere cupit, sicut tu in die magni iudicii manifeste videbis, si te antea inde non recognoueris, & dignis poenitentiae fructibus non emendaueris. Multum me fatigas, & merito, non tibi imputetur: sed fatigationem meam consolatur, quod sicut tibi scripsi, beatus dicit Gregorius: Et si Aethiops niger in balneum intrat, & niger de balneo exit tamen balneator denarium balnei sui non perdit. Timeo de te meo Alexandre, quod de suo dicebat Paulus: Alexander ararius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus.*

Quae Altfrido Transrhenensi Episcopo, & caeteris quibusdam Episcopis scripserit.

Cap. XXIII.

ALTFRIDO Transrhenensi Episcopo scripsit quaedam pro rebus S. Remigii sitis in Thoringia, quas eidem commiserat, ut reditus ipsarum ipse tempore opportuno dirigeret: interdicens iuxta dispositionem B. Remigii, ut nemo colonos ipsarum in suo praesumeret opprimere seruitio. Item quodeas-

dem res cuidam sua in beneficium dederit homini, rogans vt eidem homini solatium in quibuscumque indiguerit, ferre studeat. ADVENTIO Metensium præsuli, super quadam fidei quæstione, de qua fuerat interrogatus ab ipso. Item de itinere quod idem Aduentius Romam petiturus debeat incipere. Item de aduentu suo ad denunciatam à rege synodum, pro memorata quæstione tractanda. Item pro filio neptis suę, quem eidem committebat. Item pro his quæ idem Adoentius ei mandauerat de Hincmaro Laudunensi Episcopo, breuiter intimans quæ bona erga ipsum gesserit, & quæ praua ille contra gerebat. Item petenti consilium quid agere deberet, Karolo in regnum Ludouici fratris sui senioris ipsius veniente, significans quid egerit ipse, quando Ludouicus regnum Caroli peruaserat, & quid eidem tunc agendum foret. Item pro acceleranda ordinatione Beraldi Ecclesiæ Virdunensis electi, & vocati Episcopi. Item pro excommunicatione Carlommanni, quam mittebat ei, significans qualiter eandem tractare deberet. Item pro missis ipsius Adoentii, quos Romam direxerat pro causa Bertulphi Treuerensis Archiepiscopi, mirans cur sibi non significasset, quid ei renuntiauissent. Item pro litteris Ludouici regis, quas idem Aduentius ei direxerat, & vt litteras, quas ipse domnus Hincmarus Ludouico mittebat, ipse præfatus Præsul ei aut mitteret, aut donaret. Item pro litteris ipsius Aduentii, quas ei miserat, intimans de aduentu Legatorum suorum pallium à sede Apostolica Bertulpho Archiepiscopo deferentium, exhortans etiam, vt de regum concordia laboraret: vnde quia semper laborauerit, & laborare decertet, innotescit: & de mulo, quem sibi mitti petierat, quia hoc animal ipse domnus Hincmarus non haberet, nec sedere soleret, & alia quædam. Item pro excommunicationis discretione, qua excommunicatos significauerat à se quosdam malefactores Metensis Ecclesiæ, homines scilicet Vualterii Comitis, & Lamberti: deposcens vt Apostolicam regulam & Episcopalem seruet in huiusmodi negotio patientiam. Item quo debeant ordine consecrari Metropolitanus atque Diœcesanus Episcopi. ERCAMRAO Cathalaonensi Episcopo, de quibusdam reprehendens quæ non libenter audiebat de illo: admonens & instruens, qualiter se agere debeat, & vt monitis Apostolicis diligenter attendat. Item pro cuiusdam villæ incolis, quos inrationabiliter ab omni consolatione diuini ministerii, propter quoddam homicidium, non ab ipsis patratum, remouerat, intimans quomodo nec charitatem, nec discretionis moderationem in hoc facto custodierit. Item pro absolutione cuiusdam ab ipso excommunicati, pro quo Guntarius Coloniensis Episcopus eidem litteras deprecatorias miserat, quas ille suscipere noluerat: ostendens qualem se erga delinquentes, & qualē erga recognoscentes Episcopus exhibere debeat. HILMERADO Ambianensi, pro quodam monacho, qui presbyterum & monachum in monasterio sancti Richarii occidit, pro quo domnus Papa Nicolaus litteras eidem domno Hincmaro direxerat, pœnitentiæ tenorem continentes. Item pro litteris Adriani Papæ, quas ei pro quodam presbytero miserat, monetque vt Apostolicis obediat iussionibus. Item pro quodam presbytero, qui ad eum clamauerat, quia pro eo quod arma de cuiusdam ebrii manibus, qui eum occidere volebat, extorquens, proiecit & fugit, idem Episcopus ab eo & Ecclesiam suam & facultates eius tulisset. Vnde redarguit eum, quod contra auctoritatem sacrorum canonum erga præfatum egerit presbyterum: mandans quid fiendum, & quid iuxta canonicam sit auctoritatem de hoc obseruandum. Item redarguens eum quare in torpore negligentiæ requiescens, prauorum consiliis vteretur, cum & ætate & corporis infirmitate ad finem vitæ vrgeri videretur: ostendens ei ex sanctarum monitis

Hæ ept. Nicol. I. & Adriani ad Hincm. non extant.

A scripturarum, quibus transgressionibus inueniretur obnoxius. Item pro quodam presbytero, mandans & interdicens auctoritate Metropolitana, vt nullum præiudicium ei faciat, sed ad synodum conuocatam die denominata sibi occurrere studeat. Item pro hac eadem re, intimans, quia si non occurrit ad synodum secundum præceptum Papæ, quod synodus de eo iudicauerit in ipsum sit exequendum. ISAAC Lingonensi pro quodam regio milite ab ipso excommunicato, suadens vt mitius erga eum ageret, propter instantem de infestatione paganorum necessitatem: notificansque qualiter ipse agere soleret in talibus excommunicatorum causis, & quia illud anathema non duret amplius, nisi quamdiu homo in peccato perseuerat. Item pro nepotibus ipsius, qui apud eundem domnum Hincmarum nutriti fuerant, & alia quædam. HVNGARIO Episcopo, pro excommunicatione Balduini qui Iudith viduam regis filiam sibi furatus fuerat in vxorem, vnde & ab Episcopis huius

B regni fuerat excommunicatus. Hortatur autem eundem Hungarium, vt admoneat Roricum Normannum, nuper ad fidem Christi conuersum, ne recipiat eundem Balduinum, neque præsidium ferat: sed & * quod centum Normanni per eius consilium, vt audierat, post conuersionem ipsius istud regnum deprædati fuissent, hoc digna pœnitentia emendare studeret. FVLCRICO Trecassino Episcopo, Ecclesiæ Remensis alumno, gratias referens pro epistolis quibusdam Augustini ab eo sibi missis, & de libro Didymi, quem sibi Fulcricus mitti petebat, ac de Ecclesiis monasterii Orbacensis, admonens eum, ne contra matrem suam, Ecclesiam scilicet Remensem, & patronum suum sanctum Remigium aliquid peruersè agere præsumeret. ODONI Beluacensi, quem filium charissimum sæpe vocat, multa * fidenter scripsit. Pro epistola siquidem Adriani Papæ, quam sibi miserat super appellatione cuiusdam presbyteri ex Ambianensi parrochia, vt assumat idem Odo pro hac

** l. cæteri **

** ms fideliter.*

C laborem, quatenus Hilmeradus Episcopus Papæ iussis obediat, & qualiter scripta, quæ presbyter idem Roma detulerat, prudenter tractare debeat. Item pro quibusdam regis hominibus inter se discordantibus, vt commoneat eos ad pacem venire, indicetque ipsis, quod nisi hoc egerint, ab eodem domno Hincmaro excommunicandi sint. Item pro synodo, quam rex præceperat habendam non in tempore congruo, petens consilium quid inde agere debeat: rogans etiam sibi remandari, quid rex responderit de illis hominibus, quos se excommunicaturum significauerat: & de aliis necessariis causis. De quibusdam quoque scriptis, & Græcorum quæstionibus, & homiliis beati Petri, cæterisque rebus. Item de responsionibus ad obiecta Græcorum, quas idem Odo colligens descripserat, & domno Hincmaro miserat. Vnde Deo gratias refert, quia se ipsumque vno spiritu potatos inuenit: & quid de his sibi videatur simul conferendum esse significat: sed & apud regem semper eum

D excusatum fieri rogat, qui tunc in eius seruitium, diuersis infirmitatibus detentus, abire non potuerit: rememorans etiam de discordantibus, vnde iam mandauerat, vt eos ad pacem redire moneret: laudans eum quod de his quæ in litteris suis ei significauerat, vt Deum & fratrem diligens, studiose ac episcopaliter egerit, & vt regem commoneat, & inde ministerium suum facere rogat, sibi quoque rescribi, de quibusdam, quæ inter se & regem versabantur. Quædam etiam intimans, quæ secreto Ioanni Episcopo notificaret de synodo tunc, vt rex iusserat, non agenda, & quare tunc conuocari non deberet: addens de quibusdam quoque scriptis, quæ illi remittebat, vel quæ sibi mitti poscebat. Item de ordinatione Vuilleberti, cui rex Episcopium Cathalaunense dederat, ne in ipsius ordinatione ab ordine debito declinaret, in-

rimans quod irrationabiliter Cathalauoenses, post obitum sui Episcopi, de sua ipsa necessitate fecerint, & quod ad regē litteras suas pro electione præfati Vvilleberti miserint, decretum vero suom ad Archiepiscopum, sicut mittere debuerant, vt inde quæ agenda essent canonice ageret, non miserint: iosinuans qoaliter inde rite facere debuissent: sed qoia noo fecerant, qoid exinde cautius agendum sibi videatur, edisterit, & prudenter attendendum mandat, vt regularis electio fiat, & postreoio, sicut ipsius prudentiæ melius inde videretur, hanc ita disponeret. Item de causa parrochiæ ipsius Odonis, quæ inter ipsum & Rothadum Suessioneosem Episcopom ventilabatur: simulque de presbytero, qui epistolam Papæ Roma detulerat, vt regem admoneat, modificaos eius animum, ne contra Dominum aliquid faciat in Ecclesia Dei, vel Episcopali ordine: non pro Hincmaro nepote suo se tantum id dicere assereos, quantum pro ipso seniore suo rege, oe ipse taliter peccaret, vnde æternaliter periret. Item de correctione epistolæ suæ, quam illi pridem miserat, ab imperito scriptore corruptam, & de his quæ obiiciebantur Hincmaro scandalizatori suo. Item de litteris, quas pro eodem Hincmaro regi mittebat, vt ipse Odo eas illi porrigeret, & qualiter eas receperit, vel his anouerit: sed & de aliis sibi sciendis petit litteris sibi remandari. Item de causa Erpniti Episcopi, qui ad condictam syoodum venire non valebat, vt causam ipsius Odo inter eius personam & accusatores eius exequi studeret, & si ad integrum id agere oon posset, eundem Erpuioum & accusatores eius ad synodum apud Pistas agendam abire commoneat. Item de litteris sibi ab Odone missis, io qoibus compererat insurgere quosdam monachos contra sacram auctoritatem, & da priuilegiis Corbeiensis monasterii. Item pro itinere suo ad regem. Item gratias referens Deo, pro satisfactionis & correctionis dulcedioe, qua in litteris ipsius Odonis multam recognitionis eios de his vode redarguerat eum reperit benignitatem. Item pro electione Soestorum Episcopi post obitum Rotbadi. Item pro conuentu synodali super responsione ad epistolam Adriani Papæ. Item pro litteris regis, quibus præceperat Episcopos regni à domno Hincmaro conuocari, vt prohiberent filium ipsius regis Carlomaonum à præsumptione cessare, quam criminabatur contra patrem exercere. Item pro ordioatione Ansegisi Remensis diœceseos monachi io Episcopatu Senonico. Item pro libello historiæ de orto S. Mariæ, & homilia B. Hieronymi de assumptione ipsius Dei genitricis, quæ qoidā monachus Corbeiensis monasterii non esse recipiendam cootendebat. Ad quæ respondet idem domnus Hincmarus præfatam historiam nos habere ad lectionem, non ad proferendum auctoritatem: homiliam vero eandem à sancto Hieronymo asserit Catholice dictatam, sicot & stilus, & cautela sensus, & intellectus, & alia certa indicia monstrant, & certæ personæ, per quas de partibus Orientalibos tempore certo delata ad regiones nostras peruenit, fidem faciunt. Subiungit quoque de libello ipsius Odonis contra obiectiones Græcorum, quædam se in eo commemorans adnorasse, qoæ retractanda & corrigenda forent. Item pro ordinatione Hedenulfi secundom iussionem Iohannis Papæ ad Episcopatum Laudunensem dio pastore vacantem. Item pro ratione Looæ paschalis, & lectiooe qoam Adalardus Abbas inde composuit. Item pro eadem re, gratias agens Deo pro sollicitudine ipsius Odonis, qua stodint inuestigare mysticam paschalis solemnitatis obseruationem, & cætera. Item pro itinere soo ad Concilium Papæ Ioanois, vt ad id ipse quoque venire festinet. Item de inquisitione ab ipso Odone & præfato Hedenulfo tractari iudicii Auriniaci monasterii, pro regimine Ricoaræ Abbatissæ, quæ contra leges idem vsorpauerat monasterium: moneatque vt suggerat regi, ne ageret inde qualiter alienis peccatis implicaretur. Idem de itinere suo non ad regum terrenorum præsentiam, sed ad regis æterni iudicium, ad quod iam se festinare per contiouas indicat ægrotationes. Item pro ordinatione Hetilonis, quem plebs Nouiomagensis Episcopum sibi elegerat ordinandum: aliaque oonnulla eidem sæpe direxisse reperitur scripta.

Syn. apud Pistas.

Adalardus Abbas.

HILDEGARIO Meldensi Episcopo, pro parrochianis ipsios quibusdam, qui homicidia in Rem[illegible] si perpetrauere parrochia scribit, exhortans vt eos saluare qoocunque valeat consilio & auxilio procuret, adiuturum se spoodens, vt ad pacem veo[illegible]quéant. Scribit quoque ad eundem quemdam de iu[illegible]cio aquæ frigidæ libellum.

IOHANNI Camaracensi petenti commendatitias dari sibi Romam proficiscenti litteras, ex nomine domni Hincmari Adriano Papæ offerendas, rescribit quod si redditurus obsequium Cæsari, Romam vellet ita pergere, vt obsequio Deo debito Cæsaris contrarium non esset obsequium, canonicas libenter ei litteras tribueret: sin autem pro causa Lotharii regis, quæ inter eum & ipsius vxorem diu ventilata fuerat, quoniam commendatitias in hac re dare litteras non valebat, reprehensibiles dare non aodeat, quia nec debeat: præsertim cum nuper domnus Adrianus litteras ei suæ auctoritatis per Actardum Namnetensem Episcopum miserit, in quibus signauerit se certamina, quæ sedes Apostolica per antecessores suos Benedictum & Nicolaum in hac causa certauerat, sequi: monens eum, vt qood soper hoc negotio gessom est, nullatenus eneruari consentiat, intimaosque qualiter excommunicata fuerit Vvaldrada. Addit etiam, quod sine consilio coepiscoporum litteras ei dimissorias, maxime pro re incerta, dare nequiret. Item de obitu Lotharii regis, exhortans vt sine dilatione ad Carolum regem veniat. Item pro quodam presbytero Camaracensis parrochiæ, qui seipsum castrauerat, frequenti monitus id agere visitatione, nesciens quid inde sacri decernerent canones, consiliumque dat, monens, vt diligenter inuestigetur, qoibus sit modis admissum, & interim per indulgentiam presbyter idem maneat in ordine suo, donec in prooinciali synodo qoid exinde tenendum sit inueniatur, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum reperiatur aduersum. Item gratiarum referens actiones pro beneficiis sæpe sibi ab eo impensis, petens vt requirat sermonem sancti Augustini de lapsu monachi & viduæ, ac sibi ad transcribendum mittat, vel transcribi faciat, & ad proximam syn[illegible]dum sibi afferat. Expositionem quoque Bedæ in Prouerbiis Salomonis ad eandem synodum sibi deferri petens. Intimat etiam, quod Papa Romanus Carolo regi, & Episcopis ipsius regni quædam mandata dire[illegible]t, de quibus in syoodo sit necesse tractari; vnde & rex Metropolitanis regni sui litteras miserit, præcipiens, vt coepiscopos soos ad eandem cooooca rent synodum. Item pro parte decimæ, quam sibi significatom fuerat, ab antiqua regia capella tulisse, & alteri, quam nouiter sacrauerat, addidisse: qnod quia contra regulas esset, emendare, si sit actum, suadet. Item pro quodam presbytero, qui ad sedem Remensem proclamauerat, præiudicium se pati questus ab eodem Præsule suo, interdicto sibi cum rebus suis officio qooque sacerdotali, nec sponte confesso, nec regulariter conuicto, pro tumultu & homicidio perpetrato, vbi interfuerat, & inuitus arma defendendo se sumpserat, hominemque vulneraoerat, non tamen eom qui occisus fuerat. In quibus litteris ostendit ex auctoritate sacra, quid discretionis sit in huiusmodi causa tenendum, & quæ sacrorum canonum sint adhibeoda capitula. Scribit ad eundem & alia quædam.

Hinc. I. de ind. quæ gide.

Adr. I. ep.

Carol Caluus

RAGI-

(Hæc Adriani ep. non extat.) RAGENOLINO Nouiomagensi, pro quodã presbytero qui ei litteras ab Adriano Papa detulerat, præcipientes vt si Episcopus idem quod iniuste fuerat actum circa eundem presbyterum corrigere differet, post primam & secundam admonitionem domnus Hincmarus hunc Ragelinum canonica vsque ad satisfactionem percelleret auctoritate. Vnde & litteris eom mouet, vt iussis obtemperet Papæ, & quare vel ipsi, vel aliis quibusdam Episcopis talia venire solerent ab Apostolica sede mandata, declarat: quia scilicet in iudicandis subditis regularem non sequatur tramitem discretionis, & quoniam ad auctoritatem Metropolitanam interrogando atque obediendo recurrere negligant. Item pro visitatione Morinensis Ecclesiæ post obitum Hunfridi Episcopi, iuxta dispositionem regis. Item pro Rothado quodam ipsius Episcopi amico, qui sua, quæ illius commiserat fidei, se fraude perdidisse querebatur: consilium dans quid inde faceret, ne ad synodalem sententiam perueniret.

*VVILLABERTO Cathalaunensi rescribit ad ipsius consulta, pro Gangulfo Comite, vt de his quæ contra eum se fecisse vel negabat quædam, vel confitebatur aliqua, iuxta præceptum Apostolicum leniter ageret, quatenus in hoc legem Christi, charitatem scilicet, adimpleret, & ad satisfactionem dilectionemque sui vtcumque posset, & industria eundem Comitem prouocans, illi suam clarescere benignitatem permitteret. Decens enim esse, vt primordia sui sacerdotii deuotione atque dilectione commendaret. Item pro quodam presbytero transgressore, vt secundum beati Gregorii monita, de ipsius absolutione faciat, iuxta propheticam de confessione pœnitentis, & Apostolicam de iudicio & misericordia sententiam: præmissum vero Comitem, quem significauerat iam de culpa sua ex integro se recognoscere, patris illius, qui filium prodigum lætus recepit, benignitatem sequens, benigne suscipiat, & Vicecomitem pacis inter eos procuratorem tanto benignius admitteret, quanto Dei esse filium pro Euangelii veritate recognosceret. Item pro duobus vasis salutis quæ rex sancto Stephano mittebat, & aurea cruce cum sanctorum reliquiis, quam regina delegabat altari eiusdem sancti. Item pro inquirenda causa, iuxta regis mandatum, quæ versabatur inter Episcopos Odonem & Rothadum. Item pro ordinatione Arnoldi Tullensis Episcopi, vt eat obuiam pro hoc Aduentio & Berardo idem petentibus, ad eandem scilicet ordinationem celebrandam in pago Metensi, secundum regis iussionem. Item cum Odone, vt loquantur simul apud regem, pro synodo prouinciali conuocanda. Item consulenti si de monacho, necessitate cogente, valeat archidiaconum constituere. Item pro quodam homine suo ab ipso excommunicato, quem quia irrationabiliter audierat ligatum, monet diligenter absolui. Item pro synodo Iohannis Papæ domno Hincmaro ab imperatore Carolo missa, quam idem Vuillebertus transcripserat. Iubetque vt ad vicinos sibi Episcopos Berardum & Arnoldum eandem transmittat, &c. Sed & alia quædam scribit eidem.

(Alias Gul... oberto. — Psalm. 6. — Ioan. 8.)

HILDEBALDO Suessonensi, pro quadam Ecclesia, de qua contentio agitabatur inter ipsum & Odonem Beluacensem Episcopum, quam rex destrui præcipiebat. Item pro ministris Orbacensis monasterij ordinandis, & de quibusdam fratribus, qui ab eodem monasterio irrationabiliter exierant, reuersique postea recepti fuerant. Item pro quibusdam presbyteris ex monasterio sancti Crispini, de quibus domnus Ioannes Papa eidem domno Hincmaro scripserat, & de quibus diffinitum fuerat, vt extra claustra monasterii non pergerent, vt eadem censura eis paterne temperetur. Item pro ordinatione Hadeberti ad Episcopatum Siluanectensis Ecclesiæ. Item pro litteris Ioannis Papæ à quodam criminato presbytero delatis, quas à sacris canonibus & sanctorum decretis patrum manifeste discordare commemorat, vnde & qualiter agendum sit, vtile dat consilium. Item vt secum simul ad præsentiam Ioannis Papæ pergeret, qui Trecas pro quibusdam causis diffiniendis aduenerat. Item pro constitutione regum, filiorum Ludouici, vnde mandauerant ei Episcopi, Abbates, & Comites, qui cum ipsis erant, vt ad eos litteras & missum suum dirigeret: quod & fecit, mandans huic Episcopo, vt ad eos proficiscens, quæ Deo inspirante inuenerint, votis & orationibus prosequatur. Item cum Vualtero, Gisleberto & Angelino Episcopis, vt conuenirent secum ad peragendam iussionem præfati Papæ Ioannis inter Hedenulfum & Hincmarum Laudunenses Episcopos, cum sacrorũ obseruatione canonum. Item exhortatoriam ad eundem Hildebaldum corporea infirmitate detentum, in qua iuxta petitionem literarum confessionis illius, absoluit eum reconciliando, licet per absentiam corporalem: & alia nonnulla scribit ad ipsum.

*ATVLFO Trecassino, de reliquiis sanctorum, quas ille significauerat, ostensis mirabilibus, se reperisse, qualiter easdem disponat, & de Ecclesia sancti Petri, quam restruere tractabat, qualiter ageret: ac de infirmitate, vel euasione sua, & cætera. Item de villis Bolenco & Fago, quæ debitas presbyteris decimas recusabant dare, quid esset agendum. Item pro mandatis Papæ Ioannis de Hincmaro Laudunensi ad eundem Atulfum ab ipso Papa directo, quid illi sit obseruandum.

(Ostulfo & infra.)

VVALONI Metensium præsuli, ad litteras, quas illi direxerat pro documentis vitæ pastoralis, & confœderatione fraternæ vnanimitatis, atque de repentina ipsius prouectione, vt consortabilia sibi verba remandaret experenti. Item pro quodam presbytero, cui domnus Hincmarus quasdam res Remensis Ecclesiæ coniacentes in Vosago commiserat, qui eas male tractauerat, & nonnulla contracta fuerant ex eisdem rebus in potestatem Metensis Ecclesiæ. Item pro consilio, quod ab eo petierat, de contentione quarumdam rerum, quæ versabatur inter Metensem & Treuirensem Ecclesiam, & de pallio à sede Romana sibi obtento, vnde Archiepiscopus ipsius literas Papæ suscipere noluit. Itẽ pro ordinatione Virdunensis Episc. quem post obitum Berardi cõtra regulas prouehi compererat, hanc epistolam suam sacris institutionibus instruens, & qualiter ordinandus, vel non ordinandus sit Episcopus, diuinis auctoritatibus ostendens, & alia præterea quædam.

HADENVLFO, quem post Hincmarum Lauduni ordinauerat Episcopum, pro quibusdam diaconis, quos ei dirigebat ad sacerdotium prouehendos. Item pro quodam orphano, cui suam afferebat idem Episcopus hæreditatem, & alia quædam.

ARNOLDO Episcopo, pro quibusdam qui homicidium perpetrauerant in Remensi parrochia, & pacem obtinere non valebant, sed pœnitentiam facere quærebant, quam in hac parrochia non poterant agere, quid de ipsis obseruandum foret. Item pro consilio quod petierat sibi dari super aduentu Ludouici Transrhenensis, & quid ipse domnus Hincmarus eidem regi eum ad se venire iubenti remandasset.

FRANCONI Episcopo, pro literis commonitoriis, quas iussione regis mittebat Hugoni imperatoris Lotharii nepoti, rogans vt & idem Franco missum suum talem cum misso ipsius mitteret, qui eum saluum ducere & reducere posset. Item pro Eurardo, quem communem suum & ipsius fidelium vocat, & vt pro eo apud Ludouicum regem Transrhenensem & reginam intercedat,

obsecrat, & cætera. BERNONI Cathalaunensi, pro Nouiomagensis Ecclesiæ missis, qui ad se post obitum Rainelini Episcopi sui venerant, vt eos idem Berno ad præsentiam regum perducat, & eisdem regibus litteras huius domni Hincmari relegat, & intelligere faciat, & pro hac causa tam apud reges, quam apud palatinos, secundum ministerium suum intercedere satagat. Item pro electione pastoris præmissæ Nouiomagensis vel Tornacensis Ecclesiæ: & quia formam visitationis, vel electionis Adalberno Episcopo, & eidem Ecclesiæ transmiserit: monens vt petat reges, & Hugonem Abbatem, vt quantocius sibi litteræ à regibus super hac causa mittantur: quia ipsa Ecclesia sine detrimento diu vacare pastore non poterat. ADALBERNO, pro visitatione præfatæ Tornacensis Ecclesiæ, vt eidem suam visitationem solerter impendat, & frequenter electionis formam clero plebique relegat, & inculcet, ne per ignorantiam ab eadem forma in aliquo deuient. Item pro electione pastoris ipsius Ecclesiæ, & quia multi laborarent, vt non per ostium intrarent, non timentes neque verecundantes fures fieri & latrones, & quia mandandus sit ad præsentiam regum, quo cum perrexerit loquatur secum, vt qualiter hinc de cætero sibi sit agendum simul considerent, & cætera. Item pro querimonia & proclamatione cuiusdã presbyteri eius parrochiæ, ostendens qualiter Episcopi rusticanarum parrochiarum Ecclesias disponere debeant & gubernare: monens, vt legat sæpius homiliam beati Gregorii ex Euangelio: Designauit Iesus & alios lxxij * Regula quoque pastoralis eiusdem beati Gregorii, cum sacris canonibus frequentius * relegatur, & quæ ibi sequenda leguntur viriliter exequantur: & quæ cauenda inueniuntur, sollicite caueantur.

Ioan. 10

Greg. hom 17 in euãg

al. Regulas, &c. relegat, vt quæ al. Hedul.

HETILONI Nouiomagensi, vt in adiutorium & fidelitatem regum & orationibus & auxilio quo potuerit satagat, significans in magna se tribulatione vallatum à barbaris esse, & quod cæteris omnibus deprædatis tanta quærebatur pro ciuitate redemptio, quantam explere non valeret. Item quia Ludouicus rex Germaniæ mandauerat illi, vt iret obuiam, quod tamen non esset acturus in cippo infirmitatis detentus: mandans huic Episcopo, vt & per se & per sibi commissos precibus insistat, pro pace & defensione Ecclesiæ, & si aliquid vtilitatis contra paganos facere potuerit, agat cum primoribus regni quantum valuerit. De incensis quoque monasteriis, quod ille mandauerat, se dolere, & de his quæ necdum erant incensa satis formidare.

SIGEMVNDO Episcopo, de reconciliatione pœnitentium, & aliis ad sacrum ministerium pertinentibus, de quibus Hildegarium Episcopum se significat instruxisse. Item pro benigne tuendis ac tractandis subditis, commemorans eum de corporali medico spiritalem à Deo factum. Item ad interrogationem eius, quid ipse scientiæ requireret à presbyteris suæ parrochiæ.

EPISCOPIS ad synodum Suessionis ex iussione regis Ludouici Transrhenensis conuenientibus, legatum suum sacerdotem quendam dirigens, & pro infirmitatis impossibilitate semet excusans, quidquid fauente Domino secundum canonicam institutionem, & Episcopale ministerium iuste & rationabiliter æquitate dictante, decreuerint, eorum decretis se annuere profitens: quidquid vero sacris canonibus poterit obuiare, & à recta fide ac æquitate & iustitiæ tramite valuerit deuiare, se in nullo assensum præbere, nec vt idem vicarius eius assensum prębeat vel coactus, annuere.

Hæc synod deest in to. cõc.

EPISCOPIS Diœceseos Ecclesiæ Senonicæ scribit pro electione Ansegisi Remensis diœceseos monachi ad Episcopatum Senonicum, consensum suum in ipsius adhibens ordinatione. EPISCOPIS quoque totius regni primoribus, commonens & exhortans eos intemeratam fidem regi suo Carolo conseruare, quando idem Rex Romam perrexit. ITEM Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & cæteris Dei fidelibus ad quoddam collegium conuenientibus, quo ipse corporis infirmitate præpeditus abire non valuerat, gratias agens Deo pro quibusdam primoribus regni, qui ab Episcopis aliquantum dissenserant, at tunc, gratia Dei largiente, beneplacitæ sint vnanimitati coniuncti. Significans per has litteras, & missum Ecclesiæ suæ comministrum, se de bonis eorum studiis ac dispositionibus congaudere, suadensque vt secundum sapientiam eis à Deo datam, diuinis obedientes præceptis, remotis priuatis studiis, & indebitis cupiditatibus, ac noxiis contentionibus, primum quæ ad generalitatis salutem, pacem & vtilitatem pertineant, inquirant & exequi procurent: adnectens sacras auctoritates de veste Christi, quæ est Ecclesia Dei, hortansque vt seipsos tota virtute armantes iustitiæ zelo erigant, & iugum oneris matris eorum Ecclesiæ, ac virgam exactoris eius confringant, & vincula colli filiorum eius dissoluant: si qui sint oppressi manum alleuationis porrigant: si qui forte deprauati cupiditate vel gratia, ad vnanimitatem gregis Dominici reducere studeant. Amplectantur consilium beati Gregorii, cæterorumque sanctorum patrum: & ipse quoque quod illi ad pacem populi Dei iustitiam procurandam decreuerint, votis & obsequiis, quantum Dominus donauerit, prosequitur. Subiungit quoque sacras auctoritates de canonice promouendo vel eligendo Episcopo.

Isai. 58

Quæ Abbatibus quibusdam scripta direxerit.

Cap. XXIV.

ALiis quoque diuersis personis, tam clericis quam laicis, honestis etiam fœminis, diuersa pro vtilitate cuiusque reperitur scripta direxisse, nemini adulando parcens, sed commoda cuique pro rei opportunitate suggerere satagens. LVDOVICO Abbati litteras misit pro repetendo corpore sancti Deodati, quod quidam Giso, cupiditate rerum ipsius sancti ductus, ex diœcesi Remensi furtim transferri fecerat in Parisiacensem parrochiam, inconsulto Episcopo in cuius iacebat Episcopio. Asserit autem in his litteris se nemini, neque sibi vel proprio suo sanguini, contra diuina parcere iura. Sed & indignantem pro his Abbatem iterum litteris monere non destitit, hortans & admonens, vt Ecclesiasticis regulis satisfacere procuraret. Item pro quodam nepote suo, quem commiserat ei, & pro rebus à rege per dispositionem ipsius domni Hincmari monachis sancti Dionysii traditis. HILDVINO Abbati pro epistola regis Caroli, & misso suo cum litteris ad imperatorem Lotharium perducendis. In quibus se quædam de salute ipsius imperatoris suggerere manifestat, vt emendet, quæ ipsi notificat emendanda, & de censu soluendo ex villa Dudeciaco. ITEM simul cum synodo Episcoporum apud Carisiacum habita, scribit Hilduino Caroli regis Archicapellano & pro Ecclesia Lingonica, quam Vulfadus Ecclesiæ Remensis alumnus contra canonica occupauerat decreta. Vnde suggesserat eadem synodus regi, vt alterum ad regendam præfatam constitueret Ecclesiam, & rex iusserat vt Episcopi quærerent talem, qui posset in Episcopali ministerio eidem Ecclesiæ proficere, eorumque vota in Isaac ipsius Hilduini discipulum conuenerant, obsecrantes huius in hoc Hilduini consensum, & deprecationẽ ipsius pro eo apud regem. BRVNVARDO Abbati, pro rebus sancti Remigii vel coloni Remensis Ecclesiæ in Thoringia constitutis. ADALARDO Abbati, de amicitia inter ipsos, & qualiter debet esse verus amicus. GRVNOLDO Abbati,

Habita est an. 10 [illegible] Bened.

pro Sigeberto fideli suo, vt res eius quæ coniacebant in regno Ludouici, in sua dominatione & tutela commendatas susciperet: & vt regi Ludouico suadeat, ne peruersorum credens consiliis, in talia se vlterius immittat, qualia contra fratrem suum Carolum tunc egerat: vnde tale dedecus ipsi acciderat, quale non accidisset, si exhortationibus huius domini Hincmari adquiescere voluisset.

*TRASVLFO Corbeiensi cum fratribus sibi subiectis, pro quodam fratre, qui præsumptiue abscesserat à monasterio, quem à rege receptum in gratia præceperat idem pontifex ad monasterium festine reuerti, pro quo rex rogauerat, vt mandaret, quatenus in monasterio pacifice susciperetur, donec conuersationis eius modus à rege, & eodem Archiepiscopo tempore opportuno disponeretur. Item ad eosdem, gratiarum referens actiones pro impensa sibi ab eis benignitate, memorans se plurimum in eorum orationibus confidere, & eis deuotum existere, commonitoriaque salutis eis dirigens hortamenta, vt quique in ipsis nauem dominicæ gubernationis susceperant regendam, contra insurgentium tempestatum impetus impigra sollicitudine dirigere studeant, & vt persecutione imminenti paganorum, quacumque recedendum sit, à bono proposito non recedant, &c. ITEM Hilduino, vt certare procuret apud regem pro electione canonica Ecclesię Morinensi concedenda, quia & ipse hoc agere satageret quantum posset.

j. Transulfo

ADALGARIO Abbati, gratias referens de orationibus ab ipso & fratribus sibi commissis Deo pro se oblatis, & de benedictione donorum ipsius Abbatis, commemorans etiam de rebus Ecclesiæ Remensis in Thoringia sitis, quas cuidam Amalrico commiserat, sed ipse male abusus eis, diuinum proinde iudicium susceperit, quasque idem Abbas sub censu sibi dari petebat. Sed idem domnus Hincmarus id agere sine clericorum suorum consilio tenuens, mandat vt easdem ad custodiendum interim suscipiat, & descriptionem earumdem sibi mittere studeat, & postea quodcum Ecclesiasticorum consilio ministrorum rationabilius considerauerit, ei remandaturus sit. Item pro eadem re post missam sibi descriptionem, significans insuper Ludouico regi se pro hisdem rebus litteras misisse, ad petitionem ipsius Abbatis, notificando ipsas res eidem Abbati se commisisse, petendo quoque, vt ei solatium ferret, quatenus ipsas ordinate quiete valeret. Sed & Popponi cuidam, compescendo eum ab harum inquietatione rerum. Familiæ quoque in eisdem rebus consistenti litteris mandans, quo eidem Abbati obedientes in cunctis existerent.

ANASTASIO venerabili Abbati ac bibliothecario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gratiarum referens actiones pro benedictionibus sanctissimis ab eo sibi per Actardum Episcopum directis: suas eidem quoque Abbati mittens munerum benedictiones. Quædam etiam opuscula suo labore cōfecta ipsi delegans. Item pro beneficiis sibi ab eo collatis, & vt suggestionem suam domno Papæ acceptabilem faciat, & de memoria benedictionis, quam dirigebat ei. GREGORIO eiusdem Romanæ Ecclesiæ nomenclatori, & apochrisiario, asserens quod præfatus Anastasius multa bonitatis insignia sibi de ipso suis litteris intimauerit, & quod magnam fiduciam in ipsius habere posset amicitia sinceriter mandauerit: vnde & petit, vt isdem Gregorius se inter fideles amicos suos tenere dignetur. GVNTARIO Abbati, pro quodam irreligioso monacho, quem de monasterio irreuerenter proprio libitu recedere sinerat: vnde valde reprehendit eum, ostēdens ex auctoritate regulæ, quod ita non debuisset eum dimittere: monetque vt eum misso regis perquiratur, & comprehendatur, atque in monasterium reducatur, & in arctissima custodia

De hoc sup. c. 21

retrudatur, eiusque culpæ describantur, sibique descriptio ipsa cum proprii Episcopi litteris dirigatur, vt secundum sacras regulas cum consilio coepiscoporum de ipso decernat. GOZLINO, pro Bernardo nepote ipsius, qui seditionem contra regem moliri ferebatur, hortans vt ab hac intentione studeat eum reuocare, & vt ipse Gozlinus pro nullo carnali affectu à recta via declinet: fratrem quoque suum Gozfridum commoneat, vt ambo memores parentum suorum à fidei sinceritate non degenerent. Item, querendo cur ad se missum vel litteras non dirigeret, vt facere solitus fuerat, exhortans vt id frequenter pro mutua dilectione atque consolatione facere studeat. Item significans quomodo de dilecto filio ei Gozlinus idem factus sit inimicus, & adhuc carum filium eundem nominat, & iniurias sibi ab eo illatas non solum patienter, sed & libenter se ferre depromit, ac petit, vt reminiscatur, quia Remensis Ecclesia eum regenerauerit in Christo, tonsumque in clericum sub religione nutriuerit & docuerit, de captiuitate paganorum redemerit, ad gradus Ecclesiasticos vsque ad diaconatum prouexerit, plurimorum monasteriorum per concessionem regum Abbatem constituerit. Contra quæ ille potentia eleuatus, seditionem quæ in hac Ecclesia, vel in illo regno male grassabatur excitauerit, quibusque similia gesserit, & quantis malis obnoxius sit, prosequendo manifestat: obsecrans vt horum reminiscatur, & vocem Domini se reuocantis audiat, animæque suæ misereatur, vt salutem consequi mereatur. Item pro correctione ipsius Deo gratias agens, & orans, vt confirmet Deus quod operatus est in eo, & det illi & velle & perficere quæ sibi sunt placita pro bona voluntate, & cætera quædam.

Eccl. 30.

Psal. 67.

Philip. 2.

*GRVNHARIO Abbati, pro rebus sanctæ Mariæ, & sancti Remigii in Auernico pago sitis, quas interdixerat Bernardo Comiti, mandans huic Abbati, vt eas describeret, & earum descriptionem sibi deferret.

ms. Grimhario.

ADALGARIO vocato Episcopo, pro rebus Remensis Ecclesiæ in Aquitanis partibus coniacentibus, quas Bernardus Tolosanus Comes occupauerat, & quia pretio eas obtinere non potuit, deprædatione pessum dedit, donec Deus inde suum iudicium exercuit: quasque idem domnus Hincmarus Agilmaro Episcopo commiserat; quando etiam de incestis, & vsurpatoribus rerum Ecclesiasticarum libellum, iubente rege, ipsi Episcopo dederat. Mandata quoque pro eisdem rebus ad eundem Episcopum data huic dirigit: & vt cum eodem iste quoque, participato consilio, pro ipsis rebus satagat, hortatur, quosdam designans pagos, in quibus eædem res coniacerent: Auernicum videlicet, Nigrummontensem, Lemouicum, & Pictauum. In aliis quoque pagis, quorum non meminit, sed ab hoc requiri atque describi, sibique ipsam descriptionem mitti petit.

LAMBERTO quoque, quem vnice dilectum ac visceralem filium suum memorat, admonens & exhortans qualiter agere debeat erga illos, inter quos conseruabatur, & qui eum electuri esse videbantur ad Episcopatum Metensem: præcipue monens pestem Simoniacæ hæreseos in omnibus præcauere: Quia proficere, inquit, in Ecclesiastico gradu non poterit, qui ad hoc vt hæreticus fiat, promouetur. Suadet etiam, vt regulam pastoralem sancti Gregorii festinanter legat, ac mente recondat, & secundum eandem regulam se interius & exterius in viam, qua ad Episcopatum peruenitur, dirigat, & per quam in Episcopatu ad vitam æternam tenditur, corrigat: significans se amicis suis, tam Episcopis, quam Comitibus regni Lotharii pro eo litteras dirigere, fidem facere, quia de consiliis & salubribus ipsius exhortationibus non deuiabit, petitque ne mendacem super his apud

amicos eum faciat. HVGONI Abbati, pro electione Nouiomensis Episcopi post decessum Ragenelini, petens vt hortetur reges Ludouicum & Carlomannum, quatenus voluntatem Dei, & antecessorum suorum consuetudinem in hac causa conseruent. Notificat etiam illi obitum Hincmari nepotis sui Laudunensis Episcopi, rogans vt pro eius animæ remedio per subiectos ac familiares suos Domini misericordiam deprecari * satagat. Item vt præfatis regibus necessarios constituat nutricios, quia omnis iuuenem habebant consiliarium, & de his quæ sibi iidem reges * pro custodia Tornacensis parrochiæ mandauerant, & quid ipse super his egerat, quidve illi postea remandauerint, vel quid ipse rescripserit eis nolentibus assensum præbere super electione canonica præfatæ Nouiomensis Ecclesiæ: & quia ipse nihil inde aliud egerat, nisi quod per triginta & quinque annos in huiusmodi negotio solitus erat. Et quid sibi mandatum postea ex parte regum, vel ipsius Hugonis in hac causa per Vvarinum clericum fuerit, qualesq; litteras deinde præfati reges eidem miserint. Adiungens sacrorum canonum promulgatas super electione canonica auctoritates, & ostendens, quod non Episcopi de palatio præcipiantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia: & quod de ordinando Episcopo, non regis vel palatinorum debet esse commendatio, sed cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione diiudicatio, deinde terreni principis consensio, & sic fieri Episcoporum manus impositio: asserens pro certo quod ipse in neminem specialiter intenderet, nisi vt quisque sit, secundum sacram auctoritatem ad hoc accederet officium, & quod spiritale ministerium postulat, sciret ac faceret, &c. Item mittens ei exemplar epistolæ, quam regi Carolo, Ludouici Transrhenensis filio direxerat, pro regibus adhuc pueris Ludouico & Carlomanno. hortansque vt si potuerit obtineat, quatenus idem Carolus (quia filium non habebat) vnum his regulis sibi adoptet in filium, & sub manu boni ac strenui baiuli ad hoc eum nutriri faciat, vt sibi hæredem aut in totum, aut in partem statuat: & vt secrete Hugo apud Carolum obtineat, quo & horum puerorum, & regni huius causam super se totam suscipiat, & quæque disponenda regio sunt in ministerio, ipse disponat. Præmittens etiam, vt scripta sua, quæ Carolo mittebat, ipse Hugo, si haberentur vtilia & rationabilia, suo sapienti consilio & prudenti prosequatur studio: sin secus quam inibi deberet inueniretur, sapienter illud commutare, vel si foret necesse quid addere vel obtinere satageret. Item pro mandatis Ludouici Germaniæ regis, ac suasionibus: primo scilicet vt Episcopos Remensis diœceseos eidem regi apud Attiniacum obuios ire præcipiat. Secundo vt ei consilium remandet, qualiter istud regnum disponat, quid videlicet ad hæc missis eiusdem regis respondeat, & si Ludouicus ipse aduenerit, & rogauerit vt eum in regem consecret, quid & qualiter inde sit illi agendum, &c. Præterea & alia quædam Abbati scribit eidem.

Hi erant filii Ludouici Balbi, ac nepotes Caroli Calui.

ms satagant.

al. pro custodia Tornacensis parrochia.

Quæ sacerdotibus vel monasteriis quibusdam.

Cap. XXV.

GAVTSVINO sacerdoti & cæteris fratribus Deo & sancto Dionysio seruientibus scribit pro quadam domo sibi quondam ab ipsis concessa, & ex parte ab eodem coempta, quam quidam eorum sibi subripiens, vsurpauerat. Vnde miratur, si hoc fratres ita fieri cohibuerint de eo, qui in nullo, quantum meminit, inutilis eis fuit, sed sicut illis tunc visum fuerat, in multis vtilia & necessarius apud eos mansu, & non modico eis obtinuit, & reobtinuit. Non hæc ideo dicens, vt sibi pretiosa sit illa domus ad tenendum, vel corticula, sine charitate, inquit, vestra, &c. Item VVILGISO, cum cæteris eiusdem monasterii monachis, de eo quod audierat eos à quodam presbytero pretium quærere pro decima: vnde maximam se verecundiam dicit habere propter alios homines, qui hoc audituri erant. Quod quantum periculum sit, eis ex diuina ostendit auctoritate, & canonum promulgatione, ac deinde: *Absit, inquit, fratres vt alii Ecclesiastici & religiosi viri hoc audiant, quia monachi de monasterio sancti Dionysii decimam vendere quærunt, vt de ipso pretio infernum comparent. Multo magis autem absit, vt hoc laici audiant, quod nemo etiam peccatis publicis implicatus in mea parrochia facere audet. Si enim aliquis de alio monasterio quam de nostro hoc tentare, quanto magis facere præsumeret, ab omni communione illum de parrochia mea excommunicare, &c.* Item eisdem monachis, pro visitatione diuinæ miserationis, qua admonitus dies suos sicut vmbram declinasse dicit, & se sicut fenum aruisse: mittens eorum obsequiis tantulam benedictionem, ducentos scilicet solidos de meris denariis: petensque vt apud communem patronum beatissimũ Dionysium in sacris orationibus sui memoriam iugiter haberent: poscens etiam pro Haimone fideli suo pene in extremis posito, quem dilectum filium suum nominat.* FVLCRAMNO præposito, & fratribus monasterii Corbeiensis, scribens pro electione Abbatis eis à rege concessa, proque litteris regiis super eadem re, & aduentu ipsius domni Hincmari ad eos. Vnde illum consuluerant, instruit ipsos, qualiter in hac electione eis sit agendum secundum doctrinam beati Patris Benedicti, vt in omnibus magistram sequantur regulam, nec temere ab ea declinetur à quoquam, vtpote rationem reddituri pro omnibus ante tribunal Domini nostri Iesu Christi. MAGENARDO præposito, & fratribus in monasterio S. Richarii degentibus, pro litteris, quas Apostolicus Papa regi Carolo, sibique miserat, pro quodam, qui monachum atque presbyterum interfecerat: in quibus litteris tenorem iniunctæ pœnitentiæ exposuerat, admonens vt diuinis monitis in his quæ ipsæ litteræ præcipiunt obedire procurent. MONACHAS cœnobij sancti Medardi pro Halnoardo monacho, qui veniam pro excessibus suis apud regem postulauerat: de quo ex verbo regis mandat, vt eum vel ad habitandum regulariter inter ipsos recipiant, vel iuxta petitionem illius litteras dimissorias illi ad certum locum faciant, & absolutum abire cum pace permittant. SIGERADO sacerdoti & præposito monasterii sanctimonialium Lugdunensis Ecclesiæ, super interrogatione qua requisierat ab eo, qualiter oporteret eum agere de inquisitione sibi commissa in Origniaco monacharum monasterio super Abbatissa & præposito ipsius monasterii, vnde interroganti responderat, quia non verbis de talibus, sed scriptis respondere deberet. Quocirca rescribens quoque ostendit quæ in legibus, Catholica probat Ecclesia, & in regulis Ecclesiasticis de his scripta sint: præcipiens etiam, vt priuilegium ipsius monasterii sibi afferatur, & notificentur ei per certas personas de certis rebus accusationes ipsius Abbatissæ atque præpositi, vt secundum sacras regulas cum consilio coepiscoporum & visitatoris Laudunensis Episcopii, quia tunc Episcopus ibi non habebatur, inde Domino inspirante * decernat. QVIBVSDAM decanis parrochiæ Suessonicæ, pro quodam presbytero, qui præiudicium passus iustitiam & iudicium apud Episcopum suum Rotbadum non valebat obtinere, vnde & ipse domnum Hincmarus eundem Præsulem monuerat, vt si propter infirmitatem non valeret ipse ad synodum venire, vel missos suos, comministros videlicet Ecclesiæ sibi commissæ, mitteret, vt res canonice diffiniri valeret: admonetque per has litteras eosdem decanos, & Metropolitana præcipit

al. sum

al. Fulcranno.

De hoc sup. c. 13

al. decernere.

auctoritate, vt presbyteros decaniæ suæ ad denunciatum placitum venire commoneant, & cum eis ipsi veniant. Quod si non fecerint, synodalem sententiam apud proxime futuram synodum se nouerint accepturos. SIGEBERTO cuidam sacerdoti, pro Heidilone Episcopo ipsius, de quo talia se audisse dolebat, qualia de bono laico dici non conueniret, & quia culpabatur, quod talem Episcopum ordinauerit: asserens se de illo, quem ante non cognouerat, fidei & testimonio ipsius Sigeberti credidisse, præcepitque ipsi Sigeberto ad se venire, vt ore proprio ei dicere possit, quæ de episcopo audiuit, & si vera forent, simul considerarent, qualiter illa corrigeret: si vera non essent, qualiter mendacia esse docerentur.

Quæ viris quibusdam illustribus.

Cap. XXVI.

VIro illustrissimo EBERARDO, ex principibus Imperatoris Lotharii, litteras dirigens pro adipiscenda familiaritatis apud eum gratia quondam sibi ab ipso gratis oblata, congaudet bonis quæ de ipso per certas audiebat personas, * maximeque per Amolum præsulem, quem sincerissimum & charissimum vocat patrem suum, mittens ad ipsum cum litteris etiam fidelissimum quendam missum suum. Item laudans sinceritatis ipsius deuotionem erga Deum, & sacræ auctoritatis cultum, principumque vnanimitatem, & Ecclesiasticæ pacis studium, debitumque religionis: monens quoque pro charitatis officio, vt sicut cœpit melius ac melius proficiat: quia natura humana, testante Iob, nunquam in eodem statu permanet, & quia in isto sæculo quacumque præditus quis potestate contra fluminis tractum nauigat: qua de re aut viriliter nauigans superiora petet, aut remissis manibus habet ad ima relabi. Studeat autem præcipue, vt Deo super omnia placeat: deinde vt Ecclesiæ pacem prouideat, tum vt principibus bona non solum suggerat, sed etiam ingerat. Viris Ecclesiasticis & locis sanctis debita priuilegia adquirere insistat, populo Christiano pacem & vnanimitatem procuret, bene agentibus congaudeat, male agentibus resistat, seipsum, sobrie, iuste, & pie viuendo, solerter custodiat, & cætera exhortationum valde necessaria. Post quæ suggerit etiam de quibusdam necessitatibus, tam ex monasteriis, quam & aliis, pro quibus & Imperatori litteras direxerat, quæ in parrochia sua ab illius erant auctoritate corrigenda, & reliqua de vtilitate animæ, & consilio spiritali conseruando. FVLCRICO cuidam, præmissi Imperatoris magnati, qui vxorem legitimam inlegitimè dimiserat, alteramq; insuper duxerat, vocans ad synodum, excommunicationis iam in eũ datę, atq; in comprouinciali synodo confirmandæ pandit modum. Item postquam pœnitentiam pro hoc admisso visus est suscepisse, iteranti vias suas, & reuerso ad vomitum suum manifestam dat excommunicationis sententiam, cunctisq; id notificare satagit fidelium Christi personis, quibuscumq; audire contigisset, maximeque Episcopis, in quorum videbatur parrochiis conuersari vel frequentare.

j maximè quæ | *Io. 14.* | *Tit. 2* | *De eodẽ sup. c. 20.*

VVLFINGO cuidam ministeriali eiusdem Imperatoris Lotharii cõmemorans familiaritatem, quam quondam ab eo popöscerat, & dilectionem quam ei spoponderat, rogans vt innotescat Imperatori super epistola, quam frater ipsius Karolus rex eidem dirigebat, quatenus eam suscipiens, familiariter distinguat, & secreto legat. Censum quoq; de villa Dudeciaco anni præteriti cum censu præsentis anni sibi transmitti iubeat: vnde in illius memoria aliquid ornamenti in sepulchro S. Remigii facere posset, quod ornare, & corpus ipsis sancti in crypta disponebat à nouo præparata transferre. Itẽ pro repetitione præmissi census de villa Dudeciaco sex librarum: ne forte suggeratur Imperatori, quod cupiditate in lectus hunc censum repetat, quem in suos vsus nunquam redegerat: sed cupiens euadere periculum, ne silentio suo in diebus suis census ipse depereat, & ipsa villa in alodem vertatur, & Ecclesiæ mancipia in seruos & ancillas dispertiantur, sicut & de multis, tam rebus, quam mancipiis huius Ecclesiæ, sed & de ipsam iam villa fiebat. Enitens etiam, vt senior suus inde periculum non incurreret, vel ipse cum ipsius periculo partem non haberet. Asserens quod si cupiditas in hoc eum vexaret, duodecim libras repeteret, quas auus & pater huius regis inde soluerunt, &c. Subinfert etiam quædam de præfatò Fulcrico, qui Roma veniens iactabat epistolas Papæ pro absolutione sua tam regibus se, quam huic Archiepiscopo deferre. De quo monet hunc Vulfingum, vt suggerat regi, ne seducatur in hac causa: sed omne cum ratione cauens periculum, faciat vt veniant ipsæ epistolæ coram illo & Episcopis, & quidquid melius inuentum fuerit inde sequatur, & quia interim quod rationabiliter & canonice factum fuit, non debeat contemni. NANTARIO amico suo fideli, pro rebus sancti Remigii disponendis in Vvormacensi pago, inferens quod quidam homines eum petierint, vt præstaret illis colonos earum rerum ad diuersas operas, & quidam vt venatores illorum in ipsis rebus per aliquod tempus manere concederet: quod neutrum se concessisse, vel concessurum esse fatetur, quoniam sui antecessores hoc facere non sunt ausi: quia sanctus Remigius cum grandi maledictione vel interminatione hoc fieri vetuerit, &c. IMMONI Comiti, pro rebus huius Ecclesiæ in regno Aquitanico coniacentibus, vt auxilium ferret earum prouisori, cui committebantur. GERARDO Comiti nobilissimo, pro Isaac Lingonicæ sedis electo, vt per eius hortamen ordinaretur Episcopus, quia Vulfadus, qui ipsam occupauerat Ecclesiam, canonicè non potuit ordinari. Item pro his quæ sibi litteris idem Gerardus significauerat: scilicet quod Carolus Franciæ rex senioris ipsius Caroli Cisalpinæ Galliæ regis regnum sibi vellet subripere, quod ipse domnus Hincmarus nequaquam fieri asserit. De rebus quoque sancti Remigii in prouincia sitis, pro quibus audierat domnum Hincmarum ad regem proclamasse, quod se penitus negat egisse, nec quotiescunque necesse fuit, pro * ipsius rebus ad alium, quam ad ipsum Gerardum, & ad suos fideles inde suggestionem, direxisse. De hoc etiam quod scripserat hic Comes se audisse, quod rex iste Carolus monasteria vellet vsurpare, quæ beato Petro Apostolo idem Gerardus tradiderat: & quia si res ipsius, quæ in hoc regno coniacerent, ab eo forent ablatæ, ipse licet inuitus res huius regni, quæ in illo habebantur regno præsumeret: respondet domnus Præsul, quia sua voluntate nemo res Ecclesiæ in suum periculum vsurparet: timere se asserens, ne coram Deo dignus habeatur, vt hoc in tempore sacerdotii sui commissa sibi patiatur Ecclesia. Veruntamen si quis præsumpserit, plus illi dolere quam sibi, periculum præsumptoris ex diuinis pandens auctoritatibus. Adiiciens quoque de eo quod se monuerat, vt sacri causa ministerii regem à talibus reuocaret excessibus, quia prius in illius dispositione talia non perceperat, & de vanis suspicionibus suum non erat seniorem corripere, ideo nec inde monuerat. Nunc autem certam & causam habens, & personam, debita deuotione ac fidelitate studebit dominationem ipsius monere. Item pro præfatis rebus sancti Remigii, de quibus idem Gerardus huic Archiepiscopo litteris significauerat se condolere, quia deuastabantur à multis, & plures earumdem vastatores dicerent, quod per concessionem

Carol. Caluus. | *S. Remig. in suo testamento.* | *j. ipsis.*

regis Caroli, & huius domni Hincmari easdem res occuparent. Vnde notificat eidem Gerardo, quia ex quo easdem res eidem commiserit, nullius alterius eas prouisioni delegauerit, nisi tantum Hildoardo cuidam nutrito suo injunxerat, vt maiori villæ in his quæ necessaria fuissent, auxilium ferret, sub defensione tamen & tutela præfati Gerardi Comitis, addens de cæteris earumdem rerum vsurpatoribus quid agendum sibi videretur. Ipsas autem res nulli homini suo vel alterius in beneficium dare auderet, quia sanctus Remigius hoc in suo testamento terribiliter contradixit. Ipse vero Comes, qui pro amore sanctæ Dei genitricis & sancti Remigii, res ipsas in sua tuitione susceperat, sicut bene cœpit, ita viriliter de cætero agere procuret, quoniam in Remensi Ecclesia per decem monasteria tam canonicorum, quam monachorum, atque sanctimonialium, amplius quam quingenti pro ipsius præsenti & perpetua salute, in psalmis & canticis spiritualibus, atque sacris oblationibus continui oratores existant, &c. Item pro eisdem rebus pene similia. Item mittens ad easdem res ordinandas per ipsius Comitis* auxilium, atque disponendas, monachum atque presbyterum de monasterio sancti Remigii nomine Rotfridum. Rodulfo illustri Comiti, pro infirmitate coniugis ipsius, & pro eo quod ferebatur idem Comes inter regem & quosdam subiectos ipsius quædam contraria seminare: asserens sibi quoque domnus Hincmarus, qui ab huiusmodi re valde se immunem putabat, hoc ipsum reputari: & quia de his qui erant cum rege talia mandata venirent, quæ non conuenissent. Vnde nihil eidem Comiti scribere posset, neque per alium mandare, donec simul loquerentur, & de talibus, quæ vidissent melius ad vtilitatem & honestatem senioris sui pertinere, mutuo conferrent: quantocius autem potuisset ad regem pergeret, & cum illo degens, quantumcumque valeret, certaret, vt se coram Deo corde & opere custodiret, orique suo, ab ipsis etiam qui putabantur amici, custodiam imponeret, & de conuocatione fidelium regis, & directione ipsius animi, atque discissione huius regni: sed & interfectione Britonum Herispogij, Salomonis, & Almarchi, atque de itinere reginæ ad regem, prout ipse mandauerat, & quia multum de rege timebat. Item de eo quod in litteris ipsius Comitis inter ipsum Comitem & regem commotionem cognouerat esse indebitam, vnde satis tristis effectus erat. Et quia de his quæ sibi literis significauerat, apud regem, prout potuisset, satageret, & quidquid inuenirer, si ad eum remitteret, ipsi remandare curaret. Adiciens quid sibi de hominibus suis acciderit, quos secum super Ligerim habuit: monens & confortans in Domino, ne commoueatur leuiter pro talibus, quibus illi qui Deum timere nesciunt commouentur: sed suum bonum nomen, sicut bene cœpit, vsque ad finem perducere studeat. Et quia regis animum iam bene cognosceret, qui licet aliqua sit perturbatione commotus, statim vt cum eo locutus fuerit & ei suam deuotionem manifestauerit, sicut decet, & sicut rectum est, eum habebit. Admonens, vt iuxta Apostolum omnis indignatio auferatur ab eo cum omni malitia. Quod si fieret, pro eo quod rex nepos ipsius esset, plus pium animum erga eum haberet, pro hoc quod senior ipsius esset, plus humilem haberet animum circa ipsum, &c. Vvelfo cuidam nobili viro, multas gratiarum referens actiones, quod talem erga se conseruasset amicitiam, vt hominem ipsius sine consensu eiusdem recipere noluisset, & quod idem homo se sine causa dimiserit, & sine licentia sua irreuerenter abscesserit, quod nemo suorum adhuc alius fecerat: intimans qualiter eum susceperit, & quam benigne nutrierit, multaque illi bona fecerit, qualiterque iste inter seniorem suum & regem missus ad ipsum, inconuenienter egerit. Petit autem, vt nullatenus eum recipiat, antequam secum loquatur, & sciat si rectam contra se idem homo rationem habeat: adiciens non id se de illo ideo replicare, vt aliquod odium ... teneat: sed ne ille contra iustitiam recipiens hunc, in Deum peccet, & in se amicum ipsius offendat: præsertim cum salua amicitia, per eius licentiam illum habere poterit. Folconi Comiti palatii regis, pro quodam presbytero parrochiæ Suessonicæ, qui relicto ecclesiastico ad ciuile iudicium proclamauerat super accusatore suo, qui probaturum se promiserat esse quod aduersus eundem presbyterum proferebat. Mandat autem huic Comiti, ne in hac se causa commisceat, antequam ab eo tractetur, an id rationabiliter fieri debeat, quia de presbyteri & Ecclesiæ causa ad Episcopos & ad synodum diffinitio pertineat, non ad malli vel ciuilium iudicum dispositionem &c. Maioni illustri Comiti, gratiarum referens a[cti]ones pro benignitate & sollicitudine, quam domno Th[eo]derico Cameracensi præsuli, viro sancto, & Ecclesiæ ipsius exhibere curabat, petitque vt si in eorum diebus idem Dei seruus ad communem Dominum transiret, pro electione concedenda clero & plebi Ecclesiæ ipsius apud Lotharium imperatorem satageret. De pace quoque procuranda inter reges, vnde sibi scripserat, rescribit, quia semper eam desiderauerit, & vt inuiolata inter eos maneret, prout potuit, commouere curauerit, & quantum Deo cooperante valuerit, inde laborare curabit. Rorico Normanno ad fidem Christi conuerso, vt in Dei voluntate, & mandatorum illius obseruatione proficiat, sicut & eum velle ac facere per multos audiebat, & vt nemo ei persuadere valeat, quo contra Christianos paganis aut consilium, aut adiutorium præstet, quia nihil ei proderit baptismum Christianitatis accepisse, si contra Christianos vel per se, aut per alios quoscumque peruersa, vel aduersa fuerit machinatus, & cætera, quæ prosequitur, Episcopaliter intimans, quantum in tali sit machinatione periculum. Monens etiam, vt Balduinum à Dei Spiritu, quo canones sancti sunt conditi, per Episcopalem auctoritatem propter filiam regis, quam in vxorem furatus fuerat, anathematizatum, nullo modo reciperet, neque solatium vel refugium aliquod apud se habere permitteret: ne illius peccatis & excommunicatione inuoluantur tam ipse, quam sui, atque damnentur: sed talem se exhibere procuret, quatenus ei orationes sanctorum proficere valeant. Luitardo illustri viro, pro his quæ de ipso audiebat ad animæ illius periculum pertinentia: præcipue de quodam presbytero, quem contra leges de Ecclesia eiecerat & alterum ibi constituerat, efficaciter & Episcopaliter monens, vt à talibus se præsumptionibus compescat: quia si non fecerit, ipse quod sacræ leges præcipiunt facturus sit in eum, & per omnia regna Episcopis vsque ad Papam Romanum, eum esse mandabit excommunicatum. Presbyterum vero aduenam, quem miserat in eadem Ecclesia, ab omni Remensi parrochia excommunicatum esse designat. Item vocans eum dilectum filium, & ideo sic eum vocare se dicens, vt talem se faciat, quatenus in eius dilectione recte manere possit, velut item præsul exoptat. Sed audiens eum non talem se exhibere, qualem * deberet erga Remensem Ecclesiam, de qua multa bona habebat, vt famulos ipsius Ecclesiæ inquietans cum pace non sineret degere, mandat illi ex auctoritate Dei & sanctæ Mariæ, & sancti Remigii, & sua Episcopali, necnon ex banno regis, cuius missus ipse pontifex erat, vt nullum impedimentum, vel ipse, vel homines sui hominibus Remensis Ecclesiæ faciant, nec per aliquod ingenium vel per consensum suum, sed si quid rationabile quærere volt contra potestatem Remensis Ecclesiæ, per legem quæra[t]. Quia si aliter fecerit,

[Margin notes: J. Consilium. — Ps. 140. — Ephes. 4 — decet.]

tam per Episcopalem auctoritatem, quam per missaticum regis, quod inde rectum fuerit sustinebit.. Excommunicat etiam quemdam Diaconum ipsius, qui aduersabatur famulis sancti Remigij & cætera. * *Theodulfo* Comiti, pro præsumptione Ecclesiastici ministerij, qua defuncto quodam presbytero abstulerat quæ idem presbyter in eleemosyna pro se dari præceperat, & insuper vsurpauerat quæ ad ipsam Ecclesiam iure relicta fuerant. Ostendit ergo manifeste, quam maximum crimen sacrilegij commissum sit ab eo: sed & quomodo contra humanas egerit leges, & quid inde fieri debeat, & qualiter Ecclesiæ in potestate & ordinatione sunt Episcopi secundum sacros canones, & imperialia capitula. Vnde mandat ei, vt iuxta sacras auctoritates, & regum præcepta, quidquid de facultatibus ipsius Ecclesiæ acceperat præsentialiter Ecclesiæ reddat, & presbyteris, quibus res commendatæ fuerant, restituat, deinde ad se veniat, vt inde medicinam accipiat, quatenus sanus fiat, dans illi spatium septem dierum postquam litteras ipsas acceperit, vt octaua die ad se veniat, quo vel si non est ita, debitam rationem reddat, vel si est ita, congruam satisfactionem agat: quod si non fecerit, exemplar istarum litterarum ipse regi transmittet, vt ille suum inde ministerium faciat, & postea idem Præsul suum exinde perficiet. Et quoniam audierat quod ipsam Ecclesiam idem Comes denominato pretio vendere pararet, adiecit: *Propterea scias* inquiens, *quia si vel vnum denarium tibi aliquis clericus pro ipsa Ecclesia, vel pro alia aliqua in mea parochia, per se, aut per immissam personam dederit, per me ordinatus in ea non erit. Si autem vis ibi habere presbyterum, adduc mihi talem clericum, qui aptus sit sacro ministerio, & ego illum inquiram, & illi Ecclesiam dabo, & tunc illum ordinabo, si mihi talis clericus satisfactionem fecerit, quod nullum pretium inde donauerit. Et si tu ita facere non volueris, ego ordinabo, qualiter populus ibi officium habeat, vsque dum ibi ordinem presbyterum. Cui si aliquod impedimentum contra diuinas & humanas leges feceris, & manifestum fuerit, presbyter ibi permanebit, & tu & omnes qui tibi consenserint, ab omni Christianitate vsque ad satisfactionem eritis separati. Hæc, care fili, ideo mando tibi & taliter commoneo, quia saluum & honoratum te cupio, & inter filios Ecclesiæ te in loco filii habere volo. Et si me coegeris, vt sicut Dominus dicit in Euangelio, sis velut Ethnicum & publicanum, non mihi, sed tibi reputare debebis. Postquam istas litteras dictaui, dictum est mihi quod matricularios à ministro meo constitutos de illa matricula eiecisti, & ibi * Bonarium misisti, & pro illa matricula in pretio vnum asinum accepisti. Quod si ita est, non solum criminaliter fecisti, quia contra omnes leges ecclesiasticum ministerium homo laicus vsurpasti, & eleemosynam, id est misericordiam pauperum, ac per hoc Deum, qui misericordia misererum est sicut Iudas proditor, vendidisti. Sed etiam turpiter in hoc nimis fecisti, vt de mendicitate, de qua mendici viuere debent, Comes & honoratus regis consiliarius in pretio asinum accepisti, & omnes qui hæc audiunt, pensare possunt qualiter de aliis causis pro amore & timore Dei, & reuerentia tui ministerii iuste & recte facis, qui de tali miseria sine vlla verecundia turpe lucrum requiris.*

(j. Theudulfo. — Matth. 18. — j Bonarium.)

Anselmo illustri viro, pro quodam presbytero, quem apud se accusauerat, sed ad denominatũ placitum non venerat: significans purificasse hunc presbyterum canonice seipsum à crimine coram missis ipsius Anselmi, in conspectu plurimorum tam clericorum quam laicorum, non tamen misisse, quia nec debuerit, in sacramentum plures sacerdotes ipsius testes. Hortatur autem & monet, vt omnem rancorem, quem contra præfatum presbyterum habebat, à corde suo expelleret, ostendens quantum malum sit odium retinere in corde. Interdicit etiam auctoritate Dei & sanctorum eius, vt eidem presbytero nullum præiudicium vel machinationem inferat, qui si fecerit, ipse inde suum ministerium faciet. Precatur etiam vt iustitiam Deo, sibique faciat de hominibus suis, qui presbyteris quibusdam testibus præmissi presbyteri ausi sunt iniurias intulisse: quia si non fecerit, & de ipsis quoque suum facturus sit ministerium. *Bernardo* Comiti Tolosano propinquo suo, pro rebus Remensis Ecclesiæ in Aquitania coniacentibus, quas ille in præstariam sibi concedi petebat: quod idem Præsul se facturum negat, quia non audeat, propter testamentum sancti Remigij, quod id omnino fieri prohibuerit. Vnde alteri quoque *Bernardo* Comiti * Rodomensi scribit, vt loquatur cum hoc Bernardo, ne res easdem suis hominibus in beneficium donet, vt eum fecisse audierat, & de inquisitione harum rerum, si rex iuberet, per ipsum agenda. Item præfato Bernardo Tolosano pro eisdem rebus, adiurans illum per Deum omnipotentem Dominum Iesum Christum, & per eius genitricem, sanctumque Remigium, vt nihil inde præsumat, nec vllum impedimentum mancipiis in iisdem consistentibus faciat: neque Bernardo Comiti Auernico, cui easdem commiserat ad defendendũ, inde molestiam ingerat: quia si fecerit, eum à liminibus sanctæ Ecclesiæ, & à communione fidelium cum plenitudine Episcoporum, tam Aquitaniæ, quam aliorum regnorum segregabit. Item admonens eum pro eadem re, vt conciliet sibi amicitiam sanctæ Mariæ & sancti Remigij de præfatis rebus, ostendens ex sacris auctoritatibus, quantum periculum sit res sacras iniuste retinere, caueatque ne Ecclesiasticum iudicium proinde mereatur in hoc sæculo, & æternam perditionem in futuro. Item quia præiudicium & non modicum damnum Remensi faciebat Ecclesiæ, ostendit eum prædamnatum à sacris canonibus sanctorum iudicio, & à se cæterisque Præsulibus, quorum res Ecclesiasticas vsurpabat: legationem pro hoc præiudicio directam, & tunc iterum cum imperatore ad Papam Romanum dirigendam, quatenus eius auctoritate congregata synodus, eum, cæterosque rerum Ecclesiasticarum peruasores damnationis sententia percellat. Ideo secundum Euangelicam auctoritatem prius eum Episcopali auctoritate commonet, atque per crucem Christi & sanguinem ipsius interdicit, ne de rebus Ecclesiæ Remensis sibi præsumat; neque à quocunque, nisi ad ipsarum, rerum contra peruasores defensionem, præsumi consentiat. *Engelramno*, Gostino, & Adalelmo Comitibus scribit mittens eis cum litteris suis litterarum regis exemplar; in quibus continebatur, vt episcopus conuocaret & laicos fideles regis, ad prohibendum vel resistendum Carlomanno Diacono regis filio, qui insurrexerat contra patrem suum: in quibus litteris, quærens quid eis super hoc regis sit agendum præcepto, designat non esse Carlomannum suæ prouinciæ, vt pote qui sit ordinatus ab Hildegario Meldensi Episcopo, & secundum canones non possit aliquid disponere de illo, episcopus quoque de alia prouincia conuocandi potestatem non habeat, sed neque suffraganeos suæ sedis tunc tempus habeatur conuocandi, cum dies instet Natalis Domini: & licet episcopi conueniant, & Carlomanno suas parochias interdicant, non sibi videtur vt pro eo quod cœpit dimittat, si alia potestas illi non contradicat. Considerandum vero monet rationabiliter, quid iuxta mandatum regis super hac re sit agendum, ne malum maius accrescat. Significans qualiter conueniendum, & alios eis sit conuocandum, dansque consilium vt idem Carlomannus aduersum se non prouocet Deum & patrem suum, Episcopos quoque regni huius, & populum ad iracundiam contra se, ne & in animo, & in corpore, tam ipse, quam illi qui eum secuti fuerint pereant. Ipse vero Præsul & hi Comites mittant ad regem, vt eum faciant, prout melius potuerint, illi placabilem: sin

(j Rodonensi. — Matth. 15. — sapa. *)

autem aliter eis videtur, sibi remandent, & cætera. Item eisdem pro hac ipsa re, designans bonum sibi videri fuisse consilium, quia non commouerint populum antequam simul loquerentur, considerantes si quid boni possēt inuenire cū Carlomanno, credens quia suum & ipsorum debeat obaudire cōsiliū, & cætera. Item Carlomanno, Goslino, & Conrado, pro iussione regis qua mandauerat, vt ipse Præsul cum cæteris fidelibus regis conueniret ad mandatum regis audiendum, & Carlomanno denuntiandum: designans vbi & qua die vel hora simul conuenire debeāt, & vt Carlomannus Goslinum & Conradum ad ipsos mittat: vel ipse Carlomannus, si placuerit ei, ad eosdem veniat, vt missaticum regis simul cum ipsis audiat, & ibi pariter considerarent, qualiter ei ad saluationem & honorem suum de cætero sit agendum. *Harduino* Comiti, pro causis supradictis de Carlomanno, quomodo tunc res se haberet; & quia obsides inter se dederant, & cum Carlomanno locuti fuerant, eique suaserant, vt pacifice in hoc regno degeret, ac veniente patre cum ipsis ei obuiam pergeret. Sed quia regem citius quam sperabatur audierat aduenire, quid idem Carlomannus tunc facturus esset se nescire fatetur. Monet tamen vt præparatus sit hic Comes ad mandata regis, si qua iusserit, exequenda. Item pro quibusdam malefactoribus hominibus cuiusdam Vuiperti, qui rapinas, incendia, & homicidia, & alia mala faciebant, commonens eundem Harduinum, vt cum fratre suo Hadeboldo decerret, quatenus hæc mala legibus emendentur, & cessent, ne ipsi, qui missi regis erant in hoc regno, pro talibus offensam illius incurrant: quod ipse quoq; certaret agere, nisi corporali detineretur infirmitate. Insuper & cum* Gaulfo regis fideli loquatur, qui hos malefactores recipere ferebatur, & ostenderet illi quantum periculum suum in eos recipiendo faceret, admonens vt à talibus deinceps se custodiret. Item de his quibus significauerat se accusatum apud regem, & quia* non expresse litteris eandem intimauerat accusationem, mandat vt ad se missum fidelem & rationalem dirigat, per quem rei veritatem diligentius agnoscere possit, & ei verum consilium dare, & ipsum inde in rebus pro viribus adiuuare. * *Maingando* cuidam amico suo, pro rebus sancti Remigij in Vosago coniacentibus, de quibus quidam homines quoddam mansionile conabantur auferre. Vnde iam missi regis Ludovvici requisierant, & inuenerant quod Remensis Ecclesia iuste illud teneret, & manifestum esse, quia infra fines illarum rerum, quas ibi sanctus Remigius comparauit, nulla potestas aliquid haberet, nisi Remensis Ecclesia. Vnde precatur istum, vt si res ipsas euindicare quiete potuerit ad partem huius Ecclesiæ, faciat: sin autem, vel detineat ne reddantur aut addicantur aliæ potestati, donec ipse & Luitbertus Archiepiscopus simul veniant, & secundum legem per Ecclesiæ aduocatum res rite diffiniatur. & cætera. Item pro eadem re, exhortans & petens, vt de ipsis rebus maiorem curam adhibeat. & cætera. *Erluino* amico etiam suo, pro præfatis rebus, & mansionib. quo supra. Item gratiarum referens actiones pro auxilio quod impendebat præmissis rebus & mancipiis, precans vt quod bene cœpit perficiat, & vt monasteria seruorum Dei pacem de præfata rebus habere possint, adiutorium præbeat, & vt quædam mansa, quæ ab ipsa potestate iniuste auferebantur, iuste reuocarentur, solatium adhibeat: mittens ei dona in auro & argento, & obsequium dignum tam speciale quam temporale promittens. Item significans quod audierat, pro eisdem rebus petens vt regi Ludouico suggerat, quatenus pro redemptione animæ suæ res quæ abstractæ sunt, Ecclesiæ Remensi restitui faciat, & eas ipsi Erluino commendet, ipsumque missum faciat ad inquirendam & peragendam de rebus ipsis iustitiam, mittens eidem Erluino quoque vasorum argenteorum munera. Item significans quod audierat quendam Lantfridum se iactantem, quia impetrauerat res præfatas apud Imperatorem Carolum, vt haberet ipsas, eodem domno Hincmaro consentente, in beneficium, quod per omnia dicit esse mendacium, nec obtinere posse apud se omnes reges qui sub cœlo sunt, vt illas res vnquam ab aliquo teneri consentiat, propter alligationes, quas sanctus Remigius in testamento suo disposuit. *Odalrico* illustri Comiti & amico suo, pro causa suorum hominum, quorum res Ludouicus rex Transrhenensis dominus huius Odalrici male tractabat, iniuste agens contra ipsos: monetque vt inde iudicium Dei regum regis timeat, & quod iniuste egit emendare procuret. Et quod audierat idem rex suasisse dominum Hincmarum regi suo, vt proprietates auferret, quas fideles Ludouici in regno ipsius possidebant, & ideo abstulisse ab huius fidelibus proprietates ipsorum, dicit non decuisse regem de Catholico & fideli suo episcopo talia credere, antequam veritatem inde cognosceret, & quia contradixerit etiam consiliatus regis, qui seniorem suum id hortati sunt agere. Ostenditque qualiter Carlomannus rex frater Caroli magni, villam Nouiliacum sancto Remigio tradiderat, & qualiter deinceps vsque ad id temporis eadem villa tractata fuerit: & quia de honoris & animæ periculo ei res agebatur, si fraudem rerum Ecclesiæ sibi commissæ consentiret, & periculum senioris sui regis illi celaret, qui nec etiam pro toto mundo suum gradum & suam animam perdere vellet, & cætera. Item gratias agens de his quæ pro petitione ipsius erga fideles eiusdem decenter executus fuerat, & quia in eius dilectione manebat, petens vt deinceps idem agere non desinat. *Bertranno* illustri comiti Tardunensis pagi propinquo suo, pro sacramento regi agendo, qualiter regi fidelitatem iurare deberent, quæ in ipsius comitatu consistebant. Item pro loco vacante sine presbytero, vbi sancta Patricia requiescit, moneat vt quantocius ministris ecclesiasticis clericum sacro ministerio aptum ostendat, qui valeat ibi ordinari, sciens pro certo, quia post ordinationem, quæ fieri debebat in proximo, ipsum locum sine presbytero non dimitteret: quia nec cum mercenario, nec sine pastore proprio ipsos homines audebat dimittere: & si ipse non præsentaneret eum, qui dignus possit inueniri, ille ordinaturus esset qualem meliorem potuisset inuenire. Item pro Haimone fideli suo, quem idem Comes ad placitum suum per bannum vocari iusserat, qui rege iubente in ipsius seruitium prouectus erat. *Bosoni* illustri Comiti, de agenda electione Silvanectensis episcopi, ostendens quod non sit sui ministerij quamcumque specialem designare personam, & cætera. Item *Bosoni* viro inclyto, gratiarum referens actiones pro rebus ecclesiæ Remensis in Prouincia sitis, quas vt sibi promiserat, tutabatur, monens vt se talem præparet, qualiter orationes ipsius & ecclesiæ sibi commissæ illi proficiant idque quod de ipso periculosum audierat, non tacens, videlicet quod res diuersarum ecclesiarum suis hominibus dedisset: vnde satis timendum esse denuntiat, ne orationes fidelium Dei pro ipso impediantur à clamoribus sanctorum in cœlis cum Deo regnantium, & cætera. * *Cerranno* Comiti, propter quendam hominem ipsius, qui grauia quædam commisisse ferebatur crimina, & quia non audebat ea domnus præsul indiscussa dimittere, precantur hunc propter dilectionem, vt eum ad se venire iubeat discutiendum ab ipso: quia si non fecerit distringetur grauius ab illo tam de ministerio episcopali, quam de missatico regis. *[illegible]emberto* illustri viro amico suo, precans pro Hincmaro ne-

j. Grimulfo.

j. omit non.

j. mansgaudo.

j. Go[illegible] no

pote suo, quem miserum appellat, vtpote qui pro excessibus suis tam grauia sustinebat, petensque vt illum in suis necessitatibus adiuuet. *Rainolde* Comiti, pro rebus Remensis Ecclesiæ, quas receptas se habere significauerat, & de manibus diripientium ereptas. *Theuderico* illustri Comiti, mittens ei nomina suorum in expeditionem, regisque seruitium properantium. Item pro muneribus argenti, quod regi moranti ad Dei seruitium in terra per paganos deserta mittebat. Item pro sollicitudine quam tempore Ludouici regis nuper defuncti susceperat idem Theudericus de filiis ipsius regis, ne moleste acciperet, si eum commoneret causa dilectionis, vigilem esse debere apud filios eiusdem regis. Ostendens quia non solum grandis præsumptio, sed etiam magnum periculum est, vni soli generalem regni dispositionem tractare, sine consultu & consensu plurimorum. Notificans quoque de his quæ sibi mandauerat, qualiter quondam inter reges Ludouicum, Lotharium, & Carlomannum fuerit actum, & qualiter tunc sit agendum: subiungens capitula quædam, quæ à tribus regibus, Ludouico, Carolo, & Lothario simul conuenientibus constituta & confirmata fuerunt. Item pro quodam Episcopo religioso, petens vt det ei locum loquendi secum, vt per ipsius interuentionem peruenire valeat ad regis præsentiam, & ea quæ rationabiliter postulauerit obtinere, & alia quædam scribit etiam eidem. *Hugoni* etiam filio Lotharij regis, significans se amicos & familiares habuisse patrem & auũ ipsius Lotharium imperatorem: & quia salutem ipsius optabat, ideirco quod audierat de periculo eius, causa dilectionis ei notum faciebat: multos scilicet prædones conspirasse & conspirare secum, ipsoque principe atque auctore innumeras & horrendas fieri deprædationes, aliaque multa scelera perpetrari, quæ omnia in caput ipsius redundarent: ostendens quam horrendum sit pro tantis sceleribus perpetuas pœnas mereri: demonstrans hæc eadem peruenisse ad synodum Episcoporum in Neustria gestam. Insuper etiam quod regni moliretur peruasionem: sibique mandatum de præfato conuentu, vt ad eum mitteret atque moneret (iuxta quod leges præcipiunt) à tantis malis resipiscere, ipsosque malefactores à se disiungere, & à seditione ac regni peruasione se cohibere. Si vero ipsius commonitionem & mandata synodi obaudire non vellet, tam suæ diœceseos, quam de vicinis prouinciis Episcoporum synodum conuocaret, & synodali Episcoporum sententia eum, suosque complices atque * fautores excommunicaret. Postea vero omnes hi Episcopi eamdem excommunicationem Romano Pontifici, & omnibus Episcopis ac principibus per circumiacentia regna notam facerent. Vnde monet eum tanquam filium, vt recogitet in quanto periculo sit, proponens ei diuinarum sententias auctoritatum, vt periculum suum recognoscere possit, hortansque ac monens, vt nulli adulatori credat ad peruasionem regni aggrediendam: inferens vt attendat, quid profuerit patruis eius, vt contra legem Dei regni peruasionem inceperint, & quod pater eius pro labore, quo contra Dei voluntatem laborauerat, & vitam perdiderit & regnum. Adijciens quod leges de peruasoribus regni præcipiant. Subiungens etiam, quod rex eidem promiserit, & ex parte ostenderit, cum se velle honoribus ampliare, & honoratum habere si culpa ipsius non fuerit. Admonens etiam, vt non auscultet hominum prauorum hortamenta neque imitetur malignantes, qui florent ad tempus, & cito sicut fœnum arescent, sed obaudiat scripturam sanctam veridice dicentem: Expecta Dominum, & custodi viam eius, &c. Subnectens quoque, vt sibi de his certam & veram responsionem remandet. *Engilgario* cuidam illustri litteras direxit huiusmodi.

Syn. in Neustria an. 877.

* fa-ctores.

Psal. 36.

HINCMARVS EPISCOPVS ENGILGARIO salutem.

PERVENIT ad nos, quia hominem tuum Ratbrannum irrationabiliter & inconuenienter periculosum sacramentum iurare fecisses, qui licet tibi seruitium debeat, tamen sub nostra cura & tu & ille de salute vestra esse debetis. Propterea mando tibi, quia valde miror te non intellexisse, grauius esse periculum, cum hominem aut suadendo, aut terrendo in periurium mittas, quam si te solum periurares: quoniam in te vnum periurium, immo pro periurio homicidium perpetrares: cum autem alium periurare facis, & te & illum perdis. Et ideo mandamus, vt si ita causa habetur sicut ad nos peruenit, ab ecclesia & altario te abstineas, donec ad nos venias, & de tali incautela aut dignam excusationem facias, aut dignam pœnitentiam accipias.

Lendovvico amico suo, pro rebus & mancipiis Remensis Ecclesiæ in Prouincia consistentibus, sæpe litteras direxit. Item *Letuarde* & *Hilduarde* aliisque in eodem pago degentibus, tam pro ipsis rebus, quam pro animarum salute scripta direxit. *Achadee* Comiti, pro rapinis quas audiebat ab eius hominibus fieri in ipsius comitatu, & pro villa Spantia, qua ille annonam Ecclesiæ Remensis auferre disponebat: notificans ei, quod si aliquid inde raperet, tam ipsum quam suos excommunicaret, & alienos ab omni Christianitate faceret, atque per suum missaticum, quod de illo Comite fieri debet, qui in suo comitatu iniustitiam faciat, exequi procuraret. *Amalberte* illustri Comiti, pro iniustitia quam audierat eum in suo perpetrasse iudicio, exigendo rex cuiusdam infecti ab eo, qui secundum commendationem ipsius eas in illius eleemosynam distribuerat, perhorrescens quod Christianus & moriturus admittere talia non expauerat, timens Dei futurum iudiciũ. Et ostendit per diuinam auctoritatem, quam graue perpetrauit flagitium, reducens ad mentis oculos, ne forte mercenarius, non pastor, haberetur: iniustitiam videndo & tacendo, & quia missus Imperatoris erat, & capitula ipsius pro defensandis aduenis & incestuosis habebat. Vnde tam eidem Comiti, quam omnibus exactoribus atque iudicibus, qui in hoc resederant iudicio, verbo Dei omnipotentis & banno Imperatoris, Episcopali auctoritate præcipit, vt eundem hominem nullus pro hac re condemnet, aut inquietet, vel contradictionem faciat, donec ipse Præsul per seipsum, vel per missos suos hanc causam diligenter inquirat, & secundum leges Ecclesiasticas & humanas hoc iuste & rationabiliter diffiniat. Denuntians quod quisque hoc contra Dei præceptum præsumpserit agere, primo secundum capitula legalia hoc eum emendare faciat: deinde secundum leges Ecclesiasticas illum à communione Christianorum vsque ad satisfactionem repellet. Denuntians etiam, quia quoscumque ad placitum suum venire mandauerit, vt hanc causam diligenter inquirat, & legaliter atque regulariter diffiniat, si venire neglexerint, post tertiam commonitionem ab omni Christianorum consortio vsque ad satisfactionem repellet; nisi rationabilem ostenderint excusationem. Adijciens de flagellis quæ * patiebantur multi, & ostendens quod ideo hæc tam duriter ex Dei verbo annuntiet, vt intelligant quanta sit offensa, in hac causa contra Dei præceptum, & sacras præsumere scripturas, admonens ne de peccatis alienis peccata sua accumulent. *Sigeberte*, pro præsumptione & præiudicio quod egerat pro quadã ecclesia cuidã presbytero: mandatq; & vt hoc præsentialiter emẽdet, & à talib. leuitatibus vel præsumptionibus se caueat: quia si non fecerit, suum de eo ministerium facturus sit, & cæteris Episcopis, vt idem faciant, notificabit.

* i. patiebantur mulus.

Quæ aliquibus reginis scripta miserit.

Cap. XXVII.

IRmingardi Augustæ scribens, congratulatur audito religionis ipsius feruore, asserens se in precibus assidua pro ea dependere munia. Item respondens ad literas quas ipsa sibi direxerat, significantes intimasse illi quosdam homines, quia per eiusdem Episcopi iussionem multa mala fierent erga res Auennaci monasterij, Berthæ ipsius imperatricis filiæ: asseuerans quod diabolus per eorum sit ora locutus mendacium, velut est pater mendacij. Si quid vero homines ipsius iniuste fecerint in rebus ipsius monasterij, non negat: tamen quia & ignorauerit, & non consenserit, nec voluerit, indicat. De quodam præterea manso, quod illa significauerat iniuste abstractum à præfato monasterio, asserit quod nulli homini, quantum sibi conscientia testimonium perhibebat, iniuste vnquam mansum abstulerit, sed apud regem pro eo penerit, & obtinuerit, vt missos suos dirigeret, qui diligentissime hoc inter Ecclesiæ Remensis & Auennaci monasterij possessiones æqua lance indagantes, decernerent. Nam ipse qui sua pro Christo dimiserat, nec vellet, nec indigeret: ea tamen quæ sibi commissa erant, sine ratione & lege negligenter dimittere non audebat. Adijciens esse multa de ipso monasterio, vnde ipsius, filiæque suę indigebat auxilio: petitque vt mittat missum suum strenuum & fidelem cum misso filiæ suæ, qui vna secum quæ corrigenda sunt ibidem corrigat, & videat quam intentionem & voluntatem ipse in talibus habeat, ne ipsis & sibi periculum, quod absit, exinde maneat: petitque vt animus ipsius sit semper sollicitus, ne alienæ linguæ facile credat, maxime de sacerdotibus Christi: quoniam diabolus, si non potest in alio, in hoc velit intentionem ipsius fuscare, vt eam faciat in opinione indebita sacerdotum errare. Denique quod adiecerat ipsa, se pro eo suggessisse animo Imperatoris Lotharij, contra ipsum fecisse illa testatur, non vt magnam & Deo deuotam decet facere coniugem. *Ego*, inquit, *scio quia ei multa de me dicta fuerunt contraria: sed si vult poterit cognoscere non esse vera: tamen eum non audeo reprehendere, quia Dominus est, nec in eius persona dico, sicut legitur in scripturis: Qui libenter audit verba mendacij, ministros quoque habebit impios. Videlicet qui de pijs erga eum voluntarie loquentur, impia. Qui illi ea dixit ex mea parte, quæ mihi mandastis, aliter quam verum sit dixit, male autem interpretatum est benedicta. Si voluisset cognoscere verum, & aliquis missus mihi de supra veniret, vt vera ex me cognosceret, sicut venit, & me qualemcumque Christi Domini sacerdotem suggillauit, libentissime sno animo satisfacerem. De meo autem misso sicut dominatio benignissima vestra mandauit, vt ad eum dirigam qui ei hoc affirmet, quod de eius infidelitate nihil velim tractare, estis quanta mendacia nunc per istud vadunt sæculum, & quanta sinceritas debeat esse in sacerdote, & quantum merito domno meo velim seruare fidelitatem. Et idcirco ne mali interpretes male bonum interpretentur, hoc adhuc facere non possum. Tamen si vult credere domnus meus Lotharius, potest veraciter cognoscere, quia non tantum illi, sed nulli homini in mundo sum infidelis, & si vult credere, credat: sin autem, cum ille inter principes, & ego inter Episcopos ante regem regum & Episcopum Episcoporum venerimus, tunc quid inde verum sit, plenissime sine aliensus indicatione cognoscet*; & Bertha abbatissæ Auennaci monasterij, pro impedimentis, quæ fratres ac seruientes monasterij Alsuillaris, aliarumque villarum Remensis Ecclesiæ patiebantur ab hominibus ipsius, postquam in hoc regnum illa deuenerat. Vnde petit vt diligentiam, studiumque adhiberi iubeat, ne tanta & sic insolita præiudicia hæc patiatur ecclesia de ipsius vicinitate, de qua solamen, & gaudium, pro ipsius bona vita & sobria conuersatione habere debebat. Quod si egisset, Deum proinde placabilem sibi faceret, & sanctam Mariam, sanctumque Remigium sibi conciliaret, ab ipso quoque obsequium Episcopale haberet. Si vero suos corrigere paruipenderet, ipse licet inuitus aures regis inde pulsaret: vt si necesse foret, vt in tantum causa excresceret, ministerium Ecclesiasticum, secundum regulas canonicas, in eam, suosque exereret. *Irmintrudi* reginæ, pro Beluacensis Ecclesiæ dispositione in pastoris electione: petens vt suggerat regi, ne à quocumque parte in quancumque animus illius indebite posset inflecti de huius ecclesiæ dispositione, donec ipse in eius seruitium veniens, quæ ipsi necessaria fuerint notificans, ipsius auribus pandat: & sic quæ Deo sint placita, & illis vtilia, Domino annuente, disponere procuret. *Rotrudi* Deo sacratæ, & cæteris sororibus monasterij sanctæ crucis, & sanctæ Radegundis, pro electione Abbatissæ ipsius monasterij, pro qua rex præceperat Frotario Archiepiscopo, & Erardo, atque Angeoldo ad præfatum monasterium pergere, & electionem regularé ibi facere: & si euocata concors congregatio, vel pars quamuis minor, tamen melior, Rotrudem elegisset, constitueretur in ordine Abbatissæ. Si autem omnis congregatio concors illam abiecisset, & aliam elegeret, illa quam concorditer elegisset, in ordine Abbatissæ maneret, donec regi renunciaretur, & quæcumque ibi fuisset electa, onus Abbatissæ susciperet, & Odila ad suum monasterium reuerteretur. Primores autem clerici & vasalli ad reginam venirent, sub cuius defensione, post Dei & sanctorum eius, consistere deberent. P*ropterea*, inquit, *diligite sorores ante omnia: & in priuatis collocutionibus, & in publico vestro conuentu, remittite & abijcite funditus à cordibus vestris omnes inimicas, & scandalorum fomites, quæ hactenus inter vos orta fuerunt: vt nulla de sorore sua vindictam, aut pro sermone, aut pro facto, vel pro aliquo despectu quærat, aut à Deo, aut in sæculo. Quia sicut Dominus protestatur, sine concordia quidquid ei obtuleritis non illi placebit: sine enim orauerítis, siue sacrificium obtuleritis, siue vos afflixeritis, sine hac caritatis concordia nihil Deo placabile erit. Quia sicut dicit Apostolus: Etiamsi tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et scitis quia regula quam professæ estis, propter scandalorum spinas, quæ oriri in monasterio solent, orationem Dominicam in matutinis & vespertinis officiis, ita vt omnes illam audiant, à priore orari præcipit, vt timentes conuenientiam qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, omni rancore in de corde nostro pellamus. Quia dum primi egeritis ne per vestram discordiam, quod absit, regularis electio de vestro monasterio pereat, adunate vos ad Dei voluntatem, & regulis deuotionis vnanimitatem, vestramque ipsam salutem, præsentem, scilicet atque æternam, cum caritatis concordia, quæ est omnium virtutum mater, & cum humilitate, quæ est custos ipsarum virtutum, atque cum vera obedientia, quæ scala est qua ad cælum pertingitur, & in vobis salubri electione concordate, & vosmetipsas ad regularem normam reducite, & constringite ac conseruate: quia aliter, sicut melius ipsæ scitis, saluæ esse nequaquam valetis. Et sicut animos ab inquietis motibus, ita & linguas à prouocationis iracundia, vobisque nociuis sermonibus custodite, contestante Apostolo: Omnis clamor & indignatio auferatur à vobis cum omni malitia, & omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Ne sicut solent homines prius dolore commoti, & postea aliquo gaudio, quasi victoriosi, obtinentes quæ desiderant, exhilarari, de quocumque homine, quæ non conuenium aliqua vestrum dicat: ne & patientiæ meritum inutilibus sermonibus coram Deo perdatis, & si aliquis fuerit, qui aliqua prouocatione quamcumque vestrum ad hoc instigare voluerit, vt quæcumque indebita de quocumque proferat, qualiter illam comprehendere possit, vt rationabiliter damnare præualeat, locum nec diabolus, nec astutus homo exinde aliquo modo habeat. Sed tales vos exhibe-*

Auenai. — Ioan. 8. — Prou. 29. — Matth. 5. — 1 Cor. 13. — Regula S. Bened. — Ephes. 4.

te, vt interius, exteriusque decenter ornata dignas atque exaudibiles orationes, & pro vobis, & pro senioribus ac domina vestra, proque non solum amicis vestris, verum etiam & pro inimicis, ad aures Dei mittere valeatis.*

[* in nostra.]

Teutbergæ abbatissæ pro ordinatione Auennaci monasterij, quam ipse quondam cum Irmintrude regina disposuerat, de numero clericorum & nonnarum, atque de rebus villarum ipsius monasterij, videlicet mille centum quinquaginta mansis: significans se disposuisse xx. clericos, & xl. nonnas ibidem consistere posse, victumque eis prouidisse, & res necessarias ac ministeriales instituisse præter luminaria, & cætera monasterij necessaria, ostendens quod Niuardus Remorum Archiepiscopus de rebus Remensis Ecclesiæ monasterium Altuillarense construxerit, & frater eius de suis proprietatibus, & quæ alij boni homines ad eundem locum dederunt, Auennacum exstruxerit monasterium, quodque ad Ecclesiam Remensem tradiderit, vnde & chartæ habebantur id aperte pandentes: sed per reginam donum, sicut & aliæ res huius Ecclesiæ, ab externis à longo retro tenebatur tempore, & cætera. *Richildi* reginæ, significans quod * quando Laudunensis parrochia Episcopo vacans in sua specialiter erat prouidentia, malefactúque sit de eleemosyna Irmintrudis reginæ per quemdam præpositum Orniaci monasterij, postea vero huic Richildi per VVinifridum presb. rerum contra sacras leges male sit obeditum, vt re regularis abbatissa de ipso eijceretur monasterio. Ostendit autem ex auctoritate sacra, quantum inde regina periculum habeat, & quia miserit ad eam qui moneret illam hoc euadere malum: illa vero non solum non emendauerat, sed malo peius supra addiderat, contra diuinam auctoritaté, neophitam scilicet in religione nouellam prouehendo ad regimen propter res terrenas acceptas ab illa. Adnectens, qualiter Hedenulfo Episcopo in Laudunensi Ecclesia ordinato, monuerit illum, vt suggereret regi Carolo tam perniciosum factum dissoluere, & se atque reginam à tanto discrimine liberare. Sed quia quod monuerat perduci ad effectum non viderat, ipse præfatum regem inde commonuerit: sed ille, ne reginam contristaret, quod male factum sciebat, non correxerit. Reducit etiam ad memoriam, qualiter præfatus rex, petente Irmintrude regina, de rebus tunc suis per consilium Parduli Laudunensis Episcopi, priuilegium ad idem Otiniacum monasterium à se dictari, & à cæteris Episcopis firmari rogauerit, & ipse rex confirmauerit. Hic autem Præsul iussioni regis obediens, non suis verbis illud priuilegium composuerit: sed sicut beatus Gregorius Papa de quodam monasterio à quadam regina ædificato, ipsa petente, dictauerat, & ipse quoque dictauerit, vel transtulerit, repetens maledictionem, quam domnus idem Gregorius contra præsumptorem illius monasterij iaculatus sit: adijciensque quod illa, quamdiu in hac præsumptione & malefacto permanserit, quotienscunque corpus & sanguinem Domini accipere præsumeret, iudicium, id est damnationem sibi acciperet: obsecratque monens illam, vt non sensus ipsius, aut alicuius suggestio eam decipiat, sed de remedio regis animæ, ac de redemptione sua cogitet, & quod male actum est corrigere festinet. Illud etiam quod audierat illam perpetrasse, scilicet quia præfatum priuilegium, & præceptum regale de ipso monasterio obtulerat, quantum malum fecerit pandit, & hoc ideo, vt se corrigat, ne damnationem incurrat. Et quia si res vt audierat, & mancipia de præmissa muliere neophyta acceperat, pro committendo regimine monasterij, Simoniacam hæresim incurrerit: & quod quamdiu eidem hæresi quisque fauerit, in corpore vnitatis Ecclesiæ Catholicæ coram oculis Domini esse nequibit: monens vt legat capitula regulæ sancti Benedicti de ordinatione abbatis vel abbatissæ, & inueniet, quam grauiter pro hac ordinatione in Spiritum sanctum, quo ipsa regula est promulgata, peccauerit: ex diuinis institutionibus propalans, quantum periculosum malum, tam ipsa regina, quam emptrix illa subierint: petens, vt quæ ille ex debito ministerij sui cum gemitu scribit, pro salute ipsius & remedio animæ regis, benigne suscipiat, & quia magna ex fidelitate hæc scribere curauerit, agnoscat.

[Richild vidua Car. Calui. ms quondam.] [1. Tim. 3] [Greg. li. 12. ep. 10.] [1. Cor. 11] [Reg. S. Bened. c. 2. 64. & 65.]

LEVTGARDI Ludouici Transrhenensis coniugi, pro suis missis, quos ad eumdem Ludouicum regem mittebat, vt per eius interuentionem ad illius præsentiam peruaniret, & eius intercessione ac dispositione rex idem strenuos missos ad Remensem dirigeret vrbem, qui eam & monasteria sibi subiecta saluare possent ab impetu superuenientis exercitus Transrhenensis. IRMINGARDI coniugi Bosonis inclyti viri, pro rebus Ecclesiarum Dei, quam audierat sufficienter litteris sacris imbutam ab Anastasio quodam didascalo. Vnde petit vt qui eam dedit scire det bonum velle, posse, atque perficere. Monens vt horreret virum suum, timere Deum, & eius custodire mandata. De rebus etiam Ecclesiasticis, quas sicut audierat ab Ecclesiis abstractas suis hominibus diuiserat, vt ostendat illi ex scripturis sanctis quam graue iudicium proinde sit à Deo prolatum, cætera. Item *Berthæ* vxori Gerardi Comitis pro rebus Ecclesiæ sibi commissæ in Prouincia sitis quas eidem Gerardo tuendas atque ordinandas commiserat: petens vt ipsa strenua sit interuentrix apud coniugem suum pro rebus eisdem. *Irminsindæ* cuidam matronæ, pro quodam Diacono, quem illa comprehendi iusserat, & in seruitium suum redigi, reddens rationem qualiter idem Diaconus liber legitime factus fuerat, & quomodo eius recipiens libertatem Diaconum licenter ordinauerat: ostendens quod si seruus ipsius fuisset, neque libertatem habuisset & tanto tempore post ordinationem suam sine illius repetitione mansisset, secundum sacras leges iam in seruitium repeti non posset: quanto minus ille qui colonus Ecclesiasticus, & non alicuius seruus fuerat, & legaliter liber factus, canonice ordinatus, & Ecclesiæ atque ordinatori suo proprius erat effectus, monetque vt talé præsumptionem vlterius de ipsa non audiat, quia si hoc illa præsumeret, ipse hoc legaliter atque regulariter vindicare studeret, adijciens eam se aliter commonere, quia caram familiariter, ipsam habebat.

Quæ sibi subiectis monita salutis ediderit.

Cap. XXVIII.

Sibique quoque subiectis nonnulla scribens, vt pater filios, de multis solerter instruit necessarijs, tam spiritualibus quam temporalibus. *Rothaldo* Chorepiscopo, & Rodoaldo Archipresbytero, pro Synodo comprouinciali apud Carisiacum palatium regium habenda: mandans vt notum faciant omnibus per omnem parrochiam Remensem, vt qui se læsos existimant, ad ipsam synodum conuenire procurent, quosdam vero cum auctoritate inuitent, & venire commoneant. Sed & Milonem cum filia, qua Fulcricus abusus fuerat, & omnes qui consentanei fuerunt in illa indebita coniunctione presbyteri, & in quorum parochiis consistebant, ex verbo Dei, & suo, atque ex banno regis ad eamdem synodum conuenire iubeant. *Ansoldo* Gerolo, & Hadrico, pro inquisitione cuiusdam fratris Ragamfredi ministerialis sui & vt, si necesse esset, libera saluaque custodia detineretur, ne aufugeret, sibique adduceretur. Mandans etiam eidem Ragamfredo, ex auctoritate Dei ac sua præcipiẽdo, vt

[De hac synodo supra c. 24]

cum ipsis io eadem permaneat inquisitione. Cui etiam postquam recessetat, in alienis parrochiis immotanti litteras mittit, reuocans eum auctoritate canonica, vt ad Metropolim suam redeat, & eius se humilitati repræsentet: vel si de ipsius iudicio quæritur, synodo regulari adesse festinet. *Gisloldo* Canonicorum Præposito, pro facultatibus sibi commissis, & indebite vsurpatis, qui pro hac te inregulariter ab ipso discesserat, monetque auctoritate canonica vt redeat, & de his, quæ illi opponebantur, satisfacere studeat. *Theodacro* quoque Præposito, pro eodem Gisloldo, pro quo Irmintrudis regina precabatur, vt partem collaborationis, suæ quæ rationabiliter ei competebat, dari iubeet: siqua vero illi debebantur in hoc Episcopio, eidem redderentur: quod & idem Episcopus fieri iubet, & quia dixerat se missaticum habere ex parte reginæ ad Canonicos, mandat vt si venerit ad eos, sicut missus reginæ venerabiliter suscipiatur. *Gerardo* Decano, pro quodam Radulfo excommunicato, qui ad se venerat petens pœnitentiam. Cui præcipit vt Remis eamdem accepturus, veniret cum fœmina sanctimoniali, quam sibi coniunxerat. Iubet autem huic presbytero, vt commendet aliis presbyteris, quatenus magnam sollicitudinem de illis accipiant, quatenus scilicet, si quilibet eorum infirmitate præuentus fuerit, de qua se putet euadere non posse, si promiserit quia de peccaro suo ex corde pœniteat, & per dignos pœnitentiæ fructus illud se coram testibus emendare, ac Episcopi iussioni obedire profiteatur, absolutus existat. *Siglaardo* Archipresbytero, Ansoldo quoque & cæteris quibusdam, quos inquisitionem facere de quodam presbytero iusserat: quibus hunc ordinem in eadem inquisitione tenere præcipit, vt quoniam, audierat eumdem presbyterum suis quibusdam facultatibus contra leges expoliatum, suis omnibus reuestiretur, antequam suis accusatoribus respondere cogeretur: ne contra legem ficret, & ipse Præsul à presbytero legem tollendo, eamdem quoque sibi auferret: præcipiens etiam, vt si Comes ipse presbyterorum rebus exspoliari iusserat, hoc illi emendare per vadium faciat, disponens qualiter inde fiat. Si vero ipse Comes hoc fieri * negauit, ipsi qui ab eo res suas abstulerunt, eidem presbytero legibus emendent, de pœnitentia illorum ipse Præsul dispositurus secundum illorum recognitionem. Quod si Comes ita facere noluerit, renuntient illi, vt ipse hoc iodicet regi. Postquam hæc acta fuerint, ita rationem huius aggrediantur iudicij, vt prouideant ne per ignorantiam accusatores ipsius presbyteri rem talem alicuius impulsu præsumant, vnde damnari possint, sicut prouideri debet, ne presbyter iniuste damnetur. Post hæc adiurent accusatores vel testes eorum, non illorum baptisma, & alias diuersis adiurationibus, ne odio, vel inuidia, aut timore alicuius, vel hortamento de ipso presbytero mendacium proferant, nec pro gratia, vel amore, aut præmio inde veritatem reticeant. Notificetur etiam eisdem accusatoribus & testibus, quales personas ad accusationem presbyteri, vel ad testimonium super eum sacri canones recipi non permittunt, & qualiter discuti debeant & accusatores & testes. Omnia vero quæ accusatores vel testes de singulis causis testificati fuerint, describantur, & coram omnibus legantur, vt ita suisse dicta comprobentur. Describantur quoque omnes qui in ipso placito fuerint, tam de presbyteris quam de laicis, prout necessitas esse visa fuerit. Et vt accusatores suam præsentiam, testes vero iuramentum iure polliceantur se daturos in proximo placito, quod canones presbytero donent ad licentiam se defendendi vel respondendi. Quod placitum eidem presbytero denuntietur

j. non rogauit.

A ad triginta dies, vt ita præparatus veniat, quo se vel canonice purificet, vel conuictus fiat. Quod si non fecerit, canonicam se suscepturum sententiam sciat. Mittant quoque bannum, Dei & sacrorum canonum auctoritate, regisque ac præsulis interdictione, vt nemo ipsi presbytero vllas insidias præparet, aut aliquam violentiam faciat: sed nec eius accusatoribus vel testibus, donec ista causa legalem diffinitionem accipiat, præcipiens etiam quod fieri deberet de illis, hominibus qui altera vice, quando ipse presbyter fuerit accusatus, iurauerunt, & suum sacramentum iudicio approbauerunt, tunc autem se periurasse dicebant. De terra quoque Ecclesiæ pertinenti, vnde contentio ventilabatur inter Canonem & presbyterum, quod fieri deberet, & vt ius quæ mandabat Comes, obediret: aut si nollet, proinde ad placitum coram rege & fidelibus ipsius, tam Episcopis, quam laicis veniret. Quod si presbyter alius obedientibus obedire nollet, ad synodum comprouincialem canonice prouocaretur. Item *Siglaardo* & Ansuldo, pro eadem inquisitione, succensens eos, quod negligenter illam sint executi. & cætera. Item pro quodam presbytero, qui ea quæ de suo ministerio quondam didicerat, post ordinationem suam per incuriam fuerat oblitus, vnde iusserat eum aliquamdiu sub custodia reclusum seruari, vt saltem per hoc amaritudo aliqua mentem illius tangeret, & à peccato purgaret, & cætera. Item pro ieiunio triduano, quod rex cum Episcopis & cæteris fidelibus suis disposuerat fieri pro pace sanctæ Dei Ecclesiæ, qualiter fieri deberet. Item pro quodam presbytero Auennaci monasterij qui denotabatur super thesauro ipsius Ecclesiæ dudum perdito. Item *Siglaardo* & Rodoldo, pro quodam presbytero, cui consenserat, suadente Sigloardo, vt libello suæ professionis à regimine plebis sibi commissæ recederet se alienum, & alium in suo loco expeteret ordinandum: sed colludium quod habebat factum sibi celauerat, videlicet vt alumnus eius, sine consensu senioris sui, in loco ipsius ordinaretur, & qui xenium teuadiare dolose fecerit, vt eumdem suum alumnum, contra Episcopale interdictum, & cætera quid inde fieri debetet exequentia. Item *Siglaardo*, pro presbytero Ecclesiæ sancti Iuliani, qui furatus fuerat lampadem sancti Remigij, vnde aliter de tedarguit istum, quia id factum comperetar, & sibi tacuerat: cum idem Præsul vices suas eidem Sygloardo, teste Domino, commendauerit qui eumdem presbyterum io ercissima custodia deberet retrudere, non per fideiussores dimittere quod quia prius non fecerat, vel nunc faciat. Carcer quoque firmiter à Vice domino testauretur, & custodes, si necesse fuerit, adhibeantur. Item *Rodoldo*, succensens eum pro eo quod incaute soluerit quod ipse Præsul canonice alligarat, & alios presbyteris missam celebrare permiserit in quadam capella Basilicæ cordis Ecclesiæ subiecta, præcipitque quid inde fieri debeat * *Ansolmo* cuidam Monacho, præcipiens vt describat omnia, quæ in monasterio, vt videtor, Altuillatensi, ante ipsius Præsulis ordinationem facta vel collata fuerunt, & quæque postea: nomerum quoque fratrum ac famulorum eis seruientium, & si qua exinde suo tempore dispensata fuerunt, & in quos vsus, vel per quas personas, & ita veraciter omnia describantur, vt missi dominici nihil ibi falsum possint inuenire. *Ratramno* præposito monasterij Orbacensis similiter. Item Ratramno pro quadam præstaria, quam Amaltaus canonicus habuit, & ipsius obitum collaborationem eius idem Præpositus diripi iusserat. Quapropter excómunicat eum, in pane & aqua constituens tamdiu, quã complices eius in hoc facto, donec restituantur hæc

l. Anselmo.

B

C

D

quæ

[ms. Althario.] quæ iniuste abstulerant. * ALTHARIO cuidam sacerdoti vel decano, pro presbytero de Ecclesia Vindonissæ, quem Leutardus senior ipsius villæ legem & omnem auctoritatem de ipsa expulerat Ecclesia, & alteri presbytero ex alio Episcopatu eamdem Ecclesiam commiserat. Quem presbyterum super inductum excommunicat, ne in omni Rhemensi parochia missam celebrare præsumat, neque communionem Ecclesiasticam accipiat, nisi forte munus viaticum, grauis ægritudinis causa, & hoc ita, vt mox si conualuerit, de parochia ista recedat. Parochianis autem ecclesiæ prædictæ auctoritate Dei præcipit iubet, vt nullius presbyteri missam in eadem Ecclesia audiant, nisi illius iniuste expulsi presbyteri, donec ipsius causa diffiniatur, nisi forte idem presbyter pro infirmitate eis missam celebrare non potuerit, & cætera. ALTMANNO monacho atque presbytero, quem procul obedientiæ causa direxerat, pro his quæ inuenerat in quibusdam litteris sibi per hominem quemdam, Harduici Archiepiscopi datis: scilicet reputari eidem Altmanno, aspirare velle ad beneficia, & negotia sæcularia, quæ non conuenirent eius professioni & saluti. Vnde præcipit, vt quantocyus ad monasterium suum redeat, vbi lectioni & orationi, deflendo delicta suæ iuuentutis, vacare procuret. & cætera. LANTARDO cuidam sacerdoti, qui de parochia Rhemensi Ebonis Episcopi causa discesserat, quem petit vt si qua, prout audierat, de vita & actionibus B. Remigii apud eundem habebantur conscripta, præter illa quæ ex antiquo de Ecclesia Rhemensi legebantur, ea quantocyus aut ipse sibi afferat, aut sub sigillo transmittat, offerens se postea eidem in quibuscumque indiguerit promptum, & prodesse paratum. Si vero ad locum suum redire voluerit, eum libenter atque benigne recipere, & mox vt venerit, canonicam præbendam & ordinem pristinum inter fratres concedere, & secundum quod sibi commodum, & illi opportunum fuerit, solatium, vt cum apud se manere delectet, impendere: pandens rationem, vnde ille metuere ferebatur, quare scilicet ipse ordinatos ab Ebone post suam depositionem, à gradibus acceptis remouerit, & qualiter postmodum sententiam suam temperauerit. RODOARDO Præposito, & cæteris fratribus Canonicis Ecclesiæ Rhemensis, pro receptione Odalhardi & VValtani nepotum [Odelardi, & infra.] Isaac Episcopi Lingonensis, qui ab ipsa congregatione irregulariter discesserant, præcipitque quo modo recipi, & qualiter haberi vel conuersari debeant: quibus etiam pro reuersione ipsorum commonitorias direxerat litteras. Pro receptione quoque * Adalgaudi [ms. adalgaudi.] diaconi tam Canonicis, quam monachis scribit, ostendens eum qui se recognouerat per suam negligentiam ipsius offendisse animum, se in gremio suæ dilectionis & paternitatis recepisse, quemque benigne ac familiariter fratrem & filium suscipi, & benignitatis ei beneficia iubet impendi. Pro quo rex etiam Ludouicus precatorias et per eumdem direxerat. ROTFRIDO Præposito, pro * correctione Odelcalci monachi, quem audierat inobedientem existere, [l. correptione.] & duris moribus, suæque voluntatis esse pertinacem, dans exempla sanctæ auctoritatis, quæ illi legerentur vt se corrigeret. GONTARTO & Odelhardo Archipresbyteris, commonitorium ministerio ipsorum aptum describit in capitulis tredecim * GONTRAMNO [l. Gontramno.] Præposito, pro famulis monasterii sibi commissi, qui suas terrulas & debita sibi stipendia querebantur auferri ab eo, quod emendare secundum quod iustum fuerit, iubet GOTHESCALCO monacho, qui erat prolapsus in hæresim, de quibusdam sententiis auctorum, quas ille non bene intelligebat vel exponebat, maxime Prosperi, quarum sensum per sententias præcipue beati Augustini exponit, & cæteros idoneos proponit testes Apostolicæ fidei doctores: quorum sequendam in omnibus admonet esse doctrinam, ostenditque testimoniis manifestis, Deum & bona præscire & mala, sed mala tantum præscire, bona vero & præscire, & prædestinare. Vnde præscientia esse potest sine prædestinatione: prædestinatio autem non potest esse sine præscientia: & quia bonos præsciuit & prædestinauit ad regnum: malos autem præsciuit tantum, non prædestinauit, nec vt perirent sua præscientia compulit. Cui diffinitioni subscribere idem Gothescalcus pertinacissime recusauit. SCRIPSIT quoque idem domnus Hincmarus ad monachos Altuillarensis cœnobii, pro eodem Gothescalco, vt si se recognosceret, antequam anima illius egrederetur de corpore, & spiritalem & corporalem humanitatem exhiberent illi, ostendens auctoritatem Ecclesiasticam ex verbis orthodoxorum super huiusmodi excommunicatis. AMALGISO & Ragberto fidelibus suis, pro rebus Ecclesiæ suæ in Aquitania sitis, pro quibus Reginmundo litteras miserat, deprecans vt eisdem missis suis adiutorium pro rebus ipsis euindicandis impenderet, præcipitque istis, vt easdem res ex integro recipiant, & habeant in sua prouidentia. PETRO fideli suo, pro rebus in Prouincia consistentibus, mittens ad eum quosdam fratres, qui cum ipsius consilio de fidelitate sua & vtilitate rerum tractarent, & res ipsas ac reditus atque facultates ipsarum disponerent. Et quia audierat, quod quædam sine consilio ipsius Petri exinde facta fuissent, quasi ex eius auctoritate, excusat se non id iussisse, nec voluisse; mandans ei per capitula, qualiter easdem res disponi volebat, & quæ personæ ab ipsis rebus, & de quibus villis ad se venire deberent. EVRARDO sororis suæ Hildegundis filio vel genero, instruit scripto qualiter erga Ludouicum regem Transrhenensem se gerere deberet, ne suum alodem, quem in Alemannia habebat, ab eo auferret, pro eo quod ipsius dominium idem Eurardus dimiserat. Pro quo etiam præfatæ sorori suæ scribit, petens vt illius domum prudenter ordinet atque disponat. PLERISQUE quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus, pro rebus ministeriorum suorum nonnunquam, scribens, prudenter atque rationabiliter disponebat qualiter res sibi commissas tractare deberent. Generaliter etiam omnes sibi commissos tam verbis, quam litteris instruens, edocebat qualiter iuste, pie, & caste viuerent, quam reuerenter atque deuote ieiunia constituta tractarent: pro his qui obiissent, tam Episcopis, quam aliis quibuscumque personis, qualiter Domini clementiam exorarent, & vt personæ Deo placitæ in vacantibus eligerentur Episcopus, tam ieiuniis quam orationibus Dominum postularent. In diuersis quoque synodis capitula nonnulla, & valde vtilia edidit, suisque seruanda dedit. Diuersis necnon Ecclesiis suæ diœceseos, maxime si contigisset pastoribus viduari, consolatoria dirigens scripta, qualiter à Deo primum huiusmodi solamen requirerent, instruebat: qualiter etiam à terrenis principibus liberam sibi concedi quærerent electionem, & vt impetrarent tam per seipsum, quam pec litteras & legatos suos elaborare studebat. Impetrata vero qualiter exercerent, & quomodo immunes ab omni peruersitatis fraude seipsos in exequendo custodirent, data forma electionis docere curabat, ad nullam specialiter intendens personam: sed quæ concorditer ab omnibus, vel vtiliter à pluribus ac melioribus eligeretur, attendens.

De libro edito à se qualiter Domini vel Sanctorum sint imagines venerandæ, &c.

Cap. XXIX.

SCripsit etiam librum flagitantibus coëpiscopis fratribus suis, qualiter imagines Saluatoris nostri vel sanctorum ipsius venerandæ sint, cum epilogo quo-

dam metrice digesto. Respondet quoque ad interrogationes, cuiusdam: cur Apostatæ baptizati, & impositione manus Episcopalis consignati, extra ordinem diaconij vel presbyterii, ad agendam pœnitentiam manus impositionem accipiunt. Scribit & cuidam Archiepiscopo de præcipuis tractans sacramentis humanæ salutis. Item cuidam Episcopo, ad interrogata ipsius respondens de ordinationibus Episcoporum, vel translationibus de ciuitate ad ciuitatem: & de Actardo Namnetensi Episcopo, qui expulsus à quodam Britonum duce, in vacante Morinensi Ecclesia aliquamdiu demoratus, petente clero ac plebe prouinciæ Turonensis, & conuenientibus Episcopis, in eadem Metropoli fuit incardinatus. Item cuidam fratri, de homine, qui cum quadam fæmina concubuit, & postea sororem ipsius in coniugium duxit. Scribit etiam Apologiam pro se, cunctis eam legere volentibus contra eos qui calumniati sunt illum apud Iohannem Papam, qui synodum habuit * Trecas, à quo & benigne idem Præsul suscipiebatur, quibus & in synodo tunc respondit pro tempore, postmodum vero excusare se litteris non neglexit, asserens se decretales epistolas Pontificum Romanorum venerabiliter suscipere atque tenere, cum calumniarentur inimici: has eum nolle ad auctoritatem recipere. Item de Nicæna synodo, & de abiectione vel restitutione Hincmari Laudunensis Episcopi. De hoc quoque quod calumniabantur eum dicere, non maioris dignitatis esse Papam Romanum, quam existeret ipse. Sed & de Karlomanno, & aliis conuiciis sibi per calumniam illatis, de quibus eum veritas excusabilem reddidit. Scripsit præterea plura, ad quæ nos enumeranda sufficere non putamus.

Debiu supra c. 21.

j.1 Trecas.

De translatione corporis sancti Remigij à monasterio ipsius, & obitu Hincmari Episcopi.

CAPVT XXX.

Aimonius lib. 5. c. 42.

EXcrescentibus tandem flagitiis, contra quæ veluti murus inexpugnabilis semper obstiterat, gens Normannorum per omne Francorum diffunditur regnum. Et quoniam ciuitas hæc tunc absque muro habitabatur, accipiens ille quod sibi carius in thesauris habebat, corpus videlicet beati Remigii, syluestria loca trans fluuium Matronam expetiit, & apud villam Sparnacum idem sacrum corpus aliquamdiu custodiuit. Denique dum ibidem moraretur, apud eamdem villam diem clausit vltimum: cuius corpus ad monasterium S. Remigij relatum, & post ipsius sancti tumulum in sepulchro, quod ipse sibi præparauerat, est sepultum. Cuius Epitaphium ab eo dictatum habetur huiusmodi.

Nomine, non merito, præsul Hincmarus, ab antro
Te, lector, tituli quæso memento mei.
Quem grege pastorem proprio Dionysius olim
Remorum populis, vt petiere, dedit.
Quisque humilis magna Remensis regmina plebis
Rexi pro modulo, hic modo verme voror.
Ergo animæ requiem nunc, & cum carne resumpta,
Gaudia plena mihi hac quoque posce simul.
Christe tuo clemens famulo miserere fideli:
Sit pia cultori sancta Maria tuo.
Dulcis Remigij sibimet deuotio prosit,
Quæ te dilexit pectore, & ore, manu.
Quare hic subpetiit supplex sua membra locari,
Vt bene complacuit, denique sic obijt.
Anno Dominicæ incarnationis Dccc.lxxxij.
Episcopatus autem sui xxxvij. mense vij. & die quarta.

LIBER QVARTVS FLODOARDI HISTORIÆ REMENSIS ECCLESIÆ.

De Episcopatu Fulconis, & quæ scripta quibusdam Romanis Pontificibus direxit.

CAPVT I.

PRAEMISSO viro Dei ad patres suos opposito, successit in Episcopatu Remensis Fulco vir valde nobilis, & palatinis assuetus officiis: qui fidei suæ tenorem MARINO Papæ delegans, pallium ab eo, antecessorum suorum de more, suscepit. Cui etiam litteras misit pro concedendo debito Remensis Ecclesiæ priuilegio, atque pro commendatione regis Karlomanni, in quibusdam se significat ab eodem Papam dudum fuisse cognitum tempore Iohannis Papæ, quando cum Karolo imperatore idem Fulco fuerat Romæ. Item pro quodam monasterio, quod frater ipsius, nomine Rampo, ab eo construi testamento delegauerat ex rebus suæ proprietatis, quas postea Erminfridus quidam peruaserat, qui vxorem ipsius Ramponis viduam sibi copulauerat. Pro quo idem Papa Eurardo Senonensi Archiepiscopo, in cuius parochia idem constructum fuerat monasterium, litteras direxit. Sed & Iohanni Archiepiscopo Rotomagensi, in cuius idem Erminfridus diœcesi degebat, præcipiens vt eum admoneret ab hac sacrarum rerum peruasione cessare, quod si facere nollet, canonicam subiret vltionem. ADRIANVM quoque Papam ipsius Marini successorem litteris initio Pontificatus eiusdem visitare studuit, congaudens ipsius honori, & se Romam velle petere significat, si Deo pacem tribuente, valuerit. Exemplaria quoque priuilegiorum à Leone, Benedicto, & Nicolao Pontificibus Romanis Remensi sedi concessorum huic petit recitanda, & ab eo sibi conseruanda, & roboranda, atque augmentanda. De præfato quoque monasterio, cuius res prædictus Erminfridus inuaserat, suggerit, vt præmissis etiam Archiepiscopis Aurardo & Iohanni suæ auctoritatis præceptionem dirigat, iubens quid in eum fieri debeat, &c. Item pro commendatione præmemorati regis Karlomanni, atque pro defensione Frotharii Bituricensis Archiepiscopi, qui ferebatur accusatus apud eumdem Papam per quemdam suæ diœceseos monachum: quod scilicet post suæ ciuitatis deiectionem à paganis factam, in alterius sedis inuasionem temere insiluerit. Ostenditque quod ab Episcopis ipsius diœceseos, omnique clero & populo eiusdem ciuitatis sit petitus & electus, & quod prædecessor ipsius Marinus, ad eorum petitionem, pium in hoc præbuerit assensum, insuper & pallio eum donauerit, & ipsius in Bituricensi Ecclesia promotionem scriptis roborauerit, &c. STEPHANO quoque huius Adriani successori litteras mittens, gratiarum actiones referre curauit, quod eum & Ecclesiam ipsius litteris Apostolatus sui visitare, & inter varias mundi pressuras consolari dignatus fuerit, & quia fratris eum & amici vocabulo voluerit honorare, quod ipse tamen nolit appetere, sed magis seruus & subiectus existere. Significatque se ad ipsum Papam videndum properasse, nisi paganorum vallaretur obsidione: hosque deno tantum miliario à sua ciuitate abesse, ciuitatem quoque Parisiorum ab ipsis tunc obsideri. Hanc infestationem

Marino Pap.

Iean. Greg.

Adr. III.

Leo. Bened. III. Nicol.

Steph. VI.

huic regno ab octo annis iam præteritis inferri, vt nemini extra castella procul liber aditus patere videretur. Addit denique, audisse se de insidiis quorumdam pestilentium, quas ipsi Papæ moliebantur, & satis ægre tulisse, opemque ferre, si licuisset, optare, vnum quod quibat agere, precibus videlicet pro eo insistere. Pro VVidone quoque affine suo, quem idem Papa in filium adoptauerat, memorat tam se quam cæteros consanguineos suos, quibus id notificauerat, debitam exhibituros eidem Papæ reuerentiam. De eo etiam quod illi scripserat, roborare se promptum fore quæcumque necessaria Dei Ecclesiæ significarentur, eius suggestionem se multum per omnem modum effecisse ipsius fidelitati obnoxium, seque cum suffraganeis coëpiscopis in cultu debito sanctæ sedis Romanæ perseueraturum, & si quid contrarium sanæ fidei contra ipsam emerserit, omnimodis, confutare, Deo auxiliante, paratum existere. Sedem vero Rhemensem notum habeat ab antecessoribus suis * potius Gallicanis omnibus Ecclesiis semper fuisse honoratam: vtpote cum primus Apostolorum beatus Petrus primitus distinauerit huic vbi sanctum Sixtum Episcopum, & totius Gallicanæ regionis dederit ei primatum. Hormisda quoque Papa sancto Remigio vices suas in Galliarum partibus commiserit. Hoc ideo se commemorare, ne sedes Rhemensis suis in diebus sineretur dehonestari: annectens etiam de priuilegiis sibi in cunctis quæ petit ab huius prædecessoribus Marino & Adriano concessis. Itemque de iam dictis rebus Ramponis, & earum peruasore, præmissi Pontifices iusserant ab Archiepiscopis Senonicæ ac Rotomagensis vrbis excommunicari: quibus eamdem excommunicationem differentibus, idem peruasor adhuc rapta possidebat. Vnde petit, vt Apostolica ab ipso feratur sententia, præcipiatque hic Papa præfatis Archiepiscopis, ne vllam, in eumdem excommunicando afferant amplius dilationem. De quibusdam præterea rebus Rhemensis Ecclesiæ, quas quidam abstulerant inuasores, poscit, vt ipse Papa suggerat imperatori Karolo, qui iam magnam ex his partem restituerat, vt bonum quod cœpit eius precatu perficiat, & de his quæ egit ipse gratias exagere dignetur, & cætera. Ad quæ ille respondens asserit oppido se fuisse lætatum, quod eum circa sedis Apostolicæ reuerentiam cognouerit anhelare, hortans vt in hac dilectione semper ardentius accendatur. Memoriam quoque VVidonis ducis gratissime se suscepisse, quem vnico loco filii se tenere fatetur. De Nordmannorum infestatione, quam regnum nostrum patiebatur, dolere vti propria: Deumque deprecari pro huius populi defensione per Apostolorum principum interuentionem, & vt incolumis hic Præsul perducatur ad Apostolorum limina: quatenus etiam corporeis eum valeat vlnis amplecti, & conferre de priuilegiis, de quibus sibi scripserat. Ad Archiepiscopos etiam quas petierat litteras se direxisse: nec non ad Imperatorem pro Rhemensis Ecclesiæ iustitia deprecatorias, & pro collata benignitate grates illi referens. Item litteras idem Præsul ad eumdem Papam dirigens, ac de prosperitate ipsius lætificari se inter multas tribulationum quas à paganis patiebantur angustias, petens, præfati quoque VVidonis satagit commendare fauorem. De prænominata nec non Erminfrido querimoniam repetens, qui admonitus à præmemoratis Archiepiscopis inobediens extiterat, flagitat, vt iterum commoneantur ab auctoritate Papæ Archiepiscopi hunc asperius increpare & si peruasa non reddiderit, Ecclesiastico feriatur iudicio. Interrogat præterea, sibique remandari poscit, si rite valeat Episcoporum fieri ordinatio in qualibet sanctorum festiuitate, nisi tantum Dominica die, &c. Ad hæc etiam rescribens idem Papa, gratias agit pro ipsius erga sedem Apostolicam caritate & fortitudine, condolens de ipsius afflictione, ac pro ipsius preces se Domino fundere pollicetur alleuatione, & confortans, monet in Domini confidere consolatione. Item scribit eidem Præsul, pro quodam Dominico à filiis & cognatis propriis oppresso vel expulso, hortans vt id diligenter inquirat, & eius inde adiutor existat. Item pro quorumdam susceptione Anglorum. Item eidem cum Aurelino Lugdunensi, Adelgario, * Geilone, Enimennone, & reliquis per Galliam constitutis, pro querimonia Bituricensis Ecclesiæ super inuasore Frotharii Burdegalensis Episcopi, qui etiam Pictauensem aliquamdiu tenuerat sedem, cui postea Bituricensis fuerat ad tempus à Iohanne Papa propter infestationem barbaricam tali tenore concessa, vt hac remota necessitate, id etiam remoueretur, quod necessitas imperarat. Vnde præcipit hic Papa Stephanus præfatis Archiepiscopis, vt ad propriam sedem illum remeare compellant. Quod si Apostolicis monitis obedire contempserit, nouerint eum sancti Spiritus iudicio perpetuis anathematis vinculis innodatum. Item pro Theutboldo Lingonensi episcopo, significans ad se huius Lingonensis Ecclesiæ querimoniam peruenisse, quod obeunte Isaac Episcopo, inconsulto clero & populo, Egilonem quemdam monachum nuper de sæculo venientem in Episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinauerit, eisque illata vi, præposuerit nolentibus. Quo diuina vocatione hominem excedente, ne in idipsum incurrerent, concordi voto clerus & populus Theutboldum ipsius Ecclesiæ Diaconem eligentes, ab ipso Papa sibimet in Episcopum consecrari petierint. Sed ille vniuscuiusque Ecclesiæ priuilegium inconcussum seruare volens, id agere distulerit, eumque præfato Aureliano direxerit, scribens ad eum, vt si cleri populique vota in eum concordarent, & sacri canones illi non obuiarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri si ratio prohiberet, & idipsum sibi rescriberet: interim tamen alterum inibi ordinare nullo modo, se inconsulto, præsumeret: simulque & Oirannum Senogalliensem Episcopum à suo latere direxit executorem. Quem deludens Aurelianus ad Lingonensem præmiserit vrbem, pollicitus se citissime subsecuturum. Quo cum diu expectaretur, nec ipse aduenerit, nec moræ suæ causam innotescere, vel Papæ remandare * præuiderit. Quocirca iterato clerus & populus cum decreto omnium roborato, præfatum electum Romam remiserunt, obnixe sibimet illum consecrari petentes. Sed nec tunc id agere adquieuerit, volens Lugdunensi Ecclesiæ collatum priuilegium immutilatum consistere: ideoque iam dicto Aureliano iterato rescribens mandauerit, vt quia concordi voto clerus & populus iam dictum Diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile iudicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adiiciens, non solum oblatum consecrare, seu quid in eo reprehensibile iudicaret sibi rescribere contempserit, verum etiam contra interdicta, & sacrorum canonum statuta quemdam extraneum, & eidem Ecclesiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere nisi præsumpserit. At hi potius laborem subire, quam subiici ignoto eligentes, ad se redierint, implorantes ne pateretur Ecclesiastica iura violari. *Nos autem*, inquit, *qui omnium Ecclesiarum in B. Petro Apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter Episcopos non haberi eum, qui neque à clero electus neque à populo est expetitus, sæpedictum Teutboldum venerabilem diaconum, ipsorum lamentabilib. precib. inclinati, Lingonensi Ecclesiæ Episcopum consecrauimus, condigna sententia præuaricatorib. illata, licet & aliis præuaricationib. fuerint impediti. Quapropter tuæ iniungimus fraternitati, vt his nostris Apostolicis litteris perceptis, postposita dilatione ad Lingonensem accedas Ecclesiam, & eumdem Teutboldum à nobis solemniter consecratum Episcopum, exinde reuestias, omnibusque Archiepiscopis & Episcop. innotescas protinus contumacia ultione nos eius de Ecclesia specialem sollicitudinem suscep. & c. pro tantis laborum macerationem, & oppressionum illatarum tit.*

[margin: VVido ex Duce Spoletano factus Imp. an. 891.]
[margin: * Id est, piæ]
[margin: Carol. cognomento Crassus.]
[margin: Non extat hæc Stephani epist.]
[margin: * f. Gerlone.]
[margin: * pro prouiderit.]

natione. Quidquid autem idem venerabilis Episcopus Teutbboldus vobis ex nostra parte retulerit credite, & effectui mancipare nullo modo ambigite: vtpote tuam reuerentiam circa nos deuotam consistere credimus. Ad hæc idem Præsul Fulco rescribens, gratias agit pro consolatione litterarum ipsius, asserens se paratum fuisse, & esse quæcumque sibi ab ipsius Papæ celsitudine iniuncta fuerint adimplere: præfatam vero præceptionem de Theuthboldo Episcopo explere sine mora voluisse: sed Odonis regis sui consultu interim intermissum, dum rex idem suos legatos ad eumdem Papam dirigeret, ac per eos iussionem ipsius certissime cognosceret. Super his autem quę litteræ ipsius Papę prosecutæ sunt, velle scilicet se omnibus Ecclesiis sua instituta & priuilegia inconfuso ordine intemerata seruare, valde gauisos vniuersos Episcopos, in quorum præsentia hæc recitari fecerat. Consulit autem eius auctoritatem, deposcens, vt sibi rescriptis remandet, si liceat coëpiscopis suffraganeis suis, qui in eius diœcesi consistunt, ordinationem vel regis, vel alicuius alterius personæ sine sua licentia & * conniuentia seu permissione agere, vel aliud aliquid, inconsulto suo Metropolitano, aut contra interdicta sui primatis præsumere. Priuilegium denique à sede Romana quæsitum idem Papa huic concessit, scriptumque transmisit Præsuli super rebus Ecclesiasticis huic Rhemensi Ecclesiæ collatis, vel conferendis: vt nemo eas inuadere, vel detinere præsumeret, & vt post eius decessum nullo modo aliquis hunc Episcopatum, vel Episcopii res occupare illicite auderet, cum interminatione hæc inhibens Apostolicæ sedis censuræ. Item scribit eidem, pro altercatione quæ versabatur inter Herimannum Coloniensem Archiepiscopum, & Adelgarium Amburgurensem, & * Brenemensem Episcopum, pro qua Herimannus eidem Papæ suam direxerat querimoniam: Adelgarius autem & suam direxerat, & postmodum per semetipsum accesserat, proclamans ab Herimanno Ecclesiæ suæ priuilegia violari: ideoque in suam præsentiam commouerat vtrumque venire. Sed quoniam Adelgario veniente Herimannus defuit, tantæ liti finem imponere Papa distulit, ne quippiam præpropere iudicare videretur, vnde rediuiua contentio futuris temporibus oriretur. Quocirca iniungit huic Præsuli nostro, sua ipsius Papæ vice synodum conuocare apud VVangionem ciuitatem, cum vicinis suffraganeis limitaneisque Episcopis, ad quam Herimannum Agrippinæ Coloniæ, & Sonderoldum Moguntinum cum suis suffraganeis, nec non & eumdem Adelgarium occurrere iusserat, quatenus quid cuique debeatur diligens examinatio declararet. Monet etiam fraternitatem ipsius domni Fulconis, ne sibi suam specialem præsentiam, si omnimodis fieri possit, exhibere cum eis quoquomodo differat: quoniam & hæc, & alia quæ imminebant Ecclesiastica negotia cum ipso tractanda, eiusque terminanda consultu prouiderat: de quo scilicet ipsius aduentu satis gratularetur, volens ad Ecclesiastica deliberanda negotia eius habere præsentiam. Alioquin monet, vt assertione veridica per strenuum Episcopalis ordinis virum vna cum ipsis abeuntem notificet, qualiter sesuper hoc veritas habeat. Quibus si veniendi facultas defuerit, suos cum eo dirigant legatos, qui eorum præuaricatione perfuncti, disceptandi & deliberandi libertatem possideant: vt nullo vlterius tempore, percepta finitiua sententia, de hac re necessarium sit vertere quæstionem. Super his quoque successori huius Formoso domnus Fulco litteras mittens, qualiter hæc à præfato Stephano Papa sibi iniuncta, significauit, & vt sibi auctoritatis suæ in his exequendis scripta dirigeret, expediit. Vnde & iterum scribens, vehementer admirari se dicit, si litteræ suæ ad eius præsentiam peruenerint, quid causæ fuerit, cur hinc responsum huius Papæ non meruerit recipere. Grates inter hæc referens, quod sui memoriam dignatus sit habere, & per abbatissam Bertham verba sanctæ consolationis sibi mandare: eumque se videre velle, & collato sermone mutuo verba conferre. Quam rem fatetur immensum sibi peperisse gaudium, vt magis desideret eius videre præsentiam: adiiciens sibi ab eo tempus quo ad eum veniat, remandari, locumque, & eius satagere præceptis obtemperare. Præterea postolat vt priuilegium Ecclesiæ Rhemensi sui nominis auctoritate fieri iubeat, sicut etiam prædecessores suos fecisse constat: & res huic Ecclesiæ per suam humilitatem adquisitas perpetua firmitate contra omnes aduersarios muniat. Adnotat etiam, qualiter Eurardus Marchio sancti Calixti Papæ & Martyris venerabile corpus à Romana sede impetrauerit, atque in eius honore monasterium in prædio suo constituerit. Quod prædium post eius obitum ad filium ipsius Rodulfum abbatem hæreditario iure deuenerit: qui res ipsas simul cum memorati Martyris gleba vitæ suæ diebus absque vlla contradictione tenuerit, & de sæculo migraturus easdem res cum monasterio & corpore sacro Rhemensi sanctæ Dei genitricis Ecclesiæ delegauerit, eamdemque rerum suarum hæredem instituerit. Tunc vero Hucboldus quidam sororis huius Rodulfi maritus munus eiusdem abbatis calumniabatur, & ab Ecclesiæ Dei genitricis iure conabatur auferre. Proinde precatur, vt quid sibi sit in talibus agendum, suis eum sacris instruat litteris, & harum collationem rerum æterna stabilitate corroboret, atque contradicentes digna excommunicationis vltione percellat. Scrupulum digna excodicit ac singultum mouere, quod audierat à quibusdam, sanctam Romanam Ecclesiam turbari, paratumque se totis viribus pro ipsius honore omnimodis decertare, & eidem Papæ veluti domno & magistro in cunctis obsecundare. Subnectit etiam de quibusdam Episcopis Galliarum, qui sibi pallium indebite à Romana poscebant sede, Metropolitanos suos talis spernentes tenore: asserens quod res eadem, [illegible] prudenti præcauta foret sollicitudine, confusionem non mediocrem generaret Ecclesiæ, magnumque caritati dispendium valeret inferre. Vnde tam se, quam omnem precari dicit Ecclesiam, ne scito alicuius irrationabili petitioni, sine generali assensu & litteris, consentiat: ne per hoc Ecclesiasticæ dignitatis honor vilescere incipiat, si res indebita, quæ temere affectatur, inconsulte tradatur.

[Margin notes: ms.c.co hibentia. — S.j. Bremensem. — Formosus Papa]

Quæ Formosus Papa Fulconi, vel Karolo Regi, atque Odoni scripsit.

Capvt II.

Cvi rescribens idem Papa Formosus, monet eum compati debere Romanæ Ecclesiæ, atque imminenti eius subuenire ruinæ, nec ei suam præsentiam denegare: adiungens hæreses vndique ac schismata pullulare, nec qui ad resistendum occurreret, esse. Dicitque longo retroacto tempore perniciosas hæreses Orientem confundere, & Constantinopolitanam Ecclesiam nociua schismata perturbare: simul etiam regionis Africanæ legatos insistere, responsa petentes pro dudum exorto inter Episcopos ipsarum prouinciarum schismate. Diuersarum quoque partium legationes diuersa responsa petentes insistere. Cuius rei gratia generalem synodum die Kalendarum Martiarum, indictionis vndecimæ se inchoare disposuisse, ad quam eumdem, remota omni dilatione, admonet festinare, vt colloquendo, largius de his valeant pertractare, & affluentius ad consulta singula respondere. Normannicæ gentis procellas, quibus asserebat se perturbari, plurimum dolere, & vt eos excelsi dextera reprimat, Apostolorum principum suffragiis interuenientibus, implorare. Litteras vero quas significauerat

ad eum per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minime peruenisse. Miserat alias etiam, pro hac eadem synodo celebranda, pridem huic quoque Præsuli nostro litteras, quam decreuisse se asserit incipere mediante Maio mense, indictionis decimæ. In quibus litteris fatetur Italiam tunc semel & secundo horrida bella perpessam, & pene consumptam. Orientalium vero partium se deflere vesanam hæresim in Christum Iesum blasphemiam * continentem. Mittit ei præterea petitum super quibusdam præstatis priuilegium, commemorans beatum Remigium genti Francorum, Romanæ sedis auctoritate, cum gratia Dei Apostolum constitutum. Bernam quoque villam, quæ inique dudum subtracta fuerat, Rhemensi Ecclesiæ restitutam. Duodeciacum quoque, sed & ea quæ domnus idem Fulco per precarias obtinuerat, Rodemiam videlicet & Margolium, Lastemnam, & Guigleium, atque Virtudem, necnon Abbatiam quæ dicitur Campellis, Atteras etiam & Maniacum, aliasque res quæ dudum ablatæ, tunc redditæ fuerant Ecclesiæ Rhemensi, restitutas auctoritate confirmat Apostolica: vt eas, vel cæteras eiusdem Ecclesiæ possessiones nemo præsumat auferre vel inuadere. Sanciens insuper auctoritate beati Petri, vt nemo regum, nullus Antistitum, nemo quilibet Christianus, decedente Rhemorum Episcopo, ipsium Episcopatum, vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, præter ipsius ciuitatis Episcopum. Sed & eamdem Metropolim non vltra constitutionem canonicam, sine regulis Ecclesiasticis conueniente pastore manere cogat: neque aliter ibidem Episcopum, nisi vt sacri canones iubent, constitui faciat. Promulgans etiam ac statuens, vt ea quæ idem venerabilis præsul Fulco de villis huius Ecclesiæ ac facultatibus earum, vsibus Ecclesiasticorum ornamentorum, vel luminarium, seu sub stipendiis Canonicorum, ac monachorum, atque sanctimonialium, seu matriculariorum & hospitum, vel pauperum constituerat, perpetuo inconuulsa permaneant, hanc auctoritatem sui decreti sub anathematis vinculo violatoribus innodatis corroborans. Imperatorem quoque VVidonem coronatum eodem anno significans, indictione decima. Item ad ipsius domni Fulconis petitionem misit aliud eidem priuilegium, pro monasterio Auennaco, atque pro eo monasterio, quod Rodulfus abbas in honore sancti Calixti martyris & Papæ ea hæreditario proprietatis suæ iure constructum huic Rhemensi concesserat Ecclesiæ, tam eadem cœnobia, quam omnes possessiones liberalitate regali, vel aliorum Christicolarum munificentia Rhemensi collatas Ecclesiæ, siue quas idem Præsul adquisierat, aut deinceps adquisiturus erat, eidem Ecclesiæ Apostolica corroborans & stabiliens potestate. Hic quoque Lantbertum filium VVidonis anno secundo imperii patris ipsius nouum imperatorem factum fuisse designat. Item pro diœcesaneis prouinciæ Rhemensis Episcopis, quod audierat, eorum quosdam huius Archiepiscopi sui audientiam contemnere, scribens eidem, vt suos conueniat coëpiscopos, ceterorum quoque quos ipsum visum fuerit Episcoporum collegium conuenire denunciet, vt de tanto neglectu synodali simul actione perquirant, & quidquid oportuerit canonica atque Apostolica muniti auctoritate decernant: subiiciens, vt nemo à tam Deo digno se subtrahat opere, qui Apostolicæ ipsius particeps voluerit communionis existere. Item pro euectione Karoli ad regimen regni, quem domnus idem Fulco ad regium culmen adhuc puerum prouexerat, & de criminibus Odonis regis, vel correptione ipsius, qualiter esset agenda: pro quibus rebus idem Archiepiscopus huic Papæ scripta sua, consilium & auxilium ab eo petendo, direxerat. Vnde & ad eumdem regem Odonem litteras suas idem Papa delegauerit, vt ab illicitis recederet, nec eumdem regem Karolum, vel quæque ipsius essent infestaret, induciasque belli differendo daret, donec idem Præsul Fulco scilicet, Apostolicam sedem adire studeret.

c l. contuentem. — Lambert. Imp. — Carolus simplex consecratus an. 892. etat. 12. vel 14. aetatis sua. — Auct. Bibliot. Vet. Pat. Tom. 2.

Quæ Franciæ quibusdam Præsulibus scripta legauerit.

Cap. III.

ITEM ad Archiepiscopos & cæteros Episcopos Galliarum, monens vt conueniant atque commoneant eumdem regem Odonem, ne illicita perpetrentur, & ne aliena vsurpentur: sed bellum sedetur, & omnis hostilis commotio sopiatur, vel induciæ belli, donec Fulco Romam, ceu dictum est, adeat, edicantur: ipsique studeant interim cuncta differre, & pacem ac vnanimitatis concordiam recreare. Item huic quoque regi Karolo, congruam dirigens admonitionem, eiusque congratulans eminentiæ atque deuotioni, quam rea idem se significauerat erga sedem Apostolicam gerere, qualiter ei sit in regno agendum succincte, lucideque demonstrat: quem petierat, ei panem benedictum pro pignere mittens, & de itinere præfati Præsulis nostri ad sedem Apostolicam monens. Eidem quoque domino Fulconi litteras suas dirigens, hæc supradicta ad præmissas personas se destinasse scripta commemorat, ipsius videlicet suggestione, de pace vel induciis belli inter Odonem & Karolum differendi. Item scribit ipsi pro discordia sedanda, quam audierat insurrexisse pro Manigualdi ab Alberico perpetrata interemptione. Item petens eumdem pro cuiusdam Grunlaici dilecti sibi sacerdotis ad Episcopatum, vbi se locus obtulisset, promotione. Idem quoque præsul Fulco nonnulla præfato Papæ præter præmissa reperitur direxisse scripta, tam pro sua vocatione, qua vocabatur ab ipso ad sedem Apostolicam, quam pro contentione quæ versabatur inter reges Odonem, & Karolum, nec non pro oppressione, quam Rhemensis patiebatur: petens vt Papa, regibus scribendo, pacem impetraret. Arnulfo quoque Transrhenensi auctoritate Apostolica præciperet, ne Caroli regnum inquietaret, quin potius ei auxilio esset, vt propinquum propinquo deceret. Odoni vero mandaret, ne regnum istud inuadere aut deprædari præsumeret: quod si auderet, Apostolicæ sedis sententiam reformidaret. Item quia post admonitionem ipsius Papæ nec Arnulfus orbitati Caroli subuenire voluit, nec Odo à peruasione regni, rapinis, ac depopulatione cessauit. Sed & Arnulfus res Ecclesiæ Rhemensis tam eas, quas aliquamdiu iniuste sublatas ipsi restituerat, quam eas etiam, quæ nunquam prius subtractæ fuerant, abstulit, ob id tantummodo, quia temerariam eius * inuasionem hic præsul recipere noluerit. Et quod Odo ciuitatem Rhemensem obsederit, innumeras etiam cædes & deprædationes exercuerit, & res Ecclesiæ Rhemensis suis satellibus dederit, huius Ecclesiæ insistens rapinis, donec Carolus cum valido exercitus apparatu adueniens eum ab obsessa ciuitate depelleret. Significans etiam quod Robertus homo Arnulfi ex parochia Herimanni Coloniensis Episcopi, res huius Ecclesiæ inuaserit ac diripuerit, donec eum vi ac si canem rabidum ab eorum deuastatione repulerit. De quo petit, vt nisi admonitus resipuerit, auctoritatis Apostolicæ sententia feriatur. His se perturbationibus regni obsessum, impossibile fore significans ad eius Apostolicam se properare præsentiam, dum semper expectetur bellum, nec aliter posse res regni componi * credantur: sed ipse semper bellum distulerit, non

Papir. iussionem. — c. l. creditur.

quod inferiores vel impares fuerint, aut de iniusta causa dubitauerint, sed ne vires regni bellis atteritæ, paganorum proderentur inuasionibus. Vnde dato placito inter se dextras securitatis inuicem vsque ad tempus præfinitum dederint. & cætera. Item pro eodem rege Karolo & Imperatore Lantberto, gratiarum referens actiones, quod notificauerit sibi de ipso Lantberto, patris se curam habere, filiique carissimi loco eum diligere, atque inuiolabilem cum eo concordiam se velle seruare: asserens, quod non illum tantum diligeret pro consanguinitatis necessitudine, qua illi deuinctus habebatur: verum multo magis, quia huius Papæ venerator & amator existeret. Precatur autem, vt idem Karolus tea cum prædicto Lantberto in amicitia iungeretur, & Odoni vel proceribus regni, pro causa pacis Papa rescribat, quo Karolus ad regnum hæreditario sibi iure debitum proficiat. Et quamuis* nunc totum non posset suscipere regnum, saltem partem aliquam honori suo condignam, concorditer & iuste regnum diuidendo, illi conseruent. Subiungens acturum se quod sibi Apostolicus idem Pontifex præceperat super transgressoribus & sacrorum violatoribus Richardo, Manasse, atque Rampone, mox vt coëpiscopos suos in vnum potuerit congregare. Id tantum Papa remandet, quoniam æterno illos anathematis vinculo innodauerat, si liceat eis ad pœnitentiam conuersis aliquid impendi misericordiæ: vel eos ad pœnitentiam suscipi, seu quis modus ipsius esse debeat pœnitentiæ. De Rampone vero asseuerat, quia in solum Teuthboldum Episcopum reus existeret, nihil culpæ in VValterum Senonensem admiserat, ad quem comprehendendum nec præsens fuerat adiutorium, vel consensum ad id agendum præbuerat. Item pro Herilando Taruuanensi Episcopo, cuius Episcopio à Normannis depopulato, cum necessitate cogente ad se venientem, sicut oportebat, susceperat, quemque visitatorem cuidam viduatæ Ecclesiæ constituerat, vt visitando sustentationem interim, dum Episcopus ibi ordinaretur, ex illa caperet. At quia homines præfatæ Taruuanensis parochiæ barbaricæ videbantur esse feritatis & linguæ, supplicat vt responso Papæ mereatur certificari, si hunc viduatæ debeat præponere plebi, & alterum ei liceret in præmemorata ipsius Ecclesia subrogare, qui acceptior propter parentelam & linguam, in eodem loco posset existere. Idem vero Papa rescribens ei, laudibus attollit eumdem congratulans eius dilectioni atque sollicitudini, quam gerebat erga Lantbertum Imperatorem, de cuius fidelitate & stabilitate monet eum semper fieri sollicitum, veluti consanguinitatis propinquum: asserens se cum ipso tantam pacis & dilectionis habere concordiam, vt nequeant aliqua iam ab inuicem prauitate seiungi. Notificat quoque Richardum, Manassem, atque Ramponem excommunicatos à se, atque perpetuo ligatos anathemate, pro eo quod tam nefandissima perpetrauerint, vt* Teuthboldo Lingonensi Episcopo oculos eruerint, VValterium Senonensem, propria depulsum sede custodiæ mancipauerint: mandans vt secum de his sentiat, & conuocatis omnibus suffraganeis suis Episcopis, canonicum super eis quod exercuerat iudicium pari modo determinet. Item scribit eidem Archiepiscopo pro Berthario quodam presbytero, quem clerus & plebs Ecclesiæ Catalaunensis consensu regis Odonis ad Episcopatum dicebatur elegisse, succensens, quod hunc vocatum canonice noluerit consecrare, sed in transitu defuncti Episcopi Ecclesiam ipsam Herilando Taruuanensi Episcopo beneficiali more ferebatur contulisse. Postea quemdam Mancionem nonnullis criminibus irretitum in eadem Ecclesia, quasi Episcopum ordinauerit, cumque prænominatus Bertharius Apostolicam præsentiam vellet adire, comprehensus sit à quodam Conrado huius domni Fulconis vassallo, de Ecclesia tractus, & in exilium per vnum mensem delegatus. Vnde & euocans hunc nostrum Præsulem, mandat expresse, sed fraterne, præsentiam, habens secum præfatum Mancionem, & iam dictum Conradum, cum quibusdam denominatis coëpiscopis suis. & cætera.

Fulco consanguineus Lamberti omp.

ms. l. tunc

ms. Theobaldo.

Quæ Stephanus Papa Fulconi, & quæ Fulco eidem Papa rescripserit.

CAPVT IV.

STephano quoque huius Formosi successori scribens idem domnus Fulco, deuotionem quam erga Romanam sedem gerebat conabatur ostendere, & quod limina creberrime cupiuerit Apostolorum adire, sed diuersis obstantibus discriminum causis, hæc vota nequiuerit adimplere: vbi significat Odonem & Karolum reges in pacis tandem concordia, se studente, conuenisse. Cui remittens hic Papa litteras, suas à se suscepisse fatetur, ipsius non admittens, immo reprehendens excusationem, eo quod alij homines eamdem sedem adirent, & ipse fateretur fas sibi adeundi non fuisse concessum. Denuntiat ergo synodum se per mensem Septembrem imminentis indictionis quintædecimæ certissime celebrare statuisse: ad quam censendo vocans hunc Archiepiscopum, monet expresse, quatenus omni mora repulsa, omnique excusatione amota, eodem tempore suam specialem præsentiam eidem synodoque omnino exhibere maturet, quod si prætermiserit, canonicam in eum ferre sententiam minime retractabit. Rescribens autem hic venerabilis Præsul eidem, quam semper habuerit deuotionem circa gloriosam principis Apostolorum sedem, eiusque sanctos Præsules, pandere nititur: asserens se tunc variis oppressionibus aggrauatum, ac diuersis adstrictum perturbationibus, præsentia corporali eamdem adire sedem non valuisse: dilectos autem filios huius Ecclesiæ illuc destinasse, ad itineris sui enarrandas incommoditates viua voce. Quemdam quoque consacerdotem suum ad id exequendum se direxisse. Plura se scribere non præsumpsisse, quia senserat in epistola sibi ab ipso directa dura se satis inuectione mulctatum: & hoc sibi non modicum incussisse miraculum, quod ita tunc primæ ipsius litteræ grauiter eum perculerint, cum eatenus ab ipsa sede nihil aliud nisi mellitum ac dulce, prædecessoribus suis sibi scribentibus, venire consueuerit. Quod peccatis tamen suis imputans, vt de malo suo se merito contristari, sic de correptione ipsius se fatetur lætificari: reuoluens fieri potuisse, cen quodam designat ad se perlatum rumore, vt à quibusdam minus caritate replens aliter de se audisset, quam veritas se haberet. Vnde petit, ne facile huiuscemodi personis aurem accommodet, donec (vt scriptum est) rem quam nescit diligentissime inuestiget. Adnectens simpliciter, vti ab ipsis pene cunabulis educatus canonicis fuerit disciplinis, donec à glorioso rege Karolo Imperatoris Ludouici filio, in palatinis ac domesticis eius sit assumptus obsequiis. Sicque in aula palatij perseuerans vsque ad tempora Karlomanni Regis, Ludouici iunioris filii, nepotis eiusdem Karoli, quando à sanctis prouinciæ Rhemensis Episcopis, nec non à clero & plebe huius vrbis electus sit, & Episcopus ordinatus. Vbi qualiter hanc Ecclesiam paganorum infestatione laborantem repererit, & vt pro pace ipsius ad posse desudauerit, legati sui, vel aliorum hæc scientium petit exploran narratione. Asseuerans præmissa se non arrogantia explicare, sed vt noscent, conijciens quia qui sic enutritus, & taliter fuerit ante Episcopatum conuersatus, hoc sibi potius onus quam honorem, non elationis instrumentum, sed humilitatis esse seruitium. Subnectit autem, quod si aliqua regno quies concessa fuerit, & ab Odone rege licentiam impetrare valuerit, ad ipsius beatitudinis vestigia tandem aliquando properare studebit, dum sibi viæ patuerint, quæ tunc ab Zendeboldo Arnulfi regis filio erant obstructæ: qui Ecclesiam

Steph. 6.

Ioh. 13.

quoque Rhemensem multis affligebat iniuriis, res eiusdem suis impertiens subditis. Cuius tyrannidem Apostolica petit auctoritate reprimi, dicens, quia in tam periculoso & necessitudinibus pleno tempore se suam Ecclesiam noxium esset deserere.

Quæ regibus quibusdam Fulco scripta direxerit.

CAPVT V.

TOTIVS itaque regni curam agens idem domnus Archiepiscopus Fulco, litteras dirigit Imperatori KAROLO, regis Ludouici Transrhenensis filio, pro tutela & defensione regni Francorum, quod in his partibus à Normannis multipliciter opprimebatur: asserens illud, auxiliante Deo, hactenus fuisse protectum, quamdiu patrui & æquiuoci eius, ac filiorum ipsius regebatur dominatione. Quos vero illis feliciter humana excedentibus, postquam se proceres regni eius Imperiali commiserant tuitioni, eos vndique secus multi superaggrauerunt casus. Memoratque ciuitatem Parisiorum, quam caput asserit, & introitum regnorum Neustriæ atque Burgundiæ, Barbarica cingi obsidione, citoque capiendam, nisi Dei subuentum fuerit clementia. Quæ si capta fuerit, totius dispendium regni se perpessuros: tamque periculose hæc iam mala grassari, vt à prædicta vrbe Remos vsque nihil tutum remanserit nulla nisi peruersorum Christianorum barbarisque consentientium secura sit habitatio, quorum multi, Christianam deserentes religionem, paganorum se societati coniunxerant, ac tuitioni subdiderant. Scripsit & ad eumdem Imperatorem pro percipiendo à sede Romana pallio, roborandisque datis olim à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Rhemensi priuilegiis.

Carolus Crassus de quo supra.

ARNVLFO regi Transrhenensi litteras mittens, pro causa regis Karoli, quem paruulum adhuc vnxerat in regem, reddit causas eius prouectionis, eo quod audierat motum fuisse animum ipsius Arnulfi contra se pro hac perpetratione: commemorans quod decedente Karolo imperatore, in ipsius Arnulfi seruitium fuerit profectus, cupiens eius suscipere dominium & gubernationem, sed ipse rex eum sine vllo consilio vel consolatione dimiserit. Vnde cum nec in eo sibi spes vlla remansisset, coactus sit eius hominis, videlicet Odonis, dominatum suscipere, qui ab stirpe regia existens alienus regali tyrannice abusus fuerit potestate, cuius & inuitus hactenus dominium sustinuerit. Et quoniam huius Arnulfi dominatum desiderauerit, idcirco in ipsius seruitium profectus fuerit. At postquam nullum consilium in ipso repente valuit, hoc solum quod restabat egerit, eligens eum regem habere, quem solum post ipsum de regia ipsius habebant progenie, & cuius prædecessores ac fratres extiterant reges. De hoc etiam, quod idem rex in culpa trahebat, quare non id ante fecissent, reddit rationem, quod quando Karolus imperator decessit, & idem Arnulfus regimen huius regni suscipere noluit, hic Karolus adhuc admodum corpore simul & scientia paruulus existebat, nec regni gubernaculis idoneus erat, & instante immanissima Normannorum persecutione, periculosum erat tunc eum eligere. Vt vero ad eam viderunt perductum ætatem, in qua salubre sibi consilium dantibus assensum præbere nouerit, susceperint eum secundum Dei honorem, vt regno consuleret, volentes eum ita instituere, quatenus huic regno, & ipsi Arnulfo proficuus valeret existere. De eo quoque quod sine ipsius Arnulfi consilio præsumpserint hoc agere, morem Francorum gentis asserit secutos se fuisse: quoniam mos semper fuerit, vt rege decedente alium de regia stirpe, vel successione, sine respectu vel interrogatione cuiusquam maioris aut potentioris regis eligerent. Hoc more hunc regem factum ipsius fidelitati & consilio committere voluerint, vt ipsius adiutorio & consilio vteretur in omnibus, & eius subderetur tam rex, quam vniuersum regnum præceptis & ordinationibus. Præterea quod audierat huic regi suggestum, quia contra fidelitatem ipsius, & propter priuatum hoc egerit commodum, infert quod Aschericus ipse, qui hæc iactitasse videbatur, antequam de re huiuscemodi aliquid idem Archiepiscopus agere conaretur, venerit ad se, præsentibus Heriberto & * Ecfrido Comitibus, & consilium simulque auxilium quæsierit, quid agere deberet de iussionibus Odonis, qui res importabiles ei præcipiebat. Ex parte quoque filiorum Godfridi consilium petierit de malo, quod eis Odo facere conabatur: rogaueruntque vt tale caput communi consilio statueretur, per quod securi possent esse subditi, intendentes vel in VVidonem, vel in hunc regiæ prosapiæ Karolum, & simul considerantes qui affuerant, ad quem melius attendere deberent, visum illis est, propter acquirendam regni vtilitatem, & ipsius Arnulfi cauendam contrarietatem, propterque rectum, congruumque regii generis principatum, vt ad hunc Karolum se conuerterent, credentes quod Arnulfus hoc de propinquo suo gratum haberet, ipsique & regno præsidium ferret. Quod autem iactitatum audierat, causa VVidonis hoc eum fecisse, vt hac arte illum subintroduceret in regnum, & dimisso puero Karolo, se verteret ad VVidonem: asserit liuore inuidiæ, contra se scienter hæc falso fuisse iactata: aut etiam quod qualis erat ipse qui talia diffamabat, talem eumdem posse fieri sentiebat; ipse vero nec se talem fore, nec talibus ortum natalibus recognoscebat. Prædecessores quoque ipsius regis nequaquam tales ingenia in progenitoribus suis experti fuerant, quos in omni fidelitate ac regni vtilitate probatos habuerint: ideoque illos honorifice sublimauerint. Quapropter erubescendum eidem regi fuisset, vt hoc de se crederet, vel infamia se tali notaret. Denique quod audierat ipsi Arnulfo dictum fuisse, quod hic Karolus filius Ludouici non fuerit, asseuerat neminem se posse credere fore, qui eum si viderit, & parentum ipsius effigiem cognouerit, non recognoscat illum de regia processisse progenie: quædam quoque patris sui Ludovvici signa gestare, quibus agnoscatur filius ipsius fuisse. Poscit erga Arnulfi regiam maiestatem, vt hæc * vera dignanter accipiat, nullusque animum ipsius contra hunc regem innocentem, propinquum suum commouere valeat. Sed vtrum hæc quæ asserit ita se habeant, in sua præsentia, fideliumque suorum examinari faciat, & ad debitum finem perducat: cogitans qualiter antecessores sui regni statum gubernauerint, & quomodo regalis culminis successio semper hucusque viguerit. Tunc vero ille tantum princeps, & hic paruus propinquus eius Karolus, de tota regali stirpe remanserint: perpendasque quid contingere possis, si eum debitus cunctis casus repoposcerit, cum tot iam de aliena stirpe reges existant, & adhuc sint plures, qui sibi regium nomen affectent, quis post ipsius decessum adiuuabit eius filium, vt ad debitam sibi regni conscendat hæreditatem, si contigerit hunc sibi propinquum cadere Karolum. Adnectit etiam, quod in omnibus pene gentibus notum fuerit, gentem Francorum reges ex successione habere consueuisse, proferens super hoc testimonium beati Gregorii Papæ. Subiicit etiam ex libris Teutonicis de rege quodam, Hermenrico nomine, qui omnem progeniem suam morti destinauerit impiis consiliis cuiusdam consiliarii sui, supplicatque ne sceleratis hic rex adquiescat consiliis, sed misereatur generis huius, & regio generi subueniat decidenti: satagens vt in diebus suis dignitas successionis sua roboretur, & hi qui ex alieno genere reges extabant, vel existere cupiebant, non præualerent contra eos, quibus ex genere honor regius debebatur. Asseritque se misisse * Aledrannum ad eumdem Arnulfum, suggerendo vt quoscum sibi placeret, ex his qui Karolum regem constituerant, in suum pergere seruitium præciperet, qui coram sublimitate ipsius hæc ita esse rationabiliter ostenderent. Flagitans etiam orat, vt hæc

ms. Erfrido. / l. Erfrido.

l. verba.

Greg. hom. 10. in Euang.

ms Pa- pir. Aledrannũ.

præmissa benigno rex tractet animo, & hanc sciat ipsius esse deuotionem vel intentionem erga ipsius fidelitatem, vt hic Carolus ad ipsius consilium in omnibus, quæ acturus est, respiciat, & ipsius pietate tutus consistat, & vt nemo huius regis animum ab auxilio istius regni, vel eiusdem Caroli deflectere valeat. Item ad eumdem regem, significans ei de fidelitate & deuotione, quam erga ipsum habebat, & quia in eius seruitium ad ipsius iussionem properare desiderabat. Promissionem quoque, quam rex suus Carolus eidem Arnulfo, qui regnum sibi contradiderat, promisisset, manere inconuulsam, tam in ipso rege, quam in subditis sibi. Et quia proponeret idem Carolus Odonem inimicum sibi regem, & insidias sibi magnopere parantem armis aggredi. VVIDONEM Imperatorem legatione suarum visitans litterarum, admodum de ipsius gaudere fatetur gloria & exaltatione: mirari vero atque turbari, quia nullis nunciis iam longo tempore transacto sibi aliquid de statu & prosperitate sua notificauerit. Exorat autem, vt regi suo Carolo suffragium impendat, & talis erga ipsum existat, qualem eum erga propinquum existere decet, & vt celerius illum scire faciat, qualem voluntatem circa ipsum habeat. De Arnulfo quoque rege significat, quod non velit eidem VVidoni pacem seruare. Carolum denique sedi Apostolicæ suam epistolam dirigere, orationibus se commendando Papæ, atque ipsius petens roborari benedictione, & vt idem Papa huius VVidonis eum coniungat amicitiæ. Poscit etiam, vt eidem regi de amicitia sua per suum missum, aut per sua scripta VVido remandet. Sed & suis, vel Ecclesiæ sibi commissæ compatiatur iniuriis, quas fidelitatis ipsius causa tolerabat. Notificat etiam abbatiam sancti Martini à rege sibi * concessam, rogans vt res eius, quæ in regno ipsius erant, in sua tutela VVido recipiat.

m. com missam.

ODONI regi litteras dirigens, rogat pro concedenda Ecclesiæ Laudunensi post decessum Didonis Episcopi, electione libera: ostendens non oportere violenter eos ad eum, quem nolint, suscipiendum compelli. Precatur etiam, vt eamdem Ecclesiam absque inquietudine degere iubeat, neque res ipsius à peruasoribus deprædari sinat, ne particeps diripientium fiat, si talia fieri permittat. CAROLO regi suo scribens, indignatur valde sibi perlatum, quod prauis quorumdam consiliis vellet idem rex se sociare Normannis, vt illorum auxilio ad regni decus obtinendum iuuari posset. *Quis enim, inquit, qui vobis sicut oportet fidelis est, non expauescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ac ruinam nominis Christiani pagana arma & fœdera detestanda suscipere? Nihil enim distat, vtrumquis se paganis societ, an abnegato Deo idola adoret. Nam si (vt ait Apostolus) mores bonos colloquia praua corrumpunt, quanto magis corrumpitur castitas animæ Christianæ ex huiuscemodi consiliis & societate? Neque enim poterit non imitari quod assidue viderit: quin potius assuescet paulatim, & quasi vinculo malæ consuetudinis trahetur ad facinus. Certe progenitores vestri reges, deposito gentilitio errore, diuino cultui se sublimiter subdiderunt, & a Deo semper auxilium expetierunt, propter quod & feliciter regnauerunt, & regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt. Vos verò contra nunc Deum relinquitis. Dicam certe, licet nolens, quia Deum relinquitis, cum vos eius hostibus sociatis. Vnde & merito prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad regem* Israel similia facientem directa est: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris. Et certe cum deberetis multis præteritis terminum ponere, & rapinis & deprædationibus pauperum renunciare, ac pro his omnibus pœnitentiam agere, nunc ad maiorem iram Dei prouocandam, his qui Deum ignorent, & in sua feritate confidunt, vos coniungitis. Credite mihi, quia nunquam sic agendo ad regnum peruenietis, immo velociter disperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora sperabam: nunc video vos cum omnibus* consanguineis vestris periturum, si tamen hoc vere volueritis agere, & talibus consiliis adquiescere. Reuera qui talia vobis dant consilium, non fideles, sed per omnia infideles esse comprobantur, quos si audire volueritis, terrenum simul & cæleste regnum amittetis. Deprecor itaque vos per Deum, vt tale deseratis consilium, neque velitis vos in æternum præcipitare interitum, & mihi cæterisque, qui secundum Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat vos non nasci, quam diaboli patrocinio velle regnare, & illos iuuare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis, & talibus consiliis adquieueritis, nunquam me fidelem habebitis, sed & quoscumque potuero à vestra fidelitate reuocabo, & cum omnibus coëpiscopis meis vos & omnes vestros excommunicans, æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate quam vobis seruo, hæc gemebundus scribo, quoniam cupio vos secundum Deum & sæculum semper esse honoratum, & non Sathanæ, sed Christi adiutorio, ad debitum vobis conscendere regni fastigium. Regnum enim quod Deus dat, firmum habet fundamentum: quod vero per iniustitiam & rapinas acquiritur, caducum est, & cito deciduum, nec poterit diu permanere.*

1. Cor. 15

Sunt verba Iehu ad Iosaphat regem Iuda. 2. par. 19.

ms. I. Papir. con sentaneis.

LAMBERTO Imperatori congratulationis apices dirigens, notificat quid sibi de ipso domnus Papa Formosus suis litteris intimauerit: quod scilicet eumdem Imperatorem multum diligeret, & in omnibus ei consulere, loco carissimi filii, atque indissociabilem vellet ad eum seruare concordiam. Hortatur ergo hunc principem, & admonendo flagitat, vt tantæ benignitati eiusdem Papæ gratus existat, illum vt patrem piissimum diligat, omnemque illi fidelitatem & obedientiam seruet, eiusque monitis, vt verus filius, obtemperet, & sedem Romanam digna veneratione honoret. *Ita enim vestrum*, inquit, *perenni soliditate stabilietur imperium, & contra omnes inimicos & hostes vestros diuinum vobis auxilium suffragabitur, efficietque vt omnibus aduersariis, diuino adiutorio, semper superior & fortior fiatis. Recordamini quæso auunculi vestri & æquiuoci Lamberti illustris viri, qualis erga sanctam Romanam sedem fuerit, qualem quoque exitum consecutus sit, & cauete ne in idem exemplum incurratis si aliquid simile agere volueritis. Domnum etiam Apostolicum deprecamini, vt eum dignetur absoluere, & pro illo apud Deum interuenire. Pro me quoque attentius postulo, vt eius mihi beneuolentiam concilietis, quatenus tam de me, quam etiam de sede Rhemensi mercedem dignetur habere, & sua illi priuilegia inuiolabiliter custodire, sicut omnes sancti prædecessores ipsius semper fecisse noscuntur: & si aliquis* vnquam aures clementiæ ipsius inquietare, & de nobis sinistri aliquid dicere præsumpserit, non prius obloquentibus credere, donec per me, aut certo per suum, vel meum missum, quod verum sit, possit agnoscere. De cætero cognoscat imperialis dignitas vestra, Ramponem propinquum vestrum & meum, ab eodem domno Apostolico excommunicatum, sicut ex eius litteris agnouimus. Pro quo obsicere* mansuetudinem vestram vt eum deprecemini, quatenus illi locum pœnitendi, & quæ admisit emendandi non deneget, nec eum perpetuo anathemate innodatum irrecuperabiliter perire sinat: sed quam illi placet, pœnitentiam & satisfactionis mensuram illi iniungat. Nobis etiam & vniuersis Italiæ vel Galliæ Episcopis, quibus de eius damnatione scripsit, vicissim de sua misericordia quid illum agere, & qualiter esse conuenias rescribi iubeat.*

m. quisquam.

ms. [illegible]

ALBRADO regi Transmarino amicabiles litteras mittens, grates refert, quia tam bonum virum & deuotum Ecclesiasticisque regulis congruentem destinauerit Episcopum in ciuitate Cantaburg nomine, Audierat enim, quod peruersissimam sectam paganicis erroribus exortam, & in illa gente tunc vsque relictam, verbi mucrone satageret amputare. Quæ secta sua [illegible] xere videbatur, Episcopis & presbyteris subintroductas habere mulieres: ad propinquas quoque generis sui quisque vellet, accedere insuper & sacratas Deo feminas incestare, & vxorem habens concubinam simul habere. Quæ omnia, quam sanæ fidei sint aduersa docu-

Albradus rex Anglo. [illegible]

mentis manifestat euidentissimis, ex sanctorum patrum * probatis auctoritatibus RICHILDIM reginam vel imperatricem litteris commonens atque redarguens, dolore multo se fatetur esse correptum, pro fama non bona, quæ ad ipsum de vita vel actibus eiusdem reginæ peruenerat: quod scilicet esset diabolus, vbi fuisset illa, magis quam Deus, cum forent circa illam quæ contra salutem militant animæ, id est, iræ, rixæ, dissensiones, incendia, homicidia, luxuriæ, rapinæ quoque pauperum, peruasiones Ecclesiarum. De quibus omnibus debita sollicitudine & pastorali diligentia commoneat eam, vt transferat se de tantis malis ad fructum æternæ salutis: proponens ei quadriuium vel quadrigam virtutum, quam assumens & ascendere nitens, apprehendat ea quæ sunt sapientiæ atque sanctimoniæ, ac felicitatis æternæ. Velamen quoque Christi, quod assumpserat viduitatis, incorruptum seruare studeret, vt illud inuiolatum Deo repræsentare posset: nec properare velit ad inferos, vt inueniat inæstimabile malum multarum, quas ei propalare nititur, miseriarum. Perpendat, si est amica Dei vel soror. Quod si non est sine intermissione det operam, vt esse possit, etsi non candore virginitatis, studio tamen continentiæ salutaris, recte credendo, Deum ac proximum diligendo, pietatis opera faciendo, sobrie & iuste & pie viuendo: attendat vt vitam corrigat donec hodie cognominatur, ne incidat in laqueum confusionis æternæ, dum non recogitat quam velociter præsens hodie transeat. Parcat animæ suæ, & attendat vt Deo proxima fiat, & * habeatur columba per simplicitatem & innocentiam, vt audire mereatur à Christo cum exierit è corpore: Hyems transiit, & recessit, columba mea veni, mecumque requiesce, sedens in dextera patris mei. Multumque, se ideo loqui asserit, quod de ipsius salute plurimum sollicitus sit, optans vt vere fiat regina, ornando virtutibus viduitatem suam, præ oculis habens diem mortis, vel resurrectionis suæ, audiatque Apostolum dicentem: Euigilate iusti, & nolite peccare. Det tandem Deo suo gloriam, & operetur salutem propriam, diuertat à malo, & faciat bonum. Oratque exoptans vt correptio sua & emendatio necessaria salubrisque compunctio tangat cor eius, vt tandem aliquando resipiscat diaboli laqueis: gratia quoque Dei resuscitet eam de sepulchris vitiorum. & cætera. Febricitantem quoque in malis, faciat eam firmam & stabilem Deus, fixamque in bonis, vt hic & in æterna vita possit gaudere cum sanctis. *Quod si consilium nostrum, inquit, audieritis, tales vobis erimus, quales esse debemus, in omni fidelitate & reuerentia atque deuoto seruitio, & quod his omnibus maius est, erit vobis Deus propitius, sicut optamus, & oramus. Alioquin volumus vt sciatis reuera quod pro vobis nolumus incurrere offensionem Dei, sed secundum ministerium nostrum, faciemus de vobis, quod canonica nobis iubet auctoritas. Quod quam inuiti faciemus, Deus testis est, non enim possumus discedere ab Apostolo, qui dicit: Quamdiu Apostolus sum gentium, ministerium meum honorificabo, &, Dei adiutores sumus, &, Deus est, qui operatur in nobis. &, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Vnde precor Deum in conscientia mea, vt adhæreant cordi vestro verba mea, & ipse qui per me loquitur, hæc in auribus vestris per seipsum loquatur in corde vestro. Deus omnipotens ad vota nostra manum suam de alto, & liberet vos de temulento huius sæculi profundo.*

Quæ diuersis scripserit Episcopis.

CAPVT VI.

DIVERSIS etiam Præsulibus diuersa reperitur direxisse scripta, pro sale respersa, & diuinis auctoritatibus referta. * FLOTHERO Archiepiscopo pro rebus Rhemensis Ecclesiæ in sua coniacentibus diœcesi quæ ab inuasoribus non modicum patiebantur dispendium: monens & rogans, vt memor ministerij sibi à Deo collati, & Apostolicorum præceptorum, quorum plura subiungit exempla, his peruasoribus auctoritate canonica interdicat, ne de rebus huius Ecclesiæ amplius præsumere audeant, * sicut offensam Domini sanctorumque ipsius incurrere nolint. ROSTAGNO Arelatensium præsuli, grates referens quod eum de rebus Ecclesiæ Rhemensis sollicitum esse compererat, quas sub ipsius prouidentia & tutela constituerat: sed audiebat eas à quibusdam prauis inuasoribus infestari vel vsurpari. Vnde hortatur, vt eosdem peruasores, nisi resipiscant, districta percellat excommunicatione, si non iudicet rem huiusmodi ad Apostolicam sedem deferri. HERIMANNO Agrippinensium Archiepiscopo, significans se desiderare cum ipso, cæterisque diœceseos ipsius Episcopis loqui, & de necessariis Ecclesiarum causis, vt ab eodem sibi suggestum fuerat pertractare: id tamen insurgentibus Nordmannicæ persecutionis turbinibus impediri. Vt autem opportunitas se temporis aperuerit, maturata facilitate adimplere conari. Intimat præterea res quasdam Rhemensis Ecclesiæ in ipsius parochia peruerso iure à quibusdam peruasoribus possideri. Qua de causa expetierat Arnulfum regem apud VVarmaciam, vt ipse VVilleberto præsuli huius prædecessori præciperet, quatenus ipse super hoc negotio secundum edicta canonum ageret. A quo scilicet rege idem etiam Herimannus super hoc ipso legatus ad præmissum Episcopum fuerat destinatus. Sed quia idem VVillebertus præceptum regis in hoc adimplere non potuit, hunc monens rogat, vt eosdem peruasores, vel qui res ipsas inquietare conantur, animaduersione canonica feriat, nisi à cœpta præsumptione resipiscant. Decretum quoque Symmachi Papæ eidem Herimanno dirigit, vbi quid de talibus sit agendum manifestissima possit assertione cognoscere. Item eidem, pro quibusdam rebus huius Ecclesiæ super Rhenum sitis, in loco qui dicitur * Bothert, quas * Maingaudio commendauerat: quo defuncto petit, vt idem præsul Herimannus eas tutandas suscipiat. Quendam etiam VVibertum, qui res alias Rhemensis Ecclesiæ tenere videbatur, admoneat, vt eas cum amicitia sibi restituat. De rebus quoque cuiusdam abbatiæ sibi à rege concessæ, quæ in partibus ipsius Herimanni coniacebant, rogat vt eas ab extraneorum peruasione defendat. & cætera. VVALTERO Senonensis Ecclesiæ Archiepiscopo, pro causa Hildegardis Abbatissæ de qua placita quædam constituerat, sed ad nullum idem VValterus, partim occupatione, partim infirmitate pressus, attenderat. Vnde præscribit eidem, qua res ipsa finem legitimum sit habitura: precansque monet vt nullatenus omittat, quin ad id placitum veniat. Si vero non venerit, ipse tamen, salua caritate, quod agendum est, auctore Deo, inde perficere conabitur: & quod hactenus id distulerat, non quasi auctoritatem aut priuilegium hoc agendi non haberet, egerat: sed potius causa dilectionis ipsius, quam per omnia inuiolatam seruare cupiebat. Petit etiam vt præfatam abbatissam idem VValterus, vtpote diœcesaneam suam, præmoneri faciat, quo ne velut ignaram se à conuentu ipsius subtrahere, sed potius die prænominata præsentem studeat exhibere. Item consolatorias eidem dirigens super ipsius ægrotatione litteras, & de absolutione, quam sibi petierat idem VValterus, tam ab eo, quam à fratribus ipsius fieri: simulque de ipsorum prouidendo ab eodem domno Fulcone, quando fieri possit, colloquio. PLEONICO Archiepiscopo Transmarino, congratulans bonis eius studiis, quibus eum laborare compererat, pro abscindendis & extirpandis incestuosis luxuriæ fomentis, supra in his litteris, quæ Albrado regi scripserat, commemoratis, quæ in ea gente videbantur inoluisse: sacris eum instruens & armans auctoritatibus * censuræ canonicæ, particeps nimirum piis ipsius laboribus cupiens existere. IOHANNI cuidam Romano præsuli, com-

memorans affectionem dilectionis quam habebat erga eum, ita vt diceret, nullum se inuenisse recordari, cum quo sic concorditer mutuo coniungeretur caritatis affectu: rememorans magna se quondam beniuolentia susceptum ab eo fuisse, liberabilissimaque humanitate tractatum, magnisque beneficiorum impendiis accumulatum. Asseritque se quantocius, pace reddita, dignis seruitiis ostensurum, tam erga eum, quam erga dominum Papam Stephanum gratam animi deuotionem: precaturque vt eum suo fauore tueatur apud ipsius excellentiam Papæ, & in quibuscumque necessarium viderit, ei sicut optime in ipso confidit, assistat. DODILONI Gameracensium præsuli, pro placitis sibi ab eo datis ad quæ minime attenderat, monens & rogans, vt satagat venire ad proximum placitum vbicumque rex Odo fuerit cum Episcopis, quoniam rem de qua tunc agebatur de Hildegarde & Hermingarde terminare deberent. Accusatores quoque ipsius Herminmardis, eosque qui presbyterum luminibus priuari, ac suspendi iusserunt, cum omnibus qui eidem nefandæ iussioni paruerunt, vel fautores huius sceleris extiterunt, commoneri faciat, & canonice conuocari, vt huic conuentui se studeant præsentare. Item pro eadem causa, gratias referens quia deuote ipsius commonitionem susceperit, & ad constitutam diem paratissimus occurrerit. Illud vero succensere videtur, cur cum de negotiis Ecclesiasticis ageretur causa, non per clericum, sed per laïcalis ordinis hominem sibi mandare voluisset. Ipse vero domnus Fulco, partim senioris seruitio detentus, partim corporeæ incommoditatis molestia præpeditus, iuxta condictum venire nequiuerat. Admonet etiam, eum meminisse debere, qualis ipse erga eum quondam extiterit, qualiter sine rege, sine vllo ipsius parti consulente modis omnibus institerit, vt ad hunc Episcopalem perueniret honorem, cum adhuc sibi perfecte notus non esset. Ita tamen pro eo egerit, veluti pro fratre carissimo, quia crediderat & credebat in eo simplicem prudentiam, fidem non fictam, & firmam & inde mutabilem stabilitatem: sperauerat etiam in omnibus sibi cooperatorem & adiutorem fore. Per illam ergo sinceram dilectionem, quam in ipso credebat, eum se dicit monere: mandans vt posthabita omni dilatione vel occupatione, ad condictum conuentum Episcoporum præsens adesse studeat, nulla causa excepta, nisi tantum infirmitate corporea. Personas etiam præmissas, quas per alteram significauerat epistolam, commoneri canonice faciat, vt præparatæ ad solennem cœtum Episcoporum die præfixa se satagant præsentare. Item cum cæteris coëpiscopis, Didone scilicet Laudunensi, Herilone Nouiomensi, Rieulfo Suessorum, * Herimando Morinensi scribens huic Præsuli Dodiloni significat, hos præmissos in vrbem Rhemensem conuenisse Præsules, ad tractandum de peruasione Balduini, de quo scripserat eidem * Dodilo, admonere illum, vt resipisceret à prauo temeritatis suæ fastu. Sed quoniam idem Præsul rescripserat, occurrere eisdem Præsulibus se nequiuisse, quia suum iter Nordmannorum præripuit gladius, ceu de communi comperiur captio. Cæterum quod petierat de Balduino, in hoc adquiescit ei, vt admonendo, exhortando, & increpando, sedulo eum corripiat, vt à sua corrigatur prauitate, diuinas ei proponens sanctorum sententias patrum: litteras etiam eidem Balduino ab ipsorum Episcoporum parte dirigi significat. De quibus hortatur, vt si fuerit præsens, ei recitentur: si absens fuerit, per suum archidiaconum ipsi transmittat, qui etiam illas eum intelligere faciat. Quod si & eum ille nequiuerit adire, litteras ipsas publicè coram se legi faciat in loco, vbi Balduinus religionem peruasit, & deinceps, nisi resipuerit non ei vel monachus, vel canonicus, vel quilibet rite Christianus adiungatur, si non anathematis vinculo implicari voluerit. Si Hetilo, quoque ad

supra c. 4.
Herilando.
Bald. Caluus. fland. Comes.
Dodilonis.

ciuitatem Attrabatensem venerit, Dodilo illi occurrat, vt de hac re quod agendum est, canonice peragere possint, & quidquid inde fecerint, litteris sibi significet. HETTILONI præsuli litteris mandat, vt proficiscatur cum fidelibus regis ad Attrabatem, agens pro posse quod in alio scripto agendum sibi repererit significatum. Item pro his quæ à Dodilone Camaracensi patiebatur Episcopo, asserens quomodo pro benefactis, ab eo sibi contumeliosa retribuantur: adiciensque hunc sibi testem, qualiter eumdem Dodilonem paterno simplicique benignitatis affectu ad potiora prouexerit. Sed & quomodo Rodulfus vir deuotus abbatiam quandam in huius Hetilonis parochia sitam Rhemensi delegauerit Ecclesiæ, committens simul eidem corpus beati Calixti Papæ & martyris, quod impetrauit à Romana detulerat vrbe. Intimat ergo qualiter precatus sit amicabiliter præfatum Dodilonem, ad Atrabatense castellum venire, & inde pignora præfati martyris honorifice leuare, atque vsque ad cœnobium sancti Quintini deducere. Hunc etiam Hetilonem expetierat, vt ad ipsum cœnobium occurreret, & tamdiu cum sacro comitaretur corpore, donec ipse domnus Fulco veniret, & illud decenter exciperet, & vsque ad hanc Rhemensem valeret vrbem deducere vbi tamdiu seruaretur, quousque, pace reddita, loco proprio ipsius Hetilonis parochia sito restitui posset. At Dodilo cum debuisset agere quod petebatur, è contra, filiationis ac fraternitatis posthabita reuerentia, in medio occurrens viæ, & de manibus gestantium sanctum pignus abripiens, apud se reposuit, dicens non illud cuiquam se redditurum, nisi eidem Hetiloni, in cuius dinoscebatur fuisse parochia depositum: & hoc ipsum nouæ fraudis argumento gessisse, quo valeret præfatum corpus sacrum cuidam * Hucboldo Comiti tradere. Quocirca petit hunc Hetilonem, vt missum suum ad eum dirigat, & paterno ac fraterno amore ipsum redarguens, corrigat, & in memoriam ei reuocet, quomodo religionis solius & fidei, quam in eo [illegible] credebat, intuitu, illum absque regis aut principis alicuius expectatione in sede Pontificali locauerit, [illegible] neatque vt à cœpta temeritate pedem reuocet, ne aliquid hunc eumdem Archiepiscopum contra se, quod idem nolit, agere compellat. Hunc quoque precatur Hetilonem obnixe, ne illi assensum in re tali præbeat, sed iustæ parti in omnibus faueat, & thesaurum cælestem, Rhemensi Ecclesiæ à præmemorato viro traditum, vrbi ac basilicæ ipsius restitui non solum consentiat, sed etiam totis viribus adiuuet. DIDONI Laudunensi Episcopo, pro reconciliatione animæ cuiusdam VValcheri, qui reus maiestatis inuentus, supplicium mortis incurrit. De quo audierat, quod in articulo mortis pœnitentiam per confessionem & sacræ communionis viaticum ab ipso expetierat, nec impetrare valuerat. Insuper & sepulturæ beneficium fuerat ei denegatum, & orari pro eo prohibitum. Succenset ergo eumdem Præsulem, hortens cur sic voluerit agere, cum sciret optimè, quod auctoritas sacra de non neganda in vltimis statuerit pœnitentia: adhibetque nonnulla sanctorum patrum super hac re testimonia, monens vt considerato communi periculo, imitetur communis Domini pietatem, & huic peccatori remedium pœnitentiæ in vltimis deprecato, impendat misericordiam, vt & orari pro eo faciat, & per seipsum reconciliationem, animæque commendationem more Christiano persoluat: eumque de loco peruio, in quo non sepultus, sed proiectus erat, ad cœmeterium fidelium transferat. Item pro hac eadem causa, postulans & adhibens exemplum beati Gregorii de quodam monacho, quem iusserat nec sepulturæ communi [illegible] di, nec orationibus iuuari: at post * legitimum spatium reconciliationem eidem præcepit impendi adiiciens etiam illud Euangelicum: quia filius hominis venit quærere, & saluum facere quod perierat. Sed &

al. Calixti.
al. Balduino.
al. chald.

Conc. Nicæ. c. 13 & 12.

Nicæni Concilij testimonium, quo generaliter cuilibet in exitu posito, & poscenti gratiam communionis, tribui præcipitur. PETRO cuidam Romano scribit Episcopo, pro his de quibus Formosum Papam consuluerat super Hernando Morinensi Episcopo, quem Catalaunicæ præficere decernebat viduatæ Ecclesiæ, petitque vt suggerat Papæ pro hoc suo consultu, quatenus optatum super eo cuius adipisci mereatur responsum: commemorans quod gestum reminiscatur super Actardo Namneticæ vrbis Episcopo, quod eum Nicolaus Papa Morinensi Ecclesiæ postea censuerit præficiendum, ac demum in Archiepiscopatu sedis Turonicæ decreuerit incardinandum. Precatur etiam vt idoneam super hoc exquirat auctoritatem, repertamque sibi destinet exequendam. HONORATO Beluacensium Præsuli scribit, asserit se mirari vehementissime, quomodo id potuerit contingere, vt animus ipsius tam contrarius & aduersus sibi existeret, cum sciret qualis erga eum fuerit, & qualiter eum loco fratris ac filij semper habuerit, qualique affectu, vt ad eumdem honorem perueniret, decertauerit. Nec tamen ideo desperare debeat, sed quantocyus ad pacem & concordiam secum tenendam redeat. Monet igitur eum tanquam filium carissimum, redire ad semetipsum, & cogitare cuius sit ordinis, cuiusque professionis, perpendatque quod in nullo ab ipso læsus existat, & si possibile sit, ad se veniat, quatenus de his collato sermone melius conferant. Si vero id fieri nequit, quemdam familiarem sibi dirigat, per quem quæ fert animus eidem remandare valeat. Notificat etiam se audisse quædam de ipso, quæ non facile credere potuerit, scilicet quod rapinis insisteret, alienas possessiones inuaderet, & pecunias diriperet: nominatimque designat Rotbertum quemdam apud se fuisse conquestum, quod vniuersa mobilia sua ei abstulerit. *Ego autem*, inquit, *non hoc de vobis credere possum, sed puto esse aliquem, qui vestra gratia & auctoritate fretus, hæc agere præsumpserit, & ideirco vobis adscribitur quod ab alio gestum est. Si ergo a quocumque vestro id factum est, obsecro vt auctorem huius mali digne corrigatis, & damnum omne emendare iubeatis. Si autem verum est, quod vos ipsi hoc egeritis, precor vt à tali intentione desinatis, & ei qui damnum passus est, sua ex integro restitui faciatis.* Item redarguens eum de nonnullis, quæ ad se non simplici professione scripsisse videbatur, quasi domnus Fulco pacem & concordiam perturbasset. Significauerat etiam à prauis quibusdam suam vexari Ecclesiam, & super hac re nullum ad hoc Archiepiscopo petentem se suscepisse responsum. Vnde reuocat ad memoriam, quia precatus, quam præceptio apud ipsum maluerit obtinere illis hominibus inducias interim dari, quousque simul quiuissent ipsi Præsules loqui. De quodam quoque Aledramno, quem tunc excommunicare minabatur, & Archiepiscopo suam exequi censuram præcipere videbatur: asseritque se nunquam destinasse communibus & collatis coepiscoporum præceptionibus ac suggestionibus non parere: Beluacensi tamen Ecclesiæ singulariter Ecclesia Rhemensis parere nesciret. Et quia in hac excommunicatione non Ecclesiastica vigere censura, sed præceps præualere cernebatur animositas. Cuius rei erat initium desertio regis Odonis, & institutio Caroli. Annectitque post aliquanta, de viduatione Ecclesiarum, Siluanectensis videlicet atque Catalaunensis, quarum Siluanectensis tunc elegerat Otfredum, quemque ad Rhemensem Præsulem perduxerant, sibique petierant ordinandum Pontificem. Ad quam petit hunc ordinationem venire, remota, vt canonica iubet auctoritas, omni excusatione. Subiungit quoque monens, ne intendat eius animus hæc ita dicta, tanquam eumdem non liceat Episcopum vltra in ipsius sperare amicitiam, quam sibi mutuo coniunxerant, quamque inconuulsam omni tempore Archiepiscopus tenere cupiebat, & ad honorem suæ sedis, sedem ipsius honorare ac sublimare desiderabat. Sed quia se mordaci reprehensione videret eius latenter corrodi litteris, à tanta subreptione se voluerit excusabilem reddere, ne videretur in hoc ei silendo assentire. Item pro ordinatione Mancionis Catalaunensis Episcopi, ad quam eumdem Honoratum venire mandauerat. sed ille non veniens, etiam ipsam ordinationem reprehensionis elogio notarat: quam tamen reprehensionem Archiepiscopus caritatis studio patienter ferebat, mandans & poscens, vt ad ordinationem prænitsi Otfridi occurrere studeat, &c. Item pro litteris ab eo sibi directis, in quibus hortatus fuerat, vt statui, & religioni sanctæ Ecclesiæ labentis succurrere deberet. Vnde gratiarum vota Deo se persoluere Archipræsul asserit, qui ad hoc suadendum eius excitauerit animum, cum priores ipsius Episcopi epistolæ tumidum viderentur præferre rancorem: hæ vero iam fraternum testarentur amorem. Si vero quod verba resonabant, Honoratus corde teneret, paratum se dicit eius caritati respondere, eamque inuiolabiliter conseruare. Sed quia tunc opportunum tempus, quo simul conuenire valerent, non videbatur, cum, Domino iuuante, tempus arrisisset, id competenter tam ipsi, quam cæteris suffraganeis prænunciare curaret. Item pro iussione Stephani Papæ, qua mandauerat domno Fulconi, data eidem licentia interim, vt petierat, remorandi, quatenus hunc Honoratum mitteret ad synodum ibidem celebrandam. Vnde monet, vt sicut Papa iubet, eius præceptioni obtemperet. LEVTHBALDO Lingonensi Episcopo amicabiles & caritatis vtrimque * coniunctrices dirigit literas, significans de priuatis inter se rebus, quas ei Leuthbaldus per suum significauerat missum, & de communi colloquio secum, de regia quoque & ipsius Leuthbaldi consanguinitate, atque amicitia ipsius Episcopi Regi Karolo grata. Rogat etiam sibi remandari de Richardo Burgundionum principe, & de Aquitanis, quod eum contigerit scire, & cætera. RODVLFO iam dicti Didonis Episcopi successori, gratulando de honore ipsius, & profectu in Domino. Item pro quodam ipsius Rodulfi subiecto, sed ab eodem abiecto, monens cauendum ne lædatur in hoc Episcopalis opinio, dum quod agitur zelo rectitudinis, feratur fieri zelo exercendæ vltionis: inferens Ecclesiam Remensem hoc ex antiquo priuilegium habuisse, vt quicumque diœcesaneorum proprios Episcopos quolibet offendisse se modo sensissent, ad hanc cæterarum matrem confugerent Ecclesiarum auxilium sibi veniæ flagitantes ab ipsa. *Ast ego*, inquit, *nulla in hoc negotio vti volo auctoritate: sed sicut amicum ab amico, immo sicut a specialiter dilecto filio postulare; eo quod me apud vos, non dicam aliquid, sed bene posse confidebam.* Subiungens quoque post aliqua, quia miseratio non est præuaricatio: cum Deus quotidie, post minas districtæ vltionis, ad se conuersis paternæ consueuerit impendere viscera pietatis: & quia nemo sic vnquam cadit, vt ei resurgendi copia debeat denegari. & cæt.

* ms coniunctrices.

Quæ abbatibus, vel illustribus viris quibusdam.

Cap. VII.

STEPHANO cuidam abbati ac nobilissimo viro, qui ad Episcopatum electus videbatur, tunc autem forte reiectus vel reprobatus, consolatorias dirigit litteras, amicitiam, quam ei promiserat, asserens se perpetuo seruaturum. Dolens vero & ingemiscens, quod eum, quem prælectum regimini gaudebat Ecclesiæ, hoc videbat tunc effectu frustratum: hortatur tamen, vt licet elisus sit fortiter, validius resurgat: cupiens eidem omnes propinquos & amicos suos, vel quoscumque alios posset ad pacem & concordiam reuocare. & cætera. BALDVINO Comiti Flandrensi, pro admissis ipsius, de quibus cum coepiscopis diœceseos suæ, quæ forent agenda tractauerat. Qui Balduinus inter alia quælibet praua, etiam presbyterum flagellauerat.

Quod factum quanti sit sceleris, ex diuinis ostendit auctoritatibus. Basilicas etiam quasdam abstulerat à presbyteris inibi ordinatis, & aliis dederat, inconsulto ipsorum Episcopo. Possessionem quoque quamdam, quam rex Ecclesiæ Nouiomensi tradiderat, idem Balduinus inuadens, per violentiam retinebat. Adnectit ergo canonica & legalia super huiusmodi facinoribus capitula. Redarguit etiam eumdem pro eo quod monasterium monachorum sibi vsurpauerat, & insurrexerat contra regem cum infidelitate & periurio. Super quibus rebus iam c[...]dum data sibi dilatione, & adhibita Episcopali admonitione; hanc, de loco ad locum sese conuertendo, videbatur subterfugere. Vnde & his eum litteris paterna vocans admonitione, hortatur emendationem profiteri. Quod si non faceret, extorrem se sciret esse * à Christiana communione & cætera. Item ad eumdem cum coëpiscopis suis scribens ex synodo Remis habita Dominicæ incarnationis anno DCCC. xcij. arguit eum quod Ecclesiastica simul & legalia iura contemneret, res Ecclesiasticas, & honores sibi non concessos inuaderet, Dei timorem à se proiiciens, & fidem quam in baptismate Deo promiserat, operibus abdicans, locum sacri monastici ordinis peruadens, & abbatis sibi nomen vsurpans. Vnde communi decreto Episcoporum iudicatum fuerat, eum auctoritatis canonicæ anathemate feriendum. Sed quoniam & Ecclesiæ, & publicis regni vtilitatibus videbatur accommodus, censura suspenditur adhuc animaduersionis Ecclesiasticæ, recogitandique sibi & emendandi spatium reseruatur, & obsecratur per misericordiam Dei, vt ab hac præsumptione animum reuocet, nec amplius iram Dei contra se prouocet, * nec illi quodammodo gladium præbeat, & cætera. Diuinarumque sequuntur auctoritatum testimonia ad correptionem ipsius quoque prolata. Quibus si adquiescere nollet, ab omni se nosset Ecclesiæ consortio sequestrandum, perpetuoque anathemate feriendum. Ipsius quoque propalat excommunicationis sententiam in eumdem, si se corrigere noluit, quantocyus iaculandam. Clero & plebi Siluanectensis Ecclesiæ, pro pastoris sibi præferendi scribit electione, succensens cur ad se venire distulerint, vel apicibus alloqui se, quam viva voce maluerint: mandans vt electas è collegio suo personas, tam ætate, quam sapientia maturas & idoneas, ad se mittere maturent, qui nec gratia, nec odio, aut vllius auaritiæ obtentu, à tramite recto exorbitare vllatenus * appareant. Ministris quoque Lauduensis Ecclesiæ, pro eo quod audierat inter eos contentiones esse, & conuenticula seorsum facere. Quapropter monet eos vt filios, quod si hæc ita fuerint, omnimodis amputentur: conuentus autem ipsorum fiat moderatus atque iocundus, in quo secundum ætatem, vel datam sibi à Deo probitatem, omni deposito supercilio, quisque loquatur, &c. De concordia & caritate vera constituenda atque seruanda, mittens eis exemplar epistolæ ad Odonem regem pro obtinenda ipsis canonica electione à se missæ, & exhortans, vt vnanimes cum sancti Spiritus adiutorio congregati, magnopere satagant, & Dei clementiam attentissime implorent, vt eorum pastorali dignetur adesse electioni. Fratres Corbeiacensis cœnobii litteris suæ visitans admonitionis, redarguit & vehementer increpat super abiectione sui abbatis, quem graui correptum infirmitate, crudeli abdicauerant temeritate, nec eum ad ipsos venientem, saltem vt peregrinum susceperant, aut ei vllam humanitatem impenderant: sed eum de communi habitatione perturbantes, in vilissimo extra claustra monasterii loco retruserant, & communi statuto firmauerant, vt ad eumdem visitandum vel consolandum venire nullus auderet: sed neque moriens communi sepultura dignus haberetur. Vnde admirans talem sensibus eorum obrepere potuisse improbitatem, & Apostolicas atque regulares, super obedientia præpositis exhibenda, proponens præceptiones, ostendit non eis licuisse abbatem regulariter electum, & Archiepiscopi ordinatione rationabiliter institutum, ita contra fas omne dehonorare, & diuina humanaque in eo iura vel instituta conuellere atque confundere: cum non sit in eorum arbitrio vel potestate, cum voluerint, abbatem deponere, & alium ad libitudinem suæ voluntatis instituere. Proponit etiam maledictionem Chami, qui pudenda patris irrisit, & eiusdem complices eos ostendit esse maledictionis: ac proinde interposito ordinis ipsorum periculo, monet, auctoritate & ministerio sibi à Deo iniuncto præcipiens, vt ab hac pertinacia resipiscant, eumdemque sui loci patrem, sicut abbatem honorent ac diligant, donec si conualuerit, & ipse tale otius ferre non potuerit, ipse ad regem excusaturus accedat, vt eius præceptione, & Archiepiscopali auctoritate ipsius in loco alius substituatur abbas.

S. Vedasti Atrebat.

ms. deest a.

ms. j. ne.

l. appetant.

De rebus quibus Episcopium auxit, & cæteris bonis, quæ in episcopatu egit.

Capvt VIII.

Mvlta denique bona in hac sede Remensi præsul hic operatus est. Nam & Episcopium, rebus impetratis pluribus, tam monasterio Auennaco, quam nonnullis aliis, à regibus, ac diuersis personis obtentis possessionibus, amplificauit, atque diuersis muneribus & ornamentis hanc Remensem Ecclesiam decorauit. Vrbem quoque (cuius murum, ob ædificationem basilicæ Dei genitricis Ebo destruxerat) iste nouo circumdedit muro. Quædam etiam castella à nouo instituit, Altimontem scilicet, & aliud oppidum Sparnacum, quod Odo rex, quia descierat ab eo propter electionem Karoli, subuertit. Venerabile quoque [...] Remigii corpus ab Orbacensi monasterio Remensem reuocauit ad vrbem. In qua relatione multa & magna sunt ostensa miracula superius à nobis partim declarata. Eo tempore Nordmannis Francorum terræ infestantibus, & diuersa loca depopulantibus, hic Pontifex plures, tam sacerdotes, quam cæteros clericos & monachos, ad se vndecumque confluentes benigne suscepit, & paterne fouit. Inter quos etiam monachos S. Dionysii cum ipsius martyris pretioso corpore, aliorumque sanctorum pignoribus recepit, & alios. Corpus etiam beati Calixti, concessa sibi vel Ecclesiæ Remensi abbatia eiusdem sancti, Remos deduci fecit, & post altare sanctæ Mariæ venerabiliter collocauit, iuxtaque illud pignera beati Nicasii, & sanctæ sororis eius Eutropiæ, ab Ecclesia tituli sancti Agricolæ honorifice delata, constituit.

Orm...

Luc. 11.

De sancto Gibriano & fratribus eius.

Capvt IX.

Delata sunt etiam tunc temporis ad Ecclesiam beati Remigii membra S. Gibriani à pago Catalaunensi, vbi peregrinatus fuisse noscitur & humatus. Aduenerant siquidem in hanc prouinciam septem fratres ab Hibernia, peregrinationis ob amorem Christi gratia: hi scilicet, Gibrianus, Helanus, Tresanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus cum tribus sororibus suis Francla, Promptia, Possenna, eligentes sibi super fluuium, nomine Maternam, opportuna degendi loca. Quorum hic Gibrianus sanctus sacerdos quemdam vicum elegit ad habitandum Cossa vocatum, vbi plurimis annorum curriculis sobrie, iuste, & pie viuens, vsque ad exitum vitæ bonum studuit certamen certare. Cuius corpus primo iuxta publicum fertur aggerem sepultum fuisse, vbi postea supra tumbam ipsius est oratorii ædicula constructa, ob insignia scilicet

scilicet quædam miraculorum ibidem manifestata. Ad quam confluere populi solita fuerat frequentia, maxime cum depositionis eiusdem celebrarentur festa. Multa namque inibi sanitatum tribuebantur remedia, ex quibus quædam habentur descripta, sed plurima celantur ignota. Tres tamen mulieres nominibus adscriptis ibidem notantur illuminatæ. Cuidam præterea * Grimoaræ manus cum integra est sanitate restituta. Tempore denique Regis Odonis, grassante Nordmannorum crudelitate, terrasque Francorum vastante, huius sancti Ecclesiola igne cremata est cum aliis multis eiusdem pagi. Post cuius combustionem sæpius auditæ feruntur voces inibi psallentium personarum non apparentium: luminaria tamen quædam noctibus inibi videbantur ardentia. Cumque fama huiuscemodi virtutum circumquaque percrebuisset, superno ductus amore, sanctique veneratione * Hadericus religiosus Comes, accessit ad Rodoardum Episcopum Ecclesiæ Caralaunicæ obnixe flagitans, vt quia locus ille, vbi hoc sacrum corpus sub dio iacebat, funditus erat destructus, darer ei licentiam illud transferendi, vbi deuotius & venerabilius seruari valuisset. Qui dum diu persistens in precibus tandem suæ petitionis obtinuisset effectum, vocato nauta fertur ei naulum dedisse, eo tenore, vt noctu ante gallicantum ad oram fluminis eius præstolaretur aduentum. Cumque statuto noctis tempore viri tres cum quodam sacerdote adessent fluuij ripæ, missi ab hoc Comite, nauta defuit, naue vlteriori defixa fluminis oræ. His quoque viris aduentum nauigeri diu præstolantibus, & vicissim clamantibus cum nemo eis responderet, dolore perculsi corruunt in terram proni, deuote precantes, vt si Deo placitum foret, corpus illius sancti de loco eodem transferri, aliquibus id eis dignaretur ostendere signis. Moxque nauis soluta diuina virtute, nexu quo tenebatur affixa, ripæ qua expectabatur mirabiliter accedit appulsa. Quod admirando perspicientes, & maximas Deo gratias referentes, ascendunt nauem de voluntate Dei securiores effecti. Accedentesque ad locum sepulchri, & aperto saxeo in quo sacra membra iacebant sarcophago, reuerenter eleuant, transponentes hæc in præparato ad id opus nouiter scriniolo remeantes ad nauem transeunt celeriter flumen, hoc pignus cum laudibus deferentes ad vicum Balbiacum, vbi per triennium constat venerabiliter conseruatum. Post hæc ad Ecclesiam beati Remigij honorifice est delatum, & custodi Ecclesiæ deuote commissum, iuxtaque sepulchrum huius sanctissimi patris honorifice collocatum. Post biennium præfatus Comes cum vxore sua Herisinde domnum Fulconem præsulem humiliter expetiit, postulans vt ei locum sepulturæ concederet in dextera huius Ecclesiæ parte, iuxta ostium cryptæ. Quo impetrato, & altari statuto, atque argenteo decore cooperto, illic decenter hæc venerabilia deponuntur membra. Denique postquam à præfato sepulturæ suæ sublata sunt loco, quædam mulier cæca, Erentrudis nomine, illo candelam deferens accessit, impetrandæ causa medelæ. At comperto sacrum corpus inde sublatum penitus esse, nimio angore affecto cœpit flendo conqueri, cur sanctus hic Domini abinde se permisisset auferri? cur deseruisset vicinos, quibus beneficia solitus erat præbere diuina? Subueniri ergo sibi gemitibus exposcens, visum sibi est proficisci debere ad vicum Matusgum, vbi frater eius sanctus quiescebat Veranus. Ad cuius sepulchrum candelam ponens, sese que in oratione prosternens, cœpit flendo vtrumque inuocare fratrem. Dumque sancti nomen crebro repetit Gibriani, cœpit caligo albuginis ab oculis eius abrumpi: sicque diuina propitiante pietate, priscore donatur lumine. Præfatus denique Præsul honorabilis Fulco, sollicitus circa Dei cultum & ordinem Ecclesiasticum, amore quoque sapientiæ feruens, duas scholas Remis, Canonicorum scilicet loci, atque ruralium clericorum, iam pene delapsas restituit, & euocato Remigio Antissiodorense magistro, liberalium artium studiis adolescentes clericos exerceri fecit, ipseque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ operam dedit. Sed & Hucbaldum sancti Amandi monachum, virum quoque disciplinis sophicis nobiliter eruditum accersiuit, & Ecclesiam Remensem præclaris illustrauit doctrinis.

[Margin: * nomine Grimoaræ. — * Hai, Hadericus — Balby — Mazoog. — Remig. Antiss. — Hucbaldus.]

De interemptione Fulconis Archiepiscopi.

Cap. X.

Accidit autem vt abbatiam sancti Vedasti, quam Balduinus Comes tenebat cum Attrabatensi castro, rex Carolus pro infidelitate Balduini ab eo auferret, atque huic Præsuli eam concederet, Altmaro quodam Comite abbatiam sancti Medardi tenente: quam sibi visum est, opportunitatis gratia, cum eodem Comite commutare debere, quod & egit. Accepit itaque ab eodem Altmaro abbatiam sancti Medardi, & dedit illi abbatiam sancti Vedasti, recepto per vim obsidionis à Balduino Attrabatensi castro. Cuius anxietatis dolore succensus tam Balduinus, quam omnis eius comitatus, dum quærunt qualiter vlcisci se possint, amicitiam cum eodem Præsule se fingunt resarcire: quærentes vltionis locum, explorantesque quomodo à metatu suo ad regis colloquium stipatoribus vallatus proficisci soleret: quadam die, dum paucis admodum comitatus, regis peteret alloquium, cum in via, duce quodam Vvinemaro aggredientes, intercipiunt. Et quidem primum quasi de amicitia & recuperatione Balduini affantur, demum vero improuisum lanceis impetunt, prosternunt, ac perimunt. Quidam vero suorum sese ob nimium eius amorem super ipsum prosternentes, pariter cum eo transfixi & interempti sunt. Cæteri qui superfuere, his qui ad hospitalia remanserant, hæc maximi sui doloris nuntia portant. Qui rei nouitate perculsi, armisque muniti percussores Episcopi conantur vltione adoriri. Quibus minime repertis, corpus exanime, immensis eiulantes plangoribus, leuant, & cum ingenti suorum omnium luctu Remensem ad vrbem deferunt. Ibi tandem lotum, & dignis exequiis honoratum, decenti est sepulturæ mandatum. Cuius Antistitis hoc habetur Epitaphium.

Hoc tumulo magni Fulconis membra teguntur,
Remorum sedis Præsulis egregii.
Germine nobilium quem Francia protulit ortum.
Aulaque de scholis sumpsit, & excoluit.
Hinc Deus assumptum statuit virtute probatum,
Ecclesiæ speculum pontificemque pium,
Septenos denosque simul cui præfuit annos,
Tres menses, denos insuper atque dies.
Auxit Episcopium superaddens plurima rerum,
Vrbis & istius mœnia restituit.
Orbis honor, patriæ tutor, pietatis amator.
Pro studio pacis confoditur iaculis.
Septenum denumque diem iam mensis agebat
*Iunius, vt dira morte peremptus * abit.*
Cui matris Domini pariter quoque præsulis almi
Remigii pietas obtineat requiem. Amen.

[Margin: * apud Baron. obit.]

Denique Vvinematus eius interemptor ab Episcopis regni Francorum cum suis complicibus excommunicatus & anathematizatus, insuper insanabili à Deo percussus est * vulnere: ita vt computrescentibus carnibus, & exundante sanie, viuus deuoraretur à vermibus: & dum propter immanitatem fœtoris nullus ad eum accedere posset, miserrimam vitam miserabili decessu finiuit.

[Margin: * Baron. vlcere.]

De præsulatu domni Heriuei.

Cap. XI.

SEquitur in Pontificatu Remensi domnus Heriueus, ex aula quoque regis ad Episcopatum assumptus, vir genere nobilis, nepos videlicet ex sorore Hucbaldi Comitis, qui iuuenis quidem ad hunc prouectus est honorem, exequentibus & rite celebrantibus eius ordinationem Riculfo Suessorum episcopo, Dodilone Camaracensi, Orgario Ambianensi, Mancione Catalaunensi, Rodulfo Laudunensi, Otfrido Siluanectensi, cæterisque diœcesaneis consensum præbentibus, & decretum huius ordinationis corroborantibus. Qui mox huic adeo gradui sese exhibere studuit habilem, bonis omnibus præbens amabilem, ipsis etiam senibus imitabilem: benignus amator existens pauperum, largus solator religiosorum, multumque misericors recreator Ingentium miserorum: Ecclesiasticis apprime cantilenis eruditus, ac psalmodia præcipuus, & huius exercitatione limitatus, animo vultuque iocundus, suauis atque mitissimus, omnique bonitate conspicuus, pater cleri, atque totius populi pius patronus: tardus ad irascendum, & velox ad miserandum, amator Ecclesiarum Dei, & fortissimus ouilis sibi commissi cum Dei virtute defensor. Recepit denique res diuersas & villas Ecclesiæ, quas antecessor suus per precarias siue præstarias diuersis contulerat personis. Cui sedula intentione sectanti spiritalia, affluenter exuberabant temporalia, quæ ipse honesta dispensabat prudentia, disponens competentibus episcopium ministerialibus, ipse orationibus incessanter intentus. Replentur igitur Ecclesiæ diuersa bonis vbertimis tam horrea, quam promptuaria: disponuntur cunctatum rationabiliter, tum misericorditer prædia: sed & quædam reparantur ab eo, vel etiam instituuntur municipia.

De relatione beati Remigij ad monasterium suum.

Cap. XII.

an. 901. 4. Cal Ianuarij.

HIc præsul corpus beati Remigij, quod catenus in ciuitate seruabatur locatum post altare Dei genitricis maioris Ecclesiæ, ab basilicam sepulturæ ipsius sancti referre disposuit. Erat autem hyemale tempus, & ad celebrandam Dominici natalis solemnitatem, tam rex Carolus, quam nonnulli proceres eius in hanc conuenerant vrbem. Cumque his diebus, multis imminentibus imbribus, nimium per totam vrbem, & circumquaque haberetur lutum, conqueri multi cœpere, qualiter illud sanctum corpus tunc ad locum destinatum valerent efferre. Factum est autem, vt nocte post sanctorum Innocentium natale, cuius insequente die id operis disponebatur expleri, Borea ex improuiso media nocte insurgente, totius subito cœni gelarent immanitas, ita vt humi limique humore desiccato, per glaciei repente datæ superficiem, sicco liberoque vestigio, membra * sacra valerent deferri Pontificis. At vbi extra ciuitatem ventum est ad locum, vnde monasterium ipsius directo iam peteretur itinere, claudus quidam, de quo iam supra retulimus, virtute diuina erectus, & incolumitati est restitutus. Vbi cum multus haberetur populus, turbis vndique confluentibus, principi Burgundiæ Richardo vaginæ auro exornatæ, gemmisque decenter excultæ, agminis densitate stipato, abscinduntur à baltheo. Quas quidam negotiator emptas per diuersa detulit loca, nec alicubi venundare potuit, donec post annum ad eumdem principem * in Burgundiam retulit, quas ille cum gratiarum actione, & sancti Remigij benedictione recepit.

ms. j. sacrata. lib. 1. c. 22. ms. in Burgundia.

De reparatione castri Mosomi, aliarumque munitionum quarumdam, vel Ecclesiarum.

Cap. XIII.

HIc Pontifex castrum Mosomum reparatis muris, & Ecclesiam inibi dirutam à nouo restaurauit, atque in honore sanctæ Dei genitricis, vt olim fuerat, dedicauit, * collocatis ibi sancti Victoris ossibus, quæ haud procul ab eo fuerant [illegible] repetita. Munitionem quoque apud Codiciacum tuto loco constituit, atque firmauit. Aliam nihilominus munitionem apud Sparnacum super fluuium Maternam construxit. Ecclesias etiam nonnullas, quæ sub persecutione Nordmannorum dirutæ fuerant, restaurari fecit atque consecrauit. Sed & in Vosago infra possessionem beati Remigij ecclesiam construxit, ac per assensum Magontiacensis Episcopi, depositis inibi pignoribus eiusdem sancti, dedicauit. Remis quoque Ecclesiam in honore sancti Dionysij extra murum ciuitatis à canonicis vrbis constructam consecrauit, vbi & membra sanctorum beati Rigoberti Episcopi, & sancti Theodulfi abbatis servanda deposuit. Cryptam quoque sub ipsa sede maioris ecclesiæ, quæ diu tellure manserat oppleta, vbi beatus Remigius secreto preces Deo fundere fertur assueuisse, mundatam & excultam in honore ipsius sancti præsulis consecrauit. Multis quoque donariis Remensem Ecclesiam perornauit, coronis argenteis atque lampadibus, tam aureis, quam argenteis, illuminauit. Aliis etiam vasis vtriusque huius pretiosi metalli, sed & * gemmeis locupletauit. [illegible] super & altare in medio chori sub honore sanctæ Trinitatis e[illegible]didit atque dicauit, & tabulis argento coopertis circumdedit. Crucem quoque maiorem auro cooperuit, & gemmis cum sacrosanctis pignoribus decenter insigniuit. Ornamentis etiam holosericis quamplurimis almam decorauit aulam. Mihi quoque & cæteris tam clericis canonicis, quam monachis, & sanctimonialibus, omnibusque pro diuersis eum petentibus necessitudinibus multa largitus est bona.

De Synodalibus Conciliis habitis, & Nordmannorum conuersione, vel expeditione contra Hungaros.

Cap. XIV.

COnuentus denique synodales sæpe cum coëpiscopis suæ diœceseos habuit: in quibus de pace & religione sanctæ Dei Ecclesiæ, statuque regni Francorum salubriter competenterque tractauit. De Nordmannorum quoque mitigatione, atque conuersione valde laborauit, donec tandem, post bellum, quod Robertus Comes contra eos Carnotcus gessit, fidem Christi suscipere receperunt, concessis sibi maritimis quibusdam pagis, cum Rotomagensi, quam pene deleuerant vrbe, & aliis eidem subiectis. Ad petitionem quoque Vvittonis tunc Rotomagensis Episcopi, collecta ex diuersis auctoritatibus sanctorum patrum xxiii. capitula, qualiter ipsi Nordmanni tractari deberent, eidem Archiepiscopo delegauit. Insuper etiam Romanum Pontificem super huiuscemodi negotio consulere studuit. Ad cuius consulta quæ circa gentis huius conuersionem exequenda forent, insinuare non destitit. Hungaris quoque regnum Lothariense deprædantibus, dum Carolus proceres Francorum in auxilium sibi contra gentem ipsam conuocaret, solus hic Præsul ex omnibus regni huius primatibus, cum suis tantum in defensionem Ecclesiæ Dei, regi occurrit, habens armatos secum, vt fertur mille quingentos,

De Caroli Regis à suis derelicti sustentatione.

Cap. XV.

an. 910 SEquenti vero anno, cum pene cuncti Francorum optimates apud vrbem Suessonicam à rege suo Carolo desciscentes, propter Haganonē consiliarium suum, quem de mediocribus electum super omnes principes audiebat & honorabat, cum penitus reliquissent, hic Pontifex fidelis & pius atque robustus in periculis semper existens, regem intrepidus ab eodem loco suscipiens, ad metatum suum deduxit: indeque secum ad vrbem Remensem perduxit, & per septem fere menses eum prosecutus atque comitatus est, donec illi comites suos, eumdemque regno restituit.

De Erlebaldi Comitis excommunicatione, vel absolutione.

Cap. XVI.

EXcommunicauit hic præsul Erlebaldum Comitē Castricensis pagi, propter Remensis Episcopij terram, quam peruaserat, ibique munitionem quamdam super Mosam construxerat, indeque frequentia ecclesiasticæ familiæ mala ingerebat. Insuper & castrum Altimontem furtim irruperat. Sed cum nec ita cessaret à malis quæ cœperat, pergit Archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem, quam ille construxerat, Maceriasque nominabat. Quam per quatuor pene hebdomadas obsidens, deserente tandem illam Erlebaldo, cœpit, & dispositis inibi custodiis Remis rediit. At Erlebaldus profectus ad regem, qui tunc morabatur in pago Vvarmacensi contra Henricum principem Transrhenensem, ibidem ab hostibus regis sibi superuenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in synodo, quam apud Troslegium idem domnus Archiepiscopus cum diœcesaneis suis habuit, intercedente rege & obnixe flagitante, à vinculo excommunicationis absoluit.

Masieres sur la Meuse.

De obitu Heriuei præsulis.

Cap. XVII.

Robert rex Francor. EXcrescente denique discordia inter regem Carolum & Robertum, cum pene cuncti regni proceres ad constituendum regem Robertum apud S. Remigium congregati essent, idem Archiepiscopus, languore depressus, vita decessit, tertia die scilicet postquam Robertus rex factus fuerat, quatro vero antequam vicesimum secundum sui episcopatus expleret annum. Contigit autem vt ipsa die sui decessus plures qui aduenerant Episcopi, Remensem ingrederentur vrbem, quique funus ipsius dignis exequiis celebrantes, cum maximo suorum, sed & exterorum luctu, decenti tradidere sepulturæ.

an. 922. 2. Iulij.

De successione Seulfi Episcopi.

Cap. XVIII.

SVccessit huic præsuli Seulfus, qui tunc vrbis huius ministerio fungebatur Archidiaconatus: vir tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus disciplinis sufficienter instructus: quique apud Remigium Antisiodorensem magistrum in liberalibus studium dederat artibus. Quo per consensum & iussionem Roberti regis ab Abbone Suessonico, cæterisque Remensis prouinciæ Præsulibus ordinato episcopo, delati sunt Odo frater quondam Heriuei Archiepiscopi, & Heriueus nepos ipsius apud eumdem Præsulem, quod fidelitatem, quam ei promiserant, minime seruarent. Qua de re, quia noluerunt ad reddendam venire rationem coram eodem Pontifice, vel singulari certamine cum accusatoribus decernere, sublatis sibi ecclesiæ possessionibus, quas plures ex hoc retinebant episcopio per Heribertum Comitem deducti sunt ad Robertum regem, & sub custodia vsque ad mortem regis Rotberti, Odo quidem penes eumdem Heribertum, Heriueus vero Parisius detenti sunt. Fertur autem tunc ab hoc Archiepiscopo, & consiliariis suis, Heriberto Comiti depactum, de electione filij sui in hac sede pro prædictorum virorum expulsione. Hic denique Præsul Legatos huius ecclesiæ Romam dirigens, pro consensu Papæ Iohannis in ordinatione sua, pallium ab eodem sibi missum cum litteris priuilegij huius sedis suscepit.

Heribert. Comes Aquitaniæ.

an. 923. Ioan x.

De Synodo quam habuit, & cæteris actibus, vel fine ipsius.

Cap. XIX.

HIc etiam Synodum habuit, in villa Trosleio cum Episcopis Remensis diœceseos, vbi affuere nonnulli quoque Comites: in qua & Isaac Comes ad satisfactionem venit pro his, quæ praue perpetrauerat aduersus ecclesiam Camaracensem, quoddam castellum Stephani præsulis eiusdem vrbis, dolosa comprehensum peruasione, succendens. Pro quo facinore vadatus in hac synodo, centum libris argenti pacatur cum præfato Stephano episcopo, satagente Heriberto, & aliis qui aderant Franciæ Comitibus. Hic præsul monasterium sancti Remigij, cum adiacentibus ecclesiis, vel domibus muro cingens, castellum ibidem instituit, domum episcopalem cameris reparans, picturis excoluit. Fecit & calicem aureum maiorem cum gemmis, in honore Dei genitricis, pondo decem librarum: sed & alia quædam ecclesiæ præparauit ornamenta. Ciborium quoque super altare sanctæ Mariæ argento aggressus est operire, quod opus morte præuentus explere nequiuit. Fertur autem veneno potatus à domesticis vel familiaribus Heriberti Comitis vitam finisse.

924. mense Octob.

De electione Hugonis filii Heriberti.

Cap. XX.

NEc mora, post obitum ipsius Heribertus Comes Remis venit, aduocans Abbonem episcopum Suessonicum, & Bouonem Catalaunicum. Quibus sibi iunctis, tractans super electione rectoris huius Remensis ecclesiæ, tam clericos, quam laicos ad voluntatem suam intendere fecit. Sequentes igitur eius consilium ne forte per extraneas personas episcopatus diuideretur, eligunt filium ipsius, nomine Hugonem, admodum paruulum, qui nec adhuc quinquennij tempus explesset. Quare patrata ad regem properant, eius auctoritatis impetrandæ gratia. Rodulfus igitur rex, hac electione comperta, præfatorum episcoporum consilio Remensem episcopatum committit Heriberto, æquitatis censura disponendum atque regendum ab ipso. Qui etiam legatos ecclesiæ cum Abbone præsule Romam mittere satagit, huius electionis decretum secum ferentes, & assensum Papæ super ea petentes. Iohannes itaque Papa, interueniente Abbone præsule, petitioni eorum consensum præbens, episcopium Remense Abboni episcopo delegat, quæ sunt episcopalis ministerij ab ipso in eodem Episcopio tractanda ac finienda decernens. Heribertus itaque Comes potestate potitus Remensis episcopij, iniuste priuauit tam me, qui non interfueram præmissæ

an 925.

Rodulf rex Burgūdiæ.

electioni suæ quam nonnullos alios, & clericos, & laïcos beneficiis possessionum Ecclesiasticarum, quibus à præcedentibus Episcopis munerari videbamur obsecundationis gratia. Quæ pro libitu suæ voluntatis, quibus sibi placuit, impertiuit. Nec longum tumultu infra claustrum canonicorum inter clericos exorto, superuenientibus quibusdam militibus cum armis, duo interempti sunt ibidem clerici, quorum alter diaconus, alter habebatur subdiaconus.

De infestatione Hungarorum, & discordia inter Rodulfum Regem, & Heribertum Comitem.

Cap. XXI.

HVngaris Rhenum transgressis, & vsque in pagum Vonzinsem depopulationibus incendiisque bacchantibus, corpus sancti Remigij, aliorumque quorumdam sanctorum pignera Remis hoc metu à suis sunt locis delata. Sequenti denique anno simultas inter Rodulfum regem, & Heribertum Comitem exoritur pro Laudunensi Comitatu, quem Heribertus Odoni filio suo dari petebat, concedente illum rege Rotgario Rotgarij Comitis filio. Acies igneæ Remis in cœlo visæ quadam Dominica die in Martio mense. Cui signo pestis è vestigio successit, quasi febris & tussis: quæ prosequente quoque mortalitate, per cunctas Germaniæ Galliæque gentes desæuiit. Heribertus Comes legatos suos trans Rhenum dirigit ad Henricum, per quos ad ipsius euocatus colloquium, properat cum Hugone Roberti filio, pactoque inter se fœdere, muneribus Henricum honorant, & honorantur ab ipso. Synodus sex Episcoporum Remensis diœceseos apud Trosleium, Heriberti Comitis iussione conuocata, rege tamen Rodulfo contradicente, patrata est. Post quam synodum Heribertus Carolum de custodia, in qua eum detinebat, eiecit, & ad sanctum Quintinum deduxit, indeque cum eodem Carolo Nordmannorum colloquium expetiit: vbi se Vvillelmus, filius Rollonis principis Nordmannorum, Carolo commendauit, & amicitiam cum Heriberto confirmauit. Deinde Remis veniens cum Carolo Heribertus Comes, litteras Romam Iohanni Papæ dirigit, significans ei de restitutione & honore Caroli, vt ille sibi, etiam sub excommunicationis interminatione, mandauerat se pro viribus decertare. Reuersus autem missus, qui easdem pertulerat litteras, nunciat Iohannem Papam retrusum in custodia detineri à Vvidone regis Hugonis fratre. Heribertus Comes Lauduno potitus, exinde ad placitum Nordmannis obuiam proficiscitur, amicitiamque cum eis componit, filius tamen ipsius Odo, quem Rollo habebat obsidem, non illi redditur, donec se committit Carolo pater, cum aliis quibusdam Franciæ Comitibus & Episcopis.

De introductione Odalrici Aquensis Episcopi Remis, & redactione sub custodia Caroli Regis.

Cap. XXII.

PEr idem ferè tempus Odalricus Aquensis Episcopus, qui ob persecutionem Sarracenorum à sede sua recesserat, in Ecclesia Remensi recipitur ab Heriberto Comite, ad celebrandum Episcopale dumtaxat ministerium, vice Hugonis, ipsius Comitis filij, tunc adhuc paruuli, concessa eidem Præsuli abbatia sancti Timothei, cum vnius tantum præbenda clerici. Hugo & Heribertus Comites ad colloquium proficiscuntur Henrici. Vnde reuersi pergunt obuiam Rodulfo regi, rursusque Heribertus committit se illi, redacto iterum sub custodia Carolo. At Rodulfus Rex Remis veniens, vbi Carolus custodiebatur, pacem fecit cũ illo, humilians se ante ipsius præsentiam & reddens illi Attiniacum fiscũ, muneribus quoque quibusdam regiis eumdem honorat. Heribertus omnes Victoriacum castellum Bosonis fratris Rodulfi regis cepit. Deinde cum Hugone Monasteriolum munitionem Erluini Comitis iuxta mare sitam obsidet, obsidibusque tandem acceptis, ab obsidione discedit.

De simultate inter Hugonem & Heribertum Comites, ac Rodulfum regem exorta.

Cap. XXIII.

NEc longum, simultas inter eosdem Comites, Hugonem scilicet ac Heribertum, exoritur, recepto Erluino ab Hugone cum terra sua, & Hilduino, nec non & Arnaldo, qui erant Hugonis ab Heriberto: indeque diuersi motus agitantur bellorum per Franciam inter Hugonem & Heribertum. Cuius rei gratia Rodulfus rex de Burgundia veniens, pacem inter eos atque Bosonem, multo labore per diuersa placita componit, & Heribertus Bosoni Victoriacum reddit. Paucis autem diebus pace seruata, Heribertus Ansellum Bosonis subditum, qui prædictum custodiebat castrum, cum ipso castello recipit, & Codiciacum sancti Remigij municipium illi cum alia terra concedit. Nec longum, Bosonis fideles oppidanorum proditione Victoriacum recipiunt, & Mosomum fraude peruadunt. At Heribertus à quibusdam Mosomensibus euocatus, superuenit insperatus, transmissaque Mosa vadis inopinatis, & intrans oppidum, porta latenter à ciuibus aperta, milites Bosonis, qui ad custodiam loci residebant, ibidem omnes capit. Eodem tempore ante Natalem Domini, Remis infra & circa Ecclesiam sanctæ Mariæ lumen magnum ab Aquilonari & Orientali parte paulo ante initium diei apparens, ad Australem partem pertransisse visum est. Anno post hunc Heribertus Comes à rege Rodulfo desciscit, & milites ipsius ab vrbe Remensi profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidulam situm, nomine Brainam, quod idem Hugo tulerat ab Episcopo Rotomagensi, capiunt ac diruunt.

De ordinatione domni Artoldi Episcopi.

Cap. XXIV.

ROdulfus rex litteras Remis mittit ad clerum & populum, pro electione Præsulis celebranda: ad quas illi respondent, id agere se non posse, saluo suo electo, & electione, quam fecerant, permanente. Interea Heribertus Comes ad Henricum profectus, ei sese committit, & exercitus regis atque Hugonis Remensem & Laudunensem deprædantur pagum: obsessaque ciuitate Remorum, tertia tandem rex potitur obsidionis hebdomada, aperientibus sibi militibus Ecclesiæ. Coniunctis igitur sibi nonnullis Episcopis ex Francia vel Burgundia, facit ordinari hac in sede præsulem Artoldum quemdam ex cœnobio sancti Remigij monachum. Exinde rex pergens Laudunum, obsidet inibi Heribertum, qui aliquamdiu resistens, petit demum egrediendi locum. Quo accepto, recedit à Lauduno, dimissa vxore sua in arce, quam construxerat ipse infra idem castrum, & ad quam postea capiendam maioris laboris & moræ opus regi fuit. Artoldus Episcopus post annum ordinationis suæ pallium suscipit missum sibi per legatos ecclesiæ Remensis à Iohanne Papa filio Mariæ, quæ & Marocia dicebatur, vel ab Alberico patricio fratre ipsius Papæ, qui eundem Iohannem fratrem suũ in sua detinebat potestate, & prædictam matrem ipsorum in custodia clausam tenebat: Hugonem quoque

regem Roma depulerat. Rodulfo rege præsidium Heriberti, quod dicitur castellum Theodorici, obsidente, congregatis ad hanc obsidionem nonnullis Franciæ vel Burgundiæ Præsidibus, ibidem celebrari visa est synodus, præsidente eadem Teutilone Turonensi Antistite, Artoldo Remensi: quippe tunc Hildegarium Beluacensi vrbi ordinauit Episcopum. Eodem quoque anno Fulbertum Camaracensis vrbis præsulem consecrauit.

Syn. apud Cast. Theodorici.

De signis Remis visis, & morbis inde secutis.

Cap. XXV.

934.

SEquenti anno igneæ Remis in cœlo discurrere visæ sunt acies, & iacula quædam. Sed & serpens igneus per cœlum celeri deferri meatu, moxque subsecura pestis diuersis affecit humana corpora morbis. Anno post istum secuto synodus septem Episcoporum apud sanctam Macram, Artoldo Episcopo vocante conuenit: in qua prædones & Ecclesiasticarum rerum peruasores ad satisfactionem venire vocantur.

Syn. apud S. Macram. an. 935.

De receptione Ludovvici post mortem Rodulfi regis.

Cap. XXVI.

936.

Lud. Caroli Simpl. filius.

ANno denique subsequente, defuncto rege Rodulfo, Hugo Comes trans mare mittit pro accersiendo Ludovvico Caroli filio quem rex Alstannus auunculus ipsius nutriebat, quique accepto iureiurando à Francorum Legatis, eum in Franciam dirigit. Cui Hugo, cæterique Francorum proceres ad eum suscipiẽdum profecti mox nauem egresso in ipsis littoreis arenis apud Bononiam sese committunt; vt erat vtrimque depactum. Inde Laudunum deductus, ab ipsis regali benedictione ditatur, vngitur, atque coronatur ab Artoldo Archiepiscopo præsentibus regni principibus, & Episcopis amplius viginti. Episcopatus etiam Laudunensis datur Rodulfo eiusdem loci presbytero concorditer à ciuibus suis electo, quẽ præfatus quoque ordinauit Archiepiscopus. Sed & per alias Remensis diœceseos sedes, excepta Catalaunensi & Ambianensi, diuersos ordinauit Episcopos. Heriberto denuo cum Hugone pacato, homines eiusdem Heriberti Comitis quoddam castrum Remensis Ecclesiæ quod vocabatur Causostis, super Maternam fluuium ab Artoldo Præsule constructum, prodente quodam Vvicperto capiunt, & Rageubertum Artoldi præsulis consobrinum, qui eidem præerat munitioni, comprehendunt, circumpositasque villas Ecclesiæ crebris deprædantur infestationibus. Interea rex Ludovvicus, accersitus ab Artoldo Episcopo, Laudunum venit, & arcem nouam inibi nuper ab Heriberto editam vallat obsidione, multisque tentato machinis muro, tandemque suffossione diruto, magno capit irruptum labore. Corbanacum quoque castrum, quod pater eius sancto Remigio tradiderat, quodque sibi monachi ipsius monasterij commiserãt, ab Heriberti subiectis bellando recepit: & homines Heriberti, qui erant in eo, comprehensos rogante Artoldo præsule, saluos ad suos abire permisit.

938.

Corbeny.

De excommunicatione Heriberti Comitis.

Cap. XXVII.

939.

ARtoldus denique Episcopus cum quibusdam aliis Episcopis collocutus, Heribertum, qui oppida quædam villasque Remensis Ecclesiæ peruaserat ac detinebat, in præsentia quoque regis excommunicat. Post hæc rex Ludovvicus dedit Artoldo Episcopo, ac per eum Ecclesiæ Remensi, per præceptionis regiæ paginam, Remensis vrbis monetam, iure perpetuo possidendam. Sed & omnem Comitatum Remensem eidem contulit Ecclesiæ. Artoldus Episcopus Causostem munitionem obsidet: quam quinto tandem die Ludovvico rege illuc veniente, hi qui erant intus reddentes, deserunt. Nec longum subuersa funditus ab his qui recepere dissipatur. Missi Hugonis ad regem veniunt, & de pace cum eis rex inter Artoldum præsulem & Heribertum laborare studet. Deinde ad castrum quoddam, quod Heriueus nepos Heriuei quondam Archiepiscopi super fluuium Maternam tenebat, vnde & villas Episcopij Remensis circumquaque positas deprædabatur, proficiscitur cum Artoldo Episcopo. Nec mora, obsidibus acceptis ab ipso Heriueo reuertitur Remis, pergensque in crastinum ad sanctum Remigium, sese ipsius sancti committit intercessionibus, promittens vadibus libram argenti se daturum annis singulis. Monachis quoque eiusdem loci præceptum de eodem castello dedit immunitatis.

940.

Comitatus Rem. & ius monetæ dantur Rem. Ecclesiæ.

De expulsione domni Artoldi ab vrbe Remensi.

Cap. XXVIII.

Hugo dictus magnus.

HVgo princeps filius Rotberti, iunctis sibi quibusdam Episcopis, tam Franciæ, quam Burgundiæ cum Heriberto Comite, & Vvillelmo Nordmannorum principe Remensem obsidet vrbem, sextaque obsidionis die, deserente omni pene militari manu Artoldum Episcopum, & ad Heribertum transeunte, idem Comes Heribertus vrbem ingreditur. Artoldus præsul ad sanctum Remigium, euocatione procerum Episcoporum profectus, persuasus est, vel coercitus à principibus Episcopij se procuratione vel potestate abdicare, concessaque sibi abbatia sancti Basoli, & Auennaco monasterio, ad sanctum Basolum cõmoraturus abscessit, post annos octo & menses * septem in Episcopatu exactos. Hugo & Heribertus locuti cum quibusdam Lothariensibus, ad obsidionẽ Lauduni cum Vvillelmo proficiscuntur, relicto Remis Hugone diacono Heriberti filio, iampridem ad Episcopatum ipsius vrbis euocato, qui que tertio postquã regressus est mense, presbyter à Vvidone Suessionico præsule ordinatus est, expletis postquam fuerat electus annis quindecim, quos Antisiodori commorans egerat, litterarum studiis occupatus, apud Vvidonem ipsius vrbis Antistitem, à quo & diaconus ordinatus fuerat. Nam cæteros inferiores gradus ab Abbone Suessionico præsule Remis acceperat. Ludovvico rege post hæc à Burgundia regresso, Artoldus Episcopus deserens cœnobium sancti Basoli, ad eundem regem proficiscitur cum quibusdam propinquis suis, à quibusdam Ecclesiæ beneficia, quæ tenebant, Heribertus Comes abstulerat. Mihi quoque Ecclesiam Colmisiaci vici abstulit cum terra beneficij, quam tunc temporis tenebam. Ego denique disponens, orationis gratia, sepulchrum visere sancti Martini, retentus sum ab ipso, clam me quibusdam personis insimulantibus apud eum, quod sui causa nocumenti, vel filij sui vellem proficisci: & quia renuebam me huic electo nostro committere, nesciens vtrum Deo placeret eum præsulem nostrum fore. Sicque plenis quinque mensibus apud fratres nostros, ipso Comite iubente, sub custodia partim libera sum detentus. Contigit autem mihi, Domina mea beata Dei genitrice intercedente, vt ipsa die conceptionis & passionis Domini nostri Iesu Christi absoluerer à custodia, & die tertia scilicet vi. Kal. Aprilis, qua Dominus à mortuis resurrexit, egressus ipse cũ præfato electo nostro ad vrbẽ Suessonicã profectus sũ. Vbi conuenientes Episcopi huius diœceseos cum principibus. Hugone ac Heriberto, tractarunt quid eis esset agendum super Episcopali huius Hugonis ordinatione:

* sex

Cormicy.

25. Martii.

27. Martii.

Syn. Suess. an. 941

Auct. Bibliot. Vet. Pat. Tom. 2.

sicque decreuerunt, pœnitentibus quibusdam filiis Ecclesiæ Remensis, tam clericis, quam laicis, eum ordinandum: asserentibus fautoribus ipsius, quod Artoldus nequaquam electus, sed per violentiam fuerit intromissus, seseque Episcopali abdicauerit ditione. Ibi ergo Hugo princeps tunc me per * manum accipiens, huic Hugoni nepoti suo ad benefaciendum commisit: quippe mihi Ecclesiam sanctæ Mariæ dedit in Colrido sitam, terram quoque quam pater suus mihi abstulerat, reddidit, & aliam in prædicta villa supra adiecit.

De malis qua deinceps consecuta sunt.

Cap. XXIX.

NEc mora ciuitatem Remensem à præfato conuentu adeuntes Episcopi, prætaxatum electum nostrum in Ecclesia sancti Remigij dignitate sublimant Archiepiscopali. Sub hisdem fere diebus monasterium sancti Theoderici nonnullis illustratur miraculis, de quibus iam quædam supra retulimus, vbi commemorationem eiusdem beati viri fecimus. Ab Ecclesia vero S. Mariæ Remis crux maior, quam domnus Herueus Archiepiscopus auro cooperuerat,& gemmis ornauerat,à furibus noctu tenebratum scilicet amatoribus aufertur. Qua diu quæsita, tandem post annum, pars auri gemmarumque ipsius multatis reperitur latronib. Ex quo postmodum auro hic Præsul, adiecta quadam sui quoque muneris quantitate, calicem sub honore Dei genitricis fabricari fecit. Hugone ac Heriberto Laudunum pariter obsidentibus, rex Ludouicus, sumptis secum quos vndecumq; colligere potuit in pagum Porteysem venit. Quo audito Hugo,& Heribertus,scilicet quod rex eis appropinquaret,obsidione relicta,properant contra,& insperatum regis inuadentes exercitum, nonnullos sternunt, reliquos in fugam vertunt. Rex ipse cum paucis eductus à suis, & eximere se bello coactus,via euasit, Artoldo Episcopo & Rotgario Comite comitantibus secum. Artoldus Episcopus perditis rebus,quas ibi habuerat,ad Hugonem & Heribertum accessit adductus ab amicis,redditisque sibi abbatiis sancti Basoli & Auenaco cum villa Vindenissa, & pacta pace cum Hugone præsule, ad sanctum Basolum,illic habitaturus deuenit. Sequenti anno proditores quidam Remis reperti, & interfecti sunt: quidam rebus Ecclesiæ priuati ab vrbe depelluntur. Legati Remensis Ecclesiæ Roma regressi pallium deferunt Hugoni Archiepiscopo, ab Stephano Papa transmissum. Cum quibus pariter & legatio venit principibus regni, vt Ludovvicum regem recipiant, & sic Legatos suos Romam dirigant.

Lib. 1. c. ult. — *Vendenisse.* — *941.* — *Steph. IV.* — ** al. meam.*

De occupatione Altimontis castri, vel Mosomi, & morte Heriberti.

Cap. XXX.

ANno quoque post istum Artoldus Episcopus, relicto cœnobio sancti Basoli, ad regem profectus est. At illi promittit ei se redditurum Remensem Episcopatum. Qui assumptis secum fratribus suis, & aliis quibusdam, qui abiecti fuerant ab Episcopatu Remensi, Altimontem castrum occupat. Cum quibus rex Ludouicus etiam Mosomum aggressus,repellitur à fidelibus Hugonis Episcopi, quibusdam suorum interemptis: suburbanas tamen domos quasdam ipsius castri succendit. Interea defuncto Heriberto Comite, de recipiendis ipsius à rege, crebra inter ipsum regem & Hugonem principem versabatur intentio. Quorum rex primum tunc Hugonem Archiepiscopum, meditantibus Othone duce Lothariensium, & Adalberone Præsule,

943.

Hugone quoque Duce præcipue insistente, recipit eo tenore,vt abbatias,quas dimiserat Artoldus ad regem profectus, Artoldo Episcopo restituerentur. aliud etiam Episcopium ipsi prouideretur: fratribus quoque & propinquis eius honores, quos ex Episcopatu Remensi habuerant, redderentur. Postea ceteri quoque filij Heriberti Comitis recipiuntur à rege. Hugo denique Præsul Ambliacum castrum cepit atque combussit, quod Robertus & Rodolphus fratres, qui fuerant Remis expulsi, detinebant: vnde deprædationes per Episcopium Remense faciebant. Item præfatus Archiepiscopus Altimontem munitionem obsidet, quam tenebat Dodo frater Artoldi Episcopi: tandemque accepto paruulo ipsius filio obside, descendit, rege quoque mandante. Anno sequente regij milites Episcopatum Remensem deprædantur, & filij Heriberti abbatiam sancti Crispini: Ragenoldus quoque abbatiam sancti Medardi: sicque alterutris debacchantur rapinis atque deprædationibus.

Ambiacum. — *944.*

De obsidione vrbis Remensis ab exercitu Ludouici regis.

Cap. XXXI.

ANno post hunc, qui est huius Præsulis quintus in Episcopatu, Rex Ludouicus, collecto secum Nordmannorum exercitu, Veromandensem pagum deprædatur. Assumptoque cum ipsis Ecluino cum parte militum Arnulfi, sed & Artoldo Episcopo cum his qui dudum Remis eiecti fuerant, comite quoque Bernardo, ac Theoderico nepote ipsius Remorum, vallat vrbem, vastantur circumquaque segetes, villæque diripiuntur, & partim exuruntur, nec non Ecclesiæ plures effringuntur. Quotiens pugnatum ad portas, vel circa murum, vulnerati ex vtraque parte non pauci, quidam etiam interempti sunt. Hugo denique Dux præliatus cum Nordmannis, qui fines suos ingressi fuerant, eos non modica cæde fudit, & à terminis suis eiecit. Post hæc Remos ad regem mittit. dans obsides, vt Ragenoldus ex parte regis ad colloquium sibi occurrat. Quo abeunte, tractat cum eo, vt rex obsides ab Hugone Archiepiscopo accipiat, & ab obsidione Remensi discedat: quatenus idem Præsul, denominato placito ad reddendam rationem de omnibus, quæ rex ab eo quæsierit, accedat. Quibus hoc sibi tenore datis, rex ab obsidione recedit post quintam decimam, quæ ciuitas obsessa fuerat, die, Nec multo post idem rex à Nordmannis comprehensus est, & Rodomi detentus. Hugo Præsul Altimontem castrum obsidens, post septem ferme obsidionis hebdomadas recipit, reddente illud sibi Dodone domni Arroldi fratre, tali sub conditione, vt filium ipsius, & filium fratris sui suscipiens idem Præsul, concederet eis terram patrum suorum.

945. — *Arnulfo Comes Fland.* — *Bernardo Comes.* — *Bald. Ber. nard. Comes Silua-necl.*

De restitutione regula in monasterio sancti Remigij, & constitutione Abbatis Hincmari.

Cap. XXXII.

ADueniens denique hic Pontifex Ercamboldum monasterij sancti Benedicti abbatem, regulam monasticam in monasterio sancti Remigij restituere decertat, constituens ibi abbatem Hincmarum eiusdem loci monachum. Regina Gerberga nuper ad Othonem regem fratrem suum legationem direxerat, auxilium deposcens ab eo contra Hugonem principem, cui Laudunum reddiderat, vt reciperet Ludouicum regem, quem Hugo, sub custodia receptum à Nordmannis, retinuerat. Qui Otho maximum colligens ex omnibus regnis suis exercitum, venit in Franciam, Conradum quoque secum habens Cisalpinæ Galliæ regem. Quibus rex Ludovvicus

946.

obuiam profectus, satis amicabiliter & honorifice suscipitur ab eis. Sicque pariter Laudunum venientes, considerataque castri firmitate, diuerterunt ab eo, Remensem aggredientes vrbem quam cingentes obsidione, ingenti vallatuur exercitu.

Cap. XXXIII.

De repulsione Hugonis Episcopi.

Arnulf. Comes Fland. & Vvidone, & infra Vvidonis Hermanno

VIdens autem Hugo Præsul obsidionem se tolerare non posse, neque tantæ resistere multitudini, locutus est cum quibusdam principibus, qui videbantur esse sibi amici videlicet cum Arnulfo, qui eius sororem, & * Vvidone qui amitam ipsius habebat vxorem, sed & cum * Herimanno Vvidonis fratre quæsiuit ab eis, quid sibi foret agendum. Qui tale consilium dederunt ei, vt egrederetur cum suis, & relinqueret vrbem, quia id dispositum à regibus erat vt omnimodis eapelleretur, neque interuenire possent apud reges pro ipso, quin ei eruerentur oculi, si vrbem vi capi contigisset. Quo consilio percepto, ac suis intimato, post tertiam obsidionis diem cum pene cunctis qui secum tunc aderant militibus, egressus est. Sicque reges cum Episcopis & principibus ingredientes vrbem dominum Artoldum præsulem, qui dudum fuerat eiectus, iterum inthronizari fecerunt. Quem Rotbertus Treuerensis Archiepiscopus, & Fredericus Magontiacensis accipientes vtraque manu eidem sedi restituerunt. Deinde relinquentes Gerbergam reginam Remis, ipsi reges cum exercitibus suis terram Hugonis ingrediuntur, & grauibus atterunt deprædationibus. Terram quoque Nurmannorum peragrantes, loca quæque deuastant, & inde remeantes ad sua quique regrediuntur. Anno sequenti rex Ludouicus Mosomum castrum, quod Hugo Remis eiectus retinebat, obsedit: sed nihil pro votis efficiens, recedentibus tandem post mensem Lotharienſibus qui secum erant, ipse Remos reuertitur. Quo ad Othonem regem ad celebrandum Pascha profecto, Hugo princeps à quibusdam præsumptuose persuasus, Remensem cum Hugone Præsule, quasi mox capturus, aggreditur vrbem: frustratoque negotio, resistentibus regis & Attaldi Episcopi militibus, octauo postquam aduenerant die, illusi recedunt. Defuncto Deraldo Ambianensium præsule Tetbaldus quidam Ecclesiæ Suessonicæ Archidiaconus ordinatur ab Hugone Ambianensis Episcopus. Conuentu placiti regum Ludouici & Othonis super Charam fluuium congregato, res litis inter Arraldum & Hugonem Remensis Ecclesiæ præsules, ab Episcopis auditur: & quia synodus tunc congregata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouembris habenda denunciatur. Interim vero sedes Remensis Artoldo conceditur, Hugo Mosomi remorari permittitur. Heriueus nepos Heriuei Archiepiscopi habens munitionem quam ædificauerat circa Matronam fluuium, villas Remensis Episcopii circumquaque sitas deprædabatur, excommunicatus ab Arraldo præsule, pro rebus quas inuaserat Ecclesiæ. Contra cuius prædones egressi quadam die Ragenoldus Comes, & fratres Arraldi præsulis cum quibusdam militibus Ecclesiæ, ipsos grassatores in fugam vertunt. Quo audito Heriueus, armatis quos secum habebat militibus, egressus à sua munitione, contra nostros ad pugnam venit, & congressus cum eis interemptus est cum suorum quibusdam, reliqui omnes in fugam sunt acti, vulneratis vtrimque nonnullis. Corpus eiusdem Remus à victoribus perlatum est. Hugo Præsul assumens secum Theobaldum de Monteacuto, sororis suæ maritum, cum aliis quibusdam grassatoribus, in villas Remis contiguas vindemiæ tempore venit. Qui omne pene vinum abinde colligentes, in diuersos pagos abducunt.

947.

Chetc.

Theobald de Monte acuto.

De Synodo Virdani habita.

Cap. XXXIV.

an. 947.

SYnodus postea Virduni habetur, præsidente Rotberto Treuirensi præsule, cum Artoldo Remensi, Odalrico Aquensi, Adalberone Metensi, Goalino Tullensi, * Hildeboldo Transrhenensi, Israhele Britone, præsente quoque Brunone Abbate regis Othonis fratre, Agenoldo etiam, & Odilone Abbatibus, cum aliis nonnullis. Ad quam Hugo euocatus, missis quoque duobus ad eum deducendum Episcopis, venire noluit. Vniuersa vero synodus Artoldo Remense regendum decernit Episcopium. Indicitur itaque synodus, quæ & conuenit in Ecclesiam sancti Petri in prospectu Mosomi, ex diœcesi Treuirensi atque Remensi, Veniens autem illuc Hugo Præsul, & locutus cum Rotberto Archiepiscopo, synodum noluit ingredi. Litteras vero quasdam ea nomine Agapiti Papæ misit ad Episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remense redderetur Episcopium. Quibus lectis responderunt Episcopi, non esse dignum vel congruum, vt Apostolicæ legationis mandatum, quod dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Frederico Magontiacensi Præsule, coram regibus & Episcopis susceperat, intermitterent propter has litteras, quas insidiator & æmulus Artaldi Præsulis exhibebat immo quod regulariter cœperant canonice pertractaretur. Sicque præcipitur recitari cap. 19 Carthaginensis Concilii de accusato & accusatore. Quo recitato, diiudicatum est iuxta diffinitionem huius capituli, vt Artoldo communionem & parrochiam Remensem retinente, Hugo qui ad duas iam synodos euocatus venire contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopii abstineret, donec ad vniuersalem synodum sese purgaturus occurreret. Ipsumque capitulum mox in charta describi fecerunt Episcopi coram se, subnectentes hanc etiam diffinitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eandem chartam Rotberto Pontifici remisit, hoc verbis remandans, quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Interea litteræ proclamationis Artoldi præsulis ad Romanam diriguntur sedem. Domnus igitur Agapitus Papa vicarium suum Marinum Episcopum misit ad Othonem regem, propter euocandam & aggregandam generalem synodum: Litteræ quoque ipsius Papæ mittuntur ab vrbe quibusdam speciatim Episcopis, vocantes eos ad eandem synodum in palatio Engulenheim, recitata sunt hæc quæ sequuntur coram regibus & Episcopis.

ms Hildebaldo.

Alia synodus iuxta Mosomum Idib. Ianuar.

948 Agap 1

an 948 7. Iunij

De synodo apud Engulenheim congregata, & excommunicatione Hugonis Episcopi. Series litis inter Artardum & Hugonem Episcopos agitata.

Cap. XXXV.

SAncta Romana & Apostolicæ sedis vicario domno Marino, vniuersæque sanctæ Synodo apud Engulenheim congregatæ, Artoldus, diuina propitiante clementia, Remorum Episcopus. Domnus Agapitus Papa litteras nobis & cæteris coepiscopis nostræ diœcesios direxit, in quibus præcepit, vt ad hoc vestræ sanctitatis Concilium conuenire studeremus, ita instructi de omnibus, vt vos veritas miseriarum nostræ sedis, quas patimur, coram sanctitate vestra manifesta fieri posset. Quocirca propalare prudentiæ vestræ commodum duximus, qualiter res exordium ceperit litis huius,

quæ adhuc inter me & Hugonem miserrime ventilatur. Defuncto siquidem Heriueo Archiepiscopo, Seulfum, qui Archidiaconatus vrbis nostræ tunc officio fungebatur, ad præsulatum eiusdem sedis elegimus. Qui Pontifex ordinatus, assumens zelum contra prox mos prædecessoris sui, cum eos per semet à loco depellere non valeret, consilio iniito cum quibusdam laicis scilicet consiliariis suis, amicitiam quasiuit Heriberti Comitis, quam data iureiurando per eosdem consiliarios obtinuit ea tenus, vt post obitum ipsius ad electionem Pontificis milites Ecclesiæ nullatenus assisterent sine consilio ipsius Heriberti: idem vero Comes fratrem Heriuei præsulis, & nepotes ipsius à participatione rerum Remensis Episcopii separaret. Quibus patratis, insimulati sunt iidem propinqui Heriuei præsulis à consiliariis Seulfi Episcopi de infidelitate ipsius senioris sui, accersitoque Heriberto Comite cum pluribus suis iubentur ad rationem reddendam coram ipsis venire. Et quia contra eos à quibus accusati fuerant, singulari congredi certamine noluerunt, sublatis ab eis rebus, quas ex Episcopio possidebant, comprehensi sunt atque deducti per Heribertum Comitem ad Rotbertum regem, à quo etiam sub custodia sunt detenti vsque ad mortem ipsius Roberti. Tertio demum sui Episcopatus anno Seulfus Episcopus (vt plures asserunt) ab Heriberti familiaribus veneno petitus defungitur. Mox itaque Comes Heribertus vrbem Remensem adiit, & Ecclesiæ milites, clericorum quoque quosdam de rectoris electione ad suum consilium (ceu iuratum fuerat) intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum regem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, vt sibi committeretur idem Episcopium, eo tenore, vt tam clericis, quam laicis debitum honorem concederet & conseruaret, nec iniustitiam alicui faceret: sed ipsum Episcopium æque iure gubernaret, donec talem clericum eidem regi præsentaret, qui ad Episcopale ministerium exequendum rite ordinari valeret. Qui Comes ad eandem vrbem regressus, res Episcopii (prout sibi placuit) fautoribus suis diuisit, cæteris abstulit, & absq; vllo iudicio vel lege, quos voluit rebus expoliauit, vel ab vrbe propulit. Odalricum denique Aquensem Episcopum in eadem vrbe suscipiens, Episcopale ibi ministerium celebrare præcepit. Sicque per annos sex, & eo amplius idem Episcopium suo dominio vendicauit, pro libitu proprio illud tractans, & in sede Præsulis residens tam ipse, quam coniux sua, donec septimo tandem anno, ortis inter ipsum & regem Rodulfum atque Hugonem Comitem quibusdam simultatibus, Rodulfus rex cum Hugone & Bosone fratre suo, cæterisque pluribus tam Episcopis, quam Comitibus Remorum obsidet vrbem, succensentibus sibi Episcopis, & conquerentibus aduersum eum, quod tam diuturno tempore, contra diuinæ legis auctoritates, hanc vrbem permiserit vacare pastore. Quorum querimoniis permotus rex, admonet clerum & populum de pastoris electione, dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis, tam clericis, quam laicis, qui extra obsidionem erant, pluribus etiam eorum qui clausi tenebantur in idipsum fauentibus, eligitur humilitatis nostræ persona in hoc magis onere, quam honore subeundo. Apertis itaque tandem tam militibus, quam ciuibus portis vrbis regi Rodulfo, & Episcopalem benedictionem mihi tradentibus Episcopis qui aderant decem & octo, & suscipientibus nostram humilitatem tam clero vniuerso, quam reliquis ciuibus, mihi intronizatus ab Episcopis nostræ diœceseos, impositum mihi, prout Deus concessit, ministerium per annos ferme nouem tractaui, ordinans per diœcesim Episcopos octo, & in Episcopio multos, prout competens videbatur, clericos, quousque nono postmodum anno, postquam Ludouicum regem, fauente Hugone cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixeram, & sacro perfuderam chrismate, instigatus Hugo Comes iracundia, quod ei consentire vel coniungi nolueram ad ipsius regis infidelitatem, adhibitis secum Heriberto Comite, & Willelmo Normannorum principe, Remensem obsidet vrbem. Nec longum, sexta s. obsidionis die, deseror ab omni pene cœtu laicalis militiæ. Sicque derelictus ab his, ad Hugonem & Heribertum compellor exire, à quibus coarctatus & conterritus, cogor memet Episcopali procuratione abdicare, & itamet propellentes, in cœnobio sancti Basoli habitare constituunt: Hugonem vero filium Heriberti, qui Autissiodori diaconus ordinatus fuerat, in vrbem introducunt, & ciuitate potiuntur. Ludouicus autem rex à Burgundia rediens, me apud sanctum Basolum reperit, & assumens secum, simul cum propinquis meis, quorum res Heribertus Comes abstulerat, Laudunum deducit, quod castrum tunc obsidebant Heribertus & Hugo: solutaque obsidione oppidum ingrediuntur, nobisque metatus degendi disponitur. Interim clerici nostri loci, sed & laici quidam pessime ab Heriberto tractantur, & quidam clericorum in custodiis retruduntur, res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam vrbem licite perpetrantur. Interea conuocantur Episcopi nostræ diœceseos ab Hugone & Heriberto, satagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filii Heriberti. Qui Suessionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium Episcopum cum aliis quibusdam legatis, mandantes vt ad eos venirem, ad consentiendum scilicet huius ordinationis peruersitati. Quibus remandaui, quod non esset mihi competens ad eos illo proficisci, vbi aduersarii & inimici mei cum ipsis erant aggregati. Quod si loqui mecum vellent, ad talem locum deuenirent, vbi sine periculo ad eos accedere possem. Quibus aduenientibus in locum ab eisdem delectum, profectus sum ad eos, aduersusque prosternor coram ipsis, obsecrans vt propter amorem & honorem Dei, tam mihi, quam sibi competens consilium dare studerent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt, & hoc omnimodis suadere, vt ei in hac ordinatione consensum præberem, promittentes res nonnullas Episcopii mihi se impetraturos. At ego postquam responsum diu distuleram, videns eos cunctos in proposito quod cœperant perseuerantes, surgens interdixi palam cunctis audientibus, excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti, vt nullus eorum ad eandem ordinationem accederet, nec alicui in Episcopali honore, me viuente, manus imponeret: sed nec vllus eandem benedictionem suscipere præsumeret. Quod si forte fieret, ad sedem Apostolicam eos prouocabam. Illis inde fremētibus, vt possem exire de medio eorum, & Laudunum reuerti, temperatius responsum dicens, vt mitterent mecum, qui eis renunciaret, quid consilii reperire valerem super hac re in domina mea regina, & fidelibus eius, quia rex non aderat. Ad hoc illi miserunt Deroldum Episcopum, putantes me esse mutaturum consilium. Quo veniente, & coram domina regina & fidelibus eius inde me interpellante, iterum exurgens præfata modum excommunicationis in eosdem Episcopos iaculatus sum: vocationem quoque ad sedem Apostolicam iterare curaui, excommunicans ipsum hunc Deroldum, id vt eis omnino non taceret, sed cunctis manifeste proferret. His ita gestis, paruipendentes illi istam excommunicationem, Remis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic manus implicarunt, quidam vero se subduxisse feruntur. Ego vero cum rege manens, quas ille fertur angustias pertulisse, secum pertuli: & quando eum bello aggressi sunt Hugo & Heribertus, cum ipso eram, & vix mortis euasi periculum. Prolapsus itaque, auxilio & protectione Dei de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca iuuia quaque, siluasque perlustro, non ausus certo consistere loco. Comites autem Hugo & Herbertus affatò quosdam nostros amicos sibi subditos, suadent vt me requirentes, ad ipsos deducant, pollicentes se mihi benefacturos, & rebus quas ipsi petissent dicaturos. Requirentes ergo me amici, reperiunt per diuersa vagantem, & ita perducor à fratribus meis & amicis ad præfatos Comites. Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quærere cœperunt, vt eis pallium à sede Romana mihi collatum traderem, & sacerdotali me ministerio penitus abdicarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore huius vitæ præsentis attestor. Districtus igitur & coangustiatus ab eis, Episcopii tandem rebus abrenunciare compellor: sicque cursus ad S. Basolum, quasi vacans, habitaturus deducor. Mansi denique paucis diebus in ipso cœnobio, quo adusque comperiens per certos ex

Vid. sup. cap. 18.

sup. c. 27

familiaribus Heriberti Comitis nuncios, quod ab eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nuntiis huiusmodi pauefactus & impulsus, locum deserui. & abdita lustra siluarum vagabundus repetis, hortisque solent bus, & itinere deuio Laudunum reuertor, ibique susceptus à Rege, secum manere constituor. Mansi vero ibid. cum ipso vel fidelibus eius, expectans & deprecans misericordiam Dei, donec ipse dignatus est ut cor domni Regis Othonis mittere, vt ad subuentionem senioris mei Regis, & nostram, properaret in Franciam. Deniq; postquam domina nostra Regina Laudunum, propter absolutionem Domini Regis, reliquerat, egressus inde ad dominum Regem Othonem cum seniore meo deueni Rege, simulque Remos accessimus. Cingitur itaque vrbs exercitibus, & Episcopi qui aderant, me sedi nostræ restitui censent. Mandatur ergo Hugoni à domino Rege Othone, vt egrediatur, & peruasam deserat vrbem. At ille nutans aliquandiu & pro posse, vbi vidit ad resistendum penitus sufficere se nequaquam valere, nec amicorum sibi præsidia subuenire, decreuit exeundum, quærens vt liber cum suis dimittatur abscedere. Permittitur itaq; suam exire, cum omnibus qui secum voluere comitari, & quæcunque secum voluit ferre, nullo contradicente, asportauit. Sicque eam Regibus introgressus vrbem, pristino loco nostro & honori restitui. Susceptus igitur à domnis Archiepiscopis Rotberto Treuirensi, & Frederico Magontiacensi comitantibus cæteris & congratulantibus, tam clericis Ecclesiæ nostræ, quam reliquis ciuibus, ab ipsis restituor cathedræ Episcopali. Hugo vero Remis egressus Mosomum castrum cum suis occupat, & munitus contra fideles regis seniorisque mei degit. Habito denique colloquio placito inter reges, seniorem meum videlicet ac dominum Othonem, super Chasam fluuium, conuenimus ad illud iam ego, quam ipse Hugo cum ordinatoribus suis. Ibique relectis huius ab Episcopis auditur: pro vbique litteras ad sedem Romanam, quasi ex nostra persona datas, excusationis meæ, ac si vacationem petentes administrationis Episcopii nostri: quas me nunquam dictasse, neque vel subscribendo aliquatenus corroborasse protestatus sum, atque protestabor. Et quia tunc synodus conuocata non fuerat (id opponentibus fautoribus ipsius Hugonis) altercatio nostra determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouembris habenda Virduni vtriusque partis Episcopis annuentibus denunciatur. Interim vero sedes Remensis mihi regenda decernitur: eidem vero Hugo Mosomi commorari permittitur. Nec longum, instante f. vindemiæ tempore, hic noster æmulus Hugo, assumens socium Theobaldum regis inimicum, & regni nostri, cum aliis plurib. malefactorib. in villas Remensis Episcopii contiguas vrbi deuenit, & omne pene vinum ex his collectum in diuersos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & Ecclesiæ nostræ homines captiui abducti, & ad redemptionem variis sunt adacti terminis. Synodus autem circa medium mensis denuntiata, Virduni celebratur, præsidente Rotberto Præsule Treuirensi, præcepto domni Papæ Romani, præsente quoque domno Brunone, cum Episcopis & Abbatibus nonnullis. Ad quam præfatus Hugo euocatus, missis etiam duobus ad eum deducendum Episcopis, Adalberone & Gozlino, venire contempsit. Vniuersa vero synodus mihi Remense regendum decreuit Episcopium. Indicitur q; iterum synodus habenda die Iduum mensis Ianuarii, qua & aggregatur, vt denuntiatum fuerat, in Ecclesia sancti Petri ante prospectum castri Mosomi, à domno Rotberto conuenientibus cæteris quoq; Treuirensis diœceseos Episcop. & aliquib. Remensis. Veniens autem illuc æmulus noster Hugo, & locutus cum domno Rotberto synodum noluit ingredi: litteras vero quasi ex nomine domni Papæ direxit ad Episcopos per clericum suum, qui eas Roma detulisse ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ continentes, sed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remense redderet ur Episcopium. Quibus recitatis inuenites Episcopi consilium cum Abbatib. & cæteris qui aderant sapientibus, responderunt non esse dignum vel congruum, vt mandatum legationis Apostolicæ, quam dudum Rotbertus Archiepiscopus, deferente Frederico Præsule Magontiacensi, coram regib. & Episcopis tam Galliæ, quam Germaniæ susceperat, & partem iam præceptionis ipsius exegerat, propter illas litteras intermitteret, quas insidiator noster exhibebat: immo quod regulariter cœptum fuerat, vt canonice pertractaretur, vnanimiter censent: præcipiturq; recitari capitulum Carthaginensis Concilii nonum decimum De accusato & accusatore. Quo recitato, iudicatum est iuxta diffinitionem ipsius capituli, vt communionem & parrochiam Remensem me retinente, Hugo* qui ad duas iam synodos euocatus interesse contempserat, à communione & regimine Remensis Episcopii abstineret, donec ad vniuersalem synodum, quæ indicebatur, sese purgaturus, vel rationem redditurus præsentaret. Ipsumq; capitulum mox in charta Episcopi coram se describi fecerunt, subnectentes hanc etiam definitionem suam, & eidem Hugoni miserunt. Qui post alteram diem chartam eandem Rotberto præsuli remisit, hoc verbis remandans: quod ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Sicque absoluto Concilio, ipse Mosomum contra mandata regum & Episcoporum retinet, & ego Remos regressus reclamationis meæ querelas ad sedem Romanam per legatos domni regis Othonis destinans, præstolans mandata ipsius sanctæ sedis, eius decretis & vniuersalis huius sancti concilii vestri iudiciis parere paratus.* Post quarum litterarum recitationem, & earum propter reges iuxta Thudesticam linguam interpretationem, ingressus quidam Sigebaldus, præmissi Hugonis clericus, attulit litteras quas Roma detulerat, quasque iam in alia synodo Mosomi propalauerat. Asserens easdem litteras sibi Romæ ab ipso qui aderat Marino vicario datas. Qui dominus Marinus proferens litteras quas idem Sigebaldus Romam detulerat, præcepit eas coram synodo recitari, in quarum recitatione repertum est, prout ipsæ litteræ fatebantur, quod Vvido Episcopus Suessonicus, Hildegarius quoque Beluacensis, Rodulfus Laudunensis, cæterique cuncti Remensis diœceseos Episcopi, easdem litteras ad sedem delegauerint Apostolicam, pro restauratione Hugonis in sede Remensi, & expulsione Artoldi. Post quarum lectionem exurgentes Artoldus præsul, & præfatus Rodulfus, qui in eisdem litteris nominabatur, Fulbertus quoque Camaracensis Antistes, eas litteras refutarunt adstruentes quod eas antea nunquam viderint vel audierint, neque in earum delegatione consensum præbuerint. Quibus dum idem clericus contraire non posset, licet in eos calumniis obstrepens, præcepit domnus Marinus, suggerens vniuersæ synodo, vt sibi consilium & rectum iudicium proferrent super huiusmodi calumniatore, & calumniarum in Episcopos delatore. At illi, postquam delator publice confutatus est falsa detulisse, lectis capitulis de huiuscemodi calumniatoribus, iudicant & vnanimiter censent eum quo fruebatur honore priuari debere, ac secundum capitulorum tenorem in exilium retrudi. Diaconatus igitur quo fungebatur ministerio mulctatus, à conspectu synodi reprobatus abscessit. Artoldo vero præsuli. qui omnibus se synodis præsentem exhibuerat, non refugiens synodale iudicium, Episcopium Remense iuxta canonum instituta & sanctorum patrum decreta, omnino retinendum atque disponendum decernunt, laudant, atque corroborant. Secunda consessionis die, post recitatas diuinæ auctoritatis lectiones, & Marini vicarii allocutionem, suggessit domnus Rotbertus Treuirensis Archiepiscopus, vt quoniam iuxta sacræ legis instituta, restitutum atque restauratum fuerat Remense Artoldo præsuli Episcopium, in eiusdem sedis inuasorem synodale perageretur iudicium. Præcepit itaque Marinus Vicarius, vt canonicam super hac præsumptione synodus proferret sententiam. Iubentur ergo sanctæ legis catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum instituta canonum, & sanctorum decreta patrum, Sixti, Alexandri, Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis, Symmachi, cæterorumque sanctorum Ecclesiæ Dei doctorum, excommunicauerunt, &

Vide supra c. 30.
Supr. c. 31.
* ms. Kazam.
Sup. c. 34.
* ms. quia.
ms. teutonicã. i. Theotiscam.

ab Ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Remensis Ecclesiæ peruasorem, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Cæteris quoque diebus synodi tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugiis, & Ecclesiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, immo vendebantur indebite, & auferebantur illicite: prohibitumque ac statutum, ne id omnino præsumeretur ab aliquo: sed & de aliis Ecclesiæ Dei vtilitatibus tractata sunt & definita nonnulla. Interea rex Ludouicus deprecatur regem Othonem, vt subsidium sibi ferat contra Hugonem, & cæteros inimicos suos. Qui petita concedens, iubet vt Conradus Dux cum exercitu Lothariensium in eius pergat auxilium. Interim vero dum congregaretur exercitus, rex Ludouicus cum ipso duce maneat, & Episcopi, scilicet Artoldus & Rodulfus, qui erant cum rege, ne quid in via pateretur aduersi, degerent cum Lotharienſibus Episcopis. Mansimus itaque cum Rotberto Treuerensi, Rodulfus Laudunensis cum Adalberone Metensi, hebdomadas fere quatuor. Exercitu denique collecto Lotharienses Episcopi Mosomum petunt, ipsumque obsidentes castrum atque oppugnantes, milites qui erant ibi cum Hugone ad deditionem compellunt, & acceptis ab eis obsidibus pergunt obuiam Ludouico regi & Conrado duci in partes Laudunensis pagi. Obsident igitur ibi Dux & exercitus quandam munitionem quam ædificauerat & tenebat Theobaldus in loco qui dicitur Mons acutus, & qui Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam oppidum expugnantes, tandem non sine mora capiunt, indeque Laudunum adeunt: & in Ecclesia S. Vincentii congregati Episcopi prædictum Theobaldum excommunicant. Hugonem vero principem vocant litteris ex parte Marini legati sedis Apostolicæ & sua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & Episcopos egerat. Vvido denique Suessonicæ vrbis Episcopus ad regem Ludouicum veniens, eidem sese committit, pacaturque cum Artaldo Archiepiscopo, satisfaciens illi pro ordinatione Hugonis. Conradus quoque Dux filiam Ludouici regis sacro de fonte suscepit. Sicque recepto Mosomo castro, & euerso, Lotharienses reuertuntur in sua.

De obsessione vel incensione vrbis Suessonicæ ab Hugone Comite.

Cap. XXXVI.

IGitur Hugo nullam moram faciens, collecta suorum multa, Normannorumque manu, Suessonicam aggreditur vrbem, & obsidens oppugnat, cæditque nonnullos. Iniectis etiam ignibus domum matris Ecclesiæ succendit, simulque claustra canonicorum, & partem ciuitatis: nec tamen ipsam capere valens vrbem reliquit, & ad quandam munitionem, quam Ragenoldus Comes Ludouici super Axonam fluuium, in loco qui dicitur Rauciacus, ædificabat, deuenit, ipsamque adhuc imperfectam castris vallauit. Sed nec ipsam cœpit: villas tamen Remensis Ecclesiæ castris suis contiguas deuastauit. Plures quoque colonorum prædones ipsius interemerunt, violantes Ecclesias, & in tantum debacchantes, vt in Culmisciaco vico, tam infra quam circa Ecclesiam fere quadringentos homines interfecerint, ipsumq; templum rebus penitus exspoliarint. Multis ergo flagitiis tunc perpetrans, Hugo tandem cum suis regreditur grassatoribus. Itaque milites qui hactenus cum Hugone fuerant excommunicato, ad Artaldum præsulem reuertuntur. Qui nonnullos eorum, redditis eis rebus quas habuerant, recipit, quosdam vero reiicit. Post hæc Treueros proficiscitur ad synodum cum Episcopis Vvidone Suessonico, Rodulfo Laudunẽsi, & Vvinfredo Morinensi. Quo peruenientes Marinum sese præstolantem reperiunt cum Rotberto Archiepiscopo: cæterorum vero Lothariensium vel Germanorum præsulum illic inuenere neminem. Considentibus igitur illis, sciscitari cœpit Marinus vicarius, quid egisset post præmissam synodum Hugo princeps erga ipsos, vel regem Ludouicum. At illi referunt supra memorata quæ ipsis, & * Ecclesiis eorum intulerat mala. Requirit ergo de vocatione ipsius Principis Marinus, vtrum perlatæ ei fuissent litteræ vocationis, quas ei perferendas delegauerat. Cui respondetur ab Artoldo Archiepiscopo, quod quædam earum perlatæ sint, quædam vero perferri nequiuerant, earum gerulo ab ipsius grassatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam litteris, quam quibusdam internunciis. Requiritur itaque si adsit aliquis ex parte ipsius legatus. Vbi cum nullus fuisset inuentus, decernitur exspectandum, si forte aduenturus esset in crastinum. Quod cum minime contigisset, & oẽs qui aderant, tam clerici, quam illustres laici, eum excommunicandum esse acclamarent, definitur ab Episcopis, hanc excommunicationem adhuc differendam vsque ad diem synodi tertiam. Tractatur autem de Episcopis, qui vocati fuerant & venire distulerant, vel his qui ordinationi Hugonis participes extiterant. Et Vvido quidem Episcopus Suessonicus se culpabilem, prostratus coram Marino Vicario, & Artoldo Archiepiscopo, confitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto & Artoldo Archiepiscopis, absolui ab hac noxa meretur. Vvicfredus Morinensis immunis ab eadem ordinatione reperitur. Adest Tranſmari Nouiomensis Episcopi legatus quidam presbyter, astruẽs eundem Præsulem ita graui langnore detentum, vt ad eandem synodum venire non valuerit. Id quoque nostrates, qui aderant, attestantur Episcopi.

De excommunicatione Hugonis Comitis.

Cap. XXXVII.

TErtia tandem die, insistente præcipue Liutdulfo legato & Capellano regis Othonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo Comes, inimicus Ludouici regis, pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis, eo tamen modo donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino Vicario, vel Episcopis, quibus iniuriam fecit, deueniat. Quod si facere contempserit, Romam pro sui absolutione proficiscatur. Excommunicantur & duo pseudoepiscopi ab Hugone damnato ordinati, * Tetbaldus & Iuo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi vrbe, alter post damnationem eiusdem Hugonis, in Siluanectensi ab ipso constituti. Excommunicatur etiam quidam clericus Laudunensis, nomine Adelonus, quem accusauit Rodulfus Episcopus suus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in Ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Beluacensis Episcopus litteris præfati Marini, vt veniat coram ipso, vel eat Romam rationem redditurus coram domno Papa, pro illicita ordinatione prędictorum pseudoepiscoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus Heriberti Comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis, quæ contra Episcopos agebat. His ita gestis, Episcopi reuertuntur in sua. Liutdulfus autem Capellanus Othonis Marinum Vicarium deducit ad regem suum in Saxoniam, vbi consecraturus erat ecclesiam Vuldensis monasterii. Post cuius consecrationem idem Marinus, exacta hyeme Romam reuertitur. Nascitur regi Ludouico filius, quem Præsul Artoldus de sacro fonte suscepit, patris ei nomen imponens.

Roucy.

Syn. Treuirensis.

Tranmarus al. Nouiom Ep. in tab. Democh.

al. Theobaldus.

De quibusdam Ecclesiis vel monasteriis vrbis Remensis.

Cap. XXXVII.

PLures denique apud nos quondam sanctorum fuere basilicæ, sed & monasteria infra vel circa Remensem hanc vrbem, quæ modo non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt infra vrbem puellarum monasteria: quorum vnum (quod superius à situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Boua, eiusdem cœnobii postmodum Abbatissâ, in honore sanctæ Mariæ, vel sancti Petri construxisse traditur. Qui regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege, habentes neptem, nomine Dodam, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati eiusdem regis Sigeberti: quamque præfata ipsius amita Boua instituens ad seruiendum Deo, seruandamque perpetuo virginitatem, ab amore terreni auertit sponsi. Qui cum sibi aduersaretur, sponsam innitens eandem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis ceruicibus, traditur interisse. Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in eiusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, à principe Pippone eidem postmodû obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in Ecclesia extra muros vrbis, vbi primum puellarum fuerat monasterium, tumulata diu quieuerunt, donec postmodum, reuelationibus quibusdam eleuata, & ad hanc nouam sunt Ecclesiam perlata, ibidemq; venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reuerentia puellarum.

De sancto Balderico Abbate.

Cap. XXXIX.

a. Baul-dry.

SAnctus autem Baldericus post huius monasterii constructionem, locum quærens vbi suam quoque constitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conuersari, Deoq; deuote ac quiete seruire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem falconis locum. Qui locus tunc temporis inhabitabilis, densis operiebatur siluis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum.

Mont-faucon.

Fertur autem auem, quam nuncupamus falconem, præuiam & quasi præducem itineris, dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum illo rediens in loco, vbi nunc habetur altare in honore sancti Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Vnde & cœnobium ab hoc euentu sic vocitatum plurimi asserunt. Vbi cum Deo deuotius seruire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulere: sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione: atque idem sub honore beati Germani ædificauit monasterium. Quibus patratis, ad sororem suam reuersus Remis, vltimum sui cursus ibidem clausit diem, vbi & sepultus tempore non modico requieuit.

De miraculis post obitum ipsius ostensis.

Cap. XL.

PRocessu denique temporis diligentia clericorum prænotatum ipsius beati viri monasterium incolentium, eius est illuc furtim corpus delatum, delusis fraude custodibus, Remis ablatum. Quos dum insequerentur quidam ciues Remenses, eo vsque sunt persecuti, donec eos visu quidam deprehenderent. Dumque turbarentur horum aduentu sacrilatores pigneris, inter vtrosque densa diuinitus nebula diuinitus est edita illata, qua sequentes obtenebrati, & errore in deuia rapti, vestigia præcedentium seruare nequiuerunt. Euectores autem sacri corporis in nocte splendor superne missus irradiauit, donec ad proximam cœnobio possessionem, quæ dicitur villa * Spaniuli, infatigabiles peruenerunt. Vbi quia sancta deposuere membra, in honore ipsius postea constructa est Ecclesia.

al. Spamulli.

Quibus ab inde cum sacro prouentibus pignere, vbi monasterio propinquare cœperunt, Ecclesiæ signa eo nobis sponte, absque humano l. impulsu, sonuisse feruntur. Quod audientes fratres obuiam sunt egressi. sicque diu desiderata suscipientes munera, dum in Ecclesiam sancti Germani ea conantur inferre, tanto persentiunt ante ipsius introitum basilicæ defixa pondere, vt hæc nequaquam potuerint vlterius emouere, cum per triduum id enitentes omni gestierint conamine perpetrare. Sic demum, tecto super defixa condito membra confessoris, per triennium illic ita mansisse traduntur. Quo temporis peracto spatio, ad Ecclesiam sancti Laurentii, vbi viuens ipse sibi sepulchrum parauerat, celebrato per triduum ieiunio, venerabile corpus eius perlatum, & in suo reuerenter est depositum sarcophago. Ibique constat venerabili cultu seruatum vsque ad tempora Caroli regis, & Hincmari Archiepiscopi, quando Normanni hoc cœperunt regnum depopulari. Quorum terrore compulsi canonici eiusdem loci, corpus huius patroni sui de sepulchro leuatum super altare sancti Laurentii posuerunt. Quod dum fieret, tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluxerunt, ita recentes & calidæ, ac si de viuente profluerent corpore. Sicque delatum est Virdunum. Vnde relatum in Ecclesia est sancti Germani locatum. Interim dum abesset monasterio, Normanni ad id peruenerunt. sed Domino illas protegente, nec Ecclesias incenderunt, nec homines, nisi vnam duntaxat mulierem, occiderunt. Vt autem recesserunt, altaria muneribus suis cumulata dimiserunt. Altera vice dum Normanni ad eundem locum rursus accederent quidam canonicus loci, nomine Ottradus, corpus sancti accipiens, reliquis fuga dilapsis, ipse cum sacro corpore in quâdam conscendit arborem. Quem insecuti pagani, vsque ad ipsam peruenerunt arborem & respicientes sursum, neminem potuerunt eandem conscendisse deprehendere. Idem vero frater per nouem dies inibi permanens, nihilque victus, præter vnam solummodo sumens glandem, neque famem, neque sitim passus fuisse memoratur. Iterumq; tunc locus idem meritis huius beati viri à cædibus & incendio paganorum liberatus est. Postea contigit, vt quidam prædones, regiæ maiestatis infideles, ad eundem deuenirent locum, & non inuenientes ibi manum repugnantem sibi, desolatum prædari aggressi sunt locum. Quod dum peragerent, signa Ecclesiæ sancti Laurentii, nemine pulsante, sonare cœperunt, & duo cerei supero sunt igne diuinitus accensi. Prædonibus vero timore perculsis, & aufugientibus, vnus eorum prolapsus ad ipsam monasterii portam corruit, tamque ipso, quam superbo eius equo ruina contrito, vtres quoque, in quibus vinum deferebat ablatum, disrupti sunt. Cæteri hoc videntes, donis Ecclesiam munerauerunt, metuque affecti recesserunt.

De villa Vuasticia.

Cap. XLI.

HVius venerabilis loci canonici famis quondam necessitate compulsi, sumptis à corpore venerandi patroni sui reliquiis, ad suam quandam villam, supra ripam Rheni sitam, cognométo Vvasticiam, quam

quidam eorum Abbas, nomine Adelardus, eidem contulerat cœnobio, prouecti sunt. Vbi dum pagenses, alma venerantes pignera, sua dona deferre cœpissent, Abbas quidam monasterii, quod vocatur Bunna, pergens ad Vvilebertum Coloniensem præsulem, cœpit hanc infamare deuotionem, nec te vera sancti alicuius pignera illuc adstruens esse delata. Timentes autem Canonici qui aduenerant, ne forte constringerentur & discuterentur ab Episcopo, quoniam totum ipsius sancti corpus secum haberi ferebant, mox vt hæc audissent, sub duobus diebus ad suum per leucas fere centum rediere monasterium: assumentesque cum integritate beati viri membra, sub totidem diebus ad prænotatam remeant villam. Cui dum propinquare cœpissent, eis adhuc ab ipsa villa spatio leucæ fere distantibus, Ecclesiæ signa, nullo impellente, resonare cœpere. At hi qui remanserant in eodem loco clerici hoc audientes, & patronum suum aduenire intelligentes, obuiam cum crucibus pergũt, & honore digno tutorem suum suscipiunt. Quibus missarum solemnia celebrantibus, tria inibi repente mira contigerunt. Contractus vnus erectus, cæcus quidam illuminatus, & loquelam mutus adeptus est. Iterum præfatus Abbas blasphemare Dei non cessabat miracula, quos poterat à visitatione sancti auertens. Quæ dum gereret, febre correptus ita grauiter est vexatus, vt nec manducare, nec bibere, vel incedere posset. Ardoribus autem languoris huiusce * coactus, tandem peccatum suum recognouit, & sella se gestatoria vsque ad Rhenum, indeque nauigio vsque ad prædictam villam, sicque ante corporis almi præsentiam perferri fecit: ibique culpam suam confessus, absolui se petiit, & quantitatem ceræ sui corporis ponderi coæquans dedit: factisque votis annuatim soluendis, per sex remoratus dies, sanitatem integerrimam recipere meruit, & sic pedibus suis ad sua sanus recessit. Demorantibus hîc præfatis per anni spatium cum patrono suo clericis, nulla vt ferũt dies præteriit, quo non ibidem Dei miracula patrarentur. In ipsis autem vigiliis sancti Ioannis Baptistæ, confluentibus de Saxonia pluribus, & à longinquis etiam regionibus, decem & octo insignia probantur ostensa: vixq; aliquis æger accessit, qui non sospes, alacerque recesserit. Vbi tanta rerum delata est copia, vt & ipsi clerici exinde viuerent, & cæteros qui remanserant in monasterio sustentarent, Ecclesiamque ipsius villæ amplificarent, vel decorarent. Postea contigit vt propterea quę indigentiã, foras extra monasterium suum, idem sacrum corpus efferretur, & obuiam sancti Iouini pigneribus portaretur. Cuius dum fuisset in occursum perlatum, mox vt simul venerunt, obnubilato cœlo cum magna siccitas existeret, copiosa pluuiarum vis effusa est: & dum humectarentur imbre omnium vestimenta, pallia duntaxat, quæ supra Sanctorum præfatorum ferebantur corpora, penitus intacta manserunt à pluuia. Ibi quidam luscus lumen amissi recipit oculi. Qui statim fugiens, nec Deum glorificans, vt erat ioculatis, ingratus recessit: at vbi domum peruenit, lumen quod receperat, iterum perdidit. Dum vero peruentum est ad monasterium cum vtriusque sancti corpore, ita sancti Balderici pignus est aggrauatum, vt nullatenus moueri posset, donec sancti Iouini vsque ad cœnobium præcedere membra fecissent. Cum autem domnus Dado Virdunensis Episcopus hanc à rege †impetrasset Abbatiam, & hæc mira cœpisset audire, constituit vt omnibus annis triũ monasteriorum sacra pignera simul in quendam medium deferrentur locum, nomine Gaudiacum. De sede scilicet vrbis Virdunensis S. Vitonus, & S. Agericus, sanctus vero Baldericus de monasterio suo, & sanctus Roduicus de Vvasloio. In quo conuentu innumera postmodum sunt patrata miracula, vt vix præterierit huiusmodi coitio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus: maxime tamen illi, qui patrocinia beati Balderici sunt expetere visi. Quodam tali conuentu quidam locutus est mutus, quem Virdunenses arripientes secum ducere cœperunt, asserentes quod sanctorum virtus quos detulerant, hoc miraculum perpetrasset. Sicque dum separati quique referrentur ad sua, tanto sancti Balderici pondere aggrauata sunt ossa, vt penitus manere viderentur immobilia. Ad quem miraculi stuporem recurrentibus multis, dum quæruntur sui, cur inibi vellet immorari, & quid ibidem disponeret operari, accidit vt requireretur ille qui locutus fuerat mutus. Tandemque reuocatus, vbi ad locum defixi perductus est pigneris, mox absque difficultate sublatum, & ad suum sacrum corpus gratanter est cœnobium reportatum. Præfatus præsul Dado, postquam hanc sancti Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum sitas ab Adelardo Abbate ad idem dudum monasterium datas, pro villa Gerlani monte, super Mosellam coniacente, mutauit. Ad quam villam, dum sanciendi sibi causa, proficisci fratres huius congregationis præcepisset, illi assumentes secum patroni sui, domni videlicet Balderici membra, profecti sunt exequi iussa. Qui dum ad villam, quæ * Deua dicitur, peruenissent, tanto pondere sancta defixa sunt pignera, vt progredi nequaquam valerent vlterius ea ferentes: initoque consilio vt ad Ecclesiam deferrentur ipsius villæ, sub honore S. Martini dicatam, perferendi recipiunt possibilitatem. Quo perlatis pigneribus, vt post orationem ab Ecclesia est delatum, iterum sancti aggrauantur corpusculum: mirantibusque cunctis, & quod aliqua inibi Deus pro sancti sui glorificatione signa vellet ostendere quibusdam ferentibus, si qui adessent forte debiles, est requisitum. Aduenientibus autem læsis aliquibus, atque delatis quibusdam, vir quidam claudus erigitur, & fœmina quædam brachiis ab octo retro annis contracta resoluitur, duæque fœminæ cæcæ sunt illuminatæ, & infans annorum septem mutus loqui cœpit. In quo loco crux ab ipsius villæ hominibus posita est, vbi postea duæ fœminæ lumen oculorum receperunt, & candelæ diuinitus accensæ, multique diuersis sunt ab infirmitatibus liberati.

*De Ecclesia sancti Romani, & miraculis in * Gallani monte.*

Cap. XLII.

Ecclesiam sancti Romani in præfata villa Gellani monte constructam dudum Milo præpositus canonicorum huius loci ab eis auferebat: quam dum Bosone Comite sibi eam reddente, recepissent, & sancti Balderici membra illuc retulissent, audientes multi ad ipsius cœperunt confluere patrocinia. Inter quos duæ cæcæ nobiles fœminæ deductæ sunt, & quædam perlata paupercula omnibus fere membris contracta. Nocte vero vigiliarum sancti Romani, dum de more priuigiles in Ecclesia celebrarẽtur excubiæ, subito tantum cælitus est lumen effusum, vt omnia quæ fuerant accensa videretur luminaria superare. Altare tantum, supra quod sancti erant ossa deposita, densa tegi videbatur nebula, ipsumque sacri pigneris quasi moueri cernebatur gestamen. Cum repente vna cæcarum primum, moxque altera sese videre proclamant. Tum media iacens contracta, vbi cœpit clamare, auxiliũq; Dei & sancti Balderici deprecari, paulatim resoluitur, primũ brachiis, & inde poplitibus, donec erecta stetit in pedibus. Quæ postmodum sana effecta, clericorum stipe hucusque sustentatur. Igitur dum præfato morarentur in loco clerici cum pignere sacro, contigit quadam vespera cum simul residerent, vt cuiusdam Milonis amici homo, ebrietate atq; furore succensus, cœpisset

Margin notes: al. excoctus. — Arnulfo Trãsrhenẽsi. — j. Deua. — j. Gellani. — Vigiliæ in Ecclesia.

cœpisset ad eos dicere, quid ibi facerent, & quare in villam Milonis ingressi fuissent? Quibus respondentibus, quod sancti Balderici non Milonis eædem res essent, illoque contradicente: quod non Balderici, sed Milonis haberentur, comminantibus eum clericis recessit, & in eminentem villæ contiguam rupem conscendens sese in præceps dedit, sicut attritus iacuit vt mortuus vel morti videretur proximus: indeque sublatus ante sancti corporis præsentiam est deportatus, ibique tandem se culpabilem reddens, imperare sanatus, & integræ robori restitutus est sospitati. Item cum nuper ad præmemoratam villam Vvasliciam huius sancti membra relata fuissent, quoniam Godefridus principis Henrici Comes palatii eandem peruaserat villam, quidam clericorum sancti Balderici ad eundem Godefridum pro hac causa perrexerunt: & cum nullam dignam potuissent apud eum percipere responsionem, nec magis se pro eis inde quam pro suo cane facturum respondisset, clericus quidam ex his irretentando subiecit, quod calidum proinde sudorem sudaturus esset, nec canis suus adiuturus eum foret. Ille furibundos ad hæc eos à suo præcipit eiici conspectu. Quibus recedentibus ipse mox diuina plectitur vltione, validaque correptus febre cœpit grauissime vexari, omnisque succendi ardoribus, atque feruentissimis effluere sudoribus. Mittens igitur ad Episcopum Coloniensem Vvicfridum, hunc ad se venire petiit, eique rem retulit, atque id ab eo consilii percepit, vt ad præfatos clericos mitteret, eosque ad se venire faciens, & errata corrigens, ab eis de sua infirmitate consilium & pariter auxilium quæreret. Quod ille obaudiens, & ad eos mittens, ad se venire mandauit. At missus eius typho, ceu videbatur, inflatus superbiæ, cœpit vt ad suum dominum mox clerici pergerent, imperitando præcipere. Quibus renuentibus, sed eum charitatem secum facere rogantibus, ille contempsit, eoque recedente, in ipso egressu equus eius incitatus ab ipso prosiliens ruit, & collo fracto interiit. Sic ille humiliatus ad fratres redit, charitatem quam spreuerat egit, & ita correctus recessit. Hinc iterum, tertioque vocati, atque petiti, huius tandem viri compertis incommodis, ad eum tum demum veniunt, patientis compatiuntur cruciatibus, & confitentem peccatum suum, emendationemque promittentem precibus suis absoluere student. At ille statim se melius habere professus, vbi recessere fratres, conualuit, res quas inuaserat reddidit, ac deinceps ab earum se læsione continuit. Verum tanta domus eius affecta clade fuisse perhibetur, vt vix aliqui remanserint, qui eisdem rebus vsi fuerant: ipsi etiam equi & canes interierint, & ipse peruasor, perditis cum cute capillis & vngulis, vix euaserit.

De miraculo in Rheno flumine patrato.

Cap. XLIII.

TVnc ob infestationem Hungarorum, quæ primitus eo tempore in hoc emerserat regnum, consilio ito Canonici sancti Balderici Rhenum cum domino suo transmeant. Inde quadam vespera remeantes, in fluminis medio nauem iactis defigunt ancoris. Relictisque paucis in naui cum sacro pignere custodibus, ipsi ad prædictam Schaphi properant suæ possessionis villam. † Tres vero quidam latrones, comperto quod pauci resedissent in naui custodes, ibique thesauros vel ornamenta sancti remansisse rati, conscensa redeunt illo cymba. Sed antequam pertingerent ad ipsam quam petebant nauem, cæcari diuinitus, perditoque sensu remigare non valentes, impetu fluminis ferri cœperunt. Sicque nauicula eorum naui, quæ sancti corpus seruabant, impacta, contritaque, medios eos in fluctibus dereliquit. Quorum duobus

† scz Vasliciam.

fluuio mox absorptis, tertius, qui etiam famulus erat sancti Balderici, iacta manu nauem sancti arripuit, & taliter euadens mortem, clericorumque perductus in præsentiam, nihil eorum quæ passus fuerat edicere valuit, donec in crastinum refocillatus, sensuque recepto tandem quæ gesta fuerant enarrauit. Postquam vero à præfato loco huius beati viri ad suum monasterium sunt ossa relata, multa inibi feruntur ostensa miracula, quæ præ multitudine non habentur scripta. Illuc nuper quidam pauper candelam descensin circulo deuolutam, paulo ante horam vespertinam supra loculum sacrorum hanc posuit ossium. Qui dum data oratione recederet, subito candela, superno accensa igne, cœpit ardere. Quæ donec custos Ecclesiæ ad vespertinalia pulsanda venit signa, pallio, cui superiecta iacebat, illæso, deflagrauit, nec vllam pallio læsionem, cui adhærebat, aggessit. Multa præterea sanitatum, clarificationumque ibidem crebèrrime ad declaranda sancti sui merita Dominus ostendere dignatur miracula, ad honorem scilicet ac laudem nominis sui, quod est benedictum in sæcula.

De miraculis in monasterio sanctorum Bona ac Dodæ factis.

Cap. XLIV.

IN præmemorato deoique puellarum monasterio, in quo præfatarum sanctarum Bonæ ac Doræ translata præfati sumus corpora, nonnulla postmodum patrata probantur miracula. Vbi frigoritici, atque diuersis ægritudinibus occupati venientes optata merentur sospitate donari: maxime in die solennitatis earumdem. ‡ In qua quædam nuper puella, auditu frustrata, vi inualitudinis sensus huius obturatis meatibus, interuentu earumdem sanctarum Christi sponsarum, perdita dudum munia recipere meruit auditum.

sup. cap. 8.

‡ Id est 24 Aprilis.

De visione cuiusdam puellæ.

Cap. XLV.

HAbetur in hoc monasterio quædam sanctimonialis virgo, neptis quondam Gontmari religiosi presbyteri, nomine Ricuidis, cui apparuerunt olim per visum beatus Petrus Apostolus, & beatus Remigius, significantes ei, quod iter Romæ eidem, dum reuerterentur ad ipsam, præcepturi essent: asseueruntque se medio mense Septembri, f. Exaltationis sanctæ crucis die, reuersuros. Qua expectatione suspensa nihil inde alicui, prohibita scilicet ab eis, ausa est intimare. Die vero qua prædixerant redituros, iterum apparuerunt ei, iubentes vt accerseret fratrem suum Fredericum presbyterum, & exhortaretur eum sequi, prout magis potuisset, vestigia præmissi sacerdotis Guntmari, & ex ipsorum iussione prædictum iter iniungeret illi secum exequi, tali videlicet tenore, vt ab ea die nec ille, nec ipsa carnem comederent, aut vinum biberent, donec iter ipsum arriperent, nisi tantum vini, quantum emi potuisset ex pretio, quod super altare quoddam ab ipsis ei designatum repertura esset, ipsa duntaxat perciperet. Vt ergo inde magis crederetur, quasdam sorores, tres videlicet sanctimoniales huius monasterii, ad id inquirendum sibi testes ascisceret, denominatis scilicet personis, quas aduocare debuisset. Sanctus autem Remigius hoc insuper addidit: vt diceret illa fratri suo, quatenus esset memor, quod illi quondam apparuerat, & ei locutus fuerat. Addens etiam pro signo recognitionis, quod eum in palma de cultello visus fuerat percussisse. At illa mox ad præfatum fratrem suum mittens, mandauit ei vt ad se festinanter veniret. Qui veniens sororem

suam hora iam vespertina ieiunam adhuc, & de visione valde stupefactam inuenit. Quæ aduocans denominatas sibi sanctimoniales, pariter ante denotarum altare septem psalmos pœnitentiales decantauerunt, additis insuper litaniarum precibus, accesserunt ad altare, & exuentes operimentis, repererunt in cornu eiusdem altaris obolum paruum, quem assumentes cum gratiarum actione dederunt pro vino, quod tantummodo hæc sanctimonialis bibit, non deinceps amplius vinum sumptura, donec iter iniunctum tam ipsa, quam prædictus frater suus, inirent. Quod fideliter & fiducialiter arripientes, prospere, Deo iuuante, & S. Petro & sancto Remigio suffragantibus, vt ipsis promiserant, peregerunt. Ac deinceps à carnibus illa (præter Dominicam) abstinet, ac tribus diebus in hebdomada, vsque dum signum sonet ad secundam, nihil operis agit, orationibus & psalmodiæ vacans: quod sibi vsque ad septem annos commemorat adimplere præceptum. Fratri vero suo præmemorato hoc à supra dictis Sanctis per ipsam mandatum est, vt quatuor diebus in hebdomada à carnibus, omni vero sexta feria à vino semper dum aduixerit, debeat abstinere. Quæ & obseruare visi sunt.

De altero Remis puellarum monasterio.

Cap. XLVI.

Alterum denique puellare monasterium Remis habetur situm ad portam, quæ olim Collaticia, scilicet à conferendis mercibus, nunc Basilicaris vocatur, eo quod circa se basilicis dudum, præ cæteris portis, abundasse feratur: seu quod euntibus ad basilicas in vico sancti Remigii consistentes, peruia fuerit. Supra quam domno Rigoberto habitaculum fuisse commemorauimus. Quod monasterium domnus Guntbertus vir illustris in honore sancti Petri construxisse traditur, quod regale vel fiscale vocatur, eo quod in regali potestate vsque ad moderna tempora fuerit habitum. Quod monasterium Ludouicus imperator * Alpheidi filiæ suæ, vxori Begonis Comitis, dono dedit, eidemque sacro loco immunitatis præceptum delegauit, vt & patet ipsius Karolus imperator egerat olim. Quod cœnobium postea per precariam ipsius Alpheidis, vel filiorum eius Letardi & Ebradi, ad partem & possessionem Remensis deuenit Ecclesiæ. Hic haberi asseritur dens sancti Andreæ Apostoli: cuius beneficia multi, qui eum osculari promerentur, frequenter experiuntur infirmi. Vidimus hic, in Ecclesia s. huius cœnobii, cereum igne cœlesti ter quoque accensum, quem cereum collata cera fecerant quidam ciues Remenses, qui ad visitanda nuper Apostolorum limina profecti fuerant. Vidimus in hoc quoque monasterio puellam quamdam fudasse sanguinem, quæ tunc hebdomada plena iacuit immota, quasi mortua, & visiones ei sunt ostensæ nonnullæ.

Forte Basilicalo.

l. 2. c. 11.

al. Alpaidi & infra.

De domno Guntberto, & ipsius vxore Berta.

Cap. XLVII.

PRæmissus itaque domnus Guntbertus huius instructor cœnobii, relicta coniuge, maritima petens loca, illic etiam monasterium quoddam condidisse fertur. Vbi & à barbaris decollatus fuisse traditur. Relicta vero ipsius domna Berta cœnobium puellare apud Auennacum, Domino sibi locum per Angelum demonstrante, construxit. Et dum inibi aquam non haberet, impetrauit à possessoribus proximæ siluæ, argenti libra data, fontem quendam, duobus fere millibus à suo monasterio distantem. Ex quo fonte mox riuus egressus, secutus est eam ad cœnobium remeantem. Qui adhuc largiter affluens, pro eo quod tantumdem fuerit emptus, Libra vocitatur. Priuigni denique ipsius domnæ Bertæ insurgentes contra eam, interemerunt illam. Qui statim traditi Sathanæ in interitum carnis, ab humano sensu in belluinam feritatem mutati, * decessisse feruntur. Nepti vero domni Guntberti, nomine Montiæ, quæ sceleris huius consentanea fuerat, noctu vigilanti domna Berta fertur apparuisse, eique præcepisse, vt corpus domni Guntberti ad hunc locum referre satageret, ac iuxta suum funus collocaret: sicque illi peccatum conscientiæ necis suæ Dominus indulgeret. Quæ signum petens, quo sibi dimissum id esse sciret, audiuit quod mox vt tussa complesset, ex eius ore vel naribus erumperet sanguis. Quod & impletum est, dum corpus domni Guntberti iuxta pignus beatæ Bertæ reconditur. Huius domnæ Bertæ corpus post centum circiter annos inuentum est integrum, & plagæ ipsius ita tunc recenti affluxere sanguine, ac si eadem hora vulnera fuissent ingestæ. Ad horum denique sanctorum honorem & meritum demonstrandum, multa postmodum Dominus dignatus est operari miracula, quæ causa negligentiæ non habentur asscripta. De quibuslibet autem tribulationibus ipsorum congregatio Domini misericordiam, per eorum intercessionem expetit, misericorditer impensam sibi consolationem percipere meruit. Quædam præterea mulier ab altera huius monasterii linteum nuper furata secum ferre voluit, sed egredi Ecclesiam nullo modo potuit, donec suum confessa reatum, sublatum restituit altari velum. Hoc monasterium vel Abbatiam domnus Fulco Præsul ab Odone rege concedi Ecclesiæ Remensi per paginam præceptionis ipsius reg[...] nuit, & pro confirmando eo huic Ecclesiæ, [...]moso Papa priuilegium Apostolicæ se[dis] impetrauit.

De duabus Ecclesiis sancti Hilarii Remis

Cap. XLVIII.

SVnt hic Remis Ecclesiæ duæ in honore sancti Hilarii: vna infra ciuitatem, in qua nuper quædam puella contracta & paralytica diuina est erecta virtute: altera, quæ est antiquior Ecclesia, ante portam Martis sita, quam sanctus Rigobertus Pontifex antecessoribus nostris clericis ad sepulturam ipsorum dedit. Quæ dudum, scilicet ante discessionem vel [ex]pulsionem domni Artaldi Episcopi, crebris [...] batur miraculis. Vnde & tunc ab eo, ciuibus quoque suffragia ferentibus, tectis ac nouis est reparata laquearibus. Nam quidam cæcus, nomine Paulus, admonitus in somnis, vt ad eandem pergeret Ecclesiam, lumen ibi recepturus, aduenit, & recuperato lumine, nec mora, videns abscessit. Quidam ex Episcopi famulis cum ad ipsam pergeret Ecclesiam, piscatorem cum piscibus ante fores Ecclesiæ obuium habuit: quos apprehendens velut empturus abstulit. At pauperille piscator, vt inde sibi cum sancto Hilario conueniret, deuotionum clamores lugubri mente in eum ingessit. At ille despiciens huiuscemodi voces, Ecclesiam, quasi missam auditurus, intrauit. Vbi dum staret, subito corruit, grauiterque vexatus eicitur. De qua vexatione non paruo tempore laborauit. In huius Ecclesiæ cœmitero quidam Scotigena Dei seruus olim sepultus. Sed cum iam à nostris & nomen, & memoria ipsius sepulturæ videretur abolita, apertis sese cœpit manifestare visibus. Nam dum quidam ciuium non de inferioribus, sed pauper rebus, olim nostris diebus obisset, amici eius ad Hildegarium huius Ecclesiæ presbyterum accedentes, petunt ab eo, vt [...]

sepulturæ impetrarent, vbi sarcophagum reperirent, in quo corpus ipsius recondere possent, quia de rebus ipsius vnde emerent non haberent. Quidum eis petita concessisset, sepulturam serui Dei aperuerunt: sed ipsum eius sarcophagum aperire nequiuerunt. Quo audito, presbyter accessit, & coopertorium sarcophagi leuare tentans, aliquantulum aperuit sepulchrum. De quo mox fragrantia tantæ suauitatis emanauit, vt nunquam se delectabiliorem testatus sit hausisse odorem. Introspiciensque videt corpus integrum sacerdotalibus insulis redimitum: recomponensque sepulchri pallam, non ausus est hanc amplius violare sepulturam: permisit tamen vt idem corpus, depositis quibusdam, superponeretur tabulis. Ipsa nocte visus est ei auunculus suus presbyter in somnis, qui iam dudum decesserat, asserens quod valde offendisset Deum præterita die, maxime si sepulchrum sancti violare præsumpsisset. Idem quoque beatus vir cuidam sub ipsis diebus apparuit, & quia valde grauaretur præ pondere & indignitate superiecti sibi cadaueris innuit, & vt indicaret presbytero iussit: quia nisi cito corpus * id fœtidum à sepultura sua sepelleret, diuina quantocius vltione plectendus esset. His presbyter admonitionibus pauefactus, cadauer quod sepulturæ sancti superpositum fuerat, eiici fecit cum festinatione, & aperta alibi sepultura recondidit. Visus est idem sanctus Domini postea cuidam rustico, præcipiens ei vt iret ad Episcopum Artolduin, & indicaret ei ex verbis eius, vt corpus ipsius, quod extra iacebat, intra Ecclesiam transferret. Quod idem rusticus intimare timens, neglexit mandatum. Nec longe post iterum apparens euigilanti, duriter increpauit illum, quare præceptum neglexit, & corripiens alapa eius percussit maxillam. Qui mox auditum amisit ipsius auris, in qua percussus est parte, capitisque dolore per dimidium sese vexatus est annum. Deinde cuidam presbytero in eadem Ecclesia, sub præmisso sacerdote seruienti, apparens in visione quadam dominica nocte, admonuit eum, vt Episcopo indicaret, quatenus corpus ipsius in prædictam Ecclesiam transferret: locum quoque vbi ponendum foret ostendere non omisit, intimans ei obitum, & causam obitus vel aduentus sui: significans se Scotigenam fuisse, Romamque orationis gratia cum sociis petendi itinere occupatum, à latronibus super Axonam fluuium fuisse peremptum, indeque corpus suum à sociis huc delatum, ibique sepultum: propalans etiam nomen suum, quod vocaretur Merolilanus, iubens vt id nomen, ne forte memoria delaberetur, ascribere curaret, inclinansque se, partemque cretæ, quæ fortuitu iacebat, apprehendens dedit ei, præcipiens vt illud continuo adnotaret in arca quæ lecto ipsius adhærebat. Quam ille cretam visus est accepisse, nomenque descripsisse. In quo dum pro L littera, R scriberet, corrigere hoc eum monuit, & ita incastinum hoc nomen adscriptum inuentum est, vt testaretur idem presbyter, quod vigilando per diem tam bene scribere nequiuisset. Quibus reuelationibus monitus Episcopus, Ecclesiam quidem restaurari fecit, sed corpus sanctum non transtulit. Nec diu postea sic et contigit, vt in eadem Ecclesia coram Hugone principe se abdicaret Episcopii gubernatione.

ma, iam

S. Merolilanus.

De Ecclesiis in honore sancti Martini circumquaque per totum circiter Episcopium constructis.

Cap. XLIX.

IN honore quoque beati Martini multæ circumquaque per totum circiter Episcopium habentur Ecclesiæ, diuinis miraculis illustratæ, ad quæ neminem credimus enarranda sufficere. In vico denique sancti Remigii constat Ecclesia huius beati confessoris, quæ

A clericorum olim fertur habuisse congregationem, de qua tale apud nos refertur miraculum. Quidam vir illustris, cum duxisset vxorem, non longe post in expeditionem præcepto regis profectus, diuque moratus, postquam domum rediisset, significatum est illi, quod vxor eius adulterio fuisset corrupta. Quam vir vxorem diligens, tali examinatione probare voluit audita, vt supra sacra Ecclesiarum, quæ in hac vico habentur, vxor sibi iuraret altaria, quod hoc crimine esset innoxia, sicque immunis sibi postmodum foret à noxa. Quod illa non abnuens, prompta suscepit, facturaque fidem dictis, cum marito ad vicum peruenit, & dans super quarumdam Ecclesiarum altaria iusiurandum, tandem peruenit ad huius Ecclesiæ domum, accedens ad altare, dum falsa mente deierat improba, repente vtero dirupto eius labuntur humo intranea, procidensque mortua ostendit quam vera essent quæ de se marito fuerant insinuata. Ille nutu Dei compunctus ad miraculum, vouisse B traditur, se vlterius mulierem non habiturum: familiamque vxori delegatam eidem addicens Ecclesiæ, hanc eis dedit legem, vt capitis censum ibidem dependerent, nullique præter id obnoxii seruitio forent. Quæ famulia hac sibi lege seruata, ad duo millia vel amplius excreuisse reperitur capita, vt olim scilicet antequam vastaretur à barbaris, duodecim libras argenti partibus præstaret Ecclesiæ.

De miraculis sancti Martini Remensis.

Cap. L.

ALiis etiam nonnullis beati patris huius vrbs nostra fertur insignita miraculis. Ex quibus ea quæ sanctus Gregorius Turonensis in suis miraculorum libris enarrat hic indere placuit: vt si qui hæc legentes, ea forte non legerint, hic reperire possint. Re- C fert enim, quod transeunte se quondam per pagum Remensem, retulerit ei quidam Remensis, carcerem in quo famulus ipsius hominis inter reliquos vinctus tenebatur, beati Martini virtute patefactum, vinctosque ab ergastulo absolutos, liberos abscessisse. Erat enim huiusmodi carcer, vt super struem tignorum axes validi superpositi pulpitarentur: ac desuper qui *eundem opprimerent, insignes fuerant lapides collocati. Nihilominus & ostium carceris sera ferro munita, obducto, claue pessulo, obserabatur. Sed virtus antistitis, vt ipse relator asseruit, lapides pulpitaque disiecit, catenas confregit, trabem, quæ vinctorum coarctabat pedes, aperuit ac nec reserato ostio, homines per aëra subleuatos foras, tecto patente, produxit, dicens: *Ego sum Martinus, miles Christi, absolutor vester abscedite cum pace, & abite securi. Sed cum nos,* inquit Gregorius, *ad regem accedentes huius virtutis miraculum diffamaremus, affirmauit rex quosdam* D *ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, atque compositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant, & se fuisse reis indultam.* Refert etiam idem Gregorius se quondam hanc vrbem petiisse, & in sacrario huius Remensis Ecclesiæ Sigonis aurem surdam referendarii Sigeberti regis, virtute beati Martini, cuius habebantur apud se pignora, dum colloqueretur secum, subito patefactam atque sanatam fuisse.

Greg. l. 4. mir. Martini 26.

orig. eosdem

Greg. vbi sup. lib. 2. c. 17.

De sancta Macra virgine.

Cap. LI.

PAssa est in hoc Remensi pago beata Macra virgo sub Rictiouaro Præfecto, quæ post insuperabilem Christi confessionem grauissima tormenta perpessa,

post mammillarum abscissionem, & repentinam curationem per Angelicam in carcere visitationem, dum super prunas & testulas accensas nuda volutaretur, cum precibus & gratiarum actionibus, immaculatum Deo reddens spiritum, ac triumphans aduersarium, inibi læta petiit cœlum. Corpus eius haud procul à loco vbi passa est, tunc extitit tumulatum. Multa vero post annorum curricula cuidam bubulco per visionem locus, quo beatissima virgo condita fuerat, iuxta quandam in honore beati Martini constructam Ecclesiam, reuelatus est. In quo visu admonetur, vt corpus sacratissimæ virginis intra præfatam Ecclesiam reconderetur honorificentius, quatenus incolis eiusdem loci, prout decebat, innotesceret manifestius. Quod & mox à viris Deo amabilibus magno constat peractum decore. In qua donec venerabile corpus eius requieuit, insignia per ipsius intercessionem sunt patrata miracula. Ibi cæci visum, claudi gressum, surdi auditum, Domino eius obtentu largiente, promeruerunt. Procedenti vero tempore vir quidam strenuus sanctarum fundator & cultor ædium, nomine * Daugulfus, eius, vbi nunc veneratur, fundauit templum, in quo illius sacratissima transtulit membra, regnante magno Imperatore Carolo: vbi non minima quoque Domino præstante, sæpe * miracula peraguntur. Quam nuper Ecclesiam, tempore scilicet persecutionis Hungaricæ, iidem barbari succendere cupientes, aceruos quosdam frugum magnos qui parieti eiusdem adhæserant incendunt, exustisque segetibus, flamma licet Ecclesiæ tecta lambente, eandem tamen accendere nequiuerunt.

ȷ. Dangulfus.
Loco nomen est Fisme.
mi magnalia.

De sanctis Rufino & Valerio martyribus.

Cap. LII.

EOdem tempore quo hæc sacra Virgo passa est, lancinator eius Rictiouarus per vrbem Remorum transiens, & quosdam Christianos ad culturam deorum compellens, vt eos superare nequiuit, trucidari præcepit. Et egressus inde reperit duos quosdam viros Rufinum & Valerium, fide Christi robustos, regalium tamen horreorum custodes. Quos comprehensos, vbi comperit Christi dilectione & confessione firmissimos, plagis afflictos diuturna carceris macerauit retrusione: vbi Angelica visitatione ac consolatione releuati, & confortati sunt. Sic inuicti tandem reperti, capitalem subiere sententiam. Cumque non post longa temporis interualla ad vrbem Remorum sacratissima deducerentur eorum membra feretris imposita, in loco illo, vbi nunc tumulata ipsorum requiescunt ossa, ita tunc * feretra sunt aggrauata, vt nequaquam loco moueri valerent. Et ita Deo iubente factum esse probatur, vt vbi pauperibus eleemosynæ distribuerant largitatem, ibidem suorum corporum gratam perciperent requietionem. Sed dum nuper gens barbara Nordmannorum sæuitura se Gallis infudisset, ob vitandam huius persecutionis procellam, eorum pignera ad vrbem sunt Remensem delata, positaque in beati Petri Ecclesia, & per dies plurimos ibidem sub honore seruata. At cum iam demum, barbaris recedentibus, in nos bacchata diu tempestas * desedisset, redissetque tandem, Deo iubente tranquillitas, presbyter, qui sanctis deseruiebat, & ad propria iam dudum redire cupiebat, accelerauit sanctorum martyrum glebas tollere, & ad dicatum sibi locum referre. Postque celebrata missarum solemnia leuantur à sacerdotibus sacrata Christo corpora, atque cum magna populorum referunt comitante caterua. Contigit autem diem illam, quæ Dominica scilicet habebatur, ventorum flatu fuisse nimbosam, ita vt omnes candelæ, quæ ad obsequium sanctorum ferebantur, vi turbinis extinguerentur. Cumque carpentes iter partem fluminis fuissent ingressi, cereus qui ante sanctorum pignera ferebatur extinctus, repente cælitus accensus, omnibus mirum exhibuit spectaculum. Sicque inter commixtos grandine nimbos, & ventorum flatus ad quatuor fere millia durauit ex miraculo flamma. Disposuit denique postea presbyter cereum ipsum in meliorem formam de eadem reficere cera. Cumque id à sacerdotibus sibi subiectis efficeretur, mirum dictu inter manus eorum mollis cœpit crescere cera, & in magnam grandescere quantitatem.

e. i. feruntur.
e i. desæuisset

De miraculis eorundem sanctorum.

Cap. LIII.

CVmque illi stupentes, admirantesque perstreperent, ingressus presbyter, & videns auctam sic fuisse ceram credidit eos aliam ceram illi, quod non præceperat, adiecisse. Sed cognito tandem à sacerdotibus, quod acciderat, miraculo, Deo gratias egit, & ceram in Ecclesia ad memoriam tantæ rei reposuit. De qua cera Riculfus Suessionum venerabilis Episcopus reliquias sibi deferri iussit. Sed & vicinarum Ecclesiarum religiosi presbyteri exinde ob deuotionem expetitas particulas in Ecclesiis venerabiliter condiderunt. Alia autem vice, cum de Suessonica ciuitate, in qua ob similem persecutionem delati fuerant, ad locum proprium referrentur, claudus quidam cum ceteris qui sanctorum corpora deuoto comitabantur obsequio, reptabundus, adnisu quo poterat, incedebat. Non quidem hunc natura claudum produxerat, sed ex tempore illi accesserat gressuum dolenda debilitas. Cumque ad villã quæ Vasneia dicitur, venissent, mox natiuæ rectitudini restitutus, proiectis adminiculis suis cœpit vadere plãtis, & Deũ in sanctis suis mirabilẽ ore collaudare gratãti. Præterea in eos qui sacrũ locũ violare, & res sanctis martyrib. delegatas peruadere nitũtur, quã cito diuina vltio exeratur, vno teplo sufficiat demõstrare. Tẽpore quo inter reges Odonem & Carolũ graues agebantur Francorũ in regno discordiæ, per hãc occasionẽ licito rapinæ & deprædationes fiebãt, cõfusum erat fasq; nefasq; nusquã Dei aut humanarũ timor legũ, sed vi & potentia vniuersa constabant: aliquãdo ad villã, quæ Basilica dicitur prædones affuerunt, cœperuntq; oẽs pauperũ substantiolas auferre. Tũc quædã mulier cula cũ supellectili sua fugiẽs ad ecclesiã ss. martyrũ, cursu rapidissimo tẽdebat. Quã quidã ex his qui ad prædandũ venerant, ita vt sedebat equo velocissime insequi cœpit, volens eã capere, & ferria sua illi auferre. Sed cũ quidã de adstantib. diceret: Noli miser, noli illam in atriũ sanctorũ insequi martyrũ, ne tibi mali aliquid cõtingat. Ille nihil veritus, admisso equo rapidissime fugientẽ insequebatur mulierculã. At vbi primis atrio pedibus equus institit, subito cernuatus cecidit. Sessor aũt eius tã graui allisione vexatus est, vt à summo genu vsq; pedem, disrupta tibia, caro velut ferro incisa, dehisceret, osque ipsum, carnis * tegimine nudatũ, pateret, & qui superbus eques venerat, iã humiliatus, nec suis pedib. incedere valẽs, manib. alienis de atrio Ecclesiæ proiectus est. Tunc equo & quæ habere potuit sanctis martyribus pro eo dans, morti quidẽ substractus est: sed quod superuixit tẽporis inutilis & nulli operi aptus fuit, testimoniũ diuinæ virtutis in sua debilitate circũferens, & aliis quibusque salubrẽ morẽ, exẽplo patratæ in se vltionis, incutiẽs, ne talia agentes similia patiantur. Illud quoq; nouissimũ, & omnib. habetur peruulgatũ, ad ss. martyrum sepulchra oleum aliquando creuisse. Siquidẽ presbyter vas quoddã fictile iuxta altare posuerat, ad seruandum oleum, quod ibibidem ad fontẽ luminis, ardere debebat. In quo vase parũ quidem olei remanserat, maiore eius parte in lychnorũ lumine consumpta, cũ repente cœpit crescere, & nullo inspiciente in maius augeri, donec os vasis crescens oleum exæquaret. Quod, cum per dies aliquot fieret, nec iam se intra vasis angustias liquor diuinitus auctus caperet, ac gnna-

al. tegmine.

tim in terram flueret, clericus Ecclesiæ ipsius custos hoc solus animaduertit, & subiecto vase altero, intra paucos dies ad vnum sextarium collegit, furumque abscondit; putans infelix diuinitus miraculum cupiditatis suæ fore compendium, & vnde prouidebatur omnibus patrocinium, inde clandestinum se posse credidit perficere furtum. Sed Christus, qui sanctos suos mirificare apud nos decreuerat non diu permisit latere vel illius pudendum facinus, vel quod ad suorum martyrum gloriam côtulerat munus. Nam quadam die domum, quæ basilicæ adhæret, in qua etiam Suessonicus Episcopus, cum illuc accedit manere consueuit, presbyter nescio quid causæ fuerit, ingressus, vidit vas illud oleo superfluere, & miratur vnde illa esset olei copia, cum illic perraro huiusmodi inueniri possit liquor, cœpit percunctari clericum tanti criminis conscium, cuius esset oleum, aut quis illud ibi deposuisset. Sed cum ille diceret, nescire se vnde esset, pueri qui ad discendos psalmos ibidem residebant, & rem omnem nouerant indicauerunt presbytero & factum miraculum, & custodis furtum. Ille hoc audito, cito ad vas quod iuxta altare stabat recurrit, & pauimentum adhuc olei exundatione madens inuenit. Cumque immensum in sanctis suis glorificaret Deum, alius quidam de custodibus aduenit, & confessus est se magnam partem olei ipsius, nullo teste, tulisse, & vbi voluit, & sicut voluit, expendisse.

Flodoardi Historia Remensis Ecclesiæ finit.

IN QVATVOR
LIBROS FLODOARDI HISTORIÆ REMENSIS Ecclesiæ.

SCHOLIA SEV NOTAE, QVIBVS obscura quæque illustrantur, dubia & inuoluta explicantur, mutila deprauata supplentur, & emendantur.

AVCTORE GEORGIO COLVENERIO SS. Theol. Doctore, & Regio ac ordinario in Academia Duacensi Professore, collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præposito, & Academiæ Cancellario.

IN PROLOGO.

Præclaro Præsuli R. Flodoardus.) Sic cum R. P. Iacobo Sirmondo extendimus, cum in ms. sit R F. L. Vbi, vt idem Sirmondus ait, per litteram R. nonnulli putant Rodulphum Episcopum Laudunensem intelligi, quem scribit in chronico suo hic auctor noster obiisse anno 948. neque hæc historia vlterius progreditur.

SCHOLIA IN LIBRVM I.
Cap. I.

Fratris militibus, &c. interfectum.) Sic omnia exemplaria, atque ita frequenter loquitur, subaudita positione, pro à fratris militibus, quam adiecit j Sic infra c. 6. turbis remotus popularibus.

Cuius etiam fornicem prodeuntibus dexterum.) Hoc est eum qui à dexteris est iis qui ciuitatem egrediuntur.

A *Nautæ siquidem cygnum bonam prognosin prodere ferunt, vt ait Æmilius.*) Hæc verba cum disticho sequente sumpta sunt ex Isidoro lib. 12 Originum siue etymologiarum cap. 7. ex quo adieci voculam (ait) Isidorus ea desumpsit ex Seruio in j. Æneid ad versum:

Aspice lætantes bis senos agmine cygnos

Habet autem distichon hoc Æmilius Macer in Ornithogenia, quem librum citat Seruius: Item Nonius Marcellus verbo, profecta. Vbi tamen pro Æmilius, male legitur Licinius, vt docti adnotarunt. Seruius vbi supra ad versum. Ignauum fucos, nominat Marcum Æmilium. quod vero de anseribus hic subiungitur, sumptum est eodem Isidori loco, vbi de Capitolio per anseres seruato citat Liuium, Plutarchum, & Florum. Quibus addi potest Plinius lib. 10. Hist. Nat. c. 22 & lib. 29. c. 3. & ipse Virgilius lib. 8. Æneidos sub finem.

Vrbs autem nostra nomen Durocortorum quondam dictum.) B Ita hoc loco & infra semper legunt exemplaria c m. & j. pro quo s. vbique substituit Durocortum: quod legitur quidem vulgariter in textu Iulii Cæsaris loco hic allegato. Verum Fuluius Vrsinus in suis emendationibus testatur in libro suo à sexcentis pene annis conscripto, & alio codice Vaticano legi Durocortorum, quomodo & Ptolomæus legit Δουροκόττορον. Eadem lectio probatur ex Æthico, & commentario Hieronymi Suritæ ad itinerariũ Antonini, & ex Hincmaro epist. 6 inter eas quæ à R. P. Ioanne Busæo editæ sunt c. 18. Petrus Diuæus, & Abrahamus Ortelius in suo thesauro Geographico Durocortorum scribunt mutata littera r. tot.

Vastatis regionibus, exercitum Cæsar.) Sic Orig. & c. pro quo ms. j. male legunt factis legionibus, vt declarant ea quæ in Cæsare præcedunt.

Æthicus etiam in Cosmographia sic memorat. Verba quæ citat leguntur in Itinerario prouinciarum, quod Antonio Augusto, alias Antonino Imper. adscribitur, C & in editione Basileensi 1575. Æthici Cosmographiæ subiungitur, estque verisimile Æthicum vtriusque auctorem esse. Videatur præfatio dictæ editionis. Cosmographiæ Æthici philosophi meminit S. Euradus Cisoniensis in suo testamento.

M. P M.) Ita vbique exemplar nostrum m. Quod lege, millia minus, vel potius, millia passuum, vt vult Hieronymus Surita initio sui commentarii in iam dictum Itinerarium, refutans aliam interpretationem: Quod liquido, inquit, confirmare possimus vias eas certis & constantibus lapidum dimensionibus fuisse demetatas. Pro quo & illud facit, quod in ipso itinerario non legantur nisi duæ litteræ M. P. j. distinctis punctis posuit M. P. M omissa virgula superiacente.

Item à Durocortoro Diuodorum, & paulo post, Diuodorum.) Frequentius in dicto Itinerario scribitur Diuodorum, quomodo verisimile est secundo quoque loco D legendum esse, vti legit j. Hæc hodie ciuitas Meteosis, aut Eheonis villa esse creditur.

Item à Bagaco Neruiorum.) Restitui pro ab Agracco ex itinerario, in quo tamen quædam exemplaria legunt Baiacum. Videtur autem intelligi oppidum Hannoniæ, quod nunc Bauacum dicitur.

Cap. II.

Castra in altitudinem pedum XII. fossamque pedum XVIII. munire iubet.) Clarius orig. Castra in altitudinem pedum xii. vallo fossaque duodeuiginti pedum munire iubet.

Cum finem oppugnandi nox fecisset.) Sic restitui ex orig. pro, non fecissent. Et paulo post. *Eo de media nocte,* pro, Eo die media nocte.

Et docilis rector rostrati Belga couini.) Ita in s. corre-

ctum ex orig. quo modo & j. legit, cum m. legat monstrati Belgaco vinci. In corpore Poëtarum edito Lugduni 1603. legitur quoque monstrati & in primo versu *Aturi* pro *Satyri*, cum vera lectio, vt in thesauro suo docet Ortelius, sit Atyti. Est autem Atytus Tarbellorum in Gallia Aquitanica fluuius erumpens in Oceanum. Porro couinus est rhedæ seu vehiculi falcati genus, quo Britanni & Galli in prælijs vtebantur.

Cap. III.

Sinicium videlicet Suessonica sedis primo, nostrum postea Præsulem. Et infra Suessonicam, & Suessoni.) Hæc est quasi perpetua lectio antiquioris exemplaris m. quam s. vbique mutauit addita littera j. scripsitque Suessonicæ & Suessioni, &c. Sed antiquam retinere placuit, eo quod probationem suam habeat ex Ptolomæo, Æthico, & alijs, atque etiam ex Gallica voce *Soissons*, tametsi posterioribus seculis alia sit vsitatior, quæ in Iulio Cæsare interdum repetitur. Nec refert vtrum hoc, an illo efferatur. Cæterũ veritas historiæ hic narratæ ex eo confirmatur, quod S. Sixtus, & S. Sinicius (de quibus Martyrologia calendis Septembris) ponãtur primi in catalogo Episcoporũ Suessionensiũ, sicut & Remensium, vt videre est in tabulis Antonij Democharis, vbi referuntur martyrium passi sub Nerone, sicut & Amansius horum successor. Atq; ob eam causam, teste eodem Demochare. Episcopus Suessionensis primum locum obtinet inter suffraganeos Episcopos prouinciæ Remensis, & inter eos Decanus appellatur, primamq; vocem obtinet in deliberationibus &c. Quia videlicet iidem fuerunt primi Episcopi Suessonenses & Remenses. Nomina vero Episcoporum, qui olim subesse solent Archiepiscopo Remensi hæc sunt: Suessionensis, Cathalaunensis, Laudunensis. Belloуacensis, Ambianẽsis. Nouiodunensis, Siluanectensis, Camaracensis, Attrebatensis, Tornacensis, & Morinensis. Delens autem Morinis à Carolo V. Imperat. anno 1553. sedes Episcopalis ex parte translata est Bononiam, manetque Bononiensis Episcopus eidem Remensi metropolitano subiectus. Sed anno 1559. in erectione nouorum in Belgio Episcopatuum per bullam Pauli 4. subtractæ sunt à metropoli Remensi Cameracensis, Attrebatensis, & Tornacensis, & sedes Cameracensis erecta est in metropolitanam, cui subiectæ sunt Attrebatensis, & Tornacensis, & aliæ duæ recenter erectæ, videlicet Audomarensis, & Namurcensis.

Ac Beatum Memmium Catalaunica vrbis rectorem) Hic primus ponitur in catalogo Catalaunẽsium pontificum. De eo Romanum martyrologium, Vsuardus, & alij 5. Augusti.

Nepote suo, vt ferunt, Sancto Diuitiano Suessoni à se pontifice ordinato.) In c. deest Sancto, neque titulus sanctitatis apponitur in tabulis Democharis, in quibus tertium locum obtinet. Et cum omnia exemplaria nostra legant Suessoni in datiuo, habet Suessonis.

Fouebat pignera.) Sic fere vbique omnia exemplaria, etsi ms. j. hoc loco pignora, &c. fere vbique. Illud tamen antiquitati consonat. Hinc Aldus Manutius in epitome orthographiæ suæ: Pignus pigneris dicebant veteres, pignoris posteriores.

Clericorum pariter cultus ministerijs decorata.) Qui nunc Canonici, olim simpliciter Clerici nominabantur, vt constat ex antiquorum scriptis, & ex Ioanne Molano lib. 1. de Canonicis c. 2.

Cap. IV.

Quæ narrantur hoc c. de primis martyribus vrbis Remensis. Timotheo, Apollinari, & alijs desumpta sunt ex actis, quæ manuscripta se habere testatur Baron. in notis ad Rom. Martyrolog. die 23 Augusti, quorum hoc est exordium: Sub Nerone Imperatore, Lampadio præside, &c. Eo enim die conformiter Flodoardo, dies natalitius eorũ assignatur, & die præcedenti S. Mauri & sociorum martyrum. Tempus etiam addit Petrus de Natalibus lib. 7 c. 95. videlicet circa annum Domini 57 de iisdem, & præcipue beato Mauro, late agit Ioannes Molanus in natalibus ss. Belgij die 22. August. Nam corpus eiusdem beati Mauri quod hoc c. scribit Flodoardus reseruari in ecclesia B. Celsini, post ætatem ipsius Flodoardi, sub Arnulpho Remensi Archiepiscopo, reseruato capite, circa annũ Domini 1112. translatum est in Belgium, ad locum dictum Florinas diœcesis Leodiensis, vt patet ex litteris ipsius Arnolphi ad Baldricum Leodiensem Episcopum, quas videre est in Molano.

Vbi domnus Gondebertus, vir clarissimus, cum vxore sua Bertha.) De his late infra lib. 4. c. 46. & 47.

Cap. V.

Vbi quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito Diacono suo, primus ex hac Belgica prouincia legitur Arelatensi primæ interfuisse Synodo, relata per Marinum Episcopum beatissimo Papa Siluestro. Volusiano & Anniano Consulibus.) Betausius legit m. & j. in elencho Archiepisc. Remensium, quomodo etiam legitur ad marginem tom. 1. Conciliorum in subscriptione. In epistola verò à Synodo scripta ad Siluestrum Ambitausus, & in margin. Bethausus, vt Baronius anno 314. corrigit, c. s. & j. hoc loco Betansius, ex tabulis, vt apparet, Democharis scripserunt, qui testatur eũ in concilio Arelatensi secundo Bethanium dici, quod notat habitum esse anno 316. Verum ex Baronio & dictis cõsulibus ostenditur celebratum fuisse anno 314. qui est Siluestri Pontificis primus, & Cõstantini Imp. nonus. Porro ex præsenti Flodoardi loco confirmatur sententia Cæsaris Baronij, qua ait Episcopos illos, qui 10 tomis conciliorũ subscripti sunt secundæ Synodo Arelatensi, subscribendos esse primæ, quod secutus est in nouissimorum Conciliorum editione Coloniensi anno 1606. vir doctissimus Seuerinus Binius. Poterit & hinc textus subscriptionis emendari. Cum enim ibi legatur: Ex prouincia Galliarum, ciuitate Remorum. Ibetbanius Episcopus, Prigenius Diacon, & in margine Betausius, Prigenius, rectè reponatur in textu, Betausius, & Primogenitus. Sequitur.

Post quem Aper inde Maternianus.) De hoc additio Molani ad Martyrol. Vsuardi 30. April. Eod. die Natalis S. Maderuiani Remensis Archiepiscopi, qui sextus rexit eandem Ecclesiam.)

Inter aprum & Maternianum Demochares adijcit Discoliũ, quem sextum facit huius sedis Episcopũ, qui subscriptus legitur in Concilio Agrippinensi sub Iulio Papa primo contra Euphratem celebrato, circa annũ Domini 346. Sed forte fuerit tantum Chorepiscopus, vel titulo tenus Remorũ Episc. vnde Abel quidã respondent. Nam Discolium illum non esse addendum probatur in primis ex testamẽto B. Remigij infra c. 18. Ecclesiæ inquit S. Sixti, vbi cum trib. successorib. suis requiescit. Et supra Ecclesiæ Iouinianæ, &c. vbi etiam quinq; confessores, proximi antecessores domni Nicasij, &c. cõditi sunt. Non fuer igitur plures quam nouẽ, qui præcedunt S. Nicasiũ. Secundo ex epist. Ebonis ad Balduinũ Ferreum Flandriæ Marchionem, quæ exstat apud Molanũ in Natal. ss. Belgij 14. Octob. in qua disertè scribit B. Donatianũ septimũ fuisse sedis Remensis Episc. Tertio ex Hincmari epist. quæ infra exstat li. 3 c. 22. vbi S. Remigiũ vocat 15. Remorũ Archiepiscopũ. Cur aũt de his Episc. & alijs huius prouinciæ Sãctis pauca scribantur, causam adfert Ebo in citata epistola: Eius, inquit, (Donatiani) sanctiq; Remigij, ac innumerabilium Sanctorum vitæ scripta, Vvandalorum vastatione scias esse deleta.)

Hinc Donatianus extitit Episcopus, cuius etiam pignera maritimas in partes episcopi Nouiomagensis vel Tornacensis prelata) Sic & infra loquitur auctor, nominatim lib. 3. cap. 23. quia Ecclesia Nouiomagensis & Tornacensis sexcentis annis vnitæ fuerunt, videlicet à tempore S. Medardi, qui obiit anno Domini 556. vsque ad ætatem S. Bernardi Claræuallensis abbatis. Nouiomagensis alio nomine Nouiomensis, & Nouiodunensis, *Gal. Noyon.* dicitur. Translatus est autem hic beatus Pontifex ad insignem Flandriæ maritimæ ciuitatem, Brugas dictam, quæ ante subiecta fuit ecclesiæ Tornacensi, sed nuper, videlicet anno 1559. ipsa S. Donatiani Ecclesia erecta est in Cathedralem. Fuit eo translatus tempore dicti Ebonis Archiepiscopi Remensis, & Caroli Calui, anno, vt Iacobus Meyerus scribit in suis Annalibus Flandriæ, 863. Illud tamen non potest cum veritate subsistere, quod non asserit quidem, sed se inuenisse scribit idem Meyerus, videlicet eum ab Dionysio vrbis Romæ Episcopo sacris ablutum fontibus, creatumque ab eodem Remorum Pontificem circiter salutis annum. 270. Nam vt ex prædictis constat Betausius fuit Remensis Episcopus anno 314. Successerunt ei Aper, & Maternianus, deinde Donatianus. Vt vero nihil omittamus, in tabulis Democharis vocatur L. Donatianus Romanus, Cornelij & Lucinæ filius. Quæ de vita ipsius exstant, adnotat Molanus ad Vsuardum 14 Octobris, & de ipsius translatione ad eundem diem Laurentius Surius.

Quem beatus Viuentius) Huius meminit Molanus in additione ad Vsuardum die 7. Septembris.

Cap. VI.

Antiquitus in ecclesia, quæ ad Apostolos dicitur, extitisse fertur.) Ita m. & c. Sed in m. recentiori manu superscriptum est S. Simphoriani. Quod s. retulit in textum, sicut & alia quædam ad explicationem pertinentia, hoc modo: Quæ ad Apostolos olim, nunc S. Symphoriani dicitur, quomodo etiam legit j. Eamdem adnotationem habet in Gallico suo exemplari Nicolaus Chesneau, Decanus & Canonicus eiusdem ecclesiæ S. Simphoriani. Sed non probo, quod ad notationes marginales in textum referantur. Idem tamen in textu habent omnia exemplaria lib. 3. cap. 6.

Quæ autem hoc c. de Martyrio S. Nicasij, Europiæ, & sociorum narrat auctor, ea desumpsit pro maiore parte ex gestis ipsorum Martyrum, quæ ex manuscripto codice accepta habentur apud Surium to. 7. apud Vincentium in speculo hist. l. 21. c. 37. & 38. Petrum de natalibus l. 1. c. 69 & S. Antoninum part 2. hist. tit. 11. c. 8. Sed plenius & perfectius inter vitas Sanctorum Coloniæ excusas in folio. in ipsa adhuc quasi typographiæ infantia an. 1483. Item in Breuiariis propriis cathedralium ecclesiarum, Remensis, Ambianensis, Atrebatensis & Brugensis. Vbi ante omnia constituendum est de tempore quo hæc acciderunt. Qua in re magnam nobis præferunt lucem ea quæ in fine huius cap. citantur ex epist. B. Hieronimi 11. ad Ageruchiam siue ad Gerontiam, quam scriptam docet Baronius in Annal. an. 407. Quare eodem anno verisimile est ea contigisse. Nam Vvandali & Alani pridie Kal. Ianuarij anno 406. transito Rheno, Gallias sunt ingressi, vt habet B. Prosper in Chronico, videlicet Arcadio sextum, & Anicio Probo Coss. quos ad annum hunc refert Christianus Massæus & Baronius, etsi Prosper ad an. 408. Alia in Chronica chronologiam Baronii duobus annis superant. Hoc idem referunt iisdem Coss. Cassiodorus in chronico, & Zosimus l 6. Eodem pertinere quæ de hac calamitosa irruptione scribit Hieron. epistola iam dicta, circa eundem annum assent Arnaldus Pontacus in suis notis ad Chron. Prosperi. Atque in primis hæc sententia probatur Baronio, dum an. 407 post citata eadem Hieronymi verba, ita subiungit: Quod autem inter alias Galliarum vrbium clades Rhemos à Vvandalis referat deuastatos; in eam sententiam me magis trahit, vt existimem S. Nicasium eius ciuitatis Episcopum, vna cum sorore Eutropia & sociis esse martyrio coronatos, licet aliqui ad Hunnorum id referant tempora, quorum acta passionis æquè sub Vvandalis ipsos esse passos habent, sed plane corrigenda in eo dum Vvandalos Paganos fuisse tradunt, quos liquet fuisse Christianos. Sic ille. Verum quod ad posterius attinet, verisimile est, non omnes Vvandalos fuisse Christianos, sed multos Paganos Vvandalis Arianis fuisse permixtos. Quod vero prædicto tempore contigerit hoc martyrium (non autem, vt Sigebertus notat in Chronico, ex vulgaribus, vt verisimile est Francorum Annalibus, sub Hunnis an 453. aut, vt Demochares. 454.) ex Flodoardo nostro probatur, quia inter S. Nicasium, & S. Remigium intercedunt quatuor alii Episcopi, qui infra recensentur c. 9. Porrò S. Remigius obiit an. Dom. 544. Episcopatus sui 74. ætatis 96. vt patet ex ipsius epitaphio infra hoc eodem lib. c. 21. Ex quo sequitur, eum factum esse Episcopum an. 470. Atque ita pro quatuor istis Episcopis, intermediis non relinquerentur nisi anni 16. aut 17. Adde quod S. Hieronymus iuxta aliorum 421. aut 428. Quare omnino ante hoc saltem tempus contigisse oportet. Denique pro hac sententia facit, quod inter coætaneos B. Nicasij nominetur B. Seruatius, qui nequaquam vixisse potest vsque ad an. 453. Fuisset enim plusquam centum annis Episcopus. Interfuit enim Conciliis Sardicensi & Agrippinensi celebrans respectiue an. 343. & 346. Quod autem legitur trecentis annis vixisse, neutiquam probabile est. Quod tamen ad dictam B. Hieronymi epistolam attinet, salua auctoritate Baronii, magis credo eam scriptam esse anno 408. Nam cum excidium vrbis Remorum contigerit in fine an. 407. videlicet 14. Decemb. non potuit eodem anno eius rei notitia ad B. Hieronymum in Bethlehem commorantem peruenisse. Altera difficultas hic est: An à Vvandalis, an vero ab Hunnis passi sint: sed quæ iam manifesta relinquitur ex solutione prioris. Nam Hunnorum persecutio, & Galliarum per eos vastatio sub rege Attila posterior est, videlicet circa annum 450 Quo sano tempore vixit B Anianus Aurelianensis Episcopus, & B Lupus Trecensis, qui præpropere ab auctore hic nominantur, quique suas ciuitates precibus suis & meritis liberauerunt à vastatione Attilæ Hunnorum regis. Sed de S. Lupo facilis videri posset conciliatio, quia annis 52. fuit Episcopus. At obstat, quod demum anno 417. ad episcopale solium euectus sit, iuxta calculum Baronii, qui eum defunctum recenset an. 479. Sed excusandus Flodoardus, qui in hac re sequitur Hincmarum epist. 5. c 17. inter eas quas R. P. Ioan. Busæus edidit. Quot annis sederit S. Anianus non inuenio in historiis, sed obiisse scribitur anno 453. Verum & hunc diu in Episcopatu vixisse, & vtramque persecutionem videre potuisse ex eo potest colligi, quia Vincentius Bellonacensis de ipso agit, vbi de morte B. Hieronymi & Vvandalorum persecutione, tanquam ab eo tempore fuisset Episcopus, nempe li. 20. c. 11. 21. & 23. secutus, vt ipse ait, agonem Floriacensem. Certè omnia eorum gesta, tam in Breuiariis, quam seorsim edita, meminerunt Vvandalicæ persecutionis, non autem Hunnorum, quos de suo, motus forte auctoritate Sigeberti, Franciscus Haræus Vvandalis coniungit in compendio de vitis Sanctorum, cú integra acta non habeant. Postremo Vvandalorum, non Hunnorum, meminerunt Hieronymus & Ebo locis ante citatis. Item Martyrol. Vsuardi à Ioanne Molano auctum, & Martyrologium proprium eccle-

siæ Cameracensis. Sigebertum tamen secutus est Otho Frisingensis in Chron. l.4. c.28. Ioannes Tilius in Chronico Francorum, & Vitæ SS. Gallicæ à Parisiensibus Doctoribus editæ. Post hæc omnia à me digesta, inuenio Massæum non indiligentem historicum lib.11. Chronicorum mundi anno 406. mecum idem sensisse, iisdem fere niaum rationibus, dum ait: Eodem consulatu, [videlicet Arcadij sextum & Ancij Probi] teste Prospero, prid. Kal. Ianuarij, traiecto Rheno, Vvandali, Alani & aliæ barbaræ nationes in Gallias irruerunt, & infinitas cædes perpetrauerunt: inter quas S. Nicasius Remis occubuit. Testatur id ipsum propria ipsius historia, nullam Hunnorum, sed Vvandalorum tantum faciens mentionem. Hoc & S. Hieronymus ad Geruntiam apertissime contestatur, qui diu ante aduentum Hunnorum in Galliam defunctus est. Quare meritò detestamur eorum negligentiam qui plusquam quadraginta annis posterius S Nicasium passum scribunt, vt nullum ferme inter ipsum & Remigium tempus fuerit. Hactenus ille. Idem aduertit Nicolaus Camuaat in fine sui promptuarij sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, docens non rectè Attilæ tribui cædem S. Nicasij à Sigeberto, Flodoardum, inquit, auctorem paulo antiquiorem forte sequuto, qui sanctissimos Præsules Seruatium Tungrensem. Nicasium, & Lupum æquæuos & contemporaneos facit, cum tamen perspicue palam sit, D. Lupum non nisi 20. annis post obitum ipsorum Antistitum, ad episcopalem apicem euectum. Sic ille. Quod vero quidam ratiocinantur, quia legitur hic Eutropia timuisse castitati suæ, propter pulchritudinem, idcirco potius ab Hunnis id factum, quam à Vvandalis, quod gens Hunnorum præ ceteris in Venerem fuerit prona, & impudica, vt testis est Saluianus lib. 4. de recto iudicio & prouidentia, id nimis leue argumentum est. Nam in quauis hostili irruptione talia meritò timeri debent.

Aliisque nonnullis virtutibus insignes.) Vt Nicasio coæuus S. Exuperius Tolosanus Episcopus, cuius meminit, vbi supra, Hieronymus, & S Germanus Antisiodorensis æqualis Lupo Trecensi, sed S. Nicasio posterior.

Vnde & iuxta B. Augustini sententiam, maiorem caritatis reperit fructum.] &c. Locutus est epistola 180. ea cuius ferè verbis appositè suæ narrationis filum contexuit auctor ab eo loco: *B. itaque Nicasius animam suam pro fratribus.* vsque ad illud. *Non vt mercenarius videns lupum venientem.* Hæc vero sententia Augustini integre sic habet. Nam qui clades hostiles ideo non fugit, cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel viuere Christiani: maiorem charitatis inuenit fructum, quam qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens, atque comprehensus non negat Christum, suscepitque martyrium.

Viduam Aggeruchiam.] Ita m. accedit j. Ageruchiam, c. Geruntiam, similiter s. Gerontiam, quam lectionem in operibus Hieronymi prætulit Erasmus, Marianus eam quæ legit Ageruchia. Vide notas nostras ad Chron. lib. c.5.

Nemetes, Argentoracus translata in Germaniam.) In Hieronymo nunc legitur, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam, quomodo mutauit s. Verum rectè legitur translatæ, vt ad vrbes referatur.

Istuc enim intentus hic degebat officio.] m. Isto Vera lectio istuc, vel istic, quomodo legitur in vita B Remigij per Hincmarum, vbi paulo latius declaratur, quod hic dicitur de incendio vrbis Remorum, & vestigiis pedum eius lapidibus impressis, sicut & infra ab auctore cap.12.

Cap. VII.

QVæcumque hoc capit. referuntur (excepta translatione per Fulconem facta) iisdem pene verbis habentur in actis horum martyrum Coloniæ excusis 1483 de quibus supra.

Quam & apud Tornacum castrum (vbi *nunc quoque seruari perhibentur.*) Fuerunt olim Tornaci in Ecclesia B. Mariæ notabiles reliquiæ S. Nicasij, sed centum annis post tempora Flodoardi Remos sunt relatæ, tempore Geruasij Archiepiscopi, qui antea Cenomanensis fuerat Episcopus. Vnde & Remensis ecclesia festum translationis S. Nicasij celebrat die 23. Iulij. Quo die in Breuiario eiusdem ecclesiæ sic legitur Quidam è clericis Tornacensibus audiens Geruasium, præfatum sacrarium (S. Nicasij Remis) instaurare cœpisse: vt partem corporis B Nicasij, quæ in Tornacensi Ecclesia seruabatur, suæ restituat ecclesiæ omnibus modis elaborat, tempusque & locum perficiendo desiderio quærit. Cumque id per se præstare non posset, quadam nocte Tornacensis ardet Ecclesia: quod incendium vniuersæ ciuitati minatur ruinam. Prædictus vero Clericus opportunam nactus occasionem, intrepide ardentem ecclesiam ingreditur, gloriosumque thesaurum deferens, Rhemos peruenit, Geruasioque vt res se habebat, ordine exponit. Qui acceptam hanc beati corporis partem, alteri [quæ in arca recondita erat] apponens, æqualia omnia inuenit. Postmodum vero integrum corpus in ædem diuæ virgini sacram, vbi nunc religiose colitur, translatum est. hæc ibi.

Cap. VIII.

DE S. Oticolo & sociis agit Molanus in additione ad martyrologium Vsuardi 18. Nouembris, his verbis: Ipso die, beati Oticoli martyris, sociorumque eius, qui sub Vvandalica persecutione passi sunt. Et Romanum Martyrol. Eodem die sanctorum Oticoli & sociorum, qui in persecutione Vvandalica pro fide catholica passi sunt. In notis ibidem Baronius hoc tantum adnotauit. De eo, videlicet Orticulo, cetera manuscripta, ex quibus Molanus apud Vsuardum. Eosdem lego in additione Coloniensi, quæ facta est ad Vsuardum Anno 1521.

Quod adhuc manifeste parere dicitur.] Ita m. c. recenti manu syllaba ap. adiecta est. Vnde s. & j. legunt apparere. Cum parere pro apparere vsitatissimum sit, vt Matth. 24. Tunc parebit signum filij hominis.

Presbyter eiusdem loci, nomine Betto] ms. Becco, c. Beto. Per presbyterum autem huius, aut illius loci passim in hac historia, & antiquorum scriptis intelligitur is, qui nunc pastor, parochus, aut Gallica voce Curatus dicitur. Sic in vita S. Bauonis Domlinus presbyter ex Thurolto venisse dicitur, qui eiusdem loci pastor erat.

Cap. IX.

T*Vm Bennadius, cuius tamen Bennagius nomen in testamento sno,*) In tabulis Democharis, & in Annalibus Baronij male legitur Genadius: vbi & obiisse scribitur anno 471. cum potius vno anno ante obierit. Nam vt constat ex adnotatis ad cap.6. & infra ad ca. 13. Remigius Episcoparum suscepit anno 470.

Cap. X.

QVæ de natiuitate & vita S. Remigij hoc cap. & sequentibus differit, ea ferè delibata sunt ex vitis ipsius per Fortunatum & Hincmarum descripta. Illa exstat apud Surium die 1. Octobris, hæc 13. Ianua-

tij, quas accurate cum his quæ Flodoardus habet cõtuli. Et in Hincmaro quidem omnia vberius, interdum etiam clarius, recensentur. Nonnulla tamen addidit Flodoardus aliunde accepta. Natus est autem S. Remigius teste Sigeberto, Christiano Massæo, & aliis anno 449. Vide infra notas ad cap. 13.

Principium, Suessorum ciuitatu postea sanctum Episcopum, & patrem beati Lupi, eiusdem Principii successoris.] Hic S. Principius in catalogo Suessionensium Episcoporum apud Democliatem est 12. beatus vero Lupus 13. De Principio Romanum martyrol. 25. Septembris, & eodem die additio Molani ad Vsuardum. De vtriusque vero, id est Principij & Lupi eleuatione Calendis Iunij. Ceterum etsi hæc verba accipi possẽt vt significent B. Ciliniam matrem S. Remigij non duos habuisse filios in iuuentute, sed ipsum Principium fuisse patrem B. Lupi, vt expresse in Gallica translatione dicitur: in vita tamen S. Remigij per Hincmarum diserte significatur duos habuisse. Sic enim ibi legitur. Quæ in flore iuuentutis pepererat de vnico viro suo Æmilio Principium, Suessionum ciuitatis postea sanctum Episcopum, & fratrem eius, patrem beati Lupi Episcopi, eiusdem Principij successuris.] Idẽ dicere voluisse Flodoardum, qui Hincmarum abbreuiat, non est dubium. Quare non recte Baronius in Annalibus anno 463. & 507. dicit S Lupum Suessionensem, fuisse filium S. Principij Episcopi Suessionẽsis. Sed illud verum est, fuisse successorem Principij & nepotem S. Remigij, vt patet ex actis, & ex testamento eiusdem. Sane Ioannes Sauaro in notis ad epistolam Sidonij 14. lib. 8. & 8. lib 9 dicit Principium fuisse patruum Lupi Suessionis Episcopi, suique successoris, non patrem De hac difficultate consultus à me Dominus Guillelmus le Begue, S. Theol. doctor, & Archimagister collegij Remensis, respondit conformiter his quæ habent Hincmarus & Sauaro, addens testimonium anonymi cuiusdam scriptoris monasterij s. Remigij, quem vixisse scribit circa annum Domini 1400. quod sic habet. Cilinia in flore iuuentutis, peperit de vnico viro suo Æmilio duos filios, videlicet Principium, & alium cuius nomen nobis est incognitum, qui duxerat vxorem, ex qua filium procreauit, nomine Lupum, qui quidem post S. Principium auunculum suum (vult dicere patruum) Episcopatum Suessionensem suscipit]

In ea in lactatione.] Sic omnia exemplaria, sed ex Hincmaro videtur legendum ablactatione.

Iam tamen senam.) Ita c. 3. In m legitur dum tamen, quod s. in vnam dictionem coniungens, exponit, vt sit quod verumtamen.

Et aequorum maxime voto adhuc insigni habetur.) Æquorum, id est bonorum & piorum virorum, vt opponatur iniquis.

In cuius & ipsa beata genitrix eiusdem requiescit ecclesia.) Loquitur de B. Balsamia, vel vt c. Balsemia, nutrice S. Remigij, quæ requiescit in Ecclesia s. Celsini filij sui, quæ hodie vocatur Ecclesia sanctæ nutricis. Celsini autem meminit Molanus in additione ad Vsuardum die 25 Octobris, his verbis: Remis sancti Celsini confessoris & presbyteri discipuli B. Remigij.)

Cap. XI.

Q*uod ecclesiastica regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem*) Iuxta antiquos canones, vt patet ex decretis Fabiani Papæ, & Concilio Neocæsariensi can. 1. prohibetur, ne quis presbyter ordinetur ante annum ætatis trigesimum, etiamsi valde dignus sit, canones habentur quoque apud Grat. dist. 78. Quare multo minus poterat Episcopus ordinari.

Paulus videretur in spiritu.) Sic omnia exemplaria præter c. quod legit inspectu. Sed legendum in spiritu patet, tum ex Hincmaro, tum ex initio vitæ S. Rigoberti apud Surium 4. Ianuarii, vbi eadem sententia repetitur.

Cap. XII.

I*N vicum Calmiciacum nomine ipsius accessit studii deuotione*) Ita ms. 3. & infra c. 21. & lib. 2. c 7 & 11 omnia exemplaria. Similiter in Fortunato, ex quo hoc miraculum est desumptum: In vicum, cui vocabulum est Calmaciacus, ipsius deuotionis studio accessit. Hoc loco c. legit Culmiciacum. Infra interdum Calmisciacum, vt capite decimo octauo in testamento sancti Remigij, aliquando Colmisciacum, aliquando Colmisiacum, Culmisiacum, & Culmissiacum, vt cap 20. in fine. Eius loci pastor fuit ipse Flodoardus, vt patet ex libro quarto cap. 28. In Gallico vertitur *Cormicy*, & in margine ponit alias *Chaumusi* quomodo vertit capite vigesimo huius libri, & libro secundo capite septimo *Chaumuci*. Capite autem 12. iterum *Cermicy*, & ita consequenter.

Pro saluando scilicet eodem.) subaud. vase: hoc est, ne vas corrumperetur, si plane esset vacuum.

Per portam Patentem) Hincmarus rationem nominis adfert, adiecta hac parenthesi: Sed enim tunc temporis vocabatur, quia portis aliis clausis ob ciuitatis custodiam, pro exeuntium & introeuntium commoditate, in die patebat. Locus, ait, Remis est, vbi nunc est Ecclesia templi: quæ, vt reor, à Templariis nomen habet.

Eorumque litteris ad beatum Remigium datis (vt traditur, fretis.) Litteræ sancti Benedicti ad beatum Remigium adhuc hodie exstant in fine chronici Casinensis, & in Breuiario Benedictinorum Calendis Octobris, & alibi aliquoties, teste Arnoldo Vuion libro 1. ligni vitæ c. 1. Exstant eædem to. 6. annalium Baronij anno 507. vbi eas vocat in suspicionem imposturas tum ex inscriptione, quæ videtur ei insolentior, tum ex eo quod in testamento s. Remigij ille cuius filiam curauit à Dæmone, & à morte suscitauit Benedictus vocetur, & errore factum existimat, ab Hincmaro (ex quo accepit Fludardus) vt pro Benedicto isto patre puellæ homine prædiuite in Prouincia, positus sit S. Benedictus hoc tempore monasticam vitam in Italia excolens. Verum hæc epistola & narratio Hincmari de s. Benedicto neutiquam repugnat cum testamento s. Remigij. Nam vt habet historia vitæ s. Remigij, iste Benedictus filiam suam primo ad limina Apostolorum, & ad s. Benedictum deduxit, deinde s. Benedictus cum hac epistola ipsos parentes in Gallias remisit. Quam epistolam non esse illius Benedicti, cuius vult esse Baronius, ex eo deducitur, quod ipse in persona, non per litteras ad s. Remigium venerit. Adde nec titulum, nec verba epistolæ vllo modo quadrare posse in Benedictum huius puellæ patrem. Neque vero quempiam moueat, quod Flodoardus ait (vt traditur) quomodo loqui solemus, dum res non est plane comperta, quia id non est in Hincmaro, sed à Flodoardo adiectum, tum hoc loco, tum aliàs sæpe, vbi nulla subest dubitatio, ac nominatim infra capit 17. Hincmarus autem plane assertiue id refert, de litteris tam ipsius viri Dei Benedicti (sic enim eum vocat) quam Alarici regis Gothorum. Vtrarumque pariter meminit longe ante Hincmarum Fortunatus presbyter in vita s. Remigii, & ab antiquitate non est leuiter recedendum. Sed nec inusitatum prorsus videri debet. Considerata præsertim priscorum monachorum verè candida & Christiana simplicitate, quod inferior ætate & dignitate scribens ad maiorem, se fratrem & conseruum in Christo Iesu nominet, & æternæ benedictionis munus, non dico auctoritatiue superiori impertiatur sed humiliter exoptet: quomodo passim cuiuis scribentes, salutem, vitam æternam, vel aliud bonum exoptamus. Vt autem

de hac re quisque suum ferat iudicium, litteras illas, quæ breues sunt ex dicto chronico huc loco inserendas censui, & quidem aliquanto correctius, quam Gallicæ suæ versioni inseruit Nicolaus Chesneau ex manuscriptis chartis VV. Religiosorum Monasterii S. Remigii Remensis. Sic igitur se habent: Domino sacerdoti Remigio, frater & conseruus in Christo Iesu, cœnobialis vitæ humilis cultor Benedictus, æternæ benedictionis munus.

Sanctissimo tuo congratulans profectui, sacerdos regis summi, quia summi capitis membra sumus, quod mihi sentio deesse in me, totum, laus Deo, possidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ auctoritatis sacerdotalia habent merita: & desinant ammodo circa me rumores hominum, cum apud te constet omnium esse perfectionem vitiorum. Hanc captiuam, & ab antiquo hoste obsessam tuæ delego celsitudini, quatenus pro eius liberatione sacram hostiam offerre Deo debeas, & meam paruitatem victoria ipsa non minimum lætifices. Vale sacerdotum Christi limpidissime calcule.

Cum deuincta sobole peruenerunt.) Deuincta id est ligata, vinculis constricta. Nam in Hincmaro est, illam secum vinctam adducentes.

Sidonius domino Papæ Remigio salutem.) Nomen Papæ tribui solere omnibus Episcopis patet innumeris exemplis in Cypriano, Hieronymo, Augustino, Sidonio, Fortunato, Eulogio Cordubensi, & aliorum Patrum scriptis. Floruit autem hic Eulogius anno 850. ad quod vsque tempus hoc nomen commune fuit omnibus Episcopis, licet paulatim frequentius ac peculiarius tribui consueuisset Romano Pontifici, vt facile obseruari potest ex scriptis Cassiodori. Cum igitur futuris temporibus obtinuisset communis vsus, vt Papæ nomen tantummodo Romano tribueretur Pontifici, & schismatici quidam Episcopi illud sibi inordinum eiusdem Romani Præsulis fastu superbo vindicarent, aliaque non concessa præsumerent, tandem sub Gregorio septimo anno Domini 1073. habita Romæ Synodo, inter alia statutum est aduersus prædictos schismaticos, vt Papæ nomen vnicum esset in vniuerso orbe Christiano; nec liceret alicui seipsum, vel alium eo nomine appellare. Exstat ea Synodus in registro epistolarum Gregorij vij. in bibliotheca Vaticana. Hæc ex notis Baronij ad Romanum martyrol. 10. Ianuarij. Vtinam vero in lucem aliquando proferantur, si ab æui dentibus absumpta non sint, ea B. Remigii scripta, quorum meminit Sidonius in hac epistola. Nam B. Remigium multa scripsisse testatur quoque Romanum Breuiarium Calendis Octobris, dicens eum multos interpretatum esse diuinæ scripturæ libros. Hincmarus eum vocat vndecumque doctissimum, & in scripturis sanctis eruditissimum. Gregorius Turonensis lib. 2. historiarum Francorum cap. 31. recitat principium epistolæ consolatoriæ B. Remigii ad Clodoueum regem super morte sororis suæ Albofledis. Aimonius lib. 1. de gestis Francorum capite vltimo recitat Epitaphium eiusdem regis Clodouei, ab eodem, vt creditur, S. Remigio compositum. Gulielmus Eysengrein in catalogo testium veritatis dicit eum, editis libris, adulterios de Christi fide Arianorum opiniones prodidisse, & alia plurima litterarum monimenta reliquisse. Prodierunt nuper Moguntiæ excusæ in folio Anno 1614. eius in epistolas Pauli explanationes opera R. P. Ioannis Baptistæ Villalpandi Societatis Iesu Theologi, qui in præfatione ad lectorem probabiliter ostendit esse huius Remigii, non autem Remigii Antisiodorensis, dissoluens quæ contra obiiciuntur. Certe non solum Bellarminus, sed ante eum Cuthebertus Tonstallus Dunelmensis Episcopus lib. 1. de veritate corporis & sanguinis Domini in eucharistia, & post eum Ioannes Gaterius de eodem argumento centenario sexto, citant ex Remigio Remensi Archiepiscopo præclarum locum, qui exstat in his explanationibus. Addit Cuthebertus: Huius Remigii librum vnum atque alterum vetusta scriptos manu, atque illius inscriptos nomine nos aliquando vidimus. Vilalpandus autem in dicta præfatione testatur in variis libris monasterii Cassinensis varias asseruari homilias, quæ Remigii episcopi nomen atque inscriptionem retinent. Res tamen hæc mihi necdum certa est. Est opus in folio Hanouiæ excusum anno 1613. cui titulus: Corpus Franciæ Historiæ veteris & sinceræ. In eo est tractatus multas continens regum & Episcoporum epistolas, & inter ceteras quatuor sunt Remigii, duæ videlicet ad Clodoueum, quarum prima est consolatoria, de qua inpta, tertia Heraclio, Leoni, & Theodosio Episcopis, quarta Falconi Episcopo dirigitur.

Quæcumque detulerat quasquam mercari paratis, quod etiam, nec erat iniustum, pro munere ingessit.) Ex operibus Sidonii castigatis studio Ioannis Sauaronis testi tui voculam paratis, pro, paratus, & etiam pro etiam, & infra tria alia verba: vtcumque ex nostro auctore, in eadem Sidonii epistola poterunt nouem aut decem loca restitui. Sic autem ibidem legitur hæc sententia. Quicquid detulerat, quisnquam mercari paratus, quod tamen vt etiam, nec erat iniustum, pro munere ingessit. Eodem modo legit editio cum notis Ioannis de VVouweren & Petri Colnii, nisi quod in medio ita legar & distinguat, facta parenthesi (quod tamen etius nec erat, iniustum) sicut & alias in eadem epistola mendas habet, vt edino Sauaronis merito sit præferenda, si ex vngue leonem iudicare fas est.

Cap. XIIII.

Syagrium, Romanum quemdam principem.) Is erat Ægidii filius, dux Romanorum, qui Suessione residebat. Gregor. Turonensis lib. 2. hist. Francorum c. 27. Sigeb. in chronico anno 489. quo eum occubuisse scribit.

Quo quondam secum vrbem Remorum transitum fecerat.) Scilicet per viam quæ vsque hodie, inquit Hincmarus, propter Barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur, Gallice *Rue de Barbatre*, & in ea vicus *Barbastre*, vt in manuscripto suo exemplari adnotauit Nicolaus Chesneau. De his autem quæ describuntur hoc cap. agit vt supra Gregor. Turonensis cap. 27. 28. 29. 30. & 31.

Quo vita fontem perennis ingressi.) Nota olim baptizandos ingredi solere, saltem pube tenus, fontem baptismalem, non autem, vt nunc fit, caput tantum aqua perfundi. Probant id antiquæ picturæ & historiæ. Vnde de Rabbodo Frisonum duce legitur in vita S. Vulfrani Episcopi, scripta per Iunam Fontanellensem monachum, apud Surium tom. 2. die 20. Martii, quod postquam ad fontem processerat, à fonte pedem retraxerit, dicens: Non se carere posse consortio prædecessorum suorum Frisonum principum, & cum paruo pauperum numero residere in regno cœlesti. Interrogauerat enim Episcopum, vt esset maior pars principum seu nobilium gentis Frisonicæ, in illa videlicet cœlesti, an in ea quam dicebat Episcopus Tartarea regione. Idem refert Sigebertus in Chron. anno 718. his verbis: Rabbodus dux Frisonum prædicatione Vulfranni Episcopi ad hoc inductus, vt baptizari deberet, cum vnum pedem in lauacro intinxisset, alterum pedem retrahens, interrogauit vbinam plures suorum maiorum essent, in inferno, an in paradiso? &c.

Mitis depone colla Sicamber.) Ex hoc videri potest Clodoueus ortu aut origine Geldrus fuisse. Nam Geldros Belgæ nostræ populos olim dictos Sicambros, multi constanter asserunt, & inter eos Hermannus à Nuenare in narratione de origine & sedibus priscorū

Francorum, & in commentariolo de Gallia Belgica. De hac te videatur Mulanus in Natal. SS. Belgii die 13. Ianuarii.

Porro in in quem Domini annum inciderit baptismus Clodouei non omnes consentiunt. Post huius exemplaris m. eadem manu, qua scriptum est illud exemplar hæc sunt adiecta, & quidem integris dictionibus, non notis numerorum, in quibus facilis est lapsus. Ab incarnatione Domini ad transitum S. Martini anni quadringenti quadraginta tres. Ab incarnatione Domini ad baptismum Francorum anni quingenti quadraginta duo. Ab incarnatione Domini vsque ad transitum Clodouei anni quingenti quinquaginta sex. Ab incarnatione Domini vsque ad transitum S. Remigij anni quingenti septuaginta quinque computantur. Sic ibi. Sed hæc multis modis à vero deficiunt. Nicolaus Chesneau in translatione sua Gallica hoc loco margini adiecit, Clodoueum esse baptizatum in vigilia paschæ anno 497. regni sui 25. quamuis idem in præfatione ad Clerum & populum Remensem, baptizatum dixerit anno 542. vt est in fine dicti exemplaris. Margarinus de la Bigne in indice chronologico bibliothecæ Patrum secundæ & tertiæ editionis, seculo quinto, in Claudiano Mamerto dicit Clodoueum baptizatum anno 452. hoc est centum fere annis citius. At iuxta Sigeberti, Sebastiani Munsteri, Ioannis Tilij, & Baronij Chronologiam baptizatus est anno 499. Ab his non longe recedit Aimonius in fine libri primi de gestis Francorum, scribens Clodoueum regnasse annis 30. & obiisse anno Dominicæ incarnationis 514. Consentiunt enim plerique eum esse baptizatum anno regni sui 15. vt Ioannes Trithemius, Franciscus Belforestus in Annalibus Francorum, & alij. Ab iisdem quoque parum, aut nihil dissentiunt, qui docent eum fonte baptismatis lotum fuisse anno 500 vt Massæus, Belforestius, Genebrardus, & alij recentiores. Cum enim constet eum baptizatum fuisse in vigilia paschæ, & stylo Gallicano, ad nostra vsque tempora etiam in Belgio vsitato, annus Domini inchoari soleat à festo paschæ, secundum illos baptizatus fuit vltimo die anni 499. secundum hos primo die anni 500. Quibus ex antiquitate accedit Hincmarus in epitaphiu B. Remigij, quod refertur infra c. 21. in quo exactissime tempus ætatis, ordinationis, sedis ipsius, & baptismi Francorum exprimitur. Nā constat ex illo epitaphio B. Remigiū creatū fuisse Remorū Episc. anno ætatis suæ 22. præfuisse annis 74 obiisse anno Domini 544. ætatis suæ 96. & gentē Francorum baptizatam anno 500. Quare oportuit eum creatum fuisse Episcopum anno 470 Nec ab his quo ad obitum dissentit Sigebertus, qui eum ponit natum fuisse anno 449 creatum Episcopum 471. & obiisse 545. sicut & Iacobus Meyerus in Annalibus Flādriæ. Nam cum obierit 13. Ianuarij, vnus idemque annus incipiendo à Ianuario est 545. à paschate (vt Galli hactenus vsque ad tempora Caroli IX. computauerunt) est 544. His tamen non consentit, quod Flauius, qui post Romanum B. Remigio successit, legatur subscripsisse Concilio Aruernensi celebrato anno 541. iuxta Baronium, (vt mecum sentit præfatus Guillelmus le Begne) quod ponat illud Concilium Aruernense dicto anno celebratum, cum potius 15. aut 16. annis postea habitum sit.

Cum quodam Raganario principe trans Somnam fluuium.) &c. id est Cameraci, vt exponit hæc verba Baldericus auctor Chronici Cameracensis lib. 1. ca. 4. vbi plura de isto Raganario, siue vt ipse scribit, Ragnachario ms. Somnam & codex monasterij S. Remigij, vt notat Nicolaus Chesneau, qui tamen in textu habet Somenam, & Gallice vertit *somme*. Similiter Somenam habet . & Sigebertus Anno 445.

Præfato rege Ludouico. Ita m.c. cum m. infra fere semper scribere soleat Ludovvico: quomodo, vt notauit idem Nicolaus Chesneau, hic etiam legit dictus codex sancti Remigij. Quod nomen multis etiam aliis modis scriptum reperitur vt notaui ad Chron. Cameracense libro primo capite trigesimo septimo. Obseruant autem quidam Clodoueum post Baptismum vocari Ludouicum, quod eo nomine in baptismo dictus sit, vt notauit Laurentius Surius die decimo tertio Ianuarij. Quare, obnitentibus præsertim omnib. exemplaribus, non est hic mutandum nomen Ludouici in Clodouei, vt in s. factum est & j. etsi idem nomen esse non sit negandum.

Cap. XIV.

Non modicam, nec non earundem partem rerum, Ecclesia sancta Mariæ Lauduni Clauati, Remensis parochiæ castri, vbi nutritus fuerat, tradidit.] Scilicet sanctus Remigius. Cum enim castrum Lauduni clauati, & Comitatus Laudunensis pertinerent ad parochiam, seu diœcesim Remensem, ipse B. Remigius nouum Episcopatum Lauduni erexit, vt tum ex hoc capite, tum ex Sigeberto patet in chronico. Sic enim ait ad annum Domini 500. Collatis à Clodoueo Rege multis prædiis Ecclesiæ Remensi, Remigius, multa eorum parte data Ecclesiæ Laudunensi, sedem Episcopatus ibi esse constituit, & eundem in fornicationem cum sua quondam vxore prolapsum, sed septennali pœnitentia purgatum, & de reclusione diuino iussu eductum, sedi suæ restituit. Hæc Sigebertus. Sequitur in Flodoardo.

Ibique Genebaudum, carue nobilem virum.] Nicolaus Chesneau in margine Gallicæ suæ translationis vocat eum Comitem. Porro nostra exemplaria perpetuo legunt Genebaudum. In Hincmaro apud Surium vocatur Genebaldus, vti & in tabulis Demochatis; qui addit à quibusdam Geraldum, ab aliis Genebaudum dici, quomodo etiam legit Hincmarus manuscriptus in Monte S. Eligii. Diuersitas ex eo nata videtur, quia ea voce Gallica Genebauld, alii u. abiecerunt, alii l.

Tacitusque tam viri, quam mulieris ardor, in corde libidinis) ms. pro tacitusque male legit totiusque. In Hincmaro integra sententia ita habet: Sicque factum est, vt tecta hominibus culpa, & in cordibus, tam Episcopi, quā feminæ, tectus luxuriæ ardor, quoniā, vt notū est, quo magis tegitur, tect⁹ magis æstuat ignis: cōtra culpā cōpunctus Episcopus &c. tacitum ergo dixit tectū & secretū. Patet autē ex hac S. Genebaudi historia, quam sit à veritate aliena Sectariorum nostri temporis doctrina, qui illud Apostoli: Vnius vxoris virū, intelligi volunt de vxore quam habeat, cum tanta pœnitudine elui oportuerit congressum cum vxore quam à se thoro separauerat: & verissimum esse, quod ait Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum: Certe confiteris non posse esse Episcopum qui in Episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.)

S. Remigium petit ire Laudunum. Hoc est vt iret, seu veniret. Clarius Hincmarus: Ad sanctum, inquit, Remigium misit, petens vt Laudunum veniret.

Obiit igitur Genebaudus in pace, sanctis Dei connumeratus.) Agunt de eo additio Coloniensis ad Vsuardū, & Molanus quinto Septembris, de quo (inquit additio Coloniensis) in gestis S. Remigii legitur. Quæcumque enim hic de eo sunt commemorata, fusius explicat. Hincmarus in vita S. Remigii. Petrus vero Equilinus de eodem, & filio eius S. Latrone agit lib. 8. cap. 41.

Quarum rerum sunt Iuliacus & Codiciacus capita.] Ita constanter omnia nostra legunt exēplaria, tum hoc loco, tū multis infra, & Hincmarus manuscript⁹. Quapropter quod apud Surium in Hincmaro typis excuso legitur, Iudaicus & Ocilacus ex hoc auctore nostro corrigendum est.

Cap. XV.

G*ondebaudum & Godegiſelum.*) Ita codex Remig. conſormiter Gregorio Turonenſi lib. 2. hiſt. Francorum c. 32. & ſequentibus, & Aimoïno lib. 1. de geſtis Francorum ca. 19. quibus locis eadem hiſtoria deſcribitur, & legitur Godegiſilius, quomodo hic legit j. Cui accedit quod in Hincmaro apud Surium legitur Godeglſſum Alia noſtra exemplaria Godigeſelum legebant. Erat autem Gondebaudus iſte, vel ve in Hincmaro & Aimoino Gundebaldus, in Gregorio Gundobaldus, rex Burgundionum, qui teſte eodem Gregorio hæreſi Ariana infecti erant. Maſſæus initio libri 12. Chron. ſcribit Gundebaldum & Gundegiſilum.

Venerunt ſuper Oſcaram fluuium, ſecus Diuionem caſtrum, &c. & in Auinione caſtro ſe Gondebaudus cõcludens.) In Hincm. Oſcharam quo ſcribitur. Omnia autem exemplaria præter j. Auionem habebant, ſed Auionem ſcripſimus ex Hincmaro, & Gregorio, qui eum Auenionem vrbem ingreſſum eſſe dicit. Similiter & Maſſæus Auinionem nominat. Nicolaus Cheſneau vertit *Auignon.*

Et ſynodo, per ſancti patroni ſui Remigii conſilium, in vrbe Aurelianenſi habita.) Hæc eſt prima ſynodus Aurelianenſis: exſtat tom. 2. Concil. Eam vult Baron. habitam an. 507. Sigebertus, Maſſæus, Onuphrius & alii an. 512. Inter ceteros ſubſcripti leguntur S. Gildaldus Rothomagenſis Epiſcopus, & S. Lupus Sueſſionenſis.

Tunicaque Blattea.) Sic m. j. & Hincmarus manuſc. excuſus apud Surium, qui in margine quoque adnotauit: Blattam pro purpura ponit Sidonius. Sic & Sigebertus ex mss. codicibus à viro doctiſſ. Auberto Miræo editus etſi Gallica exemplaria legant blacteam, Germanica Bracteam, c. blattrea. Verum à prima lectione non eſt recedendum. Nam & blatteũ pro purpureo vſurpant Eutropius, Caſſiodorus, & alij. Adde quod tunicam blateam legit Greg. Turonenſis lib. 2. hiſt. Franc. cap. 38. Quod 2. hic dicitur iiſdem pene verbis habet Sigebertus ad annum 510. ita ſcribens: Clodoueus rex ab Anaſtaſio Imperatore codicillos de conſulatu, & coronam auream cum gẽmis, & tunicam blatteam accepit, & ex ea die Conſul & Auguſtus eſt appellatus. Ipſe vero rex miſit Romam S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari ſolet. Pertinet ad eiuſdem rei clariorem intelligentiam quod ait Papirius Maſſonus lib. 1. Annal. Franc. his verbis: Anaſtaſius Cæſar Clodouei nomen reſque geſtas miratus, legatos ad eum in Celticam miſit ex Græcia, honoraturos Regem Francorum Patricij dignitate à Conſulatu longe diuerſa, illa enim perpetua, hæc annalis Sic ille.

Litteris ſuis ad illum directis.) Litteræ Hormiſdæ Papæ, quibus vices ſuas B. Remigio in regno Ludouici commiſit, exſtant tom. 2. Concil. & apud Surium tom. 1. in vita ipſius B. Remigij per Hincmarum conſcripta.

Cap. XVI.

N*Omen ſynodi in qua S. Remigius conuertit hæreticum, nuſquam inuenio, Bar. tom. 6. anno 514. ait fuiſſe ſynodum Remis coactam ab ipſo S. Remigio poſt acceptas litteras ab Horſmida Papa, quib. ei ſuas vices commiſit, quem, vt in ceteris omnibus ſequitur Seuerinus Binnius tom. 2. Concil. ponens illud celebratum anno iam dicto, ſub Hormiſda, in cauſa eccleſiaſticæ diſciplinæ in Gallia reformandæ. Verum his aduerſatur quod initio huius capitis dicitus: Præſules Galliæ petiiſſe, vt B. Remigius ad illud Concilium veniret. Quod idem habet Hincmarus, & vterque dicit in cauſa fidei celebratum eſſe, non tã tum ab Epiſcopis Galliæ, ſed & Belgicæ prouinciarum, vt diſerte aſſerit Hincmarus. Neque hanc ſynodum, vt ad me ſcripſit ſupra citatus Guillelmus le Begue, Remenſes agnoſcunt. Quare exiſtimat id factum in prædicta ſynodo Aurelianenſi. Verum id manifeſte aduerſatur Hincmaro & Flodoardo, qui duas ſynodos, & hanc à priore diuerſam recenſent.

Cap. XVII.

S*Emper (inquiens) eſt bonum facere, ſi nõ ſuper poteſt.*) Ita omnia exemplaria, & Hincmarus. Senſus eſſe videtur: ſi nihil amplius haberi poteſt. Quo facit quod in Hincmaro præcedit, B. Remigium hæc tranquillo corde & ore dixiſſe. In Gallico vertitur: Si non excedit, & non nimis potens eſt.

Viri ponderoſi fiant, & fœmina gutturis calamitate pleſtentur.) Hic ponderoſitas vitium eſt genitalium, quod quale ſit explicat S. Greg. 1. par. curæ paſtoralis cap. vlt.

Quoniam Vicedominum eccleſia Remenſis in eadem villa necarunt.) Quodnam fuerit olim hoc officium, videantur canones apud Grat. diſt. 89. cap. Volumus, & ſequentibus. Ex quo loco, & infra ex Flodoardo l. 2. c. 13. conſtat eadem fuiſſe, Vicedominum & Oeconomum Eccleſiæ. Eodem modo exponit Onuphrius in interpretatione vocum Eccleſiaſticarum. Gallice vertitur *Vidame de Reims.* Nam Gallicè *Dame* olim vſurpabatur genere maſculino pro Domino, vt probat Sebaſtianus Roulliard in ſua Parthenia Carnotenſi c. 17. vbi late agit de vicedominis Eccleſiæ Carnotenſis, declarans quodnam, & quale fuerit eorum officium.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hæc eſt hæreditas Domini.] Ita Pſalterium Romanum legit. Noſtrum vulgatæ editionis, quod conſentit cum Gallicano, paulo aliter.

Et nullus propalato corpus ſeruabatur in ea ſan[illegible] circumiacentibus tamen atriis, Eccleſia cœmiterium [illegible] tur ex antiquo Remenſit.) s. j. Remenſe, & tota ſententia clarior eſt in Hincmaro, adhunc modum: Sed nullum corpus nominati Sancti in ea iacebat, & in qua eique circumiacentibus atriis, ex antiquo erat cœmiterium Remenſis eccleſiæ. Vt enim ad marginem adnotauit in Gallica verſione Nicolaus Cheſneau, antiquum cœmiterium Remenſe extra vrbem fuit.

Adeloldi quoq; tui miſerere famuli.] Hic videtur vel auctor monimenti ibi poſiti, vel potius horum rythmorum, quos per modum verſuum excudi curauimus, quia facti ſunt inſtar proſarũ ſiue ſequentiarũ, quæ olim frequentes recitabantur ad ſacrũ Miſſæ officium.

Cap. XVIII.

B*Eati Remigij teſtamentum Barnabas briſſonius l. 7. de formulis & ſolẽnibus populi Romani verbis integre trãſſcripſit ex hoc noſtro auctore, & aliũde, de quo ſic præfatur Exſtat D. Remigij Remenſis Archiepiſcopi, qui laudum ſuarum præconem egregium Sidonium Apollinarem æqualem ſuum epiſtola [illegible] l. habet elegans teſtamentũ, à me pridẽ ex Hincmari & Flodoardi ſcriniis, & ipſius Remẽſis Eccleſiæ archiuu deſcriptum, verſione & nuper à Nicolao Querculo in Gallica Flodoardi, editum &c. Habet eodẽ loco Briſſonius teſtamentũ Hadoindi Cenomanenſis epiſcopi Huius meminit Flodoard l. 2. c. 5. eiuſdem fere ſecuti & ſtili, quod ſic incipit: In nomine Domini Ieſu Chriſti, & Spiritus S viii. id. Februarii io anno v regnante gloriosiſſimo Clodoueo rege. Ego Hadoindus ac ſi indignus tametſi peccator, epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Cenomannis ciuitatis ſanus, Deo propitio, mente & corpore, ſanoq; conſilio, metuens caſum humanæ fragilitatis,

litatis, testamentum condidi, idque Cadulto Diacono scribendum dictaui. Quod testamentum meum si quo casu iure ciuili aut prætorio, vel alicuius nouæ legis interuentu vslere nequiuerit, ac si ab intestato, ad vicem codicillorum valere id volo, & valeat. Itaque si quando ego Hadoindus supra scripius Episc. è rebus humanis excessero & debitum venturi téporis compleuero, tunc tu SS Ecclesia vocetabilis hæres mea esto, heredemq; meam te esse constituo: ita vt vbicumq; aliquid per hoc testamentum meum dedero, legauero, darene iussero, id vt detur, fiat, præstetur, fidei tuæ hæres mea committo, &c. Quæ idcirco huc attuli, quia faciunt ad maiorem testamenti B. Remigii intelligentiam, quod quidem, etsi fidelissime à Brissonio sit editum, est tamé vbi maioré admittere potest diligétiá & emédationé.

Si ei turn aliquid videbitur defuisse) Restitui, si ei, pro, fieri, ms male affuisse pro defuisse, nisi forte scriptum fuerit ab fuisse.

Donauero, legauero, darine iussero] Ita ms. j & Brissón. e. donando legauero Paulo post male Brisson. Porensi pro Portensi, quod forte typographi mendum est, sicut & multo post, colonos pro colonas & post tres dictiones omittit illa verba: *Cum omnibus quos intestatos reliquero*, quæ desunt etiam in c. & alia nonnulla, quæ ex alus exemplaribus suppleui.

Tuo Dominio vindicabis.) Si tam hoc loco, quam bis in medio testamenti habent omnia exemplaria, & Brisson. cum legeodum videretur vendicabis. Sed etiam hodie docti sic scribendum iudicant, & ita olim scriptum fuisse docet Aldus Manutius in sua orthographia Vnde viodex, noo vendex. & vindiciæ. Certe vindicare inter cetera significat asserere. Videatur Ludouicus Rhodiginus lib. 17. antiquarum lectionum cap. 19.

In ptochiis, cœnobiis, martyriis, diaconiis.] Prochium, Græcè πτωχεῖον domum mendicorum significat, Martyria dicebantur ecclesiæ, vel oratoria, in quibus martyres colebantur. Diaconiæ, à Diaconis dictæ sunt. Erant hæ publicæ pauperum hospitales domus, quæ oratoria & sacella adiuncta habebant, in quibus à patre Diaconiæ siue Diacono egenis necessaria subministrabantur. Vide Onuphrium vbi supra. Meminit horum Zacharias papa epist. 7.

Vit ut ex proprio in Portensi, & iam villanis quoque.] &c. ms. hoc loco, & mox infra Porcensi, item villaris legunt, & in m. vacat spacium, vt significetur deesse aliqua dictio, vt & infra, quod à Brissonio & alus non est animaduersum, ideoq; omnia continenter scribút. Similis est varietas l. 2. cap. 11 vbi initio capitis ms. j iterum Porcensi legunt, sed c. vertit *Postez*, & in s. littera t. superponitur. In fine vero m. &c. Portensi. lib. 3. c. 7. omnia legunt Porcensi, & ibidem vertit. *Potez*, sed in margine ponit *on de Portiam*. Item lib 4. cap. 29. pagum Portensem, c. j. Porcensem, & Gallice vertit *la terre de Portiam*.

Duodecimum vero sicut à Cledovvaldo) &c. m. Ludovvaldo, & similiter infra Ludovvaldus Brisson. Hlodouualdo, & similiter infra lib. 3. cap. 20. in omnibus exemplaribus bis legitur Sanctus Clodoaldus. Beatus Remigius paulo infra vocat eum puerum sanctissimú, sibique vnanimem. Aguot de eo Vsuardus, Romanum martyrolog. martyrol. monasticum Arnoldi VVion. & alia die 7. Septembris. Quiescit iuxta Parisios gal. *S. Clou.* Agit de eo Gregor. Turon. lib. 3. hist. Francorum cap. 6. & 8. vbi scribitur Chlodoualdus, & Sigebertus aooo 531. Filius fuit Clodomeris regis, nepos Clodouei primi.

In Austria siue Toringa.) Sic omnia exemplaria, sed s. Thoringa, Brisson & j. Toringia.

Futuro Episcopo successori meo Amphibalum album paschalem relinquo] Sic cetera omnia præter tertium exemplar, quo vsus est Nicolaos Chesneau, quod legit pastoralem, pro paschalem. Amphibalus autem indumentum aliquod designat, à Græco ἀμφιβάλλω, circumpono, operio, induo.

Inter te, heres mea, & diæcesim tuam ecclesiam Laudunensem, & infra, Landuni) Ita hic & infra recte correxit s. Similiter Brisson. & j. perpetuo legit, eum m. & r. vbique Lugdunensem & Lugdunum haberent, sed perperam. Quid enim ecclesiæ Remensi, cum Lugdunensi? Laudunensis vero cum pars esset diœcesis Remensis, ab ipso Remigio erecta est in cathedralem Remensi subiectam, vt adnotauimus supra ad cap. 14. ideoque ecclesiam Laudunensem hic vocat diœcesim Remensem. Præterea sic legendum patet ex cap. 20. infra, vbi diserte Ansiaens Laudunensi ecclesiæ attribuitur, & ex cap. 14. supra, vbi dicitur S. Remigius nó modicam partem possessionum sibi à Clodoueo & aliis datarum tradidisse ecclesiæ S. Mariæ Lauduni clauati, quomodo legendum est in Greg. Turon. l 6 c 4. Lugduni clauati legitur.

Illud quoque vas aureum decem librarum.] Sic ms. j & c. in margine In textu vero sic habetur: Aliud argénteum vas decem librarum. Quod secutus est Brisson. Sed legendum aureum patet ex antithesi, cum postea dicat: *quo Lauduni in argenteo ipse dictaui.*

Iubeo Turriculum & imaginatum calicem fabricari.] Sic m. & j. ex quo alius fecit thuribulum, quomodo c. legit in textu, & Brissonius, sed in marg. notare alias legi turriculum: pro quo, inquit, turriculam censeo reponendum. Est autem turricula quod vulgo ciborium vocant. Sic ille, & propterea s. turriculam scripsit. Nó esse legendum thuribulum, primum ex eo probatur, quod omnino sit verisimilius ex vase aureo [quomodo legendum docuimus] eum ponns iussisse fieri vas ad vsum venerabilis sacramenti Eucharistiæ, quá thuribulum. Secundo quia addit. *Et epigrámmata quæ Lauduni in argenteo ipse dictaui, in hoc quoque conscribi volo.* Quæ prorsus ea videntur esse quæ supra habentur c. 10. Imaginatum calicé dicit, imaginibus & figuris sculptú. Infra quoq; libro secundo capite sexto mentio est turris aureæ super altare beatæ Mariæ positæ, quam & ibidem ciborium interpretatur idem. Nicolaus Chesneau, hoc est repositorium venerabilis Sacramenti Eucharistiæ, à figura sic nominatum. Et infra libro 4. capite decimo oono meminit Flodoardus ciborii super altare sanctæ Mariæ. Item turris aureæ ad eumdem vsum mentionem facit Venantius Fortunatus libro tertio capite vigesimo tertio in epigrammate ad Felicem Bituricensem, qui subscripsit Synodo secúdo Turonensi habitæ anno 570. Absolute turrem nominat Gregorius Turonensis, libro primo de Gloria Martyrum capite 86 dicens: Acceptaque turre Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium: ingressusque templum, vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aera, &c. Vt tamen à veteribus exemplaribus non recedamus, qui turriculum constanter sequot [& plerumq; ea lectio verior est, quæ est minus verisimilis] potest illud accipi vt sit adiectiuum, pro turritum, vel turriculatum. Nam turricus, a, um legitur ea significatione in summa Ioannis Iannensis, quæ Catholicon dicitur. Porto ex eo quod huic calici velit inscribi versus illos, quos habes supra capite decimo intelligitur hunc fuisse calicem ministerialem, vt docet Onuphrius vbi supra. Idcirco autem calices ministeriales dicebantur, quod ad ministrandum sanguinem Christi populo deseruirent.

Balatoforum.) Sic omnia exéplaria, nisi qood in manuscripto c. sit Badstoforú, & videtur nomé propriú.

Alimoniam præstolantibus.) Sic ms j. & Brisson c. r. postulantibus.

Calmisiaco.) Sic s. j. & Brisson. alias vt in m. Colmisiaco. Item alias Tassiaco & Trissiaco legitur.

Ad portam Suessonicam solidos duos.] Ita c. s j. & Brisson, cum sequentibus quindecim articulis, videli-

cer vsque ad Ecclesiam sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani. M. vero vbique in nominatiuo casu solidi duo, sicut & codex Remigianus. Quæ diuersitas ex eo prouenisse videtur, quod non plena dictione, & per notas numerorum scriptum sit sol. ij. quomodo plerisq; locis adhuc habetur in m. quod alius litteris extendit.

Supra cryptam Remorum ædificaui.) Sic omnia exēplaria. Quare male Brisson. supra scriptam, nisi mendum sit Typographi.

Rebus prioribus superaddidi.) Sic ms. j. Brisson. vero &c. rebus superioribus addidi, nec Brisson. id bene iūgit sequentibus contra omnia exemplaria

Plebeias supra Matronam adiunxi.] Ita Brissonius & omnia exemplaria, quomodo & infra bis legitur in hoc testamento, nisi quod c. in impresso hoc loco habeat Maternam, quod eiusdem fluuij recentius nomen est: Gallicè *Marne.* Itaque promiscue nunc vnum, nunc alterum in Flodoardo legitur. Nam libro tertio capite vltimo omnia exemplaria, & Aimonius loco ibidem in margine à me notato Matronam legunt. Infra autem primo libro capite vigesimo quarto Maternam legunt ms. & omnia exemplaria libro secundo capite septimo & octauo. Rursum libro quarto capite nono, decimo tertio, vigesimo sexto & vigesimo septimo, omnia nostra exemplaria præter j. Maternam legunt, & ms. c. 3. Similiter Materna legitur in litteris fūdationis monasterij, seu prioratus S. Martini à campis, Parisijs anno 1060. per Henricum primum Francorum Regem fundati. Matronam habet Gregorius Turonensis libro sexto historiarum capite vigesimo quinto, & libro octauo cap. decimo.

Et Paschasidem coniugem suam) Ita c. s. & Brissonius. sed m. Pascasidam, j. Pascasidem. c. vero notat alias legi Pascasiolam.

Theodonima.] Brissonius &c. in impresso, Teudonima. j. Theodoniuia.

Edoneisan, qua homini tuo.) Sic & Brissonius Edouersam autem legunt ms. In codice r. legi potest Edoueisan (quomodo habet) & Edouereesam.

Ad vnitatem montium positi.) Sic j. & Brisson. Sed ms. c. ad vnitatem.

Et qua ionta sunt peatella.] Sic omnia exēplaria. Legēdū forte adnotat Nicolaus Chesneau, quę iuxta sūt.

Et vxorem suam Meriam.) Sic ms. j &c. in marg. sed in texto vxorem eius Motam, quomodo & Brisson.

Medaridum eorum filium.) Ita c. j. & Brissonius ms. Medarius.

Delegoque nepoti meo Prætextato Mederatum.] Hæc est vera lectio ex diuersis restituta, quam habet c. & j. vt Prætextatus sit nomen proprium. Sic infra meminit pronepris suæ Prætextatæ. Sed c. in textu excuso, s. & Brissonius legunt Moderato, vt cohæreat cum Prætextato, veluti cognomen, m. prætaxato Moderatum, vt sit appellatiuum pro prædicto, quam lectionem codex notat in marg.

Tottiesionem.) Ita ms. Cetera Totrionem.

Lacernam.) Sic c. r. & Brissonius alias laternam, ms. j. lucernam. Est autem lacerna, idem quod penula, nimirum vestis genus tunicæ superductum ad arcendam pluuiam. De qua in actis S. Cypriani, & in Sulpitio libro primo dialogi capite decimo quarto. Vtitur Martialis aliique prophani scriptores. Videantur loca in Baron tom. 2. annalium anno 261.

Et argenteam cabutam figuram.) Sic omnia exemplaria. Brissonius cambutam, qui non recte sequentia verba: *Filiolo illius Parouio.* iungit præcedentibus, cum inde noua incipiat sententia, vt quatuor nostra declarāt exemplaria. Et cui aliquid legat, eum in principio nominare solet. M. j. paruulo legit, c. Parouio. s. vtrumque coniungit, paruulo Parouio. Vera lectio videtur Parouio. Quid sit Cabuta explicent alij. Hoc mihi tantum occurrit. Cum Brissonius cambutam legat, si cambuca legeretur, pedum Episcopale poo[illegible] pedi Episcopalis significaretur. Qua voce [illegible] trus Comestor in historia Exodi capite 52. Sicut, inquit, in baculo cambucæ Pontificalis eburneo fieri solet. Hinc in Pontifical. Guillelmi Durani, quod habeo manuscriptum, parte secunda, vbi agitur de consecratione ecclesiæ, cum accedit pontifex ad ostium ecclesiæ, ita legitur: Faciat crucem cum gambuca in limine superiori, & inferiori. Pro quo Pontificale Romanum excusum anno 1563. & Venetiis 1561. & alia dicunt cum baculo pastorali. Et antea diserte dicit idem pontificale Duranti, cum inferiori parte gambucæ seu baculi pastoralis.] Quibus verbis aperte significat illa eadem esse.

Hithinaculum quoque done illi.) Ita c. r. & Brisson. ms. j. hielinaculum.

Vitium pedatuream.) Infra c. ms. pedunta, sed male. Videtur autem accipi pro eo quod Columella vocat pedamentum vitis, & statumen, hoc est pro perticis & palis qui vitem sustentant.

Aetio nepoti meo.) Sic c. in margine & infra in textu cum Brissonio & j. ms. hic Actio, sed paulo infra, & c. 13. m. quoque Eoo, & s. j. Aëtio. Nomen Actiu[illegible] legitur epistola 56. Leonis Papę primi.

Ita vt à patribus sun) Sic j. Cetera patribus

Quos libertos esse præcipio, Catusionem & Aul[illegible]atenā.) Ita ms. c. j. At Brissonius legit percupio, Cattusionē, & Aulierenam, quomodo &c. in impresso.

Leutsberedum.] Sic ms. At c. j. & Briss. Leuberedum.

Vasantem, Cocum. Sic ms. c. & Brissonius sed c. notat in margine, alias legi Ad cum. j. Vasaniem cocum, vt sit appellatiuum, non autem duo propria nomina.

Dagarasenam, & Baudorosenam. Et infra. *Flauarasenam.* Sic c. j. & Brissonius. Item s. nisi quod legat cū m. Degaraseam. Reliqua duo m. legit per u. in vltima syllaba Baudoroseuam, Flauaraseuam.

Moderosenam.) Sic c. & Brissonius m. Odoroseuam. s j. Odorosenam.

Leudouiram.] Ita c. s. & Brissonius. Sed m. j. Leudoueram per o.

Saluonarias supra Moram.) Ita omnia exemplaria, & Brisson. Nisi quod m. legat Saluanarias c. hanc adnotationem margini adiecit: Forte reponendum Salinarias supra Mosam, vel Sablonarias, vt infra.

Domi textilis casulam subtilem.) In omnibus nostris exemplaribus sunt duæ dictiones, sed cum Brissonio coniunxi.

Ceteri omnes exheredes estote, suntote.) Sic omnia exēplaria, nisi quod m omittit posterius. Sed non recte. Ita ad maiorem firmitatem in formulis testamenti dici solet.

In quo si qua litura, vel caraxatura fuerit inuenta, facta est me præsente, dum à me relegitur & emendatur.) Similis est clausula in fine testamenti sancti Berthichramni apud Brissonium his verbis: Si quæ lituræ, si quæ caraxaturæ, si quæ literæ adiectæ sunt, vel detractæ, ego feci, fierique iussi, dum meam mihi sæpius prælego voluntatem, & omnia per singula recognosco, vel emendo, vt lex edocet, septem virorum honestorum subscriptionibus & sigillis credidi muniendum, & pro totius rei firmitate, atq; stipulatione adnecti præcepi. Actum Cenomannis in ciuitate, die & anno superius comprehenso.) Vbi caraxatura seu potius charaxatura significat obductionem siue deletionem Verbo caraxare & caraxari, pro insculpere & insculpi vtitur Gregorius Turonensis libro septimo capite trigesimo sexto, & libro octauo capite vigesimo nono. Auctor noster in prologo, charaxatorum indigentia, id est scriptorum, seu scribentium, libro primo capite nono caraxatum, id est, scriptum Infra libro tertio capite decimo sexto idem significare videtur quod notare vel redarguere. Vide nostrum indicem vocum obscuratum in Chron. Cameracensi, vbi & locum ex Prudentio citauimus.

Peractum Remis, die & consule supradicto.) Hinc constat quantacunque facta sit à nobis diligentia, vt sincere & integre hoc testamentum ederemus, tamen aliquid adhuc initio deesse, quia ibi nec diei, nec consulis vlla fit mentio. Quod dolendum est quia ob hoc ignoratur tempus huius testamenti conditi.

Intercedentibus & medius signatoribus) Ita c j. Brissonius quo tendit m. quod legit meridicis. Ex quo s fecit veridicis. Quæ lectio vera videri posset, nisi obstaret illud [&]

Episcopi qui testamento subsignatunt, hoc ordine recensiti, hi sunt S Vedastus Attrebatensis, S. Genebaudus Laudunensis, S. Medardus Nouiomensis & Tornacensis vnitarum, S. Lupus Suessionensis, Benedictus. & Eulogius.

In exemplari m. post Medardum duo addendi videntur. Nam bis denuo ponuntur illa verba: *Cui pater meus Remigius*, &c. addita cruce, sed omissis nominibus, & ideo ab aliis prætertiti.. Quare precium fuerit inquirere, an in archiuis Ecclesiæ Remensis, vel in scriptis Hincmari non possit reperiri correctius aliquod exẽplar testamenti huius. Nã sane verosimile est omnes illius prouinciæ epiſc. qui tunc nouẽ erãt, subscripsisse.

In manuscripto c. post Agricolã presbyterum sequitur iterũ Eulogius episcopus. Cui pater meus &c. deinde iterũ: Agricola presbyter. Verum hoc scriptoris mẽdum est. Nã etsi fieri possit, vt duo subsignarẽt episcopi eiusdem nominis, tamen nunquam episcopus post presbyterum subsignaret. Itaq; hæc cum reliquis omnibus exemplarib. & Brissonio prætermisi.

Theodonum presbyter.) Sic Briss &c. notans alias legi Theodonus ms. j. Theodericus. Forte legendum Theodorus.

V.C. Pappolus interfui, & subscripsi.) Sex aut Septẽ sequentibus laicis in exemplari m. præponuntur duæ istæ litteræ, quas ex eo adieci, easdemque expressit j. Quæ ab aliis forte non intellectæ, vel non animaduersæ, prætermissę sunt, vti ab c. s. & Brissonio. Legendum porro hoc est, vir clarus siue clarissimus, aut vir consularis. Inter subsignationem Eusebii & Rusticoli in m. hæc interponuntur: *V.C. interfui*, ideoque videtur hic vnus prætetitus, & forte Attolus, de quo infra capite vigesimo tertio, vel illa verba abundant. Certe infra c. 23. sex tantum laici nominantur subscripsisse, quorum sunt expressa nomina.

Cap. XIX.

HOc capitulum in exemplari ms. præcedit caput de testamento, in aliis sequitur, idque magis exigit ordo rerum gestarum.

Populum prima Germania deuastaret.] Id est superioris Germaniæ. Intelligit Treuiros & circumiacentes. Germania prima (inquit Papirius Massonus l. 1. Annalium Francorum in Morouco) Saluiano, & veteribus cis Rhenum est, ad quam Ammianus narrat præter alia pertinere Moguntiacum, Vangiones Nemetes, & Argentoratum. Idem Massonus in Clodoueo ait Agrippinam Coloniam inter ciuitates Germaniæ secundæ primas tenere. In eadem est Tungrorum ciuitas. Vide infra ad cap. 23. Contigit autem hæc pestis anno 565. teste Baronio.

Cap. XX.

IN *monte Bardonum*) Is est qui alio nomine Apẽninus dicitur, qui Italiam secundum longitudinem diuidit. Vide Ortelii thesaurum Geographicum.

Quod vocatur Bercetum.) Alias Berretum, Berrcum, & Berletum Sed Bercetum esse veram lectionem, quã habent meliora exemplaria, probatur quoque ex Paulo Diacono, qui meminit huius monasterij in Bardonis alpibus à Luitprando constructi.

Quando tres fratres, Lotharius, Ludouicus & Karolus, regnum sibi Francorum post patris obitum diuisere.) ms. omittit dictionem Francorum, nec habet Hincmarus, & forte rectius. Sunt autem hi tres filij Ludouici Pij Imper. Lothario cessit imperium, Ludouico Germania, Karolo Caluo, Francia.

Villas Episcopi Remensis, quod tenebat Fulco presbyter.) Sic omnia examplaria vetera, & Hincmarus, vt ad episcopum referantur, quod tenuit, Ebone deposito, vt patet ex vltimo c. l. 2. & c. 1. l. 3. quando sedes per decem annos vacauit. Quare non recte j. (quod) mutauit in [quas] vt ad villas referatur, sicut &c. in Gallico retulit.

Villam Iuliacum quidam Recuino dedit.) Quomodò hanc donationem postea idem Carolus Caluus reuocauerit, & villam istam cum omnibus aliis bonis, quæ alienata fuerant Ecclesiæ Remensi restituerit per publicum edictum videre est l. 3. c. 4.

Moderno tempore colonus quidam.) Id contigit ætate Hincmari, nam ipse pro eo dicit: nostra ætate.

Pro qua re nuper anno præterito, cum rege Ottone, & præfato Duce locuti sumus, quando Aquis ad eundem regem missi fuimus.] Sermo est de Ottone primo, de quo infra l. 4. c. 33. & sequentibus. Vera lectio est Aquis, Gallicè *Aix*, quomodo legũt omnia exemplaria. pro quo s. substituit Aquisgranum eiusdem ciuitatis nomen. Sed prius sæpissime apud auctores inuenitur.

Cap. XXI.

INtegrumque illud cum brandeo, quo prius repertum fuerat inuolutum) Hincmarus in vita S. Remigii, brandeo rubeo inuolutum. Quod Nicolaus Chesneau gallice vertit: *Drap de saye vermeil*, vt capite præcedenti legitur. Significat autem brandeum pannum sericum siue linteum, quo Sanctorum corpora seu reliquiæ inuoluebantur, Moris enim fuit, vt alicubi in Conciliis decretum, vt huiusmodi pretiosis velis Sanctorum corpora inuoluerentur. Vtitur eadem voce S. Gregorius Papa libro tertio epistola 30. pro serico aut velo, quod ad eũ finem missum, Sanctorum Corpora contigisset. Sic enim scribit ad Constantiam Augustam: Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore, sed tantũmodo in pyxide brandeum mittitur, atq; ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod leuarũ in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut vt à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum, allatis forficibus, incideret, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. Hæc ille. Eiusdem moris antiquissimi ponendi vela, vel alia eiusdem supra Apostoli Petri sepulchrum, vt benedictione locupletata reciperentur, meminit Gregorius Turonensis libro primo Miraculorum capite vigesimo octauo.

Tertius & Karolus regni compoueret actus.) Is est Carolus Caluus. Primus enim est Carolus Metellus, secundus Carolus magnus.

Octimber primam:) &c. Sic exemplaria, sed i. Octẽber, s. mutauit October, cum primum illud antiquitatem redoleat, & exprimat vocis originem, eodẽq; modo legitur in metrico martyrol. VVãdelb. Prumiensis.

Ter centum fuerant, tres & deni quater anni.) &c. Id est trecenti, & quater tredecim qui sunt quinquaginta duo anni elapsi erant à Baptismate Clodouei & Frãcorum, quando hæc translatio corporis S. Remigii facta est, quod fuit an. 952. Ex quo sequitur baptismum Clodouei contigisse anno 500. Non autem sensus est, vt videri posset, trecenti quadraginta tres anni.

Tunc enim oporteret eum fuisse baptizatum anno 509. quod est contra communem sententiam, vt supra ad c.13. annotauimus.

Comitantibus vndique secus populorum stipatus cateruis.) Secus, id est prope, & sic omnia exemplaria, ne quis legendum putet secum.

Cap. XXII.

Mulier quedam de pago Trecassino membrorum omnium agitatione multata.) Similem punitionem ex maledicto matris prouenientem, eiusque curationem ad memoriam s. Stephani protomartyris narrat Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei c. 8.

Ex villa qua vocatur Cautella.) Sic c. ms. j. sed c. Cautella.

De relatione S. Remigij ad locum sepulturæ suæ, seu ad monasterium suum, per Heriueum Archiepisc. facta anno 901 de qua in fine huius capituli paulo latius agit auctor lib. 4. c. 12.

In eo vero loco vbi hoc salutis accidit donum, posita deinceps extat columna, cruce præfixa, glorificationis huius continens monumenta) In circuitu pedis columnæ crucis suæ in burgo s. Dionysii Remis, eius rei testis est hæc inscriptio. Nogento primo anno incarnati Domini, sub quarto Cal. Ianuarij, secundaque sabbati, glorioso ab hac vrbe delato corpore Domini nostri ac patroni beati Remigij, cum honore vtriusque ordinis concurrebat plebs deuote Heriueo præsule, Carolo rege subsequente, cum Richardo principe, Christo laudes vna mente iubilando consone. Cum fuisset huc perlatum pignus sanctissimum, cælitus virtute lapsa illico prosilit (miro ductu) quidam claudus directis poplitibus, nouo gressu ab hinc suum prosequens Remedium, cuius ope adiuuemur hic & in perpetuum.

Sancte tui Sigloardi miserere monachi,
Qui ductus amore istius patrati miraculi,
Ob istius monimentum hunc erexit titulum.

Cap. XXIII.

Quidam Belgica secunda prouincia.) Belgica secunda continet Remos, Catalaunos, Ambianos, &c. Vt enim docte scribit Iacobus Meyerus in suis Flandriæ annalibus ad annum 453. Romani diuidebant Belgicam Galliam in Germaniam primam seu superiorem, quæ Argentoratum, Magonciacum, Nemetas, Vangiones, aliasque Rheno propinquas continebat gentes. Et in Germaniam secundam seu inferiorem, cuius caput erat Colonia Agrippina cum Tungris ac Neruiorum Morinorumque maritimis populis, qui nunc Brabanni & Flandri vocantur. Rursus secabāt eamdem Galliam in Belgicam primam, cuius caput Treueris, cum Mediomatricibus, Leucis & Virodunēsibus. Et in Belgicam secundam, vbi principatum tenebant Remi habentes sub se Suessiones, Catalaunos, Laudunos, Camaracos, Neruios, Morinos, Attrebates, Ambianos, Bellouacos, Nouiomagenses. In qua secūda Belgica Flandria includitur.

Cap. XXIV.

Est siluula in monte sita tribus à ciuitate millibus separata.) Nomen monti est Hor, vt est in vita huius de quo agitur Theodorici apud Surium.

Quem vocetur Theoderico.) Sic c. & r. sed s. j. Theoderio, alia Theoderico. Quomodocumque legatur, exprimere voluit nomen diminutiuum, quæ apud Gallos desinunt in o. vt à Petrus *Pierro*.

Die Kalendarum Iuliarum.] Natalem diem s. Theodorici siue Theodorici hoc die habet martyrol. Vsuardi Romanum cum notis Baronii, item Petri Galesinij, Francisci Maurolyci, qui Theodorum vocat, & Arnoldi VVion. lib. 3. ligni vitæ. Eiusdem vita exstat hoc die apud Surium, consona iis quæ hoc c. habentur, sed hic aliquanto vberius.

Quadam denique sabbatorum die, iam vespera Dominici diei accedente, quadam paupercula.) &c. Grauiter punisa fuit hæc mulier, quod vespere diei Dominicæ operaretur, quia tum celebratio Dominicæ incipiebat a tempore vesperarum, quod durauit fere ad nostra vsq; tempora. Videantur quæ scripsi in notis ad Thomam Cantipratanum lib. 2. c. 53 parte 7. Idem vero patet ex hoc auctore supra c. 20. vbi Ragenbaldus quidam ob eamdem causam punitus est.

Cap. XXV.

De s. Theodulfo, de quo hoc c. agit Molanus in additione ad Vsuardum Calendis Maii. Eo demum die Petrus Galesinius, & Arnoldus VVion. Vtriusque, videlicet S. Theodorici, & Theodulphi meminit Sigebertus in chronico ad annum 534. his verbis: Theodoricus abbas discipulus sancti Remigii, & Theodulphus abbas discipulus ipsius Theodorici in Francia clarent. Inuentionem corporis s. Theodulphi apud Treuiros notat ex Trithemio dictus Arnoldus VVion. die vlt. Februarii, quam late describit Thomas Cantipratanus vbi supra part. 2. Sed an ne sit idem Theodulphus ille cum isto multum ambigo. Eumdem facit Trithem. l. 3. de vitis illust. ord. s. Benedicti c. 260. vbi sic habet: Theodulphus abbas in monte Hor, vir sanctæ conuersationis & innocentis vitæ, multis virtutibus clarus effulsit. Huius corpus non ante multos annos repertum integrum & incorruptum, cum magno honore Treueris apud Prædicatores reconditum est in summo altari. Hæc inuentio celebratur pridie Calendas Martii. Sic ille. Verius tamen existimo diuersos esse.

SCHOLIA IN LIBRVM II.

Cap. I.

Beato Remigio successisse traditur Romanus.) Sub annum videlicet 545. Hic B. Romanus Cœnobium in vico cui nomen Mentuniacum, duabus ab vrbe Trecensi leucis semoto, condidit, & primus in eo Abbas fuit, quod à sexcentis annis penitus est dirutum: nec quicquam eius superest præter crucem in rei memoriam ibi collocatam. De eo in vita s. Leonis abbatis ex breuiario Trecensi sic legitur: Beato Romano Mentuniaci cœnobii abbate in Episcopum Remensem electo, beatus Leo eius monasterii factus est abbas. Eiusdem s. Leonis vita alia, sed mutila, testatur eumdem s. Romanum à rege Clodoueo seniore confirmationem donationis quorumdam prædiorum impetrasse, quæ Merobaudus patricius eidem cœnobio liberalissime impertiuerat. Sequitur.

Romano Flauius.] Hic Flauius subscriptus legitur Concil. Auernensi. Vide scholia in c. 13. lib. præcedētis.

Cap. II.

Ex iis quæ hoc c. ex Fortunato citantur nonnulla possent in ipso restitui, vt in primis Egidi, pro Igidi. v. 4. fauens pro fouens. 24. sonat pro tonat, & alia quædam.

Quod legatus ex parte Childeberti regis, Sigiberti filii, ad Chilpericum regem patruum ipsius Childeberti, &c. Sigebertus iste rex Austrasiæ est qui vxorem habuit pessimam Brunechildem, fratres autem Guntramnum, qui fuit rex Burgundiæ, Charibertum, & Chilpericū, qui omnes fuerunt filij Clotarij primi. Mortuus est autem Sigebertus an. 578. cui successit filius Childeb.

Et ablato Guntramni, Chilperici fratris regis.] Nomẽ Guntrãni vel Gontramni varie scribitur. Sic enim cõstanter legit m. cum litteram, in secunda syllaba, j. semper Guntrannus, quomodo interdũ etiam c. Pro, priore lectione facit, quod Gregorius Turonensis, locis in margine citatis, integre nomen illud scribat Gũthchrãnus, pro quo in tomis Cõciliorũ & alibi, Gũthcrãnus.

.] *A Fredegunde regina fuerat missus.*] Hæc erat vxor Chilperici, cuius perfidia ipse Chilpericus tandem interfectus est: De ea Aimoinus lib 3. de gestis Francorum cap 56. Erat, inquit, Fredegundis forma egregia, consilio callida, dolis (excepta Brunechilde) parem non agnoscens &c. Quæ verò deinceps hoc c. sequũtur ad verbum ferè sumpta ex Gregorio Turonensi lib.10. historiarum c.59. Synodus autem hæc Metensis, & Ægidii depositio facta est anno 594. vt tom. 2. Concil. adnotauit Seuerinus Binius.

Multa enim auri argentique in huius episcopi regesto põdera sunt reperta.) Eadem prorsus habet verba Gregorius m. pro regesto vitiose legit regesta. Quæ vox regestum eodem cap. supra legitur in Gregorio, cum dicit: Scripta enim ista in regesto Chilperici regis in vno scriniorum pariter sunt reperta. Nicolaus Chesneau Gallice vertit *Espargne*. Regestum Latine dici potest, quod vulgo registrum vocamus, inquit Budæus. Hoc loco videtur thesaurum significare, vel locum vbi thesaurus reponitur. Qua significatione accipit Gregorius iam dictus l.9 hist. c.10. & 34.

Cap. III.

De s.Basolo, gallice *S. Basle*, agit Molanus in additione ad Vsuardum 26. Nouembris, quo die hoc c. obiisse legitur. Item martyrol. Romanum ex veteribus manuscriptis, vt notat ibidem Baronius, Petrus in Catalogo l.9.c.69. Arnoldus VVion in martyrologio suo monastico, siue l.3. ligni vitæ ad eundem diem, citans ualesinium & alios, ac nominatim Vincentium in speculo l.21. c.116. De eodem Trithem. de viris illust. ord. s. Benedicti l.3.c.45. & Sigebertus in chronico anno Domini 567. De eiusdem translatione per Hincmarum facta agit Molanus die 15. Octobris.

Quem nemus inde incipiens obumbrat Rigetum.) Sic c. & j. sed ms. Regentium. In breuiario Remensis ecclesiæ Rietum, gallice vertitur, *Forest de la Riuiere.*

Misit ad nepotem suum nomine Balsimium, qui eum ad se, à Lemouicina regione perduceret.) Vitiose j. Balseonum. gallice *S. Bassange*. Vitæ huius Balsemii martyris exstat fragmentum in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, eumque adiecit Vsuardo Molanus 16. Augusti, quo die festum eius celebratur in Tricassina diœcesi.

Ibique metatum suum constituentes, huc vndecumque prædatu reuerti sueuerunt.) Sic omnia exemplaria, id est à prædatu siue prædatione. Quare non rectè s. mutauit in prædari. Prioribus verbis significatur eos ibi fixam sedem seu tentorium habuisse, gallice *Retraicte*, vnde Latine dicimus castrametari. Vide infra ad cap. 10. lib. 4.

Cap. IV.

Post Egidium Romulfus.] m. Remulfus legit hoc loco, & c. seq. Sed in summario huius cap. & supra c. 2. & in textu Romulfus, quomodo legunt cetera exẽplaria, & Gregorius Turon. lib.9. hist. Francorum c. 30. vbi nominatur Comes palatii Childeberti regis, & lib.10. cap 19.

Cap. V.

De *Sonnatio Episcopo.* Hæc est communis scriptura exemplarium, iam hoc c. quam præcedenti m. fere scribit Somnacius, & interdum Somniacius, c. Sonnacius. Remensis vero Synodus sub eo habita, de qua hocc admodum celebris fuit, & plusquam Prouincialis, vtpote cui multi etiam aliarum prouinciarum Archiepiscopi interfuerint; quæ vtinam exstaret in tomis Conciliorum.

Palladio Antisiodorensi.] ms. Altissiodorensi, j. perpetuo scribit Autisiodorensi, cui fauet vox gallica *Auxerre.*

Ansarico Suessionensi.) c. j. Ansérico.

Claudio Resensi.] Sic omnia exemplaria. Videtur esse *Rioux* in Archiepiscopatu Tolosano, à quo alias Riuensis & Riueoensis Episcopus nominatur. Nisi quis legendum putet Regiensi siue Regiẽsi. Nam Claudius Regiensis Episcopus subscriptus legitur Concilio 2. Cabiloensi celebrato circa hæc tempora, videlicet anno 658. vel vt alij 664. In quo etiam subscripti legũtur duo alij, qui huic Remensi interfuerunt, Donatus Vesontiẽsis, & Palladius Autisiodorensis. Verũ in 10. Cõcil. forte legendum Reiensis, quod est ignotius, pro Regiensis.

Vero Rutedensi.] Sic j. cui accedit ms Rutemensi. c. Teruensi. Est autem Ruthenensis Episcopatus, Gallice *Rhodes* (Nam Ruthenum alias Rhodium dicitur) in Archiepiscopatu Bituricensi.

Agricola Gabalensi.) Hoc est, vt posterioribus seculis vocatur, Mimatensi in eodem Archiepiscopatu Bituricensi, in quo est Aruernensis & Ruthenensis, qui proxime præcedunt. Nam Gauali, qui & Gabali Ptol. & Fortunato, & Gabales Cæsari, Plinio, & Straboni dicuntur, Gallice *Mande* hoc est Mimatum in Aquitania regionis Gaualitanæ, quæ *Geuedan* dicitur, ciuitas primaria & caput est, vt docet Philippus Ferrarius in noua topographia Martyrologij Romani. Quod adnotamus, ne forte quis putet esse oppidum Cabilonense, quod est sub Archiepiscopatu Lugdunensi, præsertim cum Robertus Cænalis sentiat Gabales esse Cabilonẽses. Et quidem Agricola Cabilonensis Episcopus subscriptus legitur Concil. 4 & 5. Aurelianensi, quorum posterius habitum est anno 551. Item Parisiensi 3. & Lugdunensi primo, quod habitum est anno 570. Præfuit autem ecclesiæ suæ annis 48 & vixit anno 83 vt habet Gregor. Turon l.5. hist c 45. & ex eo Baron. in notis ad Rom. martyrol die 17. Martii. Sed vt sit idem cũ eo qui huic Remensi Synodo interfuit, obstare etiam videtur distantia temporis.

Auderico Ausensi.] Auscii, alio nomine Auxitaoi, vnde Auxitanus Archiepiscopatus. gall *Auxeh* in Vasconia

Vt capitula Canonum Parisius acta in generali synodo, in Basilica s. Petri, Lotharii regis studio congregata, omni firmitate custodiantur.] Videtur intelligi Conciliũ iij. Parisiense cuius exstant 9. Capitula to. 2. Conciliorũ per Binium editorum. Nec obstat quod ibi dicatur celebratum sub Childeberto, quia intelligitur Childebertus primus filius Clodouei magni, qui obiit anno 559 Quo eodem tempore regnauit frater ipsius Clotarius primus, qui hic Lotharius nominatur, & obiit anno 565. Et quidem dictus Childebertus solium regni tenuit Parisiis, Clotarius autem Suessione, sed tandem etiam toti Galliæ præfuit Vnde verisimile est post annum 559. celebratam esse hanc synodum Parisiensem, quod diserte docet Binius.

Ad matriculam præterea sanctæ Remensis ecclesiæ.] Ante hæc verba ms. & j. adiciunt: Ad Basilicam s. Medardi solidos quindecim. Quę omisimus alia exemplaria secuti, quia supra de ecclesia s. Medardi dictũ fuit.

Cap. VI.

Post hunc beatum virum Leudegiselus, Attila episcopi frater.) Hic Attila, vt ex cap. sequenti paret, fuit Episcopus Laudunensis. In tabulis Democharis sextum locum obtinet, quem vocat Attolam, vti & Hincmarus in opusc. lv. Capit. c. j. Consecrauit s. Aubertum Cameracensem episcopum anno 648.

vt adnotaui ad Chron. Cameracẽſ. l. 1. c. 19. Sequitur.

Tempore Dagoberti regis Epiſcopium rexit.) Hic eſt Dagobertus primus, qui poſt patrem ſuum Clotarium ſecundum, regnauit adhuc annos 14. & obiit 645. Succeſſit ei filius natu maximus Sigebertus, de quo in fine capitis, qui obiit 656.

Hunc ſequitur Anglebertus.) Sic omnia exemplaria præter j. quod toto hoc c. legit Angelbertus.

Cap. VII.

P*Ræeunte Berecario Abbate.*) Sic omnia exemplaria, quod s. mutauit vbique in Berchatium, ſicut & j. Quomodo per contractionem legitur apud Sigebertum in chronico, & in Promptuario ſacrarum antiquitatum Tricaſſinæ diœceſis Nicolai Camuzæi, in quo continetur integra vita eius & paſſio conſcripta per Aſſonem Abbatem Deruenſem, & apud Surium tom. 5. vbi breuem eiuſdem vitam recenſet ex Vincentij ſpeculo hiſtoriali lib. 24. die 16. Octobris.

Eccleſiam in Virizjaco.] Ita legendum patet ex cap. 1. & 3. huius libri, vbi conſtanter ſic legitur, Gal. *Verzy.* Alioqui tum hoc loco, tum infra cap. 10. variant exemplaria, m. Vitiaco, c. Viriciaco, quomodo m. legis c. 10. Vbi c. legit Virigiacum.

Cui Ludouicus quoque rex.) Intelligitur Clodoueus ij. qui obiit 665.

Huius etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illuſtris S. Remigio.) &c. Hic videtur fuiſſe Maior domus ſeu Magiſter palatij Francorum, filius beati Pipini de Landis, & frater Sanctarum Gertrudis & Begghæ qui obiit anno 658.

Concilium præſulum Galliæ Namnetis habitũ iuſſione Romani pontificis, cuius hic meminit, videtur deeſſe in tomis Conciliorum. Niſi forte ſit illud, quod 20. continens capitula, ponitur to. 3. poſt Concilium Tributienſe habitum anno 895. De quo ſic notat ibid. Binius: Incertum habemus quo tempore hoc Concilium actum ſit, itaque hoc loco collocauimus.

Poſt hæc in eccleſiola S. Mariæ, quam in eodem monaſterio conſtruxerat, obiiſſe fertur.) Quam ſolemnes Niuardo exhibitæ fuerint exequiæ refertur vbi ſupra, in vita & paſſione S. Berchatij abbatis. Obiit Calendis Septẽbris, ad quem diem ad Vſuardum adiecit Molanus: In Alto Villari depoſitio ſancti Niuardi Epiſcopi Remẽſis. Quo die ponit eumdem in ſuo Martyrologio Petrus Galeſianus. Meminit eiuſdem Sigebertus in chronico anno 661. his verbis: Sanctus Niuardus Remenſis Archiepiſcopus, & Reolus ſucceſſor eius, Berchariusquoque martyr, qui fuit abbas primus Altiuillarenſium: Sancta etiam Bertha martyr. & abbatiſſa ſanctitate clarent in Gallia.) Hunc vitioſe quidam Viuiardum vocant.

Cap. VIII.

A*D prænotatum huius ſancti viri (Niuardi) cœnobiũ (hoc eſt ad Altum villare) Beata Helena regina conſtat corpus ab vrbe Roma deuectum.*] Dies tranſlationis, & aduentus ad hoc monaſterium adnotatur ſeptima Februarij in addit. Molani ad Vſuardum. Scripſit tranſlationis huius hiſtoriam Almannus monachus Altuillarenſis, teſte Sigeberto de vitis illuſtribus c. 99. & vt ibidẽ refert, vitam quoque S. Niuardi, & S. Sindulphi, de quo ſeq. cap. Hæc autem tranſlatio ab vrbe Roma in Gallias, teſte eodem Sigeberto in chronico, facta eſt anno 849. vt refert, poſt eum quoq; Baronius tom. 10. in fine eiuſdem anni, addens: Sed de eius corpore inter Latinos & Græcos antiqua eſt controuerſia, vbi ſepultum fuerit. Veneti inſuper illud ab Oriente delatum, poſſidere ſe gloriantur, quod & digno cultu proſequuntur. Hæc Baronius.

Gemino ditati gaudent eſoce.) Sic m. j. s. reliquit locum vacuum. Significari putatur piſcis, qui alio nomine ſalmo dicitur. Sulpicius Seuerus l. 3. dialogi de virtutibus B. Martini cap. 15. Ad primum iactum reti permodico immanem eſocem diaconus extraxit. Ad quem locum Sur. to. 6. notauit ad marg. Exocem id eſt ſalmonem. Scribit enim ipſe per x. Hadrianus Iunius in ſuo Nomenclatore, recẽſens nomina piſcium, ita ſcribit: Exos, quod oſſibus careat, vel vt alij legunt eſox Plinio. Anglice à *Lax*, & diſtinguit à ſalmone. Plinius nat. hiſt. l. 9. c. 15. Sunt & in quibuſdam omnibus haud minores, ſilurus in Nilo, Eſox in Rheno, attilus in Pado.) Qui ibid. c. 18. agit de ſalmone.

Cap. IX.

D E S. Sindulfo agit Molanus ad Vſuardum die 20. Octobris, Romanum martyrol. cum Baronio, & Petro Galeſinio ad eumdem diem, ſicut & VVion. Itẽ Trithem. de viris illuſt. ord. S. Benedicti l. 3. cap. 46. qui ſcribit eum claruiſſe anno Domini 600 & ſocium fuiſſe beati Baſoli abbatis, de quo ſupra cap 3. Vnde de iiſdem coniunctim ait in Chronico Sigebertus ad annum 567. Baſolus abbas, & Sindulphus presbyter & recluſus in Francia clarent.

Cap. X.

D*E ſancto Reolo Epiſcopo.*) De hoc nihil inuenio in martyrologijs. Hic ante epiſcopatum neptem S. Niuardi, filiam Childerici regis, vxorem habuit, vt cõſtat ex auctore ſupra cap. 7. Poſt eius mortem præfuit in hoc Archiepiſcopatu annis 26. vt dicitur in vita S. Gumberti, fratris S. Niuardi, quæ eſt in vitis Sanctorum Gallice editis per Pariſienſes die 29. Aprilis. Hunc alij, vt Papirius Maſſonus in ſuis annalibus, & Iacobus Sirmondus in catalogo Archiepiſcoporum Remenſium vocant Regulum.

Crucinsiacum montem, Curbam villam, cum Actiniaco in pago Tardonenſi.) Hæc ita vertit Gallice Nicolaus Cheſneau: *le mont de Cruny, Courmelle, & Acmi en Tardenois.* Atque ita legunt omnia fere exemplaria, tum hoc loco, tum c. 17. huius libri, niſi quod ms. hoc loco & c. 11. legunt Turbam, & Tardoniſſe.

Cap. XI.

G*Ermiacam cortem.*] Ita hic & ſæpius infra omnia exemplaria, Gal. *Germicourt.* pro quo aliquoties s. ſubſtituit germanicam, quod ſupra c. 5. vertitur *Germiny.* Ex hoc loco corrigendus Surius, Hatæus, & Lippello, qui in vita s. Rigoberti die 4. Ianuarij legunt Gremaca. Locus eſt non procul Remis, vt conſtat ex c. ſequenti. Corrigendum & illud in iiſdem auctoribus, quod pugnam Caroli cum Chilperico & Ragemfrido ponant accidiſſe 12. Calendas Auguſti, cum legendum ſit Aprilis. Nam accidit in quadrageſima, Dominica die ante paſcha, vt habẽt Annales Francorum à Pithoeo editi, & appendix Gregorii Turonẽſis, cuius auctor Fregedarius Scholaſticus, qui res ſui tẽporis deſcribit.

Villam nomine Cartobram.) Sic c. s. & j. Alia Carobram, Gal. *Chartreume.*

Et in villa, cui nomen Turba.] Ita hic omnia exemplaria, Gal. *Tourbe.*

De villa Bracantio ſuper fluuium Rotumnam) s. m. Bracaneco. j. Bracaneto.

A Dagoberto denique rege.] Intelligitur ſecundus huius nominis, filius Childeberti, qui obiit anno 715. cui ſucceſſit filius Theodoricus ij.

In Rodenico etiam.] Sic j. ſed ms. Rodinico, c. Rodolito, aliud Rodocino.

Hunc venerabilis præſul Pippinum Maiorem domus regia traditur amiciſſimum habuiſſe: cui eulogias pro benedictione crebro ſolebat mittere.) Hic eſt Pippinus Herſtallus, filius s. Begghæ, pater Caroli Martelli ex pellice. Eulogiæ erãt panes benedicti, cõmunionis mutuæ &

amicitiæ symbola; de quibus late Baron. tom 3. Annalium anno 313. Concilium Namnetense cap. 6. de quo supra, formam benedictionis exprimit.

In monte Betelini.) Sic t. & j. cui accedit ms. Berelini, c. Belini.

In pago Castricensi.) Sic & infra c. 18 alias in vico Castricensi. ms. coniunxit hic vtrumque: In vico in pago Castricensi.

Cap. XII.

ORta denique simultate inter regem Chilpericum & Carolum præfati Pipini filium, Maiorem quoque domus Ragemfridum.) Hic est Chilpericus 2. frater Dagoberti 2. obiitque anno 719. vel vt alii, 726. Hæc autem gesta sunt anno 717. vt referunt Annales Francorum à Pithoco editi. Sigebertus & Meyerus tribuunt anno 718. Quæstio erat de obtinendo principatu, siue magisterio equitum, vt est in vita S. Rigoberti. Nam Chilpericus magistrum equitum, siue Maiorem domus constituerat hunc Ragemfridum.

Quod non illi eam prius aperiret.) Sic c.e.& j. Quo accedit quod in m. legebatur non nulli, sed (non) transfixum est, & relictum est nulli, quomodo legit s.

Rigobertum patronum suum, qui (vt traditur) eum de lauacro sancto susceperat, Episcopatu deturbauit.] s. corrigi vult patrinum, Verum obstant omnia esemplaria. In vita ipsius dicitur S. Rigobertus hunc Carolũ baptizasse, & de sacro fonte suscepisse. Sed & recte susceptores patroni dicuntur. Eius depositionem ab Episcopatu, sicut & Eucherii Aurelianensis, notant Sigebertus & Massæus anno 723.

De quo patrum scripta relatione traditur.) &c. Historia de visione S. Eucherii Aurelianensis Episcopi de æterna damnatione Caroli Martelli ob inuasas res ecclesiasticas, iisdem fere verbis extat in Capitulis manuscriptis, quæ ab Episcopis prouinciarum Remensis & Rothomagensis Ludouico regi missa fuerunt: estq; adiecta in notis ad nouum corpus Canonicum cura Gregorii 13. recognitum 16.q.1.cap.quia. Exstat item in vita eiusdem S. Eucherii apud Surium 20. Februarii, scripta à contemporaneo, & in vita ipsius S. Rigoberti 4. Ianuarii: in quibus omnibus asseritur dictum Martellum ex nunc in corpore & anima pœnis sempiternis esse deputatum. Meminit eiusdem Hincmarus in præfatione vitæ S. Remigii, & inter recentiores Paulus Æmilius lib. 2. de rebus gestis Francorum, & Petrus Despinac Archiepiscopus Lugdunensis in oratione habita Blesis coram rege Franciæ Henrico 3. anno 1575. vt testis est Arnoldus Vvion. lib. 3. ligni vitæ die 20. Februarii. Verum his contradicit Petrus Pithœus in glossario Capitulorum littera R. & Baronius tom. 9. Annalium anno 741. idque ex eo quod Eucherius vt minimum decem annis obierit ante Martellũ. Quin etiam addit Baron. de salute ipsius bene sperandum esse, eo quod pœnitentiam egerit. Quid de ea re sit examinent alii. Flodoardus fideliter narrat quæ ex scriptis patrum accepit, quæ temere conuellenda non sunt, & præcipue Conciliorum acta.

Cuius in monasterio S. Trudonis humatum est corpus) Locus est in Hasbaoia, quæ Brabantiæ pars est, intra oppidum sancti Trudonis, in quo sepultus est S. Eucherius. Hæc contrario modo Gallice vertit Nicolaus Chesf. dicens: In monasterio S. Eucherii sepultum esse corpus S. Trudonis.

Qui regressus petitur à Milone.] &c. id est rogatur, requiritur, Est enim passiuum, eodem modo, quo supra hoc libro c. 3. Petitusque secretioris conuersationis habitaculũ concedere. Vbi contra omnia exemplaria male contexit s. petentisque Sensus igitur est, quod S. Rigobertus fuerit requisitus à Milone.

Habitauit in Germaca corte tempore non pauco.] annis 15. aut 17. vt in marg. adnotauit qui supra lib. 1. Guilielmus le Begue, idemque adnotat, eum quinque aut septem annis exulasse in Vasconia.

Cap. XIII.

HVius beati præsulis Adrianus sedis Apostolicæ Pontifex meminit in epistola sua Tilpino, post Episcopo Remensi directa] Exstat hoc fragmentum tom. 3. Concil. inter scripta Gregorii 2. idque factum est ex iudicio Baronii tom 9. anno 717. Qui omnino aliter censuisset, si reliquam partem eiusdem epistolæ, quæ habetur infra cap. 6. perlegisset. Nam inde plane conuincitur vere esse Adriani, non Gregorii: quia in ea meminit Zachariæ & Stephani antecessorum suorum, qui sunt posteriores Gregorio secundo. Poterit autem compleri hæc epistola additis duabus partibus quæ infra cap. 26. & 17 recitantur, & corrigi adnotatio Seuerini Binii qui notat mendose irrepsisse apud Surium die 4. Ianuarii, nomen Adriani, pro Gregorio 2. sicut & Nicolaus Serrarius, qui in notis ad epist. 142. sancti Bonifacii similiter citat nomine Gregorii 2.

Simul cum alio Episcopatu.] Videlicet Treuirensi, vt probatur ex epist. 6. Hincmari cap. 19. inter eas quæ prælo excusæ sunt. & ex præfatione eiusdem Hincmari in vitam S. Remigii, in qua ait, quod Milo, de quo sermo est, Episcopia Remorum ac Treuirorum vsurpans in simul, per quadraginta circiter annos pessum dederit.

Cap. XIV.

DEcessit (S. Rigobertus) pridie nonas Ianuarii.] Additum est in vno exemplari in margine: Anno incarnationis Dominicæ circiter septingentesimo septuagesimo tertio. Quæ verba ms. c. j. non habent; etsi habeantur in vita apud Surium, ex qua sumpta sunt pleraque, quæ in hac historia de eo hactenus relata sunt. Additur quoque in vita, ad maiorem temporis certitudinem, indictione octaua eum obiisse. Extat apud Surium die 4. Ianuar. Quo die eius legitur memoria in Romano Martyrologio, tam Petri Galesinii quam Baronii. Eodem quoque die à Molano additus est Vsuardo. Scribit ibidem Baronius in notis, eum peruenisse vsque ad tempora Hadriani Papæ; qui, inquit, ipso defuncto, reiecto Milone, in locum eius subrogauit Turpinũ, vt eius acta testantur: quod conforme est illis quæ de anno obitus ipsius dicta sũt. Nam Hadrianus sedere cœpit anno 772. Meminit eiusdem Sigebertus in chronico anno 723. quo eum dicit ab Episcopatu depositum seu eiectum. Quæ si vera sunt, oporter eum annis 50. exulasse. Verũ Franciscus Haræus in vitis Sanctorum à se editis ponit eũ obiisse circa annũ 733. hac apposita adnotatione post vitam ipsius: Ponebatur obiisse anno Christi 773. Sed omnino error videtur esse in numeris. Nempe Martellus Princeps, quem ille Episcopus puerum baptismate abluit, obiit quinquagenarius anno salutis 741. sicque debuisset S. Rigobertus Episcopatum gessisse integris octoginta annis. Sigebertus quoque Historicus refert eum anno 13. illius seculi à Martello Episcopatu pulsum. Adde quod solum memoretur vixisse sub his tribus Regibus, Childeberto, Dagoberto, & Chilperico, quorum postremus certe in viuis esse desiit anno 727. Itaque suspicor pridem pro 13. substitutum 73 vt anno 33 illius seculi, non 73 S. Rigobertus mortem obierit. Hæc Haræus satis probabiliter.

Cap. XV.

IN pagum Veromandensem, ad villam Nimmemicum]] Memnicum. In hoc tractatu Veromandensi insignis est ciuitas S. Quintini, non procul à Cameraco.

Hæc pretiosa illuc delata membra.] ms. j. munera, quomodo & c. vertit in Gallico, sed alia lectio melior est, quam paulo post habent omnia exemplaria.

Nec longum post hæc.] &c. Hæc est quarta translatio S. Rigoberti, facta ab Heriueo Archiepiscopo, de qua infra lib. 4. c. 13.

Cap. XVI.

Q*Vamuis eum quidam Corepiscopum tantum fuisse tradant.*) Alias Coëpiscopum. Sed vera lectio est Corepiscopum, seu vt melius scribitur, Chorepiscopum. Dicti sunt enim Chorepiscopi à χώρα, quæ vox Græcis regionem vel agrum significat, quasi certarum regiuncularum in qualibet diœcesi speculatores. Quod officium in eos qui Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani rurales, & Decani Christianitatis hodie vocantur maxime competere videtur. Hincmarus infra lib. 3. c. 22. vicarium Episcopũ à vico idem nomen interpretatur. Vnde & Gallice Nicolaus Chesneau interpretatur hoc loco, & infra, *Doyenrural.* In m. scriptum fuit Corepiscopum, sed littera r. recenti manu ab aliquo imperito delata est, ad faciendum coepiscopum. Quod autem Abel vere fuerit Remensis Archiepiscopus sufficienter probat hoc cap. Flodoardus. Eodem facit & illud apud Surium in vita S. Rigoberti Remorum Archiepiscopi. Si enim non connumeretur hic Abel, non nisi quartus erit. Cur autem à quibusdam prætermittatur in catologo Remensium Archiepiscoporum, rationem habemus ex iis quæ citantur ex epistola Adriani hoc cap. quia etsi ibi constitutus sit Episcopus, tamen ibi permanere permissus non fuit, ideoque rediit Lobium celebre in Belgio monasterium, vbi ad infidelium conuersionem laborasse creditur, adeo vt sancte viuendo & prędicando pertigerit ad æternæ vitæ brauium. Nomen eius sacris martyrologii tabulis Vsuardi adiecit Molanus die 5. Augusti. Quo die agit de eo idem Molanus in natalibus ss. Belgii, asscribens ei titulum Remensis Archiepiscopi, & in suis martyrologiis Petrus Galesinius, & Arnoldus Vvion. Item Trithemius lib. 3. de viris illust. ord. S. Benedicti cap. 298. & lib. 4. cap 118. Quo loco scribit festum eius agi nono calendas Octobris. Fuit natione Scotus.

Grimonem in ciuitate qua dicitur Rodomus.] m. & aliud exemplar Rodomis, pro quo, & j. substituerũt Rothouagus, eiusdem ciuitatis nomen, quæ etiam Rodoma dicitur. Vide annotat. Nicolai Serrarii ad epistolam 143. S. Bonifacii. Sed non probo vt pro veteribus noua nomina, quamuis notiora, reponantur, quia hac ratione perit notitia antiquitatis. Sic & infra lib. 4. c. 51. omnia exemplaria legũt, Rodomi, nisi quod ibi c. vitiose legit Rodonti, & vtrobique Gallice vertitur *Rouen.* Vtitur ea appellatione Sigebertus anno 751. Remigius, inquit, Pippini regis frater Rodomensis Archiepiscopus in Gallia claret. Est autem hic Grimo 27. Rothomagensis Archiepiscopus in tabulis Democharis, Roberto subrogatus anno 733.

Tertium denique Hartbertum in ciuitate qua dicitur Semnis.) Sic c. & j. At ms. Hartbertum. In tomis conciliorum Artbertus, in tabulis Democh. Otbertus siue Ochibertus Cardinalis anno 762. estque numero 36. Porro ex his quæ hic citantur ex duabus Zachariæ epistolis non pauca poterunt restitui in tomis epist. decretalium, & tom. 3. Concil.

Cap. XVII.

D*E Tilpino Episc.*] Ita constanter omnia exemplaria. Alii auctores vocant absolute Turpinum, aut Ioannem Turpinum. Exstat eius nomine historia de vita Caroli Magni & Rolandi, tametsi Papirius Massonus lib. 2. Annalium Francorum existimet non esse ipsius, sed hominis otiosi, qui fabulas illas post Caroli Calui imperium descripsit in gratiam iuuentutis. Idem recte docet Antonius Posseuinus in Apparatu sacro, in Tilpino.

De ordinatione Episcopi nomine Lul, sancta Moguntina Ecclesia.) Sic omnia vetera exemplaria, pro quo s. & j. Lulli substituerunt. Sed in tomis Conciliorum sæpe Lul appellatur, ac nominatim epistola 12. Zachariæ Papæ, sicuti & in epistolis S. Bonifacii. Fuit hic B. Lullus s. Bonifacii martyris successor, & 2. Archiepisc. Moguntinus.

Nemlsacum in pago Vrsinse.] c. Vrsince, j. Vrcinse.

Cap. XVIII.

M*Issus dominicus ad recta iudicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutus.*] Missus id est legatus. Frequens est missorum mentio in capitulis Caroli Magni & Ludouici Pii: quorum officium hoc c. describitur. Misso autem dominico fere addebatur comes, vt patet ex lib. 2. Capitulorum 25. Quod nomẽ officii erat, non dignitatis aut sublimitatis vt hodie. De Missis dominicis lib. 1. capitulo 127. lib. 2. cap. 11. 16. 17 19. 25. 26 27. 28. lib 3. cap 17. 18 33. &c. de Comitibus lib. 2. cap 6 9. 10. 12. 18 23. 24. 25. 26. 28. 32. &c. De his & Petrus Pithœus in glossario Capitulorum verbo Missi dominici, Florentinus Vander Haer in Castellanis Insulensibus, & Petrus Louuet in hist. Bellouacensi lib. 3. c. 9.

In his quoque pagis Delemense scilicet,] &c. Sic omnia hæc nomina per e legunt ms. quomodo olim frequenter loquebatur, quod seruari placuit, c. j. Dolomensi, Vongensi, &c per i.

Vt bonos & idoneos Vicedomnos & aduocatos haberent j. Sic m. cetera Vicedominos. De his Vicedomnis & aduocatis est Capitulum 21. lib. 3. Capitulorum, vbi similiter legitur vicedomnis. Nam si tunc pro dominus, domnus dicebatur, conformiter vicedomnum dicebant, & scribebant.

Hic Synodum inuenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCXIV. in ecclesia Nouimensi.) Hæc synodus deest in tomis Conciliorum Sed tom. 3. habetur Concilium Remense primum sub eodem Vulfario & Carolo Magno celebratum anno præcedenti 813. mense Maio, quod habet Capitula seu Canones 44. Cuius auctor noster mox infra meminit, dicens in eo constituta fuisse capitula xliv. sed facile fieri potuit, vt vnum in duo diuideretur.

Congregatis secum Coepiscopis suis Hildoardo, Ermenone, Iesse, Ragumberto, Grimbaldo, Rothardo, Vvendilmaro, Ostrealdo.] j. scribit Hildoaldo. Erat hic Episcopus Cameracensis, Ermeno Silnanectensis, qui in tabulis Democharis vocatur Herminius. Iesse Ambianensis, Ragumbertus, vel vt c. j. Ragimbertus, Bellouacensis, cui successit sanctus Hildemannus, de quo infra c. 20. qui obiit anno 848. die 8. Decembris. Grimboldus Morinensis, qui alias Grimbaldus & Erembaldus. Rothardus Suessionensis, qui infra cap. 10. & lib. 3 semper Rotbadus nominatur in omnibus fere exemplaribus, quæ hic variant. In tomis Concil. & tom. 3. Bibliothecæ Patrum 2. editionis fere Rotbaldus legitur. Vvendilmarus erat Episcopus Nouiomensis, Ostroaldus Laudunensis.

Adalhardo,] c j. Adalardo.

Fulrado, Eriebo.] sic c. & j. Alia Folrado, Eriono. Paulo post, pro Otnero, c. j. legit Otbero.

Id est Varina, Vrbecampus, Trapsarus, Ierusalem. Harbaudianisua, siue ecclesia S. Leodegarii.] sic exemplaria, nisi quod in ms. fit Vatinne, & postremum in duo diuidat, legens: Haer, Haudianisna. Quæ Nicolaus Ches. gallice vertit: *Varesnis, Vrcamp, Trapi, Hierusalem, Herbaudia vissa.*

De annona modii M. D. CCCC. LXXV.] sic j. sed ms.

prætermittit Vocem modii, vt dubium sit an illud M. D. non sit modii, vt paulo post in ms. scribitur md j. lijo. vini hoc est modii mille quinquaginta duo vini.

Cap. XIX.

H*Vius Præsulis hortatu Alegarius Cameracensis Episcopus sex libellos de Remediis peccatorum, & ordine vel iudicio pœnitentiæ conscripsit.*] Exstant hi lib. tom 5. antiquæ lectionis, editi per Henricum Canisium, præfixis quoque his duabus, quæ hic referuntur, epistolis. Ex hoc autem loco auctoris probatur, sextum quoque librum, quem seorsim ponit Canisius, ipsius esse Halitgarii, seu vt legit chronicon Cameracense lib. 1. cap. 38. Halitcharii. Hi libri merito recenseri debent inter primos casuistas. Fuisse tamen & alios, qui ante ætatem Halitgarii de eodem argumento scripserunt, ex ipsa hac Ebonis constat epistola: vt est Pœnitentiale Ro[illegible]n. & Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, de [illegible] in chronicis sub Dagoberto. Item liber ip[illegible] de Remediis peccatorum. Præterea Otli[illegible]iartonis Episcopi Basileensis, deinde Theo[illegible] Aurelianensis, Rabani, &c. quorum meminit [illegible]us in argumento libri Tertulliani de pœniten[illegible] Iacobus Pamelius adnotatione 1. ad eundem li[illegible]. Patet autem ex hoc Halitgarii opere, adhuc tum temporis pœnitentias imponi solere secundum exigentiam canonum.

[illegible] cum diu orassent.] ms. Deum orassent. Sed alia lectio, quæ ceterorum est exemplarium, merito præferenda est, quæ congruit cum Thegano in opere de gestis Ludouici Pii cap. 16. ex quo verisimile est Flodoardum accepisse, cum iisdem etiam verbis vtatur. Contigit autem tam bellum contra Sclauos, quam ipsius Ludouici in imperatorem coronatio anno 816. vt patet ex eodem Thegano, & Baronio.

Apostolica reperimur munia contulisse.] sic omnia exemplaria. Legendum forte quis arbitratur Imperialia, pro Apostolica, vt in 5. diplomate huius capitis: Imperialia sumpsimus insignia. Sed vera lectio est Apostolica munia, hoc est quæ à sede Apostolica conferri solent. Eius enim est Imperatorem coronare. Quæ lectio probatur ex cap. 10. lib. 3. vbi refertur, quod hic citatur ex Lotharii Imp. epistola.

Et Lotharius adduxit secum patrem ad Compendium palatium, vbi eum afflixit cum Episcopis.] Exstat tom. 3. concilium apud Compendium, in quo Ludouicus Imp. deponitur anno 833.

Moderamni Redonensis Episcopi.] sic recte, & 1. & omnia exemplaria cap. 20. lib. 1. Gallice vertitur *de Renes.* Est autem sub Archiepiscopatu Turonensi. Cetera exemplaria, Rothomagensis Archiepiscopi, hic legebant. Quod ex eo verisimiliter accidit, quod pro Redonensis aliquis scripserit, Rodomensis, pro quo alius scripsit Rothomagensis. Nam Rothomagus alio nomine Rodoma & Rodomus dicitur, vt supra ad cap. 56. probauimus. Adde quod in catalogo Rothomagensium Archiepiscoporum apud Democharem nullus inueniatur Moderamnus.

Cap. XX.

R*Equirente postmodum Papa Nicolao ab Episcopis Galliæ, maximeque Belgicæ prouinciæ, hæc inter alia in responsis accepit.*] Non exstat saltem plene, Episcoporum Galliæ epistola ad Nicolaum primum, ex quo hæc omnia auctor delibauit. Nam hæc eum ex aliis recitare patet dum post multa narrata addit: Item post pauca Rursus: Item post aliquantula.

Aiulfum videlicet Archiepiscopum, & Badaraldum Episcopum.] Aiulfum legunt r. m. & i. ex quo s. fecit Anulfum c. Arnulfum. Badaradum legunt c. & r. quomodo & infra legitur hoc eodem capite, satis conformiter ab omnibus, nisi quod ms. habeat Baradus. Similiter & synodus Suessionensis, de qua sub finem huius capitis, legit Badaradum & Aiulfum. ms. & r. hoc loco Hadaradum legebant.

Quos secundum Africæ prouinciæ Canones elegerat sibi iudices.] Concilium Africanum, quod aliquoties hoc cap. citatur, illud esse videtur quod exstat tom 1. concil. habitum sub Pontificibus Bonifacio & Cœlestino. Sunt autem canones diuersorum conciliorum Africanæ prouinciæ numero 105. Quod hic citatur habetur cap. 63. quod nominatim citat Hincmarus in concil. suessionensi de quo lib. 3. cap 11. sed quæ infra citantur ex cap. 59. & 74 in illo concilio, prout nunc exstat, non leguntur.

Theodericum scilicet Episcopum.] Hic erat Episcopus Cameracensis, vt constat ex chronico Cameracensi libro 1. cap. 41.

Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi octingentesimo tricesimo quinto, anno etiam imperii gloriosi Cæsaris Ludouici 21.] sic c. sed r. ms. & i 23. non recte. Nam cum regnare cœperit initio anni 815 annus 835. est Imperii eius 21. vt consentit Sigebertus in chronico.

Harigarius Episcopus.] sic r. c. & i. at ms. & aliud exemplar Harogarius.

Rambertus Episcopus.] M. Hranbertus, s. Hrambertus.

Haimium Episcopus.] sic r. i. & c. Gallico. ms Hamus, c. Lat. Hamius.

Constitutioni præfatæ, quæ Suessionis habita est contradixit Synodus.] r. ms. contradicit. Huius synodi tacite facta est mentio initio huius capitis.

A quo in regione Saxoniæ quoddam Episcopium promeruit.] &c. Factus enim Episcopus Hildesemensis, ordine quartus, in quo 12. annis permansit, vt scribit Albertus Krantzius lib. 1. metrop. c. 30. Quo eum satis consentit, quod à Flodoardo lib. 3. c. 2. superuixisse scribatur vsque ad annum 851.

SCHOLIA IN LIBRVM III.

Cap. I.

A*Nno denique Dominicæ incarnationis DCCC.XLV. Karolus Synodum episcoporum regni sui apud Bellonagum.*] sic omnia vetera exemplaria, quomodo etiam ter quaterve legitur in Atrebatensi Breuiario die 15 Iulii. Id s. & i. mutauerunt in nomen hoc seculo vsitatius Bellouacum. Baronius tom. 10. ad dictum hunc annum ex nostro hoc Flodoardo Gallice edito, totum hoc caput primum inseruit suis annalibus in Latinum conuersum, & ex eo Binios tom. 3. conciliorum.

Archiepiscopo Sennensis ecclesiæ Venilone.] sic omnia antiqua exemplaria, quod rursus s. & i. mutauerunt vbique in senonensis, quomodo etiam hic correxit aliquis in m. cum prius legeretur sennensis, quomodo & constanter legitur infra c. 20. & 21. Idemque factum est infra cap. 21. Nam & ibi in m. legebatur cum Vvenilone sennensi, Eodem modo legit chronicon Cameracense lib. 1. cap. 43. cum Venelone sennensi. Infra cap. 50. omnia exemplaria Egilonem vocant, cap. 12. Vvanilonem. In hist. Tilpino inscripta Ganelo vocatur. Sic & manuscript. exemplar historiæ scholasticæ Petri Trecensis, quod est in bibliotheca cathedralis Ecclesiæ sancti Audomari legit Vvilhelmo sennensi, vbi in excusis est senonensi. Accedit & vox Gallica *Sens.* Et in manuscripto catalogo Episcoporum totius orbis, quem penes me habeo, lego Archiepiscopatum siennensem. Denique Zacharias Papa in epist. ad sanctum Bonifacium, quæ est inter epist. Bonifacii 143. de hac loquens ait: Tertium denique Hardthbertum in ciuitate quæ dicitur seunis. Quo loco in-

telligi vrbem Senonensem recte suspicatur Serrarius, & patet ex nostro Flodoardo supra lib. 2. cap. 16. Denique Sennensis perpetuo legitur in epist. Nicolai primi ad Carolum regem & ad Egilonem, quas edidit vna cum Hincmari ep. Ioan. Cordesius.

Cap. II.

QVæ toto hoc cap. habentur de synodo Parisiensi in causa Ebonis habita, ea similiter ex Gallico conuersa in Latinum habet Baronius anno 847. & ex eo Binius tom. 3. concil.

Cap. III.

ET impetrent pro nobis offerri sacras oblationes.] sic c. 1. alias impetrent. m. intreot pro nobis offerre. Sed prima lectio videtur melior. Hinc autem docemur viuorum suffragia prodesse defunctis.

Cap. IV.

ATque pusillis pumilis,] Incertum est an propria sint nomina, an appellatiua, quod verius videtur. Vnde Gallice vertitur: *le petit nain*, id est paruus nanus.

Sciat secunda digna memoria aui, & pia recordationis genitoris nostri Capitula se emendaturum,] Loca capitolorum Caroli Magni & Ludouici Pii in margine notauimus. De eodem argumento Pithœus in glossario verbo Nonæ & decimæ citat canonem 42. syo. Moguot. 46. Turonensis, & 62. Meldensis.

Possunt praebere consultum,] sic c. & 1. Quomodo omnia legunt supra lib. 2. cap. 19. in litteris Ludouici Imperatoris. Alias consilium, vt ms. hoc loco. Vtitur eadem voce Nicolaus Papa 1. epist. 32. Audiuimus, inquit, Lotharium à sede Apostolica petitum non expectasse consultum. Sic & in Rorhaldi appellatione ad sedem Apostolicam: Absque meo consensu, seu consultu. Et chronicon Cameracense lib. 3 c. 63. Vt eum à consultu pontificis longe faceret. Quibus locis consultus significat consultationem, vel consilium. Vtitur eadem voce Fulbertus episc. Carnotensis epist. 39.

Cap. V.

HViusmodi regia benignitatis fultus auctoritatibus,] sic omnia exemplaria, pro quo s. substituit fretus. Sensus est cum haberet huiusmodi auctoritates, hoc est, edicta seu diplomata.

Librum quoque Sacramentorum, sed & Lectionarium, quos scribi fecit, ebore, argentoque decorauit,] Liber Sacramentorum veteribus, ac nominatim B. Gregorio, est quem nos librum Missalem, vel in neutro genere, Missale dicimus. Lectionarius qui lectiones cuiusq; diei continebat. Similia leguntur infra cap. 9. data ab eodem Hincmaro Ecclesiæ sancti Remigii.

Cap. VI.

PReparansque candelarum munuscula,] Hæc vera est lectio: sed m. candelabrum munuscula, ea quo fecit s. & 1. Candelabrum & munuscula. Ea hoc autem discimus fuisse etiam illo tempore vsitatam fidelium deuotionem, quam etiamnum cernimus, vt sanctis luminaria accenderent.

Cap. VII.

VElum vero quoddam oppansum ibidem videbatur,] sic m, & 1, sed c. i. appensum, s, oppensum.

A

Cap. VIII.

SCamnis tapetia reddit,] Hoc est reponit. Sic omnia exemplaria, præter ms. quod habet: sancta tapetia reddidit. Ex iis autem quæ hic referuntur discimus ornamenta Ecclesiæ non esse applicanda ad vsus prophanos.

Cap. IX.

VErsibus etiam auro inclytis prætitulauit,] sic ms. At 1. inlitis, c. inditis.

Cap. X.

QVomodo quotidianum pallii vsum nulli vnquam Archiepiscopo se concessisse,] De auctoritate & vsu pallii est titulus 8. lib. 1. decretalium. Baronius in

B

10. duobus locis, videlicet 849. & 852. scribit Nicolaum Papam negare, fuisse concessum Hincmaro pallium ad vsum quotidianum à Leone Papa, vt, inquit, suo loco dicetur. Verum in gestis Nicolai Papæ id nusquam ostendit falsum fuisse, etsi de aliis Hincmarum redarguat.

Commendasse reperitur Episcopis atque Legatis,] Sic ms. At c. i. epistolis. Prior lectio magis placet, quia de epistolis mox infra sequitur.

Cap. XI.

DE Synodo comprouinciali apud Suessonicam vrbem habita,] Extat tom. 3. conciliorum parte prima celebrata anno 853. tempore Leonis 4. sed vt hic notatur (& infra fatetur auctor noster hoc eodem cap.) reprobata à Nicolao Papa 1. Ea istius synodi actica quæ hic scribit auctor desumpsit, pleramque etiam verba ipsa mutuatus. Quod à Nicolao Papa retractata sit & reprehensa, quoad depositionem illorum clericorum, qui ab Ebone ordinati fuerant (quamuis subreptitie eiusdem synodi approbationem à Benedicto Papa, & ab ipso Nicolao iam ante Hincmarus obtinuerit, vt ostedit epistola Nicolai 52. & 53 inter eas quæ sunt in appendice epistolarum eius, quod fatetur etiam ipse Baronius tom. 10 anno 863 vbi eandem intexit epistolam) quod inquam à Nicolao Papa reprobata sit, patet ex epistola 46 & 47 eiusdem, & in appendice epistola 13 & 15. qui aliam iussit congregari synodum in eadem ciuitate Suessionensi super eadem difficultate, quæ dictos clericos restituendos esse decreuit. Hæc habita est anno 866

C

Amalrico Turonensi,] Ita c. i tom. concilior. & chron. Cameracense, ms. Almarico & infra Almaricum, & similiter bis cap. 21. Plena dictio est Amalaricus, regis Vvisegothorum nomen. Item m. Turonense, Cathalaunense, Nouiomagense, & ita de cæteris omnibus

D

per e, nisi quod legat Sennensi, pro quo mutarum est: Senonensi, & Cameracensi. Verum hoc loco retinuimus vsitatiorem declinationem secuti alia exemplaria, & prout legitur in tomis conciliorum, vt pronuncietur ablatiuus per i.

Huberto Meldensi,] Ita c. i. sicut & tabulæ Democharis. At chron. Hucberto vt in tom. concil. quomodo etiam nomen Leodicensis Episcopi in manuscriptis codicibus Sigeberti perpetuo legitur.

Iona Augustudunensi,] m Augustiduonense, pro quo s. i. Augustodunensi, quod nunc vsitatius.

Godelsado Cauilonensi,] Sic omnia antiqua exemplaria, s. & i. substituerunt nomen recentius Cabilonensi.

Hildebranno Sagiensi,] m. Sagense, i. Sagensi, quomodo & in tomis concil. hic legitur. At in subscriptione concilii Tullensis & a Suessionensis Hildebrandus

Sagiensis. Similiter in tabulis Democharis inter Episcopos Sagienses nono loco ponitur sanctus Hildebrandus. Oppidum Sagium appellatur & Saium, Gal. *Seez* in Normandia.

Rigboldo Remorum Chorepiscopo,] Sic e. & tomi concil. vbi vocatur Rigbaldus, pro quo non recte Coepiscopo legunt ms. & j.

Lupo Abbate monasterii, quod dicitur Ferrarium.] Sic omnia exemplaria. In tom. concil. Lupo abbate monasterii Bethleem, quod Ferrarias dicitur. Vtroque enim vocabatur nomine. Huius Lupi abbatis exstat liber epistolarum.

Herico,) m. & aliud exemplar Herrico, s. l. Herico, tom. concil. Erico.

Hairechaldus,) Sic ms. al. Haitoldus, vt e. i. In tom. concil. Harouualdus.

Nomine Halduino.) Ita r. e. & tom. concil. Sed ms. Balduino, tametsi m. infra Halduinum legit, pro quo male correctum Balduinum, 1. Harduino vtrobique.

Post ista denique Concilii Praesules, Apostolicae sedis obedientes praeceptis, &c. huiusmodi praeferre epistolam,) Haec epistola, cuius summaria capita tantummodo hic inseruntur, est synodica epistola concilii Trecensis, de quo iusta cap. 17. quod celebratum est ab iisdem Episcopis anno sequenti, videlicet 867. à quibus celebratum erat Suessionense anno 866. vt ipse titulus indicat, destinata quidem ad Nicolaum, sed teddita eius successori Hadriano 2. Exstat tom. 3. concil. in fin. primae partis, vbi praecedit & alia epist. eorundem Episcoporum ex concilio Suessionensi scripta anno superiori, cuius paulo superius auctor noster meminit. Hac autem 2. epistola plene satisfaciunt iis quae Nicolaus Papa epistola 46. ipsis iniunxerat. Inscriptio paulo plenior est in tomis conciliorum: & in opusculis Hincmari nuper editis per Ioannem Lemouicensis Ecclesiae canonicum. Reuerendissimo & sanctissimo domino Patri, ac vniuersali Papae Nicolao, Episcopi qui praeterito anno per gratiam Dei, & decretum vestrum apud Suessonicam vrbem cum aliis qui tunc nequiuerunt adesse, 8. Cal. Nouembris, prima indictione apud Trecas conuenimus.) Praeter litteras synodales ex concil. 2. Suessionensi dedit & priuatam epist. Hincmarus ad Nicolaum Papam, qua se excusat, quod non statim Clericos illos restituerit. Exstat apud Baronium dicto anno 866. post epistolam synodalem. Vtraque missa est per Egilonem Archiepiscopum Senonensem. Vt autem epist. synodica Trecensis tota huic cap. non inseritur, sic ex iis quae habet Flodoardus potuerunt aliquot locis suppleri ea quae desunt in tom. conciliorum, & apud Cordesium.

In suis ordinibus restituere maturassemus.) Sic quidem a. & i. sed errore hic positum, cum vera lectio sit, quā habent m. &c. maturaremus. Ita enim est in tom. concil. ita in eadem epistola edita per Cordesium, & in epistola Hincmari ad Nicolaum Papam, quae est 2. inter eas quas Cordesius edidit, & in epistola 2. concil. Suess. ad eundem Nicolaum.

Scripta quoque, quae hinc à vestra auctoritate directa,) Sic. e. i. Consentit lectio quae est 10 tom. concil. nisi quod pro hinc legat huc. At hinc accipi potest, non vt aduerbium loci, sed quae hinc, id est, de hac re. ms. quae hinc à nostra auctoritate. Sed priorem lectionem requirunt ea quae praecedunt & sequuntur.

Cap. XII.

Canonicam in e. m. dictum Balduinum & Iudith, secundum edicta B. Gregorii, ab Episcopis de regni sui sententiam fecit,) id est curauit eos excommunicari, Respicitur autem, vt apparet, ad decretum 10. & 11. Gregorii 2. in synodo Romana cap. Si quis virginem, 36. q. 2. quo cap. raptores virginum & viduarum excommunicari iubentur.

Et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donauit,) Hic Balduinus cognomento Ferreus, primus dicitur creatus Comes Flandriae seu Comes regni à Carolo Caluo, patre ipsius Iudith. Videatur Iacobus Meyerus in Annalibus Fland. anno 863. Inter epistolas Nicolai haec sunt de causa Balduini 10. 21. 30. 31. & 32. quae omnes fere sunt ad ipsum Carolum regem vt Balduino parcat. 21. est ad Hermentrudem reginam. Ex quae sunt ad Hincmarum, quarum meminit hoc cap. non exstant.

Cap. XIII.

De causa Rothadi Suessionici episcopi depositi,) Depositus fuit hic Rotbadus, siue, vt est plerumque in to. conciliorum, & bibliotheca Patrum) Rothaldus, auctore Hincmaro congregatis aliquot Episcopis in synodo Siluanectensi anno 863. mense Iunio. Qui illo in monasterium detruso, alium substituerunt, non obstante appellatione ad sedem Apostolicam, à qua postea fuit restitutus cum nulli contra eum accusatores Romae comparerent. Nec ipse Odo Belloüacensis Episcopus, qui ab hac synodo Romam missus fuerat, eum accusaret. De quibus omnibus late videre est epistolam 28. Nicolai Papae primi, & sequentes vsque ad 44 Quae sexdecim epistolae exstant quoque tom 3 bibliothecae Patrum 2. editionis. Et certe Hincmarus in sua epistola apologetica, quae toto hoc capite continetur, scribit se mittere vicarios suos, non vt accusatores ad confligendum sed vt à Rothado, atque à vicinis accusatus, ad innuendum, quod non in contemptum sedis Apostolicae, appellantem Rothadum secundum Sardicenses Canones sedem Apostolicam: sed eum qui ad electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses & Africanos canones, ac decreta beati Gregorii, regulariter iudicauimus, Sic ille. Verum id negat Rothadus in sua appellatione, quae exstat post epist. 37. Nicolai Papae, atque in eo videtur praecipua controuersia huius causae consistere. Exstat totum hoc caput apud Baron. to. 10. anno 861 sed ex vnico exemplari, eoque vt fatetur Baronius, non sine mendis.

Quidam episcoporum regni Lotharii, zelo amaee contra mos ducti, quia illorum consiliis de Vualdrada non adquiescimus,) Lotharius rex, filius Lotharii Imp. repudiata legitima vxore Theutberga, hanc Vualdradam concubinam sibi in matrimonium asseruerat, qua de re multae quoque exstant Nicolai Papae epistolae, & Hincmari prolixum opusculum de diuortio Lotharii & Tetbergae reginae.

Et ideo vt se concrederet, locarium ei promittere,] Sic e. & 1. Dicitur autem locarium à loco, vbi locare, id est collocare te possis. Significat, teste Varrone, pretium quod datur in stabulo & taberna. Vnde Gallice vertitur *Moyens de viure*, ms. & aliud exemplar legunt iocarium, quod idem significare potest quod iocale, Gall. *Ioyaux*: sed huic loco non congruit: prior autem lectio & significatio probatur ex iis quae non multo ante praecedunt.

Et itineris longitudine atque insoliditate obstrictus,) Iter insolidum vocat, non tutum, Gallice *mal seur*. Quaedam exemplaria duo verba faciunt in soliditate, sed non recte.

Nisi quamdiu electo sine vllo crimine ab ea suo Pontifice,) Scilicet Rigoberto, de quo supra lib. 2. cap. 12. Quae dicto alia manu super lineas in m. posita est eamque s & j. in textum retulerunt.

Quod furatus sit res & thesaurum ecclesiae,) Sic e. quae vera videtur lectio. Reliqua. fraudatus.

Cap. XIV.

Ad conciabulum nuper Metis habitum, quod vocari Synodum vetuisti.] Exstat tom.3. Concil. in fine primæ partis, habitum anno 863. mense Iunio, in causa repudii Theutpergæ reginæ à Lothario rege facti. Damnauit illud Nicolaus I. in Concilio 3. Romano sub ipso habito eodem anno.

Tandem in Moguntina ciuitate habita Synodo, Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis.] &c. Hæc est 2. synodus Moguntina sub Rabano anno Domini 848. tempore Leonis Papæ 4. de quo eodem anno Baronius, sed ex his Flodoardi scriptis ex Gallica lingua solum translatis.

Postea autem à Belgica Remorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus,] Videlicet in synodo Valentina anno 855. ab Episcopis trium prouinciarum, quæ exstat tom.3 Concil. parte 1. & in synodo Tullensi in suburbio illius vrbis, villa Saponarias dicta, ab Episcopis 12. prouinciarum anno Domini 859. quæ ibidem non integre exstat. Videatur Baronius hoc anno in Annalibus. Vtriusque infra meminit auctor capite 16.

Qua contra catholicam fidem ex veteri hæresi Prædestinatiana, &c. dicere videbatur,] Recte dicit videatur, quia quædam ex his bene intellecta fidei non aduersantur: vt quod secundo loco adfertur, distinguendo de voluntate Dei beneplaciti & signi. Item tertio loco, quod Christus pro omnibus sit mortuus & crucifixus sufficienter, quia pretium fuit sufficiens quod dedit: sed non pro omnibus efficienter, quia non omnibus applicatur. In quem sensum respondit olim S. Prosper ad capitula Gallorum, & obiectiones Vincentianas. Quod primo loco adfert Hincmarus his verbis: *Dicit* (nimirum Gothescalcus) *quod & veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauit ad mortem æternam.* Hoc impie abus, & à Gothescalco dictum, quia dicebant fatali necessitate ex prædestinatione Dei eos ad peccata, deinde in mortem compelli, vt constat ex obiectione prima in Capitulis Gallorum, & can. vlt. 2. concil. Arausicani, & cap.3. concil. Valentini, in quo, citato eodem concil. Arausicano, sic dicitur: Verum aliquos ad malum prædestinatos esse diuina potestate, videlicet vt quasi aliud esse non possent, non solum non credimus, sed etiam si sint qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus. Legant autem, & apud se perpendant caput sextum eiusdem concilii Valentini, qui huiusmodi quæstiones hoc seculo suscitarunt. Ceterum de hæresi Prædestinariana apud veteres rara est mentio sub illo nomine, & recentiores scribentes de hæresibus solum illud adferunt, quod Sigebertus in chronico anno 415. his verbis: Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere: qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione & diuina gratia disputantes, asserebant, quod nec pie viuentibus prosit bonorũ operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obsit quod improbe viuant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio & bonos à bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat. Hæc ille.

Quod Prædestinatiani veteres non dixerunt, iste vt audacius, ita & perniciosius docet, Deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse) Id quidem minus recte, & improprie dicitur, cum trium personarum in sacra Trinitate non sit nisi vna numero deitas. Sed eo sensu dici potest trina deitas, quia est in tribus personis. Vnde in ecclesia Romana trecẽtis & quinquaginta circiter annis decãtatus est ille S. Thomæ hymnus de V. sacramento in quo dicitur: Te trina Deitas, vnaq; poscimus. Cumque de eo mutando ageretur in postrema correctione Romani Breuiarii sub Clemente VIII. vt à viris doctis accepi, propter auctoritatem tamen tanti Doctoris, nihil est mutatum. Sic apud Chrysost to.3. homil. de S. Ioane baptista (quæ quidem ipsius non est, sed incerti auctoris legitur, quod in Patre, Filio, & Sp. S. est triplex & vna diuinitas Vbi triplex pro trina ponitur, sicut & in hymno Prudẽt de cereo paschali, cum ait de Deo: Regnum cõtinuat numine triplici. Nam Deus non recte triplex dicitur, sed trinus, vt docent Scholastici doctores in I. librum sententiarum dist. 9.

Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit, &c Sic omnia exemplaria, estq; hæc vera lectio, ideoq; in m. male correctum, dictorũ, quod secutus est s. Est autem sensus: Doctorum suorum, id est eorum qui eũ docent & instruunt, doctor videri appetit, quos conuincere nititur de eo quod contra scripsit, & propriam doctrinam doceant.

Cap. XV.

Ceterum capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostris, trium scilicet prouinciarum, sicut ibidem continetur.] &c. Loquitur de concilio Valentino, vt patet ex sequentib. cui interfuerunt in vniuersum 13. aut 14 Episcopi, & inter eos tres Metropolitani, Remigius Lugdunensis, Egilmarus Viennensis, & Rodlandus Arelatensis, quorum tantũ nomina initio exprimũtur, cum nomine Elbonis Gratianopolitani Episcopi In quo concilio capite 4. illa habentur quæ contra se dicta esse hic asserit. Hincmarus agnoscit, tam de quatuor quam de 19. capitulis à se collectis.

In Africana & Arausica synodo,] Hæc est 2. synodus Arausicana, quæ etiam hodie exstat. In Africana a de hac re concilia celebrata sunt, duo Carthagini, vnum Mileui in Numidia, vt patet ex epist. 47. S. A[illegible], vbi vnũ vocat plenarium totius Africæ conciliũ quod dolendum est non exstare, sed eius quædam fragmenta citat Prosper in respons. ad capitula Gallorum cap. 8. & lib. contra Collatorem, cap. 10.

Veluti epistola Capitulorum exstitit, quam venerabilis Ibas Episcopus suam esse in synodo denegauit,] Hic est Ibas Edessenæ ecclesiæ Episcopus, de quo in conciliis, cum potius iudiciis ecclesiasticis Tyrio & Berirbensi, & in concil. Chalcedonensi actione 10. Item Baron. anno 448. qui epistolam quidem ipsius esse ait, sed negauit Ibas se dixisse hæc aut similia verba: Nõ inuideo Christo facto Deo, si voluero & ipse fieri possum. Et de eo crimine, audita testificatione clericorum Edessenæ ecclesiæ, fuit absolutus.

Tempore diuæ memoriæ Caroli Imperatoris, quando [illegible] modus pro cognita infidelitate Felicis est habita] ms. infelicitate. Loquitur de Carolo Magno, & Felice Vrgelitano Episcopo. Agunt de eodem Felice eiusque errore Annales Francorum à Pithœo editi anno 792 Sigebertus in chron. 793. Aimoinus lib. 4. c. 83. & 85 Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum, & Paulus Aquilegiensis, qui contra errorem eius librum scripsit qui exstat. tom. 4. bibliothecæ Patrum secundæ editionis. Damnata est eius hæresis in synodo Francofordiensi, quæ exstat. tom 3. concil. ad annum 794.

Et sic tandem subscriptionis illa decem & nouem capitula.) Sic omnia exemplaria nostra, & concil. Valentinum. Quare j. vitiose legit decem & sex.

Cap. XVI.

An quia vobis à cana patrum fide.) Sic e. id est antiqua, vt Gallice vertit Chesnean, & eo accedit ms. quod pro à cana, legit, archana, j. substituit sana. Ita Sinodius Apollinaris carmine 2 Ætas cana patrum, id est prisca ætas, & Isidorus in glossis manuscriptis Cana fides, antiqua senectus. Et ante hos Virg. 1. Æn

Cana

Caoa fides, & Vesta, Remo cum fratre, Quirinus Iura dabunt.

In conuentu Episcoporum habito in territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias,) De hoc concilio adnotaui supra ad cap. 14.

Et in suburbio Lingonica vrbis.) Hæc synod. nō exstat.

Quia non ex ipsis, vt non dicamus p r ipsis, Synodo Capitula ipsa fuere prolata,) Sensus est non fuisse prolata, quasi ab ipsis profecta.

Timeo ne conniuere sit, hoc tacere.) Sic testitui ex orig. ipsius Cœlestini epist. & pro coluhere, l. substituit committere.

In villa Rothomagensis Episcopi quæ Melpsa dicitur, Alias Melpha, vel Anelpha, siue Auelpha, vt in ms. ī. Nelpha.

Cap. XVII.

De *synodo sex prouinciarum Galliæ apud Trecas habita,*) Hæc synodus exstat to 3. conc part. 5 parte autem 2 exstat epistola Adriani 2. responsoria ad hanc synodum, quæ inter ipsius epistolas est 9. Supra vero cap. 11 huius libri posita est bona pars Synodalis epistolæ eiusdem concilii Trecensis.

Per Actardum venerabilem Nannetensem Episcopum,) Sic & in to. concil, ms. hoc loco, & infra aliquoties Aeardum, interdum Accardum, Actardum, & Artardum. Sed prima lectio communior est.

Nicolaus vero Papa gratanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit,) Hæc epistola apologetica Hincmari bene prolixa exstat apud Bar. an 867 sed respons Nicolai non exstat.

Dicentes ipsi Græci, quod chrisma ex aqua fluminis nos Latini efficiamus.) Hoc sic intelligo, quod nos Latini chrisma ex aqua fluminis conficiamus. Vnde in editione Romana ep Decretalium legitur: Quod tamen Chrismnaos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Miror Nicolaum Chesoeau sic transtulisse, quasi Latini esset genitiuus cohærens cum dictione fluminis, addita in margine hac aduotatione: Flumen Latinum est Tybris. Nam & in refutatione decem calumniarū à Græcis obiectarum, quam post eam, quæ hic citatur, Nicolai epistolam apponit Baronius, illud solum dicitur: Quod vtatur ecclesia Occidentalis aqua pro Chrismate, omnium testificatione est manifesta calumnia] Certe non videntur voluisse Græci dicere totam ecclesiam Occidentalem vti aqua Tybris, pro Chrismate, sed fluminis cuiuscumque.

Cap. XVIII.

In *visione Bernoldi vidimus,*) Huic visioni Bernoldi de loco tenebroso & altero lucido similia sunt quæ scribit V. Beda lib. 5. hist. gentis Anglorum c. 5. & Lupoldus Babenburgius de zelo veterum principū Germanitæ c. 14 vbi ex Vincentii speculo, & ex hist. Fraoc. agit de Ludouico Pio Imp. in pœnis detento, petente auxiliū à Ludouico Germanico filio suo. De quo & Sigebertus in chron. an 875.

Quia si inde certamen habuerint, euo de ista pœna ero liberatus.) Id est si certaim hoc egerint, sicut in præcedentibus dicitur: Vt ibi quod rex mandare: de pace stabilire possent, agereque certarent.

Item de passione S. Dionysii à Methodio,) & c Hæc epistola exstat apud Suriū de vitis SS. die 9. Octobris.

Cap. XIX.

De *coniectu Normannis dando.*) Coniectum genus erat tributi à coniicendo dictū, vt patet ex lib. 4. capitulorum c 69 & ex edicto Caroli in Carisiaco anno 861. Vide Glossarium Pithœi, verbo coniectum. Papirius Massonus lib. 2. Annal. Franc. in Ludouico Balbo hæc verba Flodoardi recitans, notat in margine: Coniectus significat annonam

Ad alios quoque ipsius defuncti regis, Ludouicum & Ca- Auct Biblioth. Vet. Pat. Tom. 2.

rolomannum.) Hi sunt filii Ludouici Balbi ex Ausgarde priori coniuge: Ex posteriori, cui nomen Adeleidis, genuit Carolum posthumum, cognomento Simplicem. De illis & infra meminit cap. 24. recensens litteras ad Hugonem Abbatem de eodem negotio. Sigebertus in chron. anno 880. filios ex concubina nominat. Verum eos natos esse ex legitimo matrimonio docet Papir. loco iam citato.

Post obitum Ragenelmi Episcopi.] Sic & infra constanter cap. 23. & 24 legitur ms. 5 hoc loco Ragelini, 1. vbique fere Ragenelmi, quomodo & Papirius Mass lib. 2. Annal. Francor. bis legit, sed cap 2. ii: Bernone omnia nostra Rainelmi, i. Rainelmi. Is est qui in catalogo Tornacensium & Nouiomensium Episcoporum 17. vocatur Rancelinus, aut Raymelinus, & in subscriptione conc lii Suessionensis habiti anno 866. Remelinus, cui successit Hedilo.

Cap. XX.

A *Rniso Pesantinensi.*) Ita c. & i. & infra sequentibus capitibus omnia exemplaria, vel cum aspiratione Harduico, ms. hoc loco habent Radvico, quomodo c. legit super lineas, & in Gallico.

Pro villa Dodeciaco,) sic ms. etiam infra, sed ibi facit duas dictiones, i. hoc loco Dudiciaco, infra Dudeciaco. In testamento S. Remigii constanter ab omnibus exemplaribus legitur integrum nomen Duodeciacus, quomodo & infra hoc lib. 3 cap. seq. villam Duodeciacam, etsi omissa vna littera in ms. legatur solummodo Dudeciaca. Sic & c 26. in ms. bis legitur Dudeciaco, vbi 1. priore loco habet integre Duodeciaco, quomodo rursus omnia legunt lib. 4. cap. 1.

Sed & de villa Nouiliaca,) & c. De hac supra lib. 2. cap. 17. & latius in fragmento Hincmari quod post finem huius operis adiecit Iacobus Sirmondus, quod videtur partem aliquam huius epistolæ continere.

Carolo quoque Ludouici Transrhenensis filio,] Hic est Carolus Crassus, filius regis Germaniæ, fratris Caroli Calui.

Cap. XXI.

Ad *Lotharium Italiæ regem, qui se, relicta vxore propria, cuidam fœminæ copulauerat,*) Hic est Lotharius de quo supra ad cap 13. Et rursum cap. 20. videlicet Lotharii Imperatoris filius. Verum Baronius ad annum 855. quo obiit Lotharius Imp. dicit eum, diuiso regno, Ludouico Italiam dedisse, qui & successit ei in imperio, Lothario autem regnum quod in Francia possidebat, præterquam Prouinciam, quam Carolo tradidit, & passim anno 868. hunc Lotharium adulterum, vocat regem Galliæ & Francorum, & Sigebertus in chron. dicto anno 855. dicit eum Lotharingiam tenuisse, & anno 862 quo Vualdradam pellicem superduxit, vocat regem Lotharingiæ. Similiter Papirius Massonus lib. 2. Annal. Franc. in Carolo Caluo. Decessit, inquit, Lotharius Imp. relictis liberis Ludouico, Lothario. & Carolo. Hic Prouinciam habuit, secundus Leucorum & Mediomatricum terras, quæ priscum nomen in Lotharingiam mutarunt. Ludouicus rex Italiæ fuit.) Itaque pro Italiæ substituendum videtur Lotharingiæ.

Scripsit etiā quandam ad Adrianū Papam.] inter Hincmari ep. à Cordesio editas vnica est ad Adrianū e Eiusdem Adriani ad Hincm. duæ exstāt to. 3. conc. 51. & 28.

Formoso sedis suæ sedem (sedis est Romanæ) religioso Episcopo,) intellige suffraganeo, vt exponit Barou. eadem verba citato anno 891. quo idem Formosus, longe post obitum Hincmari, creatus est summus Pontifex, cum ante esset Episcopus Portuensis Sic infra lib. 4. cap. 6. tempore Stephani 7. scribit Fulco Ioanni cuidā Romano Præsuli, quem Baronius anno 897. dicit vnum

fuisse ex suffraganeis sanctæ Romanæ ecclesiæ. Idem intellige de Gauderico & Ioan. de quib. mox sequitur.

Euangelium quoque Nazarenorum sibi ad transscribendum mitti petens,) Huius aliquotiens meminit sanctus Hieronymus, qui se illud ex Hebræo in Græcum Latinumq; sermonem transtulisse scribit in libro de viris illustribus in Iacobo. De quo vide Sixtum Senensem lib. 2. bibliothecæ sanctæ, verbo Hebræorum euangelium: sic enim alio nomine appellatur.

Vulfado Bituricensi Archiepiscopo,) Is est qui ab Ebone fuerat presbyter ordinatus, de quo toties in superioribus, vt patet ex epistola Caroli regis ad Nicolaum Papam, quæ exstat inter Hincmari epistolas à Cordesio editas.

Immoni Nouiomagensi Episcopo,] Hic alias vocatur Himmo, & subscriptus legitur in concil Tullensi anno 859. Vocatur & Emmo & Emino, quem occisum à Normannis in vrbis suæ ditioπe anno iam dicto scribit Meyerus.

Prudentio Trecassino,) Hic in catalogo Trecensiũ Episcoporũ est 37 obiit circa ann. 864. vt est in Promptuario sacrarũ antiquitatũ Tricassinæ diœcesis, auctore sen collectore Nicolao Camuzat. Festũ peragitur 9 lectionib. 6. Aprilis. Exstat in eodē promptuario sermo eiusdem hoc titulo: Sermo B. Prudentii Episc. Trecensis de vita & morte gloriosæ virgin. Mauræ. Scripsit quoque librũ, quo erudite confutat libellũ Origenianis & Pelagianis erroribus refertum, quem Ioan. Scotus concinnauerat ex Gotheschalci Orbacensis monachi scriptis. Ei successit Fulchricus, deinde Atulfus, siue Octulfus. de quibus infra c. 23.

Æneæ Parisiorum, pro Rothado Suessonico,) Dedit & alias litteras ad hunc Æneam pro Bernone clerico, quæ exstant apud Baron. anno 912. & responso Æneæ ad Hincmarum.

Cap. XXII.

I*N synodo Episcoporum decem prouinciarum,*) Hæc est synodus Duziacensis in prouincia Remensi. Fragmentũ epist. huius synodi ad Hadrianum Papam 2. edidit Ioannes Cordesius inter Hincmari epistolas. Meminit eiusdem Aimoinus lib. 5. c. 24. in fine: habita est anno 817. Exstat tom. 3. concil. parte 2. Et præcedit ibidem concilium apud Vermeriam palatium habitum viginti Episcoporum, & in villa & palatio Attiniaco, anno 870 quod ex Baronio ibidem illegitimum, & latrocinale fuisse dicitur, & in co ipsum Hincmarũ Laudunensem iniuste depositũ. Fuit forte Hincmarus Remensis, (quem patet fuisse vehementem in omnibus suis actionibus, & maximum veteris disciplinæ assertorem) aliquanto feuerior in suum nepotem Hincmarum Laudunensem, defensorem, vt ait Baronius, iuriũ Romanæ ecclesiæ: sed & iniquum fuisse in eum docet in annalibus ad annum 870. & 871. Vnde pro Hincmaro Laudunensi est epistola 27. Adriani 2. & tres sequentes. Eiusdem reclamatio siue appellatio ad sedem Apostolicam exstat eodem tom. concil. post epistolam 111. Ioannis 8. & tandem in Trecensi concilio, sub eodem Ioanne 8. anno 878. suo pristino gradui dicit Baronius fuisse restitutum, & probat ex Adone in fine sui chronici. Verum Aimoinus dicto libro c. 37. potius cõtrarium significat, dum ait: Ioannem Papam dixisse, vt Hedenulfus sua auctoritate ordinatus Episcopus, sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret, & Hincmarus, si vellet, Missam cantaret, & partem de rebus Episcopii Laudunensis haberet. Certe Nicolaus Papa primus, etsi in literis ad Hincmarum Remensem datis, quæ exstant tomo 3. concil. eum in quibusdam reprehendat, in ea tamen epistola, cuius fragmentum citat Iuo in suo decreto part. 14. cap 46. & Grat. 11. q. 3. cap. 102. Excellentissimus, præclarum ei præbet testimonium, dicens: Quapropter nunc beatitudini tuæ iniungimus, vt super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas; Quia docta Diuinitus sanctitas tua valde nouit, aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atq; aliud quod ex studio delinquitur &c. Eundem fuisse virum pium, & admodum litteratum testatur Meyerus in Annalib. Flandriæ 885. Facit quoque pro Hincmaro Remensi epistola eiusdem Ioannis 8. quam, quia deest in tomis conciliorum, hic adscribere placuit à R. P. Iacobo Sirmondo ex bibliotheca S. Remigii prius exscriptam.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei Hincmaro Archiepiscopo Remensi Quamuis de sanctitatis tuæ iudicio nihil dubitassemus: quia tamen charissimus filius noster Carolus inuictissimus Imperator, à nobis diligentissime percunctatus, erit cuncta stantiam iudicii beatitudine tua coëpiscoporumq; suorum in Hincmarum dudum Laudunensem Episcopum prolati Apostolatui nostro retulit, agnouimus iustum fuisse omnino iudicium. Neque enim tantus Princeps nisi veritate fultum quicquam poterat affirmare. Vnde nefas esse duximus eius relationi non præbere fidei incũctanter auditum. Nos ergo iam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam & sine regimine pastorali dimittere, sed indifferenter electum, & de Laudunensis ecclesiæ clero virum idoneum, & in quo omniũ vota consentiant, eidem ecclesiæ præfice prorsus Episcopum. Cui electioni volumus etiam Missum præfati pussimi Imperatoris interesse, vt fine secularium strepitu omni latere talis eligatur, qui aptus sacris canonib. esse modis omnibus approbetur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data est Romæ Theodonrio iussu Papæ Ioannis, & domni Caroli nunc Imper per manus Anastasii Bibliothecarii in Secretario Ecclesiæ sancti Petri. Anno incarnationis Dominicæ 877 Non. Ianuarii, indictione 9. & delata est ab eodem Theodorico in ciuitate Remis Hincmaro Remorũ Archiepisc. eodem anno, & eadem indictione 5. idus Martii.

Et à Normanno in synodo accusatus,) De hoc videatur epistola Adriani 28. & 29.

Municipium Lauduni, &c. ab exordio sui, postquam à Marcobrio pretore, vt produnt historia, conditum est,) De eadem re idem Hincmarus in opusc. lv. capitulorum cap. 16. sic ait: Quod (nempe castellum Laudunense) sicut Eutropius antiquus historiographus dicit, auctore Marcobrio prætore conditum, ab exordio sui in paganismo inter ciuitates, vel prouinciales sedes nomen & locum non habuit.

Olim ab horno habita,) Sic ms. & originale 1. orno, quomodo legit m. lib. 1. c. 120. horno autem idem est quod hoc anno. Dicitur & hornus, a, um, vt fructus horni, poma horna. id est huius anni.

Licet ad tomum caput inclinet, qui eo non obelat, sed potius porro obuias manus inferens.) Sic orig. & i Phrasis est satis obscura, ms thomum. Exemplar quo vius est Baronius legit Thomam, & putat restituendum R. mam. Pro porro legit, Petro. In ms. obuians legit. Est autem tomus proprie fragmentum libri abscissum, & pro ipso libro seu volumine imperfecto accipitur.

Cap. XXIII.

S*Ynodum apud Pistas agendum,*) Intelligitur concilium Pistense in loco qui Pistis dicitur ad Sequanam fluuium celebratum anno 863. sub Nicolao primo, exstat tom 3. conciliorum in fine prioris partis. Vnde & supra cap. 21. legitur in omnibus exemplaribus: ad Pistas in Sequana: hoc loco ms. Pestas legit, sed male Alio nomine Pisciacum & Pistæ dicitur quasi Pisciatæ, quia solet esse piscina totius Franciæ, vt scribit Sebastianus Roulliard in sua Parthena siue historia ecclesiæ Carnotensis cap. 12. num. 9. Gallice *Poissy.*

Vualoni Metensium præsuli,) Sic ms. sed s. Vualæ, quomodo vocat eum Aimoinus lib. 5. cap 41.

Cap. XXIV.

IN *Parisiacensem parrochiam.*) Sic c. 10 Gallica translatione, pro quo facit quod scribat ad abbatem S. Dionysii iuxta Parisios, c. 10 Latino & r. Pariaceosem, ms Parnaceosem.

Cap. XXV.

M*Agenardo Praposito,*) ms. Agenardo.

Cap. XXVI.

V*Iro illustrißimo Eberardo.*] m. Ebarardo i. per syncopen.

Rorico Normanno ad fidem Christi conuerso.) Hic Roricus diuersus est à Rollone Nordmannorum ductore, de quo chronicon Cameracense lib. 2. cap. 29. qui ad fidem est conuersus & baptizatus ann. 912. vt ibidem adnotaui.

Cap. XXVII.

I*Rmintrudi regina.*] Hæc est Caroli Calui prima vxor, quæ ab aliis scriptoribus Hermeotrudis appellatur, qua defuncta Richildim duxit.

Ptementes conuenientiam, qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut,) &c. Conuenientiam intelligit pactum, seu concordatum, aut iuridicam conuentionem. Respicit enim ad pactum orationis Dominicæ, & ad c. 13 regulæ S. Benedicti, in quo dicitur: vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt: Dimitte nobis, &c.

Quantum periculosum malum, tam ipsa regina, quam emptrix illa subierint,) m. periculum, i. quantum periculi malum, tam ipsa, quam imperatrix illa subierint.

Cap. XXVIII.

C*Vinsdam fratris Ragamfredi,*) Sic m hoc loco, & paulo infra, s. Ragemfredi, 1. Ragan fredi.

Si vero ipse Comes hoc fieri neganit,] Sic ms. At i. sic vero comes ipse hoc fieri non rogauit. Sensus esse videtur: si comes neget se fecisse.

Aut timore alicuius, vel hortamento de ipso presbytero,) sic 1. vetum ms aut timore alicuius impulsu præsumaot inde damnari, vel iuramento de ipso, &c.

Malos autem prascinit tantum, non prædestinanit, nec vt perirent sua prascientia compulit.) sic 1 At ms. addit duas voculas (ad regnum) hoc modo: Non prædestinauit ad regnum, nec vt perirent, &c. Quæ sane lectio vitiosa est, & pro ea dicendum fuisset, ad interitum.

Cap. XXIX.

D*E libro edito à se, qualiter Domini vel Sanctorum sint imagines veneranda,*] Quod si liber iste exstaret, tum clarè constaret, quid de hac re senserit Hincmarus. Certe, catholice sensisse patet ex ipsius opusc. lv. capitolorum contra Hincmarum Laudunensem cap. xxv. Quod vero Matthias Illyricus ex eiosdem operis cap. xx. locum allegat, quo Hincmarus septimam synodum de imaginibus, quæ est Nicæna 2. damnare videtur: sciendum textum Hincmari corrupte allegare, pro Constantinopoli substituendo Nicææ. Verba quæ allegat habentur in dialogo quarto Alani Capi. c. 18. Item apud Baronium tom. 9. anno 794. At videatur integrum opus ipsius Hincmari quod demum anno præcedenti 1615. Parisiis editum est, vbi sine vlla lectionis varietate Constantinopoli legitur. Videatur item Alanus loco iam dicto. & cap. seq. & latissime de his differens Seuerinus Binius in notis ad concilium Francofordiense tom. 3.

Cap. XXX.

A*Nno Dominica incarnationis DCCC. LXXXII.*) sic omnia exemplaria, & in hac re magis credendum auctori, quam Sigeberto & Meyero, qui obiisse scribunt Hincmarum aonn 885.

SCHOLIA IN LIBRVM IV.

Cap. I.

F*Vlco vir valde nobilis,*) Alias Folco, quomodo vbique fere scribit m.

Marino Papa delegans,) Hæc est vera lectio, quomodo & infra concorditer legitur, etsi in m. recenti manu superaddita sit littera t, vt legatur Martinn, & hunc faciunt Martioum 2. Sed legendum Marinus Baronius & Binius attestantur, asserentes perperam nominari Martinum secundum.

Pro defensione Frobarii Bituricensis Archiepiscopi,) Hic fuerat Burdegalensis Archiepiscopus, vt patet supra lib 3. c. 21. & infra hoc eodem cap.

Ad qua ille respondens,) Recensentur hoc c. decem & amplius epistolæ Stephani vi. Papæ, quarum nulla exstat in epistolis decretalibus, vel in tomis conciliorum. Sicuti nec vlla exstat Fulconis, quæ hoc c. enumerantur octo vel nouem, & plures cap. sequentibus.

Que, diuina vocatione hominem excedente,] id est mortuo: sic infra c. 5. Tunc illis feliciter humana excedentibus: sic chronicon Cameracense lib. 3. c. 19. Baldricus Episcopus hominem exuit, id est mortuus est. Videantur quæ ibidem adnotaui.

Sed Odonis regis sui consultu.) Hic Odo, filius Roberti Ducis, fuit tutor regis Caroli Simplicis, posthumi Ludouici Balbi. Vide scholia infra cap. 5.

Synodum conuocare apud Vuangionum ciuitatem,) ms. Vangionem. Hæc alio nomine Vvormatia dicitur à Sigeberto, & aliis. Vnde Luitprandus in libello de vitis Pontificum in vita Stephani sexti, dicit eum iussisse synodum conuocari Vvormatiam, & titulo Vvormatiensis concilii ponitur tom. 3. conciliorum parte 2. anno 890. Verba eius sic habent: Hic Hermanoum Coloniensem Archiepiscopum, & Adalgarium Hamburgensem Archiepiscopum de Bremensi ecclesia contendentes, Vvormatiam ad synodum venire iussit, vbi Fulconi Remensi Episcopo vice sua commissa, causam eorum examinari mandauit.

Qui eorum vicariatione perfuncti disceptandi & deliberãdi libertatẽ poßideãt,) sic c. At m, viricatione, quod s mutauit in Iorificantione, r. vicariatione, apud Baroninm vicatione, in marg. pro vice. Eodem sensu in epistola sanct Radegundis legitur apud Gregor Turon. lib. 9 hist. Franc c. 42. epistolæ vicarietate. Sensus est, qui ipsorum vicarias operas subeant, siue vt hodie loquimur, qui sint eorum procuratores cum plena potestate rem absolute componendi. Sequitur enim.

Vt nullo vlterius tempore, pratepta fiut. sua sen entia, de hac re necessarium sit vertere quæstionem.) sic leguntur c. & r sed 1. infinitima. Io ms. perfecta, pro percepta, & m. uectere pro vertere, quomodo etiam vtrumque apud Baronium legitur.

Cap. II.

R*Odemiam videlicet,*) sic 1. s. Rodennam, m. Todennam.

Imperatorem quoque Vvidonem coronatum eodem anno significans indictione decima.) Videlicet anno 891. quãuis statim à morte Caroli Crassi, id est ab aono (iuxta Regionem & Baronium) 888. Imperium occupauerit, cum esset dux Spoletanorum, & de eo tota vita

sua cum Arnulfo & Berengario duce Foroiuliensi certauerit. Vtrumque, scilicet Vvidonem & Arnulfum, obiisse scribit Baron. anno 899. Sigebertus Vvidonem anno 901. Arnulfum 902. & Lambertum Vvidonis filium 903. Verum certius hæc omnia Baronius, qui Lamberti Imp. obitum assignat anno 910.

Cap. III.

Q*Vod si auderet, apostolicæ sedis sententiam reformidaret.*) Sic. c. & j. At ms. Quod si non audiret, Apostolicæ, &c. Verum id m. recenti manu adiecta est negatio, non. Quare non est dubium, priorem lectionem veram esse.

Item scribit eidem Archiepiscopo (id est Formosus Papa Fulconi) *pro Berthario quodam presbytero.*) Ita ms. c. & j. alias Vertario. c. in Gallico hic, & infra Berchario.

Cap IV.

Q*Va tunc à Zendebaldo Arnulfi regis filio,*] j. Zeudeboldo, quomodo & c. Sigebertus Zuendebaldum nominat. Erat autem filius Arnulfi ex concubina, vt habet idem Sigebertus in chron. 896. vbi scribit eum à patre factum regem Lotharienfium, & ab iis peremptum anno 903. vel vt Regino, 900.

Cap. V.

A*Rnulfo regi Transrhenensi litteras mittens, pro causa regis Karoli quem paruulum adhuc vnxerat in regem,*) Hic Arnulfus erat filius Carlomanni, qui Carlomannus fuit filius Ludouici Germanici. Hic enim Ludouicus filius Ludouici Pii Imperatoris, dictus Germanicus & Transrhenensis, frater Caroli Calui habuit tres filios, Carolomannum, Ludouicum, & Carolum Crassum, qui fuit Imperator, cui patruo suo in regno potius, quam imperio successit Arnulfus. Vnde tam à Flodoardo, quam ab aliis scriptoribus sæpius rex appellatur, quam Imperator. Videatur Baron. to. 10. anno 888. Hæc autem quæ sequuntur vsque ad illa verba: Item ad eundem regem, significans ei de fidelitate, &c. ponit Seuerinus Binius pro gestis concilii Remensis celebrati anno 892. in quo Carolus Simplex filius posthumus Ludouici Balbi ex Adeleide, Francorum regni legitimus successor, à Fulcone Remensi Archiepiscopo vnctus, reiecto Odone Comite Parisieno, tutore eiusdem Caroli, qui titulum regni Francorum ab obitu Caroli Crassi Imperatoris (qui teste Reginone, quem sequitur Baron. anno Domini 888. ex hac vita migrauit) tyrannice vsurpauit. Sigebertus in chron. anno 890. scribit Karolum Crassum ab optimatibus repudiatum, & in locum eius sublimatum prædictum Arnulfum, & Karolum obiisse anno sequenti: Addens, eodem anno 890. Francos, neglecto Carolo Ludouici Balbi puero vix decenni, regem sibi præfecisse Odonem filium Roberti ducis. Item in eadem synodo de Balduino Comite Flandriæ tractatum est, vt patet ex cap. 6. & 7. sequenti. Sigebertus prædicta refert ad annum 894. quo anno sic ait: Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, Franci puerum Carolum duodennem, Ludouici Balbi filium in regnum paternum reuocant, & Remis à Fulcone Archiepiscopo in regem benedici faciunt. Et anno 899. Odo rex Francorum moritur, obtestans primates, vt Carolum in regno reciperent. Quod pluribus declarat ad eundem annum 899. Meyerus.

Quod Aschericus ipse,] Sic c, r. & j. sed m. Adderìcus, pro quo s. clericus, quomodo in Baronio legitur to. 10. anno 892. & in Papir. Massono.

Filiorum Godfridi,] ms Papir Goffridi i. Gosfridi.

Quatenus tam de me, quam etiam de sede Remensi, mercedem dignetur habere.) Ita r. ms. exemplar Baronii, & i. quod legit de sede, cum alia omittant (de) vt sit dictum phrasi Gallica *mercy*, id est veniam & indulgentiam dare, alias legitur memoriam, quomodo vertitur in Gallico.

Cap. VI.

F*Rothero Archiepiscopo.*] sic r. & i. At ms. Flothero Verum illam lectionem præferimus, quia intelligi videtur Frotharius Bituricensis Archiepiscopus, de quo supra cap. 1 & lib 3. c. 21. quique in tabulis Democharis etiam Froterius vocatur, & subscripsit synodo suessionensi habitæ anno 866. & Trecassinæ anno 867 vbi modo Frotarius, modo, addita aspiratione, Frotharius nominatur.

Rostagno Arelatensium Præsuli,] Hic sine dubio is est, qui supra li. 3. c. 21. Rotsthanus appellatur.

Pleonico Archiepiscopo Transmarino.) Hic est qui numero 19. in catalogo Archiepisc. Cantuariensium vocatur Pleimundus.

Ad tractandum de peruasione Balduini,) Inuaserat hic Balduinus Flandriæ Comes monasterium Bertinense ex donatione Caroli Simplicis, de qua re, ex Folchardo & Ioanne Iperio Molanus in Nat. ss. Belgii die 9. Septemb. & 17. Iunii.

Abbatiam quandam in huius Hetilonis parochia sitam] Intelligit Cisonium in diœcesi Tornacensi, de qua supra cap. 1. quæ sita dicitur in parrochia Hetilonis Episcopi Nouiomensis, quia vt ad cap 5. libri 1. adnotauimus, Tornacensis & Nouiomensis ecclesia sexcentis annis vnitæ fuerunt.

Quod impetratum à Romana detulerat vrbe,) S. Euerardus Marchio, vt est supra cap. 1 huius libri, corpus S. Calixti Papæ & martyris à Romana sede impetrauit, sed fieri potuit, vt demum filius ipsius Rodulfus, de quo hic est sermo, inde detulerit. Scribunt tamen Iacobus Meyerus in Annal. Flandriæ, & Ioannes Molanus in Natal. ss. Belgii die 14. Octobris, beati Calixti reliquias Cisonium allatas per Euerardum loci fundatorem anno 854 Addit Molanus eas Remis esse, quo delatas fuisse scribitur infra cap. 8. In Epitaphio autem feretri Cisonium delatas legitur anno 855. Quare falli videtur Sigebertus, vel quisquis hoc Sigeberto adiecit anno 884. Hoc tempore Rodulfus quidam corpus S. Calixti Papæ & Martyris, à Romana vrbe in Franciam transfert.

Præmissi Otfridi,] sic nominatim infra c. 11. in omnibus exemplaribus, & in tabulis Democharis, atq; in chronico Cameracensi lib. 1. c. 64. supra tamen hoc cap. ms. legit Etfredus, j. Otfredus.

Auxilium sibi veniæ flagitantes ab ipsa,) i. omittit veniæ, forte legendum venire.

Cap. VII.

E*X Synodo Remis habita Dominicæ incarnationis anno DCCC. XCII. arguit eum.*) Hæc est Synodus Remensis in qua Carolus simplex filius Ludouici Balbi in regem Francorum vnctus est, de quo supra notaui ad cap. 4.

Et alium ad libitudinem suæ voluntatis instituere, Hoc est, vt infra loquitur c. 20. pro libitu suæ voluntatis, c. i. hoc loco legunt libidinem, eodem sensu.

Cap. VIII.

A*B Ecclesia tituli s. Agricolæ,*) Hæc hodie est sancti Nicasii.

Cap. IX.

H*I scilicet, Gibrianus, Helanus,*] &c. sic ms. Verū Helanus in m. alia manu additus est, cum esset omissus. At c. in Latino & gallico, & i. pro eo legunt Tesanus. Vtriusq; meminit Ioannes Molanus in additione ad Vsuardum. Illius 8. Maii his verbis: Remis depositio sancti Gibriani confessoris, in Ecclesia sancti Remigii quiescentibus. Huius 7 Octob. in pago Remēsi, vico,

qui vocatur Brixiolus, depositio sancti Helani presbyteri & confessoris. Eundem S. Helanum habet hoc die Petrus Galesinus in suo Martyrologio, ex tabulis Sanctorum ecclesiæ Remensis, & vtrobique sine vlla varietate Helanus appellatur, sicut & in Natal. ss Belgii Molani die 3. Decembris, vbi distincte recenset Helanum, Tresanum, Germanum, & Veranum. De ætate borum Sanctorum hæc scribit. Sigebertus in chron. anno 509 Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus in Galliam peregrinatus, vrbem Remensem vita & morte sua illustrat.

Cap. X.

De historia interemptionis seu martyrii Fulconis videatur Molanus in Natalibus ss. Belgii 17. Iunii, ex chronicis Bertinensium. Fuit occisus anno 900. vt ibidem dicitur, & consentiunt Sigebertus, Iacobus Gussius Meyerus. Baronius in annalibus, & alii, idque ex eo probatur, quia, vt patuit supra in fine libri tertii, Hincmarus obiit anno 881. & Fulco sedit annis 17. tribus mensibus, & decem diebus, vt habet hoc loco epitaphium. Quare fallitur Nicolaus Chesneau dum in Gallica sua editione notat in margine eum obiisse anno 903. Idem probatur ex c. 17. infra. Nam eum successor eius Heriuæus, vt est in chronico auctoris, obierit anno 922. die 2. Iulii, & sederit, vt ibidem dicitur, annis 22. demptis diebus 4 oportet eum ordinatum fuisse die 6 Iulii anno 900.

Explorantesque quomodo à metata suo ad regis colloquium.) &c. sic omnia exemplaria. Sensus est, quomodo à loco in quo metari soler, vel ex hospitio suo, proficisci soleret. Vnde dicitur infra. Ceteri qui superfuere, his qui ad hospitalia remanserant, &c. Vtitur eadem voce metatus infra c 15. vbi significari hospitiū ex eo patet, quia quod ibi dicit: Ad metatum suum deduxit, in chronico suo dicit: Duxit eum ad hospitia sua. Item eadem voce vsus est supra lib 1. c. 20. & lib. 2. c. 3. vbi vide scholion. Quare non recte, reclamantibus omnibus exemplaribus, s. vult corrigi: Quot in comitatu suo. Voce metatus vtitur frequenter Greg. Turon. in hist. Francorum, vt lib. 3. cap. 8. Ad metatum regressis, c. 15. in metatu eius. Lib 5. c. 15 Recedente vero rege ad metatum suum, item ibidem c. 39. Lib. 7. c. 29. bis Lib. 8. c. 2. Ad metatum nostrum aduenit. Quod postea dicit: In mansione mea, id est domicilio, &c.

Cap. XII.

Et sancti Remigii benedictione recepit.] Hoc enim tributum est meritis sancti Remigii, qood is qui corporis eius translationem honorauerat, non amitteret quod ei furto fuerat ablatum.

Cap. XIV.

Conuentus denique synodales sæpe cum coepiscopis suæ diœceseos habuit.] Nominatim duos, vnum anno 909 sub Sergio 3. Papa in pago Suessonico apud Trosleium, de quo infra c. 16. vbi ms. legunt Trosleium, & omnia exemplaria, c. 19. & 21. Vtroque enim nomine locus appellatus inuenitur, vt illa appellatio sit integra, hæc per abbreuiationem, sicut Heriueus & Herueus. Huius acta summatim ex Baronio habentur tom. 3 Conciliorum parte 2. Alterum anno 921. De quo auctor noster in suo chronico, & Seuerinus Binius post synodum ibidem celebratam sub Seulfo, de qua infra c. 19.

Post bellum quod Robertus Comes contra eos Carnotenus gessit) sic omnia exemplaria quod Gallice recte vertit *vers Chartres*, id est versus Carnotum. Vnde s. Carnotenus mutauit in Carnototenus. Quomodo autem Rollo dux Norm. Carnotum obsidens, miraculose ab vrbe repulsus fuerit sub annum Domini 908. per camisiam seu interulam B. Mariæ virginis late describit idiomate Gallico Sebastianus Roulliard in sua historia ecclesiæ Carnotensis cap. 7. num. 5.

Fidem Christi suscipere receperunt.) Ita c. & j Sed ms. Baron. Papir. & auctor ipse in chron. ceperunt.

Insuper etiam Romanum Pontificem super eiusmodi negotio consulere studuit. Ad cuius consulta.) &c. Rescriptum Ioannis IX. Papæ ad Heriueum Archiepiscopum de iis quæ circa Normannorum conuersionem facienda forent extat apud Baron. tom. 10. anno 905. & tom 3 concil. par. 2.

Cap. XV.

Sequenti vero anno,) &c. Deinceps annorum numerus, quem margini adieci, sumptus est ex chroniconostri Hlodoardi, quod Pithœus edidit inter 12. auctores coetaneos.

Propter Haganonem consiliarium suam.] Ita j. & c. in Latino & Gallico, m. vero Hagonem, ex quo s. fecit Hugonem. Sed eam quam retinuimus lectionem veram esse constat ex auctore in dicto chronico, vbi cōstanter ita legit multis locis. Aliam causam derelicti Caroli regis indicat sigebertus in chron. anno 920. his verbis: Robertus dux frater Odonis regis, appetens regnum Francorum contra Carolum, inquietabat Franciam, eiusque instinctu omnes pene primores Franciæ aduersabantur Carolo.

Cap. XVI.

De Erlebaldi Comitis excommunicatione. Ita perpetuo legit j. Alia qui varia est lectio etiam in eodem exemplari ms. in titulo legit Heriboldi, mox in textum m. Herlebaldum, & postea Erbebaldus, s. Heribaldus. Legitur & Erebaldus, Ereboldus, & Erleboldus. Ex fine autem capitis nota eum absolutum fuisse ab excommunicatione post mortem.

Cap. XVII.

Tertia die scilicet postquam Robertus rex factus fuerat.) Factus erat rex die vltima Iunii 922. Hic Robertus, frater Odonis, regis, eodem anno, vt scribit Odorannus, & sigebertus, auxilio Lotharìensium, apud suessionem interfectus est. sed magis auctori nostro res sui temporis scribenti, qui anno sequ. 923. interfectum scribit in suo chronico.

Cap. XIX.

Vitam finisse.) Obiit seulfus anno 925. expletis in Episcopatu annis tribus, & diebus quinque. Ita auctor in chronico. Cui conforme est quod de eo legitur infra cap. 35.

Cap. XX.

Rodulfus igitur rex,) De hoc Rodulpho scribit Meyerus anno 890. Eodem anno Burgundiones, Rodulpho Ricardi ducis sui filio, diadema imposuerunt, regemque sibi consalutauerunt. Hic igitur Rodulfus, filius Richardi Marchionis præfecti Burgundiæ, erat rex Burgundiæ, quem Franci, occiso in prælio Roberto rege, socero ipsius anno 923. nolentes redire ad Carolum simplicem, sibi regem elegerunt, rexitque regnum Franciæ per duos annos, vt scribit sigebertus, dicto Carolo in custodia apud Peronam detento. Verum ex cap. sequentibus constat eum regnasse in Francia vsque ad annum 936. quo obiit, vt est infra cap. vigesimum sextum. Obiit autem 18. Calend. Iunii, atque ita regnauit annos 12. Quod conforme est Roberto Gaguino, Paul. Æmil. & aliis multis.

De hoc ita scribit lib. 2. Annalium Papirius in Carolo Simplice: Rodulphus Richardi filius in matrimonio habebat Emmam Roberti filiam, & Heribertus aliam eius filiam duxerat, socer genereque & Hugo filius, auctoritate & gratia, atque opibus multum poterant.

Cap. XXI.

Heribertus Carolum de custodia, in qua eu detinebat, eiecit.) Dolo enim Heriberti captus fuerat anno 923. post occisum Robertum, & liberatus è carcere anno 927. sed anno sequenti iterum in custodiam redactus, in qua obiit anno 929. Hęc ex auctore in chronico. Habet his conformia Sigebertus, sed fallitur in tempore, dum scribit anno 924. cum in custodiam Peronæ à Comite Heriberto detrusum ob necem Roberti Ducis ab eo perempti. Et anno 926. Carolus rex Francorum sub custodia Heriberti exul & martyr moritur. Similiter in tempore fallitur, dum scribit anno 928. Ludouicum filium Caroli in Franciam esse reuersum, cum id demum factum sit anno 936. post obitum Rodulfi regis Burgundiæ.

Cap. XXII.

Et non & Arnaldo.) Sic j. alia Arnolda. Similiter in sequentibus tunc Artoldus, quomodo sæpius c. & j. nunc Artaldus, quomodo frequentius ms. legunt. Item Sigeboldus & Sigebaldus, &c. & infra c. 33. Deroldus & Deraldus.

Cap. XXIV.

De ordinatione domni Artoldi episcopi.) Hæc facta est anno 931. & obiit anno 961. pridie Calend. Octobris, vt habet auctor in chron. atque ita constat 30. annis Ecclesiam gubernasse.

Cap. XXV.

Synodus septem episcoporum apud S. Macram.) m. Magtam S. Machram. In tom. 3. concil. ponitur anno 635. sub nomine Concilii Rhemensis, cum sit pagus quidam eiusdem diœcesis, alio nomine *Fismes* dictus, vt annotauit Nicolaus Chesneau. De passione autem S. Macræ virginis habes infra c. 51.

Cap. XXVI.

Ludonico Caroli filio, quem rex Alstannus auunculus ipsius nutriebat) r. Alstanus, j. Alstranus. In catalogo regum Angliæ apud Ioannem Carionem Adelstanus nominatur: Meyerus Atelstannm vocat. Est autem hic Ludouicus Caroli Simplicis filius, dictus Trāsmarinus, quia trans mare apud regem Angliæ fuerat enutritus, eo quod matrem haberet filiam regis Anglorum.

Quod pater eius (scilicet Carolus Simplex) S. Remigio tradiderat.) Id est monasterio S. Remigii, vt paret ex verbis sequentib. Sic & infra cap. seq. & alibi accipitur.

Cap. XXVIII.

Hugo princeps, filius Rotberti.] Hic infra c. 35. & alibi vocatur Hugo Comes, qui dicitus est Hugo magnus, Comes Parisiensis, & dux Aquitaniæ, filius Roberti Andegauensis & Parisiensis Comitis, qui in regem fuerat electus, de quo sup. 17. Vocatur idem Hugo Dux Francorum, qui Ludouico regi Francorum, filio Caroli Simplicis rebellauit, obiit autem anno 956. Hic ex vxore Anrea, quæ filia erat Henrici j. Aucupis, & soror Otthonis primi Imperatoris, quam alii Hauidem nominant, genuit Hugonem Capetum postmodum Franciæ regem, qui extincta stirpe Caroli magni,

A regnum Francorū obtinuit. Historia describitur apud Aimoinum lib. 5. de gestis Francorum cap. 44. & 45. Erat autem dictus Robertus frater Odonis Regis, vxorem habens sororem Heriberti potentissimi Comitis Aquitaniæ & Veromandiæ, de quo hic est frequens mentio. Vnde Sigebertus in chron. anno 649. Hugonem Heriberti filium vocat nepotem Hugonis Magni, sicuti & auctor noster in chron. 943.

Mihi quoque ecclesiam Colmisiaci vicis abstulit) In chronico suo anno 940. ait: ecclesiam quam regebam in Culmisciaco. Vnde constat eum aliquando rectorem seu pastorem fuisse loci illius, cuius frequenter meminit in hac historia. Varie autem hoc nomen scribitur, vt adnotauimus ad lib. 1 cap. 12.

Cap. XXX.

Almentem castrum occupant.) Sic integre scribitur: at r. & j. plerumq; Almontem legunt, tam supra, quam infra.

B *Postea ceteri quoque filii Heriberti Comitis recipiuntur à rege.*) Papirius Massonus lib. 2. Annal. Franc. de isto Heriberto Comite sic scribit: Liberos reliquit Heribertum, Hugonem illegitimum Rhemorum pontificem, Odonem, Adelbertum, & filiam vnicam Arnulphi Flandri vxorem.

Ambliecum castrum cepit.] Ita j. c. Ambleeum, ms. Ambliidum, Gallice *Ambly*.

Cap. XXXI.

Vt filium ipsius, & filium fratris sui susciperet in praesul.) Ita c. in Gallico & Latino, & j. sed aliud exemplar, & ms. & auctor in chron. vt filium hominis ipsius, &c.

Cap. XXXII.

C *Monasterii S. Benedicti abbatem.*) Sic omnia exemplaria. Quare non recte s. scripsit sancti Remigii pro Benedicti. Vt autem adnotauit Nicolaus Chesneau intelligit abbatem sancti Benedicti ad Ligerim in diœcesi Aurelianensi.

Regina Gerberga nuper ad Othonem regem fratrem suum legationem direxerat.) Hæc Gerberga soror Ottonis primi Imperatoris siue regis, (sic enim sæpe ab historicis nominatur, quod benedictionem Imperialem, non acceperat, sicuti nec Henricus Auceps pater ipsius) hęc inquam Gerberga fuerat vxor Gisleberti ducis Lotharingiæ, quo interfecto, eam duxit vxorem Ludouicus rex Francorum, vt scribit Sigebertus in chron an. 943.

Cap. XXXIII.

Remensem tum Hugone præsule, quasi mox capturus, aggreditur vrbem.] ms. post dictionem præsule addunt: & Theobaldus quidam, quod abest à ceteris

D & à chronico, nec videtur illud admittere oranonis constructio.

Defuncto Deraldo Ambianensium præsule Tetbaldus quidam.] sic c. r. sed ms. vitiose Detordo, j. & c. in Gal. Detoldo, quomodo & infra bis c. 35. conformiter in omnibus exemplaribus. Pro Tetbaldo m habet Theobaldus, ex quo s. fecit Theobaldus, quomodo ms. legit c. 37. In tabulis Democharis legitur Deraldus, quem sequitur Ramboldus, postea Theobaldus. Auctor in chronico Deroldum & Tetbaldum legit.

Cap. XXXIV.

Præsente quoque Brunone abbate, regis Othonis fratre.) Ita etiam auctor in chronico, c. legit Brunone, & Gallice vertit *Bruinon*, quomodo etiam legi potest in m. sed infra c. 35. apertissime legitur Brunono, quamuis

& ibi in Gallico vertatur *Brimon*. Verum placet alia lectio, quia de eo omnino loqui videtur, qui paulo post hæc tempora factus est Archiepiscopus Coloniensis, succedens VVicfredo, anno 951. vt habet auctor in chronico, & Sigebertus: qui ab omnibus Bruno appellatur, suusque frater Otthonis primi Imp. Henrici Aucupis Imp. filius.

Missis quoque duobus ad eum deducendum Episcopis.) Videlicet Adalberone & Gossino, vt c. sequenti dicitur in libello Arnoldi, & exprimit auctor in chronico.

Ex diœcesi Treuirensi atque Remensi.] Sensus est fuisse in illa Synodo Mosomensi vtriusque diœcesis Episcopos, quod c. in Gallico non est assecutus. Nam auctor ipse in chronico ita scribit: Anno 948. Synodus prædicta celebratur in ecclesia S. Petri ante prospectũ Castri Mosomi à domno Rotberto, cæterisque Treuerensis diœceseos Episcopis, & aliquibus Remensis.

Capitulũ XIX Carthaginensis Concilii de accusatore.] Videtur intelligi Capitulum 9. & 10 Concilii tertii Carthaginensis. Pro quo facit quod infra c. 35 legatur nonum decimũ, vbi facile omitti potuit cõiunctio, &.

Cap. XXXV.

De synodo apud Engulenheim congregata.) Habita est 7. idus Iunii 948. in ecclesia B. Remigii honore dicata, vt est in chronico auctoris, vbi etiam recenset nomina eorum qui interfuerunt numero 31. Regino l. 2. chronicorum scribit interfuisse Episcopos 34. Tom. 3. Concil. parte 2. subscripti leguntur 31.

Denique postquam domina nostra regina Laudunum, propter absolutionem domni regis, reliquerat. Sensus patet ex iis quæ dixit auctor supra c. 32., Hugo enim princeps, dictus magnus, ipsum regem Ludouicum tenebat sub custodia, ipsaque regina Gerberga, eidem Hugoni Laudunum reddiderat, vt reciperet Ludouicum regem. Neque enim aliter absolutio, id est liberatio eius potuit obtineri, vt ait in chronico 948.

Post quarum litterarum recitationem] &c. Sequentia omnia vsque ad finem capituli, & duo capitula sequẽtia, etiã quo ad verba, eadẽ sunt in chron. anno iã dicto.

Lecto capitulo de huiuscemodi calumniatoribus.) Intelligere videtur Capitula concilii Carthaginensis, vel Capitula Caroli Magni & Ludouici Pij, in quibus tamen hoc non reperio.

Artaldo vero præsuli, qui omnibus se synodis præsentem exhibuerat.) Multæ enim synodi pro hac causa congregatæ fuerunt, vt patet partim ex superioribus, partim ex Chronico auctoris, & to. 3. Concil. parte 2. videlicet Virdunensis, anno 947. Mosomensis 948. idib. Ianuarii, Engelenheimensis 848. septimo idus Iunii, de qua hoc cap. quæ cæteris fuit celebrior. Postremo Romana 949. in qua Agapitus Papa ij. damnationem Hugonis Episcopi apud Engelenheim factã confirmauit.

Ceterum quoque diebus synodi tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugiis.) &c. Hæc videre est in actis & canonibus decem huius concilii, quæ edita ab Henrico Canisio, adiecta sunt ad finem 2. partis tom 3. Cõcil. per Seuerinum Binium. Deest tamen ibidem canon de incestis coniugiis.

Cap. XXXVI.

Fere quadringentos homines interfecerint) Ita c. in Gallico & Latino, & j. Verum ms. quadraginta, quomodo legit auctor in Chronico ad annum 948. quo hæc gesta sunt.

VVinefredo Morinensi.] Ita ms. hoc loco, sed infra Huicfredus c. in Gallico vtrobique *VVinefrede*, sed in Latino VVifredus, sicut & j. In Chronico auctoris duplex quoque lectio est, Vincfredus & VVifredus. In Chronico manusc. Moriensi VVycfridus appellatur. Integra dictio videtur esse VVinefredus, ex qua per contractionem factum est Vincfredus & VVicfredus. quo posteriore nomine viuebat eodem tempore Coloniensis Archiepiscopus, qui & VVicfredus nominatur infra c. 42. vbi m. legit Hincfridum, quod s. mutauit in Huicfridum.

Cap. XXXVII.

Insistente præcipue Luitdulfo capellano regis Othonis.] Hæc vera & integra lectio omnium exemplarium, sed infra variant. Nam c. Lindulfus, m. Ludulfus. In chronico Luidulfus & Laudulfus. Est autem sermo de Othone 1. eius nominis Imperatore, qui & Otto magnus dictus est propter celebres bellorum eius victorias, vt ait Lupoldus Bebenbergius lib. de zelo veterum principum Germaniæ c. 2. c. infra Odonis legit. Nam interdum promiscue pro eodem vsurpantur Ortho, Otho, Odo, Ado, & Vdo.

Nomine Adelonus.) Ita c. & j. sed ms. Adelonius. In Chronico Adelonius Gallice vertitur *Adelon*.

Acta Synodi Inghelheimensis, de qua supra c. 35. & Treuirensis, de qua hoc cap. & præcedenti, approbauit Agapitus Pap. 2. ij. habito Romæ concilio ad S Petrum, confirmans damnationem Hugonis Episcopi, & excommunicationem Hugonis principis donec Lodovvico regi satisfaciat, vt testatur auctor in chronico anno 949. Quod chronico vlterius extenditur quam hæc historia. Pertingit enim vsque ad annum 966. Porro Artaldus obiit anno 961. pridie Kalendas Octobris, vt est in eodem chronico, & sequenti anno successit ei Odalricus.

Cap. XXXVIII.

In honore Mariæ, vel S. Petri construxisse traditur.] s recte notat in margine, vel, poni pro, &. Quod & aliis quibusdam locis contingit, præsertim in summariis capitum.

Cap. XXXIX.

De sancto Balderico Abbate.) De hoc Ioannes Molanus in additionibus ad Vsuardum die 16. Octobris: In monte Falconis, beatissimi Balderico confessoris, cuius vita crebris miraculis declaratur.] De eodem Arnoldus VVion lib. 3. ligni vitæ in martyrol suo monastico, ad eumdem diem, & Ioannes Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti l. 3. c. 152.

Cap. XLI.

De villa Vvaslicia.) Sic r. m. & j. quæ videtur vera lectio, pro quo s. Vasslicia. c. autem VVasticia. In Gallico autem hoc loco vtrumque ponitur, *Vvalstice, ou Valliche*, sed infra semper VV*alstice*.

De sede scilicet vrbis Virdunensis S. Vuonus, & S. Agericus.) Vterque fuit Episcopus illius sedis ille octauus, hic decimus in tabulis Democharis. De illis enim sic habet: 8. S. Videnus, seu Vitonus, eligitur 502. in Concilio Aurelianensi primo, tempore Clodouei 10. S Agericus eligitur 554. Videndus de his Richardus de VVassebourg Archidiaconus Virdunensis lib. 2 Antiquitatum Galliæ Belgicæ, quod opus Gallice conscripsit, qua lingua nominantur *S. Venne, & S. Agry*.

Et sanctus Rodoiens de Vvassoio] c. Rodincus de Vassoio.

Pro villa Gerlanimonte, super Mosellam contacente.) Sic r. c. & j. sed ms Gelani, quomodo & cap. sequenti tum in titulo, tum in textu legitur etiam in c. sed m. ibi Gelani. c. & s. Gellant.

Ad quam villam dum sanciendi sibi causa.) Sic c. & j. At ms. faciendi Gallice vertitur, causa accipiendi possessionem, quod Gallice dicimus, *saisir* & *saisine*, id est possessio. Quod recte Latine dixeris sancire, id est cõfirmare, quia possessio confirmat rem acquisitam.

Cap. XLIV.

S*anctarum Bona ac Doda.*) Agit de his Ioannes Molanus in additionibus ad Vsuardum die 24. Aprilis his verbis. Remis ciuitate, sanctarum Bonæ & Dodæ. Ex quo, vt apparet, Baronius transscripsit in Romanū Martyrologium ad eundem diem. De iisdem Petrus Galesinius, Felix, & Arnoldus VVion in suis martyrologiis, omnes in eo corrigendi, quod legans Bona pro Boua. Nam hanc esse veram lectionem omnia nostra probant exemplaria, tam supra cap 38. quam hoc cap. Sic & superius c.20 legimus Bouonem Caralaunicensem Episcopum, quod non recte s. mutauit in Bauonem, &c. in Bononem. Adde quod hæc eadem Sancta lib.2, c.10. Boba nominatur in omnibus exemplaribus. Solet autem b in v. mutari, aut contra, vt Bibiana, Viuiana, Iobita, Iouita.

Cap. XLVI. & XLVII.

D*E domno Gunthero, & ipsius vxore Berta.*) Varie scribitur hoc nomen in exemplaribus, sed hæc frequentior est, vel per o. Gontbertus. Integra pronunciatio est Gondebertus, quomodo legitur supra l. 2. c. 4. in fine, vel Gundebertus vt lib. 2 c.10. Hic vero fere Guntbertus vel Gontbertus, sed ms in titulo c. 47. Gombertus, quo nomine exstat vitæ ipsius historia in vitis Sanctorum Gallice editis per Parisienses die 29. Aprilis, vbi narratur fuisse frater Niuardi Remensis Episcopi, quod iam dicto ca.10. testatur etiam Flodoardus. Idem autem videtur esse de quo Molanus in addisionibus ad Vsuardum 21. Nouembris: In territorio Remensi, sancti Goberti Confessoris. Sed obstat quod S.Gontbertus martyr obiert, sicut & S Bertha. De qua Sigebertus in Chron. anno 665. Bertha martyr & Abbatissa sanctitate claret in Gallia. Exstat eius vita, in vitis SS. Gallice Doctoribus Paris. ad 5. diem Maij.

Cap. XLVIIII.

D*E duabus ecclesiis sancti Hilarii Remis.*) Hæc est communis & frequentior lectio: sed m hoc loco Hilari, & in indice Capitulorum Hilari. Quomodo Baronius Romanum pontificem S Leonis magni successorem, Hilarum vocat, qui frequentius Hilarius nominatur.

Quod vocaretur Merolilanus.) S. Merolilanus Scotus nunc Remis in ecclesia S. Simphoriani quiescit.

Cap. XLIX.

E*ius labuntur humo intranea.*) Id est intestina, quomodo legis ms. Gallice *entrailles*, e. humi, sed altera lectio verior, vt dictum sit humo, pro in humo. Hæc autem pœna adulteræ constituta est à Deo Num. 5.

Cap. L.

C*ompositionem fisco debitam, quam illi fredum vocat, à se fuisse reis indultam.*) Restituí fredum pro fretum, etsi hoc etiam modo legatur in excuso Gregorio Turonensi, cuius allegatur locus, sed & in multis alis corrigendus, vt patebit, si quis ea, quæ hic refert Flodoardus, conferat cum loco eiusdem Gregorii. Certe Pithœus in glossario Capitulorum, verbo freda, & Iacobus du Breul in adnotat. ad c.27. l. 5. Aimoini citantes eumdem Gregorii locum, fredum legunt. Similiter semper numero plurali legitur freda in variis diplomatibus, quæ exstant in chronico Cameracensi lib 2. c. 37. 62. 76. & 107. & in litteris fundationis Prioratus S. Martini à Campis apud Parisios datis anno 1060 ab Henrico I. Francorum rege: in fredus. Exstant in Martianis. In epitome tamen con[illegible] tutionum C[illegible] gni freta, pro freda legitur, in eo Capitulo, quod [illegible] bris Capitulorum à Pithoeo editis est 30. L.3 vbi dicitur excepta freta, quæ in lege Salica conscripta est. Ad quem locum Vitus Amerpachius: Freta est, quam alioqui fredam & fredum vocant illa secula, &c. Sed cum exemplar ex quo impressæ sunt istæ Constitutiones valde fuerit incorrectum, vix dubium est, quin sit error librarii. Quid autem sit fredum hic indicatur, est que dictio Teutonicæ originis pacem significans, quā Germani dicunt, fred & Frid, nos Teutones *vrede*. [illegible] das legitur tum alibi, tum in priuilegio Caroli [illegible] quod exstat in promptuario Tricassino fol. 84

Cap. LI.

B*Macra virgo sub Rictiouaro Præfecto.*) Sic legitur in 1. c. & 3. hoc loco & in ms. cap. seq. vt sit vna dictio. At ms. hoc loco Rictio Varo separatis dictionibus, quod magis probat Baronius in notis ad Rom. Martyrologium 6 Ianuarii. Quo die agit de hac virgine etiam Vsuardus. Porro Rictiouarus sæuissimus fuit Galliarum præfectus seu præses sub Diocletiano & Maximiano, sub annum Domini 300. Martyres sub eo passos complures recenset Baron. tom. 2. Annal an 303 vbi miserandum eius quoque refert interitum.

Cap. LII.

D*E sanctis Rufino & Valerio martyrib.*) De his Baronius, Vsuardus, & alij in martyrologiis die 14. Iunij.

Cap. LIII.

S*Vbito cernuatus cecidit.*) Hæc est vera lectio, quam habent c. & 3. Sed quia non intellecta, ideirco in aliis exemplaribus est mutata. Vnum enim legit cernatus. In m. legebatur conternatus, at recenti manu correctum consternatus, quomodo scripsit s. Est autē cernuus, id est, in partem anteriorem inclinatus, [illegible] in caput ruens. Hinc ad illud Virgili Æneid 10. Erecto que incumbit cernuus aruo. ait Seruius: Cernuus equus dicitur, qui cadit in faciem, quasi in eam partem quam cernimus. Hinc & illud in hymno ecclesiæ: [illegible] tum ergo sacramentum veneremur cernui.

FINIS.

VOCUM QUARUMDAM OBSCURARUM, AUT BARBARARUM

explicatio ordine alphabetico, quæ in his quatuor libris Flodoardi continentur, siue sint ipsius, siue aliorum, quorum testamentum, vel epistolæ interseruntur. Quæ non sunt auctoris, iis præponitur asteriscus.

A*binde*, pro Inde, id est, ab eo tempore, vel ab eo loco. Vtraque enim significatione vtitur.

* *Acetabulum*, lib. 2. c. 18. in testamento S. Remigii accipi videtur vt Num. 7 vbi in Hebræo est scutella. Nomenclator Hadriani Iunii recensetinter mensuras liquorum, & capere dicit cyathum vnum & dimidium.

Æquinoctus, eiusdem nominis. Vide indicem nostrū vocum obscurarum in Chronico Cameracensi

Alodis, idem quod alodiū. Vide iam dictū indicé, & Glossariū Petri Pithœi in Capitularia, verbo Alode.

* *Amphibalum* Vide scholia in c. 8 l. 1.

Atrium, cœmiterium Gall. *l'atre*.

* *Beneficiare*, in beneficium date.

Blattea, purpntea. Vide ſeholia ad c.15. lib.1.

Brandeum, l.1.c.20.& at. pannns ſericus, ſeu linteum, quo Sanctorum corpora, ſeu reliquiæ inuoluũtur: vel enam quod aliunde allatum eorum reliquias contigiſſet, vt bodie tieri ſolet. Vide ſcholia ad c.21.l.1.

* *Breuiculus*, l.3.c.22. ſcheda ſeu ſchedula, à breui, forma diminutiua, deductum. Sic eſt in operibus S. Auguſtini tom.7. Breuiculus Collationum cum Donaniſtis, id eſt, (vt Auguſtinus alio nomine voeat ibidem, & epiſt. 1,8.) Breuiarium & breuiatio, ſeu compendium. Sie iuxta Alciatum & alios l. 7. Codicis titulus 44. eſt de Sententiis ex breuiculo [pro quo vulgo legitur peniculo] recitandis. Ad qoem locum Chriſtophorus Hegendorphinns in exegeſi titulorum Codicis ita ſcribit: Hic titnlus corrupte legitur. Nam pro periculo, breuiculo legi debet: ſiquidem hie tractatur quomodo ſententiæ ex ſcripto recitari debeant. Breuiculus vero eſt vox diminutiua à breui, hoc eſt ab ſchedula, ſcriptura, dictaceoque.

* *Cabuta*, ſeu Cambuta. Vide ſeholia ad ca.18. lib.1. Qnibus addo pedum paſtorale S. Burchardi primi Herbipolenſis Epiſcopi fuiſſe virgam ſambnceam, vt eſt in vita ipſius l.3.e 1. to.5. Surii.

Caraxatum, l 1.c.9 ſeriptum. Item caraxare, caraxatura, & caraxatores, ſeu poous per aſpirationem charaxatum, &c. Vide Scholia ibidem ad c.18.

Cellerarius, l.1.c.12. vel vt j.e. cellarius, idem qui cellarius, quomodo mutauit s. quomodo etiam nunc in Hincmaro legitur, miniſter cellæ, ſeu promus, aut promus condus. Vide indicem vocum obſcurarum ad Thomam Cantipratannm.

Cernuatim, cernuus. Vide ſcholia ad c vt L 4.

Comes, nomen officii l.2. c 18. & alibi. Hi enim comites cum miſſis dominicis iudicia exercebant per ſingulas prouincias vt patet ex eodem cap & ex capitulis Caroli Magni Vide ſcholia ad idem cap.

Conieclum, vel om, genus tributi. Vide ſcholia ad cap. 19. lib.3.

Conſuerant, pro conſocuerant l.1.e.12.

* *Conſultum*, us, conſultario, coonſilium. Vide ſcbolia ad c.4. l 3.

Cors, cortis, pro aula regia. Gal *Court*, l.3. c.13. bis in litteris Hincmari: aliquando pro curte, vt lib.1.c.17.& lib 2. cap.6.

Curs, curtis, id eſt villa. Capitula Caroli Magni l.3. c.19. Curtes noſtræ remanent deſertæ. Vide indicem vocum obſ. ad Chron. Cameracenſe.

Decania, decanatus, lib.3.cap.25. ſicut canonia, pro canonicatu.

Decubanit. pro decubuit l.1 c 8.

Depactum, pro pactum ſiue conuentnm.

* *Diaconia*, Vide ſcholia ad c.18.l.1.

Domnus, pro domino. Vide notas ad Chron. Cameracenſ l.1.c.27.

Emouere pro mouere, aut demouere l 4.c.40. Gallice *emonuoir*.

Epiſcopium, Epiſeopatus. Vide indicem vocnm obſc ad Chroo. Cam.

Eſox, eſocis, genus piſcis. l.2.c 8. vbi vide ſcholia.

Eulogia, Vide ſcbolia ad c.1t l.2.

Exinde, pro inde, id eſt ab eo loco, vel tempore. Vtitur Fortunatus in vita S. Medardi.

Fiſcalini, à fiſco dicti lib.1.c 20. qoi villas regii fiſci tenebant: Fiſcalini ſerui leguntur in Aimoïno lib.3. de geſtis Francor.c.42 & 55. Lib.3. Capitulorum cap.16. Fiſcalini regii leguntur, & in epitome Conſtitut. Caroli Magni lege 2. Ripuarenſe: Homo regius, id eſt fiſcalinus. Vide Pithœi gloſſarium.

Flaſco, l.1.c.15. genus vaſis, Gall. *vn flaſcon*. Vtitur voce flaſconis B. Gregorius l 2. dialog.c.18.

Franciſca lib.1.cap 13. bipennis, quomodo Hincmarus habet in vita S.Remigii, & ipſe Flodoardus etiam iam dicto cap. Sie & Gregorius Turon.l.2. hiſt Francorum cap.27. eamdem deſcribens hiſtoriam, bipennem & ſecurim nominat. Aimoinus libr. 1. de geſtis Franc.c 12. Et extenſa manu franciſcam eius terræ deiecit, quæ ſpara dicitur.

* *Fredum*. Vide ſeholia ad cap 50.l. 4. & notas ad cap. 37.lib.1. Chron Cameracenſis.

Frigoritici, l 2.c.14 & lib 4.c 44. febricitantes, frigido morbo laborantes Vtitur eadem voce Fortunatus lib 1. vitæ S.Radegundis cap 10 quæ extat apud Surium tom 4 die 13. Auguſti, vbi legitur frigoreticus, & in margine notauit Surius: Frigoreucus, pro febricitante. Gregorius Turonenſis libro 5 hiſtoriarum Francorum capite 10. Frigoriticis puſtulis laborantib. Idem de Gloria Confeſſorum cap.64 Frigoritici ceterique infirmi ſanantur. Plura vide in indic. vocum obſcur. in Chron. Camerac

Glaucoma, æ, lib c.24. Vtitur Plautus in Milite. Vſitatius dicitur glaucoma, atis, item glaucomatum, ti, & ſignificat vitium oculi.

Hiebinaculum, vel *hiclinaculum* l.1 c.18. in teſtamẽto S.Remigij.

Homo huius aut illius, vt homo Arnolfi, id eſt vaſallus.

Hornò, id eſt hoc anno, lib 1.cap. vigeſimo, & lib.3. c.22. vbi vide ſcholion.

Imaginatum, imaginibus & figuris ſculptum & decoratum. Vide ſcholia ad cap 18. libro primo Eiuſdẽ vocis fit mentio l 3 c.5.

* *In antè*, l 2 c 17. id eſt deinceps. qnod alij frequentius dicunt, in antea. Vide indicem vocum obſcur. in Chron. Camer. Præter loca ibi notata vtitur Gregorius Turonenſis lib. 8. hiſtoriar. Francorum capite 28. & Eutychianus papa 35. quæſt. 6. c. Epiſcopus. Item Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus epiſt. 89. Ex tunc in antea communicatus ſit.

Incardinari, inſtitui, vel conſtitui in epiſcopatu vel alia dignitate l.4 c. 21. Vtitur Adrianus papa 13. epiſt. 11. Item verbum incardinare, & incardinari frequenter vſurpat Ioannes Diaconus libro 3. vitæ S.Gregorij Papæ c.15. & ſequentibus pro conſtituere, & ipſe Gregorius Papa in epiſtolis. Vide Onuphrium Panuinum in libello de interpretatione vocum Eccleſiaſticarum in dictione Cardinalis.

Incardinatus, inſtitutus, l.3.c.29. Iuo Carnotenſis epiſtola 131. vbi vide obſeruationes Franciſci Iureti, qui multa citat loca Gregorii papæ de eadem voce.

Inſigne, pro inſigniter lib. 1. c.10.

Intentio, pro lite ſeu contentione l.2.c.10.

Intranea, inteſtina, l.4.c.49. Vide ſcholia.

Iſdem, pro idem, l.1.c.25.l.3.c.13.17.& 19. quo poſteriore loco exemplar c. legit idem.

* *Lacerna*. Vide ſcholia in c.18.l.1.

Legatarius, legatus lib.1.c.25.

Libitudo, libitus, libido, l.4.c.7. Vide ſcholia.

Licitò, pro licitè, lib.4.c.vlt.

* *Locarium*. Vide ſcholia lib.3.cap.13.

Mater domus, l.2.c.12. præfectus palatij.

Mallus, lib.2.c.18. lib.3. c.16. Vide notas noſtras ad cap.72.lib.1. Chron. Cam. & notas Ioannis Buſæi ad epiſt.4. Hincmari.

Mandare, ſignificare: *remandare*, renunciare, vtrumque phraſi Gallica.

Maniaticus, inſanus, à mania Græca voce inſaniam ſignificante. Eadem ſignificatione Gerſon, & Ioannes Nider in Formicario vtuntur voce maniacos.

Manſionile, l.3.c.26. Videtur idem eſſe quod manſio, ſeu habitaculum villicorum.

Manſus & manſum. Vide indicem vocum obſcur. ad Chron. Camer. Nicolaus Chesneau manſos vel manſa vertit Gallice *arpens* vel *arpens de terre*.

Matricula & matricularii. Vide indicem iam dictũ. Legitur l.1.c.18. in teſtamento S.Remigii, & alibi fre-

quenter. Item in Hincmaro epist. 7. c. 35. inter eas quas Busæus edidit.

Matutinorum solemnia, lib. 1. c. 25. Sic olim loquebatur, subaudientes hymnorum, nunc matutinarum dicimus, videlicet precum. Vide eumdem indicem.

Metatum, m. locus in quo quis metari, tentorium figere, aut hospitari solet. Vide scholia ad cap 3. lib. 2. & ad caput decimum libri quarti.

Mirum, miraculum.

Missaticum, legatio à misso, id est, legato, vel nuntiũ, Gall. *message*. Legitur apud Hincmarum in opusc. lv. capit. post c. 55.

Missaticus, idem quod missus, legatus, seu nuntius, vt clare patet ex c. 28. l. 3.

Missorium argenteum, in testamento S. Remigii, & lib. 2. c. 5. missorum argenteum deauratum. Vtroque loco Gallice vertitur *vaze d'argent*. Gregorius Turonensis lib. 6. histor. Francorum capit. 2. Nobis rex missorum magnum, quod ex auro gemmisque fabricauerant in 50. librarum pondere ostendit. Et lib. 7. cap. 4. legitur missorum aureum.

Missus, nuntius, legatus, commissarius. Vide schol. ad c. 18. 2. & indicem vocum obsc. in chron. Camer.

Molendinus, pro molendinum, mola, l. 5. c. 14. Sic in s. appendice ad hist. Greg. Turon. in descriptione dedicationis Ecclesiæ Maioris monasterii legitur, molendinos nostros. Vide notas ad chron. Cam l. 1. c 52.

Necessitosi, l. 3. c. 26. pauperes, quib. res necessariæ desunt, *necessiteux*. Vtitur Hincmarus epist. 7. c. vlt.

Nomenclator, lib. 3. cap. 21. Vide Onuphrium vbi supra.

Nonna, sanctimonialis, lib. 3. c 27. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis: Et quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur, & nonnæ. Ad quem locũ Erasmus suspicatur esse vocabulum linguæ Ægyptiacæ. S. Benedictus in regula c. 63. Iuniores priores suos nonnos vocant, quod intelligitur paterna reuerentia. S. Bonifacius Arch. Mogunt, epist. 19. & Capitularia l. 5. c. 2. & 3 eamdem vocem vsurpant. De eadem plura R. P. Heribertus Rosvveydus in suo onomastico rerũ & verborum difficiliorum ad Vitas Patrum.

* *Octimber*, pro October. vide sch. ad c. 21. l. 5. Quib. adde ex Beda ratione temporum, vbi mensis Octobris nomina recensens apud varios: Thesri, inquit, in Hebræo, Paophi apud Ægyptios, Hyperberetæos, apud Macedones, Octimbrios in Græco, (quod proculdubio ex Latino Octimber factus est) October in Latino.

Omnimodis, omnino, omnibus modis. Vide indicem vocum obsc. ad chron. Cam.

Pagus, regio, tractus, territorium. Gall. *pays*, vt pagus Laudunensis. Sic teste Petro Diuæo in antiquitatibus Galliæ Belgicæ ca. 14. frequenter accipitur à Iulio Cæsare. Multos, inquit, pagos habebant [loquens de Morinis] teste Cæsare: non quidem vicos, [vt nunc pagi nomen accipiunt] sed regiones: in qua significatione Cæsari vocabulũ hoc familiare est. hæc Diuæus.

Pallium, Archiepiscopatus insigne, est fascia ex candida lana contexta, habens desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas ab vtraque parte depẽdentes, quatuor purpureas cruces, ante, retro, à dextris, & à sinistris. Vide Onuphrium vbi supra, & Pithœi glossarium in Capitularia.

Parisius, indeclinabiliter l. 1. c. 15. l. 2. c. 2. & alibi, pro Parisij, orum. Indeclinabiliter vtitur Iuo epist. 16. ad quam vide obseruationes Francisci Iureti.

Parochia, seu *parrochia*, vt in plerumque scribit. Pro diœcesi frequens in scriptoribus mediæ ætatis, & in Canonibus. Interdum tamen sic distinguuntur, vt diœcesis sit totius prouinciæ alicuius Archiepiscopatus tantum. Vnde Hincmarus in opusc. lv. capitul. c. 16. B. Remigius sedem Laudunẽsem in subsellio Remensis metropolis consedere fecit, quam à sua parrochia, nõ autem à diœcesis prouincia scidit. Idem Hincmarus in epist. 2. ad Nicolaum Papam inter eas quas edidit Ioannes Cordesius: Sed quia non solum diœcesis, verum & parrochia mea inter duo regna, sub duobus regib. habetur diuisa. Item in epist. ad Hadrianum papam: In cuius (nempe Lotharij) parte regni non solum pars diœcesis, verum & pars parrochiæ meæ coniacuit. Et infra. In cuius regno parrochia, & prouincia mea consistit. Idem denique in epistola ad clerum & plebem Belvacensis Ecclesiæ: Sic etiam de alterius diœcesi Archiepiscopi, vel parrochia Episcopi, &c.

Pedatura vitium, id est pedamentum, statumen. Vnde vitis pedata, & statuminata apud Plin. h. e. palis perticisque firmata. Vide sch. ad c. 18. l. 1. Deriuatum est à verbo pedare, quod est viti vel alteri arbusculæ sustentaculum adhibere.

* *Padonare*, pro condonare, Gall. *pardonner*. Legitur in Capitularibus, vt lib. 4. ca 37. & alibi, & in Goffrido Abbate Vindocinensi, l. 5. ep. 19.

Pitacium & *pitatiolum*, vel vt 5. fere per c. pitaculum, lib. 3. c. 22. Fuit titulus opusculi Hincmari Laudunensis Episcopi, nepotis Hincmari Remensis, cui carmen præfixerat ita incipiens.

Iste pitatiolus plane depromit & apte.

Sedem appellandam libere Apostolicam. Quod opusculum latè refellit Hincmarus Remensis prolixo opere lv. Capitulorum, præfixo etiam carmine in hunc modum:

Hoc tibi de titulo, iuuenis Hincmare sacerdos,
Respondere mihi conuenit arte pari, &c.
Namque pitaciolum neutro dixere priores,
Et caput hoc languens cetera fluxa docet. &c.

Alioqui pitacium schedulam significat, seu epistolium. Hadrianus Iunius in suo Nomenclatore: *Pyctatium*, vel potius pyctacium Cassiodoro & Lambri[illegible]io, cuigua tabella. *πιττάκιον* Moschopulo. Belgice *een cleine cedulle*. Pitacium Celso idem quod emplastrum. Glossarium B. Isidori Pictacium, epistola breuis & modica. Pictatiuncula, membrana. De Pittacio plura Heribertus Rosvveydus, vbi supra.

Placitum, conuentus publicus, seu conuentus procerum regni comitia, Gall. *plaidz*. Vide indicem vocum obsc. ad chron Cam. & notas Busæi ad epist . & 4. Hincmari, Et notas Iacobi Sirmondi ad ep. 36. lib. 5. Goffridi Vindocinensis Abbatis.

Præceptum, rescriptum principis, vel constitutio regis, priuilegium, literæ immunitatis. Vide notas nostras in c. 85. l. 1. chron. Cam.

Præstaria & precaria, eadem sunt, vt patet ex l 4. c. 51. vbi Nicolaus Chesneau Gallice interpretatur *vsufruict*. Quid autem sit precaria, vide dictum indicem. Præter loca ibi notata precariarũ meminit Iuo ep. 271.

Præsentaliter, pro præsentialiter.

Prauidere, pro prouidere, lib. 4. c. 1. Sic & aliquoties Baldericus in chron. Cam. Vide nostrum indicem vocum obsc.

Precatoria, lib. 2. cap. 5. idem quod præcaria.

Presbyter, pastor seu parrochus. Vide schol. ad c. 8. l. 1.

* *Ptochium*, l. 1. c. 18. Græce *πτωχεῖον*, domus mendicorum, seu locus ad recipiendos mendicos. Bassianus Episcopus in litteris ad Valentinianum & Martianum Imperatores, quæ habentur in Concilio Calcedonensi act 11. Sed ego à iuuenili ætate mea vixi cum pauperibus, & ptochium feci, & in eo posui septuaginta lectos, & omnes languentes & vlceratos hospitio suscipiebam. Item in eodem Concilio can. 8. Clerici qui præficiuntur ptochodochiis, qui ordinantur in monasteriis, & basilicis martyrum sub Episcoporum, & potestate permaneant. Vbi secunda editio sine versio in tomis Conciliorum habet in ptochiis. Tertia quæ est Gentiani Heueti: Clerici ptochiorum [illegible] A-pud Gratianum 18. qu 2. c. 10. Quidam monachorum

ex correctione Gregorii XIII. legitur vt habet 2. editio: In ptochiis, pro quo vitiosè vulgata exemplaria legebant, patochiis, ibique adnotatum eſt ptochiis eſſe vocem canonis Græci. De eodem vocabulo Roſvveydus, vbi ſupra.

Quaque, pro quæcunque.

Quique vel quiſque, pro quicumque, l.3. frequenter.
Quibuſque, pro quibuſcunque.

Quiſque, pro quiſquis. Franciſcus Iuretus in ſuis obſeruationibus ad epiſtolam 8. Iuonis: Vetuſtiores dixerunt quiſque, pro quiſquis, quod pleriqne non obſeruantes ſæpe mutarunt & corruperunt in authorib. côtra fidem priſcarum membranarum. Sic ille. Et probat ibid. citatis exemplis ex Tertulliano, Hilario, & aliis.

Refutare, renuere, recuſare, Gal. *refuſer*, lib. 2. c 19 Vtitur in eadem ſignificatione Iuo ep. 131. 173. 178. 186. & alibi ſæpe.

Regeſtum, lib. 2. c. 5. vbi vide ſcholia.

Remandare, renunciare.

Repedare, redire. Lucilius Rediſſe ac repedaſſe, vt Romam venit.

Reuadiare, l. 3. c. 4 dicitur à vas vadis. & Gall. ibidem vertitur debitorem ſe agnoſcere. Legitur eodem libro c. 28. Vide indicem vocum obſc. ad chron. Cam.

Reueſtitus, l. 3. c. 18. indutis paramentis eccleſiaſticis, Gal. *reueſtu* Aliquando *reueſtire*, eſt in poſſeſſionem inducere poſt priuationem, vt eodem l. c. 26. & l. 4 cap. 1 Vnde veſtitura, de qua voce Pithœus in Gloſſario.

Rotula, & *rotulus*, l. 3 c. 11. & alibi, ſcheda, volumen, ſcriptum conuolutum. Ibidem c. 52 rotulam prolixiſſimam, inquit Hincmarus. Vtitur idem in opuſc. lv. Cadit c. 43. Eamdem vocem rotulus, pro ſcheda aliquoties vſurpat Stephanus Epiſcopus Pariſienſis in epiſt. præfixa condemnationi aliquot articulorum in fine Petri Lombardi magiſtri ſententiarum Eſt autem rotula diminutiuum à rota.

* *Salarium argenteum*, ſalinum l. 3. c. 5. vbi ms male legit ſolarium l. c 23. leguntur duo vaſa ſalaria à rege S. Stephano miſſa. Vbi aliud forte intelligit.

Sanctre, poſſeſſionem accipere, Gal. *ſaiſir*. Vide ſchol. ad c. 41. l. 4. Verbo ſaiſiuit, & reſaiſiuit vtitur Iuo Carn. epiſt. 101.

Senior, dominus, Gal. *ſeigneur*. Vtitur Hincmarus epiſt. 1. inter eas quas edidit Buſæus, & paſſim ſcriptores mediæ ætatis. Vide indicē vocum obſc. ad chron. Cam. & Petrum Gregoriū l. 6. ſyntag iuris vniuerſi c. 11

Signa eccleſiæ, campanæ. Hinc in pontificali parte 2. titulus eſt, de benedictione ſigni ſeu campanæ. Vide Gloſſar. Pithœi verbo Signa.

Succenſere eum, vel eos, cum accuſatiuo, id eſt, contra eos iraſci.

* *Suetum*, conſuetum.

Sumptorium, lib 3. c. 5. cochlear, vt Gallice vertitur, quo nimirum vtimur in calice ſacro.

Tantitas, exiguitas, prauitas, in prologo auctoris.

Theudeſtica lingua, lib. 4. cap. 35. vbi ms. Teutonica j. Theotiſca, id eſt Germanica.

Thuyeſche. Inter epiſtolas Hincmari à Cordeſio editas, exſtat epiſtola Orfridi monachi ad Luidbertum Archiepiſcopum Moguntiacenſ & præfatio in librum antiquum lingua Saxonica conſcriptum, quæ ibidem vocatur Teudiſca, & legitur Aduerbium Theotiſce. Item Teudiſcæ linguæ exemplum exſtat l. 3. hiſt. Nithardi.

Titulare, inſcribere, inſignire.

* *Turriculum*. Vide ſchol. ad c. 18. l. 1.

Vadatus, l. 4. c. 29. à verbo vador, ari, commune, id eſt, fideiubere pro alio. Vide indicem voc. obſc. ad chron. Cam.

Vadius, l 3 ca. 28. Hoc illi emendare per vadium faciat. Videtur ſignificare idem quod vas vadis, id eſt, fideiuſſor. Et teſte Iacobo Spiegelio in lexico iuris primum dictum eſt vadis, deinde per ſyncopen vas. Vadimonium ſponſio eſt ſtandi in iudicio. Alii ſcribunt per duplex Vv, Vvadius, vt l. 1 capitul. c. 38. Ab his qui decimas non dant Vvadios accipiant. Et l. 3. c. 29. tit. eſt, de libero homine, qui ſe loco vvadij tradidit. In epitome Conſtitut. Caroli Magni de lege Ripuarēſe ca. 5. Homo ingenuus, qui multam quamlibet ſoluere non potuerit, & fideiuſſores non habuerit, licet ei ſemetipſum in vvadium, & cui debitor eſt mittere, vſq; dum multam quam debuit perſoluet. Ad quem locum notat Vitus Amerpachius: In vvadium dare hoc eſt pigoori dare, aut addicere. Vide rub ſ l 2 ll Longobard. Plura loca profert Pithœus in gloſſ verbo vvadii, & verbū vvadiare frequens eſt in legibus Longobard.

Vaſſalli aut vaſalli, clientes. Vide idem gloſſar. in dictione Vaſſi.

Vel, ſæpe ponitur pro, &, præſertim iñ ſummario capit. Quomodo etiam vertit interpres Gallicus, vt lib. 4. c. 19. 36 & 38.

Vicariatio, vices. Vide ſcholia ad c 1. l4

Vicedominus, l. 1. c. 17. vide ſcholia. Vtitur & aliis locis.

Villa, pro pago, aut ciuitate ſæpe accipitur, phraſi Gallica, vt l. 1 c. 14. Sparnacum villam ſuam, id eſt ciuitatem, Gallice *ville*. Nam alias eumdem locum oppidum vocat.

Villare, maſculino genere, l. 2. c. 5. & 5 villa.

Vnguen. vnguentum, l. 1. c. 11. ex Hincmaro in vita S. Remigii. Vtitur Perſius.

Vtiliſimus, vtiliſſimus.

FINIS.

APPENDIX AD FLODOARDVM.

STATVTA SYNODALIA ECCLESIÆ REMENSIS.

Per Dominum Sonnacium.

Cap. I.

SINE fide (teſte Apoſtolo) impoſſibile eſt Deo placere, ideoq; mandamus omnibus, vt exacte doctrinam fidei iuxta verbum Dei, & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ traditionem teneant, ſequanturque. Et quicūque paſtores ſunt, quæ ad inſtruendum populum, & gregem pertinent, diſcant & ſciant, & ſuos ad officia virtutum excitent. *Heb. 11.*

Cap. II.

Fidelibus piè Sacramenta miniſtrent, ſemperque adferant quod ad explicandam vtilitatem Sacramenti, & inſtitutionem pertinet.

Cap. III.

Mercedem non accipiant, ſed in Deo confidant, qui dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum. *Pſ. 146.*

Cap. IV.

Baptizaturus ſit ſobrius, idque honneſte expleat, verba attente proferat, & debite de parentibus informet.

Cap. V.

Confirmationis Sacramentum habet donum ro-

borantis Spiritus sancti, & vberiorem gratiam profert, ideoque non negligatur.

Cap. VI.

Remissio peccatorum, & expiatio sanguini Domini nostri Iesu Christi nititur præcipue, & ab eo pendet.

Cap. VII.

Curet pastor ouem suam, & non negligat: & iniungat interesse Missæ sacrificio diebus solemnibus & Dominicis, agnoscat eius faciem: & si bis absit in anno, prohibeatur eidem Ecclesiæ ingressus, & careat pastorali sepultura & consolatione. (Prou. 27)

Cap. VIII.

Nemo tempore quadragesimæ pœnitentium confessiones audiat præter pastorem. Huius enim interest ouem recognoscere, pro qua suam animam fœneret Domino.

Cap. IX.

Sacrosanctam Eucharistiam sacerdos celebraturus se præparet, & probet: & vt minimum bis in mense id faciat.

Cap. X.

Feratur ægrotis vase honesto, & lumine antecedente, & præeunte: Et quicunque peregrinari volunt, illud ad viaticum suscipiant.

Cap. XI.

Et cur ad mortem condemnatis renuitur? cum iis maxime conducat ad spem & securameo certi decessus, & præsentis agonis.

Cap. XII.

Qui ad ordines promoueri volunt, habeant beneficium ad alimoniam sufficiens, idque ad examinationem virorum proborum & iuratorum.

Cap. XIII.

Nulli tonsura detur, nisi idoneo, & ad sacros ordines postea probabiliter ascensuro. Quid opus enim mittere panem filiorum canibus, & spiritalia mundi amatoribus? (Matth. 15.)

Cap. XIV.

In matrimonio imago extat sacrosancti coniugij inter Christum & Ecclesiam enati: ideoque vinculum est diuinitus firmatum, quod multum confert ad felicitatem rei familiaris, ad pacem inter partes, & ad proles suscipiendas. (Ephes. 5.)

Cap. XV.

Extrema vnctio deferatur laboranti & petenti, cumque pastor in propria sæpius inuisat, & pie visitet, eum ad futuram gloriam animando, & debitè præparando.

Cap. XVI.

De clericis, luceant sicut stellæ & perpetuæ claritates in firmamento Ecclesiæ. Non sint ebrii, nugaces, & sæcularibus immixti. (Dan. 12.)

Cap. XVII.

Nec mulieres alloquantur, aut domi retineant: viuant in communi, & ædes pauperi parentes inhabitant.

Cap. XVIII.

Suffragia defunctorum omnino seruari præcipimus, & ne missarum solemnia, præter fundatorum mentem, alio modo conuertantur.

Cap. XIX.

Sint Episcopi fideles & assidui verbi Dei dispensatores. In hoc enim eorum charitas dignoscitur, si gregem pascant exemplo & verbo.

Cap. XX.

Festa absque omni opere forensi excolenda, & cum debita veneratione celebranda hæc sunt: Natiuitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Annunciatio B. Mariæ, Resurrectio Domini cum die sequenti, Ascensio Domini, dies Pentecostes, natiuitas B. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, assumptio B. Mariæ, eiusdem natiuitas, Andreæ Apostoli, & dies omnes Dominicales.

Cap. XXI.

Ecclesiæ debitè dotentur ad alimoniam pastoris & cleri, vt securius inuigilent super gregem, & de eius salute sint anxii & solliciti.

Hæc statuta accepta ex Maiori monasterio (Gallice Marmonstier) à S. Martino ædificato in suburbus ciuitatis Turonensis, cùm serùs ad manus nostras peruenissent, visum est appendicis loco adducere. Etsi enim sint in his quædam, quæ non videntur redolere antiquitatem: vt quod titulum pastoris tribuat parochis, qui ætate Sonnacij & multo post presbyteri tantum aut sacerdotes solent appellari: quod item festum Natiuitatis B. Mariæ inter festa celebranda reponat, quod in his partibus non videtur tam antiquum fuisse, quandoquidem Fulbertus Carnotensis, qui vixit anno 1017. id primum in Gallia celebrasse dicatur, si Demochari credimus. Verum facile potuit fieri, vt loco presbyteri à recentiori aliquo positum sit nomen pastoris, & festum illud ab aliquo forte adiectum. Scribit tamen S. Hildephonsus (qui eadem ætate vixit cum Sonnacio) in libro de virginitate & parturitione B. Mariæ, Natiuitatem eius ex auctoritate totius Ecclesiæ celebrari & venerari.

Sunt his statutis similia quæ scribit Iesse Ambianensis Episcopus in epistola ad sacerdotes suæ diœcesis, & Constitutio Rioulfi Suessionum Episcopi, quæ cum Hincmari opusculis edidit Ioannes Cordesius.

Quæ sequuntur editioni suæ adiecit R. P. Iacobus Sirmondus, quæ nec in nostra deesse voluimus, sed ordine temporis disposita.

De ministris Remensium Ecclesiæ, quos inordinate Ebo Episcopus inuenit, & per deprecationem eorum, inspirante sancto Spiritu, hæc dictauit.

PRæpositum decet cura interior ac exterior. Exterior in rebus & familia saluandis, atque secundum Deum gubernandis, summa cum intentione, & pietate, & beneuolentia. Ibi etiam consistit omnis nutriendi industria, cuncta proficua ingenia laborandi in agris, in vineis, in siluis, in hortis, in diuersis emptionum generibus prouidè procurandis. Insuper & de qualitate necessaria ædificiorum, siue quantitate. Interior vero sollicitudo eius esse debere manifestum est dispensatio fratrum publica, honestè disposita in victu & potu, siue omni subsidio corporali, quod admini-

administrat diuina pietas, siue per studium laborisegetus, siue de eleemosynis fidelium, necnon & de dono propriæ procurationis publicæ. Cui non minor pater etiam alia dispensatio necessaria in infirmis & senibus, pro diuersitate vniuscuiusque necessitatis. Sequitur autem hinc studium omnem ornatum corporalem ac spiritualem continens fratrum. Corporalem primum in clausura, inde in refectorio, & in dormitorio, in cellario, in coquina, siue in cunctis habitationibus necessariis, nec non in vasculis omnibus. Spiritalem vero zelum talis minister veræ religionis habere debet sanctæ conuersationis nocte ac die Canonicis patritis in hortis. Correctionem morum deprehendens: vaniloquium secretis in locis & horis suo rigore omnino depellens: omnes negligentias omnium publicè deprehensas in capitulo omnium fratrum iudicio puniens his modis, id est, aut carcere, aut separatione mensæ, siue in omnium verberum diuersitate. Cuius etiam prudentissima circumspectio Decanis sibi suppositis inuigilare debet, ne vnus quidem, à maximo vsque ad minimum, absque eius conscientia & licentia vnius diei spatio nequaquam ab officij sui loco desit.

Archidiaconi officium est, gradus Ecclesiasticos summa cum prouidentia ætatum & meritorum ordinare: de tempore in tempore nominibus certis vniuscuiusque officium de omni regione præfigere, subtiliter ve merito probare, & gratiam S. Sp. vnicuique inuestigando ministrare: in omnibus diuinis officiis S. Dei ecclesiæ fideles ministros erudiendo & excolendo efficere: festiuitatum omnium ac feriarum, nec non totius anni officia in canticis & lectionibus, non solum litteraturam corrigere, sed spiritalem intelligentiam omni clero in Capitulo tradere, libertates liberorum cum restibus probare, alienorum seruorū ad gradus venire volentium ex gere, potestatem etiam habens libertatem Ecclesiastica propria de familia facere, & alienis exigere. Pro neglecta lectione aut officio gradus sui à Diacono vsque ad infimum excommunicare: etiam & iuuenculos talibus pro excessibus verberibus arcere: verbum etiam faciendi ad populum in diebus festis prouidere & facere: & sic omnia per ordinem digne vsque ad consecrationem Presbyteri studiosissima intentione veræ religionis perducere. Vinctorum etiam publicæ ciuitatis ex carcere curam in festiuitatibus solennibus Domini gerere, id est, in Natale Domini, in Epiphania, initio Quadragesimæ, media Quadragesima, in Palmis, in Sabbatho sancto, & in die sancto Paschæ, similiter in Ascensione Domini, & in Pentecoste summa cum diligentia eos excipere, & eis obsequia benignitatis corporalia, spiritaliaque, ex diuinis & humanis beneficiis, refectionem benedictionis parare.

Chorieipiscopi verò ministerium est, omnem sacerdotalem totius regionis sibi commissæ conuersationem corrigere atque dirigere, id est in confitendis diuinis Sacramentis & baptisterio omnium intellectum aperiens excitare, popolum regionis prędicare, confessiones exigere, pœnitentiam eum discretione cante imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis & benedictionis, & sanctæ vnctionis inferre. Communioni sanctæ dignos fieri populos assidua commonitione exercere, mortuos cum commendationibus animæ, & orationibus dignis obsequiis sepulturæ venerabiliter tradere, pro viuis etiam ac defunctis totius Ecclesiæ filiis stationabili assiduitate exorare. Insuper vero omnia quæcunque intra Ecclesiam & extra Ecclesiam in claustro & in omnibus habitationibus à maximo vsq; ad minimum quemcumque viderit negligere, secundum Ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat, & omnem veram religionem, prior ipse faciendo, omnes facere doceat. Et hunc modum nequaquam, nisi præcipiente Episcopo, de causis subsequentibus excedat de omni iure consecrationis.

Episcopum vero ciuitatis propriæ disponere oportet de consecratione, de confirmatione, de reconciliatione, & de publico indicendo ieiunio, aut aliud aliquid publici iuris pro tempore digno Deo debito. Cuius officii summa speculationis hæc est, vt & subtilissime prouidendo insistat qualiter omnium officia studiosissime gubernando ad potium perfectionis dirigat: quibus in causis, nisi iussus, Chorepiscopus nullatenus excedat.

Iacob. Sirmon. de annotat.

Quod præcessit opusculum Ebonis, ex S. Remigii bibliotheca Remis exscripsimus, cum Ioannis VIII. epistola & Decreto electionis Laudunensis, quæ infra sequentur. Proximam vero notitiam de villa Nouilliaco, cuius auctor Hincmarus ipse videtur, nobis communicauit humanissimus Nicolaus Faber ex bibliotheca, vt aiebat V. C. Claudij Puteani Senatoris Paris.

SEQVVNTVR GESTA QVOMODO D. Hincmarus villam Nouilliacum apud D. Carolum Imperatorem filium Ludouici Imperatoris impetrauit.

Flod. lib. 3. c. 20.

DEfuncto Pippino Rege VIII. Kalend. Octobris in monasterio sancti Dionysij, filij eius Carolomannus & Carolus secundum dispositionem patris sui, & consilium regni primorum, diuiserunt inter se regnum paternum, & eleuati sunt in reges VII. Id. Octobris. Carlomannus in Suessionis, & Carolus in Nouiomo, sicut in Annali regum scriptum habemus.

An. 769.

Anno IV. regni sui infirmatus est Carlomannus infirmitate, qua & mortuus est in Salmuntiaco, & ante obitum suum per præceptum Regiæ suæ auctoritatis, quod habemus, tempore Tilpini Archiepiscopi tradidit villam Nouilliacum cum omnibus ad se pertinentibus, pro animæ suæ remedio, & loco sepulturæ, ad Ecclesiam Remensem S. Mariæ, & basilicam sancti Remigii, in qua & sepultus est. Post cuius obitum Carolus frater eius præcepto, quod habemus, suæ auctoritatis ipsam traditionem confirmauit.

Defuncto Tilpino Archiepiscopo anno XXIII. postquam Carlomannus Remensi Ecclesiæ villam Nouilliacum tradidit, tenuit D. Rex Carolus Remense Episcopium in suo dominatu, & dedit villam Nouilliacum in beneficio Anschero Saxoni, qui nonas & decimas ad partem Remensis Ecclesiæ de ipsa villa vsque ad mortem suam persoluit: & defuncto Domino Carolo, sed & ipso Anschero Carlomannus præfatam villam cum omni integritate Remensi Ecclesiæ tradidit, semper ipsa Ecclesia inde vestitutam sicut prædictum est, per annos XXXVII. habuit. Post obitum domni Caroli, & defuncto ipso Anschero, Domnus Ludouicus Imperator donauit ipsam villam Nouilliacum Donato in beneficio. Qui Donatus, interueniente Bigone, per subreptionem quasi de fisco Regis quasdam colonias de ipsa villa obtinuit in proprietatem per præceptum domni Ludouici Imperatoris. Et quando Lotharius filius domni Ludouici Imperatoris Cauillonem veniens eam expugnauit, Donatus à villa supra Matronam, quæ Pomarius vocatur, ab Imperatore defecit, & illi meotitos ad Lotharium cōfugit, & veniente hostiliter imperatore Ludouico ad villam quæ Caleiacus dicitur, Lotharius ad eum cum suis constrictus venit, & sacramentum ipse & sui ab Imperatore quæsitum illi iurauerunt. Inter quos & Donatus de infidelitate eius comprobatus,

ipsi Imperatori quæsitum sacramentum iurauit, & Comitatum Mitiduuensem, & villam Nouilliacum eum suis appendiciis Imperator ab eo abstulit, & Athoni, qui fuerat ostiarius Caroli Imperatoris in beneficium dedit. Donatus autem in vita Imperatoris Ludouici nec Comitatum recepit, nec de proprietata sua vllam firmitatem promeruit. Post obitum domini Ludouici Imperatoris diuiso regno inter fratres, & pace facta inter eos, & mortuo Athone, dedit Carolus Donato in beneficium Nouilliacum. Processu denique temporis commendauit Donatus filium suum Gozelum Carolo Regi, cui in beneficium dedit Carolus villam Nouilliacum cum appendiciis suis. Deinde Landrada vxor Donati, sed & filii eorum, pergente Carolo Rege ad obsidendos Normannos, qui in Insula, quæ Oscellus dicitur, residebant, cum aliis defecerunt. Quorum honores & proprietates à Francis auferri, & fiscum redigi iudicatæ sunt. Vnde Landrada, & filii eius eatenus auctoritatem Caroli Regis non obtinuerunt. De quibus rebus anno XX. regni sui Carolus villam fiscalem præcepto suo, quod habemus, Orbacensi Monasterio dedit.

Anno XXXII. regni sui venit D. Carolus Rex gloriosus in basilicam sancti Remigii, vbi ostendi ei locū sepulchri Carlomanni Regis, & præceptā ipsius Carlomanni & Caroli aui de villa Nouilliaco, & auctores sacrorum Canonum, qualiter damnent Spiritus S. iudicio eos, qui eleemosynas defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, qui vt infideles ab Ecclesia abiiciendi, & quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei habendi iudicantur. Et reddidit præcepto suæ auctoritatis, quod habemus, Remensi Ecclesiæ ipsam villam cum omnibus, ad se pertinentibus, quam tunc Bernaus post fratrem suum Rotbanum in beneficio habebat.

Postea peruenit ad eius notitiam, quod quidam homines de ipsa villa Nouilliaco per subreptionem, tam apud eum res & mancipia in proprietatem obtenta tenerent, Landrada scilicet vxor quondam Danati, Cuntharius, Hugo, & Vualtrudis, & Elampodus filius eius, Rotbertus, & Boso, misit suos missos ad hoc inquirendum, & in quæstione facta, & veritate, sicut ei dictum fuerat, inuenta, quoniam prædicti ad rationem non venerunt, sic vt banniti fuerunt, iussit vt præcepta Carlomanni & Caroli, sed & suum præceptum coram suis fidelibus in generali placito suo apud Duziacum in causis palatinis legerentur. Vnde fideles eius, tam Comites quam Vassi dominici, quorum nomina scripta habemus, sed & cæteri omnes, qui adfuerunt, relectis eisdem præceptis iudicauerunt, vt quicumque de rebus & mancipiis ipsius villæ Nouilliaci, per cuiuscunque præceptum, vel quocumque modo, post donationem Carlomanni, qua eam omnibus appendiciis suis, vel cum omni integritate, ipsam villam Nouilliacum, sicut tunc in fisco erat, ad Ecclesiam Remensem tradidit, & post confirmationem fratris eius Caroli in proprietatem obtinnit, si commutationem ostendere non posset, qualiter res & mancipia de ipsa casa Dei iuste & rationabiliter commutata fuissent, qoia non de fisco Regis, sed de Ecclesiasticis rebus & mancipiis per donationem obtinnit, vt ipsæ res & mancipia, quę de villa Nouilliaco obtenta fuerunt, ad ipsam casam Dei restituerentur, sicut in pręcepto restitutionis ipsius D. Caroli, quod habemus, plenius continetur.

Sed quando D. Carolus Romam perrexit, & D. Ludouicus frater eius ad Attiniacum venit, per quosdam ex nostris apud domnam Ricildem Reginam, & apud D. Ludouicum filium D. Caroli Regis obtinuerunt Donati & Landradæ filii, vt villa Nouilliacus eum suis appendiciis eis consignaretur, non attendentes, quia sicut in Capitulis Augustorum scriptum habetur, tales de Regis proprietata, vt infideles iudicandi sunt, & secundum leges Ecclesiasticas de rebus Ecclesiasticis sacrilegi iudicantur.

Reuersus autem D. Carolus Imperator Remos veniens, cum tale factum audiuit, satis grauiter tulit, & misit suos Missos: qui scilicet dictam villam Remensi Ecclesiæ & aduocato nostro restituerunt, sicut plenius scriptum habemus.

Hic sequebatur epistola hoc titulo: Ioannis VIII. Papæ iussio de ordinando Episcopo in Ecclesia Laudunensi vacante. Quam quia scholiis nostris ad caput vigesimum secundum libro tertio inseruimus, hoc loco prætermittimus.

DECRETVM CLARI LAVdunensis de Hedenulfo electo Episcopo.

Domino Reuerendissimo & Sanctissimo Hincmaro Archiepiscopo, cæterisque nostræ diœcesæos sanctis patribus & Episcopis, Clerus Laudunensis cum totius parrœchiæ plebibus & sibi commendatis Præsulibus, æternam in Domino Iesu Christo salutem, & pacem. Canonicis regulis & Apostolicis institutionibus statutum esse recolimus, vt quoniens quælibet ciuitas ministerio Pontificalis dignitatis caruerit, proprioque pastore vacauerit, cum decreto electionis, singulorum petentium manibus roborato, Metropolitanum adire Pontificem debeant ac de substituendo in loco eius qui decessit pastore premone supplici commoneta: quatenus & ciuitas sollicitudine pastorali destituta proprio recuperetur Pontifice, & qui ordinandus est gratiosius possit accedere. Quia cui debet ab omnibus obediri, vtique debet & ab omnibus eligi: ne ciuitas non optatum Episcopum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam conuenit, cui non licuit habere quem voluit. Hi vero qui ordinaturi sunt, in quem viderint omnium vota propensius concordare, promtius liberiusque illi manus imponere possint.

Quapropter cum decreto nostræ electionis manibus singulorum nostro corroborato ad paternitatem vestram accedentes, Hedenulfum Ecclesiæ nostræ filium, & in Ecclesia nostra suffragantibus stipendiorum meritis ad onus vsque sacerdorale promotum, vita & moribus ac sancta conuersatione idoneum approbatum, quem per licentiam vestram, fauente Christianissimo Imperatore Carolo, pari consensu ac concordi deuotione, atque vnanima voluntate eligimus, per manus vestras, ac cæterorum vestræ diœceseos sanctorum Episcoporum consecrari, nobisque & Ecclesiæ nostræ doctorem atque Pontificem institui imploramus, precamur, ac petimus. Eligimus autem eum nobis fore pastorem, quem Apostolicæ sortis, qua Episcopum ornatum B. Paulus esse dabere demonstrat, congruere, & sacris non obuiare canonibus, Christi gratia cooperante, confidimus. Oramus sanctam paternitatem vestram nunc & semper in Christo bene valete.

Actum V. Kalend. Aprilis, in basilica sanctæ Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, Anno incarnationis eiusdem Domini nostri Iesu Christi DCCCLXXVII. regni domni Caroli Imperatoris XXXVII. ac imperii primo, Indictione IX.

APPENDIX HISTORIÆ FLOdoardi incerti, sed antiqui scriptoris, eiusdem Remensis Ecclesiæ Canonici, qui Flodoardum breuiauerat.

HActenus de Remensibus Archiepiscopis secundum traditionem Flodoardi, quomodo vnus post alium surrexit, narrationem digessimus. Nunc vero de cæteris, qui post Flodoardi decessum extiterunt, secundum quod à maioribus audiuimus, seu quod in antiquis chartis reperimus, opitulante Deo, prælibato operi adnectemus. Præfatus Artoldus, de cuius decessu in libro Flodoardi nihil habetur, Abbatiam sancti Timothei, quæ vsque ad illud tempus Remensium Episcoporum extiterat, sancto Remigio, de cuius cœnobio assumptus fuerat, contulit. Hic autem, cum per triginta annos in multa aduersitate, & aliquando in tranquillitate, Remensem diœcesim gubernasset, vniuersæ carnis viam sine bono ingressus est. Quo defuncto, domnus Odalricus, vir nobilis & honestus, Pontificale onus suscepit: de cuius operibus pauca apud nos monumenta habentur. Liquet tamen, quia ipse Ecclesiæ Remensi villam Vindenissam dedit: Pro cuius largitione beneficij in conuentu Remensi memoria eius annuatim recolitur. Ipso etiam die, pro animæ eius remedio, viginti quatuor pauperibus singuli panes, totidemque vini metretæ, singuli etiam denarii distribuuntur. Prædicta vero villa in terra Comitis Registestensis sita est, quam modo Comes, Guiterus nomine, sub trecensu triginta solidorum tenet. Porro antecessorum suorum tempore, pro commutatione eiusdem villæ, plurima bona Ecclesiæ Remensi collata fuerunt: quod in subsequentibus plenius exponemus. At vero præfatus Antistes Odolricus pro vtilitate commissæ sibi Ecclesiæ fideliter laborauit, maximeque pro restitutione vallis Rodigionis, quam Hugo filius Rogeri Comitis Ecclesiæ Remensi donauerat: sed quidam malefactores de stirpe eius illam peruaserant, & hæreditatis iure illam sibi vendicare volebant. Quorum nisui venerabilis Archipræsul Odalricus, vt vir nobilis & potens, viriliter restitit, & prædictam vallem ad eius Ecclesiæ Remensis liberam reuocauit. Quod vt posterorum notitiæ manifestius fiat, prædictæ vallis donationem, & rei gestæ scriptum memoriale huic paginæ assignemus.

Vniuersis pene totius Franciæ primatibus liquet, Hugonem nobili prosapia genitum, in primo flore iuuentutis, cum sciret sibi superuenisse ab hoc seculo diem egressionis, licet sua conditionis plurimos inuenire posset heredipetas, Deum toto mentis conamine, eiusque sanctos ex patrimonio fecisse heredes. Qui in primo suæ dispositionis exordio beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Dominæ ac Dominatricis nostræ præsidium inuocans, tradidit ad mensam fratrum, Deo eiusque intemeratæ Matri in Ecclesia Remensi deuote famulantium, potestatem quamdam vallis Rodigionis à riuulo per medium decurrente vulgo nuncupatam, vt in eadem Ecclesia ipsius bonæ indolis viri haberetur memoria. Vnde & post eius exitum grandis altercatio habita est inter ipsam Ecclesiam & quosdam præfati illustris viri parentum. Quibus vehementer resistente domino ac venerabili Odalrico Antistite, eorum controuersia ad nihilum redacta in nullo potuit proficere. Quapropter non immerito fieri debet censeri, si illius cuiusquam propaginis petitionibus accommodatur auris.

Idcirco notum sit omnibus præsentibus scilicet ac futuris sanctæ Remensis Ecclesiæ Canonicis, Monachis, Laicis, vel Nobilibus, quia ipsius venerandi Episcopi neptis, nomine Emma, adiens præsentiam prædictorum fratrum, petiit sibi dari eamdem potestatem sub censu decem solidorum denariorum in Assumptione sanctæ Mariæ persoluendorum, duobus necne filiis Arnulfo & Odalrico, vt quisquis eorum affectu dilectionis illis amicabilius obtemperauerit diebus vitæ suæ, in hæreditate succedere debeat, his ad indominatum prædictorum fratrum retentis, mansionile Seniualdi Curtis nuncupato, cum sylua & dimidio brolio ad ipsum aspiciente: ita duntaxat, vt porci in eodem mansionile degentium, & illi qui cum porcis Canonicorum Remensium, qui sunt tamen familiarium eorum, illuc ducti fuerint, fructus syluæ depascant, hominibus quoque extra potestatem degentibus: de reliquo vero licenter alia potestate fateret veluti de proprio. Cuius voluntas cum in nullo rationabiliter refragari posset, quod postulabat obtinuit, factum vero litteris memoriæ tradidit. Actum Remis anno xiiii. Lothario Rege, Episcopatus domni Odalrici Archiepiscopi sexto. S. Odalrici Archiepiscopi, cuius licentia atque consensu hoc scriptum factum est, quod & ipse manu propria firmauit, manibusque nobilium virorum corroborari fecit.

Præfato Odalrico pro septem suscepti regiminis annos ad patres suos apposito, domnus Adelbero Henrici Comitis frater de terra Lothanensium, ad Pontificalem Cathedram, fauore & prouidentia Lotharii Regis assumptus est. Qui siquidem vir nobilis, honestate morum conspicuus, & Ecclesiasticis disciplinis institutus, religionem Remensis Ecclesiæ nimis tepefactam in bonum reparauit statum, & vtilitatibus inibi Deo seruientium instantem operam dedit & impensam. Hic etiam Mosomense Cœnobium à priori dignitate prolapsum in monasticum ordinem reformauit, eiusdemque reformationis tenorem, ne per succedentia tempora immutaretur, huiusmodi auctoritatis suæ priuilegio confirmauit.

Adelbero diuina propitiante clementia sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum fiat vniuersis cum præsentibus, tum etiam futuris fidelibus, quondam nobis Episcopio gratia Dei ac benignitate regia contradito, sanctorum quoque loca quædam bene in integro reperisse plurimum valentia, quædam vero pristina dignitatis statu deficiente prorsus neglecta. Inter quæ etiam illic Mosomi cœnobialis locus, antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet sanctimonialium vita aptatus, postmodum vero Canonicorum ordini ab Heriuæo prædecessore nostro melius informatus, atque in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ digne consecratus, seu nefandis vsibus, vtrobique negligenter incultus, rebus quidem partim subtractis, partim vero intercurrentibus malis sinistra restitit fortunæ. Quo igitur comperto, maximo nostro, adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquido perpendens eumdem locum, pro mundi infelicitate, in Canonicali ordine stare non posse, æternorum spe, prout opportunum extitit, ibidem monasticæ religionis vitam, ordinato Abbate Lidaldo, constituit: vt eiusdem loci Religiosi cultores tam rebus delegatis, quam etiam fore delegandis viuentes, continua vota Deo soluentes, sint pro nobis, pro posteris nostris cæterisque ordinibus iugiter orantes.

Quocirca paternitatem loco nostri subrogandorum in ista caritate Dei enixius imploramus, qui sub diuini amoris respectu, huius rei gestæ conducibili negotio consentanea pietatis faueant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti base dignentur curriculis consolari atque fulcire, vt ex eo gratiam Dei feliciter adipiscentes, huius præstantioris emolumenti mereantur fore consortes. Sed & hoc ex decreto sanctorum Patrum sub auctoritate Pastorali omnimodis inhibemus immo etiam cum diuini nominis obtestatione omnino interdicimus, ne vnquam huiuscemodi statutum qualibet temeritate ab vllo nostri ordinis violetur: quin potius in reliquum stabile, & inconcussum iure perpetuo idipsum venerabiliter conseruetur. Si per laicos autem hanc iniuria inuehatur, in eos procul dubio excommunicationis iaculum cum anathemate intorquetur. Anno igitur incarnationis Iesu Chr. Domini nostri DCCCCLXXXIII. prouinciali Synodo mense Maio generaliter congregata apud Montem sanctæ Mariæ, in pago Tardanensi, hoc decretum solenniter recitatum est: cunctis venerandis Episc. Abbatib. cæterisque nonnullis fidelibus huius nostræ institutionis, pro assensu fauentibus immo etiam collaudantibus,

atque confirmantibus. Quorum videlicet primus ego Adalbero iam præscriptus Archipræsul, eidem Concilio, Deo auctore, Pontificali auctoritate præsidens, manu nostra subscribens idem corroboraui. Sed & ceteri qui suberant consenserunt manibus impositis solidare.

Huius etiam Adalbetonis tempore de villa Vindenissa inter Manassem Comitem, & Canonicos Remenses conuentio talis facta fuit.

IN nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Notum fiat omnibus tam præsentibus, quam etiam futuris fidelibus, quod Manasses miles potestatem illam, quæ dicitur Vindenissa, à Canonicis Remensis Ecclesiæ, fauente quoque domino Adalberone Archipontifice, totam sibi suæque coniugi Oidelæ, excepta etiam Ecclesia Canonicorum iuribus in dominio reseruata, salua rerum commutatione, per precariam efficaciter obtinuerit. Dedit itaque contra eadem Manasses competenti modo Canonicorum parti quicquid possidebat in villa Teneanda: hoc est mansos ix. & molendinum, & in Verniaco viii. mansos & dimidium, & in villa Columnis adas duas in Comitatu Remensi. Aliam autem villam nomine Lotum in qua continentur mansi vii. & dimidius, & quarta vna, excepto indominicato manso, & quarta pars Ecclesiæ, pratum, molendinum, & sylua cum mancipiis vtriusque sexus numero lxxi. in Comitatu Castricensi super fluuium Barr. Sed & in villa quæ dicitur Esclen, duas partes de Ecclesia, & quidquid iuris habebat in ea, mansi scilicet v. pratum vnum, cum terris & mancipiis vtriusque sexus in Comitatu Portensi: ea videlicet ratione altrinsecus stabilita huiusmodi precaria, vt iidem Canonici pro respectu, & vestitura Teneandam & Verniacum manu sua teneant, cetera vero tam ipse, quam sua coniux prædicta, cum eadem potestate Vindenissa, in sua tantummodo vita libera facultate sibi teneant atque possideant. Vbi vero rebus humanis excesserint, totum illud ex integro prædium, præcario datum scilicet rebus, inuiolabili iure fratris Canonicorum iugiter obhærentibus, in manum eorum pro debito legibus ad possidendum redeat. Si quis vero, quod fore non creditur, præcariæ isti in posterum vllatenus aduersari tentauerit, illius temeritas stulta prorsus existat inanis & irrita, & sic hæc eadem precaria, maiorum auctoritate constituta legaliter, maneat stabilis & firma: tali videlicet conditione, si ille Manasses omnes res illas e contra redditas iure quieto stabiliter Canonicis solidauerit: alioquin aut his similia reddat, aut Remensis Ecclesia quod suum est iuste recipiat.

Actum Remis in sede VIII. Idus Nouembris anno xx. regnante domino Lothario Rege Francorum D. Episcopatus autem domini Adalberonis iiii. Dominus Adalbero Archipræsul subscripsit, & firmauit.

Alia quoque conuentio de villa Virtutis inter Heribertum Comitem & Canonicos Remenses tempore præfati Adalberonis stabilita fuit, cuius rei memoria, ne senio temporum oblitteraretur, tali scripto roborata fuit.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ego Lendo S. Remorum Ecclesiæ Præpositus, omnisque eiusdem loci Canonicorum congregatio. Nolumus latere omnium tam præsentium, quam futurorum industriam, quoniam Herebertus Comes nostræ humilitatis adiens conspectum, petiit dari à nobis sibi nostri iuris eam quæ dicitur villa Virtutis, quam ipse sibi ex peruasione vendicabat: ea videlicet ratione, vt pro vestitu nobis ad præsens ex ea restitueremus mansos duos ingenuiles & vestitos, & pro respectu annuatim persoluere libram vnam denariorum Remensis monetæ festiuitate sancti Remigii Kalend. Octobris in diebus tantum vita sua, filiis sui vxore sua, & infantibus, cunctisque heredibus suis. Cuius petitioni fauentes, cum omnium consilio & voto, concessimus illi soli præfatam villam, secundum præscriptam ab eoque determinatam rationem. Quod si de censu negligens extiterit, & emendare noluerit, vsumfructum amittat. Et vt securius in diebus vitæ suæ præfatas res possidere valeat, post discessum vero eius prænominatam villam cum omni integritate nostris vsibus recipere valeamus, factum est non solum à nobis, verum etiam ab illo, vt super hoc negotio faceremus cum chirographo mentionis decretum, addentes insuper, vt si qualibet persona post vitam suam terminum aliquem nobis inferre conatus fuerit inquietudinem vel iniustitiam sub maledictionis, & anathematis excommunicatione insolubiliter adstrictus damnatus fiat, fiat, fiat. Signum Domini Adalberonis Archiepiscopi confirmantis & consentientis.

Cum igitur præmemoratus Adalbero Remensem diœcesim per decem, & nouem annos viriliter gubernasset, & honestæ conuersationis eius bona opinio circumquaque diffunderetur, ad vltimum confectus senio fine bono diem vltimum clausit, corpusque eius in Ecclesia oratorii, sub altari, quod in honore sanctæ Crucis consecratum est, sepulturæ traditum fuit: cuius Epitaphium in tabula ærea litteris aureis descriptum, tale adhuc permanet.

Contulerat natura parens, quæ summa putauit.
Ad meritis tumulum tibi, Præsul Adalbero, cum te
Præstantem cunctis mortalibus abstulit orbi.
Quinta dies fundentis aquas cum pondere rerum.

Nec prætereundum tamen, quod omni anno dies defunctionis eius venerabiliter recolitur, & eleemosyna panis, & vini copiosa pauperibus distribuitur, quæ etiam eleemosyna mandatum Adalberonis nuncupatur. Sciendum quoque est, quomodo istius eleemosynæ sumptus præparetur: videlicet de domo, quæ vocatur Hospitale pauperum, annonæ sextarij iv. de camera frumenti iv. de horreo indominicato annonæ modius vnus, & vinum quod sufficiat.

Plura non erant in Codice Igniacensi, vnde hæc excerpta sunt.

FINIS.

IN S. BONIFACII
EPISTOLAS NOTÆ NICOL. Serarii Societ. Iesu.

IN S. Bonifacij epistolas notationum aliquid promisi li. 3. Moguntiacorum notatione 49. Promissum exsoluo, sed ita vt sint illæ, perbreues, neque afferri quicquid posset, occupent. Earum vero aliæ per margines epistolarum omnes sparsæ hactenus aliæ hunc in locum regestæ, quæ aut generales, aut speciales. Et illæ quidem septem.

I. DE HARVM EPISTOLARVM vtilitate.

AD multa valent veterum, maximeque Sanctorū, & nostrorum in Christo parentum epistolæ: ad *quatuor* tamen potissimum.

1. Ad finem. Multa enim, quæ ab hodiernis Nouatoribus in iurgium & calumniam vocantur, in illis egregie velut certa, sancta, & salutaria indicantur. verbigratia, sacrosanctum Missæ sacrificium, oratio pro fidelibus defunctis, Sanctorū inuocatio, reliquiaru

veneratio, Romani Pontificis auctoritas, & similia.

II. Ad mores. In illis enim crebra vitiorũ reprehensio, virtutũ laudatio, sempiternorum aut præmiorum aut suppliciorum explicatio, & quæ generis eiusdẽ alia.

III. Ad eorum à quibus, ad quos, & de quibus epistolæ sunt, *memoriam sola*, inquit S. Hieronymus epist. 42. *res, quæ homines absentes præsentes facit, epistola est.* ad Quintum fratrem Cicero: *Cum tua lego, te audire videor.*

IV. Ad historiam. Cum Imperatoris Aureliani gestas res scribere deberet Syracusanus Vopiscus, elaborauit in eo maxime, vt ex Ephemeridibus, libris linteis, ac Sybillinis, è variis denique bibliothecis epistolas conquireret. Nam *interest*, inquit, *epistolas nosse Aureliano scriptas.* Et postea. *Extat epistola, quam ego, vt soleo, fidei causa, imo vt alios Annalium scriptores fecisse video, inserendam putaui.* Rursumque: *Est epistola Aureliani de libris Sibyllinis. Nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum.* eamque ob causam tam crebro tam diligenter ex omnibus omnium Bibliothecarum angulis epistolicas istiusmodi schedas eruit, qui nostro isto sæculo est. *Romana Cæsar primus in historia.* Et Bonifacianas istas magno se studio perquisiisse testatur Othlonus in S. Bonifacij vitæ Prologo, & lib. 2. ca. 17. qui quodam veluti mœrore, aut solicitudine affectus subiicit: *Si quem moueat, quod plurima epistola quarum mentio fit in supra scriptis epistolis, hic pariter scripta non habentur, sciat illud hac de causa accidisse, quod nusquam eas inuenire potui.* Quibus verbis illud etiam indicat, se, si tot, quot etiam eduntur, S. Bonifacij epistolas nactus fuisset, ingenti exultaturum fuisse gaudio, & cum Euangelica illa muliere Luc. 15. 19. conuocaturum amicos & vicinos, usque dicturum: *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.*

II. DE EARVNDEM MANVscriptis exemplaribus.

HArum S. Bonifacij epistolarum manuscripta exemplaria vidit duo Reuerendiss. & Illustr. *Baronius.* eorumque alterum in Gregoriana Canonici iuris correctione citatur. Sed cum ex Italia in Germaniam illa, vt ederentur, ab aliis inonata rogataque intelligerem, neque, vt venirent tamen, exorari potuisse, omnem ego quidem illa vnquam videndi spem abieci, simulque statim cogitaui, si, quod olim monuisse Plato dicitur, in Germaniæ nostræ fundo, ad cretam vsque, foderemus, aliqua forte inueniri exemplaria posse. Ac Deo bene fortunante, sanctoque Bonifacio suis adiuuante precibus, vnum in celebri ac locuplete Ingolstadiensis Academiæ Bibliotheca inuenit è Societate nostra R. P. *Iacobus Gretserus*: alterum vero in amplissima nobilissimaque *Cæsareæ Maiestatis* Viennensi Bibliotheca Reuerendissimus, suisq; pro Ecclesia Catholica scriptis disputationibus, ac laboribus longe clarissimus D. Doctor *Pistorius.* Fuit & olim exemplar tertium in egregio Fuldensis monasterii librorum penu. sed hoc ab inuolante harpyia immundissima, *Illyrico*, inquam, sublatum, posteaque varie laceratum & conscissum. ita vt qui eius in Helmstadiensi Bibliotheca vidit reliquias Lutheranus Prædicans, dixerit, vel inde satis apparere, quem in veteribus tractandis, fœdandis, & mutilandis tenere morem solita sit dira illa Celæno. E duobus igitur prioribus Germanicis exemplaribus, quæ, quos laudaui, humanissime miserunt doctissimi viri, hoc nunc primo quidem manu, prælo deinde librario exscriptum opus.

III. DE PRÆCIPVO HVIVS operis exemplari.

SEquutus vero sum maxime Cæsareum M.S. exemplar. I. Quia vetustiore multo id manu scriptum, prout & characterum & pergamenarum monstrat chartarum antiquitas. Nam Ingolstadiense anno 1497. in Spanheimensi cœnobio, iussu Trithemii Abbatis, descripsit Nouitius Monachus, prout in Codicis extremo Græce, Latineque testatur. II. quia idem Cæsareum exemplar multo plures continet epistolas. In eo enim sunt CXVII. in Ingolstadiensi tantum LXXVIII. III. quia eædem illæ CXVII. nunquam in lucem prodiere hactenus, præter earum nonnullas, quas selegit, & in IX. Annalium suorum Tomum retulit Reuerendissimus & Illustrissimus, de quo supra, *Baronius*: postque ipsum, & ex ipso, fere tamen Germanicè, Io. ille Letzoerus, de quo ante vitam S. Bonifacii notatione lib. 3. Mogunt. p. 321. At ex Ingolstadiensibus LXXVIII. primæ vndetriginta lucem fere omnes iampridem & in Pontificum Epistolis, & in Othloniana S. Bonifacij vita, quam & Moguntiacorum libro tertio posui; aspexerunt. Accedebat, quod Ingolstadiensium posteriorum pleræque vel à Cæsareo, vel ex alio, quod cum isto congrueret, exemplari videbantur exscriptæ. adeo vt post Ingolstadiensem LXXI. scriberetur: *Epistola hæc descripta, superius posita. ideo omissa*, quia, vt apparet, in eo, vnde fiebat exscriptio, Codice, alio ante loco posita iam fuerat quemadmodum in Cæsareo M.S. ea epistola est L.

IV. DE CÆSAREI EXEMPLARis expressione.

IN antiquorum exscriptione Codicum, operæ videtur pretium nihil mutare. Atque hoc mihi omnino deliberatum ac statutum fuit, penitus tamen in omnibus assequi non licuit. *Nam &* operarum interuenere menda interdum nonnulla, quæ suo iudicabuntur loco, maxime in Epistola prima, & paucis quibusdam aliis. *Deinde* in vetere verborum quorundam Orthographia nolui esse morosior, partim quia plerisque molestia illa hodie ac ridicula; partim quia in quibusdam non tam orthographia, quam libraria cacographia & imperitia certo conspicua. Ne quid tamen detrimenti patiantur Antiquitatis amantiores, denotabo paulo infra, quæ prioris videntur generis. *Tertio*, iterabatur identidem hoc: *Epistola S. Bonifacii. Item epistola sancti Bonifacii.* At eam toties cramben reponere, cui rei: Satis hoc titulo & salutatione, quæ singulas pœne inchoat epistolas, perspicuum. In rebus, verbisque aliis à proposito exemplari nesciens prudensque vnum, vt aiunt, vnguem deflecterem, caui, scabra licet hiulca, & pœne ἀγρίμματα occurrerent nonnulla, quæ alius aliunde forsan aut corriget aut explicabit felicius. Varias tamen variorum exemplarium lectiones, & nonnullas interdum coniectiunculas in margine, cum litterarum quarundam de quibus paulo post, præfixione notaui.

V. DE CÆSAREI EIVSDEM codicis ignotis aliquot characteribus, meisque quibusdam siglis.

IN Cæsareo exemplari occurrerunt interdum ignoti quidã characteres, quos veteres aut Anglicos aut Saxonicos rebar. Sed magnã iis partem dissimiles sunt, quos ante Asserium Anglum prænotat Editor. E varia

tamen collatione, ipsorum pæne integrum conflaui alphabetum, quod, si præsto typi fuissent, hic Lectoribus dedissem, sicut signa, quibus vetustiore illo sæculo signabantur epistolæ. Sed pro his, & similibus, si qua vel exprimi non potuerunt, vel deesse visa sunt, punctula quædam apposui sic: ... .. Aliæ mihi siglæ (sic enim compendiarias dictionum notas vocat, vt ad ep. 99. dicetur; Iustinianus) istæ sunt.

C. Cæsareum exemplar.
I. Ingolstadiense.
C.I. Vtrumque.
B. Baronianum.
L. Letzcetianum.
S. Surius vita S. Bonifacij.
V. Vulgatus Bibliorum Interpres Lat.
F. Forte legi potest.

Ingolstadiensem vero Codicem, quia propter oblatam vecturæ commoditatem remisi antequam accipere Cæsareum licuisset, cito ex apographo, quod cum Cæsareo collatum solum.

VI. DE ISTARVM EPISTOLARVM STYLO.

ET tamen quibusdam *non sunt*, ait S. Hieronymus epist. ad Marcellam, *suaues epulæ, quæ non placentam redolent, quas non condit Apicius; in quibus nihil de Magistrorum huius temporis iure suffumat. Non omnis fert omnia tellus.* Qui valde Latinum, aut politulum, nitidumque semper stylum expetunt, Ciceronem habent, & Manitium Muretum, Lipsium, aliosque nonnullos. In hisce S. Bonifacij epistolis simplex oratio est & familiaris; illo sæculo non inelegãs, nostro tolerabilis, prætetquam in pauculis aut versibus aut epistolis, quibus aut discipulæ suos quoquomodo affari Magistros gaudebant. Candida vbique pectorum, morumque simplicitas elucet: virtus, Christianaq; charitas & modestia renidet in omnibus. Sed in Cæsareo volumine multo ab librariis mendosiuserant scriptæ posteriores quam priores.

VII. DE VETERE IN HIS EPISTOLIS ORTHOGRAPHIA, & Sermone.

QVod nota IV. notabam & adpromittebam, id vero iam represento. In Cæsareo igitur Codice scribitur.

Abunculus, *auunculus.*
adolari, *adulari.*
amminiculum, *adminiculum.*
auxilio, *auxilior.*
Aubacum vt Græce Ἀμβακούμ, *Habacuc.*
bernacula, *vernacula.*
boneuolentia *beneuolentia.* Est & epist. 45 *beniuola voluntas*: sed an non mendum?
bouibus ep. 100. *bobus.*
cataxo, χαράσσω.
Carulus & Carulus, *Carolus.*
coacerbo, *coaceruo.*
commonio, *communio.*
conloco, *colloco.*
compatesco, *compatior.*
consolo, *consolor.*
cotidie, *quotidie.*
curbare, *curuare.*
Danielus, *Daniel.*
dirego, *dirigo.*
diphtongæ, *diphtongi.*
epistula, *epistola.*
epistiuncula, *epistolium.*
fantasma, *phantasma.*
fatesco, *fatisco.*
floriat, *florebit.*
forasticus, *externus.*
haue, *aue.*
honerosus, *onerosus.*
idolatria, *idololatria.*
Iesus, *Iesus.* Sed V. Beda in principio libri de Musica p. 35. docet istud H. quod inter I & E ponitur esse Græcum η, & à Latinis ob ipsius auctoritatem nominis interponi. Et forte id ob eam etiam factum causam, vt significaretur illud *e* non esse breue, sed longum, & quod in hoc nomine suauissimo longeque mellitissimo haud raptim, sed sensim, & cum quadam veluti mora, pietatisque sensu reuerenter pronunciandum.
inlæsus, *illæsus.*
inluster, *illuster.*
inluminatus, *illuminatus.*
inormitas, *innormitas*, vel *enormitas.*
inrogare, *irrogare.*
interduciæ, *induciæ.*
ipsud, *ipsum.*
iuuar, *iubar.*
noberunt, *nouerunt.*
obœdientia, *obedientia.*
obiunsus, *obtusus.*
olosérica, *holoserica.*
psalmigraphus, *psalmographus.*
reppeno, *reperio.*
reuerentissimus, *reuerendissimus.* vt amantissimus apud Capitolinum in Albino, Spartianum in Geta.
subfragium, *suffragium.*
sobrius, *magis sobrie.*
veteresco, *veterasco.*
volbere, *voluere.*
vocifero, *vociferor.*

In quibus omnibus, cum alia, tum hoc vides, sæpe positum *o* pro *u* & contra, itemque *b* pro *u* vt in Florentinis Pandectis, & alibi sæpissime, vt Parergon libro singulari docet Brissonius. De horum vero aliquibus aliquid iterum suis postea locis, notabitur: itemque de similibus aliis.

IN EPISTOLAM I.

AD notariuncularum genus alterum venio, quæ speciales, & variarum epistolarum proprię. Et in prima quidem illud primo notandum, vix vsquam ab Typographo quam hic toties vel erratum, vel à Cæsareo M.S. deflexum. Cuius causa, quod cum hęc epistola sit Ingolstad. M.S. 39. huius apographum ille ante oculos habuit. Corrigenda igitur ad Cęsareũ exemplar omnia sic: I. tollendum illud, *VVinfredus Nahardo.* Nã id satis in sequentibus expressum verbis. II. scribendum: *quem mihi non temp.* III. pro *adulantium*, adolentium IV. *immarcescibilis.* V. *catena caritatis.* V. *Nithardo* VI. *Vuynfrethus.* & hoc postremum etiam deinceps obseruandũ. Notandũ secundo. In hac & aliquot epistolis maxime tamen quatuor prioribus, recentissimum quendam [qui à me in margine vocatur interdum *Anonymus*] verbis nonnullis aut lineolas aut puncta supposuisse, nonnullis vero nonnullam coniectiunculam, vt in isto titulo videtur fuisse scriptũ *facetis vrbanitas* ipse vero correxit *faceta*, Ingolstadiense M.S. *faceta.* Et hoc quidem postremum, siue *blandimenta faceta* siue *Mellitas faceta*, siue *vrbanitas*, per melitatem *faceta* intelligatur non malum: primum tamen illud videtur retinendũ, vt *mellitata facetia vrbanitas*, dicatur vel certe *mellitata, per blandimenta adulantium verborum faceta vrbanitas.* Quemadmodum enim pro feriis, quæ Latinis tantũ plurales sunt dicitur ab eccl. feria prima, secũda,

&c. vbi notat lib. de rat. temp. c. 6. V. Bed. sic pro *facetia* hic *facetia*: & quemadmodum ex melle tam suauiter veteres *mellitum* & *mellinam*, itemq; verbum *mellare*, vnde apud Plinium l. 11. cap. 15. & 16 *mellatio*, expresserunt, ita & nunc sanctus Bonifacius, aut *mellitatem*, aut verbum *mellitare*, vnde *mellotatus mellitata, mellitatio*. Sed tertio notanda magis causa, quæ inter sanctum Bonifacium & Nithardum verã excitauit amicitiam, & quarto quomodo idem sanctus olim vocatus sit *Vvynfrethus*, aut *Vvinfridus*, & postea *Bonifacius* qua de mutatione largiter dictum lib. 3. Mogunt. not. 16. p. 466. Alius ille Vvinfridus de quo Beda l. 4. histor. cap. 3. & 5. Deinceps vero, vt verba tulerint, notabitur aliquid.

Salomonis,) De libri, vnde hæc promuntur auctore & auctoritate dissertatio est. Nam liberis interdum quidem absque auctore dicitur à Latinis *Ecclesiasticus*, à Græcis *πανάρετος*, & ab Origene tract. 24. in Mat. à Zacharia Pontifice infra, epistol. 140. & à ritualibus Missarum libris præcise *sapientia*, vt dum legitur: *Ecce sacerdos magnus*, vel die sabbathi, *Ab initio* vel in virginum quarundam festis *Confitebor*, & in S. Ioannis Euangelistæ festo. Interdum vero auctor affertur & quidem.

1. Iesus, & sic diserte in eius libri prologo, qui in Græcis & Latinis Romanis correctis est.

2. *Sirach*, & sic in Græca libri eiusdem inscriptione, *σοφία σειρὰχ*, & Procop. Gazeus præfatio in Genes. Hilarius in Psal. 144.

3. *Iesus filius Sirach*, apud Euseb. de præp. l. 8. c. 2. Antiochum hom. 84 Damasc. l. 4 de fid c. 18. S Hieronymum in Danielis 9 & epist. 115. vbi se ait Hebraicũ hunc librum vidisse prænotatum *Parabola Iesu filio Sirach*, & ibidem traditur libri eiusdem c. 50. vers. 29.

4. *Iesus anus* & *eius filius Sirach, & huius filius*, illiusque nepos *Iesus alter*. Ita prolugus quidam Græcus in Complutensi editione

5. *Salomon*, vt hoc loco Sanctus noster Bonifacius, rursumq; infra epistola 105. eundemq; auctorem nominarunt Clemens Alexand lib. 3. strom c. 5 Origenes hom. 8. in Num. & hom. in Ezech D. Athanasius in Apologia de fuga sua. S. Basilius in Reg. fusius disput. resp. 17. D. Chrysost. hom. 51. in Matth 8. Fabian Pontifex epist. 1. S Cyprian. ep 63. & in exhort. marty. c 9. & lib. 3 ad Quir. c. 10. Marcellinus ep. ad Salom Episc. S Hilar. in Psal. 144 D. Ambros l. 1. off. c. vlt. & lib. ad Virg. denotatam, c. 2. Optatus Mileuitanus lib 3 S. Damasus ep. 6. Hieron. ad c. 10. Ecclesiastæ, & Psal. 73. Innocentius 3. ep. ad Exuperium, S. Paulinus Natali 10. S. Febcis, Maximus Taurin. hom. 2. de festo Paschæ S Leo 5. ser. de quadrag. c. 3 Sedulus in c. 12. ad Rom. S. Gregor hom. 1. super Ezech lib. 2 Regum cap. 2. l 4. ep 82 Chromatius in c. 5. & 6. D. Matthæi, Cassiodorus in Psal. 55 Pelagius l. ep. ad Vrgilium, Laurentius Nouariensis hom. de eleemos. Ioannes 2 ep. ad Valerium, Eligius hom. 8. Haymo in c. 1. ad Rom. Paschas. l. de corp. & sang. domini c. 2. S. Bernar. ep. 5. & 190.

Sed sane *I. auctor verus est Iesus filius Sirach, non Salomon*, quia omnium instar est scriptura, quæ id asserit, & antea citata est ex eius libri cap 50

II. Hic Iesus istum librum scripsit Hebraice, & postea eundem Græce conuertit eius Nepos. Asserit hoc præfatio citata Græca & Latina cuius S. Hieronymus epist. 115. Hebræum exemplar se vidisse testis est, hodieque inter Constantinopolitanos extare Iudæos refert è Nouatoribus Munsterus.

III. Iesus ille auctor filium habuit Sirach, & huius filius, illiusque Interpres fuit etiam nomine Iesus, Ita citatus Complutensis prologus, & S Epiphanius lib. de men. & pon. sanctus Damascenus loco citato & plerique omnes.

IV. Iesus anus patrem etiam habuisse Sirach dicitur, & identer ab Nonatore Cornelio Bertramo in li. quem Auct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2. *Lucubrationes Francquerallenses* inscripsit, dicitur esse ille *Bensira*, cuius apud Hebræos extant cum scholiis Prouerbia, quia *Ben-sira*. est, quasi filius Sirach. Prior pars vera est ex eodem illo citato cap 50. & ex iis omnibus, qui auctorem dicunt Iesum filium sirach, cum eius Nepos non Auctor, sed interpres tantummodo sit, vt dictum est. Posterior tamen videtur falsa 1. quia 1. *Bensira* Hebraice habet in fine א non ח 2. quia Hebræorum communis opinio est, vixisse Bensiran altera post Hieremiam ætate At Iesus Ecclesiastici auctor, vixit post Oniam Pontificem, tempore ipsius filii simeonis iusti, de quo c. 50. 3. *Bensira* dicitur ab iisdem Hebræis filium habuisse *Vzielem*, & Nepotem *Iosephũ*: non autem *Sirach* & *Iesum*. Et illi cum sapientia inclyti fuerint, citãtur ambo ab Hebræo scholiaste Prouerbiorum eiusdem Bensitæ. 4. Ille Prouerbiorũ Bensitæ liber, vel idem cum Ecclesiastico nostro liber fuit, vel diuersus. si idem, vel erit Ecclesiasticus noster imperfectus, quia ei quædam desunt, quæ illic sunt; vel quibusdam redundabit, cum plurima quę illic non sũt habeat. si diuersus, quomodo verisimile est, eundem auctorem de iisdem pene rebus & eodem pœne modo ac phrasi diuersos scripsisse libros, neq; se vnã eandemq; rem sciat, alibi etiam dixisse vnquam innuere? 5 Nouatori huic repugnat Nouator alius Drusius pręfatione in ipsum Bensiram.

V. Quandea Græcis, sapientia Sira h dicitur, id breuitatis causa dicitur pro Sapientia Iesu filii Sirach, eodemq; modo spectatur breuitas, quando præcise vocatur *sapientia*.

VI. Quando ab Auctoribus auctor significatur Salomon, id accipiendum putat lib. de verbo Dei cap. 14. Bellarminus *quasi Salomonis sententias collegerit, in vnumque volumen redegerit*, sed breuius & certius id factum *ob similitudinem sapientiæ, doctrinæ, parabolicæque seu prouerbialis phrasees*. Ita enim diserte S. Augustinus lib 17. Ciuit. c. 20 *Sapientia*, inquit, *& Ecclesiasticus propter eloquii nonnullam similitudinem, vt Salomonis dicantur obtinuit consuetudo. non autem esse ipsius non dubitant doctiores*. Et lib 2 de doct. Christ c 8. *Illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur*. Rabanus li. 5. de vniuerso c. 3 *Ecclesiasticus propter nimiam sensus similitudinem, & eloquii parilitatem, Salomonis titulo prænotatur* Atque hoc ipsum etiam significat Athanasiana synopsis, & ex ea Complutensis ille citatus prologus cum ait: *ὁ παῖς δὲ ἐν Σολομῶντος ἐστὶν ὁ Ἰησοῦς γέγονε, ὅθεν ἔδοξεν ἀπὸ τῶν σοφῶν, καὶ παιδείας συνθεμένῳ, ... ἀρχαίων*. Atque hæc de Auctore satis: *de Auctoritate vero*, quæ canonica est, agit ipse lib. de doct. Christ citato S. Augustinus, Bellarminus loco item citato, & copiosius Iod. Coccius lib. 6. Thesauri Catholici art. 17.

Pigeat.] Ex eodem I MS. est hoc. Nam in C. legitur cum denuo, *vt tibi S. SS. M. recordari pigeat*, & eodem modo infra epist. 142. p. 220. idque valet, *mentibus pigrum sit*, quemadmodum, *tibi liquet*, pro *liquidum est*. Alioqui constructionem istam nolunt Grammatici, & sanctus Augustinus in Gramm. *Tædet*, inquit, *tædium esse significat, quemadmodum piget, quasi pigritiam significat. Nam cum dicimus, piget me fecisse, hoc est dicere, non surgit mens animus probare quod feci: Hæc autem omnia verba sic declinantur: Pudet me, piget me, &c. præter hæc, libet, & licet, patet & liquet. His enim datiuum iungimus casum.*

In omnibus,] Citatur eadem sententia iterum postea epist. 45.

Floriet,] Quemadmodum olim multa diuersæ declinationis verba fuere sic etiam dictum *florere*, & *florire*, hocque posterius in Italica & Gallica lingua, quæ à Latina quidam veluti stolones & surculi sunt; modico cum flexu, retentum: sic enim *feruit, lauit, fenit, fulgit, obedibo, operibo, paribit, peruenibunt, dicebo*, pro *feruet*,

lauat, sonat fulget, obediam, operiam, pareret, perueniet, dicam leguntur. Vide Nonium. Et vsitatissimum *exiet* ac *transit*, pro *exibit, transibit*. Tibullus: *At si tardus eris, transiet ætas.*

D. Aug. in ps. 26 enar. 2. & in praef. 29 ps. 13 36. conc. 2 ps. 37.

Ambrones] *Ambrones fuerunt*, ait Festus, *gens quædam Gallica, qui subita inundatione maris, cum amisissent sedes suas rapinis & prædationib. se suosq; alere cœperunt. Eos & Cimbros, Teutonosq; C. Marius deleuit: Ex quo factum est, vt turpis vita homines Ambrones dicerentur.* Historiæ quidem partem priorem negare Scaligero videtur Strabo l. 1. & maxime l. 7. Sed is tantũ negat, quotidianis statisq; maris æstibus perculsos discessisse, non autem aliqua *subita*, vt loquitur Festus & insolita *maris inundatione*. Sic enim è contrario Isidorus lib. 10. Orig. c. 2. *de Vmbris historia perhibent, quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerint: & ob hoc ὀμβρίους, Græce nominatos*: historiæ reliquũ persequuntur Plutarchus in Mario, Epitome Liuiana l. 67. 68. Florus l. 3. c. 3. In Isidori autem glossario. *Ambro, deuorator, consumptor patrimoniorum, decoctor, luxuriosus, profusus*, idque prorsus locũ hũc explicat, & illum qui infra occurret epist. 65. *Ambronibus faucibus*. Vide & Adag. *Ambrones.*

B

Apoto,) sic in Cæs. Latine scribuntur ista: sed sibi quid volunt? An ad superiorem de inundatione hist. alluendo legendum ἀπὸ τ̃ χωμάτων *agris frustrat*. vel *frustratis, afflictis? Agris*, inquã, non *agiis*, vt mẽdose impressũ.

κτ̃] Et hoc Latine scriptũ in C. sed semi Græcæ libebat illis tũ loqui pro *secundũ Psalm.* & sic infra etiã alias.

Pretiosa) In Cæs. diphthõgus est, sed huiusmodi aperte mendosa, quorsum notanda? supra nota. gen. 4.

Herebia,) C. *erebia*, Est apud Hebr. vox Gen. 1. v. 5. Exod. 18. 13. ps. 59. 7. ps. 104. v. 9. alibi, quæ vesperam significat, quæ aut *Hereb*, aut *ereb* scribi potest, vt in Trihæresio l. 3. c. 5. & Minerual lib. 3. nuper dixi, atque idcirco scribi potest *herebus*, aut *erebus*, quia hic ab illa, vt in Festum docet Scaliger p. 59.

In Deuteron.) Sensus quidam in Deut. c. 6. sed verba magis in Iosuæ c. 1. Vnde apparet, ex memoria solitum scripturam sacram citare S. Bonifacium.

C

Contionatoris] qui vsitato nomine Grec. *Eccles.* dicitur.

Sobrius) pro *magis sobrie*, V. Beda lib. de orthog. p. 94. *Sobrius nec cõparatiuum recipit, nec superlatiuum: sed pro his dicimus, magis sobrius, & maxime sobrius.* Sed hoc, vt apud Lucretium l. 4. *egregius* pro *magis egregium. Sed nihil egregius quã res secernere apertas. A dubiis* & apud Vlpianum *exiguius*, apud Petrum Damianum epist. ad Gisterium *idoneior*, io tom 9. Baron. Brisf l. sing.

Exquisitor) Vulgata nostra versio habet, *amator*, sed *contubernium* lege non *contuberniam*.

In studio diuinarum scripturarum,] Vide quam studii huius amans fuerit Bonifacius! quam sacras litteras & magis magisq; discere, & quod io in iis didicisset, alios docere concupierit! Confer hanc epist cum S. August. 41 quæ *ad Licentium*, D. Greg. ep. 40. l. 4. & ep. 26 l. 6. & ep. 15 l. 12. vbi sic: *Quasiuus qu. vobis adhæreant in lectionis sacra collegio, & neminem reperi, & vehementer ingemus paupertatem boni. Et quamuis peccator ego valde occultus, tamen si ad B. Petri Apostoli limina venire volueritis, in sacro eloquio strictũ potestis me habere collegã.*

D

Cherubin) Hebraica terminatio est *Cherubim, Seraphim*: Chaldaica *Cherubin, Seraphin*.

In Epistol. II.

Mogũt l. 4 p. 620.

O Prima & lectissima hæc, ad quam ista scribitur epistola, fœmina vocatur *Buggan*, & *Bugge*, & *Bugga*, sicuti *Bedan* iosta ep. 9. & *Beda* ep. 8. & *Bedas*. Interdũ etiam vocari ł adburgã notat Baron. p. 51. quæ Regio genere nata esset propinqua *Hedilberti* Cannorum Regis, filia *Canguh*, de qua sæpius postea ep 13. 14. 10. 2 . 28. 35. 40. alibi vbi & ista quæ dixi probantur, & casti, qui inter eam & S. Bonifacium fuit, amoris occasio aliaque plura monstrantur. Mihi tamen dubiũ aliquid inicit

A

Cæsareæ epistolæ 38. inscriptio, vbi non *Edelburg*, sed *Hraburg*, non *Cangyth*, sed *Ean ȝth* diligenter inspi..., quanquam perfacile vnius vel alterius litteræ in mutatio potuit irrepere. Superstitem porro hanc S. Bonifacio fuisse testis epistola 105 infra. Alia *Edelburga* Regina l. 2 historiæ c. 9. & 14 Bed. & lib. 4. c. 10. Infra vero ep. 21. *Bugga* est presbyteri nomen.

Seruus seruorum Dei) Hunc fere titulum soli hodie retinent summi Pontifices: sed olim asciscebant alii etiam libenter: quod & demissionis argumentum, & officii quoddam veluti monimentum sit. Qui enim aliis præsunt, cum eorum commodo & vtilitati seruire debeant, (Foret enim secus tyrannica potestas) merito se illorum seruos intelligunt *Nos* ait apud Poetam Agamemnon,

> *Fastus quidem specie reliquis, præcellimus,*
> *Verum ministri multitudinis sumus.*

B

Et laudatur à Plutarcho Nicias, quod talem se cogitarit, reque ipsa præstiterit. Quanto igitur magis ea Ecclesiasticos Antistites cogitatio, oratioq; decet? quibus maximus & primus ille secũdum Saluatorem nostrum Iesum, Pontifex S. Petrus 1, epist. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Et D. Hieron. in Ephes. 5. *Audiant Episcopi, audiant Presbyteri, audiat omnis ordo Doctorũ: subiectis suis se esse subiectos, & imitentur dicentem Apostolum: Cum enim essem liber ex omnibus, omnibus meipsum seruum feci, vt omnes lucrifacerem, &c.* Huius autem tituli occasio cõtigisse S. Gregorio dicitur, è contrario Constantinopolitani Patriarchæ Ioannis fastu, qui *Oecumenicum* seu *vniuersalem Episcopum* superbe ac falso sescribere se ausus est, de quo, & ad quem idem S. Gregorius l. 4. epist 34 36. 38. 39. In glossa vero c. *Quoties* 1. q. 7. eiusmodi refertur distichon: *Roma tibi quondam serui Domini Dominorum: Serui seruorum nunc tibi sunt Domini.*

Et flagellat) deest in MS. Cl.

C

Tribula io) In C. additur, *& reliqua vsque qui ... lexit.* Ego integra hic, & interdum alibi, verba posui interdum vero breuitatis notam hanc aut aliam, ... retinui, cuiusmodi & in scripturis, aliisque sententiis notis citandis vsitatæ apud Hebræos notæ sunt וגו & וכל, Sic epist. 3. & deinceps.

Cum sapientibus) Matth. 25.

In Ep. II.

D *Anirls*) In C. characteres, de quibus in epist. 1. ignoti, & valent, *Danieli episcopo Bon.* Sicuti & iisdem characteribus antecedit hoc, *Epist. a Beato Bonifacio Episcopo.* Iste vero est *Daniel* Ventanæ ciuitatis apud Occidentale, Saxones Episc. sanctitatis doctrinæque fama inclytus, de quo V. Beda lib 5 hist. cap 9. & 24. Othlonus lib. 1. vitæ Bonif c. 10. & hæc in ... ra epist 6 67. in qua, sub finem, de cæcitate quæ hic tangitur mentio.

Onerosum) C. honerosum. Illud hodie vsitatius. & tamen si Varronem l. 4. de lingua Lat. consulamus, istud melius. *Honos, ait, ab honesto honere. Itaque honestas dicitur, quod honeratus, & dictum: Honus est honos, qui sustinet rempublicam.*

D

Nonas sectas] Vide Vincent. Lirinensem Commonitorii c. 26. 27.

Forastica) exteriores, quæ foris sunt, quibus opponuntur *interiores*. Vnde subditur: *Intima vero quando*. Et nota duplex tentationum genus, quibus Sanctorũ, & eorum, qui in aliorum salutem incumbunt, serio affligantur & discruciantur animi. Sunt enim *exteriores* molestiæ, vt labor, fames, sitis, desanguatio, vigilia: Sunt & *interiores*, quæ multo fodicant animũ vehementius, vt scandala, & quorũ dam apostasiæ Sic & inf ep 5. 85

Sine patro. inio.] Quemadmodum malleus & securis fabro, aliaque artificibus aliis instrumenta, ipsiq animo corpus, suum ad finem, famulari, & operam operam-

que suam præstare debet: sic temporalis potestas spirituali. Vide S. Aug. ep. 50. Bellarm. lib. 3 de Laicis c. 18.

Dei lac communione,) Sic & infra epist. 141.

In corpore,] Infra est hæc sancti Bonifacii iuratio, p. 863. Quomodo autē ad S. Petri corpus facta illa sit, exposui l. 3. Mogunt. not. 15. Vide S. Greg. ep. 3. l. 10.

Filio,] Causa excitato antea Othlono l. 1. c. 10.

Vuymbertus) Othl. l. 1. c. 4.

Sex) Vel ista verba vsque *reperiuntur*, legenda *in superioribus*, vel, vt in Cæsareo, legendum, *vbi sex, &c.*

Munuscula.) Hic ad charitatis indicium, fomentum ac incrementum Sanctis olim fuit mos, vt ex S. Augustini, Pauli, & aliorum epistolis patet. Atque hic infra sæpius occurrent exempla, vt ep. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 20. Longum sit numerare omnes. Vide S. Gregorium epist. 37. l. 6. ep. 57. epist. 47. l. 11. ep. 16. l. 12.

Casulam) Hodie in sacris pro extima veste sacra, qua sacris operaturus amicitur sacerdos, accipitur, prout in miraculo etiam sancti casulam exeuntis *Althelmi* de quo seq. epist. 4. Apud veteres pro domuncula rusticana, à *casa* infra epist. 83. ex qua Festo *casaria*, quæ custodit domum, οἰκουρός. Vel pro vulgari etiam indumento, vt apud sanctum Augustinum lib. 21. cap. 8. de sartore, qui *casulam perdiderat*, & sanctorum precibus egregie rursus vestitus fuit. Vestis vero est quædam veluti proxima hominis domus: & domus est quasi remotior, amplior que vestis. Rabanus lib. 1. Institut. Cleric. cap. 21. *Casula dicitur à casa, eo quod totum hominem tegat, quasi minor casa.* Et forte ab Hebræo verbo *casah*, quod est tegere, seu operire, à quo Exod. 21. 25. Iob 24. 7. & c. 31. 19. *cesuth*, id est, *vestis operimentum*. Et forte Gallis & Germanis quibusdam *casacque*. Sed vide Stephanum Durandum lib. 2. de rit. Eccl. cap. 9. num. 17. Hic pro villoso quodam panno sumitur, & forte queat legi *ad tegendos pedes*, vt inf. ep. 89. licet infra epist. 8. non queat, quia additur ibi *cum laueris*. Sed hæc vbique lectio, etiam infra epist. 81. Dum autem dicitur *non holoserica*, videtur significari, non esse factam casulam, quæ holoserica fere est. In C. autem scribitur *oloserica*, hic & inf. l. 9.

Didymo,) Se huius Alexandrini in diuinis literis autorem fuisse notat sanctus Hieronymus epist. ad Pam. & Oceanum, quæ incipit *Scedula*, & de eo in Catal. scr. Ecc. sic: *Didymus Alexandrinus captus à parua ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maxime visu indiget, vsque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conscripsit:* & vbi hæc enumerauit, tum ait superstitem adhuc tum fuisse *annorum* 84. Cum vero infans esset sanctus Hieronymus, id est, ante annos facile 60. (nam librum istū scribebat *anno* 14. *Theodosii*, vt in extremo ait) accidit quod de Didymi cæci oculis hic refertur, prout idem S. Hieronymus narrat in epistola ad cæcum ita Castrutium, quæ incipit *Sanctus filius*. De nostri vero sæculi homine Genebrardus in chronico sic: *Robertus Mancop Scotus à puero cæcus, vsque eo Parisiis, in literis profecit, vt Theologiæ Doctor Romæ creatus Archiepiscopus Armacanus: Deinde legatus à latere in Hybernia fieret: Non doleas,* inquit epist. ad cæcum rursus alium, *Abigaum* nomine, sanctus Hieronymus, *si hoc non habeas, quod formicula & musca, & serpentes habent, id est, carnis oculos, sed illum te oculum habere lætare, de quo in Cantico Canticorum dicitur: Vulnerasti me soror mea sponsa vno de oculis tuis, quo Deus videtur.* Idemque sanctus Didymum illum cæcum vocat *videntem suum* præfat. Comment. in epist. ad Galatas, quemadmodum apud Hebræos *Ioseph cæcus* hagiographorum Paraphrastes Chaldæus vocari solet *Sagginehor*, id est lumine multus, seu oculissimus.

Speculari,) passiue vt apud sanctum Augustinum libro 2. contra Maxim. cap. 11. *contemplari* lib. 18. cap. 34. *exordiri*, in Psalm. *venerari*. De oculis, quibus videtur Deus, videatur Augustinus epistola 6. 111. & 112.

Fenestra.) Eodem vtitur argumento citata iam ad *Abigaum* epistola sanctus Hieronymus.

Ad hanc vero epistolam responsum ab ipso Daniele insigniter, estque epistola illa in Ingolstadiensi Codice 42. in L 30. 10 B. 12 quæ omnino prætereunda non, hic describenda.

Domino reuerendissimo & merito ab omnibus Orthodoxis amplectendo multiplici scientia variarumque virtutum gratia insigniter decorato Bonifacio Archiepiscopo, Daniel Dei plebis famulus sincerissimam in Domino cuncta cælorum culmina præeminenti salutem.

LEctis literis à tua fraternitate transmissis, multum mœrore commoti sumus, quia hoc amantibus intolerabile visum fuerit, si iis à quibus amantur, aliquid incommodi contigerit. Quandam tamen consolationem, sæpius reuoluentes inuenimus in eo, quia hostis callidi inextricabilis astutia nequaquam citius Religionis nostræ tanta violentia, & tam variis bellorum, seu errorum oppositionibus per sublimes sacerdotum, vel cæterorum quorumcumque reproborum personas expugnare tentauerit, nisi & in illis maioris meriti excellentiam agnosceret. Vnde vos operam dare primitus oportet, vt inceptio gloriosa quæ est (vt arbitror) Apostolicis coæquanda certaminibus, nullatenus propter illorum deserans insidias, qui dolis instructi salutiferæ solent resistere doctrinæ; sed tanto libentius illatæ difficultates ferendæ sunt, quanto certius comperimus sanctorum esse ac martyrum in mundo pressuras, in cœlo autem copiosissimam, Domino promittente, mercedem, quem & hic auxiliatorem (si tantum in tribulationibus tolerantiæ non tædet) & illic cum iustis gauisuri remuneratorem habere meremur. Quapropter cum charitas excellentiæ tuæ consilium sibi à nostra paruitate petere dignata sit: hoc existimamus, profuturum, quatenus inuicta patientia perferre studeat, quod absque Dei prouidentia prouenire, non nesciat. Quamuis ergo forasticæ pugnæ pernicies sæua sit, ipsaque atrocius intestina formidanda ferocitas noceat (quod vtique non minor cum Christus Iesus olim fratrem à fratre in mortem esse tradendum testatus, & filium à patre, & parentes à nepotibus propter nomen suum necandos; scilicet impugnantes per escarum superstitiosissimam obseruationem, Domini opus destrui quærentes, quæ propemodum in ipso vsu hominis pari detrimento peribunt: aut si turpe lucrum sectantes, adulationis gratia vel etiam ipsorum laudes, vestræ vero vituperationis zelo seueritatem populis pronuntient ac ficta blanditia pacis appellationem ingeminent & secundum Esaiæ vaticinantis præsagium, dicentes *malum bonum, & bonum malum*, & reliqua vel si segetem vestræ venerabilitati commissam, sterile lolium interserendo, suffocare conentur, quia vtique, ante messis maturitatem, à quoquam, Domino monente, compescitur euelli, de quo vberius dicemus: Licet inquā, hactenus inaudita proferant dogmata ad decipienda minus intelligentium corda, quæ vos in diuinis voluntatibus optime eruditos neque ad horam introducta latent, neq; etiam quæ iis oportune possint opponi. Sed ne te diutius morer, ducendo per singula dicam breuiter. Quanquam vniuersa nefandæ factionis argumenta ad expugnandos & affligendos vos exerceant; tamen secundum præcedentium Sanctorum exemplar, quod corrigendo curari nequit, saltem sustinendo portare. De Sacerdotio autem homicidarum & adulterorum, qui, absque vlla resipiscentia, in peccatis suis perdurare præsumunt, satis tibi sacratissimi Canones ac decreta Pontificum persuadent. Si igitur homicidis iugiter agentibus pœnitentiam, & circa exitum vitæ perfectio (id est) communionis Christi gratia conceditur, incorrectis

B. resistit
B. minor.
Matt. 10. 11.
B. scilicet impugnātes per escarum ... quærentes, quæ tenentes B.
proponuntur in ipso
B. per ipsi laudes vestras v. vituperationes falso securitatem pop.
Is. 5. 10.
Matt. 10.
B. opponi ignor.

qua ratione cura regimini Christianæ conuersationis iniungitur? Adulter vero, quem nec sero suæ impudicitiæ pœnituit, qua consequentia sibi Sacerdotale officium vsurpabit, quoniam secundum statuta Innocentii Papæ, cæterorumque, qui viduam, aut secundam duxerit vxorem, non modo à ministerio Ecclesiasticæ dignitatis, verum etiam à Clericatu coercetur? Cum & hæc propter carnis fragilitatem, indulgenter concessa sint: adulteria vero ab omnibus peritissimis prohibeantur. A communione autem filiorum, fratrum, siue sacerdotum, quale consilium est tam idoneum, vt te in rebus corporalibus separatim disiungat, ne forte de hoc mundo exire incipias, quoniam isti vbique, & semper subintroire nituntur, à quibus se periculis implicatum Paulus Apostolus asserebat.

1. Cor. 5. 10.

Et cæteri Christianæ religionis conditores ipsum, aut se passos, aut posteris patiendum fore fatentur. Dicis enim, te ab illis in sacris oblationum libaminibus remotissimum esse, ne sacrum canibus dare videreris. De hoc quid sentiret sanctus Augustinus inter cætera subtiliter insinuabimus. Insuper non sponte, non consensu, neque ex voluntate, sed sola necessitate cogente nonnunquam te inter ipsos habuantem. Nempe Hieronymus ait, in Euangelio voluntas quæritur, quæ si etiam effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Quare si bis coniungeris, vel bi gratia, in perceptione ciborum, vel in cohabitatione loci, nonne ille, qui non venit vocare iustos, sed peccatores, iuit ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi? vt in eo quod mixtim Regem interdum adire deberis, & pro pace Ecclesiastica pariter deprecari, quia ipsi, vt veri Pastores, plerumque pro ouibus interuenire se fingunt. Primum quidem implendum esse quod scriptum est, sciamus: *subditi estote omni humanæ ordinationi*, & reliqua, *& omnibus potestatibus sublimioribus*, & reliqua.

Matt. 9. 18.

1. Pet. 2. 13.

Rom. 13. 1.

Demum considerandum est, quia proposita est similitudo tritici & zizaniorum de permixtione malorum atque bonorum. Et munda & immunda animalia, ait Augustinus, introisse in arcam leguntur. Neque enim quacunque libuit, intrauerunt immunda animalia, arcæ compage confracta, sed ea integra per vnum atque idem ostium quod artifex fecerat. Non enim, inquit, per has similitudines & pronuntiationes, consilium dissidiæ bonis datum est, quo negligant quod prohibere debent: Sed patientia qua perferant, salua doctrina veritatis, quod emendare non valent. Item dicitur: Cum ergo inueniamus in Ecclesia malos quos Ecclesiastica disciplina corrigere & coërcere non possumus, tunc ne ascendat in cor nostrum impia & perniciosa præsumptio, qua existimemus nos ab his esse separandos, vt peccatis eorum non coinquinemur, atque ita prius nos trahere conemur veluti mundos, sanctosque discipulos ab vnitatis compage, quasi à malorum consortio segregatos. Veniunt in mentem illæ de scripturis similitudines, quib. demonstratum est, multos in Ecclesia permixtos bonis vsque ad finem sæculi temporisque iudicii futuros, & nihil de bonis vnitate ad participationem Sacramentorum, qui eorum factis non consenserint, obfuturos. Cum vero eis per quos Ecclesia regitur adest, pace salua, potestas disciplinæ ad vsus reprobos aut nefarios exercendæ, tunc rursus, ne socordia segnitiaque dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad seueritatem coercitionis pertinent, excitandi sumus, ita est etiam ratio dissimulandi & tolerandi malos in Ecclesia, & est rursus ratio castigandi & corripiendi, non admittendi, vel à communione remouendi: vt nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ sæuiamus. Dicam quod ex operibus antiquorum excerpsi Doctorum, & vtiliter in tam perniciosa barbarie ad memoriam debet reduci: si forte in præfata condescensione à quolibet calumniari de aliquo simulandi siue etiam fingendi genere, legerimus, quod vtilis simulatio assumenda sit in tempore. Vnde Cephas, *subtrahebat se, & segregabat, timens eos qui ex circumcisione erant*: Et vas electionis, totondit *caput* & Timotheum circumcidit. Ipse quoque filius Dei *finxit e longius ire*, & nescire quæ sciebat, vt est in Euangelio. *Quis me tetigit?* &, *Vbi posuistis eum?* Sed & Psalmista immutauit vultum suum coram Habimelech: & ludens Ioseph fratribus suis locutus est: nec non & Israel hædinis pellibus membra contexit. Hoc fecit, vt putaretur esse, qui non erat. Et si diligenter attenditur, non est mendaciũ, sed mysterium. Per hædinas quippe pelles, peccata, per eum vero qui se iis operuit, ille significatur, qui aliena peccata portat. Hæc tuæ charitati non quasi priscæ auctoritatis ignaro, nostræ rusticitatis admonitione indigenti, sed ne quid tuis rogaribus derogassemus, trepidanter scripsimus, quo eo quod te cum maioribus contraxisse negotium comperimus, amore tantum atque obeditione amplius incitati, quam arte vel audacia freti: tantum reuelando non etiam imperando prolata diximus, ne forte his, qui vltra modum excellentiores sunt, in aliquo aduersari videremur. Exhortatoria profecto tuæ suggestionis monita de instanti corporis molestia perferenda, satis libenter suscepimus: & , in quantum vires sufficiunt, ipso domino auxiliante, qui pro sua misericordia monuit nos, tuis salutaribus obtemperabimus dictis. Hoc quoque cognoscat vestra beneuola dilectio, quia licet terrarum spatioso sequestremur interuallo, ac maris immensitate nimia, & cœli inæquali climate dirimamur, pari tamen tribulationum deprimimur fasce. Eadem est enim operatio satanæ hic & ibi. Propter quod diligentissime deprecor: nos orationũ mutua vicissitudine iugiter muniamus, reminiscentes sermonis quem dixit: *si consenserint ex vobis duo aut tres*, *& reliqua*. Vale. Vale centupliciter charissime mihi, & alia manu, &c.

Gal. 2. 12.

Act. 18. 18.

Luc. 8. 45.

Ioan. 11. 34.

1. Reg. 21.

Gen. 27.

Matt. 18.

LVL.) qui infra etiam *Lulla* & *Lullo*, Archiepiscopus postea Moguntinus, sancti Bonifacii successor, cuius & *has*, & *alias tam multas*, quæ infra sunt, gaudeo huc Moguntiam & in hoc Collegium aduenisse *litteras*, quo eiusdem *sacrum caput* superiore anno aduenerat, vt in eius historia scripsi lib. 4. Mog. In ignoto tamen, de quo supra, charactere scriptum erat nomen hoc.

Aldhelmi,) Fuit hic, vt ait Beda libro quinto, historiarum capite decimo nono, *vir vndecunque doctissimus, sermone nitidus, scripturarum tam liberalium quam Ecclesiasticarum eruditione mirandus.*

Scripsit librum *de Paschate*, librum *de Virginitate* geminum tam versu scilicet, quam prosa, & alia complura, è quibus, R. P. *Martini Delrii* studio, hic ante triennium edita. *Tetrasticha, Pentasticha, Sexasticha, Heptastichaque & Poetica* quædam alia. Infra, etiam alia sese nobis in conspectum dabunt, nonnullæque ipsius epistolæ. In altero Saxonum Occidentalium Episcopatu, qui *Schirebunensis* dicitur, Episcopus fuit eodem tempore, quo *Vvintoniensis* ille, de quo epistola superiore, *Daniel*. Plura de eo apud *Surium* tomo tertio die vigesimo quinto Maii, *& Delrium* in ciliis Poeticis. Hæc ad videndum, cur eius tantopere libros desiderarit B. Lullus, allata.

Lanebada) Et hoc ignoto scriptum charactere nomen, ita vt de syllaba vltima dubitem. Nam ea sic erat. DAM, nisi quod D. inferne clausum non erat.

Nostram lintrem) Etiam fœminine dixit lib. 7. Cæsar, & Tibullus.

Genarum) Putarem, *genuum*. Nam quemadmodum *gelu & gelus*, sic *genu* & *genus* apud veteres dicebatur, vt ex Lucillo monstrat Nonius, sed non *gena* de qua Festus.

Pater noster) An S. Bonifacius *puerulos*, id est, seruulos istos manumiserat ?

In VI. D*icere, De vno,*] Sic distinguendum. Nam Saxones dicebant S Bonifacio Anglisque Christum Iesum prædicantibus. *De vno sanguine, & de vno osse sumus,* quia in Angliam profecti Saxones, & ex iis Angli, vt in Moguntiacis dixi & infra ad epist. 19.

Duorum) scilicet Gregoriorum, II. & III.

In VII. C*Eola*) infra epist. 12 Bar. 173. *Ceda.* An V. Beda lib. 5 cap. 8. de ipso?

In VIII E*Cberto.*) In V. Bedæ Epitome anno 712. *Egbertus pro Vuilfrido Eboraci Episcopus factus:* Postea anno 735. *Egbertus Episcopus accepto ab Apostolica sede pallio, primus post Paulinum in Archiepiscopatum confirmatus est,* cuius mors ibidem traditur anno 766. diciturque *regali prosapia ditatus, ac diuina scientia imbutus* Alius vero ab illo est, qui ad Catholicum Pascha Scotos Hiienses traduxit lib. 5. hist. cap. 23. vbi iucunde mortuus ipso Catholici Paschatis die anno 7.8. Epitom. 729.

Ethebaldo) V. Beda lib. 5. c vlt. *Edilbaldus Merciorum Rex,* & in Epitome anno 740 *Edilvvaldus.* In Bar. *Athelbaldus,* & anno 757. rursum *Edilbaldus,* vbi de miserabili eius cæde. Infra de eo plura epist. 10. 12. 19.

In IX. C*Locca*] De hac voce l. 3. Mogunt. not. 47. Hoc tamen sæculo iam tert cœperat *campana* nomen, vt ex V. Beda patet, cum lib. 4. c. 23. ait: *Audiuit notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel conuocari solebant, cum quis de hoc sæculo fuisset euocatus.* Eiusque meotio est c. *In causis,* de elect. c. *Ioannes,* de homic. c. *Petentibus,* de priuil. ca. fin. de sent. excom. in 6. *Nimis iniqua* de excessibus Præl. Vide multa de harum ortu, causa, effectu & significatione apud Steph. Durandum l. 1. de ritib Eccl. cap. 22. de sacratione ac improprie vocato baptismo apud Lindanum parte Apol. c. 52. Inferius vero epist. 89. rursum *cloca.*

In X. H*Eref.*) *C. Heref. itho.* In Epit. V. Beda *Anno 747. Herefridus vir Dei obiit.* Quia *vir Dei*, Ideo eius monita interdum audiebat Rex alioqui voluptarius. Vide lib. 4 hist. cap. 29. & in vita S. Cuthberti.

S. Iacobi Apostoli.] Longe alius sancto huic Germanorum Apostolo, quam Apostatæ Luthero de S. Iacobi epistola sensus fuit, qui hanc, vt infra etiam patebit, citat toties, epistol 16. 18. 19 89. alibi, & Apostolo semper tribuit, eamque, vt li. 3. Mogunt not. 48 dicebam, notis nonnullis exposuit. Infra epist. 44. dicitur *Iacobus materteræ Domini filius.*

Subter) In exemplaribus, quæ vidi, omnibus, desunt ea nomina.

Sabanum] Genus vestis ac lintei esse, intelligi datur ex hac Vticensis Victoris lib. 3. de persec. Vandalica narratione. Muritta Diaconos Catholicus cum ab *Elpidoforo* Ariano apostata, fidei causa, torquendus esset, *priusquam,* ait Victor, *exueretur, clam, furto, nescientibus cunctis, illa quibus Elpidoforum susceperat de fonte dudum texerat, sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extentis, en his verbis totam ad fletum & lachrymas commouisse dicitur ciuitatem: Hæc sunt linteamina, Elpidofore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum Maiestas venerit iudicantis* Et eadem iterum reuertitur vox infra epistol 145. Vide c. Post baptismum, de consec. dist. 4. S. Greg. l. 7. epist. 5.

In XI. P*Ethelmo*] Hunc V. Beda l. 5. histor. c. vlt. ita scribit & describit: *Pecthelmus in ea* (Angliæ Ecclesia) *quæ candida casa vocatur, fuit Episcopus, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in sedem Pontificatus addita, ipsum primum habet Antistitem.* Idemque antea cap. 19. retulit miraculum, quod de *B. Heddi* referebat hic. Et rursum antea cap. 14. historiam de *milite* moribundo, confessionem respuente ac desperante.

Adoptiuum suscipiebat.] Aliud est filium adoptare, aliud *in baptismo adoptare, seu adoptiuum suscipere* Nam hoc est, quod olim c. *In catechismo* de cons. d 4. & hodie dicimus, *esse patrinum,* seu vt postea ep. 15. loquitur S. Bonifacius, *de sacri baptismatis fonte aliquem eleuare.* Et qui hoc facit eum recentiores quidam vocant *susceptorem, & sacræ initiationis arbitrum.* Tertullianus li. de bapt. *sponsorem fidei,* D Augustinus lib. 1. de peccat. merit. cap 24 & epist. 25. *offerentem*; Vita S Epiphan. Lipom. tom. 6. fol. 36. *patrem,* Concilium sub Carolo Magno, c. 47. *compatrem*: Dionysius Areopagita Hierar. Eccl. c. 2 ἀνάδοχον, ἡγεμόνα, & κατηχούμενον Et huiusmodi quidem spiritalis parentis officium paucis indicat citatum Moguntinum Concilium, dum ait: *vt compater vel proximi filiolos suos spiritales Catholice instruant, præcipimus.* Sed & hoc & alia plura serio & eleganter S. Augustinus serm. 163 de tempore, qui est . in octauis Paschæ, D. Chrysostomus in *e.* Cor. hom. 12. & canon. *Vos autem* de consecr. dist 4. Sed ex insigni actione hac, solet inter istum, & eum qui baptizatur, eiusque parentes ambos *cognatio* existere *spiritalis,* quæ Ecclesiastica lege, matrimonium inter hos, quos dixi omnes, contrahendum quidem impedit, contractum vero dirimit, vt multi tum canones, tum capitula in Iure docent Canonico apud Gratianum 30. q. 1. & 3 & in Decretalibus, ac sexto *de cognatione spiritali.* Ac vero eiusmodi vinculi maximam à Romanis iam olim Pontificibus Iulio & Cœlestino, variisque Conciliis habitam rationem testis est *Deus dedit,* Pontifex epistola ad Gordianum Episc. Hisp. Si vero ea canonum volumina, is ordo, eaque series, quę nunc est, S Bonifatii tempore fuisset, nunquam ista de quæstione adeo dubitasset Nunc vero eius & in quærendo ac interrogando laudanda, quæ & hic & ep. 15. ac 21. cernitur, sedulitas, & animi magnopere imitanda dimissio, dum non Episcopos & alios tantum interrogat, sed & suos quondam discipulos, ab iis iam senior doceri volens ep. 22. dumque insuper non argumento ac rationi, quam dubitandi habebat epist 15. mordicus adhærere, sed Patrum Ecclesiæq; decretis obedienter mauult acquiescere. Et tamen eadem vna ratio est, ob quam audenē hodie Lutherus in Babyl. capt. & Beza in lib. de Matrim. omnibus illis audacter ac superbe refragari, omnemque omnis spiritalis cognationis honestatem aspernari, ac pro nihilo ducere. Tantum scilicet homo homini distat, modesto arrogans, Catholico hæreticus. Vide Trid. Conc. sess. 24. c. 2. Bellar. l. de Matri c. 30. Zonaram tom. 3. in Nicephoro Phoca V. Bedam l. 4. hist. c. 13 Aimonium l. 4. 4. c. 57.

In XII. E*Thebaldo,*) supra ep. 8. Huic dum accipitres & fimilia mittit Regi S Bonifacius, facit quod in ægris boni Medici, in pueris boni Magistri Cum enim altera, cuius hic mentio, epistola, quæ inferius est 19. ipsum ob intemperantiam ac libidinem, esset reprehensurus, mollioribus eum verbis gratiisque ipsi, minimeque tamen malis muneribus docilem, bonorumque capacem monitorum studet reddere. Nam vt de illis ait Lucre. l. 4.

----Velati pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthii laticem, deceptaque non capiatur;
Sed potius tali facto recreata valescat.

Et Horatius----*pueris dant crustula blandi*
Doctores elementa velint vt discere prima.

Anglorum Reginæ Edelburgæ misit Bonifacius

Pontifex argenteum speculum, eburneumque pectinem. Beda lib. 2. hist. cap 11.

In XIII. **E***adburg*) supra epist. 2.
Apostat.) epist 3.

In XV. *Nothelmo*) Beda Epit. Anno 735. *Nothelmus Cantuariorum Archiepiscopus ordinatur: anno 739. obiit eique successit anno 740. Cudbertus.* Successerat ipse *Tacuino* sine Tarvvino (varie enim scribitur) qui mortuus anno 734. *Tacuinus* vero *Berthvvaldo*, qui anno 731. *longa ætate consumptus defunctus est die 5. Iduum Ianuariarum*, cum sedisset *annos 37. menses 6. dies 14.* vt ait Beda li 5. cap. vlt hist. Quod ootandum, vt intelligatur, *Berthvvaldum* (sic enim ex Beda, & Cæs. legendum) hic à S Bonifacio vocari *antecessorem Nothelmi*, non proximum & immediatum, cum inter vtrumque intercesserit, qui vocatur *Tacuini* vel *Tarvvini*, sicuti alius infra hic ep. 16. *Tatvvinus.*

Interrogationis Augustini,) Quatuor petit ab isto Archiepiscopo S Bonifacius. Primum & secundum apud V. Bedam est lib. 1. hist. c. 27. De tertio dictum supra epist. 11. Quartum apud eundem Bedam Epitome breuiter est sic: *Anno 569. Gregorius Papa misit in Britanniam Augustinum cum Monachis, qui verbum Dei genti Anglorum euangelizarent. Anno 597. venere in Britanniam præfati Doctoris, qui fuit annus plus minus 150. aduentus Anglorum in Britanniam.* Vberius lib. 1. hist. c. 23. 24. 25. & de felicissimo euangelismo adde S. Gregorii epistolam 30. ad Eulogium Alexandrinum libro 7.

In XVI. **C***uidam*) videtur hæc *Eadburga* esse, quia de precibus, quas petit, earumque causis ait S. Bonifacius: *Iam de hoc ante deprecatus sum*, At hoc supra factum epist 13. & 14.

In XVII. **S***peciales horas*] Videntur Ecclesiasticæ preces hic significari, quæ *horæ Canonicæ diuinique officii cursus* vocari quandoque solent, de quibus contra hæreticos Bellarminus l. 1. de bonis operibus in partic. c. 12. 13. & infra hic epist. 76.

In XVIII. **S***anctus Augustinus*) serm. 42. de tempore: *Charitas*, inquit, *ipsa vera est, quæ corporaliter separatos consueuit spiritaliter copulare atque coniungere. Duo enim, qui se sancto amore diligunt, etiamsi vnus in Oriente, alius in Occidente, ita in charitate conglutinante iunguntur, vt nunquam abinuicem separentur.* Ideoque & hic legi potest, *ab* non *ad.*

In XIX. **E***thibaldo*) supra epist 8. & 12.
Fidei] Menda insignis pro *fidem in Deum.*
Deo coram) C. *coram Deo* & h.

Præceptum) abhorrerentur hoc loco vxorii Nouatores nostri, nisi statim subderet sanctus, *ab ducenda vxore propter Dei timorem abstinere, non esse reprehensibile, sed magis laudabile.* Et nota quam grauiter contra eosdem Nouatores loquatur Sanctus, dum sanctimoniales seu Nonnas *Dei sponsas* vocat, easq; libidinose contingere scelus esse docet *grauissimum.*

Hoc reus] forte, *de hoc reus*, *vel hoc reus fit* videlicet *fecisse.*

Nonna] Etiam hac epist. inferius, & in duobus Conciliis infra ponendis p. 112. 113. In Caroli vero Magni Constitutionibus, p. 138. & 563. *Nunnanes*, quorum Germanicam originationem affert quidem illic Amerbachius, sed neque decoram satis, neque verisimilem. *Nennos* apud Ægyptios vocari Monachos, & moniales *Nonnas* ait Rhodiginos l. 5 cap. 12 S. Hieronymus ad Eustoch. de custod. Virg. *Castæ*, inquit, *vocantur & Nonnæ.* Vbi ad probandum Nonnam esse virginem argumentum ex nomine proprio apud Suidam ducit Erasmus parum firmum. V. Beda lib. de numeris p. 113. dicit apud Hebræos numerum dici *Nonnam*, sed lege *monam*, cum verbum *manah* valeat numerare, licet nomen illud *mona*, vel etiam *manah* in scripturis portionem aut partem potius significet. 1. R. 1. 5. & ca. 9. 23 26. alibi.

Antiqua Saxonia) Sic vocatur Germaniæ illa pars vnde orta *recentior* in Anglia *Saxonia*. Nam sub Domini annum 409. cum ad opem contra hostes ferendam Saxones euocassent, iis etiam apud se habitandi locũ dedere: quem & vi paulatim retinuerunt atque amplificarunt illi. Hinc orti Saxones, vel *Anglosaxones* in Anglia *Saxones* vero simpliciter, aut vero *Altsaxones* vt ep. 121. seu antiqui Saxones in Germania sunt. Beda l. 1. c. 0. 11. 15. hist. & lib. 5 c. 10 11. & 12. Sed de illa, eiusque populis dixi lib. 3. Mog. not. 1. Pulchra vero hic subiiciuntur Ethnicæ Germanicæque seueritatis in adulteros exempla, quæ sanctus laudat *Bonifacius* sicut *villicum iniquitatis laudauit Dominus*, quoad ea, quæ in eius facto bona, non quoad omnia Luc 16. Neque enim laudandum, quod aut propria sibi manu mortem inferret quis, aut, vt inferret, cogeretur.

Ceolredus) In Bed. lib 5. hist. 24. *Cœnredus*, & in Epit. *Ceolredus*. Sed illo l. 5. cap. 20. duo Coenredi, & ambo Merciorum Reges. Prior *nobilius*, inquit Beda, *regni sceptra reliquit, & Romæ factus Monachus.*

Posterior filius Edilredi Regis, qui Rex Edilredus postea Monachus & Abbas l. 5. c. 20. De Cedredo posteriore sermo hic, de cuius damnatione infra epist 21. & 71. Ei successit *Edilvvaldae*, ad quem iam sermo. Beda Epitom. anno 740. qui Edilbaldus tandem *anno* 754. (triennio scilicet post S. Bonifacii martyrium) *à suis tutoribus*, *inquit Beda*, *nocte morte fraudulenta miserabiliter peremptus occubuit: Beonredus regnare cœpit.*

Osredus] *Rex Nordanhumbrorum, puer octo circiter annorum, regnauit annis 11.* lib 5. c. 19. Bed. & in Epit. *Anno 716. Osredus Rex Nordanhumbrorum interfectus est, & Rex Merciorum Ceolredus defunctus est.* Et c. 23. post hunc occisum *dicitur fuisse Rex Nordanhumbrorum Cœnredus*, *cui successit Osricus* c. 24. & huic *Ceoluulfus* frater Coenredi, qui antea regnarat ib. huic *Eadbertus* in Epit. anno 737. Et ideo hunc Osredum *iuuenilem & luxuriosum vitam perdidisse*, ait S. Bonifacius. Nota hic tristes Regum Dei leges contemnentium, sacra violantium, nimiumque luxuriantium exitus.

In XX. **D***omina*] sic in C. sed in B. *Denna.* vbi est epist 26.
Vvietberga) B. Vvictburga, de qua infra epist. 11.
Plura, quæ huc spectant Bar. p. 53.

N*otabilis*) non in C vere tamen epistola, ob argumentum, notatu digna.
Hebelida) C. Hildelida & L.

Ipse eum supradicto fraternitatis.) Tertull. visionem quandam narraturus li. de idol c. 15. *Ex auctoritate*, ait, *Dei contestor, quia nec tutum est subtrahere, quod cui; vni fuerit ostensum, vtique omnium causa.* Rei vero quæ hic narratur, testimonium nobis duplex I. egregia ipsius narrantis S. Bonif. fides: Deinde ipsius, qui ei narrauit non aurita, sed oculata confirmatio. Dicebat Abrahamo infelicissimus ille apud inferos diues epulo Luc. 16. 30. *si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*, & *multi*, vt ait S. Chrysost. serm 66. *solent dicere: O si quis à mortuis veniret, & quid ageret referret, ei omnes crederent, &c.* At sane non fit. Rediit ab illis Lazarus: *Et multi* quidem in Iesum *crediderunt*, Ioan. 11. 45. Sed nunquid omnes? Rediit & adolescens ille viduæ in Nain filius & *accepit* quidem præsentes tum *omnes timor*, & *magnificabant Deum*: sed nunquid omnes, qui hũc postea viderunt & audierunt, ad pœnitentiam adducti? Sic & de aliis, quos ad vitam vel ipsemet Dñs, vel Apostoli, vel Prophetæ reuocarunt. Cum Israelis

Rex,

Rex, Achabi filius Ioram de rediuiuo Sunamitidis mulieris filio certum oculatumque testem audiisset Giezi, imo ipsummet rediuiuum illum suis ipse oculis conspexisset, narrantemque auribus iisdem suis audiisset, num se correxit? num impietatem moresque prauos abiecit? Accidit incredulis, quod furibus & latronibus, qui patibula passim rotasque vident, neque tamen furandi latrocinandique finem faciunt. Et illi quidem sperant, euadere se fortassis posse, suaque semper celatum iri scelera: nos an æterna vllo modo, nisi pœnitentiam agamus; euadere supplicia possumus? Ante omnium nostrum oculos, quotidianæ notorum, nobisque familiarium, iuuenum & senum, diuitum & pauperum mortes ac funera sunt: & certissimum est, sequi oportet nos, & tamen num mouemur? Non igitur sane, si quis ex mortuis ad epulonis illius fratres iisset, ij sese ideo confestim reprehendissent, pœnitentiam egissent, vitæ licentiam abiecissent. Si, ait citatus S. Chrysost. hom. 4. de Lazaro. *Deus nouisset profuturos viuentibus mortuos; nunquam id omisisset, neque lucrum tantum prætermisisset, qui vtilia nobis cuncta procurat.* Et hoc quidem, quod ad ordinarium communemque mundi cursum: quoad extraordinariam vero & priuatam veluti legem, interdum *superna*, vt ait S. Gregorius l. 4. Dial. cap. 36. *pietas ex magna misericordia sua largitate disponit, vt nonnulli etiam post exitum repente ad corpus redeant, vt tormenta inferni, quæ audita non crediderant, saltem visa pertimescant*: neque ipsi modo, sed & alii, qui ab ipsis ista percipiunt. Fit autem hoc dupliciter. Vel enim illi *vere mortui* sunt, vel *videntur tantum*; & non sunt. Potest enim *duplex animi* à corpore *disiunctio*, vna *perfecta*, dissolutis omnibus naturæ vinculis & compagibus: Altera *imperfecta* per ecstasin quæ vel solam, vel minimum vnam retinet informationem ac vitam licet perobscuram, & quasi nullam. In priori genere sunt Lazarus, Naimicus, & Sunamæus, de quibus supra: In posteriore *S. Furseus* apud V. Bedam lib. 3. hist. c. 19. & illi, quos in citati capitis titulo scribit S. Gregorius, quasi per errorem educi è corpore videri, & à quibus ipsum orditur caput sic: *Hoc cum fit, si bene perpenditur, non error, sed admonitio est.* quia sane ista vel ecstasis & imperfecta mors, vel vera & perfecta mors ad eorum, quibus contingit, & aliorum, siquidem velint vtrique commonitionem & vtilitatem diuinitus conceditur. Quæ vero istiusmodi à corporibus perfecte aut imperfecte demigrantes vident animi, supplicia esse possunt, vel vera & prout illa in se ipsis sunt, vel verorum similia, prout expedit illarum significari & declarari. Sic enim loco citato explicat Sanctus Gregorius, & visas in altero seculo eximias insignium domorum structuras, odoresque suauissimos & profundos horrendosque amnes, pontes lubricos fœtoresque teterrimos, & ad istam formam accipienda, quæ Sancto hic narrantur Bonifacio. quæ V. Bedæ lib. 5. hist. cap. 13. 15. Et narrantur quidem hic omnia, quasi vere, perfecteque mortuus narrator fuerit (fierique id potuit) possent tamen accipi omnia, quoad ecstaticam mortis similitudinem, ex S. Gregorii citato loco sententia, qui similibus tamen phrasibus in duobus vel tribus defunctu vtitur, & ex eo, quod in hac ipsa epistola sub extremum dicatur is, qui Sancto hæc Bonifacio retulit, à corpore pauculis tantum horis abfuisse, à *primo* scilicet *noctis gallicinio ad primum diluculum*. Beda lib. de ratione temp. cap. 5. *Noctis partes sunt septem: Crepusculum, vesperum, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, diluculum*, sicque fere Macrob. l. 1. Saturn. c. 4.

Sed quæ de futuri seculi rebus eiusdem obiecta fuere oculis, imagines tantum, & pictæ rerum illarum tabulæ fuerunt, quæ ad inferorum ignem æternamque damnationem, ad purgatorium terminandumque cruciatum, ad gaudium felicitatemque sempiternam, ad spirituum bonorum & malorum, (siue ipsorum es-

sent homines mortui, siue viui adhuc, & virtuti aut vitio seruirent) functionem ad conscientiæ humanæ vim, eiusdemque vel accusationem vel defensionem, ad diuini iudicii seueritatem pertinent. Hæc enim fere omnium summa. Ad Rom. 2. v. 16. sunt *cogitationes sibi inuicem accusantes & defendentes*. Esd. 4. c. vlt. v. 96. *iniquitates accusatores stant*. Legi de istiusmodi mortuorum aut iam beatorum aut damnatorum resurrectione possunt Abulensis l. 4. Reg. c. 4. q. 56. Gregorius noster Valentianus Tomo 4 disp. 11. q 1. p. 2. Raderus item noster, Annot. in Viridarium suum p. 175. & seq quo in libro historiæ similes p. 171. & 79. S. Augu. ep 100. & tot lib. de cura pro mort. c. 12. Vita S. Annonis in Surio.

Specialiter vnumque vitium.] Siue instar habitus, siue instar actus cogitetur vitium. Et nota hic ab iis tantum peccatis accusationem institui, quæ per sacram confessionem disertim expiata non fuissent, idque non per fallax sacrilegumque silentium, sed per negligentiam aliquam, obliuionem, aut ignorantiam Alia etiam interdum, quæ delesset confessio, exprobrata leguntur peccata, sed ita, vt noxæ, aut dedecoris inferrent nihil. Et simile quippiam apud energumenos, qui arcana interdum occultaque pandunt, videre est, è quibus vnum, quod *suis* ait *gestum diebus*; commemorat hisce verbis lib. 1. Cambriæ ca. 12. Syluester Giraldus: *Cum his, quibus secretiora sua exprobrauerat Dæmon, confessione super his facta, ex pœnitentia sequuta redissent, nihil eis improperabat; Sciui quidem, sciui, sed nunc ignoro: Aliq autem quasi comicum hoc emittebat: Et ego taceo. Quod enim scio, nescio: Ex quibus apparet, quia post confessionem & pœnitentiam, vel omnino hominum peccata dæmones nesciunt, vel ad damnum eorum, & dedecus ea nesciunt. Quia, vt ait Augustinus, si homo tegit, Deus detegit: & si homo detegit, Deus tegit.* Lege totam enarrat. psal 31. eiusdem D. Augustini.

Virtutes.) Siue habitus, siue actus, vt supra de vitiis.

Speciosa.) Hic duorum sententias Apostolorum considera 1. S. Petri. cap. 4. 18. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* 2. S. Iacobi cap. 5. 20. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam suam à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Adde & illud Danielis cap. 12. 3. *Fulgebunt qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*: prout hunc etiam locum ex Hebræis explicat R. Abraham Zacuth. præf. in lib. *Iuchasin*.

Denegaret.) Ne maius iis exinde iudicium. Multi enim etiam talia irrident: neque iis ad salutarem timorem traducuntur, de quibus supra.

Alia.] Videntur ex iis esse nonnulla infra ep. 71. quam cum ista, si libet compone.

Quoi tribus.) In C. *quo* pro *quæ*, vel omnino tollendum *quod*, aut explicandum, *sunt id, quod*.

In xxiii *Spiritualis tractatus, magister legentium sacrum eloquium esse dinoscitur.*) Pulchra sententia. Nam sane ait *Laicorum libri sunt imagines* S. Gregorio teste l. 7. epist. 53. & 109. Sic & sanctorum Patrum libri, seu tractatus sunt eorum, qui sacras legunt litteras, Magistri muti. Vide igitur quemadmodum libros vndique conquirat & petat S. Bonifacius, vt supra ep. 8. 9. infra 28. 31. 40. 85. 194. 150. eiusque discipulus & successor S. Lullus ep. 89. 95. 99. 109. & 111.

De Matrim.) supra epist. 11.

In xxiv *Pro dormientium fratrum animabus.*] Vide quam sæpe, quam serio preces & Missas petat S. Bonifacius pro defunctis, & alii etiam epist. 35. 36. 70. 74. 76. 77. 84. 90. 95. 103. 104. 108. 109. 110. 124. Vide ep. 122. & S. Augu. ep. 64. ac lib. de cura pro mortuis. D. Chrys. hom. in Philipp. 3. & hom. 21. in Act. 9. ad populum & 70. Anastasium Nicenum q. 16. vbi Epiphanium, Dionysium, & Constitutiones citat Apostolicas.

In xxvi *Filio Carlo.*) Sic est in C. sed videtur legendum *Carli*. Fuit enim *Grifo*, vel ab aliis scribitur *Grypho* seu

Griffo filius Caroli Martelli, quem hic illius patrem vocat: Et quia etiam à matre illum sibi in precibus commendatum ait, verisimile est, quod Aimoinus & alii tradunt, Griponem istum non è concubina, sed alia legitima vxore natum. Carli eiusdem epist. infr. 32.

le XXIX *Missum.*) Sic illo æuo frequentissime vocatus nuncius, siue tabellarius vt supra & infra 75. 91. 104 107. qui & sæpe vocatur *portitor* & *gerulus* epist. 31. 35. 39. 40. 72. In constitutionibus Caroli M. & glossa cap. 1. de immunit. Eccl. dicit *missum* esse vulgare Italicum 102. 110. & apud Cassiod. l. 1. Var. ep. vlt. lib 8. c. 8. l. 8. ep. 10 Isidor. l 6. etym. c. 8. C. Theodos. Si cert. petatur. de chirog. portitores, & baiuli pecuniæ. *Portitores* alioqui veteribus sunt telonarii, qui portum obsidentes omnia sciscitarentur vt ex eo vectigal acciperent. Nonius.

Carli Martelli, de quo epist. 26.

XXXII. *Mundeburgio*) Sic in C. sed in hac eadem epistola bis *Mundeburdium* scribitur. Vtrumque bonum, vt ait in verbis Feudalibus Hotomannus. Est autem illud nihil aliud, quam procuratio vel protectio. & *Manburgus*, protector vel Aduocatus. In formula regni accepti à Bosone apud Guil. Paradinum l. Burgund. *Omnibus vt monuisti, legem, iustitiam, & rectum mamburgium auxiliante Deo conseruabo.* In Cæsareo Codice post varios libros & tractatus est VVilliberti cuiusdam donatio facta Coloniensi Ecclesiæ S. Petri anno 871. in eaque sic legitur: *Visis sub defensione, & mundeburde ipsius Ecclesiæ, & sub ala Pontificis, qui tum temporis ibidem præesse videtur.*

XXXIV. *Triquadri.*) Quia in tres partes, Europam, Asiam, & Africam diuiditur. Sic & triquadram vocat Iordanes lib. de reb. Get. Britanniam, quam alii triquetram. Quadrifaria vero regna sunt illa quatuor ex Danielis c. 2. de quibus in ipsa epist.

Quem chorus.) Vitiosus quidem simpliciter versus: olim tamen in Græcis vocabulis multa sibi permiserunt scriptores, etiam qui notæ bonæ. *Habebant*, inquit, Ios. Scaliger lib. 2. in Auson. cap. 21. *peculiare Latini Poetæ, vt non solum græcas declinationes in Græcis negligerent, & ad regulam Latinorum referrent, sed & quantitatem ita euerterent, vt accentu illam tantum metirentur.* Probat id ille pluribus ex Plauto, apud quem corripitur secunda in *Phædromum* φαίδρομον in Philippus φίλιππος Ausonius etiam τρίγωνον & τετράγωνον ita extulit:

Per totidem partes trigonorum regula currit.
Fulgur tetragono aspectus vitale coruscat.

Et alii, ipseque Christianus etiam Prudentius correpta secunda dixit εἴδωλα correpta idem secunda ἐκκλησία. Isto igitur modo hic producitur secũda in μαρτύρων. Prior vero in *choros* non propter accentum, cum scribatur χορὸς, sed propter sequens *r*. & idem etiam dici posset in *martyrum B. & r. communes syllabas facere solent*, inquit, V. Beda lib. de arte metrica p. 39. Sunt ergo hæc semel in id genus versibus notata.

XXXV. *Ra bbodum.*) De hoc plura libro 3 Mogun. notat. 10. & alibi.

XXXVIII *Confessionis fit.*) De Confessoris nomine ac titulo insigni D. Cyprianus & Baronius in Martyrologio die 2. Ianuar. Et fieri potest, vt iste confessor eiusmodi fuerit. *Quia* tamen Euangelii promulgatio vocatur *fidei confessio*, potest eo modo insignis dici *confessor*, qui Euangelio gentibus enunciando insignem nauauit operam.

Æthilberti.) Sic in C. super. scribitur, alibi absque In XL. diphtongo, *Edilbertus*, vt in V. Beda, qui l. 5. hist. c. vlt. cum ait Regem Cantuariorum creatum anno 725.

Repta.) Infra etiam occurret epist. 77. p. 108. Sed quid? An aliquid habet affinitatis cum *Repcatester*, id est, *vrbe aut castro Repta*, de quo Beda l. 1. c. 1. Nam *Cestre* castellum Bed. l. 4. hist. c. 5. sicuti Britannice *caer* Giral. c. 5. l. 1. & 10. Itinerarii Cambr.

Superstitem.] videtur ex V. Beda Epit. ipse S. Bonifacius fuisse superstes.

Falcones.) alioqui falconnes in Cambria seu VVallia optimi. Syl. Giral. l. 1. Cambr. c. 12 Hinc *falconarii* in Caroli M. Const.

Ia III *Scottus.*) Alias *Scotus*, id est *Hybernus*, vt in V. Beda l. 3. c. 3. S. Kiliani notis. De S. Aldhelmo sup. ep. 4.

Ia... *Frisarum*) Qui nunc *Frisii* & *Frisones*, vocati sunt *Fresa*, *Fresi*, *Fresones* in Beda lib 5. c. 10. & 12. in vita Cuthberti c. 44. & lib. de 6. ætatibus: itemque semper in Annal. Franc. hic episto. 97 Vnde vero id attigi libro 2. Mogunt. cap. 9. & in notis Sancti Kiliani cap. de Francis.

Carlomanni.) Sed quis huic filius?

Reuerte) *Fac reuertis*, seu *verte ipsum* vt redeat.

XLV. *Domnonia*) An per *Domnoniam*, vt in versibus post epistol 69. p. 84.

In Conc. Episc.) Huc pertinent quæ l. b. 5 hist c. 19. V. Bed. *Triplicem* vero *dissensionem* S. Aldhelmus hoc loco indicat, quam sedari componique rogat & admonet, 1. *de tonsura Clericorum*. 2. *de tempore Paschatis*. *denique Catholicorum apud alios contemptu.* Sed tertium hoc, sicuti & c. 4. l. 2 apud Bedam è duobus prioribus oriebatur, quorum *primum* erat quidem adiaphorum, vt recte ostendit Geolfridus apud Bedam libro 5. cap. 22. Sed in quo id quod melius & S. Petri facto, Ecclesiæque Romanæ mori conuenientius, magis amplectendum fuisse idem ibidem docet. *Alterum* vero de Paschate, quasi prorsus necessarium vrget idem, à quo dissentire debeat nemo; & si dissentiat, excusari non possit, nisi per ignorantiam ac simplicitatem, vt doctissimus, ait VVilfridus apud eundem Bedam l. 3. cap. 25. Nam in hisce duobus Bedæ citatis iam locis accurate tractantur dictæ de tonsura & Paschate disputationes, quæ cœperunt in Anglia potissimum excitari *anno Domini 664.* cum Boreales Scoti alienum ab Ecclesia Catholica institutum tenerent, Anglisque nonnulli persuaderent, reprehensi ab Honorio, aliisque Pontificibus Romanis sæpius, vt lib. de sex ætatibus in *Heraclio* notat Beda. Postea tamen iidem illi erroris Magistri veritatem agnouerunt, seque ad Catholicum ritum contulere omnes, vt idem explicat Beda libro 5. cap. 16. 22. 23. & libro de sex ætatibus in *Anastasio* 2. histor. capite 19. quos vtinam imitarentur nostri hodie Nouatores, tum in his, tum in aliis omnibus, quæ pertinacissimo tuentur animo, dissidiis. Et *corona* quidem *Clericorum* in capillitio sacra, varia est. *Vna sancti Petri* dicitur, quæ capitis verticem coronario more attondet, & infra hac epistola dicitur *Romana*. Altera *sancti Pauli*, quæ plus quiddam & aliter totondisse videtur ex V. Beda capite 1. libro 4. *Tertia Simonis Magi*, quæ verticem capillatum, caputque totum retinebat, sed coronæ in modum inferne circumtonsum, eo fere modo, quem in Cambriæ descriptione cap. 11. tradit Syluest. Giraldus dicens: *Tam mulieribus in hac gente, quam etiam maribus ad aures & oculos tenus tota tonsa.* Prima vero retinetur à Clericis & Monachis hodie: sed varie. Nam alii *tonsuram* tantum adhibent, vt Græcorum nonnulli, *eamque* alii, vt Latini omnes: & hanc rursum alii maiorem, alii minorem. Nam minimis præditi ordinibus Clerici gestant minimam; maioribus, maiorem, & quidem gradatim Sacerdotes, Episcopi, Pontifex, qui, diligentissimorum instar Monachorum, & paulo etiam amplius detonso coronatur crine. Vide c. *Prohibete*, d. 23. c. *Clerici* & *Signi* ibidem. *De causa* dicunt multa satis citati apud Bedam auctores, & Sanctus Germanus in Liturgiæ Theoria, Turrianus l. 5. pro epist. Pontif. c. 19. & libellus de Apostolis num. 76. copiose BARONIUS Annal. Tom. 1 anno 58. Vnde non hæreticorum nostrorum modo, qui per ludibrium *rasos* nos vocant, refutatur calumnia, sed illa

etiam Beroaldi in l. 2. Asini Apuleiani opinio, existimantis *a calue & derase Ægyptiorum sacerdotum capite* hunc Ecclesiasticæ tonsuræ ritum fluxisse. *De Paschate* porro dici quæ possint, dicta nuper abunde sunt à Clauio nostro non libris contra Mæstlinum tantum, sed in Gregoriani etiam Calendarii explicatione cap 1.18 13.

Perscripta) Melius *perscriptura*, nisi forte subintelligatur, *epistola*, vel huiusmodi aliquid.

Certamen.) Videtur significari vel Abdiæ liber, qui inscribitur *Historia certaminis Apostolici*, vel qui B. Lini dicitur *libellus de passione D. Petri & Pauli*. Nam in eius principio dicitur: *Post diuersa cum Simone Mago, aliisque quampluribus Antichristi præconibus pro nomine veri Christi certamina.*

Clementis.) Veteribus, qui 10. *Recognitionis* seu *Periodorum* & *circuitionum* libros Clementi attribuerunt, potest deinceps sanctus hic noster Aldhelmus coniungi. Ex illis sunt apud Lambert Gruterum præf in Clementina D. Epiph. hæres. 30 Ebionit. Auct. operis imperfecti hom. 49. in Matth. c. 24. Cedrenus in hist. Niceph Callistus l. 2. c. 35. lib. 3. c. 18. Ruffinus in Apol. ad Macar. V. Beda in Act. c. 5. & l. de ratione temp. c. 3. Bridfertus in eum Bedæ libellum. Frecholfus lib. 3. Chron. c 10.

Ogdoadam.) Vt *hebdomas*, & *hebdomada*, sic *ogdoas* & *ogdoada*, *hendecas* & *hendecada* De vtraque Beda c. 44. l de rat. temp. & 55. Apud sanctum Augustinum in psa. 40. leguntur eodem modo *ephemerida*.

Anatolii.) V Vilfrid apud Bedam. l. 3. c. 25. idem &, lib. de ratione temp. cap. 4 *Anatolius Laodicea Antistes* rursumque c. 28. & 33. *Homo Ecclesiæ sanctissimus Anatolius in opere suo Paschali* & c. 40.

Sulpicii.) Non fit huius mentio apud Bedam & Bridferrum, cum de cycli decem nouenalis scriptoribus agit libr de rat. temp. c. 42.

Tessaresdecatita. Epiph. hæres. 50. S. August. hæres. 26. Theophilus Alex. in epist paschali.

Victorii.] De quo lib. de rat. temp. c. 40 Beda & 41. 41. 42.

Sabrina) Flumen est in Occid. *Anglia* seu *Loegria* quo à Cambria distinguitur Beda c. vlt. l. 5. hist. Girald. c. 15 in Cambr. descr. & ab eo *Sabrinum mare*.

Demetarum.) Demetia est Cambriæ pars, à qua Demetæ & Demetii. Gerald. Itin. l. 1. c. 12.

Sablonum) Sablo est arena Gallice *Sablon*, Italice *Sabiona*: Scaliger in Aus l 2. c 31. *Glarea ager publicus, qui desabulari dicitur, cum munitur.* Varro sesquiulysse: *Vnam viam Zenona monstrasse: duce virtute hanc esse nobilem: alteram Carneaden desabulasse, bona corporis secuntum.*

Catharos] Epiph. hær. 19. Aug hær. 38.

Euax) Præstat dolentis interiectionem, *heu heu*, quam gaudentis *Euax* vsurpare. Plautus Curculione: *Prope me est, Euax habeo: Salue anime mi &c.*

Clustello) Vt *cludo* & *claude* dicitur, sic *clustellum* & *claustellum*, vel *claustrellum* Sic in Cassiod. l. 1. epi. 5. & 19 *clusura* pro clausura de qua Ant. August l 2. Emend. c. 8.

lxxv. G*Regorie*) Videtur hic S. Bonifacii egregius ille discipulus esse, de quo lib. 5. Mogunt. not. 12. & 13. Nam eum S Lull *adinternum suum in diuina legis doctrina* hic nominat, & infra *collegam suum* fuisse, sacris vna litteris studuisse, seu *limpida Dei dicta communiter scrutinatum* refert. Et erat natu ipso S. Lullo grandior, graduque maior, quia & *Presbyter Abbas* erat, vt hæc habet inscriptio, prout etiam de *Vitam* loquitur Beda l 3. c. 21. de *Aldhelmo* c. 19. l. 5.

Exhibeantur) Contrarium ipsi *adhibeantur*.

lxxvii S*VVithen*] Eadem quæ *Osvvitha*, vt ex epistolæ patet initio. Insigne hoc exemplum est Ecclesiasticæ disciplinæ, dum pallio seu velo sacro palliatæ seu velatæ sanctimoniales, earumque Abbatissa excommunicantur, pœnisque ad pœnitentiam afficiuntur. *Potius* vero Auct. Bibliot. Vet. Pat. Tom. 2.

quae eu prohibetur *melle indulcoratus est hydromeli, seu mero*, de quo & infra epist 61.

lxviii. R*Ege*) In C. vnica littera est, quæ R. videtur, sed posset accipi velut N

lxxix. S*Egebaldi*) Rex fuit Occidentalium Saxonum, apud quos *Daniel* Episcopus de quo supra. Isti vero Occidentales vocabantur *Geuisse*. Bed. l. 3. hist. c. 7. eosque ad fidem Christianam conuertit, & primus eorum Episcopus fuit *Byrinus*, cui successit *Agilbertus* Gallus, huic *VVini*, huic *Eleutherius* vt ibidem ait Beda & l. 4. c. 12. *Quintus* vero Episcopus fuit *Heddi* ibid. *Sextus Daniel & Aldhelmus.* Nam eius parochia seu diœcesis in duos fuit diuisa episcopatus l. 5. c. 19. Sed hic post annos 4 mortuus successorem habuit *Forthere*. ibid. & c. vlt. ac in Epit. Huic vero an successit *EremVValdus*, de quo hic? an cum illo idem? De Forthereo infra 58. & 66.

lxviii F*Orthere*] supra 49.

lxi. S*Axonicum*] Veteris linguæ Saxonicæ peritiores istud explicent.

lxii. P*Luuiarum flagello*) Obseruæ hic ieiunia, preces Missas contra tempestates aduersas, pro summo Pontifice & aliis, Pro *Domini Romani*, est in Cæsareo, *Domne*, de qua voce dixi alias in Litaniarum libello, n. 39.

lxiii. T*OEdet*) In C *tedet*, alias *tadet*.

lxiv. H*Aue*) Sic & in carm. 3. post epist. 69. & in S. Augustino epist 43 & videtur ab Hebræo verbo *mi chaieh*, id est, viue, sis saluus. Et multa colligit exempla Cuiacius l. 1. Obser. c. 15. vero pro *Haue*, scribitur *Habe* secundum orthographiam, quæ in multis notata est, generali nota VII.

lxv. Æ*Dilvvaldus*) Idem videtur de quo in Carmine vlt. post epist. 69. sed alius ab illo, qui anno 984 cœlo receptus colitur I. August. in Martyr. & Sur. tom. 4.

A*Mbrembus*) supra epist. 2.

Caraxatum) à Græco χαράττειν fictum verbum, & infra alibi epistol. 68. 72. 74. & in carm. 2. post epist. 69. Et Lipsius Analect. ad mil. Dial. 9. *Fraxare*, vigiliam circuire περὶ τὸ φράξαι. Prudentius ea forma ἐκ τοῦ χαράξαι fecit *charaxare*. Versus vero, de quibus hic; desunt, iactura vt ex epistola perspicuum, non magna.

lxvi. F*Orthero*] supra 49. & 58.

lxvii. C*Atechetica* hæc epistola.

Languore] supra epist 3.

lxviii. P*Oetica* & aliquandum Astronomica epistola. Videatur Beda de re metrica, S. Aldhelmus prologo 2. Poeticorum p. 31. 33. seq.

lxix. E*Pistola* videretur B. Althelmi ex primo carmine subiuncto quia iste in epistola, *mittere se* ait *versus* & in illorum fine scribitur, *finit carmen Adhelmi*. Quia tamen non fuit hic S. Bonifacii discipulus, & auctor epistolæ illum *suum Magistrum* fatetur, vel non idem est versuum & epistolæ auctor, vel male carminis primi Poeta laudatur Aldhelmus.

Asc.) Dauus sum non Oedipus. Sequentia in imaginibus, quæ in V. Bedæ opere facie prima occurrunt, exponuntur.

Mazaroth.] lib 4 Regum c 23. v. 4. *Mazaloth* vocantur aut Planetæ, vt vult in Exod. 25. *Rabbi Hiscuni*, vbi & illorum recenset nomina; aut signa Zodiaci, vt S. Hieronymus & alii: à *nazal*, quod est ire, progredi, fluere. Et sic etiam in Beda lib de ratione temporum c. 4 & 43. corrigendum *mazaloth* pro *mazareth*.

Crepere) Vt *sonare* & *sonere*, de quo supra; sic *crepare* & *crepere*, & ab isto *creper* vt ab illo *soner*. Alioqui *res dubia dicta crepera*, inquit Varro lib. 3. *Exæquata que sunt creperi certamina belli.*

Haue hona) pro *haue Iehoua dilectissime* sup ep. 64.

Æthiluvaldi.] Non hic successor Cuthberti in monasterio insulæ Farnensis, de quo Beda l. 5. ca. 1. in vita S. Cuthberti c. vlt. & inst. ep. 89. sed alius non vtique Merciorum Rex ille, de quo supra neque Nordumbrorum Rex, de quo in Epit. anno 759. sed forsan Episcopus, de cuius morte in Epit. anno 740. & de quo supra ep. 65.

LXX. **E**Gregia hæc epistola, sicuti & 78 inferius *de S. Bonifacii martyrio, doctrina, patrocinio.* Sed eam non scripsit sanctus ille Cuthbertus, cuius vitam descripsit V. Beda libello vno, & lib. 4. hist. c. 26. & sequentibus. Is enim fuit primo in *Mailros* monachus, deinde Anachoreta in Farne insula, factus tandem Episcopus Lindis Farnensis anno 684. & post biennium mortuus anno 686. cui successit Eadbertus. At qui hanc scripsit Archiepiscopus fuit, vt indicat subscriptio, & post S. Bonifacii martyrium (quod 755. corrigit l. 3. Mog not. 54.) scribebat: Fuit igitur Archiepiscopus Cantuariensis, Nothelmi (de quo supra) successor, *qui anno 740. pro illo consecratus est,* vt in Epitome ait Beda.

Cæl. Bibl.) Id est, sacrarum litterarum.

B. Greg. & August.) Nam S. Gregorius hunc B. Augustinum cum aliis pluribus ad Christum Iesum, eiusque sanctissimam fidem prædicandam misit in Angliam Beda l. 1. hist. c. 22. & seq. l. c. 1. ait illum idcirco *Angliæ Apostolum* vocari. *Quia nostram*, inquit, *Anglorum gentem de potestate Satanæ ad fidem* Christi *conuertit, recte nostrum appellare possumus, & debemus Apostolum.*

LXXII. **M**Asoni) Hæc epistola in editis B. Isidori epistolis est, ibique legitur *Masonem* vocatus iste Malo, & magna eius pars citatur apud Gratianum dist. 50. c. Domino Sancto, vbi citatur Concilium Ancyranum c. 19.

Innotuit) Sæpissime & in his epistolis vt infrà 71. 79. 118. 125. 142. & apud alios horum, posteriorumque temporum scriptores, *innotescere* sumitur actiue, pro *notum facere.* Sic & Ausonius vtitur verbo *accrescendi* ἀργαϊκῶς inquit Scaliger l. 2. c. 6. *Transitiue enim posuit pro augere, maius facere.* Apparet vero ex tota epistola fuisse à Masone Isidoro propositam quæstionem de ea, quæ in canonibus quibusdam videbatur, repugnantia, quo ad eorum, qui per luxuriam lapsi essent, Clericorum pœnas. Vide citatam dist. 50. & infra epist. 85.

Regestu) Regula præscribitur. Sed in exemplaribus aliis legitur, *gestu.* Sunt autem *regesta*, Budæo teste, Commentarii scribarum. Actuariorum, & similium quæ vulgo nunc *Registra* vocantur. Vopiscus in Probo: *Vsus etiam ex regestis scribarum &c.* vt & Gregorii epistolæ *ex Registro* dicuntur petita: In iure tamen Gregoriano, *ex Regesto* c. *Quia* 20. q 1. alibi.

LXXIII. **L**Icet in C. nullus huius epistolæ aut titulus, aut numerus sit: attamen à superiore potius videtur diuersa, quia in illius fine dicitur: *In fine autem.* Deinde quia hic alia quæstio est, licet superiori confinis; *An quis post baptismum, mortali se astrinxit peccato, fieri possit sacerdos?* Et respondet, non, quod intelligendum sane. 1. Vt se humiliter agnoscat sacerdotio indignum, qui sic peccauit. 2. Vt ne in eiusmodi peccato persistat. Si peccatum illud crimen sit, quod scandalo sit, aut pœnitentia nondum expiatum, aut expiatum quidem, sed solemni. c. *Canones* d. 50.

Oratio pro semetipso.) orationes istæ videntur esse scriptoris, Deum pro suis peccatis suppliciter orantis, cum & sacerdos esset, & suæ tamen sibi conscius fragilitatis.

VVintana) quæ *VVindonia & VVindonium* alias dicitur vbi & Daniel, de quo supra epist. 3. Episcopus fuerat. Ideoque & huius hic mentio vbi & eius successor nominatur *Hunfrethus*, & huius *Cuthbertus*, qui epistolam scribit, sicuti & infra 86.

Orarium) Stolam vocant Ecclesiastici scriptores, aut vestem, quæ Clericis concessa, quæ oratores, vt & Deum orent, & apud populum perorent, deceat. Alcuinus l. de diu. off. c. de vestimentis Rabanus l. 1. instit. cleric. c. 19 V. Beda l. collecta c. 7. Conc. Aurel. c. 22. can. *Monacho* 27. q. Concil. Mogunt. sub Carolo Mag. c. 28. Tribur. apud Burch. l 6. c. 10. can *Vt presbyteri*, 16. q. 4 Steph. Durant. l. 2. de ritib. c. 9. Apud Vopiscum *oraria donauit populo Romano* Aurelianus, *quibus vterentur ille ad fauorem.* An *ad fluorem*, vt apud Scrib. Largum & Celsum l. 4. c 26.

Cocullam) Varro l. de vita pop. Rom. *Cocula, quæ quebat panem, primum sub cinere, postea in fornace.* Sed illa huic loco non conuenit significatio. An igitur pro cucullo ponitur? *Cocos* vocant hodie Hispani maiores quasdam nuces Indicas, è quibus potiora fiunt pocula virgis limbisque argenteis ornata.

Gunnam) An *gurda* est quæ vestis villis, ideoque Monachis congrua. Videtur enim apud S. Augustinum epistol. 56. *gurda* dici, quasi quæ gurdos deceat. *Gurdos ... re pro stolidis vulgo accepit*, inquit lib. 1. Quintil c. 5. At hic inf. ep. 59. dicitur *Pu... arum pellib.* constare.

LEo) Tertius nimirum tempore Caroli Magni, de quo hic.

Riculpho) Tertio Moguntinorum Archiepiscopo, de quo lib 4. Mog. p 613 & seq.

Communxissent) Illo seculo vsitata erant in itineribus duo hæc verba, *coniungere & absoluere.* Illud erat peruenire, appellere: hoc dimittere seu abeundi potestatem facere. Germanice *Sinenabfertigen.* Et sic epistol. 12-. 128. 140. in annalibus Francorum: *An. 797. Legatum Rex magnifice suscipiens post paucos dies & absoluit, abire permisit.* Et an. 865. *Legatus Pontificis à Rege absolutus.* Regino: *Imperator exercitum absoluit, & ad propria redire permisit.* Anno 8-4. *Bohemorum nuntius Rex ..., & absoluit.* Anastasius in Stephano Quarto, & ali... militer.

Vel omnibus) Sæpenumero vsurpabantur eodem seculo *vel, siue, seu,* pro *&*. Exempla sunt l. 1. & ... ex S. Bonifacii complura, & hic epistola etiam 123. D. Greg. l. 4. ep. 95. l. 7. epi. 5. in historia Bedæ l. ... 8. titulo, & alibi. Et sic R. Dauid Kimhi docet etiam accipi Hebraicum ... id est, *vel.* Pro. 30. 31. vbi ab nostro interprete vertitur *& artes* Et è contrario *sed* pro *vel* est in Cod l 9. ti. 13. *De raptu virginum seu viduarum*, vel ex legis fine intelligitur. Vide D. Velserum rerum Boicarum lib. 5. n. 276.

LXXVI. **I**N *septenis*) septem intelligit horarum Canonicarum preces, de quibus supra ep. 17. Beda l. 3. c. 27. *solemnem canonicæ temporis psalmodiam* vocat. Vide Steph. Durantum toto fere lib. 3.

LXXVII. **H**Rofensis) Alias Rhofensis in Beda, qui l. 5. vl. ponit huius Ecclesiæ hos Episcopos, *Theodorum, Tobiam, Alvvulfum.*

Itiner) Antiquum. Varro, *prauso paratu, luna expectante, Adria se itiner longum sermone leuaret.* Plautus Mercat. *Cum in ergo itiner exsequi meum me sines?* Lucr. l 6. *Obuia discutiat gladiis, itinerque sequatur.* Alia in Nonio.

Reminiscat) Quemadmodum *aucupo, vago, refrago, suffrago, auspico, edulio,* & similia, quorum catalogum texit Nonius, dixerunt veteres: Sic in vita S. Augustini Possidius c. 17. *frustro*, apud eumdem Augustinum ep. 55. Dioscorus procemio, hic vero Æardulfus, *reminisco*, & ante ipsum olim Rufus Rhetor, quem tamen idcirco ridet Ausonius Epig 48.

Qui reminisco putat se dicere posse Latine.

Hic vbi conscriptum est, legeret cor,... habere et.

Et epist. 47. *Reminisco Rufus dixit in versu suo.*

Cor ergo versus, ... Rufus non habet.

LXXX. **M**Ilret) Episcopus vt ex subscriptione perspicuum, & quidem in Anglia, vt indicat epistola. Sed q... post V. Bedæ historiam illic Episcopi & Reges fuerunt, eos difficile est certo statuere. Conferatur hæc epistola cum superiore 70.

Iussionibus secuturum) pro *obsequuturum.* Potest

tamen & Datiuum admittere ipsum *sequor*, per Hellenismum, vt ἀκολουθῶ & apud Ciceronem & alios *comitor*. & infra epist. 89. *adiuuo* βοηθῶ.

Listinas.) Recte in Iliad. α. Eustathus: ἐντεχνίας γνωστικῆς μητὴρ ἡ ζητητικὴ ἀπορία. Quærendo & interrogando fit homo semper doctior. Ergo postea quam de Listinis diu multumque vt lib. 3. Mog. not. 31. inquisiui, ecce tibi Antvverpia vir doctissimus, & antiquitatis egregie gnarus R. D. Aubertus Miræus, qui digito pæne illas monstrauit, dum illinc ad me sic: *Fulcuinus Abbas Lobiensis in Monasterii sui chronico, cuius fragmentum apud me est M. S. testatur eas olim sitas fuisse apud Lebiense seu Laubiense, celeberrimum hodieque Benedictinorum in diœcesi Cameracensi monasterium, quod quidem tertio fere lapide distat à Binceo Hannoniæ oppido.*

Et iste) Liptinensis Concilii occasio refertur mira in Gratiano 16. q. 1. post c. *Quia iuxta.* vbi Caroli Martelli anima damnata narrare S. Bonifacio inducitur S. Eutherius Aurelianensis Episcopus. Sed eam narrationem improbat Reuerendissimus BARONIVS anno 741.

Casata) Infra epist. 141. scribitur *cassata*. *Suspicor*, ait in constit. Caroli Magni Amerbachius, *casatum* (vel vt hic, *casatam*) *esse Germanicum eis à Latino deflexum, gesat, aut rectius tesat, id est, satum.* Sicque dum ait Carolus, *de casatis* hoc aut illud dandum, intelligeretur census quidam arualis, seu ex aruis vel agris. Subindicat idem tamen Amerbachius fortassis à casa, id est, domo ductum, vt sit quod hodie *Hausizins, Hauchgelt, Herdeschilling*.

Precario] *Precarium* pecunia est, quæ alicui ad eius preces seu precario datur mutua, quoad vsque voluerit qui dederit. l. 1. ff. de precar. Ludouic. Molina de contract. 2. disput. 294. & 298.

Reuertit assêt) An sicuti apud veteres frequentatiua plurima? An mendum pro reuertatur?

Pater meus) Carolus Martellus.

In ep. 97. T*Recea*) Proprium eius nomen in epistola dicitur *Albertus*, officium *Diaconatus*.

Innotuit) supra 72. inf. 118. 125.

Audaciter) D. Augustinus lib. de Grammat. *Quæ in I syllabam definunt, in Ter syllabam mittunt aduerbia, vt agili, nobili, audaci, difficili, agiliter, nobiliter, audaciter, difficiliter.*

In ep. 80. M*Agingaoz*] Videtur idem, qui *Megingozus, Mengozus, Megingaudus, Maingutus*, & sup. epist. 17. *Megingardus* vocatur, & postmodum Herbipolensis Episcopus facit secundus, Sancti scilicet Buchardi successor. Abbas primo Monasterii Neustadiensis ad Mœnum, è Rotenburgensium Comitum familia traditur, ideoque & ex eadem erant sanctimoniales illæ Virgines fratris filiæ, de quibus in epistola Nescio an idem, vel potius eiusdem gentilis & cognominis sit ille *Maingutus*, cuius fratres Comites Rotenb. *Vvolfangus & Vmbina Schivarhacum* arcem suam anno 816. in Monasterium conuerterunt. Vide initium historiæ S. VVilibaldi de S. Bonifacio sup. 253. & vitam S. VVigberti inf. ep. 87. 94.

In ep. 63. V*Vieberdus*] *Fridslarensis* Abbas, de quo libr. 3. Mog. not. 24. & alibi sup. 17. inf. 102. 110.

In ep. 84. S*Petri*] Videtur idem locus infra 113.

Per breue) Idem est, quod breuis aut epistola, aut libellus, aut, vt subiungitur, *indiculus*. Sic S. Hieronymus epistol. ad Florentium, Cassiod. l. 1. ep. 6. Symmach. l. 1 epist. 34. B. Theod. de indulg. tribut. vlt. C. de iure fisci. Apud Vopiscum in Aureliano *breue nominum* conscripsit Mnesthæus.

In ep. 85. E*Kberto*) supra Eboracensis Archiepiscopus, qui primus post Paulinum accepit ab Apostolica sede pallium, Beda Epit. anno. 735. mortuus anno 7 6 ibidem.

Existimantes leuius] Ita est. Vide Grat. dist. 32. & 50. & supra epist. 71.

Auct. Biblioth. Vet. Pat. Tom. 2.

In ep. 86. C*Ineardus*] supra 74.

In ep. 87. M*Agingoz*) supra 80.

Quæstionis) Videntur 28. q. 1. & 31. q. 1. & 31. q. 6. & 7. copiosissime Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 16.

In ep. 89. D*E V. Beda* pulchra & vera hic eius discipulus, & iam aliquoties supra, & ab eodem *Gudberto* etiam infra ep. 95. & 111.

Induendum alt.] *Pallæ & indumenta* seu *pallia altaris*, de quibus Optatus l. 6. Theod. l. 1. hist. c. 30. l. 3. cap. 5. Concil. Tol. 13. can. 7. c. Quicunque 26. q. 5. Rhemense apud Burch. l. 3. c. 97. Steph. Dur. lib. 1. cap. 15. n. 8.

Gunnam) supra 74.

Clocam) supra 9.

Citharistam) non *cytharistam*. Sed cur? Nam *enerauant animos cantus, citharaque lyraque*. An vt Dauid? Alcman apud Plutarchum in Lycurgo: ῥέπει γὰρ ἄντα τῶ σιδάρω τὸ καλῶς κιθαρίσδεν *Ferro præponderat egregie fidibus canere.*

Iul.) Mendum pro *Lul*, vt infra etiam 93 & notat in Varronem, vbi de tomaculis Scaliger, sæpe litteras istas I. & L. à librariis commutari.

XC. C*Arl*] Carolum Magnum,

Sagos) Vt *peplum & peplus, patibulum & patibulus, collum & collus, dorsum & dorsus, tintinnabulum & tintinnabulus, palatum & palatus*: sic *sagum & sagus*, & sup. epist. 84. *indiculus*, epist. 94 *indiculum*, & inf. epist. 138. *denarius & denarium, genius*, & apud S. Augustinum hom. 6. de verb. Domini, *genium*.

XCI. S*Tephano*] Tertio, & infra 97.

Gregoriis] II. & III.

Titulos] In Romana Synodo post epist. 135. hic & alibi sæpe occurrit titulorum nomen, de quo Annalium tom. 2. & in martyr. Baronius, noster de Roa de die Nat. cap. 21. Gretserus l. 1. de Cruce cap. 7.

XCII. F*Vlredus*) Alias Fulradus.

Regem nostrum) infra ep. 96. & 100. 104. Rex quem ipse sanctus coronauit Bonifacius lib. 3. Mogunt. not. 38. 39. 40.

Marcam) Limitem. Vnde Marchiones apud Hotom. de vet. feud.

Indurare) pro *durare*, aut *perdurare* ac perseuerare.

XCIV. C*Ompertisumus*] *Comperiri* pro *comperire* Apuleio, aliisque veteribus probum, Latinisque hodiernis valde vsitatum, & infra epist. 142.

XCVI. I*Nlustet*) vt *celer & celeris*, sic *illuster & illustris*. De regno eius supra epistol. 92. Et nota hic quomodo non tantum pro tempestatibus, malisque auertendis preces indicerentur publicæ, vt supra, sed etiam pro annonæ copia, rebusque prosperis, vt hic. vbi *Litaniæ* sunt processiones, publicique ad precandum, laudandumque Deum cœtus infra ep. 138. sed cum his plerumque indictiuum iungebatur ieiunium, vt indicat Concil. Aurel. 1. cap. 29. Sidonius 5. ep. 4. Venant. l. 7. ep. 15. Ideoque monet Rex, vt ista in gratiarum actionem lætior fit *absque ieiunio*, sed cum largitionibus, eleemosynis, decimisque, quemadmodum scilicet Esdræ 2. c. 8. v. 10. Esther 9. 22. *Laxatis* ait S. Augustinus epist. 113. *curis mutabilium rerum; bona stabilia & certa quæramus: superuolemus terrenis opibus nostris. Nam in mellis copia non frustra pennas habet apicula. Necat enim hærentem.*

Nam.) B. Iam.

XCVII *VVillebrod.*) lib. 3. Mog. not. 11. vbi explicatur, quomodo alio nomine vocatus sit *Clemens* V. Beda l. de 6. ætatibus in Iustiniano, *Vilibrordus cognomine Clemens* l. de S. Cuthberto c. 44. *sanctissimus VVillibrordus Clemens.*

XCIX. C*Oena.*) Potest in C. legi *Coana vel Colena*. Infra tamen epist. 109. simpliciter in C. Cœna fuit in Anglia Archiepiscopus.

Mandras.) in harmonia Mathol. l. 1 cap. 7. p. 710. Videatur & græcus textus 2. Par. 35. Nicetas Choniates l. 2. f. 207. Et hinc *Archimandritæ*, qui præessent mandris,

atque confirmantibus. Quorum videlicet primus ego Adelbero tam præscriptus Arch. præsul, eidem Concilio, Deo auctore, Pontificali auctoritate præsidens, manu nostra subscribens idem corroboraui. Sed & ceteri non secus censuerunt manibus impositis solidari.

Huius etiam Adalberonis tempore de villa Vindenissa inter Manassem Comitem, & Canonicos Remenses conuentio talis facta fuit.

IN nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Notum fiat omnibus tam præsentibus, quam etiam futuris fidelibus, quod Manasses miles potestatem illam, quæ dicitur Vindenissa, à Canonicis Remensis Ecclesiæ, fauente quoque domno Adalberone Archipontifice, totam sibi suæque coniugi Oidelæ, exceptis etiam Ecclesijs (ac uicorum vsibus iure dominij reseruatis, salua rerum commutatione, per precariam efficaciter obtinuerit. Dedit itaque contra idem Manasses competenti modo Canonicorum parti quicquid possidebat in villa Tencanda: hoc est mansos ix. & molendinum, & in Verniaco viii. mansos & dimidium, & in villa Columnis adas duas in Comitatu Remensi. Aliam autem villam nomine Locium in qua continentur mansi vii. & dimidius, & quarta vna, excepto in dominicato manso, & quarta pars Ecclesiæ, pratum, molendinum, & sylua cum mancipiis vtriusque sexus numero lxxi. in Comitatu Castricensi super fluuium Baer. Sed & in villa quæ dicitur Esclens, duas partes de Ecclesia, & quidquid iuris habebat in ea, mansi scilicet v. pratum vnum, cum terris & mancipiis vtriusque sexus in Comitatu Porcensi: ea videlicet ratione altrinsecus stabilita huiusmodi precaria, vt iidem Canonici pro respectu, & vestitura Tencandam & Verniacũ manu sua teneant, cetera vero tam ipse, quam sua coniux prædicta, cum eadem potestate Vindenissa, in sua tantummodo vita libera facultate sibi teneant atque possideant. Vbi vero rebus humanis excesserint, totum illud ex integro prædiũ, precario datis scilicet rebus, inuiolabili iure sorti Canonicorum iugiter adhærentibus, in manum eorum pro debito legibus ad possidendum redeat. Si quis vero, quod fore non creditur, precariam istis in posterum vllatenus aduersari tentauerit, illi temeritas stulta prorsus existat inanis & irrita, & sic hæc eadem precaria, maiorum auctoritate constituta legaliter, maneat stabilis & firma: tali videlicet conditione, si ille Manases omnes res illas e contra redditas iure quieto stabiliter Canonicis solidauerit: alioquin aut his similia reddat, aut Remensis Ecclesia quod suum est iuste recipiat.

Actum Remis in sede viii. Idus Nouembris anno xx. regnante domno Lothario Rege Francorum D. Episcopatus autem domni Adalberonis iiii. Domnus Adalbero Archipræsul subscripsit, & firmauit.

Alia quoque conuentio de villa Virtutis inter Heribertum Comitem & Canonicos Remenses tempore præfati Adalberonis stabilita fuit, cuius rei memoria, ne senio temporum obliteraretur, tali scripto roborata fuit.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ego Lendo S. Remorum Ecclesiæ Præpositus, omnisque eiusdem loci Canonicorum congregatio. Nolumus latere omnium tam præsentium, quam futurorum industriam, quoniam Herebertus Comes nostræ humilitatis adiens conspectum, petiit dari à nobis sibi nostro iuris eam quæ dicitur villa Virtutis, quã ipse sibi ex peruasione vendicabat: ea videlicet ratione, vt pro vestitu nobis ad præsens in ea retineremus mansos duos ingenuiles & vestitos, & pro respectu annuatim persoluere librum vnam denariorum Remensis monetæ festiuitate sancti Remigij Kalend. *Octobris in diebus tantum vitæ suæ, sed suis vxore sua, & infantibus, cunctisque heredibus suis. Cuius petitioni fauentes, cum omnium consilio & voto, concessimus illi soli præfatam villam, secundum præscriptam absque determinatam rationem. Quod si de censu negligens extiterit, & emendare noluerit, vsumfructum amittat. Et vt securius in diebus vitæ suæ præfatas res possidere valeat, post discessum vero eius prænominatam villam cum omni integritate nostris vsibus recipere valeamus, sancitum est non solum à nobis, verum etiam ab illo, vt super hoc negotio faceremus cum chirographo mentionis decretum, addentes insuper, vt si qualibet persona post vitam suam terminum aliquam nobis inferre conatus fuerit inquietudinem vel iniustitiam sub maledictionis, & anathematis excommunicatione insolubiliter adstrictus damnatur fiat, fiat, fiat. S. signum Domini Adalberonis Archiepiscopi confirmantis & consentientis.*

Cum igitur præmemoratus Adalbero Remensem diœcesim per decem, & nouem annos viriliter gubernasset, & honestæ conuersationis eius bona opinio circumquaque diffunderetur, ad vltimum confectus senio fine bono diem vltimum clausit, corpusque eius in Ecclesia maiori sub altari, quod in honore sanctæ Crucis consecratum est, sepulturæ traditum fuit: cuius Epitaphium in tabula ærea litteris aureis descriptum, tale adhuc permanet.

Contulerat natura parens, quæ summa putauit.
Ad meriti cumulum tibi, Præsul Adalbero, cum te.
Præstantem cunctis mortalibus abstulit orbi.
Quinta dies fundentis aquas cum pondere rerum.

Nec prætereundum reor, quod omni anno dies defunctionis eius venerabiliter recolitur, & eleemosyna panis, & vini copiosa pauperibus distribuitur, quæ etiam eleemosyna mandatum Adalberonis nuncupatur. Sciendum quoque est, qoomodo istius eleemosynæ sumptus præparetur: videlicet de domo, quæ vocatur Hospitale pauperum, annonæ sextarij i. de camera frumenti iv. de horreo indominicato annonæ modius vnus, & vinom qood sufficat.

Plura noo erant in Codice Igniacensi, vnde hæc excerpta sunt.

FINIS.

IN S. BONIFACII

EPISTOLAS NOTÆ NICOL. Serarii Societ. Iesu.

IN S. Bonifacij epistolas notationum aliquid promisi li. 3. Moguntiacorum notatione 49. Promissum exsoluo, sed ita vt sint illæ, per breues, neque afferti quicquid posset, occupent. Earum vero aliæ per margines epistolarum omnes sparsæ hactenus aliæ honc in locum regestæ, quæ aut generales, aut speciales. Et illæ quidem septem.

I. DE HARVM EPISTOLARVM vtilitate.

AD molta valent veterum, maximeque Sanctorũ, & nostrorum in Christo patentum epistolæ: ad *quatuor* tamen potissimum.

1. Ad finem. Molta enim, quæ ab hodiernis Nouatoribus in iurgium & calumniam vocantur, in il[illegible] egregie velut certa, sancta, & salutaria indicantur. verbigratia, sacrosanctum Missæ sacrificium, oratio pro fidelibus defonctis, Sanctorũ inuocato, reliquiatũ

veneratio, Romani Pontificis auctoritas, & ſimilia.

II. *Ad mores.* In illis enim crebra vitiorũ reprehenſio, virtutũ laudatio, ſempiternorum aut præmiorum aut ſuppliciorum explicatio, & quæ generis eiuſdẽ alia.

III. *Ad eorum* à quibus, ad quos, & de quibus epiſtolæ ſunt, *memoriam ſola,* inquit S. Hieronymus epiſt. 42. *res, quæ homines abſentes præſentes facit, epiſtola eſt.* ad Quintum fratrem Cicero: *Cum tua lego, te audire videor.*

IV. *Ad hiſtoriam.* Cum Imperatoris Aureliani geſtas res ſcribere deberet Syracuſanus Vopiſcus, elaborauit in eo maxime, vt ex Ephemeridibus, libris linteis, ac Sybillinis, è variis denique bibliothecis epiſtolas conquireret. Nam *intereſt,* inquit, *epiſtolas noſſe Aureliano ſcriptas.* Et poſtea. *Extat epiſtola, quam ego, vt ſoleo, fidei cauſa, imo vt alios Annalium ſcriptores feciſſe video, inſerendam putaui.* Rurſumque: *Eſt epiſtola Aureliani de libris Sibyllinis. Nam ipſam quoque inſerui ad fidem rerum.* eamque ob cauſam tam crebro tam diligenter ex omnibus omnium Bibliothecarum angulis epiſtolicas iſtiuſmodi ſchedas eruit, qui noſtro iſto ſæculo eſt. *Romana Cæſar primus in hiſtoria.* Et Bonifacianas iſtas magno ſe ſtudio perquiſiſſe teſtatur Othlonus in S. Bonifacij vitæ Prologo, & lib. 2. ca. 17. qui quodam velut mœrore, aut ſolicitudine affectus ſubiicit: *Se quem mineat, quod plurima epiſtola quarum mentio fit in ſupra ſcriptis epiſtolis, hic pariter ſcripta non habentur, ſciat illud hac de cauſa accidiſſe, quod nuſquam eas inuenire potui.* Quibus verbis illud etiam indicat, ſe, ſi tot, quot etiam eduntur, S. Bonifacij epiſtolas nactus fuiſſet, ingenti exultaturum fuiſſe gaudio, & cum Euangelica illa muliere Luc 15. 19. conuocaturum amicos & vicinos, iiſque dicturum: *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.*

II. DE EARVNDEM MANVſcriptis exemplaribus.

HArum S. Bonifacij epiſtolarum manuſcripta exemplaria vidit duo Reuerendiſſ. & Illuſtr. *Baronius.* eorumque alterum in Gregoriana Canonici iuris correctione citatur. Sed cum ex Italia in Germaniam illa, vt ederentur, ab aliis inuitata rogataque intelligerem, neque, vt venirent tamen, exorari potuiſſe, omnem ego quidem illa vnquam videndi ſpem abieci, ſimulque ſtatim cogitaui, ſi, quod olim monuiſſe Plato dicitur, in Germaniæ noſtræ fundo, ad cretam vſque, foderemus, aliqua forte inueniri exemplaria poſſe. Ac Deo bene fortunante, ſanctoque Bonifacio ſuis adiuuante precibus, vnum in celebri ac locuplete Ingolſtadienſis Academiæ Bibliotheca inuenit è Societate noſtra R. P. *Iacobus Gretſerus*: alterum vero in ampliſſima nobiliſſimaque *Cæſareæ Maieſtatis* Viennenſi Bibliotheca Reuerendiſſimus, ſuiſq; pro Eccleſia Catholica ſcriptis diſputationibus, ac laboribus longe clariſſimus D. Doctor *Piſtorius.* Fuit & olim exemplar tertium in egregio Fuldenſis monaſterii librorum penu. ſed hoc ab inuolante harpyia immundiſſima, *Illyrico,* inquam, ſublatum, poſteaque varie laceratum & conſciſſum. ita vt qui eius in Helmſtadienſi Bibliotheca vidit reliquias Lotheranus Prædicans, dixerit, vel inde ſatis apparere, quem in veteribus tractandis, fœdandis, & mutilandis tenere morem ſolita ſit dira illa Celæno. E duobus igitur prioribus Germanicis exemplaribus, quæ, quos laudaui, humaniſſime miſerunt doctiſſimi viri, hoc nunc primo quidem manu, prælo deinde librario exſcriptum opus.

III. DE PRÆCIPVO HVIVS operis exemplari.

SEquutus vero ſum maxime Cæſareum M.S. exemplar. I. Quia vetuſtiore multo id manu ſcriptum, prout & characterum & pergamenarum monſtrat chartarum antiquitas. Nam Ingolſtadienſe anno 1497. in Spanheimenſi cœnobio, iuſſu Trithemii Abbatis, deſcripſit Nouitius Monachus, prout in Codicis extremo Græce, Latineque teſtatur. II. quia idem Cæſareum exemplar multo plures continet epiſtolas. In eo enim ſunt CXVII. in Ingolſtadienſi tantum LXXVIII. III. quia eædem illæ CXVII. nunquam in lucem prodiere hactenus, præter earum nonnullas, quas ſelegit, & in IX. Annalium ſuorum Tomum retulit Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus, de quo ſupra, *Baronius*: poſtque ipſum, & ex ipſo, fere tamen Germanicè, Io. ille Letznerus, de quo ante vitam S. Bonifacii notatione lib. 3. Mogunt. p. 321. At ex Ingolſtadienſibus LXXVIII. primæ vndeviginti lucem fere omnes iampridem & in Pontificum Epiſtolis, & in Othloniana S. Bonifacij vita, quam & Moguntiacorum libro tertio poſui; aſpexerunt. Accedebat, quod Ingolſtadienſium poſteriorum pleræque vel à Cæſareo, vel ex alio, quod cum iſto congrueret, exemplari videbantur exſcriptæ. adeo vt poſt Ingolſtadienſem LXXI. ſcriberetur: *Epiſtola hæc deſcripta, ſuperius poſita, ideo omiſſa,* quia, vt apparet, in eo, vnde fiebat exſcriptio, Codice, alio ante loco poſita iam fuerat quemadmodum in Cæſareo M.S. ea epiſtola eſt L.

IV. DE CÆSAREI EXEMPLAris expreſſione.

IN antiquorum exſcriptione Codicum, operæ videtur pretium nihil mutare. Atque hoc mihi omnino deliberatum ac ſtatutum fuit, penitus tamen in omnibus aſſequi non licuit. *Nam &* operarum interuenere menda interdum nonnulla, quæ ſuo iudicabuntur loco, maxime in Epiſtola prima, & paucis quibuſdam aliis. *Deinde* in vetere verborum quorundam Orthographia nolui eſſe moroſior, partim quia pleriſque moleſtia illa hodie ac ridicula; partim quia in quibuſdam non tam orthographia, quam libraria cacographia & imperitia certo conſpicua. Ne quid tamen detrimenti patiantur Antiquitatis amantiores, denotabo paulo infra, quæ prioris videntur generis. *Tertio,* iterabatur identidem hoc: *Epiſtola S. Bonifacii. Item epiſtola ſancti Bonifacii.* At eam toties crambem reponere, cui rei: Satis hoc titulo & ſalutatione, quæ ſingulas pœne inchoat epiſtolas, perſpicuum. In rebus, verbiſque aliis à propoſito exemplari neſciens prudenſque vnum, vt aiunt, vnguem deflecterem, caui, ſcabra licet hiulca, & pœne ἀγεώμετρα occurrerent nonnulla, quæ alius aliunde forſan aut corriget aut explicabit felicius. Varias tamen variorum exemplarium lectiones, & nonnullas interdum coniectiunculas in margine, cum litterarum quarundam de quibus paulo poſt, præfixione notaui.

V. DE CÆSAREI EIVSDEM codicis ignotis aliquot characteribus, meiſque quibuſdam ſiglis.

IN Cæſareo exemplari occurrerunt interdum ignoti quidã characteres, quos veteres aut Anglicos aut Saxonicos rebar. Sed magnã ex parte diſſimiles ſunt, quos ante Aſſerium Anglum prænotat Editor. E varia

tamen collatione, ipsorum pæne integrum conflaui alphabetum, quod, si præsto typi fuissent, hic Lectoribus dedissem, sicut signa, quibus vetustiore illo sæculo signabantur epistolæ. Sed prò his, & similibus, si qua vel exprimi non potuerunt, vel deesse visa sunt. punctula quædam apposui sic : ..... Aliæ mihi siglæ (sic enim compendiarias dictionum notas vocat, vt ad ep. 95. dicetur; Iustinianus) istæ sunt.

C. Cæsareum exemplar.
I. Ingolstadiense.
C.I. Vtrumque.
B. Baronianum.
L. Letzeettanum.
S. Surius vita S. Bonifacij.
V. Vulgatus Bibliorum Interpres Lat.
F. Forte legi potest.

Ingolstadiensem vero Codicem, quia propter oblatam vecturæ commoditatem remisi antequam accipere Cæsareum licuisset, ciro ex apographo, quod cum Cæsareo collatum solum.

VI. DE ISTARVM EPISTOLARVM STYLO.

Et tamen quibusdam *non sunt*, ait S. Hieronymus epist. ad Marcellam, *suaues epulæ, quæ non placentam redolent, quas non condit Apicius; in quibus nihil de Magistrorum huius temporis iure suffamat. Non omnis fert omnia tellus.* Qui valde Latinum, aut politulum, nitidumque semper stylum expetunt, Ciceronem habent, & Manitium Muretum, Lipsium, aliosque nonnullos. In hisce S. Bonifacij epistolis simplex oratio est & familiaris; illo sæculo non inelegãs, nostro tolerabilis, prætterquam in pauculis aut versibus aut epistolis, quibus aut discipulæ suos quoquomodo affari Magistros gaudebant. Candida vbique pectorum, morumque simplicitas elucet: virtus, Christianaq; charitas & modestia renidet in omnibus. Sed in Cæsareo volumine multo ab librariis mendosius erant scriptæ posteriores quam priores.

VII. DE VETERE IN HIS EPISTOLIS ORTHOGRAPHIA, & Sermone.

Quod nota IV. notabam & adpromittebam, id vero iam repræsento. In Cæsareo igitur Codice scribitur.

Abunculus, *auunculus*.
adolari, *adulari*.
amminiculum, *adminiculum*.
auxilio, *auxilior*.
Aubacum vt Græce Ἀμβακούμ, *Habacuc*.
bernacula, *vernacula*.
boneuolentia *beneuolentia*. Est & epist. 45 *boeniuola voluntas*: sed an non meodum?
bouibus ep. 100. *bobus*.
cataxo, χαράσσω.
Carulus & Carulus, *Carolus*.
coacerbo, *coaceruo*.
commonio, *communio*.
conloco, *colloco*.
compatesco, *compatior*.
consolo, *consolor*.
cotidie, *quotidie*.
curbare, *curuare*.
Danielus, *Daniel*.
dirego, *dirigo*.
diphrongæ, *diphtongi*.
epistula, *epistola*.
epistiuncula, *epistolium*.
fantasma, *phantasma*.
fatesco, *fatisco*.
floriat, *florebit*.
forasticus, *externus*.
haue, *aue*.
honerosus, *onerosus*.
idolatria, *idololatria*.
Iesus, *Iesus*. Sed V. Beda in principio libri de Musica p. 35. docet istud H. quod inter I & E ponitur esse Græcum η, & à Latinis ob ipsius auctoritatem nominis interponi. Et forte id ob eam etiam factum causam, vt significaretur illud *e* non esse breue, sed longum, & quod in hoc nomine suauissimo longeque mellitissimo haud raptim, sed seosim, & cum quadam velut mora, pietatisque sensu reuerenter pronunciandum.
inlæsus, *illæsus*.
inluster, *illuster*.
inluminatus, *illuminatus*.
inormitas, *innormitas*, vel *enormitas*.
inrogare, *irrogare*.
interductæ, *inducia*.
ipsud, *ipsum*.
iouar, *iubar*.
noberunt, *nouerunt*.
obœdientia, *obedientia*.
obtunsus, *obtusus*.
olosetica, *holosérica*.
psalmigraphus, *psalmographus*.
repperio, *reperio*.
reuerentissimus, *reuerendissimus*. vt amantissimus apud Capitolinum in Albino, Sparnanum in Gera.
subfragium, *suffragium*.
sobrius, *magis sobrie*.
veterefco, *veterasco*.
volbere, *voluere*.
vocifero, *vociferor*.

In quibus omnibus, cum alia, tum hoc vides, sæpe positum *o* pro *u* & contra, itemque *b* pro *u* vt in Florentinis Pandectis, & alibi sæpissime, vt Parergon libro singulari docet Brissonius. De horum vero aliquibus aliquid iterum suis postea locis, notabitur itemque de similibus aliis.

IN EPISTOLAM I.

AD notatiuncularum genus alterum venio, quæ speciales, & variarum epistolarum propriæ. Et in prima quidem illud primo notandum, vix vsquam ab Typographis quam hic totiens vel erratum, vel à Cæsareo M.S. deflexum. Cuius causa, quod cum hæc epistola sit Ingolstad. M.S. 39. huius apographum ille ante oculos habuit. Corrigenda igitur ad Cæsareũ exemplar omnia sic: I. tollendum illud, *VVinfredus Nahardo* Nã id satis in sequentibus expressum verbis. II. scribendum: *quem mihi non temp. III.* pro *adulantium*, adolentium IV. *immarcescibilis*. V. *catena caritatis*. V. *Nithardo*. VI. *Vuynfrethus*. & hoc postremum etiam deinceps obseruandũ. Notandũ secundo. In hac & aliquot epistolis maxime tamen quatuor prioribus, recentissimum quendam [qui à me in margine vocatur interdum *Anonymus*] verbis nonnullis aut lineolas aut puncta supposuisse, nonnullis vero nonnullam coniecturunculam, vt in isto titulo videtur fuisse scriptũ *facetia vrbanitas*: ipse vero correxit *faceta*, Ingolstadiense M.S. *faceta*. Et hoc quidem postremum, siue *blandimenta faceta* siue *Mellitas faceta*, siue *vrbanitas*, per melitatem *faceta* intelligatur non malum: primum tamen illud videtur retinendũ, vt *mellitata facetia vrbanitas*, dicatur vel certe *mellitata, per blandimenta adulantium verborum faceta vrbanitas*. Quemadmodum enim pro feriis, quæ Latinis tantũ plurales sunt dicitur ab eccl. feria prima, secũda,

&c. vbi notat lib de tat. temp. c. 6. V. Bed. sic pro *facetia* hic *facetia*: & quemadmodum ex melle tam suauiter veteres *mellitum* & *mellinam*, itemq; verbum *mellare*, vnde apud Phonii l. 11. cap. 15 & 16 *mellatio*, expresserunt, ita & nunc sanctus Bonifacius, aut *mellitatem*, aut verbum *mellitare*, vnde *mellitatus*, *mellitata*, *mellitatio*. Sed tertio ootanda magis causa, quæ inter sanctum Bonifacium & Nithardum verã excitauit amicitiam, & quarto quomodo idem sanctus olim vocatus sit *Wynfrethus*, aut *vvinfridus*, & postea *Bonifatius* qua de mutatione largitet dictum lib. 3. Moguntr. not. 16. p. 466. Alius ille Vviofridus de quo Beda l. 4. histor. cap. 3. & 5. Deinceps vero, vt verba tolerint, notabitur aliquid.

Salomonis,] De libri, vnde hæc promuntur auctore & auctoritate dissertatio est. Nam liberis interdum quidem absque auctore dicitur à Latinis *Ecclesiasticus*, à Græcis παναρετος, & ab Origene tract. 14. in Mat. à Zacharia Pontifice infra, epistol. 140. & à ritualibus Missarum libris præcise *sapientia*, vt dum legitur: *Ecce sacerdos magnus*, vel die sabbathi, *Ab initio* vel in virginum quarundam festis *Confitebor*, & in S. Ioannis Euangelistæ festo. Interdum vero auctor affertur & quidem.

1. Iesus, & sic diserte in eius libri prologo, qui in Græcis & Latinis Romanis correctis est.

2. *Sirach*, & sic io Græca libri eiusdem inscriptione, σοφία σειράχ, & Procop. Gazeus præfatio io Genes. Hilarius io Psal. 144.

3. *Iesus filius Sirach*, apud Euseb. de præp. l. 8. c. 2. Antiochum hom. 84 Damasc. l 4 de fid c. 18. S Hieronymum in Danielis 9 & epist. 115. vbi se ait Hebraicũ hunc librum vidisse prænotatum *Parabolæ Iesu filii Sirach*, & idipsum traditur libri eiusdem c. 50. vers. 29.

4. *Iesus autem & e us filius Sirach*, *& hu us filius*, illiusque oepos *Iesus alter*. Ita prologus quidam Græcus in Complutensi editione.

5. *Salomon*, vt hoc loco Sanctus noster Bonifacius, rursumq; infra epistola 105. eundemq; auctorem oominarunt Clemens Alexand lib. 3. strom c. 5 Origenes hom. 8. in Num. & hom. in Ezech D. Athanasius io Apologia de fuga sua. S. Basilius in Reg. fusius dispot. resp. 17. D. Chrysost. hom. 51. io Matth 8. Fabian Pontifex epist. 2. S. Cyprian. ep 6, & in exhort. marty c 9. & lib. 3 ad Quir c. 20. Marcellinus ep. ad Salom. Episc. S Hilar. io Psal. 144 D. Ambros l. 1. off. c. vlt. & lib. ad Virg. denotatam, c. 2. Optatus Milcuitanus lib 3 S. Damasus ep. 6. Hieron. ad e. 10. Ecclesiastæ, & Psal. 73. Innocenous 1. ep. ad Exuperium, S. Paulinus Natali 10. S. Felicis, Maximus Taurio. hom. 2. de festo Paschæ S Leo 5. ser. de quadrag. c. 3 Sedulus in c. 12. ad Rom. S. Gregor hom. 1. super Ezech lib. 2 Regum, cap. 2. l 4. ep. 82. Chromatius in c. 5. & 6. D. Matthæi, Cassiodorus io Psal. 55 Pelagius I. ep. ad Virgilium, Laurentius Nouariensis hom. de eleemos. Ioannes 2. ep. ad Valeriom, Eligios hom. 8. Haymo in c. 1. ad Rom. Paschas. l. de corp. & sang. dominic. 2. S. Bernar. ep. 5. & 190.

Sed sane *I. auctor verus est Iesus filius Sirach, non Salomon*, quia omnium instar est scriptura, quæ id asserit, & antea citata est ex eius libri cap 50.

II. Hic Iesus istum librum scripsit Hebraice, & postea eundem Græce conuertit eius Nepos. Asserit hoc præfatio citata Græca & Latina cuius S. Hieronymus epist. 115. Hebræum exemplar se vidisse testis est, hodieqoe inter Constantinopolitanos extare Iudæus refert è Nouatoribus Munsterus.

III. Iesus ille auctor filium habuit Sirach, & huius filius, illiusque Interpres fuit etiam nomine Iesus, Ita citatus Complutensis prologus, & S Epiphanius lib. de men. & pon. sanctus Damascenus loco citato & pletiqoe omnes.

IV. Iesus autem patrem etiam habuisse Sirach dicitur, & idcirco ab Nouatore Cornelio Bertramo in li. quem Auct. Bibliotb. Vet. Patr. Tom. 2.

Lucubrationes Francquentallenses inscripsit, dicitur esse ille *Bensira*, cuius apud Hebræos extant cum scholiis Prouerbia, quia *Ben-sera* est, quasi filius Sirach. Prior pars vera est ex eodem illo citato cap 50. & ex iis omnibus, qui auctorem dicont Iesum filium Sirach, eum eius Nepos non Auctor, sed interpres tantummodo sit, vt dictum est. Posterior tamen videtur falsa 1. quia 1. *Bensira* Hebraice habet in fine א non ה 2. quia Hebræorum communis opinio est, vixisse Bensirao altera post Hieremiam ætate At Iesus Ecclesiastici auctor, vixit post Oniam Pontificem, tempore ipsius filii Simeonis iusti, de quo c. 50. 3. *Bensira* dicitur ab iisdem Hebræis filium habuisse *Vzielem*, & Nepotem *Iosephũ*; non autem *Sirach* & *Iesum*. Et illi cum sapientia inclyti fuerint, citãtur ambo ab Hebræo scholiaste Prouerbiorum eiusdem Bensiræ 4. Ille Prouerbiorũ Bensiræ liber, vel idem cum Ecclesiastico nostro liber fuit, vel diuersus. si idem, vel erit Ecclesiasticus noster imperfectus, quia ei quædam desunt, quæ illic sunt; vel quibusdam redundabit, cum plurima quę illic non sũt habeat si diuersus, quomodo verisimile est, eundem auctorem de iisdem pene rebus & eodem pœne modo ac phrasi diuersos scripsisse libros, neq; se vnã eandemq; rem sciat, alibi etiam dixisse vnquam innuere? 5 Nouatori huic repugnat Nouator alius Drusius præfatione in ipsum Beositaio.

V. Quando a Græcis, sapientia Sirach dicitur, id breuitatis causa dicitur pro Sapientia Iesu filii Sirach, eodemque modo spectatur breuitas, quando præcise vocatur *Sapientia*.

VI. Quando ab Auctoribus auctor significatur Salomon, id accipiendum putat lib. de verbo Dei cap. 14. Bellarminus *quasi Salomonis sententias collegerit, in vnum que volumen redegerit*, sed breuius & certius id factum *ob similitudinem sapientiæ, doctrinæ, parabolicæque siue prouerbialis phraseos*. Ita enim disertas. Augustinus lib 17. Ciuit. c. 20 *Sapientia*, inquit, *& Ecclesiasticus propter eloquii nonnullam similitudinem, vt Salomonis dicantur obtinuit consuetudo. non autem esse ipsius non dubitant doctiores*. Et lib 2 de doct Christ c 8. *Illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur.* Rabanus lib. 5. de vniuerso c. 3 *Ecclesiasticus propter nimiam sensus similitudinem, & eloquii parilitatem, Salomonis titulo prænotatur* Atque hoc ipsum etiam significat Athanasiana synopsis, & ex ea Complutensis ille citatus prologus eum ait: ὁ μὲν δὲ τῷ Σολομῶντος ...ὁ Ἰησοῦς ... ὁμοίως ... Atque hæc de Auctore satis: *de Auctoritate vero*, quæ canonica est, agit ipse lib. de doct. Christ. citato S. Augustinus, Bellarminus loco item citato, & copiosius Iod. Coccius lib. 6. Thesauri Catholici art 17.

Pigeat.] Ex eodem I MS est hoc. Nam io C. legitur cum datiuo, *vt tibi S. SS. M. recordari pigeat*, & eodem modo iofra epist. 142. p. 220. idque valet, *non tibi pigrũ sit*, quemadmodum, *tibi liquet*, pro *liquidum est*. Alioqui constructiooem istam oulum Grammatici, & sanctus Augostinus io Gramm. *Tædet*, inquit, *tædium esse significat, quomodo piget, quasi pigritiam significat. Nam cum dicimus, piget me fecisse, hoc est dicere, non fuegit mens animus probare quod feci: Hæc autem omnia verba sic declinantur: Pudet me, piget me, &c. præter hæc, libet, & licet, patet & liquet. His enim datiuum iungimus casum.*

In omnibus,] Citatur eadem scoteotia iterum postea epist. 45.

Floriet,] Quemadmodum olim multa diuersæ declinationis verba fuere sic etiam dictum *florere*, & *florire*, hocque posterius in Italica & Gallica lingua, quæ à Latina quidam veluti stolones & sureuli sunt; modico cum flexo, retentum: sic enim *fernis, lauit, sonit, fulgit, obedibo, aperibo, paribit, peruenibunt, dicebo*, pro *feruet*,

lauat, sonat fulget, obediam, operiam, pariet, peruenict, dicam leguntur. Vide Nonium. Et vsitatissimum *exiet* ac *transie*, pro *exibit, transibit*. Tibullus: *At si tardus eris, transiet ætas.*

D. Aug. on ps. 26 ... 21. præf. 29. ps. 13 36. conc. 2. ps. 37. *Ambrones*] *Ambrones fuerunt*, ait Festus, *gens quædam Gallica, qui subita inundatione maris, cum amisisset sedes suas rapinis & prædationib. se suosq; alere cœperunt. Eos & Cimbres, Teutonosq; C. Marius deleuit: Ex quo factum est, vt turpis vitæ homines Ambrones dicerentur.* Historiæ quidem partem priorem negare Scaligero videtur Strabo l. 1. & maxime l. 7. Sed is tantū negat, quotidianis statisq; maris æstibus perculsos discessisse, non autem aliqua *subita*, vt loquitur Festus & insolita *maris inundatione*. Sic enim è contrario Isidorus lib. 10. Orig. c. 2. *de Vmbris historiæ perhibent, quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerint: & ob hoc ἐμβρίους, Græce nominatos*: histor. reliquū persequuntur Plutarchus in Mario, Epitome Liuiana l. 67. 68. Florus l. 3. c. 3. In Isidori autem glossario. *Ambro, deuorator, consumptor patrimoniorum, decoctor, luxuriosus, profusus*, idque prorsus locū hūc explicat, & illum qui infra occurret epist. 65. *Ambronibus faucibus*. Vide & Adag. *Ambrones.*

Apoto,) sic in Cæs. Latine scribuntur ista: sed sibi quid volunt? An ad superiorem de inundatione hist. alluendo legendum ἀπὸ τῶν κυμάτων *agris frustrat*, vel *frustratis, afflictis*? *Agris*, inquā, non *agiis*, vt mēdose impressū.

τῷ] Et hoc Latine scriptū in C. sed semi Græcæ libebat illis tū loqui pro *secūdū Psalm.* & sic infra etiā alias.

Pretiosa) In Cæs. diphthōgus est, sed huiusmodi aperte mendosa, quorsum notanda? supra nota. gen. 4.

Herebia,) C. *erebia*, Est apud Hebr. vox Gen. 1. v. 5. Exod. 18. 13. ps. 59. 7. ps. 104. v. 9. alibi, quæ vesperam significat, quæ aut *Hereb*, aut *ereb* scribi potest, vt in Trihæresio l. 3. c. 3. & Minerual. lib. 3. nuper dixi, atque idcirco scribi potest *herebus*, aut *erebus*, quia hic ab illa, vt in Festum docet Scaliger p. 59.

In Deuteron.) Sensus quidam in Deut. c 6. sed verba magis in Iosuæ c 1. Vnde apparet, ex memoria solitum scripturam sacram citare S. Bonifacium.

Concionatoris] qui vsitato nomine Grec. *Ecclesi.* dicitur.

Sobrius) pro *magis sobrie*, V. Beda lib. de orthog. p. 94. *Sobrius nec cōparatiuum recipit, nec superlatiuum: sed pro his dicimus, magis sobrius, & maxime sobrius.* Sed hoc, vt apud Lucretium l. 4. *egregius* pro *magis egregium. sed nihil egregius quā res secernere apertas.* A dubiis & apud Vlpianum *exiguius*, apud Petrum Damianum epist. ad Gislerium *idoneior*, in tom. 9. Baron. Briss. l. sing.

Exquisitor) Vulgata nostra versio habet, *amator*, sed *contubernium* lege non *contuberniam*.

In studio diuinarum scripturarum,] Vide quam studii huius amans fuerit Bonifacius! quam sacras litteras & magis magisq; discere, & quod in iis didicisset, alios docere concupierit! Confer hanc epist. cum S. August. 41 quæ *ad Licentium*, D. Greg. ep. 40. l. 4. & ep. 26 l. 6. & ep. 25 l. 12. vbi sic: *Quæsiui qui vobis adhæreant in lectionis sacræ collegio, & neminem reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni. Et quamuis peccator ego valde occultus, tamen si ad B. Petri Apostoli limina venire volueritis, in sacro eloquio strictū poteritis me habere collegā.*

Cherubin) Hebraica terminatio est *Cherubim, Seraphim*: Chaldaica *Cherubin, Seraphin.*

In Epistol. II. Mogūt. l. 4 p. 610.

Optima & lectissima hæc, ad quam ista scribitur epistola, fœmina vocatur *Buggan*, & *Bugge*, & *Bugga*, sicuti *Bedan* infra ep. 9. & *Beda* ep. 8. & *Bedas*. Interdū etiam vocari Eadburgā notat Baron. p. 51. quæ Regio genere nata esset propinqua *Hedilberti* Cantiorum Regis, filia *Cangith*, de qua sæpius postea ep 13. 14. 20. 2 . 28. 35. 40. alibi vbi & ista quæ dixi probantur, & casti, qui inter eam & S. Bonifacium fuit, amoris occasio aliaque plura monstrantur. Mihi tamen dubii aliquid iniicit

A Cæsareæ epistolæ 38. inscriptio, vbi non *Edelburg*, sed *Heaburg*, non *Cangyth*, sed *Eangyth* diligenter scriptū, quanquam persacile vnius vel alterius litterulæ immutatio potuit irrepere. Superstitem porro hanc S. Bonifacio fuisse testis epistola 103. infra. Alia *Edelburga* Regina l. 2. historiæ c. 9. & 14 Bed. & lib. 4. c. 10. Infra vero ep. 21. *Buggam* est presbyteri nomen.

Seruus seruorum Dei) Hunc fere titulum soli hodie retinent summi Pontifices: sed olim asciscebant alii etiam libenter: quod & demissionis argumentum, & officii quoddam veluti monimentum sit. Qui enim aliis præsunt, cum eorum commodo & vtilitati seruire debeant, (Foret enim secus tyrannica potestas) merito se illorum seruos intelligunt *Nos* ait apud Poetam Agamemnon,

Fastus quidem specie reliquis, præcellimus,
Verum ministri multitudinis sumus.

Et laudatur à Plutarcho Nicias, quod talem se cogitarit, reque ipsa præstiterit. Quanto igitur magis ea B Ecclesiasticos Antistites cogitatio, oratioq; decet? quibus maximus & primus ille secūdum Saluatorem nostrum Iesum, Pontifex S. Petrus 1. epist. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Et D. Hieron. in Ephes. 5. *Audiant Episcopi, audiant Presbyteri, audiat omnis ordo Doctorū: subiectis suis se esse subiectos, & imitentur dicentem Apostolum: Cum enim essem liber ex omnibus, omnibus meipsum seruum feci, vt omnes lucrifacerem, &c.* Huius autem tituli occasio cōtigisse S Gregorio dicitur, è contrario Constantinopolitam Patriarchæ Ioannis fastu, qui *Oecumenicum* seu *vniuersalem Episcopum* superbe ac falso inscribere se ausus est, de quo, & ad quem idem S. Gregorius l. 4 epist. 34 36. 38. 39. In glossa vero *c. Quoties 1. q. 7.* eiusmodi refertur distichon: *Roma tibi quondam serui Domini Dominorum: Serui seruorum nunc tibi sunt Domini.*

Et flagellat) deest in MS. CI.

C *Tribulatio*) In C. additur, *& reliqua vsque qui nos dilexit.* Ego integra hic, & interdum alibi, verba posui: interdum vero breuitatis notam hanc aut aliam, *&c.* retinui, cuiusmodi & in scripturis, aliisque sententiis notis citandis vsitatæ apud Hebræos notæ sunt וגו & וכו׳, Sic epist. 3. & deinceps.

Cum sapientibus) Matth. 25.

In Ep. III.

Danieli) In C. characteres, de quibus in epist. 1. ignoti, & valent, *Danieli episcopo Bon.* Sicuti & iisdem characteribus antecedit hoc, *Epistola Beati Bonifacii Episcopo.* Iste vero est *Daniel* Ventanæ ciuitatis apud Occidentale, Saxones Episc. sanctitatis doctrinæque fama inclytus, de quo V. Beda lib 5 hist. cap 19. & 24. Othlonus lib. 1. vitæ Bonif. c. 10. & hæc infra epist. 66. 67. in qua, sub finem, de cæcitate quæ hic tangitur mentio.

Onerosum) C. honerosum. Illud hodie vsitatius: & D tamen si Varronem l. 4. de lingua Lat. consulamus, istud melius. *Honos, ait, ab honesto honere. Itaque honestas dicitur, quod honeratus, & dictum: Honus est honos, qui sustinet rempublicam.*

Nonas sectas] Vide Vincent. Lirinensem Commonitorii c. 26. 27.

Forasticæ) exteriores, quæ foris sunt, quibus opponuntur *interiores*. Vnde subditur: *Intimæ vero quando.* Et nota duplex tentationum genus, quibus Sanctorū, & eorum, qui in aliorum salutem incumbunt, serio affliguntur & discrutiantur animi. Sunt enim *exteriores* molestiæ, vt labor, fames, sitis, defatigatio, vigilia: Sunt & *interiores*, quæ multo fodicant animū vehementius, vt scandala, & quorū dam apostasiæ. Sic & inf ep 3. 85

Sine patrocinio.] Quemadmodum malleus & securis fabro, aliaque artificibus aliis instrumenta, ipsiq; animo corpus; suum ad finem, famulati, & opem operam-

que suam præstare debet: sic temporalis potestas spirituali. Vide S. Aug. ep. 50. Bellarm. lib. 3 de Laicis c. 18.

Dei lac communione,) Sic & infra epist. 141.

In corpore,] Infra est hæc sancti Bonifacii iuratio, p. 163. Quomodo autē ad S. Petri corpus facta illa sit, exposui l. 3. Mogunt. not. 15. Vide S. Greg. ep. 3. l. 10.

Filio,] Causa excitato antea Othloo l. 1. c. 10.

Vuymbertus) Othl. l. 1. c. 4.

Sex) Vel ista verba vsque *reperiuntur*, legenda *minutiuncula*, vel, vt in Cæsareo, legendum, *vbi sex, &c.*

Munuscula.) Hic ad charitatis indicium, fomentum ac incrementum Sanctis olim fuit mos, vt ex S. Augustini, Pauli, & aliorum epistolis patet. Atque huc infra sæpius occurrent exempla, vt ep. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 20. Longum sit numerare omnes. Vide S. Gregorium epist. 37. l. 6. ep. 57. epist. 47. l. 11. ep. 16. l. 12.

Casulam) Hodie in sacris pro extima veste sacra, qua sacris operaturus amicitur sacerdos, accipitur, prout in miraculo etiam sancti casulam exeuntis *Althelmi* de quo seq. epist. 4. Apud veteres pro domuncula rusticana, à *casa* infra epist. 85. ex qua Festo *casaria*, quæ custodit domum, *οἰκουρός*. Vel pro vulgari etiam indumento, vt apud sanctum Augustinum lib. 21. cap. 8. de sartore, qui *casulam perdiderat*, & sanctorum precibus egregie rursus vestitus fuit. Vestis vero est quædam veluti proxima hominis domus: & domus est quasi remotior, ampliorque vestis. Rabanus lib. 1. Institut. Cleric. cap. 21. *Casula dicitur a casa, eo quod totum hominem tegat, quasi minor casa.* Et forte ab Hebræo verbo *casah*, quod est tegere, seu operire, à quo Exod. 21. 25. Iob 24. 7 & c. 31. 19. *cesuth*, id est, *vestis operimentum*. Et forte Gallis & Germanis quibusdam *casacque*. Sed vide Stephanum Durandum lib. 2. de ritib. Eccl. cap. 9. num. 17. Hic pro villoso quodam panno sumitur, & forte queat legi *ad tegendos pedes*, vt inf. ep. 89. licet infra epist. 8. non queat, quia additur ibi *cum laueris.* Sed hæc vbique lectio, etiam infra epist. 11. Dum autem dicitur *non holosericea*, videtur significari, non esse sacram casulam, quæ holoserica fere est. In C. autem scribitur *olosericea*, hic & inf. l. 9.

Didymo,) Se huius Alexandriæ in diuinis litteris autorem fuisse norat sanctus Hieronymus epist. ad Pam. & Oceanum, quæ incipit *Scedula*, & de eo in Catal. scr. Ecc. sic: *Didymus Alexandrinus captus à parua ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maxime visu indiget, vsque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conscripsit:* & vbi hæc enumerauit, tum ait superstitem adhuc tum fuisse *annorum 84.* Cum vero infans esset sanctus Hieronymus, id est, ante annos facile 60. (nam librum istū scribebat *anno 14. Theodosii*, vt in extremo ait) accidit quod de Didymi cæci oculis hic refertur, prout idem S. Hieronymus narrat in epistola ad cæcum ita Castrutium, quæ incipit *Sanctus filius.* De nostri vero sæculi homine Genebrardus in chronico sic: *Robertus Mancop Scotus à puero cæcus, vsque eo Parisiis, in litteris profecit, vt Theologiæ Doctor Romæ creatus Archiepiscopus Armacanus: Deinde legatus a latere in Hybernia fieret:* *Non doleas*, inquit epist. ad cæcum rursus alium, *Abrgaum* nomine, sanctus Hieronymus, *si hoc non habeas, quod formicula & muscæ, & serpentes habent, id est, carnis oculos, sed illum te oculum habere lætare, de quo in Cantico Canticorum dicitur: Vulnerasti me soror mea sponsa vno de oculis tuis, quo Deus videtur.* Idemque sanctus Didymum illum cæcum vocat *videntem suum* præfat. Comment. in epist. ad Galatas, quemadmodum apud Hebræos *Ioseph cæcus* hagiographorum Paraphrastes Chaldæus vocari solet *Sagginehor*, id est lumine multus, seu oculissimus.

Speculari,) passiue vt apud sanctum Augustinum libro 2. contra Maxim. cap. 11. *contemplari* lib. 18. cap. 34. *exordiri*, in Psalm. *venerari.* De oculis, quibus videtur Deus, videatur Augustinus epistola 6. 111. & 112.

Fenestra.) Eodem vtitur argumento citata iam ad *Abigaum* epistola sanctus Hieronymus.

Ad hanc vero epistolam responsum ab ipso Daniele insigniter, estque epistola illa in Ingolstadiensi Codice 42. in L. 30. in B. 12. quæ omnino prætereatur, hic describenda.

Domino reuerendissimo & merito ab omnibus Orthodoxis amplectendo multiplici scientia variarumque virtutum gratia insigniter decorato Bonifacio Archiepiscopo, Daniel Dei plebis famulus sincerissimam in Domino cuncta cælorum culmina præeminenti salutem.

LEctis litteris à tua fraternitate transmissis, multum mœrore commoti sumus, quia hoc amantibus intolerabile visum fuerit, si iis à quibus amantur, aliquid incommodi contigerit. Quandam tamen consolationem, sæpius reuoluentes inuenimus in eo, quia hostis callidi inextricabilis astutia nequaquam illius Religionis nostræ tanta violentia, & tam variis bellorum, seu errorum oppositionibus per sublimes sacerdotum, vel cæterorum quorumcumque reproborum personas expugnare tentauerit, nisi & in illis maioris meriti excellentiam agnosceret. Vnde vos operam dare primitus oportet, vt inceptio gloriosa quæ est (vt arbitror) Apostolicis coæquanda certaminibus, nullatenus propter illorum deseratis insidias, qui dolis instructi salutiferæ solent resistere doctrinæ; sed tanto libentius illatæ difficultates ferendæ sunt, quanto certius comperimus sanctorum esse ac martyrum in mundo pressuras, in cœlo autem copiosissimam, Domino promittente, mercedem, quem & hic auxiliatorem (si tantum in tribulationibus tolerantiæ non tædet) & illic enim iustis gauisuri remuneratorem habere meremur. Quapropter cum charitas excellentiæ tuæ consilium sibi à nostra paruitate petere dignata sit: hoc existimamus, profuturum, quatenus inuicta patientia perferre studeat, quod absque Dei prouidentia prouenire, non nesciat. Quamuis ergo fortasticæ pugnæ pernicies sæua sit, ipsaque atrocius intestina formidanda ferocitas noceat (quod vtique non mirum cum Christus Iesus olim fratrem à fratre in mortem esse tradendum testatus, & filium à patre, & parentes à nepotibus propter nomen suum necandos) scilicet impugnantes per escarum superstitiosissimam obseruationem, Domini opus destrui quærentes, quæ propemodum in ipso vsu hominis pari detrimento peribunt: aut situt pelucrum sectantes, adulationis gratia vel etiam ipsorum laudes, vestræ vero vituperationis zelo seueritatem populis pronuntient ac ficta blanditia pacis appellationem ingeminent & secundum Esaiæ vaticinantis præsagium, dicentes *malum bonum, & bonum malum*, & reliqua vel si segetem vestræ venerabilitatis commissam, sterile lolium interserendo, suffocare conentur, quia vtique, ante messis maturitatem, à quoquam, Domino monente, compescitur euelli, de quo vberius dicemus: Licet inquā, hactenus inaudita proferant dogmata ad decipienda minus intelligentium corda, quæ vos in diuinis voluntatibus optime eruditos neque ad horam introducta latent, neq; etiam quæ iis oportune possint opponi. Sed ne te diutius morer, ducendo per singula dicam breuiter. Quanquam vniuersa nefandæ factionis argumenta ad expugnandos & affligendos vos exerceant; tamen secundum præcedentium Sanctorum exemplar, quod corrigendo curari nequit, saltem sustinendo portare. De Sacerdotio autem homicidarum & adulterorum, qui, absque vlla resipiscentia, in peccatis suis perdurare præsumunt, satis tibi sacratissimi Canones ac decreta Pontificum persuadent. Si igitur homicidis iugiter agentibus pœnitentiam, & circa exitum vitæ perfectio (id est) communionis Christi gratia conceditur, incurrectus

B nescit
B. minor.
Mat. 10. 21.
B. scilicet impugnātes p. e. s. o. d. o. d. quærentes, s quærentes B.
proponuntur in ipso B per ipsi laudes vestras v. vituperationes falso securitatem pop
Is. 5. 20.
Matt. 13. 30.
B opponi goor s

Pater noster) An S. Bonifacius *puerulos*, id est, seruulos istos manumisit?

In VI.

D*icere, De vno,*] Sic distinguendum. Nam Saxones dicebant S. Bonifacio Anglisque Christum Iesum prædicantibus. *De vno sanguine, & de vno osse sumus*, quia in Angliam profecti Saxones. & ea ius Angli, vt in Moguntiacis dixi & infra ad epist. 19.

Duorum) scilicet Gregoriorum, II. & III.

In VII.

C*Eola*) infra epist. 12 Bar. 173. *Ceda*. An V. Beda lib. 5 cap. 8. de ipso?

In VIII.

E*Cberte*) In V. Bedæ Epitome anno 732. *Egbertus pro Vuilfrido Eboraci Episcopus factus*: Postea anno 735. *Egbertus Episcopus accepto ab Apostolica sede pallio, primus post Paulinum in Archiepiscopatum confirmatus est*, cuius mors ibidem traditur anno 766. diciturque *regali prosapia ditatus, ac diuina scientia imbutus* Alius vero ab illo est, qui ad Catholicum Pascha Scotos Hiienses traduxit lib. 5. hist. cap. 23. vbi iucunde mortuus ipso Catholici Paschatis die anno 7.8. Epitom. 729.

Ethebaldo) V. Beda lib. 5. c vlt. *Edilbaldus Merciorum Rex*, & in Epitome anno 740 *Ediluualdus*. In Bar. *Æthelbaldus*, & anno 757. rursum *Edilbaldus*, vbi de miserabili eius cæde. Infra de eo plura epist. 10. 12. 19.

In IX.

C*Locca*] De hac voce l. 3. Mogunt. not. 47. Hoc tamen sæculo iam teri cœperat *campana* nomen, vt ex V. Beda patet, cum lib. 4. c. 23. ait: *Audiuit notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel conuocari solebant, cum quis de hoc sæculo fuisset euocatus.* Eiusque mentio est c. *In causis*, de elect. c. *Ioannes*, de homic. c. *Petentibus*, de priuil. ca. fin. de sent. excom. in 6. *Nimis iniqua* de excessibus Præl. Vide multa de harum ortu, causa, effectu & significatione apud Steph. Durandum l. 1. de rit. Eccl. cap. 22. de sacratione ac improprie vocato baptismo apud Lindanum parte Apol. c. 52. Inferius vero epist. 89. rursum *cloca*.

In X.

H*Eref.*) *C. Heref. itho.* In Epit. V. Beda *Anno 747. Herefridus vir Dei obiit.* Quia *vir Dei*, Ideo eius monita interdum audiebat Rex alioqui voluptarius. Vide lib. 4 hist. cap. 29 & in vita S. Cuthberti.

S. Iacobi Apostoli.] Longe alius sancto huic Germanorum Apostolo, quam Apostatæ Luthero de S. Iacobi epistola sensus fuit, qui hanc, vt infra etiam patebit, citat toties, epistol 16. 18. 19 89 alibi, & Apostolo semper tribuit, eamque, vt li. 3. Mogunt not. 48 dicebam, notis nonnullis exposuit. Infra epist. 44. dicitur *Iacobus materteræ Domini filius*.

Subter) In exemplaribus, quæ vidi, omnibus, desunt ea nomina.

Sabanum] Genus vestis ac lintei esse, intelligi datur ex hac Vticensis Victoris lib. 3. de persec. Vandalica narratione. Muritta Diaconus Catholicus cum ab *Elpidefore* Ariano apostata, fidei causa, torquendus esset. *priusquam*, ait Victor, *exueretur, clam, furto, nescientibus cunctis, illa quibus Elpidoforum suscipiens de fonte dudum texerat, sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouisse dicitur ciuitatem: Hæc sunt linteamina, Elpidofore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum Maiestas venerit iudicantis.* Et eadem iterum reuertitur vox infra epistol 145. Vide c. Post baptismum, de consec. dist. 4. S. Greg. l. 7. epist. 5.

In XI.

P*Ethelmo*) Hunc V. Beda l 5. histor. c. vlt. ita scribit & describit: *Pecthelmus in ea* (Angliæ Ecclesia) *quæ candida casa vocatur, fuit Episcopus, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in sedem Pontificatus addita, ipsum primum habet Antistitem.* Idemque antea cap. 19. retulit miraculum, quod de *B. Heddi* referebat hic. Et rursum antea cap. 14. historiam de *milite* moribundo, confessionem respuente ac desperante.

Adoptiuum suscipiebat.] Aliud est filium adoptare, aliud *in baptismo adoptare, seu adoptiuum suscipere.* Nam hoc est, quod olim c. *In catechismo* de cons. d 4. & hodie dicimus, *esse patrinum*, seu vt postea ep. 25. loquitur S. Bonifacius, *de sacri baptismatis fonte aliquem eleuare.* Et qui hoc facit eum recentiores quidam vocant *susceptorem, & sacra initiationis arbitrum.* Tertullianus li. de bapt. *sponsorem fidei*, D Augustinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 24. & epist. 25. *offerentem*; Vita S Epiphan. Lipom. tom. 6. fol. 36. *patrem*, Concilium sub Carolo Magno, c. 47. *compatrem*: Dionysius Areopagita Hierar. Eccl. c. 2 ἀνάδοχον, ἐγγυητὴν, & καθηγεμόνα Et huiusmodi quidem spiritalis parentis officium paucis indicat citatum Moguntinum Concilium, dum ait: *vt compater vel proximi filiolos suos spiritales Catholice instruant, præcipimus.* Sed & hæc & alia plura serio & eleganter S. Augustinus serm. 163 de tempore, qui est . in octauis Paschæ, D. Chrysostomus in 1. Cor. hom. 12. & canon. *Vos autem* de consecr. dist. 4. Sed ex insigni actione hac, solet inter istum, & eum qui baptizatur, eiusque parentes ambos *cognatio* existere *spiritalis*, quæ Ecclesiastica lege, matrimonium inter hos, quos dixi omnes, contrahendum quidem impedit, contractum vero dirimit, vt multi tum canones, tum capitula in Iure docent Canonico apud Gratianum 30. q. 1. & 3 & in Decretalibus, ac sexto *de cognatione spiritali.* Ac vero eiusmodi vinculi maximam à Romanis iam olim Pontificibus Iulio & Cœlestino, variisque Conciliis habitam rationem testis est *Deus dedit*, Pontificea epistola ad Gordianum Episc. Hisp. Si vero ea canonum volumina, is ordo, eaque series, quæ nunc est, S Bonifatii tempore fuisset, nunquam ista de quæstione adeo dubitasset Nunc vero eius & in quærendo ac interrogando laudanda, quæ & hic & ep. 25. ac 27. cernitur, sedulitas, & animi magnopere imitanda dimissio, dum non Episcopos & alios tantum interrogat, sed & suos quondam discipulos, ab iis iam senior doceri volens ep. 22. dumque insuper non argumento ac rationi, quam dubitandi habebat epist. 25. mordicus adhærere, sed Patrum Ecclesiæq; decretis obedienter mauult acquiescere. Et tamen eadem vna ratio est, ob quam audent hodie Lutherus in Babyl. capt. & Beza in lib. de Matrim. omnibus illis audacter ac superbe refragari, omnemque omnis spiritalis cognationis honestatem aspernari, ac pro nihilo ducere. Tantum scilicet homo homini distat, modesto arrogans, Catholico hæreticus. Vide Trid. Conc. sess. 24. c. 2. Bellar. l. de Matr. c. 30. Zonaram tom. 3. in Nicephoro Phoca V. Bedam l. 4. hist c. 13 Aimonium l. 4. 4. c. 57.

In XII.

E*Thebaldo,*) supra ep. 8. Huic dum accipitres & similia mittit Regi S Bonifacius, facit quod in ægris boni Medici, in pueris boni Magistri Cum enim altera, cuius hic mentio, epistola, quæ inferius est 19. ipsum ob intemperantiam ac libidinem, esset reprehensurus, mollioribus eum verbis gratisque ipsi, minimeque tamen malis muneribus docilem, bonorumque capacem monitorum studet reddere. Nam vt de illis ait Lucre. l. 4.

> ---- *Veluti pueris absinthia tetra medentes*
> *Cum dare conantur prius oras pocula circum*
> *Contingunt mellis dulci flauoque liquore,*
> *Vt puerorum ætas improuida ludificetur*
> *Labrorum tenus: interea perpotet amarum*
> *Absinthii laticem, deceptaque non capiatur;*
> *Sed potius tali facto recreata valescat.*

Et Horatius -- ---*pueris dant crustula blandi*
> *Doctores elementa velint vt discere prima.*

Anglorum Reginæ Edelburgæ misit Bonifacius

Pontifex argenteum speculum, eburneumque pectinem. Beda lib. 2. hist. cap 11.

In XIII. **E**adburg) supra epist. 2.
Apostat.) epist. 3.

In XV. *Nothelmo*) Beda Epit. Anno 735. *Nothelmus Cantuariorum Archiepiscopus ordinatur: anno 739. obiit eique successit anno 741. Cudbertus.* Successerat ipse *Tarcuino* siue Tarvvino (varie enim scribitur) qui mortuus anno 734. *Tacuinus* vero *Berthvvaldo*, qui anno 731. *longa ætate consumptus defunctus est die 5. Iduum Ianuariarum*, cum sedisset *annos 37. menses 6. dies 14.* vt ait Beda li. 5. cap. vlt hist. Quod notandum, vt intelligatur, *Berthvvaldum* (sic enim ex Beda, & Cæs. legendum) hic à S. Bonifacio vocari *antecessorem Nothelmi*, non proximum & immediatum, cum inter vtrumque intercesserit, qui vocatur *Tacuini* vel *Tarvvini*, sicuti alius infra hic ep. 16. *Tatvvinus*.

Interrogationes Augustini,) Quatuor petit ab isto Archiepiscopo S. Bonifacius. Primum & secundum apud V. Bedam est lib. 1. hist. c. 27. De tertio dictum supra epist. 11. Quartum apud eundem Bedam Epitome breuiter est sic: *Anno 569. Gregorius Papa misit in Britanniam Augustinum cum Monachis, qui verbum Dei genti Anglorum euangelizarent. Anno 597. venere in Britanniam præfati Doctores, qui fuit annus plus minus 150. aduentus Anglorum in Britanniam.* Vberius lib. 1. hist. c. 23. 24. 25. & de felicissimo euangelismo adde S. Gregorii epistolam 30. ad Eulogium Alexandrinum libro 7.

In XVI. **C**Vidam) videtur hæc Eadburga esse, quia de precibus, quas petit, earumque caussis ait S. Bonifacius: *Iam de hoc ante deprecatus sum*, At hoc supra factum epist. 13. & 14.

In XVII. **S**Peciales horas] Videntur Ecclesiasticæ preces hic significari, quæ *hora Canonica diuinique officii cursus* vocari quandoque solent, de quibus contra hæreticos Bellarminus l. 1. de bonis operibus in partic. c. 12. 13. & infra hic epist. 76.

In XVIII. **S**Anctus Augustinus) serm. 42. de tempore: *Charitas*, inquit, *ipsa vera est, quæ corporaliter separatos consueuit spiritaliter copulare atque coniungere. Duo enim, qui se sancto amore diligunt, etiamsi vnus in Oriente, alius in Occidente, ita in charitate conglutinante iunguntur, vt nunquam ab inuicem separentur.* Ideoque & hic legi potest, *ab* non *ad*.

In XIX. **E**Thibaldo) supra epist. 8. & 12.
Video] Menda insignis pro *fidem in Dom nr. Deo ceram*) C. *teram Deo* & h.

Præceptum] ahuterentur hoc loco vxorii Nouatores nostri, nisi statim subderet sanctus, *ab ducenda vxore propter Dei timorem abstinere, non esse reprehensibile, sed magis laudabile.* Et nota quam grauiter contra eosdem Nouatores loquatur Sanctus, dum sanctimoniales seu Nonnas *Dei sponsas* vocat, easque libidinose contingere scelus esse docet *grauissimum.*

Hoc sensi] forte, *de hic reus*, *vel hoc reus sit* videlicet *fecisse.*

Nonna] Etiam hac epist. inferius, & in duobus Conciliis infra ponendis p. 112. 113. In Caroli vero Magni Constitutionibus, p. 138. & 163. *Nunnanis*, quorum Germanicam originationem affert quidem illic Amerbachius, sed neque decoram satis, neque verisimilem. *Nonnos* apud Ægyptios vocari Monachos, & monia les *Nonnas* ait Rhodiginus l. 5 cap. 12. S. Hieronymus ad Eustoch. de custod. Virg. *Castæ*, inquit, *vocantur & Nonnæ.* Vbi ad probandum Nonnam esse virginem argumentum ex nomine proprio apud Suidam ducit Erasmus parum firmum. V. Beda lib. de numeris p. 113. dicit apud Hebræos numerum dici *Nonum*, sed legemonam, cum verbum *manah* valeat numerare, licet nomen illud *mona*, vel etiam *manah* in scripturis portionem aut partem potius significet. 1. R. 1. 5. & ca. 9. 23. 26. alibi.

Antiqua Saxonia) Sic vocatur Germaniæ illa pars vnde orta *recentior* in Anglia *Saxonia*. Nam sub Domini annum 409. cum ad opem contra hostes ferendam Saxones euocassent, iis etiam apud se habitandi locū dedere: quem & vi paulatim retinuerunt atque amplificarunt illi. Hinc noui Saxones, vel *Anglosaxones* in Anglia *Saxones* vero simpliciter, aut vero *Altsaxones* vt ep. 121. seu antiqui Saxones in Germania sunt. Beda l. 1. c. 0. 11. 15. hist. & lib. 5 c. 10 11. & 12. Sed de illa, eiusque populis dixi lib. 3. Mog. not. 1. Pulchra vero hic subnectuntur Ethnicæ Germanicæque feueritatis in adulteros exempla, quæ sanctus laudat *Bonifacius* sicut *villicum iniquitatis laudauit Dominus*, quoad ea, quæ in eius facto bona, non quoad omnia Luc 16. Neque enim laudandum, quod sua propria sibi manu mortem inferret quis, aut, vt inferret, cogeretur.

Ceolredus) In Bed. lib 5. hist. 24. *Ceonredus*, & in Epit. *Ceolredus*. Sed illo l. 5. cap. 20. duo Coenredi, & ambo Merciorum Reges. Prior *nobilius*, inquit Beda, *regni sceptra reliquit, & Romæ factus Monachus.*

Posterior filius Edilredi Regis, qui Rex Edilredus postea Monachus & Abbas l. 5. c. 20. De Cedredo posteriore sermo hic, de eius damnatione infra epist. 21. & 71. Ei successit *Edilvvaldus*, ad quem iam sermo. Beda Epitom. anno 740. qui Edilbaldus tandem *anno 754.* (triennio scilicet post S. Bonifacii martyrium) *à suis tutoribus*, *inquit Beda*, *noctu morte fraudulenta miserabiliter peremptus occubuit: Beonredus regnato cæpit.*

Osredus] *Rex Nordanhumbrorum, puer octo annorum, regnauit annis 11*, lib 5. c. 19. Bed. & in Epit. *Anno 716. Osredus Rex Nordanhumbrorum interfectus est, & Rex Merciorum Ceolredus defunctus est.* Et c. 23. post hunc occisum *dicitur fuisse Rex Nordanhumbrorum Coenredus, eui successit Osricus* c. 24. & huic *Ceolvvulfus* frater Coenredi, qui antea regnarat ib. huic *Eadberdus* in Epit. anno 737. Et ideo hunc Osredum *inuitilem & luxuriosam vitam perdidisse*, ait S. Bonifacius. Nota hic tristes Regum Dei leges contemnentium, sacra violantium, nimiumque iuuenantium exitus.

In XX. **D**Omina] sic in C. sed in B. *Domna*. vbi est epist. 26. *Vvietberga*) B. Vvictburga, de qua infra epist. 1 1. Pluta, quæ huc spectant Bar. p. 53.

NOtabilis) non in C vere tamen epistola, ob argumentum, notatu digna.
Hebelida) C. Hildelida & L.

Ipse eum supradicto fratre reddidit.) Tertull. visionem quandam narratus l. de idol c. 15. *Ex animi iter ate*, ait, *Dei contestor, quia nec tutum est subtrahere, quod cuique fuerit ostensum, vtique omnium causa.* Rei vero quæ hic narratur, testimonium nobis duplex I. egregium ipsius narrantis S. Bonif. fides: Deinde ipsius, qui ei narrauit non auritæ, sed oculata confirmatio. Dicebat Abrahamo infelicissimus ille apud inferos diues epulo Luc. 16. 30. *si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*, & *multi*, vt ait S. Chrysost. serm 66. *solent dicere: O si quis à mortuis veniret, & quid ageret referret, etiam vis credent, &c.* At sane non fit. Redut ab illis Lazarus: *Et multi* quidem in Iesum *crediderunt*, Ioan. 11. 45. Sed nunquid omnes? Redit & adolescens ille viduæ in Nain filius & *accepit* quidem præsentes tum *omnes timor*, & *magnificabant Deum*: sed nunquid omnes, qui hūc postea viderunt & audierunt, ad pœnitentiam adducti? Sic & de aliis, quos ad vitam vel ipsemet Dñs, vel Apostoli, vel Prophetæ reuocarunt. Cum Israelis

Rex,

Rex, Achabi filius Ioram de rediuiuo Sunamitidis mulieris filio certum oculatumque testem audisset Giezi, imo ipsummet rediuiuum illum suis ipse oculis conspexisset, narrantemque auribus item suis audisset, num se correxit? num impietatem moresque prauos abiecit? Accidit incredulis, quod furibus & latronibus, qui patibula passim rotasque vident, neque tamen furandi latrocinandique finem faciunt. Et isti quidem sperant, euadere se fortassis posse, suaque semper celatum iri scelera: nos an æterna vllo modo, nisi pœnitentiam agamus; euadere supplicia possumus? Ante omnium nostrum oculos, quotidianæ notorum, nobisque familiarium, iuuenum & senum, diuitum & pauperum mortes ac funera sunt: & certissimum est, sequi oportet nos, & tamen num mouemur? Non igitur sane, si quis ex mortuis ad epulonis illius fratres iisset, ij sese ideo confestim reprehendissent, pœnitentiam egissent, vitæ licentiam abiecissent. *Si*, ait etiarus S. Chrysost. hom. 4. de Lazaro. *Deus nonisset prefuturos viuentibus mortuos; nunquam id om sissit, neque lucrum tantum pratermisisset, qui vtilia nobis cuncta procurat.* Et hoc quidem, quod ad ordinarium communemque mundi cursum: quoad extraordinariam vero & priuatam veluti legem, interdum *superna*, vt ait S. Gregorius l. 4. Dial. cap. 36. *pietas ex magna misericordia sua largitate disponit, vt nonnulli etiam post exitum repente ad corpus redeant, vt tormenta inferni, qua audita non crediderant, saltem visa pertimescant*: neque ipsi modo, sed & alii, qui ab ipsis ista percipiunt. Fit autem hoc dupliciter. Vel enim illi *vere mortui* sunt, vel *videntur tantum*; & non sunt. Potest enim *duplex animi* à corpore fieri *disiunctio*, vna *perfecta*, dissolutis omnibus naturæ vinculis & compagibus: Altera *imperfecta* per ecstasin quæ vel solam, vel minimum vnam retinet informationem ac vitam licet perobscuram, & quasi nullam. In priori genere sunt Lazarus, Nainicus, & Sunamæus, de quibus supra: In posteriore S. *Furseus* apud V. Bedam lib. 3. hist. c. 19. & illi, quos in citati capitis titulo scribit S. Gregorius, quasi per errorem educi è corpore videri, & à quibus ipsum orditur caput sic: *Hoc cum fit, si bene perpenditur, non error, sed admonitio est*. quia sane ista vel ecstasis & imperfecta mors, vel vera & perfecta mors ad eorum, quibus contingit, & aliorum, siquidem velint vtrique commonitionem & vtilitatem diuinitus conceditur. Quæ vero istiusmodi à corporibus perfecte aut imperfecte demigrantes vident animi, supplicia esse possunt, vel vera & prout illa in seipsis sunt, vel verorum similia, prout expedit illa tum significari & declarari. Sic enim loco citato explicat Sanctus Gregorius, & visas in altero seculo eximias insignium domorum structuras, odoresque suauissimos & profundos horrendosque amnes, pontes lubricos fœtoresque teterrimos, & ad istam formam accipienda, quæ Sancto hic narrantur Bonifacio, quæ V. Bedæ lib. 5. hist. cap. 13. 15. Et narrantur quidem hic omnia, quasi vere, perfecteque mortuus narrator fuerit (fierique id potuit) possent tamen accipi omnia, quoad ecstaticam mortis similitudinem, ex S. Gregorii citato loco sententia, qui similibus tamen phrasibus in duobus vel tribus defunctis vtitur, & ex eo, quod in hac ipsa epistola sub extremum dicatur is, qui Sancto hæc Bonifacio retulit, à corpore pauculis tantum horis abfuisse, à *primo* scilicet *noctis gallicinio ad primum diluculum*. Beda lib. de ratione temp. cap. 5. *Noctis partes sunt septem: Crepusculum, vesperum, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, diluculum*, sicque fere Macrob. l. 1. Saturn. c. 4.

Sed quæ de futuri seculi rebus eiusdem obiecta fuere oculis, imagines tantum, & pictæ rerum illarum tabulæ fuerunt, quæ ad inferorum ignem æternamque damnationem, ad purgatorium terminandumque cruciatum, ad gaudium felicitatemque sempiternam, ad spirituum bonorum & malorum, (siue ipsorum essent homines mortui, siue viui adhuc, & virtuti aut vitio seruirent) functionem ad conscientiæ humanæ vim, eiusdemque vel accusationem vel defensionem, ad diuini iudicii seueritatem pertinent. Hæc enim fere omnium summa. Ad Rom. 2. v. 16. sunt *cogitationes sibi inuicem accusantes & defendentes*. Esd. 4. c. vlt. v. 96. *iniquitates accusatores stant*. Legi de istiusmodi mortuorum aut iam beatorum aut damnatorum resurrectione possunt Abulensis l. 4. Reg. c. 4. q. 56. Gregorius noster Valentianus Tomo 4 disp. 11. q 1. p. 2. Raderus item noster, Annot. in Viridarium suum p. 175. & seq quo in libro historiæ similes p. 173. & 79. S. Augu. ep 100. & 101 lib. de cura pro mort. c. 12. Vita S. Amonis in Surio.

Specialiter vnumque vitium] Siue instar habitus, siue instar actus cogitetur vitium. Et nota hic ab iis tantum peccatis accusationem institui, quæ per sacram confessionem disertim expiata non fuissent, idque non per fallax sacrilegumque silentium, sed per negligentiam aliquam, obliuionem, aut ignorantiam. Alia etiam interdum, quæ delesset confessio, exprobrata leguntur peccata, sed ita, vt noxæ, aut dedecoris inferrent nihil. Et simile quippiam apud energumenos, qui arcana interdum occultaque pandunt, videre est, è quibus vnum, quod *suis* ait *gestum diebus*; commemorat hisce verbis lib. 1. Cambriæ ca. 12. Syluester Giraldus: *Cum his, quibus secretiora sua exprobrauerat Damon, confessione super his facta, ex pœnitentia sequuta redissent, nihil eis improperabat; Sciui quidem, sciui, sed nunc ignoro: Alij autem quasi conuicium hoc emittebat: Et ego taceo. Quod enim scio, nescio: Ex quibus apparet, quia post confessionem & pœnitentiam, vel omnino hominum peccata dæmones nesciunt, vel ad damnum eorum, & dedecus ea nesciunt. Quia, vt ait Augustinus, si homo tegit, Deus detegit: & si homo detegit, Deus tegit.* Lege totam enarrat. psal 31. eiusdem D. Augustini.

Virtutes.) Siue habitus, siue actus, vt supra de vitiis.

Speciosa.) Hic duorum sententias Apostolorum considera 1. S. Petri 1. cap. 4. 18. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* 2. & Iacobi cap. 5. 20. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via sua, saluabit animam suam à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Adde & illud Danielis cap. 12. 3. *Fulgebunt qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates*: prout hunc etiam locum ex Hebræis explicat R. Abraham Zacuth. præf. in lib. *Iuchasin*.

Denegaret.) Ne maius iis exinde iudicium. Multi enim etiam talia irrident: neque iis ad salutarem timorem traducuntur, de quibus supra.

Alia.) Videntur ex iis esse nonnulla infra ep. 71. quam cum ista, si libet compone.

Qui tribus.) In C. *quo* pro *qua*, vel omnino tollendum *quod*, aut explicandum, *suntad, quod*.

In xxiv

S*Piritalis tractatus, magister legentium sacrum eloquium esse dinoscitur.*) Pulchra sententia. Nam sane ait *Laicorum libri sunt imagines* S. Gregorio teste l. 7. epist. 53. & 109. Sic & sanctorum Patrum libri, seu tractatus sunt eorum, qui sacras legunt litteras, Magistri muti. Vide igitur quemadmodum libros vndique conquirat & petat S. Bonifacius, vt supra ep. 8. 9. infra 28. 35. 40. 85. 194. 150. eiusque discipulus & successor S. Lullus ep. 89. 95. 99. 109. & 111.

De Matrim.) supra epist. 11.

In xxv

P*Rodormientium fratrum animabus.*] Vide quam sæpe, quam serio preces & Missas petat S. Bonifacius pro defunctis, & alii etiam epist. 35. 36. 70. 74. 76. 77. 84 90. 95. 103 104. 108. 109 110. 124. Vide ep. 122. & S. Augu. ep. 64. ac lib. de cura pro mortuis. D. Chrys. hom. in Philipp. 3. & hom 21. in Act 9. ad populum & 70. Anastasium Nicenum q. 106 vbi Epiphanium, Dionysium, & Constitutiones citat Apostolicas.

In xxvi

F*ilio Cario*) Sic est in C. sed videtur legendum *Carlo*. Fuit enim *Grifo*, vel ab aliis scribitur *Gryphs* seu

Griffo filius Caroli Martelli, quem hic illius patrem vocat: Et quia etiam à matre illum sibi in precibus commendatum ait, verisimile est, quod Aimoinus & alii tradunt, Griponem istum non è concubina, sed alia legitima vxore natum. Carli eiusdem epist. infr. 32.

In xxix. *Missum.*) Sic illo æuo frequentissime vocatus nuncius, siue tabellarius vt supra & infra 75. 91. 104 107. qui & sæpe vocatur *portitor* & *gerulus* epist. 51. 35. 39. 40. 72. In constitutionibus Caroli M. & glossa cap. 1. de immunit. Eccl. dicit *missum* esse vulgare Italicum 102. 110. & apud Cassiod. l. 1. Var. ep. vlt. lib 8. c. 8. l. 8. ep. 10 Isidor. l 6. etym. c. 8. C. Theodos. Si cert. petatur. de chirog. portitores, & baiuli pecuniæ. *Portitores* alioqui veteribus sunt telonarii, qui portum obsidentes omnia sciscitarentur vt ex eo vectigal acciperent. Nonius.

Carli Martelli, de quo epist. 26.

xxxii. *Mundeburgio*) Sic in C. sedio hac eadem epistola bis *Mundeburdium* scribitur. Vtrumque bonum, vt ait in verbis Feudalibus Hotomannus. Est autem illud nihil aliud, quam procuratio vel protectio. & *Mamburgus*, protector vel Aduocatus. In formula regni accepti à Bosone apud Guil. Paradinum l. Burgund. *Omnibus vt monuistis, legem, iustitiam, & rectum mamburgium annuente Deo conseruabo.* In Cæsareo Codice post varios libros & tractatus est VVilliberti cuiusdam donatio facta Coloniensi Ecclesiæ S. Petri anno 871. in eaque sic legitur: *Vt sit sub defensione, & mundeburde ipsius Ecclesiæ, & sub ala Pontificis, qui tum temporis ibidem præesse videtur.*

xxxiv. *Triquadri.*) Quia in tres partes, Europam, Asiam, & Africam diuiditur. Sic & triquadram vocat Iordanes lib. de reb. Get. Britanniam, quam alii triquetram. Quadrifaria vero regna sunt illa quatuor ex Danielis c. 2. de quibus in ipsa epist.

Quem chorus.) Vitiosus quidem simpliciter versus: olim tamen in Græcis vocabulis multa sibi permiserunt scriptores, etiam qui notæ bonæ. *Habebant*, inquit, Ios. Scaliger lib. 2. in Auson. cap. 21. *peculiare Latini Poetæ, vt non solum græcas declinationes in Græcis negligerent, & ad regulam Latinorum referrent, sed & quantitatem ita euerterent, vt accentu illam tantum metirentur.* Probat id ille pluribus ex Plauto, apud quem corripitur secunda in *Phædromus* φαίδρωμος in Philippus φίλιππος Ausonius etiam τρίγωνον & τετράγωνον ita extulit:

Per totidem partes trigonorum regula currit.
Fulgur tetragono aspectus vitale coruscat.

Et alii, ipseque Christianus etiam Prudentius correpta secunda dixit εἴδωλα correpta idem secunda ἐκκλησία. Isto igitur modo hic producitur secunda in μαρτύρων. Prior vero in *choras* non propter accentum, cum scribatur χορὸς, sed propter sequens *r*. & idem etiam dici posset in *martyrum B. & r. communes syllabas facere solent*, inquit, V. Beda lib. de arte metrica p. 39. Sunt ergo hæc semel in id genus versibus notata.

xxxv. *Ra hbodum.*) De hoc plura libro 3 Mogun. notat. 10. & alibi.

xxxviii. **C**Onfessionis fit.) De Confessoris nomine ac titulo insigni D. Cyprianus & Baronius in Martyrologio die 2. Ianuar. Et fieri potest, vt iste confessor eiusmodi fuerit. *Quia* tamen Euangelii promulgatio vocatur *fidei confessio*, potest eo modo insignis dici *confessor*, qui Euangelio gentibus enunciando insignem nauauit operam.

Æthilberti.) Sic in C. super. scribitur, alibi absque In XL. diphtongo, *Edilbertus*, vt in V. Beda, qui l. 5. hist. c. vlt. cum ait Regem Cantuariorum creatum anno 725.

Repta.) Infra etiam occurret epist. 77. p. 108. Sed quid? An aliquid habet affinitatis cum *Reptacester*, id est, *vrbe aut castro Repta*, de quo Beda l. 1. c. 1. Nam *Cester* castellum Bed. l. 4. hist. c. 5. sicuti Britannice *caer*

Giral. c. 5. l. 1. & 10. Itinerarii Cambr.

Superstitem.] videtur ex V. Beda Epit. ipse S. Bonifacius fuisse superstes.

Falcones.) alioqui falconnes in Cambria seu VValliæ optimi. Syl. Giral. l. 1. Cambr. c. 12 Hinc *falconarii* in Caroli M. Const.

In xxi. **S**Cotius.) Alias *Scotus*, id est *Hybernus*, vt in V. Beda l. 3. c. 3. S. Kiliani notis. De S. Aldhelmo sup. ep. 4.

In xxi. **F**Resarum) Qui nunc *Frisii* & *Frisiones*, vocati sunt *Frisa*, *Fresi*, *Fresones* in Beda lib 5. c. 10. & 12. in vita Cuthberti c. 44. & lib. de 6. ætatibus: itemque semper in Annal. Franc. hic epist. 97 Vnde vero id attigi libro 2. Mogunt. cap. 9. & in notis Sancti Kiliani cap. de Francis.

Carlomanni.) Sed quis huic filius?

Reuertis.) *Facreuertis, seu vero ipsum* vt redeat.

xxiv. **D**Omnonia) An per *Domnoniam*, vt in versibus post epistol 69. p. 84.

In Conc. Epis.) Huc pertinent quæ l b. 5 hist c. 19. V. Bed. *Triplicem* vero *dissensionem* S. Aldhemus hoc loco indicat, quam sedari componique rogat & admonet. 1. *de tonsura Clericorum*. 2. *de tempore Paschatis: de numero Catholicorum apud alios contemptu.* Sed tertium hoc, sicuti & c. 4. l. 2 apud Bedam è duobus prioribus oriebatur, quorum *primum* erat quidem adiaphorum, vt recte ostendit Geolfridus apud Bedam libro 5. cap. 22. Sed in quo id quod melius & S. Petri facto, Ecclesiæque Romanæ mori conuenientius, magis amplectendum fuisse idem ibidem docet. *Alterum* vero de Paschate, quasi prorsus necessarium vrget idem, à quo dissentire debeat nemo; & si dissentiat, excusari non possit, nisi per ignorantiam ac simplicitatem, vt doctissimus, ait VVilfridus apud eundem Bedam l. 3. cap. 25. Nam in hisce duobus Bedæ citatis iam locis accurate tractantur dictæ de tonsura & Paschate disputationes, quæ cœperunt in Anglia potissimum excitari *anno Domini 664.* cum Boreales Scoti alienum ab Ecclesia Catholica institutum tenerent, Anglisque nonnullis persuaderent, reprehensi ab Honorio, aliisque Pontificibus Romanis sæpius, vt lib. de sex ætatibus in *Heraclio* notat Beda. Postea tamen iidem illi erroris Magistri veritatem agnouerunt, seque ad Catholicum ritum contulere omnes, vt idem explicat Beda libro 5. cap. 16. 22. 23. & libro de sex ætatibus in *Anastasio* 2. histor. capite 19. quos vtinam imitarentur nostri hodie Nouatores, tum in his, tum in aliis omnibus, quæ pertinacissimo tuentur animo, dissidiis. Et *corona* quidem *Clericorum* in capillitio sacra, varia est. *Vna sancti Petri* dicitur, quæ capitis verticem coronario more attondet, & infra hac epistola dicitur *Romana*. Altera *Sancti Pauli*, quæ plus quiddam & aliter totondisse videtur ex V. Beda capite 1. libro 4. *Tertia Simonis Magi*, quæ verticem capillatum, caputque totum retinebat, sed coronæ in modum inferne circumtonsum, eo fere modo, quem in Cambriæ descriptione cap. 11. tradit Syluest. Giraldus dicens: *Tam mulieribus in hac gente, quam etiam maribus ad aures & oculos tonsura rotunda.* Prima vero retinetur à Clericis & Monachis hodie: sed varie. Nam alii *tonsuram* tantum adhibent, vt Græcorum nonnulli, *rasuram* alii, vt Latini omnes: & hanc rursum alii maiorem, alii minorem. Nam minimis præditi ordinibus Clerici gestant minimam; maioribus, maiorem, & quidem gradatim Sacerdotes, Episcopi, Pontifex, qui, diligentissimorum instar Monachorum, & paulo etiam amplius detonso coronatur crine. Vide c. *Prohibete*, d. 23. c. *Clerici* & *Si qui* ibidem. *De causa* dicunt multa satis citati apud Bedam auctores, & Sanctus Germanus in Liturgiæ Theoria, Turrianus l. 5. pro epist. Pontif. c. 19. & libellus de Apostolis num. 76. copiose BARONIVS Annal. Tom. 1 anno 58. Vnde non hæreticorum nostrorum modo, qui per ludibrium *rasos* nos vocant, refutatur calumnia, sed illa

etiam Beroaldi in l. 2. Aſini Apuleiani opinio, exiſtimantis *a caluo & deraſo Ægyptiorum ſacerdotum capite* hunc Eccleſiaſticæ tonſuræ ritum fluxiſſe. *De Paſchate* porro dici quæ poſſint, dicta nuper abunde ſunt à Clauio noſtro non libris contra Mæſtlinum tantum, ſed in Gregoriani etiam Calendarii explicatione cap. 1. & 13.

Perſcripta) Melius *perſcriptura*, niſi forte ſubintelligatur, *epiſtola*, vel huiuſmodi aliquid.

Certamen.) Videtur ſignificari vel Abdiæ liber, qui inſcribitur *Hiſtoria certaminis Apoſtolici*, vel qui B. Lini dicitur *libellus de paſſione D. Petri & Pauli*. Nam in eius principio dicitur: *Poſt diuerſa cum Simone Mago, aliiſque quamplurimis Antichriſti præconibus pro nomine veri Chriſti certamina.*

Clementis.) Veteribus, qui *Recognitionis* ſeu *Periodorum & circuitionum* libros Clementi attribuerunt, poteſt deinceps ſanctus hic noſter Aldhelmus coniungi. Ex illis ſunt apud Lambert Gruterum præf. in Clementina D. Epiph. hæreſ. 30 Ebionit. Auct. operis imperfecti hom. 49. in Matth. c. 24. Cedrenus in hiſt. Niceph Calliſtus l. 2. c. 35. lib. 3. c. 18. Ruffinus in Apol. ad Macar. V. Beda in Act. c. 5. & l. de ratione temp. c. 3. Bridfertus in eum Bedæ libellum. Frecholſus lib. 3. Chron. c. 10.

Ogdoadam.) Vt *hebdomas*, & *hebdomada*, ſic *ogdoas* & *ogdoada*, *hendecas* & *hendecada* De vtraque Beda c. 44. l. de rat. temp. & 55. Apud ſanctum Auguſtinum in pſa. 40. leguntur eodem modo *ephemerida*.

Anatolii.) V Vilfrid apud Bedam l. 3. c. 25. idem & lib. de ratione temp. cap. 4 *Anatolius Laodiceæ Antiſtes* ruſumque c 28. & 33. *Homo Eccleſiæ ſanctiſsimus Anatolius in opere ſuo Paſchali* & c. 40.

Sulpicius.) Non fit huius mentio apud Bedam & Bridfertum, cum de cycli decem nouenalis ſcriptoribus agit libr de rat. temp. c. 42.

Teſſareſcædecatitæ. Epiph. hæreſ. 50. S. Auguſt. hæreſ. 26. Theophilus Alex. in epiſt paſchali.

Victorii.] De quo lib. de rat. temp. c. 40 Beda & 41. 4. 49.

Sabrina) Flumen eſt in Occid. *Anglia* ſeu *Loegria* quo à Cambria diſtinguitur Beda c. vlt. l. 5. hiſt. Girald. c 15 in Cambr. deſcr. & ab eo *Sabrinum mare*.

Demetarum.) Demetia eſt Cambriæ pars, à qua Demetæ & Demetii. Gerald. Itin. l. 1 c. 12.

Sablonum) Sablo eſt arena Gallice *Sablon*, Italice *Sabiona*: Scaliger in Auſ l 2. c 31. *Glarea ager pubiicus, qui deſabulari dicitur, eum munitur.* Varro ſeſquiulyſſe: *Vnam viam Zenona muniſſe: duce virtute hanc eſſe nobilem: alteram Carneaden deſabulaſſe, bona corporis ſecutum.*

Catharos] Epiph. hær. 59. Aug hær. 38.

Euax) Præſtat dolentis Interiectionem, *heu heu*, quam gaudentis *Euax* vſurpare. Plautus Curculione: *Prope me eſt, Euax habeo: Salue anime mi &c.*

Cluſtello) Vt *cludo* & *claudo* dicitur, ſic *cluſtellum* & *clauſtellum*, vel *clauſtellum* Sic in Caſſiod. l. 6. epi. 5. & 19 *cluſura* pro clauſura de qua Ant. Auguſt l 1. Emend. c. 8.

In xlv. GRegorio) Videtur hic S. Bonifacii egregius ille diſcipulus eſſe, de quo lib. 3. Mogunt. not. 12. & 13. Nam eum S. Lull *adiutorem ſuum in diuina legis doctrina* hic nominat, & infra *collegam ſuum* fuiſſe, ſacris vna litteris ſtuduiſſe, ſeu *lampada Dei diuina communiter ſecum rimatum* refert. Et erat natu ipſo S. Lullo grandior, graduque maior, quia & *Presbyter Abbas* erat, vt hæc habet inſcriptio, prout etiam de *Vtam* loquitur Beda l 3. c. 21. de *Aldhelmo* c. 19. l. 5.

Exhibeantur) Contrarium ipſi *adhibeantur*.

lxxvii. SVVithan] eadem quæ *Oſvvitha*, vt ex epiſtolæ patet initio. Inſigne hoc exemplum eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, dum pallio ſeu velo ſacro palliatæ ſeu velatæ ſanctimoniales, earumque Abbatiſſa excommunicantur, pœniſque ad pœnitentiam afficiuntur. *Potius* vero Auct. Biblior. Vet. Pat. Tom. 2.

qui eis prohibetur *melle indulcoratus* eſt *hydromeli*, ſeu *metu*, de quo & infra epiſt 61.

xxviii. REgi) In C. vnica litera eſt, quæ R. videtur, ſed poſſet accipi velut N

lxxix. S*Egbaldi*) Rex fuit Occidentalium Saxonum, apud quos *Daniel* Epiſcopus de quo ſupra. Iſti vero Occidentales vocabantur *Geuiſſæ*. Bed. l. 3. hiſt. c. 7. eoſque ad fidem Chriſtianam conuertit, & primus eorum Epiſcopus fuit *Birinus*, cui ſucceſſit *Agilbertus* Gallus, huic *VVini*, huic *Eleutherius*, vt ibidem ait Beda & l. 4. c. 12. *Quintus* vero Epiſcopus fuit *Hedd.* ibid. *Sextus Daniel & Aldhelmus.* Nam eius parochia ſeu diœceſis in duos fuit diuiſa epiſcopatus l. 5. c. 19. Sed hic poſt annos 4 mortuus ſucceſſorem habuit *Forthere.* ibid. & c. vlt. ac in Epit. Huic vero an ſucceſſit *EvenVValdus*, de quo hic? an cum illo idem? De Forthereo infra 58. & 66.

lxxviii. F*Orthereo*] ſupra 49.

xxi. S*Axonicum*] Veteris linguæ Saxonicæ peritiores iſtud explicent.

xxii. P*Luuiarum flagello*) Obſerua hic ieiunia, preces Miſſas contra tempeſtates aduerſas, pro ſummo Pontifice & aliis, Pro *Domini Romani*, eſt in Cæſareo, *Domni*, de qua voce dixi alias in Litaniarum libello, n. 39.

xxiii. T*OEdet*) In C *tedet*, alias *tædet*.

xxiv. H*Aue*) Sic & in carm. 3. poſt epiſt. 69. & in S. Auguſtino epiſt 43 & videtur ab Hebræo verbo היה *chaiah*, id eſt, viue, ſis ſaluus. Et multa colligit exempla Cuiacius l. 1. Obſer. c. 15. vero pro *Haue*, ſcribitur *Habe* ſecundum orthographiam, quæ in multis notata eſt, generali nota VII.

xxv. Æ*Deluualdus*) Idem videtur de quo in Carmine vlt. poſt epiſt. 69. ſed alius ab illo, qui anno 984 cœlo receptus colitur l. Auguſt. in Martyr. & Sur. tom. 4.

A*Mbronibus*) ſupra epiſt. 1.

Caraxatum) à Græco χαράττειν fictum verbum, & infra alibi epiſtol. 68. 70. 74. & in carm. 2. poſt epiſt. 69. Et Lipſius Analect. ad mil. Dial. 9. *Fraxare*, vigilans circuire περὶ τὸ φράξαι. Prudentius ea forma *ex* τοῦ χαράξαι fecit *charaxare*. Verſus vero, de quibus hic; deſunt, iactura vt ex epiſtola perſpicuum, non magna.

xxvi. F*Orthere*] ſupra 49. & 58.

xxvii. CAtechetica hæc epiſtola.

Languore] ſupra epiſt 3.

xxviii. POetica & aliquandum Aſtronomica epiſtola. Videatur Beda de re metrica, S. Aldhelmus prologo 2. Poeticorum p. 32. 33. ſeq.

xxix. EPiſtola videretur B. Althelmi ex primo carmine ſubiuncto quia iſte in epiſtola, *mittere ſe* ait *verſus* & in illorum fine ſcribitur. *finit carmen Adhelmi.* Quia tamen non fuit hic S. Bonifacii diſcipulus, & auctor epiſtolæ illum *ſuum Magiſtrum* fatetur, vel non idem eſt verſuum & epiſtolæ auctor, vel male carminis primi Poeta laudatur Aldhelmus.

Aſe.) Dauus ſum non Oedipus. Sequentia in imaginibus, quæ in V. Bedæ opere facie prima occurrunt, exponuntur.

Mazaroth.] lib 4 Regum c 23. v. 4. *Mazaloth* vocantur aut Planetæ, vt vult in Exod. 25. *Rabbi Heſcuni*, vbi & illorum recenſet nomina: aut ſigna Zodiaci, vt S. Hieronymus & alii à *mazal*, quod eſt ire, progredi, fluere. Et ſic etiam in Beda lib de ratione temporum c. 4 & 43. corrigendum *mazaloth* pro *mazaroth*.

Crepere) Vt *ſonare* & *ſonere*, de quo ſupra, ſic *crepare* & *crepere*, & ab iſto *crepui* vt ab illo *ſonui*. Alioqui *res dubia dicta crepera*, inquit Varro lib. 3. *Exæquataque ſunt creperi certamina belli.*

Hanc hena) pro *hanc iehoua* aliſſime ſup ep. 64.

Æthilvvoldi] Non hic successor Cuthberti in monasterio insulæ Farnensis, de quo Beda l. 5. ca. 1. in vita S. Cuthberti c. vlt. & infr. ep. 89. sed alius non vtique Merciorum Rex ille, de quo supra neque Nordumbrorum Rex, de quo in Epit. anno 759. sed forsan Episcopus, de cuius morte in Epit. anno 740. & de quo supra ep. 65.

LXX. EGregia hæc epistola, sicuti & 78 inferius *de S. Bonifacii martyrio, doctrina, patrocinio*. Sed eam non scripsit sanctus ille Cuthbertus, cuius vitam descripsit V. Beda libello vno, & lib. 4. hist. c. 26. & sequentibus. Is enim fuit primo in *Mailros* monachus, deinde Anachoreta in Farne insula, factus tandem Episcopus Lindis Farnensis anno 684. & post biennium mortuus anno 686. cui successit Eadbertus At qui hanc scripsit Archiepiscopus fuit, vt indicat subscriptio, & post S. Bonifacii martyrium (quod 755. contigit l. 5. Mog not. 54.) scribebat: Fuit igitur Archiepiscopus Cantuariensis, Nothelmi (de quo supra) successor, *qui anno 740. pt ello consecratus est*, vt in Epitome ait Beda.

Cæl. Bibl.) Id est, sacrarum litterarum.

B. Greg. & August.) Nam S. Gregorius hunc B. Augustinum cum aliis pluribus ad Christum Iesum, eiusque sanctissimam fidem prædicandam misit in Angliam Beda l. 1. hist. c. 22. & seq. l. c. 1. ait illum idcirco *Angliæ Apostolum* vocari. *Quia nostram*, inquit, *Anglorum gentem de potestate Satanæ ad fidem Christi conuertit, recte nostrum appellare possumus, & debemus Apostolum.*

LXXII. M*Asoni*) Hæc epistola in editis B. Isidori epistolis est, ibique legitur *Masonem* vocatus iste Malo, & magna eius pars citatur apud Gratianum dist. 50. c. Domino Sancto, vbi citatur Concilium Ancyranum c. 19.

Innotuit) Sæpissime & in his epistolis vt infra 71. 79. 118. 125. 142. & apud alios horum, posteriorumque temporum scriptores, *innotescere* sumitur actiue, pro *notum facere*. Sic & Ausonius vtitur verbo *accrescendi* ἀρχαϊκῶς inquit Scaliger l. 2. c. 6. *Transitiue enim posuit pro augere, notum facere.* Apparet vero ex tota epistola fuisse à Masone Isidoro propositam quæstionem de ea, quæ in canonibus quibusdam videbatur, repugnantia, quo ad eorum, qui per luxuriam lapsi essent, Clericorum pœnas. Vide citatam dist. 50. & infra epist. 85.

Regestis) Regula præscribitur. Sed in exemplaribus aliis legitur *gestis*. Sunt autem *regesta*, Budæo teste, Commentarii scribarum, Actuariorum, & similium, quæ vulgo nunc *Registra* vocantur. Vopiscus in Probo: *Vsus etiam ex regestis scribarum &c.* vt & Gregorii epistolæ *ex Registro* dicuntur petita: In iure tamen Gregoriano, *ex Regesto* c. *Quia* 20. q 1. alibi.

LXXIII. LIcet in C. nullus huius epistolæ aut titulus, aut numerus sit: attamen à superiore potius videtur diuersa, quia in illius fine dicitur: *In fine autem*. Deinde quia hic alia quæstio est, licet superiori confinis; *An qui post baptismum, mortali se astrinxit peccato, fieri possit sacerdos?* Et respondet, non, quod intelligendum sane. 1. Vt se humiliter agnoscat sacerdotio indignum, qui sic peccauit. 2. Vt ne in eiusmodi peccato persistat. Si peccatum illud crimen sit, quod scandalo sit, aut pœnitentia nondum expiatum, aut expiatum quidem, sed solemni. c. *Canonet* d. 50.

Oratio pro semetipso.) orationes istæ videntur esse scriptoris, Deum pro suis peccatis suppliciter orantis, cum & sacerdos esset, & suæ tamen sibi conscius fragilitatis.

V*Vintana*) quæ *VVindonia & VVindonium* alias dicitur vbi & Daniel, de quo supra epist. 3. Episcopus fuerat. Ideoque & huius hic mentio vbi & eius successor nominatur *Hunfrithus*, & huius *Cuthbeardus*, qui epistolam scribit, sicuti & infra 86.

Orarium) Stolam vocant Ecclesiastici scriptores, aut vestem, quæ Clericis concessa, quæ oratores, vt & Deum orent, & apud populum perorent, deceat. Alcuinus l de diu. off. c. de vestimentis Rabanus l. 1. instit. cleric. c. 19 V. Beda l. collecta c. 7. Conc. Aurel. c. 22. can. *Monacho* 27. q. Concil. Mogunt. sub Carolo Mag. c. 28. Tribur. apud Burch. l 6. c. 10. can *Vt presbyteri*, 16. q. 4 Steph. Durant. l. 2. de ritib. c. 9. Apud Vopi cum *oraria donauit populo Romano* Aurelianus, *quibus vteretur ille ad fauorem*. An *ad fluorem*, vt apud Scrib. Largum & Celsum l. 4. c 16.

Coculam) Varro l. de vita pop. Rom. *Cocula, qua coquebat panem, primum sub cinere, postea in fornace*. Sed illa huic loco non conuenit significatio. An igitur pro cucullo ponitur? *Cocos* vocant hodie Hispani maiores quasdam nuces Indicas, è quibus potiora fiunt pocula virgis limbisque argenteis ornata.

Gunnam) An *gurda* est quæ vestis villis, ideoque Monachis congrua. Videtur enim apud S. Augustinum epistol. 56. *gurda* dici, quasi quæ gurdos deceat. *Gurdos vero pro stolidis vulgo accepit*, inquit lib. 1. Quintil c. 5. At hic inf. ep. 59. dicitur *è Putrarum pellib.* constare.

LXXV. L*Eo*) Tertius nimirum tempore Caroli Magni, de quo hic.

Riculpho) Tertio Moguntinorum Archiepiscopo, de quo lib 4. Mog. p 613 & seq.

Coniunxissent) Illo seculo vsitata erant in itineribus duo hæc verba, *coniungere & absoluere*. Illud erat peruenire, appellere: hoc dimittere seu abeundi potestatem facere. Germanice *Sinenabfertigen*. Et sic epistol. 12-. 128. 140. in annalibus Francorum: *An. 797. Legatum Rex magnifice suscipiens post paucos dies & absolutum, abire permisit.* Et an. 865. *Legatum Pontificis à Rege absolutum.* Regino: *Imperator exercitum absoluit, & ad propria redire permisit.* Anno 8-4. *Bohemorum nuntii à Rege auditi, & absoluti.* Anastasius in Stephano Quarto, & al[illegible] similiter.

Vel omnibus) Sæpenumero vsurpabantur eodem seculo *vel, siue, seu*, pro *&*. Exempla sunt l. 1. & [illegible]. vitæ S. Bonifacii complura, & hic epistola etiam 123 D. Greg. l. 4. ep. 95. l. 7. epi. 5. in historia Bedæ l. 1. [illegible] 8. titulo, & alibi. Et sic R. Dauid Kimhi docet etiam accipi Hebraicum ו id est, *vel*. Pro. 30. 31. vbi ab nostro Interprete vertitur *& aries* Et è contrario *sed* pro *vel* est in Cod l. 9. ti. 13. *De raptu virginum seu viduarum*, vel ex legis fine intelligitur. Vide D. Velserum rerum Boicarum lib. 5. p. 271.

LXXVI. I*N septenis*) septem intelligit horarum Canonicarum preces, de quibus supra ep. 17. Beda l. 3. c. 27. *solemnem canonici temporis psalmodiam* vocat. Vide Steph. Durantum toto fere lib. 3.

LXXVII. H*Rofensis*) Alias Rhofensis in Beda, qui l. 5. vl. ponit huius Ecclesiæ hos Episcopos, *Theodorum*, [illegible] *biam, Alvvulfum.*

Itiner) Antiquum. Varro, *transe parato, luna expectans, Adria se itiner longum sermonis leuare.* Plautus Mercat. *Cum in ergo itiner exsequi meum me sines?* Lucr. l 6. *Obuia discutiat gladiis, itinerque sequatur.* Alia in Nonio.

Reminiscat) Quemadmodum *aucupo, vago, refrago, suffrago, amplexo, educto*, & similia, quorum catalogum texit Nonius, dixerunt veteres: Sic in vita S. Augustini Possidius c. 17. *frustre*, apud eundem Augustinum ep. 55. Dioscorus prooemio, hic vero Æardulfus, *reminisco*, & ante ipsum olim Rufus Rhetor, quem tamen idcirco ridet Ausonius Epig 48.

Quo reminisco putat se dicere posse Latine.
Hic vbi conscriptum est, legeret cor, si cor haberet.

Et epist. 47. *Reminisco Rufus dixit in versu suo.*
Cor ergo versus, ipse Rufus non habet.

LXXVIII. M*Ilret*) Episcopus vt ex subscriptione perspicuum, & quidem in Anglia, vt indicat epistola. Sed qui post V. Bedæ historiam illic Episcopi & Reges fuerunt, eos difficile est certo statuere. Conferatur hæc epistola cum superiore 70.

Iussionibus secuturum) pro *obsequuturum*. Potest

ramen & Datiuum admittere ipſum *ſequor*. per Hellenismum, vt ἀκολουθῶ & apud Ciceronem & alios *comitor*. & infra epiſt. 89. *ordinem ſeruū*.

Liſtinas.) Recte in Iliad. α. Euſtathius: ἐρωτῶν γινώσκει, μανθάνει ἐρωτῶν. Quærendo & interrogando fit homo ſemper doctior. Ego poſteaquam de Liſtinis diu multumque vt lib 3. Mog. not. 31. inquiſiui, ecce tibi Antverpia vir doctiſſimus, & antiquitatis egregie gnarus R. D. Aubertus Miræus, qui digito pæne illas monſtrauit, dum illinc ad me ſic: *Fulcuinus Abbas Lobienſis in Monaſterii ſui chronico, cuius fragmentum apud me eſt M. S. teſtatur eas olim ſitas fuiſſe apud Lobienſe ſeu Laubienſe, celeberrimum hodieque Benedictinorum in diœceſi Cameracenſi monaſterium, quod quidem tertio fere lapide diſtat à Bincio Hannoniæ oppido.*

Et iſte) Liptinenſis Concilii occaſio refertur mira in Gratiano 16 q. 1. poſt c. *Quia iuxta*. vbi Caroli Martelli anima damnata narrare S. Bonifacio inducitur S. Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus. Sed eam narrationem improbat Reuerendiſſimus BARONIVS anno 741.

Caſata) Infra epiſt. 141. ſcribitur *caſſata*. *Suſpicor*, ait in conſtit. Caroli Magni Amerbachius, *caſatum* (vel vt hic, *caſatam*) *eſſe Germanicum vel ſi à Latino deflexum, geſac, aut rectius ieſat, id eſt, ſatum*. Sicque dum ait Carolus, *de caſatis* hoc aut illud dandum, intelligeretur cenſus quidam arualis, ſeu ex aruis vel agris. Subindicat idem tamen Amerbachius fortaſſis à caſa, id eſt, domo ductum, vt ſit quod hodie *Hanſizins*, *Hauchgelt*, *Herdeſchilling*.

Precario) *Precarium* pecunia eſt, quæ alicui ad eius preces ſeu precario datur mutua, quoad vſque voluerit qui dederit. L. ff. de precar. Ludouic. Molina de contract. 2. diſput. 294. & 298.

Reuertatſſet) An ſicuti apud veteres frequentatiua plurima? An otendum pro reuertatur?

Pater meus) Carolus Martellus.

T*Recea*) Proprium eius nomen in epiſtola dicitur *Albertus*, officium *Diaconatus*.

Innotuit) ſupra 72. inf. 118. 125.

Audaciter) D. Auguſtinus lib. de Grammat. *Quaedam ſyllabam deſiment, vt Ter ſyllabam mittunt aduerbia, vt agilis, nobilis, audax, difficile, agiliter, ſubtiliter, audaciter, difficiliter*.

M*Aginhaoz*] Videtur idem, qui *Megingozus*, *Mengozus*, *Megingaudus*, *Maingotus*, & ſup. epiſt. 17. *Megingardus* vocatur, & poſtmodum Herbipolenſis Epiſcopus factus ſecundus, Sancti ſcilicet Buchardi ſucceſſor. Abbas primo Monaſterii Neuſtadienſis ad Mœnum, è Rotenburgenſium Comitum familia traduur, ideoque & ex eadem erant ſanctimoniales illæ Virgines fratris filiæ, de quibus in epiſtola Neſcio an idem, vel potius eiuſdem gentilis & cognominis ſit ille *Maingotus*, cuius fratres Comites Rotenb. *Vuolfangus & Vmbertus Schirvarhacum* arcem ſuam anno 816. in Monaſterium conuerterunt. Vide initium hiſtoriæ S. VVilibaldi de S. Bonifacio ſup. 233. & vitam S. VVigberti inf. ep. 87. 94.

V*Vieberdus*] *Fridiſlarenſis* Abbas, de quo libr. 3 Mog. not. 24. & alibi ſup. 17. inf 102. 110.

S*Perri*) Videtur idem locus infra 113.

Per breue) Idem eſt, quod breuis aut epiſtola, aut libellus, aut, vt ſubiungitur, *indiculus*. Sic S. Hieronymus epiſtol. ad Fuſcum, Caſſiod. l 1. ep. 6. Symmach. l 1 epiſt. 34. B. Theod. de indulg. tribut. vl. C. de iure fiſci. Apud Vopiſcum in Aureliano *breue nominum* conſcripſit Mneſthæus.

E*Kberto*) ſupra Eboracenſis Archiepiſcopus, qui primus poſt Paulinum accepit ab Apoſtolica ſede pallium, Beda Epit. anno. 735. mortuus anno 7 6 ibidem.

Euſtimantes leuiter] Ita eſt. Vide Grat. diſt. 31. & 50. & ſupra epiſt. 72.

Auct. Biblioth. Vet. Pat. Tom. 2.

A C*Ineardus*] ſupra 74.

M*Agingoz*) ſupra 80.

Quaſtiones) Videntur 28 q. 1. & 32. q. 1. & 31. q. 6. & 7. copioſiſſime Bellarminus lib 1. de matrim. c. 16.

D*E V. Beda* pulchra & vera hic eius diſcipulus, & iam aliquoties ſupra, & ab eodem *Gudberto* etiam infra ep. 95. & 112.

Induendum alt.] *Palla & indumenta* ſeu *pallia altaris*, de quibus Optatus l. 6. Theod. l. 1. hiſt. c. 30. l. 3. cap. 5. Concil Tol. 13. can. 7. c. Quicunque 26. q 5. Rhemenſe apud Burch. l. 3. c. 97. Steph. Dur. Lib. 1. cap. 25. n. 8.

Gunnam) ſupra 74.

Clocam) ſupra 9.

Citharistam) non *cytharistam*. Sed cur? Nam *enervant animos cantus, citharaque lyraque*. An vt Dauid? Alcman apud Plutarchum in Lycurgo: ῥέπει γὰρ ἄντα τῶ σιδάρω τὸ καλῶς κιθαρίσδεν *Ferro præponderat egregie fidibus canere*.

B *Iul.*) Mendum pro *Lul*, vt infra etiam 93 & notat in Varronem, vbi de tomaculis Scaliger, ſæpe litteras iſtas I. & L. à librariis commutari.

C*Arl*] Carolum Magnum,

Sagos) Vt peplum & peplus, *patibulum & patibulus, collum & collus, dorſum & dorſus, tintinnabulum & tintinnabulus, palatum & palatus*: ſic *ſagum & ſagus*, & ſup. epiſt. 84. *indiculus*, epiſt. 94 *indiculum*, & inf. epiſt. 118 *denarius & denarium, genus*, & apud S. Auguſtinum hom 6. de verb. Domini, *genum*

S*Tephano*] Tertio, & infra 97.

Gregorius] II. & III.

Titulos] In Romana Synodo poſt epiſt. 135. hic & alibi ſæpe occurrit titulorum nomen, de quo Annalium tom. 2 & 10 martyr. Baronius, noſter de Roa de die Nat. cap. 21. Gretſerus l. 1. de Cruce cap. 7.

F*Vlredus*) Alias Fulradus.

Regem noſtrum) infra ep 96. & 100. 104. Rex quem ipſe ſanctus coronauit Bonifacius lib. 3. Mogunt. not. 38. 39. 40.

C

Marcam) Limitem. Vnde Marchiones apud Hotom. de vet. feud.

Indurare) pro *durare*, aut *perdurare* ac perſeuerare.

C*Omperti ſumus*] *Comperiri* pro *comperire* Apuleio, aliiſque veteribus proprium, Latiniſque hodiernis valde vſitatum, & infra epiſt 142.

I*Nluſter*) vt *celer & celeris*, ſic *illuſter & illuſtris*. De regno eius ſupra epiſtol. 92. Et nota hic quomodo non tantum pro tempeſtatibus, maliſque auertendis preces indicerentur publicæ, vt ſupra, ſed etiam pro annonæ copia, rebuſque proſperis, vt hic. vbi *Litania* ſunt proceſſiones, publicique ad precandum, laudandumque Deum cœtus infra ep. 138. ſed cum his plerumque indictiuum iungebatur ieiunium, vt indicat Concil. Aurel. 1. cap. 29. Sidonius 5 ep. 4 Venant. l 7 ep. 15. Ideoque monet Rex, vt iſta in gratiarum actionem lætior ſit *abſque ſermone*, ſed cum largitionibus, eleemoſynis, deciſque, quemadmodum ſcilicet Eſdræ 2. c. 8. v. 10. Eſther 9. 22. *Laxatis* ait S. Auguſtinus epiſt. 113. *curis mutabilium rerum; bona ſtabilia & certa quæramus: ſuperuolemus terrenis opibus noſtris. Nam in millis copia non fruſtra pennas habet apicula. Neſtis enim harentem*.

D

Nam) B. Iam.

VVillebrod.) lib. 3. Mog. not. 11. vbi explicatur, quomodo alio nomine vocatus ſit *Clemens* V. Beda l. de 6. ætatibus in Iuſtiniano, *Vilibrordus cognomine Clemens* l. de S. Cuthberto c. 44. *ſanctiſſimus VVillibrordus Clemens*.

C*Oena*.) Poteſt in C. legi *Coana vel Colena*. Infra tamen epiſt. 109. ſimpliciter in C. Cœna fuit in Anglia Archiepiſcopus.

Mandras.) in harmonia Mathol. l. 1 cap 7. p. 710. Videatur & græcus textus 2. Par. 35. Nicetas Choniates l 2. f 207. Et hinc *Archimandrita*, qui præeſſent mandris,

Margin: In ep. 91. — In ep. 80. — In ep. 61. — In ep. 84. — In ep. 85. — In ep. 88. — In ep. 87. — In ep. 89. — XC. — XCI. — XCII. — XCIV. — XCVI. — XCVII — XCIX.

id est, aut cænobiis, & animarum ouilibus, ita vt etiam Episcopi & Archiepiscopi sic infra, vocentur, vt VVilligesius I. Elector noster Moguntinus in vita S. Adelberti apud Surium tom. 2.

In alia ordinatus parochia.) Vide Gratiani distinctionem. 71. 72. 98.

Contra equum.) *pro equo.* Et tamen ille aliquid contra aliquid aut aliquo vendendi ac æstimandi modus & phrasis vsitata olim & elegans. Varro l. 1. de re rustica: *Poma veneunt contra aurum.* Plautus, *Talento contra carum non est.* Trabea Comicus in Harpace. *Aureo paranda lacrumæ contra forent. Metaphora*, inquit in Varr. Scaliger pag. 2 1. *à lance momentanea, in qua appendebatur as: Nam quod præponderat, id contra esse, hoc est, ἀντίῤῥοπον dicebant veteres. Inde as contrarium, dicebant as graue, auctore Festo scilicet ἀντίῤῥοπον.*

Siglas.) Aliter hic *sigla* quam apud Iustinianum in Græca Pandectarum auctoritate, vbi pro notis, quæ singulæ quasi dictionum integrarum signa compendiaque forent, ponuntur. Vocat in Catone Plutarchus σημείοις μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχουσι. Cuiacius obser. l. 3. c 3.

CI. *Osherem.*) in C.

CII. *VVeccburg.*) supra ep. 20.

Rottvvin.) infra ep. 110. Videtur amanuensis fuisse B. vvigberti, velut ille *Tertius* Rom. 16. 22. aut certe qui epistolæiam scriptæ suam subiunxerit salutem, id apud S. August. ep. 145. *Alipius.*

CV. *Cydberto.*) sup. ep. 70. Digna vero hæc epistola quæ ab animarum Pastoribus omnibus, præsertim vero Episcopis & Archiepiscopis crebertime legatur.

Sancta desideria.) ex oratione nota, *Deus à quo sancta*, &c. quæ vt hinc apparet, vetustissima.

Instrui.) distinguatur commate ab sequenti nomine. *aureo.*

Fidem Cathol.) Principium decretorum optimum, quod in S. Bonifacii sacello, hic nuper, vt habetur l. 3. Mog. not. 47. renouato, vncialibus merito litteris expictum. Reliqua statuta sunt octo vel nouem sane quam vtilissima. Post quæ disputat S. Bonafacius, *an relinqui possit suscepta semel animarum cura?* Vide causam 7. q. 1. præsertim c. *sicut vir. De pallio* epist. 122. l. 3. Mog. not. 26. & Grat. dist. 170. & X. *de auct. & vsu pallii.* Paulus Scaliger orat. ad Pontif.

Sacramento.) Vide p. 163.

Iussu Pontificis.) Vides hic quomodo Episcopatum, Archiepiscopatumque non ambierit S. Bonifacius: sed eum à Pontifice iussus, à Principibus Francorum, Gallorumque rogatus ceperit, & captum quam vigilanter ac sedulo gesserit, libenterque si licuisset, eo se abdicare voluerit p. 148.

Præterea non.) Vtilis admonitio de interdicenda fœminis peregrinatione longinqua præsertim, etiamsi pietatis præ se speciem ferat. Sunt enim personarum, circumstantiarumque aliarum ratione, quædam interdum περιττὰ καὶ ἀσύμφορα ἐνδυμάσι vt loquitur ad Rom. hom. 2. S. Chrysost.

Vermium.) Testes quæ inserta quædam versicoloria, quasi emblemata, vermiumque imagines habent. Vermiculatum apud Nonium pro minuto atque miniato apud Ciceron. 3. de Orat. & Plin. l. 36. c. 25. *pauimentum* aut *emblema vermiculatum*, id est, *musiuum*, seu vt non male dicitur hodie, *musaicum.* Quemadmodum enim ab Achæo *Achaicus*, παρὰ τὸ μουσαῖον μουσικός.

CVI. Inter hanc & superiorem epistolam excisa videntur minimum duo folia.

Abba.) Indeclinabile & recte secundum Hebræam, seu Syriacam suam originem, imo & interdum *Beda* in omnibus inuenitur casibus vt in titulo epist. 88.

CVII. *Ludovvigus.* alias Ludouicus Caroli M. filius Imperator, vt infra ep. 117. de cuius nominis scriptione notatum aliquid in ep. 1. Hincmari, & in lib. de nominibus German.

Hortanit.) In C. *ortauit.* Vnde videtur esse *artauit* aut *orauit*, aut vt supra *consolo* & similia.

Erkengario) Posset è C. legi *Erkengano.*

S. Remedi.) Dicitur S. *Remedius* Episcopus apud Vsuardum, & in Rom. Martyrol. d. 3 fol. 2.

CVIII. Formula mittendi antiquitus defunctorum fratrum nomina vt pro iis preces Missæque fierent, sed diserte singulorum apponebantur nomina, vt sequenti ep. 109. indicetur & 111. ideoque hic dicitur *& reliqua.* Idem mutuæ charitatis officium cum inter alios, tum in hodiernis B. Virginis sodalitatibus, & maxime in nostra Societate Iesu viget, adeo vt ex Indiis etiam & orbe nouo huc mittantur nomina, & hinc illuc. Atque hoc tanto, quod vt hactenus vidimus; tam multi & ipse S. Bonifacius toties ac tantopere optauit, subsidio, vtinam digne ac vtiliter, indignus licet: perfrui mortuus merear Amen.

CXI. *Veterescat.*) Alii dicunt veterascat, & discrimen statuit Nigidius inter *vetustiscere* & *veterascere*, vt quæ deteriora fiunt, vetustiscant, quæ meliora veterascant, ex Cic. l. 7. ad Horatium. At non semper id obseruatur, vt infra ep. 111.

CXIV. *Othero.* fuit Archiepiscopus Mogontin. V. l. 4. Mog. p. 620. alias *Ogerius* & *Otgarius*, de quo infra 116 & 117.

Lectionarium.) In Canonicorum & Monachorum odeis vsitata etiam hodie *Lectionaria*: in quibus scilicet è scriptura, Patribus & sanctorum historiis lectiones continentur. *Missales* vero libri vbique noti. sed *Gregoriani* sunt, quos vel correxit, vel in ordinem certum redegit S. Gregorius.

CXV. *Eclamatoria.*) Apud Ludouicum Caroli M. filium, de quo supra 107. Nam in epistola dicitur, *insinuatio patri is vestri.*

Pagenses.) qui eiusdem pagi. *Pagus* autem, licet à πηγῇ id est fonte, dictus dicatur, non vnum tantummodo significat vinculum, sed plurimum etiam interdum vinculorum multitudinem, quæ vno aliquo aut imperio aut lege, ac iure vincitur & continetur. Satrapiam hodie aut Præfecturam appellant.

In Missaticum.) in legationem, vt essent missi seu legati. Ideoque paulo post dicitur. *Qui præfatos missos miserunt.* Hic tamen pro vico accipi potest, quia infra dicitur *pagus Marschem.*

Educti sunt.) Ex vita Caroli Magni apud Eginardum hæc *Saxonum* in alienas regiones ac sedes *transportatio* perspicua est.

CXVI. *Gregorius.*) IV. qui anno 828. Pontificatum init. Orgarius vero Archiepiscopatum Moguntinum anno 826. & tenuit vsque ad annum 847. lib. 3. Mog.

CXVII. *HLudouico.*) Caroli M. filio sup. 107. Hic autem libellus Moguntinorum supplex non eo instituitur, vt Otgerus Archiepiscopus Moguntinus fiat; sed vt ei, cum Archiepiscopus iam esset, sua in sede manere, suoque Pastorali fungi liceat munere, cum Imperatoriis bellicisque caussis ab eo æquo plus aduocaretur, vt ex eius patet historia lib. 3. Mogunt. 1. 611. 622.

S. Martini, S. Albani.) Vide Moguntinorum patronos, in quorum honorem Ecclesia Metropolitana, & alia extra vrbem consecrata lib. 1 Mogunt. c. 31.

In nomine.] supra ep. 105. & lib. 3. Mogunt. not. 15.

CXVIII. *Gregorius.*) In hisce S. Bonifacii epistolis quini maxime Pontifices sunt ad quos vel à quibus epistolæ sunt. Primus est *Gregorius II.* & de illo iam ab hac epist. 118. vsque ad 127. Alter est *Gregorius III.* ab eadem epistola 127. vsque ad 131. Tertius *Zacharias* ab eadem 131. vsque ad 145. Quartus est *Stephanus III.* & de ipso supra epist. 91. 97. Quintus est *Leo III.* supr. epist. 75. Cœpit autem vti tomo 11. refert Baronius sedem Apostolicam tenere *Gregorius II.* anno Domini 714. *Gregorius III* eius immediatus successor 731. *Zacharias* huius immediatus idem successor 741. *Stephanus III.* huius etiam pæne

immediatus (Nam qui omnino immediatus fuit Stephanus II. dies tantum 4. fuit Pontifex) successor 752. Huic successit *Paulus I.* anno 757. Huic *Stephanus IV.* anno 768. Huic *Hadrianus*, anno 772. Huic *Leo* tandem III. anno 796. Atque hæc temporis notatio proderit epistolarum ipsarum tempora, imo & ipsum quandoque ipsarum epistolarum auctorem examinatoro, prout infra in Gregorio II. & III. patebit. Nam huic epistolam 112. tribuit Baronius, quam alii Gregorio II. Et istarum alius in Pontificum epistolis tom. 2. Conciliorum ordo, quam hic. Nam 119. est illic IV. & 120. V. 121. VII. 122. II. 124. III. 125. VII.

CXXI. *Alt Saxonum.*) supra 29.

CXXII. **V**T *non valescat.*) Ad 12. fere petitiones respondet. Ac de ista I. postea responsum diligentius epist. 130 & can. *Episcopi* non. d. 80.

Paganis.) Qui baptismi formulam non recte seruarant. ideo enim subdit Pontifex; *vt denuo baptizentur in nomine Trinitatis*, c. *quos à paganis* de cons. d. 4. Et similiter accipienda paulo post responsio ad quæstio 6. Alioquin vt de Iudæo respondet c. *A quodam* de consecr. d. 4 Nicolaus, idem dum foret, vti & infra epist. 140 respondet Zacharias.

Agrestem caballum) Duo hic equorum genera indicantur, agreste, domesticum, & vtrumque à quibusdam concedebatur, prout etiam testatur Otho Frisingensis l. 6. c. 10. Erasmus Stella l. 1. de Borussia, vbi & feros Græcis ignotos equos ait, & de Tartaris constat. Sed has & similes leges audire non potest famis tempore venter famelicus, vt in obsidionibus interdum. 4. Reg. 7 13. & apud Ferdinandum Cortesium narr. 2.

Pro obeuntibus.) Non simpliciter quæsiit S. Bonifacius, *essetne pro mortuis orandum*? sciebat enim id esse optimum, ac in Ecclesia tota receptissimum, prout sæpissime antea vidimus ad epist. 24. Rursumque non ignorabat pro Ethnicis ac infidelibus mortuis frustra preces fieri: sed rogauit. *Num pro Christianis omnibus, qualescunque y essent, orandum foret?* Respondet igitur Pontifex: *non orandum pro hæreticis, sed pro aliis omnibus orari posse, idque bonum ac ab Ecclesia receptum.* Impios enim vocat hæreticos, vt ex eo patet, quod eos Catholicis opponat. Quærunt vero interdum nonnulli, quorum parentes apud nostri temporis hæreticos morati & mortui sunt, possint ne pro ipsis orare? Sane si hæretici fuerunt, sicque sua in hæresi è vita discesserunt non possunt: neque alia iis coosolatio, quam quæ Iaponiis à B. Francisco Xauier data lib. 4. vit. c. 8. Si vero ea vel simplicitate, vel ignorantia, quam personæ conditio, locus & eiuscemodi alia excusarent iidem parentes fuissent, vt vere presseque dicendi hæretici non essent; preces pro iis fundere fas, omninoque vtile. Sed vide Harmoniam Machab. l. 2. c. 22. & S. Augustinum lib. de cura pro mortuis, è quo pulchra citatur sententia can. *Non æstimemus* 13. q. 2.

Dubitauit.) In dubiis tutior par seligenda est, & epist. Greg. 3. clarius id explicat, quæ citatur c. *Paruulis* de consecr. d. 4. Itemque Zacharias infra epist. 140. Et sic de sacris etiam ordinibus inf. ep 103.

Ioui Mart) vt supra de Paganis ad q. 3.

Ad 7. At hoc epist. 126. relaxatur ad q. 1. Alioquin vsque ad septimum cognationis gradum matrimonia improbantur, Iulius Papa c. *Nullum* 35. q. 2. S. Gregor. lib 13. epist. 31. Tolet. Conc. 2. c. 5. vt explicat Alex. 2. c. *Ad sedem* 35. q. 5. Concil. Lugdunens. & Cabilonense, & veteris Ecclesiæ morem hunc fuisse testatur l. c. Alexander 2. Bellar. l. 1. de matr. c. 29. p. 1408 Rabanus de hisce gradib. libellum scripsit, orsus ab nostro isto S. Bonifacio, Petrus Damianus lib. *de hæresi incestuosorum* apud Baron. tom. XI.

Duabus) Non quod vxorem tertiam & quartam, imo & plures, siquidem tot accidant funera, ducere non liceat, sed quod minus deceat. Ideoque ait hoc loco Pontifex, *si valueris.* D. Hieronym. ad Pamach. in Apolog. contra Iouin. *Non damno bigamos, imo nec trigamos, & si dici potest, octogamos.* Et plura ibidem atque c. *Aperiant* 31. q. 1.

Auct. Bibliot. Vet. Pat. Tom. 2.

Ad immolandum.) Adhuc vigebant humanæ in Germania hostiæ, quod de *Gallis* & *aliis* Lucanus lib. 6. de *Frisiis*, Suffridus lib. 3. de orig. Fris. c. 6. & auctor vitæ S. VVilfrommis apud Surium tom. 2. De talibus plura in Ind. c. 11. & Victoria relect. 9. de Temper.

C*Astaldus*) Scribitur ab aliis *Gualstaldus*, & putat in Caroli Magni constitutiones Amerbachius esse hospitem seu Cauponem, quasi *Gastalter.* Sed repugnat hoc loco Pontifex, qui *magnificos Gastaldos* vocat, eosque comitibus anteponit: repugnat & in eodem Zacharia Pontificale, dum Luithprandum Longobardorum Regem ait *in obsequium Pontifici misisse Aldeprandum Ducem, Taciperium Castaldum, & Ramingum Castaldum Tuscanensem.* Repugnat Carolus Magnus scribens *Ducibus Comitibus, Gastaldiis.* Subdit idem Amerbachius sibi non displicere, vt *Gastaldi* exponantur *comstitutes*, quasi *gestelte* seu *bestelte.* Sed quam ad rem constituti? Explicatur in lib. 2. Lombard. tit. 7. & alibi dum dicitur, demandatas iis fuisse *curtes, casasque regias*, vt sint qui in Polonia, Gallia & alib. *Castellani* vocantur, & vel à Latino *casa* vel *castrum* dicti sunt, vel à Germanico *Gast*, quia curtes & arces sunt, in quibus fere hospitium habent Reges, & in re etiam bellica Ducibus erant proximi. Lib. 1. Lombard. tit. 15. Paulus Diac. l. 5. c. 16. Petrus de Vin. ep. 6. c. 25. apud quem de *Castaldia feudis* agens Imperator Fridericus, *ita* inquit, *quod castrum à nobis.* vt videatur indicare nomen à castro ductum, cum & hodie adhuc vsitatum sit *ein Castel.* Hotom. de v. feud.

In ep. 123.

Edocationi.) Vna in C. superfluit littera, vt sit, *edoctio. Edocere* siquidem apud bonos auctores passim vsitatum, & infra ep. 125. bis 130. 140. 142.

I*Llicitas.* Hæc fere sumpta è S. Gregorii Magni lib. 2. ep. 25. & explicata fusius apud Gratianum dist. 34. & 36.

In ep. 124.

Afros) dist. 98. c. Afros. Idem & *de Britonibus* ep. 129. p. 178. licet Afri ob Manichæam hæresim maxime culpentur, ob errores alios hi. Quemadmodum alioqui latronem *Arabs*, ita & libidinosum quandoque significauit *Afer*, quia vt ait lib. 6. Saluianus. *Afri impudici generaliter, nisi ad Deum conuersi, id est, fide ac religione mutati.* Huc spectat ep. 47. S. Augustini ad Deuterium.

Non minuere) In Grat. 12 qu. 2. tota. Diuus Thomas. 2 2. quæst 43 a. 8.

Quatuor portiones.) Ibidem c. *Concesso* c. *de reditibus* c. *Cognouimus.* c. *Mos est.* & hac de re quæstio inter Fr. Sarmientum, & Mart. Nauarrum agitata perutiles de reditibus Ecclesiasticis eorumque dominatu libros: & in schola Theologica disputationes peperit. Vide S. Chrys. hom. 37. ad pop.

Quarti.) De sacrorum ordinum dandorum temporibus eadem ista sanciuntur dist. 75 maxime c. *Quod à Patribus &c.* c. *Ordinationes.* De ieiuniis vero eorundem mensium dist. 76. c. *Ieiunium* c. *de ieiunio incerto.*

Paschali festo.) Solemnia eorum, qui adultiores sacrosanctum Christi Domini complectebantur baptismata duobus maxime temporibus quondam instituta, Paschali & Pentecostali apud Grat. *de consecr. dist.* 4. c. *Non ratione auctoritatis* 1. *de Catechumenis* c. Duo tempora & iste canon laudatur quidem à Gratiano ex B. Leonis ep. 4. c. 5. plenius tamen inuenitur in 1. Concilio Mogunt. c. 4.

D*Esidia.*) Videtur hic idem designari Coloniensis Episcopus, de quo ep 97. quæ post ipsum scripta fuit, agitur.

In ep. 125.

Patricio.) Senatorum filii olim *patricii* dicti, *quod*, vt ait Festus, & Velleius Paterculus, *patres ciere possent.* Postea vero principes quidam viri, qui aut Imperatorum consiliarii summi, aut populi alicuius Principes, Sum-

matesque summi, quasi videlicet Patres forent, horumque dignitas dicebatur *patriciatus.* Iustinianus Nouella 80. & l. vlt. Cod. de Consulib. l. 12. l. 64. in fi. l. vl. §. de decutionibus, l. 10. C. & in l. 3. C. vbi senator. Paulus Diac. l. 14. Niceph. lib. 13 cap. 1. & 4. Suidas *πατρίκιος πατὴρ τῦ κοινῦ* Claud. de Eutropio, Cassiodorus, qui & ipse Patricius lib. 3 epist. 5. lib. 6. 2. l. 8. 10. vbi honoris huius formula, etymologia, potestas, ornamenta. Vide & Baronium sæpius Tomo XI.

Episcopia) Episcopales domus ita olim vocatæ.

In ep. 126. QVarta) supra epistola 122.

Nubat.) *Nubere*, ait Nonius, *veteres non solum mulieres, sed etiam viros dicebant.* Sed maior hic de te dequamo verbo difficultas cum matrimonii dissoluendi videatur facere Pontifex potestatem Ideoque verba ista cum citasset Gratian. c. *Quod proposuisti 32. q. 7. Illud*, ait, *Gregorii sacris canonibus, immo Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitus inuenitur aduersum.* Sed recte ibidem glossa obiicit, *Gregorii iunioris* decreta per Leonem IV. approbata esse c. *De libellis dist. 20.* Multæ igitur in eadem glossa tanguntur nodi huius enodationes. Ex omnibus autem ea placet quæ Pontificem ait *de muliere arcta* loqui, modo per vnam quasi speciem intelligatur synedochicωs totum ægritudinis genus, quod mulierem ad coniugium impotentem ineptamque reddit. Huiusmodi enim si non in muliere tantum, sed in ipso etiam viro sit, ratum esse non sinit coniugium: estque impedimentum, quod contracto iam matrimonio diremptionem inferat, Et sic etiam respondetur capitulo *Consultationi X. de frigidis & maleficiatis*, dum negatur, vllum inueniri *de arcta* canonem. Non enim hæc quidem vocula in vllo legitur canone: sed aliæ quibus & illud, & omne aliud, quod liberorum procreationi primo, directe proprieque obstat, impedimentum significatur. Et hoc est, quod à Pontifice hic dicitur: *cui infirmitas præpedit.* Nam illud *præ* valet, *cui iam ante matrimonij coniunctionem impedimentum*, seu vt ita dicam, præpedimentum *euenerat.* In citato canone legitur, *quam infirmitas præpedit*, sed idem sensus. *subsidij* vero *opem*, quam istius modi iam dimissæ mulieri non subtrahendam ait Pontifex, est omnis honesta illam iuuandi occasio si qua sese offerat: non autem est illa sustentatio & cura, quæ necessario vxori à viro præstanda. Æquum enim est, vt quæ arctissimo amoris vinculo se viro iungere cupiebat fœmina, cum eam non culpa voluntatisque immutatio, sed necessitas disiungat, adhuc diligatur, omnique honesta & oportuna ratione iuuetur. Bellarm. lib 2. de matr. c. 17. l. 4. de Rom. Pont. c. 12.

Iureiurando.) Per iusiurandum res erat decernenda sed mendosa videtur hic scriptio. Quomodo autem & quando Presbyteris iurandum, declarat breuiter glossa cap. *Quoties. 2. q. 7. & cap. Nullus, 22. q. 5.*

A Pontifice.) id est, ab Episcopo aliquo, qui confirmationis ordinarius minister neque hæc iteranda *c. de homine dist. 5. de consecr. & c. Dictum ibid.*

Duos vel tres calices.) Videntur alicubi plures, tum in altari positi calices, vt communicantium multitudini sufficere posset sanguis Dominicus. Ideoque vel capaciores facti calices, vel ex vno minore in alios, alio decoro positos loco, calices facta consecrati iam vini transfusio. Et hi quibus populo ministrabatur sanguis Domini, vocabantur *calices ministeriales*, de quibus apud Damasum & Bibliothecarium in vita Syluestri & Sixti III. eiusque modi fuit ille, quem Ecclesiæ suæ Rhemensi obtulit S. Remigius his inscriptum versibus:

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro
Iniecto æternus quem fudit vulnere Christus
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Videatur Lindanus lib. 4. Panopliæ c. 56. Et hinc quidem vtriusque speciei vsus colligitur: sed & aliunde speciei vnius priscus etiam vsus habetur. Bellarm. l. 4. de Euch. c. 20. & seq. Steph. Dur. l. 2. de ritibus c. 7.

A Ex huiusmodi autem calicum vel maiorum vel plurium habendorum difficultate, itemque ex ipso transfusionis periculo potuit inter alias neque paucas, neque leues, aliqua etiam esse causa, cur Laicis vna & olim semper vsitata, & postea vsu communi recepta, tandemque præcepta species fuerit.

Nefas est.) Perperam tribuuntur à Gratiano hæc Gregorio I. *c. Addidisti. 20. q. 1.* sed bene ibidem glossa Pontificis huius mentem interpretatur de iis qui ab infantiæ annis in monasteria traditi quidem à parentibus fuerunt, sed postea cum adoleuissent, in eam vitæ rationem consenserunt.

Symbola) *c. Symbolum de consecr. d. 4. c. Catechismi ib. c. Baptizandos ib. c. Non liceat ib. c. Ante viginti ib.* Theodulphus n. 22. *Constitutum est, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis vllum suscipiat* (sic legendum) *neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum, & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas non*
B *perduxit.*

Non in nomine baptizantis) *c. Aliud & c. c. sequentib. de consecr. d. 4.*

Ignorant.] *c. Paruulos de consecr. d. 4.* Illud *testificet*, accipiendum pro *testificetur*, vt supra in aliis pluribus.

Valde fatuum) Imo in pestem sponte vltroque ruere videtur fatuum. Sed loquitur Pontifex de iis, qui certum existimant, si è pestifero loco abeant, omne se mortis periculum euasisse, vt subiuncta innuit ratio. Deinde absurdum, in morbi contagione omnes fugere Nam ægris & pestiferis opem ferre quis poterit? Atque hoc non fatuum modo, sed & inhumanum. Docet alioqui praxis, quæ in varias iam Germaniæ partes ex Italia & Gallia influit, remedium aduersus pestem ne furenter adeo grassetur, non malum esse, si salubrem in locum demigretur: fiatque quod medica illa monet Musa:

C
Dum fera pestis erit propere, longeque, diuque
Integer vt maneas, cede, recede, mane.

Iis tamen excedere haud licet, quos ad ægris tam spiritaliter quam corporaliter subueniendum iustitiæ nexus obligat aliquis; vt ex simili S. Augustini epist. 180. disputatione intelligitur. Et qui iisdem vtrolibet modo veræ impulsu charitatis opitulantur, tanto apud Deum loco sunt, vt si ea in functione sancta moriantur, *martyres* censeantur, vti apud Euseb. l. 7 hist. c. 16. & 17. affirmat Sanctus Dionysius Alexandrinus, ipsumque Romanum Martyrologium die 28. Februarii.

Nisi qui heretici) *c. Quæ dignior 24. q. 1.*

Conuiuiorum) Exempla sunt in S. *Anscario*, de quo S. Romarici vita c. 4. p. 103. in *S. Ansgario*, qui Crantzio referente lib. 1. Metrop. c. 37. Dani Regis commessationes, vt alias, Euangelii promulgandi ergo susceptas molestias ferebat. In *S. Macario Alexandrino*, qui apud Suidam ἱλαρὸς ἦν τοῖς ἐντυγχάνουσι καὶ τῇ χάριτι ... τοὺς νέους ἦγε πρὸς ἄσκησιν: In magno illo *Dionysio*, qui cognomento *exiguus*, de quo lib. de diu. lect. c. 23. Cassiodorus: *Adeo conuiuiis gratanter intererat, vt inter corporales epulas exquisitus spiritualis copias semper exhiberet*: in Francisco *Xauerio* apud Tursellinum li. 2. vitæ ca. 3. in aliis & omnium maxime in perfectissimo recte viuendi speculo Christo Iesu Lucæ 7. & 14. Ioan. 2. & 12. Sophistarum Philosophorumque apud Platonem, Plutarchum, Macrobium conuiuia sapientibus doctisque condiebantur sermonibus, quid in Christianorum? *Xenocrates*, vt misso Laertio, S. Augustini epist. 130. verbis loquar, *Polemonem, de fuge temperantiæ disputando, non solum ebriosum, verumetiam tunc ebrium ad mores alios repente conuertit.* Quid prudens igitur, doctus, sanctusque, si annitatur, Dei concurrente gratia, non efficiat, etiam in conuiuiis, sacerdos? Tam multis tantopere obsunt super mensa sermones mali, nihil proderunt boni? *Oportet*, inquit libr. 1. Saturn. ca. 2. Macrobius, *versari in*

conuiuia esse mones, vt castitate integror, ita appetibiles venustate. & ca 3. *Animus recte institutus in opportunitate docte ac liberaliter colloquendi, interrogandi, & respondendi requiescit.* Seneca libro 2. natur. quæst. cap. 59. *Omnibus rebus, omnibusque sermonibus aliquid salutare miscendum est.* Habent bonorum virorum voces non in templis tantum & curiis seriæ, sed in prandiis etiam & cœnis leniores, & quodammodo remissiores momenti semper & aculei aliquid: ita vt ista illorum parerga valde commendet Xenophon, & in Agesilao Plutarchus, ac libri de Philosophis principio Eunapius, qui addit *finc huius commodi Xenophontis parergis, Alexandrum futurum nunquam fuisse Magnum.* Philo. de legat. ad Caium: *Augustus in conuiuiis memoria retractabat, quæ a Philosophis didicerat, aut ex doctorum veterum, quosdam alebat, consuetudine. Nam cœnæ tempus vt plurimum tribuebatur eruditis fabulis, vt non solum corpus, verum & animæ suis reficerentur delitiis.* *Profecto*, inquit, sermone vigesimoseptimo, de verbo Domini Sanctus Augustinus, *maior est refectio mentis quam ventris.* Atque idcirco litteratos conuiuio adhibebat Macrinus Imperator, vt refert Capitolinus: Ipse vero sanctus Augustinus, mensam suam *sacra semper vel lectione, vel disputatione condiebat*, vt inquit die 28 Augusti lect. 5. Breuiarium Romanum. Optime vero conuiualium vtiliumque sermonum omnium vicem interdum fungitur *Lectio*, de qua ad illud citatum S. *Romarici vita* caput 4. De contrariis vero sermonibus D. Augustin. homil. 6. de verb. Domini, vbi tamen vt conuersantur; paganis blandiendum monet.

Hac vsque] Ex Ingolstadiensis ergo Codicis, vnde hæc; opinione, dicendum foret, tam epistolam 121. quam hanc 126. esse Gregorii II. Attamen illam, vt in margine notatum, tribuit Reuerendissimus Baronius Gregorio III. licet in Conciliorum tomo 2. diserte, vt supra etiam ad epistolam 112. dixi, Gregorio II. tribuatur, & quidem omnium vltima: eodemque modo & ordine citatur à Gratiano *c. Quos a paganis, de consecr. d.* 4 Baronio tamen potius videtur assentiendum. Primo, quia idem tradit Othlonus libr. 1. vitæ S. Bonifacii c. 32. li. 5. Mog. p. 353. Secundo, quia qui hanc epistolam scripsit Pontifex, idem Archiepiscopale misit S. Bonifacio pallium, vt in ipsa refertur epistola. Sed Gregorius III. est, qui illum creauit Archiepiscopum eodem lib. 1 vitæ ca. 31. Tertio, quia notum omnibus in huiuscemodi titulis & numeris errare Gratianum non raro. Quoad posteriorem vero, Ingolstadiensi Codici contra Baronium astipulatur Conciliorum tomus 2. qui hanc Gregorii III. epistolam quartam numerat, & Gratianus persæpe *c. Quod proposuisti 32. q. 7. c. Paruulos. de consecr. d. 4. c. de homine d. 5. ibid.* Bellar. lib. 4. de Rom. Pontif. c. 12. l. 1. de matr. c. 17. & ipsi etiam apud eundem Centuriatores. Hisce tamen omnibus præponderat in ipsius epistolæ fine temporis indicatio, *annus* videlicet *Isaurici Leonis decimus*, eius filii *Copronymi septimus, indictio decima*, cum ante indictionem 14 eiusdemque Leonis annum 16. neque mortuus fuerit Gregorius II. vti testatur Anastasius Bibliothecarius, neque ad Pontificatum electus sit Gregorius III. Ideoque & in huius 126. ora lege sic: *Baron. anno 726. Gregor. II.* Hæc enim eius verba: Hæ *Gregorii II. litteræ sunt, sed male positæ sub Gregorio III. Si quidem ex indictione in ea posita hoc anno 726. esse scriptæ reperiuntur.*

In ep. 128.

T*Hurringis*) Hic & sup. ep. 119. & infra 119. nomina varia mendose leguntur in Conc. To. 2. Et hic quidem nou Thuringi & Hessi, sed illi antea epist. 62. *Tyringe* epist. 98. *Tiringe* scribebantur. *Borthari* vero an Boiarii aut Baioarii? Potius forte sunt Hessis contermini, qui *Borabureg* seu, vt hodie quemadmodum l. 3 Mog. not. 29. notaui, vocant, *Warburg*, Fritzlariæ & Padbornæ fines incolunt. *Nistresi* sunt occidentales. *Neustriam* enim & Neustresiam vocant è scriptoribus aliqui occidentale regnum, quod aliis est VVesterreichia, sicuti è contrario *Austria* siue *Osterreichia* est orientale regnum, vt ostendit Aimonius l. 4. c. 37. Beatus l. 1. F. c. 2. 75. Et hodie Galli *Austrice* vel *Austeso* dicunt pro *Osterreich*: gentiumque nomina terminant Itali etiamnum libenter in *esi*, vt *Francesi*, *Portugalesi*, *Anglesi*. At *VVedrecii* seu vt in Othlono l. 1. c. 37. scribuntur *VVedreni*, sunt VVederaui, quorum *VVederauia* vt Moguntinis vicina, ita & notissima à fluuio scilicet *VVedera*, nomen accipiens. Quæ Catholicam in ea fidem retineant monasteria hodie adhuc aliqua sunt, sed virorum duo potissima; *Elsfeldiense*, de quo superioribus diebus in *Graefsrode* Comitis vita, & *Annesburgense* per quod fluit nominatus paulo ante fluuius *VVedera*. *Lognai* sunt in eodem VVederauia, fluuii, qui *Logn* seu Logana dicitur, accolæ, vt Lichenses. Apud Zosimum *Logiones nationem Germanicam deuicit Probus Imperator*. *Suduodi*, Australes sunt, quasi *Suduuohnr*, id est, Australes habitatores. Quemadmodum apud Tacitum lib. de German. *Ingeuones* putantur mediterranei ac interiores Germani vt apud Bedam l. 5. hist. c. 11. *Middelengi*. Et nisi essent quæ dixi, viderentur hic significari populorum plagæ quatuor: *Nistresi* Occidentales, *VVestdreni* Orientales, *Nordai* Septentrionales, *Suduodi* Australes. Ex his nominibus conflati *Nordmanni*, *Northumbri*, & venti hodie apud Belgas & Saxones, olim vero etiam apud Francos prout scribit in *Carolo Magni* vita Eginhartus. *Graffeldi* demum in Othlono *Grabfeldi* & interdum *Grapfelde*, sicut & in Pithoeanis Francorum Annalibus anno 850. apud Baronium To 9 In editione vero Francofurtensi, cuius citantur verba li. 4. Mogunt p 647. *Grabfelden*. & videntur fuisse, qui agros nouos, excisis, quæ ibi stabant, syluis foderent, hortos, prata, noualiaque facerent. *Graben* enim fodere est, & in ditione Fuldensi ac Eisfeldia, quia *roderen* & *raderen* est stirpes exscindere, ac radicitus euellere, pagi plures inueniuntur, qui in *rod* & *rad* desinant. Est & in Franconia *Runigshofen in Grabfeld*. Illud *vel* omnibus dici pro *&* omnibus dictum supra epist. 75.

Phylacteria) infra epist. 132.

Adipisceri) Tom. 2. Concil. *adipisci*.

D*Anubium*) infra epist. 130. & de loci controuersia lib. 3. Mog. not. 31. p. 306. In ep. 129.

V*Inilo*) Interdum dicitur Vitilus: & qui subditur. Dux *Ottile*, Otilonem vocant alii, de quo in Boicis copiose D. Marcus Velserus. In ep. 130.

Parochias) lib. 3. Mogunt. not. 28. p. 499. ideoque vel in sequentibus legendum, *suam habeat parochiam*, vel *parochium* & *parochia* idem sunt. Sic infra epistol. 131.

Dubium est) supra epist. 112.

Languorum) infra epist. 134 Bene ritéque baptizatis *Confirmationis* tantummodo sacramentum dandum monetur, vt Actor. 8.

Danubii) supra epist. 129.

SI epistolarum istarum bonus ex tempore ordo institueretur, huic 131. anteponeretur 132. & 142. Porro in huius 131. titulo notandum primo pro *dilectissimis nobis* legendum, *Dilectissime nobis*, vt est in Concil. tom. 2. & Bar. Ortus autem ex eo videtur error, quod hæc epistola tribus, quorum in ea mentio fit Episcopis communis fuerit. Sed an ita communis, vt vnum tantummodo eius exemplum Roma missum sit, an tria tribus, seu singula singulis? Illud videtur putare Reuerendissimus Baronius an. 741. & ei pluralis hæc fauet inscriptio. Sed tum non vnius tantum loci Episcopus nominandus foret, verum & alii duo. Deinde infra ep 133. eadem epistola est, sed mutato Episcopi nomine, ita vt appareat, eodem modo tertium etiam exemplum Episcopo inscriptum fuisse tertio. Secundo pro *VVittana* in B. & In ep. 131.

to. 2. Conc. legitur *VVitta*: eſt que ille, qui alias dicitur *Albuinus*, *Albinus & Alboinus*, vt dictum l. 3. Mogunt. not. 19. & l. 4. p. 609 611. 636. Tertio, Iſtud *Barbarana*, nomen eſt illius Eccleſiæ, cui præfuit, vt iiſdem Moguntiacorum locis expoſitum, *VVita* ſeu *Albinus*. Nam ſi ſecundum veterem orthographiam, quæ generali notatione 7. indicata eſt, *bin u* mutetur, habebimus vel *Varnar* vel *Varbar*, quæ hodie *Varburg*, *olim Buriburg* aut *Buraburg* vt li. 3. Mog. citat loc. monſtratum, & hic ep. 132. Ideoque & in B. ſcribitur *Eccleſia Birburgenſis*.

Tranſlatari.) transferri. à *tranſlatum* enim *tranſlatare*, vt à *verſum verſare*, à *curſum curſare*.

Indict. XI.) B. X. niſi pro data legatur accepta.

In ep. 1, 2. VVirzaburg.) è notis in S. Kilianum & lib. 3. Mog. patent omnia hæc.

Lundinenſis.] infra. 140. p. 204.

Kal. Ian.) epiſt. 118. p. 177. Canon pœnitentialis 88. de obſeruantib. Cal. Ian. & Burch. VVorm. l. 1. c. 94. inter 50. lib. 10. c. 16. & 17. lib. 19. c. 5. S. Ambroſius ſerm. 11. S. Auguſt. in pſalm. 98 & to. 10. in frag. de Kal. Ian. S. Chryſoſt. ho. de Kal. Chryſologus ſol. 55. Concil Turon. c. 23. Antiſiod. c. 1.

Si iuxta Romanam vrbem.) Quemadmodum *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, ſic & ad ciuitatis illius mores, quæ, vt libr. 4. ode inquit Horatius, *princeps vrbium* eſt: vt S. Hieronymus in fine comm ad Epheſios, *domina vrbium*, *arx imperii Romani*; præfatione in Ezech. *clariſſimum omnium terrarum lumen*: vt Rutilius, *Regina huius pulcherrima mundi*. vt S. Chryſoſtomus hom. 2. ad Rom. πόλεων κορυφὴ, ... Sed quemadmodum rurſus, qui magnis viris ac principibus gloriæ aliquid detrahere, aut certe per illos ſuam excuſare aut honeſtare volunt improbitatem, omnia illorum vitia identidem aliis recitant, minutula grandiunt, grandia in immenſum tollunt, ita & in Romanæ vrbis fit peccatis. *Falſiſſima* ſæpe illinc afferuntur, *modica* exaggerantur, *magna* ingentia, immenſaque redduntur, vt in hac ipſa ſemel & iterum vides epiſtola: quaſi vero regia vlla hoc in mundo tam pulchra ſit, in qua cloacæ nullæ: domus vlla tam nitida, in qua non vaſa quædam vilia & ſordida, flamma vlla tam illuſtris, in qua fumi aut fumoſi nihil. Fere fit, vt quo multi confluunt homines, eodem multa confluant vitia, vt lib. 1. contra Apionem indicat Ioſephus. Et quamuis hæc vel exhauriantur vel obſtruantur interdum (quod paſtoralis curæ vigil prouidere debet oculus) refluunt tamen ac ſuccreſcunt ſenſim rurſus, prout hoc loco recte indicat Zacharias. Prudentium eſt ad bona quæ Romæ ſunt non pauca oculos animumque aduertere: à malis auertere. *Suum quiſque onus portabit*. Accidit vero ſuperioribus hiſce annis, vt inſignes duo è Germana viri nobiles Romam irent. Catholicus vnus, hæreticus alter, ille templa, hoſpitalia, piorum ſodalitia, bibliothecas, doctorumque virorum domos inuiſebat. Hic aut in cauponis & popinis hærebat, aut alia quæuis omnia luſtrabat. Reuerſi vero cum eſſent, in familiarium conuiuio Romam laudabat vnus, vituperabat alter. Mirabantur è ſimplicioribus conuiuis quidam tantam oculatorum duum teſtium diſcrepantiam. Tum è prudentioribus quidam. *An non*, inquit, *in eundem hortum, ad eundemque ſæpe florem accedit apis & aranea? Sed illa mel, venenum iſta ſugit. & alius ad aras, alius ad haras odor eſt*. Vide Bar. p. 145. & l. 12. *Sed licet. ff. de offic. Præſid.* vbi ſapienter Proculus: *non tam ſpectandum quid Romæ factum ſit, quam quod fieri debeat*.

S. *Auguſt.*] Putat apud Louanienſes Lipſius, ſermonis huius 241. de tempore, phraſin reſipere Seueriani. At S. Auguſtino illorum præciſe tranſcribit iſte Pontifex. *De Phylacteriis* dixi lib 2. Trith. c. 3.

Caragis.) Forte vox fuit Phœnica, cum ea in vulgari illo ſermone ſemel ac iterum vtatur S. Auguſtinus. Apud Græcos quidem κάραγος Heſichio teſte, ſonus eſt magnus & ſtridulus, qualem edere ſolet ſerra. An forte *caragi* ſunt, qui κάρος id eſt, grauem hominibus ſoporem & grauedinem incantationibus quibuſdam inferunt? Caroticam enim habent vim herbæ, carminaque nonnulla.

Longa) B. tempore longo & putat idem Reuerendiſſimus Bar. deeſſe hic verſiculum vnum, ſed ſenſus bonus eſt, etiamſi adſit nullus: *Te doctrina melliflua, piaque gratia perficiat*.

In ep. 131. SVpra epiſt. 131.

In ep. 14. PAtria, & filia.) ſupra epiſt. 130. & recitatur iſta reſponſio c. *Retulerunt. de conſecrat. d. 4.* eidemque ſuffragatur c. *Si non ſanctificatur* ibid & orat. Nam ſæpe hoc è gentium variarum pronunciatione, imo ex eiuſdem etiam gentis varia dialecto fit, vt eadem verba aliter & aliter pronuncientur. Nam vt explicandi cauſa, exemplorum aliquid ſit? ſonare videtur Anglus è vulgo aliquis. *In nomine Patris*: VVeſtphalus, *In nomine Patris, & cat.* Treuir. *In nomine Patris, & Feilies*, Et hodie Sueuorum quidam ad vocabula pleraque addunt *a* vt pro *Nein Neina*, pro *ſtuibeln ſtuibela* & ſimilia vti Conſtantienſes, Vberlingenſeſque norunt. Licet igitur ex recta & germana Latinæ linguæ pronunciatione dicendum non ſit. *In nomine Patria & c.* tamen ex ignoratione, ſimplicique aut dialecti, aut illiterate loquentis vſu, illud idem tunc & ibi valebat, ac ſi diceret; *In nomine Patris, &c.* Et forte ſi nos priſcorum Latinorum aliquis Latine loquentes hodie audiret, vix intelligeret vt oſtendit lib. de pronunciat. Lipſius. Alioqui valde etiam cauerunt Gentiles, ne in precationibus, deuotionibus, augurationibus, votorum nuncupationibus, ſacrificiis, & ſimilibus, verbo aut nutu aberrarent, vti eneſter explicat Mart. de Roa li 6. ſing. c. 2.

Rom. Synodus) De iſta & de hæreticis in ea damnatis egit liber 3. Mog & epiſt. 135. & Baron. to. 9.

Pra velo) De velis multa citarunt paulo ante Roa li. 6. ſing. c. 21. & Baron. tom. 9.

Nomenculator) alias Nomenclator. de quo ſicuti & de *ſacellario*, cuius in fine mentio, agit Onuphrius l. de vocib. Eccle. & Briſſonius l. de vocab. eſtque is, cui *ſaccus*, ſeu *ſaccellus*, de quo D. Auguſtinus conc. 3. pſ. 36. commiſſus: Hodie *Theſaurarius*. In Caroli M. Conſtitutionibus *caſtularius*. hodie *Kaſtmeiſter* à ciſta. in quibuſdā monaſteriis *burſarii*, qui forte ſunt illi, quos Hincmarus epiſt 3. vocat *Berſarios*.

In ep. 135. ORdinarunt) ſcilicet Epiſcopum p. 191.

Cruciculas) epiſt. 134.

ſecretario) *Secretarium* hic ſumitur pro eo, quod alias in Conciliis dici ſolet ſeſſio aut conuentus, & congregatio, prout declarant adiunctæ ſæpius voces, *præteritum* & *futurum* aut *venturum*. Alias eſt locus in templo arcanior, vt apud V. Bedam lib. 2. hiſt. c. 1. Et accepit nomen ipſe, conuentus, quod eo in loco fieret. Apud S. Auguſtinum conc. 2 pſ. 34. *ſecretaria mentis* leguntur.

Epiſtolam qua) Tales è cœlo epiſtolæ commentitiæ plures apud Sigebertum anno 1032. Dodechinum anno 1096. Paralipom. Vrſperg in hiſtoria flagell.

Non plus quam trium Angelorum nomina] *Concilium iſtud Romanum inter concilia edita in Germania, vel in Italia non reperio. Vnde nonnihil nutat auctoritas iſtius hiſtoriæ*, de Angelorum ſcilicet nominibus. Ita quidem diligentiſſimus Magicarum rerum Diſquiſitor noſter ſcripſerat li. 1. c. 4. quæſt. 4 Sed reprehendit ipſemet ac reuocat, vti patet poſt libri ſecundi finem p. 266 Et recte. Quam multa enim Concilia, eaque certiſſima quotidie variis in locis inueniuntur & eduntur, quæ in illis Conciliorum tomis aut Italicis aut Germanicis non ſunt? Hoc tamen ipſum Romanum, in Germania ſane apud Surium in S. Bonifacii vita editum eſt Et quot vitæ huius exemplaria vel prælo vel manu ſcripta exrant (extant autem, vt li. 3. Mog. oſtenſum, non pauca) tot

Concilii huius testes, fidique custodes sunt. Ad sententiæ tamen huius confirmationem addo Concilii Aurelianensis Capitulum 3. quod à D. Burchardo citatur li. 3. c. 198. *Nihil aliud in Ecclesia legatur, aut cantetur, nisi ea, quæ auctoritatis diuinæ sunt, & Patrum orthodoxorum sanxit auctoritas: Nec falsa Angelorum nomina celant, sed ea tantum, quæ Prophetica & Euangelica docet scriptura, id est, Michael, Gabriel, Raphael.* Habuerunt quidem Esseni, vt ex Iosepho tetulit li. 3. Trihær. c. 4. p. 218. *arcana* quædam *Angelorum nomina*, sed quæ illa fuerint, non est memoriæ proditum. Videatur epist. 144. & Comm. in Tob. 12. q. 11. & seq.

In ep. 138.

Z*izaniam.*) In B. *vt spiritualis sarculo eradicare possis zizania.* Sed quemadmodum Plautus Sticho, Næuius Maecho, & Lucilius Satyr. l. 21. *labeam*, Sisenna l. 4. hist. *fluuiam*, sic & Pontifex dicere potuit *Zizaniam.*

In vertente.) B. *Ad reparandum Ecclesias vel Monasteria plus non potuisti, quam vt vertente anno.*

Denarii.) B. *denarii.* Sed vt supra in epistol. 90. Nam 12. denarii solidum efficiunt supra ep. 78. p. 113.

Instar.) id est, exemplum.

Geoleobo) B. *Gevvilibobo*, de quo plura l. 2. Mog. c. 20.

Apud nos.) B. *ad nos.*

Omni anno.) sup. ep. 137. & 140.

A Deo cor.) non in B. sicuti nec illud paulo post *anno V.*

Sexto) Legendum putat Baronius, *octauo.*

In ep. 139.

S*ynodo.*] supra ep. 132. & apud Gratianum c. *in Synodo.* de consecr. d. 4.

In ep. 140.

Augustinus.) Beda li. 1. hist. & 2. c. 3. 4. 5. 6. 7. de Honorio c. 18. de Theodoro l. 4. c. 1. vbi sic: *Theodorus natus ex Tharso Ciliciæ, vir & sæcularis & diuina litteratura Græce & Latine instructus, probus moribus & ætate venerandus.* Subditur ibidem quomodo in Angliam & in ea præclare quanta gesserit c. 2. & 5. 17. ac deinceps.

Vitam.] F. vicem, vt supra sæpius, & hac ipsa epistola p. 208.

Malignatur) Recte notat Reuerendissimus Baronius conatum inter sanctos viros discordiam serere diabolum, vt vel sic Euangelii propagationi obstaret. Ideoque ista de *Virgilio* cum accepisset S. *Bonifacius*, Pontifici nunciauit, falsa quidem: simpliciter tamen ac fideliter. lib. 3 Mog. not. 35.

Sub terras.] Esse *Antipodas* tam certum est, quam nos hanc terræ, in qua sumus, partem incolere. Non enim sola illos ratiocinatio, vt olim censuit libr. 16. Ciuit. ca. 9. S. Augustinus, sed experientia etiam; assiduaque nunc ad Indos, Brasileenses & Mexicanos nauigatio indicat. Non igitur hoc peruersa & iniqua doctrina est, sed illud tantummodo, asserere alium esse mundum, ideoque & alios sub alia terra homines, ac idcirco hic legitur non *sub terra*, vt in B. sed *sub terras*, vel certe sub terris, quarum vna scilicet nostri huius mundi sit, alterius altera. Et Philosophorum quidem aliqui, vt Empedocles, Epicurus, Lucretius li. 2. Plutarchus lib. de orat. defic. Anaxarchus apud Ælianum lib. 4. variæ hist. mundos opinati sunt pluiculos, ita vt Anaxarcho illo audito ingemuerit Alexander, de eoque scripserit Iuuenalis:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Sacra tamen Scriptura vnum tantummodo nobis creatum à Deo mondum pandit, vnum Adamum, vnum in vno mundo Christum, vnum humanum genus. Videatur cum alibi S. Aug. tum li. de hæres. h. 77. Albertus M. in 2. p. summæ de homine q. 2. Theologi & Philosophi in 1. de cœlo, Rambam l. *Moreh. Nebuchim* part. 1. cap. 73.

Maguntia.) Mog l. 1. c. 3. & seq.

In ep. 141.

A D hanc sequens respondet epistola, & quæ hic tractentur. patent ex dictis p. 163 Quæ vero hic scripta non sunt, & in seq. tamen explicantur epistola, ea suo ad Pontificem Legato B. Lullo commendarat. S. Bonifacius, vt in principio significat ipse, & postea dum respondet, Pontifex. Non extabat vero, dum ederentur Moguntiaca, hæc epistola, vt habetur, l. 3 p. 4 4. in cap. 14. lib. 2. vitæ S. Bonifacii titulo.

In ep. 142.

I*niuncte.*) B. & Tom. 2. Concil. *iniuncta.* Sed forte loquutus Pontifex quasi diceret, *quæ iussi fuerunt.*

Pyttacio) Tom. 2. Concil. *pitacio*, B. *pittacio.* Recte vero tam πυκτίκιον quam πιττάκιον scribitur, estque propne panni frustulum, & per similitudinem, indiculum aliquod membranaceum, aut chartaceum. Sed illud à complicando ducitur, hoc vero etiamnum apud Hispanos & Aquitaneos, exigua cum inflexione, vsitatum *pedaco* & *pedas*, apud Galios *vne piece.*

Lepores.) Tres hic nominantur terrestrium animantium quibus vesci non liceat, species, *fibri, lepores, equi siluatici.* At horum tantummodo equorum in B. est mentio sic: *Equs etiam syluestres multo amplius vitandi.* forte *siluestres*, aut *siluatici.* & de iis actum supra epist. 121. Sed quid *inter quadrupedes glires prima lepus*? An vetitus? Iudæis quidem fuit vetitus Leuit 11. 6. Deut. 14. 7. Christianis non item, vt omnium vbique vsus monstrat. Ideoque vel hic, prout in Baroniano est, locus legendus, vel quia cum Ingolst. Codice consentit Concil. Tom. 2. dicendum huic Pontificis legi nihil, à principio statim, loci datum, vel contrario certe vsu eam antiquatam. Si enim Apostolica illa Act. 15. de botulorum aliorumque sanguine farctorum esu euanescere potuit, quanto hæc magis? Et hoc fieri potuisse ac licuisse videtur ipsemet innuere Pontifex dum subiicit; *Attamen sis de omnibus è scripturis sacris bene compertus es, id est, comperisti*, vt supra dictum ep. 54. quasi diceret: *Nosti è scriptura, Iudæis fuisse hæc prohibita, Christianis libera: fac quod bonum, & hoc tempore, & illo suo loco videbitur expedire. Putassem ab his alioquin abstinendum: sed non impero.* Cum Suriana tamen in margine notata lectione consonat Baronius.

De igne Paschali.) Est hodie Paschalis quibusdam in locis ignis. qui vocatur *Osterfevver.* cuius ab resurrectionis Dominicæ gaudio, nostræque per illam allatæ certa spe vel alia quapiam causa non mala, vt lib. 3. Mog. not. 21. videtur fluxisse initium, licet passim Christiane alicubi rixarum pugnarumque flammas nunc spargat. Sed de isto non est iam sermo, verum de illo quo paschalis accendi solet cereus sabbatho magno. & de eo Honorius in Gemma animæ lib. 3. cap. vlt. Alcuinus de diu. offic. cap. de sabbatho Paschæ. Amalarius Fortun. l. 1. de Eccl. off. c. 26. Videtur vero è sequentibus ea quibusdam fuisse opinio, vt ignis hic è crystallis aut certe speculis, quæ solares radios excipiunt, scintillasque & flammas accendunt, eliceretur. At de hoc *nullam*, inquit Pontifex, *habemus traditionem*, quæ optima plurimis in rebus magistra. De illis vero speculis & *Optica*, & *Bacho, & Io. à Porta.*

Regio morbo.) Hinc & è sequentibus apparet, quam rudis, & medicinæ, prudentiæque politicæ indiga fuerit Germania, è qua huiusmodi quæstiones ad Pontificem referre oportuerit.

Rabidis lupis & canibus.) Quoad *verba*, illud, *ne furentes & mordentes*, accipiendum de ipsis animalium quæ nominantur, speciebus, *ne* scilicet *equi canesue à rabidis morsi* furiant, aliosque mordeant. Quoad *rem* vero, Pontificis consilium optimum est, non eorum qui aut rabiosi iam sunt, aut à rabiosis commorsi, respectu, sed aliorum, ne in plures grassetur, pluresque lædat malum. *Ad me[illegible]um vero vnicum*, ait Plinius libro 8 capite 41. *remedium oraculo quodam nuper repertum: radix siluestris rosæ, quæ cynorrhodos appellatur.* Sed apud nos Christianos in Gallicis præsertim Belgicisque partibus

aliud pridem diuinitus concessum remedium, *sancti* scilicet *Huberti suffragium & reliquia*, quarum energumenis etiam, vsus & efficacitas maxima in Ardennensi eiusdem Monasterio. *Morsis vere* inquit idem c. 40. Plinius, *lethalis aqua metus*. Nam *morsum illum non continue*, inquit Mich. Glycas Annal. par. 1. p. 87 *quidquam secum affert ægritudinis aut molestiæ, præter eum, qui ex ipsa sentitur, dolorem. Verum deinceps morbus accedit, quem hydrophobiam, ab aqua metu vocant. Qui enim à canib. rabiosis morsi sunt, aquam reformidant, siue illam intueantur, siue propius accedant*. Sed huius aliorumque rabiei huius symptomatum causas indagat cum *Glycas* ipse tum apud eum *Rufus* & *Paulus Synopensis*. *Bartholom. Angl.* de prop. 67. *Auicenna* lib. 4. fen. 6. tr. 4. a. 5. & 7. *Plinius* lib. 2. c. 40. è quo tamen duplex oriri potest dubitatio. *Vna*; Galenus lib. vlt. κατὰ τόπους, & Aphrodisæus *solos* in rabiem agi *canes* docent. At ipse Plinius l. 8. c. 41. id *equis* etiam tribuit. Et hoc verius, quia & hic à Pontifice ac S. Bonifacio iunguntur equi canibus, & assentiuntur Porphyrius Hierocles, Auicenna loco cit. c. 6. adiungens vulpes, mustelas & mulos. Brod. l. 3. c. 9. *Altera* cum vnicum lib. 8. c. 41. tradat ex oraculo, vt dictum est, remedium, quomodo alia tradit, l. 29. c. 5. & quidem complura? Sed nimirum præter hæc tum vsitata, illud etiam oraculo editum fuit, vel forte posteriores Plinii curæ esse voluerunt sapientiores. Et curandi etiam modos plures tradit l. cit. c. 9. Auicenna.

Benedictionibus.) An illas intelligit, quæ mulierculis etiam nonnullis, & iis, qui apud Hispanos interdum *saluatores* vocantur, vsitatæ? Nam istiusmodi apud nos *Segen* dicuntur, de quo ipsis multa Franciscus de Victoria Relect. de Magia ad 2. & nuper Martinus noster Delrio lib. 3. Disquisit. Mag. p. 11. q 4. f. 7. Vide hunc eundem l. 6. c. 11. f. 1. q 2.

Milone.) Gregorius II. ep. ad Turpinum ait Milonem hunc *sola tonsura Clericum fuisse, nihil sapientem de ordine Ecclesiastico*. & de eodem Hincmarus ep. 6. c. 19. *Milo quidem tonsura Clericus, moribus habitu, & actu religiosus Laicus, Episcopia Remorum ac Treuirorum vsurpans insimul per multos annos pessum dedit*.

Lardum.) Putant aliqui concessum à Pontifice hic laridi cocti esum in quadragesima, quia subdit posse incoctum comedi post Pascalem festiuitatem. Et aggerunt alias etiam rationes. I. quod lardum caro non sit, vt Philosophi & Anatomici docent: & in iure Canonico etiam correcto *c. Presbyter d. 82.* clare distinguitur caro à sagimine hisce verbis. *Dominicis & præcipuis festis modico vino, & pisciculis atque leguminibus recreetur sine carne & sagimine*: & paulatim infra; *Vino & sagimine, ouis & caseo iuxta canonicam mensuram vti poterit*. Et carne tamen vti non poterat. 2. In eiusdem c. glossa sic est: *Arg. quod licet comedere de sagimine illis diebus, quibus oua & caseum licet comedere. 4. dist. Denique* 3. In margine vero loci eiusdem sic: *Sagimen & lardum die veneris comedere licet*. Sagimen vero vocant Canonistæ saginam, adipem, & pinguedinem animalis, & citant quidam l. 6. c. 38. Columellam, quasi animalia nonnulla sagimine aiat strangulari. cum illic alii hodie legant *sanguine*. Sed 4. Syluester V. Ieiunium §. 16. *Cuicunque* ait, *conceditur vsus ouorum & casei, concessus intelligitur vsus sagiminis sine lardi c. Presbyter dist. 82. & ibi gl. & idem Panormitanus in c. Consuluit de Iud a. licet tunc non sit licitum vti carnibus: quia quasi mutando formam, videtur res substantia commutata*. Similia etiam summa Angelica V. Ieiunium §. 5. verbis tamen paulo paucioribus. & Mart. Viuald. Alph. in Candel. Aureo de præcep. Eccl. p. 4 c. 3 his 5. Est hodie in vsu Carthusianis & non paucis in Belgio Catholicis aliis, quadragesimali tempore porcum edere marinum. At is infumatum adeo lardum refert, vt qui eius ignari sunt, illum ab hoc neque aspectu; neque gustatu distinguant. 6. In Hispania vsitatus intestinorum esus est. 7. demum. In quibusdam etiam Monasteriis audito, vt butyri, quod his in locis quadragesimali tempore non inconcessum, parcatur sumptibus, anserinum vsurpari adipem. At laridi par vtrique ratio.

Sed sane de ciborum in quadragesima, diebusque aliis nonnullis delectu, licet antiquissima, & ab Apostolica ducta æuo sit lex, vti ostendit lib. 2. de bonis operibus c. 5. & 7. Bellarminus, humana tamen est, quæ modificationem, interpretationem, & laxationem vel astrictionem pro locorum, temporum, personarumque varietate potest admittere, vt ex legum istiusmodi natura de qua egi alias, libello de legibus num. 4. & sequentibus patet, apud Diuum Thomam 1. secundæ, quæst. 97. Gratianum dist. 4. Ideoque potest *care*, cum ab ecclesia certis diebus vetatur, latius & pressius intelligi. Latius quidem, vt significet quidquid in animante quadrupede ac terrestri, bipede ac volatili, aptum esui est ipsæ animantes terrestres ac aeriæ. Nam *caro piscium*, de qua S. Paulus 1. Cor. 15. Moyses Genes. 7. 21 Leuit. 11. 11. generatim vetita nunquam fuit. Pressius, si excipiantur hæc aut illa animantium genera, vt in sua Regula c. 39. fecit S. Benedictus, qui suos quadrupedum tantummodo esu iubet abstinere: si hæ aut illæ animantium partes, vt si alicubi aut lardum, aut interanea concessa sint. Nusquam tamen memini obseruare lardi vsum liberum extitisse, neque id in lege de carnis nomine haud comprehensum Nam 1 c. *Denique d.* 3. *Par est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caseo & ouis* Quanto à lardo magis, quod carnis aut nomine, vt dixi, continetur, aut certe *sementinam* maxime à carne trahit originem. 1. Praxis Ecclesiæ optima est eius legum interpres. At vbinam larido boni vnquã Christiani quadragesimali tempore, aut sextis feriis communiter, absque dispensatione, aut consuetudine, quæ huius vim habeat, *vesci* ausi sunt? 3. Non hic etiam Zachariæ locus id concedit, vt paulo post dicam, & quæ è contrario allata sunt, parum aut omnino nihil euincunt. Nam *ad* 1. iam dixi, aliter apud Philosophos & Anatomicos, aliter Ecclesiasticos & legislatores carnis nomen accipi. Quin & apud illos etiam varie caro dicitur, *pomorum* etiam, vt ait Plin l. 15. c. 4. & alibi, vt in Tob. 6 q. 2. dixi: apud istos vero non distinguitur quidem interdum à carne sagimen, interdum vero distinguitur. si tamen in Hybernensi illo Concilio, è quo est *c. Presbyter* sagimine & non *sanguine* legendum sit, prout in Columellæ citato loco legunt, vt dixi, hodie doctiores omnes. Nam & vox ista *sagimen* alioquin ignota, Latinisque scriptoribus omnibus inaudita: & *sanguine* significabuntur vt Act 15. omnia, quæ è sanguine fieri solent, vt apexabo, & botulus. Deinde potest ea voce accipi non pinguedo quælibet, sed butyrum & alia, quatenus ea cibi alii condiri solent vt illud fins *sagimine* fit, quod dicimus *Vngesch m litz*. Apud Theodulphum, n. 40. *A caseo, lacte, butyro, & ouis abstinere, & non ieiunare dementissimum est*.

Ad 2. negatur bonum esse hoc glossæ argumentum. Quæ enim consecutio, Presbytero pœnitentiam agenti vetatur cum carne, ouis & caseo sagimen. Ergo cuicunque conceditur ouorum & casei esus, conceditur etiam sagiminis? Si hæc bona esset connexio, non fuisset opus postea, quando eidem Presbytero Dominicis diebus remissio quædam fit, vllam sagiminis facere mentionem, sed satis fuisset dicere, *Exceptis Dominicis & præcipuis festis, in quibus vino & ouis & caseo iuxta canonicam mensuram vti poterit*. Ouorum enim & casei permissio ipsam quoque sagiminis permissionem importasset. At quia vere non importat, ideo diserte appositum, & *sagimine*. Neque vllo modo sequitur; in ieiunii seu ciborum delectu conceditur hic aut ille cibus. Ergo etiam ille & ille v. c. conceditur illis butyrum. Ergo & caseus, vel contra; Conceditur lac Ergo & oua. Nec apud Medicos quidem hæ valeant consequentiæ. Sed quæ conceduntur, exprimi debent omnia licet recte tum in quo-

libet

libet istiusmodi concesso intelligantur omnia quæ ex illo, sine alterius, quod adhuc vetitum est, admistione, fieri possunt vt si lactis facta concessio sit, erit & omnium, quæ è lacte, sine carnis, oui & similium adiioctu, concinnari possunt. Et hinc apud Heluetios & Sueuos vsitata illa in quadragesima imperfecti casei species, quæ carnis coaguli habet nihil, ab iisque vocatur Ziget, & accidentium ratione varius est v.c. albus, viridis, durus, mollis.

Ad 3 dico tantum significari breuiter, quod in glossa videtur dici, nisi quod opponitur *laridum*. Sed si glossa negata est ad 2. multo magis otaria hæc ootatiuncula.

Ad 4. cum citati auctores solis iam reiectis aut rationibus aut glossis nitantor, merito reiiciuntur & ipsi præsertim cum non desint, qui iis oppoðantur, alii vt Tabiena, & ipsemet si recte expēdatur, Viualdus. Nam t loquitur de lardi vsu tantum sextis fetiis, & tantum apud quosdam populos, qui oleo carent, 2. subdit. *A quo* (lardo seu porci sagimine) *abstinendum est, vbi consuetudo non viget.* 3. Rursum infra. *vbi non esset plena consuetudo, hu* (lardo seu porci sagimine) *vtendum non esset.*

Ad 5. Porcus ille animal est aquatile seu piscis, nec refert, ab ignaris in colore ac sapore interdum ettati. Quam multa valde similia sunt? Pro lepore vulpem, aut felem esitarunt quandoque nescii aliqui & chymicum autum germano auro, adulterinum argeotum vero argento simillimum est: natura tamen & vis longe alia.

Ad 6. per dispensationem id fit.

Ad 7. per abusum id fit, sicut & alia hodie non pauca, præsertim vbi circumcirca hæretici noo lardum modo, sed & omnigenas carnes impune lurcant.

Nunc ostendo de hac in qoadragesima lardi esitatione Pontifici nullū hic sermonem esse. Primo enim quæstio ei à sancto Bonifacio posita non est. An hoc liceat; sed *post quantum temporis debeat lardum comedi.* Hoa enim à Germanis, apud qoos tum Sanctus versabatur Bonifacius, comedi solebat & crudum & recens. Id semibarbarum & io salubre admodum videbatur. Porcinę siquidem succidiæ, totaque suilla caro, præsertim recentior, humoris ac socci nimii plenior est, lepræque (vt Gentilibus etiam, qui ante carnium istatum abstinentiam, Iudæorum quam plurimos leprosos apud Iosephum lib. contra Apionem, fuisse mentiontur, visum fœcundior, de quo etiā l.4 Symp. Plutarch. id intellexerat Sanctus Bonifacius, Germanisque suis vel imperare vel suadere cœperat, ne incocto teceoque lardo vescerentur. Hinc exorta dobitatio, *quanto igitur tempore post mactatum suum, expectandum foret. ve crudo illius lardo vescisas foret?* Atque hoc torum ista quæstione quæritur. 2. Respondet vero Ponnfex 1. se nullum præceptum, sed consiliū tantummodo dare. 2. id autem esse, vt illod non comedatur, priusquam fumo affluentiores eius humores siccarentur, aut certe igni & coctione, si quidem recens concedere adhuc vellent. 3. Si vero incoctum omnino adhuc vellent, nec à pristina feritate, crudioreq; consuetud. oe penitus deduci possent, expectarent saltem Paschale tempus. Cum enim hyeme vel adulta, Nouembri ac Decembri porissimum, mactari soleant porci, quatuor minimum aut quinque menses, iisque fere frigidi, qoibos in ædibus & ignis & fumi plus; dabantur ex siccando exsugendoque larido, ita vt post tantum temporis fere iam semicoctum aut pœne coctum videri posset, ac simul isto modo inducebantur iidem Germani, oe quadragesimale tempus laridi sui esu violarent. Hęc hoc loco Pootificis Zachariæ seorentia est, cui etiam adhuc Thuringi, Vvestphali, Hessi & alii, qui crudo etiamnum lardo libenter vescuntur, motem gerunt. Nā hybernas illas succidias ante Pascha, &, vt alicubi loquuntur, ante primos cuculi cantus, non at-

tiogunt. *Degradatio-em.*] Est & S. Augustino vox hæc vsurpata, & apud S Hieronymum epist. ad Pamm de erroribus Ioan. Hieros. *regradatus* dicitur, qui ex altiore ad inferiorem deuoluitur officiorum gradū De ipsa vero re inspici queat Græcorum liber, qui *διατάξις* dicitur, & Emanuel Malaxus pag. 171. & 175.

Aptis temp.) Nauarrus Man. c. 25. n. 70.

Persecut. Pag.) D. August. epist. 80. D. Ath. l. de fuga.

Rotulo) Apposuit per exegesin Baronius, *id est, in volumine.*

Vndecimo] Noo in B.

NOta Lector, in numero hic, & deinceps ab operis erratum. Dooec vero correctio fiat, vocetur hæc 142. *posterior.* In ep. 142.

Villulas] supra 122.

Purum (l. ricum] *purus Clericus*, id est, qui tantū clericus est, noo Episcopus, non sacerdos. Et hæc hodie in Theologorom scholis vsitata phrasis, vt *purus homo, purus pan is*, id est, tantum homo, tantum panis. Quod iopuri Nouatores dum irrident, veterum puritatem irrident.

Neque vnam.) Cœlibatos io sacerdoribus, aut post matrimonium, eius quo ad thorum dissolutio & perpetoa castiras.

Sui] Eius scilicet, qui eam nunc vxorem habet, non a uunculi, qui hanc habuerat.

Vobis nonp.) supra ep. 1,

A Deo cor. m. Imp.) oon in B. sed post annum 24. additur, *imperii eius anno* 2.

GRimo.) Aimoinus l 4. c. 15. & seq. epist.

Abel.) Molanus io Iodiculo sanctorum Belgii p. 7 hunc ait ex primis Lobiensis Ecclesiæ de qua supra epistol. 78. Abbatibus ordioarum fuisse Episcopum pro ordinatione & plantatione Ecclesiarum Dei, & vocari Archiepiscopum Rhemensem (vt sane hic vocatur) quod non Rhemensem Ecclesiam gubernarit, sed quia iti ea metropoli Archiepiscopus fuerit titularis ad infidelium conuersionem. Et hinc paulo infra, pro solo Grimone petitum à sancto Bonifacio pallium. Fuit vero *Abel*, aono 1409. cum aliis sanctorum corporibus, Binchium, quod est Hannoniæ opidum, translatus. Vide etiam Arnoldum Vvion lib. 3. f. 263. In ep. 14.

Sennis) Senonensem esse vrbem suspicor, sicuti & ex isto Ing exemplari vides, me in Mogunt. Indice non infeliciter coniecisse, *Rodoniam & Remoram*, quæ in Othlono scribebantur l. 2. c. 12. Mog. l. 3 p 4ri. esse *Rothmagum & Remos.* Sed de his iisdem iterum epistol. 144. & in Caroli Magni vita legimus etiam *Rodomum.*

Simoniacam hæresim) De Simonia io Canonico iure t. q. 1. & x. de simonia itemque in iis, qui Casus tractāt, vt Nauar Man. c. 23 n. 99. & seq. in Dionysii Carthos. libris duobus valde multa. Hic tantum ex D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1 ad 1. ooto, dupliciter *hæresin* vocari *simoniacam.* 1. *proprie*, quando scilicet quis mente ac voluntate Simonis Magi dogmata vel omnia vel aliqua certe velut vera & bona suscipit ac tuetur, & sic Petr. Damianus epist ad Alexand. 2 ann. 1064 apud Baron. tom. 11. 2. *improprie* quando eorum nulla vera quidem & bona credit, quorūdam tameo exterius opera exercet, ita vt interiorem assensom ac voluntatem profiteri videatur. Et hoc modo quicunque aut vendunt aut emunt spiritale quid aut spiritali annexum. *Simoniani hæretici* appellantur. Quemadmodum eoim *religiosus* dicitur, *proprie* qoidem is, in cuius voluntate religio est, *improprie*, qui interiore illa Religione caret, eius tameo exteriores edit actiones; ita irreligiosus, infidelis ac hæreticus bifariam dicitur. Sicque improprie videmus interdum in Gallia, Italia & similib. locis Lutheranos aut Hogonottos vocari, qui etiam

Zz 2

si animo sectas istas improbent, earum tamen opera quædam faciunt, v. c. Missæ sacrum Dominicis diebus omittunt: feriis feriis carne vescuntur & similia. Exempla vero eius, & *Nicolaitarum* similiter acceptorum hæreseos, mirasque detestationes è Petro Damiano, Desiderio, & aliis refert Baronius tom. 9. post annum 1050. Eodemque modo dicitur seq. epist. *simoniacus*.

In epist. 144. **S***imoniacum.*) Adelberdum intelligit, de quo supra ep. 135. 139.

Aug. nom.) supra epist. 134.

In ep. 141. **B***enedicti*) Deest hoc in Baronio nomen, sed è contrario in fine additur hoc: *Vale in Christo semper amantissime Pater.*

In ep. 147. **O***pe.*] Menda, quam emendabit alio è Codice alius.

Storastyracem.) An confictum nomen, *cerastyrax*, quod ceræ instar styrax quidam fit? Vide Plin. l. 12. c. 18. & 26. l. 24. c. 6. & 7.

In ep. 148. **G***emmali.*) Hoc in B. nomen deest tam in hac quã sequente epistola: & hanc quidem collocat anno 745. sequentem vero anno 742. In vtraque *cozumbri* mentio est, sed aliqua in scriptione varietas est. Hic enim *cozumber*, in sequenti *coczumber*, apud Baron. in vtraque *cotzumber*. Quid vero proprie sit, nondum plures licet interrogarim, comperi. Apparet hinc tamen preciosum suffimenti genus fuisse, quod vt sequenti ait epistola Sanctus *miri odoris ac fragrantiæ esset*, quod in templo, dum sacrosancta *missarum solemnia* fierent, aliæque *matutina* ac *vespertina* funderentur *preces*, incẽdi ad Dei honorem, piamque sacrorum magnificentiam solebat, & hac in epist. 148. distinguitur à cinamomo & costo. An styrax est? Nam & cum duobus illis iungebatur hic sup. epist. 147. An quasi *cochazumbri* est? Nam Arabibus Medicis *cocha* suffimentum est, & *zumbri* cortex odoratus, de quo Isaac Abenamaran. Ab illo autem suffimento sunt apud Pharmacopœos catapotia seu *pilula cochia*, quæ fumo quasi suo catarrhos dissipant.

Sancti Gregorii,) Vide quid studiosissime petere, ac vndecunque conquirere solebat S. Bonifacius, libros nimirum & eos maxime Patrum ac Sanctorum, vt hic epistolas S. Gregorii. Sed de hoc supra epist. 22. & sequent. 50.

In ep. 151. **F***ulda.*) Not. 36. l. 3. Mog.

Atque hæc in Sancti Bonifacii epistolas notanda nunc visa sunt, per quem, omnesque ipsius aut successores, aut filios in Christo germanos ac non degeneres, qui ad hodiernum vsque diem fuerunt, sunt, & deinceps voquam erunt.

Sit

GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIritui sancto: Sicut erat in principio: Et nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

CHRONICON

HIPPOLYTI THEBANI,

NVNC PRIMVM EX CODICE M. S. Bibliothecæ Serenissimi Maximiliani Principis Bauariæ, &c. **editum**

Ab

HENRICO CANISIO SS. CANOnum Professore Ingolstadij.

EX HIPPOLYTI THEBANI, CHRONICO commentario.

A Christi natiuitate vsque ad Magorum præsentiam, anni sunt duo. Et à fuga in Ægyptum, vsque ad mortem Herodis filii Antipatri, anni tres, dies quinque. Habitarunt autem in Ægypto Heliopoli, quæ ad Memphin, Ioseph & Maria cum Iesu, annis tribus, dies 10. Post ipsorum vero regressum, vt in Galilæa habitarent, vsque ad mortem Archelai, anni sunt 9. dies 1?. vna cum Archelao Augustus quoque moritur. Vixit vero annis 88. & imperauit annis 56. Ab Archelai porro morte, vsque ad Christi baptismum, quem à Ioanne in Iordane accepit, anni sunt 36. dies [illegible]. A baptismo, vsque ad Zachariæ lapidationem annus 1. Interea enim, dum sacris ipse operaretur de more, lapidibus iactis, & in caput contortis, eum trucidarunt: corporeque raptato, in valle Iosaphat suspenderunt. A Zachariæ autem lapidatione, vsque ad Ioannis filii ipsius mortem, sub Herode iuniore, Archelai F. in carcere patratam, annus vnus. A morte Ioannis, vsque ad salutificam passionem, menses 6. Triginta enim & sex annos Ioannes Baptista vixit. Triginta quidem annis versatus est in deserto: aliis vero 6. in Iordane baptismum administrabat, prædicans pœnitentiam, Sic Dominus Iesus Christus, trigesimum ætatis suæ annum agebat. Post baptismum vero receptum, adsciuit sibi, delegitque discipulos, cum iisdem suum regnum promulgans vsque ad salutiferam passionem, annis tribus. Idcirco Nicænæ Synodi trecentorum duodeuiginti diuorum patrum Canones, iubent, decernuntque, vt ante annum 30. nullus in presbyterorum allegeretur ordinem, sufficit enim, aiunt, discipulo, vt sit sicut Magister ipsius: & seruo vt sit sicut eius Dominus.

A salutifica vero passione, & ascensione Christi, vsque ad S. Stephani primi Martyris lapidationem*, vsque ad lucem, quæ Saulo visa est, eique apparuit, menses sunt 6. atque à luce, quæ ipso Saulo apparuit, & ab eiusdem baptismo, & prædicatione, vsque ad S. Mariæ Virgin. assumptionem, anni 3. dies 44. Vixit autem in terris sanctissima Deipara, & Virgo, annis 59. Et hoc quidem pacto: In templo annis 14. in domo Ioseph, mensibus 4. statimque salutata est, & diuini partus internuncium à Gabriele Archangelo accepit, & cum concepisset Dominum nostrum Iesum Christum, peperit eundem 25. Decembris die, annos nata 15. Vixit vero Domino nostro Iesu Christo, in humana natura hic viuente, annis triginta tribus. Post Domini autem assumptionem, & ascensionem, cum ipsius Discipulis, in domo Ioannis

Euangelistæ, vixit annis 11. dies . . . . sunt vero anni omnes vitæ ipsius Virg. & matris vnde sexaginta. Hic porro ipse est Ioannes, quem diligebat Dominus, qui Virgo fuit: & qui Euangelium conscripsit, quique perstitit Hierosolymis in S. æde Sionis dicta templorum omnium matre, hoc ipsius erat domicilium. Illuc igitur Apostoli propter metum Iudæorum confugerunt. Illic foribus clausis, discipulis suis apparuit Dominus, posteaquam à mortuis exstitit: & S. sanctum, & pacem eisdem dedit. Illuc die octauo Thomam nutantem certum reddidit Dominus, lateris sui plaga, & clauorum forma & effigie demonstrata. Illic Domino Seruatori nostro Paschalis agnus, quem cum suis ederet Discipulis, fuit apparatus. Etiam inde hymno dicto, in oliuarum montem, in locum Gethsemani dictum, egressi sunt. Ibidem primo S. Eucharistiæ mysterium confecit Christus, suisque Discipulis tradidit, mysticumque cultum edocuit, & tonsura data in clerum asciuit, benedictionis beneficium impendit, sacris Ordinibus initiauit; totam omnium arcanorum, quæ in mandatis dabat, & maiestatis suæ seriem exposuit, gloriamque diuinæ suæ formæ, Beatorumque, à quibus spectatur, spectaculum exhibuit, vt & magnificentiam, ornatum splendoremque Ecclesiæ suæ: Eosdem diuina corporis & sanguinis sui communione dignatus est, vt & Nicodemum sibi & ante post Resurrectionem fidum addictumque, Ibi primarium inter omnia Christi mysteria, mysterium Apostoli peregerunt. Illic Iacobum fratrem Domini, primum Episcopum Dominus & Apostoli delegere; non quidem Zebedæi filium, sed fratrem Domini nostri; Iacobus enim Discipulus Domini, filius quidem erat Zebedæi, Ioannis autem Euangelistæ germanus. Zebedæus autem ipsorum pater, ἰδιοναύκληρος, id est, propriam nauim habens, appellatur. Ex illustribus vero Galileæ viris primas Ioãnes tenebat. Post sui patris Zebedæi mortem, vendidit distraxitque facultates ex hæreditate Zebedæi, & Hierosolymis aliã domum sibi comparauit. Sic igitur recepit Deiparam in domum suam: verbum veritatis Christi Ephesi in Asia prædicans: qui tandem ibidem obdormiuit in Domino, eiusdem nomen & magnalia debitis laudibus prosequens.

Iacobus autem & à Domino & ab Apostolis ordinatus Episcopus, frater quidem Domini secundum carnem esse dicitur, filius vero fabri ex vxore ipsius, quæ domesticæ vitæ curis, & administrationi vacabat: Simonis autem, & Iudæ, & Ioseph frater germanus. Quatuor enim liberos habuit Ioseph, & duas filias, Esther & Martham: ex vxore sua Salome, quæ fuit filia Aggæi fratris Zachariæ, qui fuerat pater Ioannis Baptistæ, Christi prodromi, filii Barachiæ, filii Abia sacerdotis Et tunc quidem viduus erat Ioseph, vt Salome, & Ioannes Baptista fratrum germanorum sint liberi. Etenim Aggæus, Barachiæ filius, patruus erat Ioannis. Zacharias item, frater Aggæi, patruus erat Salomes, quam Ioseph in matrimonio habebat. Salomem autem dico, non obstetricem illam, sed Iosephi coniugem. Obstetrix enim è Bethleem erat oriunda, & ipsa consobrina Elisabeth, & sacrosanctæ Virginis Mariæ. Id quod S. Lucæ declarat Euangelium.

Tres enim sorores erant Bethleemiticæ, sacerdotis Martham filiæ, & vxoris illius Mariæ: regnante Cleopatra Regina, & Sopatore Persa, idque antequam Herodes filius Antipatri regnum Iudaicum obtineret: Nomen primæ erat Maria: nomen secundæ, Sobæ: tertia dicebatur Anna. Prima nupsit in Bethleem, & Salomen obstetricem genuit. Altera ibidem nuptui fuit tradita, & Elisabetham peperit. Tertia in Galilæa nupsit & Mariam Deiparam genuit: vt Salome, & Elisabeth, & sancta Maria Deipara trium sororum sint filiæ. Atque hinc Ioannes Baptista, & Christus Dominus noster, consobrini esse dicuntur: filius vero Ioseph esse ferebatur. Quoniam filiorum ipsius frater est, non ex eo solum, quod vna fuerit nutritus, & educatus, verum etiam ex Aggæi fratris Zachariæ cognatione.

Nascitur itaque Dominus noster Iesus Christus ex tribu Iuda, & è semine Dauid, secundum humanam naturam, diebus postremis, 6000. à creatione mundi anno, 42. Augusti Imp. anno, mense Decembri, 25. noctis hora 10. die 1.

Sciendum vero etiam illud, vt à primordio, secundum Hebræam computationem, mundi demonstres originem, tolle, atque aufer, à protoplasto Adam, ad vsque Noë, (sub quo diluuium extitit, suntque generationes decem) annos 2141. simili pacto à diluuio vsque ad Abraham, generationes totidem, anni sunt 1270. Abraham porro annorum erat 75. quando ex Mesopotamia in Chananæam terram commigrauit: ibique annis 25. demoratus, Isaac filium progenuit. Sexagesimum annum Isaac natus, duos liberos, Esau & Iacob, obtinet. Hic Ægyptum cum 12. suis filiis, & nepotibus numero 75. subiit. Habitauit autem ipsius Gens in terra Chanaan, annis 215. deinde Ægyptum cum annis totidem incoluisset, & incremento capto, in 12. tribus esset relata, capita autem computata, mille Chiliades expleuerunt. Leui quidem posteri, Moses, & Aaron fuere. Et hic quidem sacerdotio dignus est habitus. Ille autem ad imperium est destinatus. Qui quidem 80. vitæ anno Erythræum mare ingressus, calcat, populumque Hebræum Ægypto educit. Ille ipse Moyses tempore Inachi in Græcia primo omnium imperantis, floruit. Græcis omnibus antiquiores sunt Iudæi, & leges. Græci, posteriores. Etenim vnum Deum colere, ab iis, qui ætate ipsos præiere, acceperunt, Legum porro constitutio, seu latio, post tres, emigrationis ex Ægypto, menses per Mosen transigitur: Vox vero Dei mortalibus patuit. Morati sunt in deserto annis 40. Sub Iehu naue F. fuere annis 25. sub iudicibus, annis 454 vsque ad regnum Saolis, primi eorum Regis, Sub quo, primoque illius regni anno, Dauid nascitur. Pari ratione etiam ab Abraham, ad Dauidem vsque, generationes sunt 14. annis 1024. Atque à Dauide, ad vsque Babylonis transmigrationem, totidem sunt generationes, anni 609. A transmigratione in Babylonem, vsque ad Darium, anni 25. Et à Dario ad Iesum filium Iosedec, anni 60. Atque ab Iesu Iosedec F. vsque ad Iesum, qui dicitur Christus, anni 509. Hanc rationem sequentes, calculatione annorum omnium facta, ab ipso protoplasto Adam, ad Christum vsque annorum quinque millia quingenta reperiemus.

Hoc igitur pacto nascitur Dominus noster Iesus Christus, imperii Augusti 42. mense Decembr. 25. die prima, noctis hora 10.

A Christi autem assumptione, seu in cœlos ascensu, ad vsque Constantinum Magnum Imp. virum pium, Deique cultorem anni sunt 297. Quibus aberrarunt nonnulli Christiani, Pascha cum Iudæis celebrantes. Diuinissimus autem Imp 12. Imperii sui anno, condita, suoque nomine donata vrbe Byzantii, primaq; contra stulte sapientem Arium, facta atque instituta Synodo, cum 318. diuinos Patres, vel potius Patriarchas collegisset; Romanum scilicet, Alexandrinum, Hierosolymorum, & Constantinopolitanum Metrophanem. Episcopos: qui quidem in Bithyniæ prouincia Arium, & vna cum eodem sentientes, sententiis suis, & anathemate perculerunt, fidemque Catholicam liquide, pureque proclamarunt. Tunc sane, tunc cum sanctos Patres & Patriarchas accersisset, vt in vrbem regiam ingrederentur, & orationem supra vrbem à se conditam funderent: Postmodo requisiuit, quo pacto Pascha celebrandum; & quæ posteris generationibus tradenda methodus, ne in manifestũ, notabilemque lapsum deueniretur. At illi, disputa-

tione, disquisitioneque facta, initaque, temporeque non modico illic commorati, à Deo per Angelum viæ eiusce modi obtinere potuerunt oraculum: Id autem contra tredecim periodis siue reuolutionibus, ortis à primi seculi primordio, & in ipso sex millesimo, decimo sexto anno desinentibus. Enumerando igitur has periodos, decima completa est anno 5520. Deincepta autem vndecima periodo, 186. anni abierunt, & humanā naturam induit Dominus noster Iesus Christus, vt liber Nicomediensis & Metaphrastes habent. Magnus vero Basilius dicit: Ipso quinquies millesimo quingentesimo Dominus noster Iesus Christus nascitur. Itaque ex supra dicta vndecima periodo supersunt anni sex. Reliqui Scriptores, vt Eusebius Pamphili, Eustathius, Georgius Chronologi, & alii 180. duntaxat annos putant & statuunt. Alii, annos *..... Triginta tres annos in mundo & hac vita versatus, & commoratus, & propter salutem nostram mortem passus, 23 Martii fuit cruci affixus. Die 24. sepultus, & 25. resurrexit, die prima, nimirum Dominica: Velut Metaphrastes declarat, & Nicomediensis: seu vt cæteri, Aprilis 21. die à mortuis exstitit. Equidem fidem habeo sententiæ Domini Simeonis: quippe mundi huius molitio ab 22. Martii mensis initium accepit: lux item (solis) qua metimur omnia, eiusdem mensis 25. quarto die fuit condita diuinitus. Hinc enim quater decem & septies decem, cum quinquagesimus numerus sunt in honore. Et attente considerandum est: Quoniam Deus diuina sua sapiẽtia, in 7. sæculis mundum fundauit: septemque diebus est fabricatus, & de Cain dedit vltionem septies, de Lamech antẽ septuagies septies. Enoch septimum transtulit, velut eum, qui Deo placeret: Abraham etiam à mundi constitutione, multarum gentium patrem declarauit: & ipse Dominus septuagesimus septimus ab Adam numeratur. Etiam Pentecoste, seu Quinquagesima iubilæi (*anni*) (remissionem dixeris) idcirco est in honore. Septimo quoq; mense solemnia illa sacrificia peragebantur.

*..... Lacunæ est vel obsoletæ antiquitatis vel negligentiæ librarii.

Quod si voles, & circa solis, lunæque cursum, reperire dimensionem, cape periodum, & subduc per septies decem, perque quater decem, per Solis & Lunæ dimensionem; idque tuto, citraque lapsum probabis. In gyrum autem, & orbem volue, quæ intus scripta, & notata sunt, & inuenies orbis conditi annos, ad Christi vsque aduentum: Et posthæc rursum, Christi pro nobis hominis facti genealogiam, & Solis, ac Lunæ periodos, paschalesque incipientes, & instantes terminos prout sub Constantino descripti sunt.

NOTÆ

AD CHRONICON

HIPPOLYTI.

Hippolyti Thebani, quem nunc luce donamus meminit Epitome Gesnerianæ Bibliothecæ his verbis: *Hippolyti Thebani de cognatione Christi lucubratiuncula ex opere eius Chronico decerpta. Græce exstat Romæ in Bibliotheca Vaticana.* Ibidem eadem Epitome. *Hippolytus Thebanus conscripsit Chronicon, ex quo Ioannes Sambucus desumpsit & tractauit libellum de ortu & cognatione Virginis Mariæ.* Prior inscriptio non multum abit à titulo codicis Bauarici, quo nos vsi, suspicionemque mouet, non tam esse opus integrum; quam integri operis fragmentum & ἀποσπασμάτιον, quod & ipsa breuitas credere suadet, & Turrianus, qui, vt dicemus. Hippolytum vidit, fragmentum appellat. Citatur Hippolytus à Glyca 3. part. Annalium, & à Francisco Turriano in Apologia pro domo Lauretana aduersus Calumnias Vergerii. Recitat ex eodem nonnulla Nicephorus Callistus lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 3. Sed fallitur, vt & recentiores cum illo, quando quæ sunt Hippolyti Thebani tribuunt Hippolyto Portuensi Episcopo; scriptori valde vetusto, (de quo vide Trithemium de scriptoribus Ecclesiast. & Baron. in Martyrolog.) cum Hippolytus noster vixerit post tempora Simeonis Metaphrastæ; qui sanctorum Historias aliquot voluminibus collegit. Hunc enim Simeonem citat iste Hippolytus. Quin circa ruere necesse est suspicionem Epitomes Gesnerianæ; suspicantis hunc nostrum Hippolytum esse illum, cuius S. Hieronymus in lib. de viris illustribus meminit.

Porro de veritate Chronologiæ, quam Hippolytus statuit, nolim cum quoquam contendere, meum consilium fuit Hippolytum ex Bauarico codice bona fide exscriptum, pari fide vulgare: Chronologiam autem illius aliis examinandam relinquere.

Pag. 1007. locus mutilus est. Citatur à Glyca 3. part. Annal. cuius verba Interpres sic reddidit: neq; enim iam ad manum est Græcus codex Glycæ. *De nonnullorum quidem historicorum sententia, præsertim Hippolyti Thebani, post Domini ex mortuis Resurrectionem anni septem præterierant, cum testium veritatis princeps ille Stephanus beatum vitæ finem est consecutus. Ab eius autem morte mensibus prope sex elapsis, Pauli vocatio facta est.* Refellit hanc sententiam illustriss. Baronius Annal. primo, docetque Stephanum passum anno Christi 34. septimo ab Ascensione Domini mense: conuersionem vero S. Pauli secundo ab Ascensione Domini anno contigisse: nempe anno Domini 36 tempore à martyrio Sancti Stephani multo longiore, quam statuat Hippolytus; qui tantum sex menses assignare videtur, sed locus, vt dixi, corruptus. Similia Nicephorus lib. 2. cap. 4.

Pag. 1007. habet quidem cod. Græc. ἰδίων ναύκληρον, sed leg. est vna voce ἰδιοναύκληρος, vt docet Franciscus Turrianus lib. contra Vergerium, pro domo Lauretana; qui ista refert h. e. Hippolytus, recitat ferme ad verbum ex scholiis quibusdam Græcis S. Chrysost. super Euangelia Ioannis & Marci. Legatur Turrianus, qui Hippolyto multum lucis adferet. Exscripsit eadẽ Nicephorus ex antiquioribus loco paulo ante citato: apud quem Interpres transfert ἰδιοναύκληρον, *nauis propria rectorem.* Sed condonemus eum lapsum vna cum cæteris viro de Nicephoro bene merito.

Pag. 1007. Iacobus autem, & à Domino, &c. vt hæc tam intricata intelligantur, profuerit legere, quæ Nicephorus de his memoriæ mandauit lib. 2. cap. 3. Etsi enim ipse dicit, se hæc referre ex Hippolyto Episcopo Portuensis Romæ; facile tamen homonymia nominis Nicephoro imponere potuit, vt pro Thebano Portuensem, & veterem illum Hippolytum substitueret. Adscribamus verba Nicephori, vt tenebris Hippolyti, inquam, Thebani, nam priscum illum talia scripsisse, nunquam mihi persuaserim. *Non importunum equidem, vt puto, fuerit,* ait Nicephorus, *præsenti inserere historiæ, quæ diuinus Hippolytus Portuensis Romæ Episcopus (πάνυ δὲ πρεσβυτέρας φίλος ἐστὶ χρόνοις) de Iacobo fratre Domini memoriæ mandata reliquit: Ioseph, inquiens, Faber, vxore sua Salome (quæ quidem filia fuit Aggæi, fratris Zachariæ Prophetæ, eiusdemque Ioannis Baptistæ patris, Zacharias vero & Aggæus filii erant Barachiæ sacerdotis) quatuor suscepit liberos, Iacobum & Simeonem, Iudam & Iosen, & item filias duas Esther & Thamar, ita vt Salome ipsa, & Ioannes Baptista duorum fratrum liberi fuerint. Etenim Aggæi filius quidem est Barachiæ, Patruus autem Ioannis. Similiter & Zacharias frater quidem Aggæi, patruus autem Salomæ, Iosephi coniugis. Salomen porro dico, non illam in Bethleem obstetricem (illa enim Bethleemitica consobrina Elisabethæ erat, & item sacræ V. Mariæ, vt hoc sacrum Euang. Luc. indicat) siquidẽ tres fuere sorores Bethleemiticæ filiæ Mathã sacerdotis, & Mariæ cõiugis eius sub Cleopatra*

& Casapotis Persa regno ante Herodis Antipatri filii regnum; prima Maria, secunda Soba, tertia Anna nomen erat. Nupsit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomen obstetricem. Nupsit quoque secunda in Bethleem Soba, & genuit Elisabetham. Nupsit postremo & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis ortus est Christus ipsa veritas: ita ut Salome ista obstetrix, & Elisabeth & Dei mater trium sororum reperiantur filiæ. Proinde Ioannes Baptista, & Iesus verus Deus noster consobrini esse dicuntur. Iosephi vero filius Christus esse dicitur, quod filiorum eius frater esset, propter conseruationem familiarem & cognationem Aggæi fratris Zachariæ sacerdotis. Hæc Nicephorus ex Hippolyto Portuensi, vt ipse putat, reuera autem ex isto Hippol. Theb.

Pag. 1008. Vt clariora fiant, quæ hoc loco de periodis Hippolytus scribit; adscribere placet, quæ ad hunc locum Hippolyti annotauit nobilis & amplissimus dominus Ioannes Georgius Hervvardus, Bauariæ Cancellarius, vir omnis Chronologiæ peritissimus. Anni, inquit, 532. reddunt periodum (scilicet lunarem) Decemuales periodi reddunt annos 5320. His annis ex vndecima periodo alii addunt solos annos 180. Sicque illis natus est Dominus noster Iesus Christus 550. anno mundi: quippe 6. annis citius. Nam alii prædictis decem periodis seu annis 5320. addunt annos 186. ita vt illis natus sit Dominus noster, anno mundi 5506. sex annis tardius. Hæc dominus Hervuardus. Prioris opinionis est S. Basilius, Eusebius, Eustathius, & Georgius Syncellus, vt ait Hippolytus; Posterioris autem Metaphrastes & Nicomediensis, Dies *προτοκλήσιμον* Aprilis est 21. dies Aprilis. Quod vero ait, Christum crucifixum 23. die Martii: sepultum 24. id ea de causa facere videtur, quod initium diei 24. ducat, more Hebræorum, à vespera diei 23.

Locũ de ætate presbyterorum, secundum Nicænam synodum, citat ex Hippolyto Turrianus, in scholiis ad secundum librum Constitutionũ Clementis Romani.

AD CAROLVM IMPERATOREM, Ledradi Epistola.

SVmmo Carolo Imperatori, Ledradus Episcopus Lugdunensis, S. Domine noster, constans & sacer Imperator, supplico clementiæ celsitudinis vestræ, vt hanc breuem suggestiunculam meam vultu serenissimo audiatis: quatinus quæ hic insertasunt, piissimæ prudentiæ vestræ nota fieri queãt, & intentio meæ postulationis ab ingenua clementia vestra reminiscatur. Olim me exiguissimum famulorum vestrorum ad regimen Ecclesiæ Lugdunensis destinare voluistis, cum ego huic officio impar existerem, & indignus: sed vos qui non attenditis hominum merita, sed vestram solitam clementiam, egistis de me, sicut ineffabili pietati vestræ placuit, nullo existente merito meo; meque admonere dignati estis, vt ego sollicitudinis curam gererem. & vt negligentiæ, quæ in prædicta Ecclesia perpetratæ noscebantur, emendarentur, & perpetrandæ vitarentur. Erat enim dicta Ecclesia, multis in rebus destituta, interius, exteriusque, tam in officiis, quam in ædificiis, & cæteris Ecclesiasticis ministeriis. Ego humillimus seruulus vester, postquam ibidem perueni, quæ cum Dei adiutorio, & vestro peregi, audite. Quoniam vt inspector conscientiarum dominus Omnipotens *mihi testis est*, non tali intentione, ea vobis patefacio, quæ dicturus sum, vt propterea in rebus augeri merear, neque aliud tale in cogitatione mea composui, vt acquisitionis mihi occasio sit: nec suggero, quoniam quotidie exitum à rebus humanis suspicor, propter infirmitatem meam, & incessanter de morte suspectus sum. Et ideo hæc suggero, vt cum benignissimis auribus vestris præsentata fuerint, & clementer inspecta, si qua bene, & secundum voluntatem vestram gessi, post meum discessum non deficiant, aut pereant. Denique postquam, secundum iussionem vestram, sæpe dictam Ecclesiam suscepi, iuxta vires paruitatis meæ, omni industria egi vt Clericos officiales potuissem, sicut iam Deo fauente, ex magna parte, mihi habere videor. Et ideo officio vestræ pietatis placuit, vt ad petitionem meam mihi concederetis redditus, qui ab antiquo fuerant de Lugdunensi Ecclesia: per quam, Deo iuuante, & mercede, vestra annuente, in Lugdunensi Ecclesia est ordo psallendi instauratus, vt iuxta vires nostras (secundum ritum sacri Palatii) omni ex parte agi videatur, quicquid ad diuinum persoluendum officiũ ordo exposcit. Nam habeo scholas *Cantorum*; ex quibus plerique ita sunt eruditi, vt alios etiam erudire possint. Præter hæc vero, habeo scholas *Lectorum*, non solum qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in diuinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiæ fructus consequuntur: ex quibus nonnulli de libro *Euangeliorum*, sensum spiritalem iam ex parte adipisci possunt. Plerique vero librum *Prophetarum* secundum spiritualem intelligentiam adepti sunt. Similiter libros *Salomonis* vel libros *Psalmorum*, atque etiam *Iob*. In libris quoque conscribendis, in eadem Ecclesia, in quantum potui elaboraui. Similiter *Vestimenta sacerdotum*, vel ministeria procuraui. De restauratione etiam Ecclesiarum in quantum valui, non cessaui: ita vt eiusdem ciuitatis maximam Ecclesiam, quæ est in honorem *Sancti Ioannis Baptistæ* à nouo operuerim, & maceriæ ex parte erexerim. Similiter Ecclesiæ *Sancti Stephani* tegumentum, de nouo instauraui. Ecclesiam quoque *sancti Nicetii* de nouo etiam reædificaui. Similiter Ecclesiam *Sanctæ Mariæ*: Præter Monasteriorum restaurationes, domus quoque Episcopales, inter quas vnã restauraui, quæ iam bene destructa erat, quam operui. Aliam quoque domum cum solario ædificaui, & duplicaui, & hanc propter vos paraui: vt si in illis partibus vester esset aduentus, in ea suscipi possetis. *Claustrum* quoq; *Clericorum* construxi, in quo omnes nunc, sub vno Conclaui manere noscuntur, in eadem ciuitate, alias restauraui Ecclesias: vnam quidẽ in honorem *sanctæ Euladiæ*, vbi fuit *Monasterium Puellarum*, in honorẽ S. Georgii, quam de nouo operui, & ex parte macerias eius à fundamentis erexi. Alia quoque domus in honorem *S. Pauli* de nouo operta est. *Monasteriũ* quoq: *Puellarum* in honorem S. Petri dedicatum, vbi corpus *S. Anemundi martyris humatum est*, quod ipse sanctus Martyr & Episcopus instituit, ego à fundamentis, tam Ecclesiam quam domum restauraui, vbi nunc *Sanctimoniales* numero 32. secundum institutionem regularem viuentes, habitare videntur, &c. *Monasterium regale*, (Insulæ barbaræ situm in medio Araris fluuii, quod antiquitus est dedicatum in honorem S. Andreæ Apostoli, & omnium Apostolorum: nũc autem in honorem *S. Martini*, recens videtur esse fundatũ iussu Domini Caroli Imp. qui ibidem præfecit Dominum Benedictum Abbatem, cum quo simul direxit ibi suos Codices) ita restauraui, vt tecta de nouo fuerint, & aliqua de maceriis à fundamentis erecta. Vbi nunc *Monachi secundum regularem disciplinam*, numero nonaginta habitare videntur. Cui etiam Abbati tradidimus potestatem ligandi, & soluendi vbi habuerunt prædecessores sui, scilicet Ambrosius, Maximinus, Licinius, clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt: quos Eucherius, Lupus, atque Genesius cæteriq; Episcopi Lugdunenses, vbi ipsi deerant, aut non poterant adesse mittebant cognituros, vtrum catholica fides

recte crederetur ne fraus heretica pullularet. Quibus illis in tantum erat commissa cura, vt si Ecclesia Lugdunensis viduaretur proprio patrono, ipsi in cunctis adessent rectores, & consolatores, quo vsque Ecclesia à Domino dignissimo illustraretur Pastore. Nos similiter posteris illorum hanc potestatem tradidimus. Insuper iussimus fieri decreta priscorum regum Franciæ, vt quemadmodum ipsi statuerunt monimenta emendi & augendi locum in omnibus rebus, quas ad præsens habere videntur vel in futuro (Deo auxiliante) acquirere poterunt, sine vlla querimonia, per secula possideant.

CHARISSIMAE AC SVSPICIENTISSIMÆ IN CHRISTO SANCTÆ SORORI, Ledradus, licet indignus, Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, in Domino Iesu Christo sempiternam salutem.

COgnoscere dignetur prudentia almitatis tuæ nos iuxta donum donantis Dei, viribus corporis aliquantisper præualere; & secundum quod, si incerta salus propter suspectos casus vitæ huius habet, de salute nostra gratias Deo debere. Deinde secundum vires animi memores nos esse, in orationibus nostris, pro salute vestra temporali & æterna. Vos quoque si bene valetis & in orationibus vestris, iuxta quod de vobis confidimus, memores nostri estis, immensas Deo referimus gratias, eo quod secundum quod desideramus esse vos constat. Noui autem animum vestrum nuper vehementi dolore perculsum, prius mortem Filij, postea Fratris, & vtrique tanti solatii priuatio, nullo modo nos potest sine graui dolore afficere; quoniam de quorum vita gaudemus, consequenter de eorum morte dolemus; & tanquam maiore tristitia cor nostrum premit cuiuscunque mors, quanto maiore lætitia subleuabat vita. Neque enim iura naturæ penitus extinguere possumus, ne doleamus; sed forsitan consilio meliore lenire, vt toleremus, ne forte contingat vt dum amoris sequax animus pro proximo dolet, vt blandus iudicis diuinis efficiatur infensus. Multa enim discretione opus est, vt in huiusmodi damnis inter Deum iudicantem proximum morientem æquitatis tenorem non relinquamus, quatenus & iustissimo iudici ingrati non existamus, & mortuo proximo compassionis dolorem iuxta mensuram exhibeamus; audiendum omnino est consilium beati Pauli Apostoli dicentis: *Nolo autem vos fratres contristari de dormientibus*, id est, morientibus, *sicut & cæteri qui spem non habent resurrectionis*; aliud est enim infidelem infideliter flere mortuum, quasi ex toto perditum, quem non speret esse victurum; aliud est fidelem fideliter mortuum, interim condolere quem non dubitat esse resurrecturum. Et quamquam, vt superius dictum est, fieri non possit, vt eius nobis non sit mors amara, cuius dulcis est vita, & hinc sit luctus humani & affectuosi cordis, quasi vulnus, aut vlcus, recte tamen huic sanando adhibentur officiosæ consolationes: est enim quod sanetur, & quanto est animorum melior, tanto in eo citius faciliusque sanetur. Cum igitur de charissimorum mortibus, maxime quorum fuit humana societati officia necessaria, nunc mitius, nunc asperius affligatur vita mortalium tamen eis quos diligimus iustius congratulamur, cum moriuntur; quam toleramus, cum à fide vel bonis moribus labuntur: Quia *tentatio est vita humana super terram*; *Et væ mundo ab scandalis*: Et cum mors eorum nos contristat, ipsa iterum consoletur, quia caruerunt malis, quibus in hac vita boni homines vel conteruntur, vel deprauantur, vel in vtroque periclitantur. Crede, quia (vt mihi videtur) ex altera parte omni morienti congratulandum est, ne forte si vixisset peior obiisset; sed quia hominibus suaderi non potest, illud subtiliter considerandum est, quod cum omnes mortales & morituri nascamur, alii moriuntur in vteris matrum, alii mox in hanc lucem effusi, & deinceps non inuenitur qui numeretur dies aut annus, in quo non mors occurrens intercipiat vitam eius qui adhuc viuere vellet, seque viuere putaret. Cum hæc igitur ita sint, diligenti consideratione mutatur, quotidianas Deo debemus grates exoluere, quia dedit quod viximus, quamdiu viximus, non dolere de hoc quod morimur, vltra quod nunquam accepimus vt viueremus. Quis, rogo, non moritur, si Saluator, dator salutis & vitæ, mortuus est? quis tam stultus est vt semper velit viuere, dum nouit pro nobis mortem gustasse. vita nascimur æquales, coæqualiter morimur omnes; diuersa est merces post mortem, mors tamen omnibus vna: Ploramus & gemimus, sed prodesse ad inuicem non valemus. Luctus adest oculis, & nullus fructus operis: quia non reuelatur cum plangimus; surda & dura est mors, nec audit nec condolet. Nulla potestas auxiliari sibi potest: Figulus ille qui omnes de vna terra plasmauit, nouit quale & quando vas frangat; nullum tamen illi perit; quia qui fecit de puluere, de puluere reficiet. Ad iussionem Omnipotentis nemo potest esse rebellis. Qui adhuc viuit, consideret vnde possit prodesse mortuo: quia & qui mortuus est non eget infructuoso luctu, sed fructuoso suffragio: iam sufficiat præterita damna plorasse, demus operam, futuram nobis mortem leuigare: Quod vitari non potest, non valde timendum est. Ea vero timenda sunt mala, quæ & viuentes vitare possumus, & post mortem sunt mala. Nam mors quæ in se mala est, malis propterea mala est, quia per eam ad peiora transeuntibus bonis vero bona est, quia per eam ad meliora transeunt. Nemo sibi viuit, & nemo, sibi moritur. Si viuimus, Domino viuimus: si morimur, Domino morimur. Christus mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. Ergo cogitatione, locutione, operatione ea studeamus, per quæ illi placeamus; cuius potestas est male viuentes damnare, & bene morientes glorificare: quique tribuit male viuentibus, per emendationem bene mori; nunquam tribuit bene morientibus male viuere.

NOMINA LOCORVM ET REGIONUM, quorum meminit Agobardus in hoc opere.

LVgdunum, quam vrbem & in alio quoque manu scripto codice ita scriptam reperimus, quasi à Lucio Lumacio Planco dicta sit, cuius Bermundus Comes noster, inquit Agobardus, bene se habet in iustitiis, id est, in iuredicundo, neque enim id nomen tunc ita vsurpabatur vt postea vsurpari cœpit.

Artiniacus, in diœcesi Rhemensi, antiquum nomen seruat, vulgo *Attigni*.

Compendium, Gallice *Compiegne*.

Septimania, id ager Septimanorum qui Biterrenses appellantur, vulgo *Besiers*.

Prouincia, per excellentiam, *Prouence*.

Nantva, monasterii nomen est, non procul à Geneua Allobrogum vrbe, vulgo, *Nantua*.

Sed Vrgelitana, est Hispanicæ ditionis, vulgo *Ogel*.

ORATIO THEOPHANIS Ceramei Archiepiſcopi Tauromeniæ in Sicilia, Dominica ante exaltationem pretioſæ & viuificæ Crucis.

AGAPVM, dilectiſſime Deo cœtus, celebremus hodie exaltationis viuificæ crucis profeſtum ſeu vigiliam. Reſonat enim in aurib. meis diuina Euangeliorum vox, crucis myſterium prænuncians. Cũ æreum ſerpentem à ligno ſuſpenſum in exemplum proponit; ſitque mihi lectio, prædictio, & ſubſecuturæ adorationis Crucis præſignificatio. Quocirca Euangelicam hanc rerum ſublimium & admirabilium doctrinam attente & intente inſpiciamus & enucleemus, & velut præambulum, & proluſionem quandam regali ſceptro præmittamus. Ait Dominus: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui ex cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* (Ioan. 3.) Diſquirendum initio eſt, quidnam Dominum, vt hæc diceret, promouerit. Præſens enim Euangelicæ lectionis periodus, eorum tantum mentione facta, quæ ad hodiernæ diei celebritatem faciunt, id quod præcedit, ſubtecuit. Quando itaque nocturnus ille diſcipulus ad Dominum venit, Nicodemus nimirum Phariſæus, Dominuſque generationem, quæ de cœlo eſt, explanaret; ille Iudaica adhuc infectus hebetudine, cogitationibus ſuis ad vterum maternum deferebatur, carnalem generationem animo & cogitatione efformans. Nam cum Saluator cerneret, eum, tam ſublimi doctrinæ non admodum aſſentiri, *nemo* inquit, *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo*; quaſi diceret: Tu quidem, Nicodeme, cœleſtis inſtitutionis capax non es, qui forte humanum teſtimonium, his quæ affirmo, expetis, at nullus aſcendit, in cœlum, vt hæc diſceret, niſi qui ex cœlo deſcendit, qui, præ ibi ſunt, perſpicue explanare nouit, filius hominis, qui eſt in cœlo.

Atqui nondum, dixerit forte quis, cum aſſumpta natura in cœlum aſcenderat, quando iſta loquebatur; Quapropter etiam poſt reſurrectionem à mortuis, arcens diuinam Magdalenam à ſui contactu, eamq; Apoſtolis nunciam mittens, ita ait: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* (Ioan. 20.) Quomodo igitur hic dicit, nullum aſcendiſſe in cœlum, niſi illum ipſum, qui ex cœlo in terram venerat? Dogma hic inſinuat ineffabilis vnionis diuini verbi cum noſtra natura, quæ duæ naturæ in vnam hypoſtaſin inconfuſe coniunctæ, altera quæ alterius ſunt, participauit, vt naturarum proprietates de vno eodemque communiter enunciari queãt. Cum igitur audis, nullum aſcendiſſe in cœlum, niſi illum, qui de cœlo deſcenderit; verbi diuinitatem intellige. Propterea enim ſtatim ſubiecit. *Qui eſt in cœlo.* Stultum enim eſſet de carne cogitare, quaſi ea in cœlo extiterit; ſimulque cum Nicodemo diſſeruerit; cum trinam dimenſionem habeat, & circumſcriptionem in loco. At vero hoc credere de diuinitate omnis principij experte, quæ tota eſt in omnibus, & ſuper omnia, cumprimis pietati conſentaneum eſt. Ergo dictum illud ad vnguentiferam (Magdalenam) *nondum enim aſcendi ad Patrem*; corporalem aſcenſionem denotabat.

Deinceps prædicit ea, quæ ad paſſionem & crucem pertinent, *Quemadmodum*, inquit, *Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*, (Num. 21) Nota eſt omnibus, vt arbitror. hiſtoria; ſed vt expe-

A ditius contemplari liceat, quidnam ſub illa lateat, breuiter, quoad potero, & paucis eam percurram. Cum Moyſes populum Iſraëliticum per deſertum duceret, ſeruiliſque voluptas in ipſis gulæ cupiditatem excitaſſet, Ægyptiamque ſatietatem & abundantiam ſomniarent, vehementioribus & aſperioribus flagris caſtigantur, more effrenatorum iuuenum, immiſſis in caſtra ſerpentibus, qui mortiferum venenum inſpirabant omnibus, quos morſu attigiſſent. Confeſtim autem turbis pereuntibus ob ſerpentium ictus, Moyſes diuino quodam conſilio incitatus, ære in ſimilitudinem ſerpentis fuſo; peſtiferam vim verorum ſerpẽtum cohibuit & debilitauit. Nam in edito quodam loco æreum ſerpentem ſuſpendens, vt ab omnibus conſpici poſſet, auertit à populo exitium, quod à beſtiis illis inferebatur; qui enim ad imaginem ſerpentis reſpiciebat, is non metuebat veri ſerpentis morſum, recondita quadam antipathia aſpectus veneni vim retundente.

B Porro æreum illum ſerpentem figuram fuiſſe Chriſti, planum facit Euangelica hiſtoria. Ne turbetur autem quiſpiam Chriſti amantium, cum audit, rationem tanti myſterij in tam inuiſum animal conuenire. Si enim in ſacris litteris pater peccati ſerpens nominatus eſt, etiam id, quod ex hoc ſerpente progenitum eſt peccatum, inquam ſerpens vocabitur, eiuſdem cum genitore ſuo nominis. Cæterum Dominum pro nobis factum eſſe peccatum, teſtatur Apoſtolus, cum noſtram naturam peccatis obnoxiam aſſumpſerit *Eũ qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit.* (2. Cor. 5) Conuenienter ergo accommodatur Domino hoc ænigma. Poſtquam enim pernicioſi illi ſerpentes in totum genus humanum graſſati, naturam noſtram peccati morſibus, & quaſi dilaniatione peremerunt, ſubit Deus ſimilitudinem ſerpentis, *factus in ſimilitudine carnis peccati*. vt Paulus ait: Et ſic liberatur homo à peccato per illum, qui peccati habitum induit, ſimiliſque effectus eſt nobis, qui ſponte ad ſerpentem ac-

C ceſſeramus, cuius beneficio mors ex morſibus orta pellitur, & ipſi ſerpentes paſſione crucis profligantur, & euacuata eſt quidem & propulſata mors à ſerpentibus inferri conſueta, impietas videlicet, ac necdum omnino deſierunt morſus. Inſita enim carni aduerſus ſpiritum concupiſcentia, necdum perfecte conquieuit; nam in illis, qui virtutis perquam ſtudioſi ſunt, ſæpe cupiditatis morſus exiſtunt. At qui oculos leuat ad illum, qui in crucem ſublatus eſt; is affectionẽ iſtam & motum immoderatum depellit, & timore Dei velut pharmaco quodam venenum perfundit. Reſpicere autem ad crucem, nihil eſt aliud, quam totam ſuam vitam, vt mortuam mundo & crucifixam efficere, vt immobilis ſit ad omne peccatum; *confige timore Dei* propriam carnem ex Pſalmiſtæ monito, (Pſ. 118.) Clauus vero, qui carnem contineat, continentia fuerit.

At vero ſerpentem, ſymbolum & notam eſſe my-

D ſterij in cruce peracti, alia itidem hiſtoria declarat; nam cum Moyſes mitteretur à Deo, vt populum Iſraëliticum ex ſeruitute Ægyptiaca educeret, ait ad Dominum. *Si non crediderint mihi, neque audierint vocem meam, quid dicam ad illos?* (Exod. 4.) Ait illi Deus: *Quid hoc eſt, quod tenes in manu tua?* Reſpondit ille? *Virga*, Dixitque Dominus. *Proiicito eam in terram.* Proiecit, & verſa eſt in ſerpentem; dixitque Dominus ad Moyſen; extende manum tuam, *& apprehende caudam eius. & rurſum virga facta eſt in manu eius.* Intuere igitur hoc loco, eum, qui ex Deo ſecundum naturam vere filius eſt, velut quandam patris virgam eſſe: Regni vero & poteſtatis ſignum virga. Hinc & Dauid; *Virga directionis virga regni tui.* (Pſal. 44) At quando illam per naturæ humanæ aſſumptionem abiecit, & terreno corpore circumdedit: tunc ſimilitudinem iniquitatum noſtrarum geſſit; Iniquitatis enim & malitiæ ſignum ſerpens;

Et quemadmodum virga Mosis in colubrum versa, magicas Ægyptiorum Magorum virgas deuorauit; deinde in manus recepta, facta est id, quod antea fuerat, ita etiam Dei & patris virga, hoc est, filius, per quem omnia regit & gubernat, licet similitudinem nostram gesserit, vt serpentes illos, qui sub intelligentiam cadunt, exterminaret, ne amplius *Dii gentium* sint *Dæmonia*; attamen peractis omnibus, quæ peragenda erant, in cœlum reuertit, factusque est iterum tanquam in manu patris *virga directionis & regni*, in dextera genitoris etiam carne indutus sedens.

Aliter itidem & alio modo serpens saluatorem adumbrabat: Quemadmodum enim serpens ille videbatur quidem serpens esse, reuera autem non erat, sic Dominus peccatum non fecit. Non enim fuerat, vt is qui natura bonus est mali experimentum caperet. Videbatur quidem improbis peccator. Quocirca dicebant cæco sanato. *Da gloriam Deo, homo iste peccator est*, quin & *comedonem*, & *potorem vini* petulanti ore appellabant. Alia insuper ratione serpentis similitudinem gessit Saluator. nam serpens non modo habet lethale venenum, sed & pharmacum lethale venenum propulsare consuetum suppedirat; nam medici ex carne serpentina contrarium medicamentum conficiunt: sic ex mortali natura Adami, proprium corpus Dei verbum formauit, vi tollendæ & pellendæ mortis præditum.

Ioan. 9.

Gregorius tamen Theologus ait, serpentem non esse typum Domini, sed antitypum, cuius hæc verba: *Æneus serpens suspenditur contra mordentes colubros, non vt typus eius, qui pro nobis passus est, sed vt antitypus*, cum enim æreus ille serpens similium sibi serpentium venenum retundens, homines sibi dissimiles seruarit: Seruator vero in crucem sublatus, Dæmonum, natura sibi dissimilium, potentiam dissoluens, homines natura sibi similes & cognatos ab exitio liberarit: merito ait iste Pater, eum, vt antitypum adhibitum esse. At vero ex sententia sapientissimi Maximi suspensus serpens mortis erat symbolum, cuius auctor & procurator serpens fuerat. At signum, in quo eleuatus est, crucem denotabat. Aspectus autem illorũ, qui percussi sunt, fidelium confessio est. Qui itaque, vt Dei maiestatem decet? mortem Christi confitetur, is habet vitam æternam.

Sic exaltari oportet filium hominis. Duplicem ingenerat sensum, nempe, illam in altum suffixionem, quam nostri caussa pertulit. Necesse enim erat, vt terra iam ab immaculatis eius pedibus gradiendo sanctificata, & similiter mari per incessum super vndas consecrato, sanctificaretur etiam aër per exaltationem in cruce; deinde gloriam quoque indicat, qua secundum humanam naturam glorificatus est per crucem. Quo enim videbatur condemnatus esse, eo ipso principem huius mundi condemnat, superior omnibus illis affectionibus, quibus homo succubuerat, quæ sunt dolor & voluptas, ex quibus voluptatem quidem in monte vicerat, neque lapidibus in panes conuersis; neque aliis tentatoris suasionibus & suggestionibus loco concesso. At doloris victor maxime tempore passionis exstitit; quo tempore aduersarius omnes in illum concitarat. Proditor fit discipulus. Fugiunt discipuli. Negat Petrus. Instant gladij, & faces, & lingua, & enses. Maxillæ percussæ colaphis, facies sputis oppleta, dorsum expositum plagis, Falsi testes, iudicium impium, sententia immitis. Milites, ob sententiæ crudelitatem exultantes subsannationibus, illusionibus, iniuriis, ictibusque arundinis; claui, fel, acetum, & tandem crux. Quæ contra hos tam nefaria ausos vltio? *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt*. Sic & dolore per longanimitatem superato, aduersarium debellat, via nobis eius vincendi & profligandi munita; nam abstinentia à voluptatibus & mansuetudine erga illos, qui nos molestia afficiunt, & longanimitate imitatores Domini efficimur præmiumque ex malo deuicto reportamus, regnum cœlorum, quod nos omnes assequi contingat, gratia super omne lumen euectæ Trinitatis, quam decet omnis gloria in sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO ALIA THEOPHANIS Ceramei in exaltationem prætiosæ & viuificæ crucis.

Video hodie magni huius templi venerandam domum cœlestes orbes imitari, & sanctissimum hoc pauimentum floriferi instar prati varietate congregati populi picturatum & exornatum, & vt rorantem nebulam sacri huius cleri cœtum, qui in medio stipat viuificam crucem, illud lignum vitæ, regale sceptrum, interfectricem Dæmonum, peccati propulsatricem, communis omnium salutis caussam; cuius venerandã exaltationem celebraturi in vnum coacti sumus, quæ perspicuum symbolum est hominum per crucem æternis in cœlos subuectionis, cumque prima crucis in Golgotha erectio visa fuerit improbis & sceleratis ignominiosa; ea quæ nunc fit exaltatio, futuræ gloriæ quædam præsignificatio & prædelineatio est, quo tẽpore crux Angelicis choris comitata & circumdata conspicietur, *tunc enim parebit signum filii hominis*, vt sacra Euangeliorum historia testatur.

Matth. 24.

Exaltatur itaque crux manibus sacerdotum, vt quadripartito terrarum orbi sanctificationem gratiæ suæ impertiat. Omnia enim quæ subsistunt, aut supra sunt, aut infra, aut ad eos qui ex obliquo, terminos vergunt; hæc enim est cœlestium, terrestrium, & infernorum diuisio. Quocirca crux exaltata quatuor suis à medio extremitatibus omnem creaturam complectitur suaque gloria complet. Nimirum natura illa omnis principii expers, non ignara mysterij, quod præfinito tempore per crucem perficiendum erat; *multifariam, multisque modis*, vt cũ Apostolo loquar, huius virtutem & potentiam præsignificauit iis, qui aliquo modo per ea quæ cernuntur, manuduci possunt ad illa, quæ intelliguntur. Quapropter in exordio mundi, cum Deus ad orientem plantasset Paradisum, vt diuina oracula testantur; lignum vitæ medium posuit in Edem, quasi è supero loco omnibus clara voce prædicens, fore aliquando, vt in medio terræ salutifera crux plantaretur, vitæ largitorem ex se suspensum ferens. Et quid sibi volens Moyses, nec plantam, nec arborem nominat, sed *lignum vitæ*? lignum autem post sectionem dicitur.

Heb. 1.

Gen. 3.

Gen. 4.

Vidit & scalam præsignificatricem crucis, quæ crux scala nobis facta est ascendendi in cœlum: ea de caussa ait etiam, solem occidisse; occidit enim in cruce per mortem Sol iustitiæ, firmamentum & virtutem ei tribuens. Quin & Iacob fastigium virgæ Ioseph adorans, futuram regni per crucem potentiam præfigurauit; qui & nepotibus benedicens, manusque transuersim & decussatim efformans, signi crucis benedictionem adumbrauit. Lignea vero arca etiam Moysen, quasi ex altero diluuio seruauit, qui virtutibus excellens factus, totique populo præfectus signo Crucis prodigia & miracula patrabat, aliquando quidem virga in serpentem mutata, significans, virga quidem crucem, serpente autem eum, qui specie & similitudine serpentis in cruce pependit; aliquando autem manibus in crucis formam extensis requiem concedebat à plagis, quibus Ægyptum flagellabat.

Gen. 28.

Non enim aliter poterat, graueolens ranarum corruptio dissipari, aut tenebræ illæ palpabiles discuti, nisi Moyse manus expandente, sicut nimirum neque grauis peccati fœtor extinctus fuisset; aut impietatis tenebræ fugatæ, nisi Christus legislator manus in cruce expandisset.

Cæterum mandans quoque Moyses, vt sanguine Agni limen & postes vtrinque vngerentur, quo effugerent exterminatorem & vastatorem Angelum, tripartitam crucem prædemonstrauit illitam sanguine Agni, qui pro nobis oblatus est, cuius beneficio exitium effugimus. Quid vero transitus per mare rubrum, & gemina illa per virgam percussio aquæ, recta quidem in diuisione vndarum, obliqua autem & transuersa in reductione & restitutione aquæ, an non perspicue manifestabat crucem & baptisma, per quæ Israeliticus populus conseruatur, & Ægyptius peccatorum exercitu suffocatur? Atqui & lignum à Moyse in Marrham iniectum, quod aquam dulcem & potabilem reddidit; crux erat, qua ea, vt dicimus, Cyrillus ait, facta est potabilis & suauis. Nam *littera occidit*, inquit Apostolus, quippe amara, nisi in spiritus dulcedinem conuertatur. Alienigena etiam Amalec eo vsque naturam nostram graui dominatione opprimebat, donec Dominus manus in cruce extendit.

Imo & virga Aaronis frondens & virens sanctam Crucem adumbrauit, quæ nobis salutem germinando protulit. At quando audimus Phinees vno lanceæ ictu Madianitidem cum flagitioso Hebræo confodisse; [Num. 25] Crucem præsignificatam videmus. Nam lancea lignum est ferro armatum, per quæ duo vna cum clauis crux depingitur, quæ malitiam cum improbitatis auctore dispulit. Quod vero Diabolus Israelitæ assimiletur, non est cur quem admiratio subeat; nam & ille creatus quidem est ab omni labe immunis vtpote pura mens, Deum contemplans; sed ea Angelica statione excidit, & sponte sua ob propensionem ad malum, malitia ipsa factus est. At enim quomodo silentio præteribimus illum, qui euidenter crucis mysterium innuit, botrum inquam & lignum, in quo suspensus est? Nam quando Moyses misit speculatores [Num. 13] exploraturos terram promissionis, misit cum illis quoque filium Naue Iesum, totius speculationis illius ducem. Vt vero reuersus est eius, bonum nuncium nunciauit de illa terra, simulque botrum ex ligno suspensum ostendit. Intelligis, opinor, quo ænigma spectet. Quis enim alius est botrus ille in ligno suspensus, quam Christus; qui vltimis temporibus in ligno suspensus est, cuius sanguis potum salutarem credentibus præbet; quod Moyses inuolucro quodam verborum vaticinatus est; *sanguinem*, inquiens, *vuæ bibebant*. [Deut. 32]

Quod vero hunc etiam præfigurarit æreus serpens ex columna suspensus, ille, inquam, serpens, qui venenatis morsibus medicina fuit; didicimus ex sacris Euangeliorum oraculis. *Quemadmodum*, inquit, [Ioan. 3.] *Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* [Iosue. 9.] Sed & Gabaonitæ quos filius Naue lignis ferendis ad diuinum tabernaculum deputauit, Ethnicorum nationem repræsentabant, quæ accessit ad Iesum, verum illum diuinarum promissionum ex sorte largitorem, à quo vita donati ligna ferre, hoc est, salutare crucis verbum humeris virtutum circumferre, & tabernaculo fidei subministrare didicerunt. Quod si monumenta sacrarum litterarum circuire, & à corporeis ad spiritualia ascendere, literamque ad intelligentiam notionemque subiectam transferre velis: inuenies, etiam mulieres potentiam crucis per certa symbola demonstrasse: nam Thamar illa alienigena, quæ duobus fratribus nupta fuit sterilisque permansit, astu quodam socerum fefellit, Israëlitici seminis nobilitatem suffurata; amatoremque socerum suum nacta, accepit ab illo pignori baculum, quo postea mortis discrimen euasit. Nisi enim baculum Iudæ ostendisset, non effugisset, quo minus necaretur. [Gen. 38.] Thamar igitur Ecclesiam ex Gentibus collectam adumbrabat: quæ quasi duobus improbis fratribus, impietati scilicet & multorum Deorum cultui prius iuncta, cum nullum pietatis fructum edidisset; surripit fructum ex Iuda Christum, inquam, ex tribu Iuda ortum, crucemque baculi instar arripit; per quam à morte animæ liberata est.

Admiranda autem illa inter Iudices Iahel, quæ hostem Sisaram, clauo per tempora adacto, affixit, [Iud. 4.] præsignauit Diaboli vires per crucem elisum iri. Prophetarum quoque æmulator Helias missus ad viduam Sidoniam, vt aleretur, reperit hospitam suam extra ciuitatis portam, [1 Reg. 17.] quæ iureiurando confirmabat, sibi non plus farinæ suppetere quam *quantum pugillum capit*, parumque olei in lecytho, *& ecce*, inquit, *colligo duo ligna*, vt meipsam comminuo excipiam, & filios meos, vt postquam comederimus, moriamur. Rursus vidua præsignauit illam, quæ viro carebat Ecclesiam, coniunctam Christo, post Diaboli expulsionem, in cuius contubernio præter fas & ius vixerat. Cæterum farina carnis Dominicæ qua nutrimur, typum gessit. Oleum vero sacri Chrismatis symbolum est. Duo ligna indicant illa duo ligna, ex quibus crux Domini composita fuit, alterum rectum in suprema tendens, alterum huic oblique insertum. Pulchre vero historia refert, mulierem hanc fuisse extra portam ciuitatis. Nam extra Hierusalem crucifixerunt Dominum. At Helisæus Heliæ discipulus, securim, [4. Reg.] quæ in Iordanem fluuium deciderat, & in profundum ruerat, ligno imposito retraxit, præfigurans gentium ex profundo impietatis reuocationem, factam cruce & baptismate.

Ferme excidisset nobis historia Dauidis, quæ mysterij in cruce peracti euidens præsignificatio est, quam silentio transmittere minime omnium decet. [1. Re. 16.] Cum aliquando Saul, Dæmonum impulsu & agitatione, fureret, medicinam furenti fecit Dauid iam ad regnum vnctus, citharæ sono Dæmonibus profligatis. Tyrannus vero requiem à Dæmonum intemperie nactus, repertam iuxta se lanceam, in bene de se meritum vibrat, directa aduersus ipsum cuspide. Cum autem Dauid, diuina ope adiutus, ictum declinasset, paries loco Dauidis plagam excipit, at ille ex Regia lapsus, domum suam abit. Per Dauidem, indicatur is, qui à Dauide descendit. At vnctus, Christum, idest, vnctum significat. Cithara humani corporis constitutionem, & is, qui ab illa editur sonus, sermonem à verbo incarnato profectum innuit, cuius officium est, insaniam mundi à Dæmonibus excitatam propulsare. At populus Iudaicus, quem Saul repræsentat, hasta benefactorem percutit. Est autem hasta lignum & ferrum, quibus passionis instrumenta decantantur; sed loco eius paries ictum excipit. Parietis nomine terrenam fabricam intelligimus videlicet corpus. Dauid vero ille Christus & Rex extra passionis aleam est. Nam diuinitas non figitur in cruce & clauis. Cæterum his, quæ crucis gratiam & mysterium declarant, ex diuinorum voluminum libris, velut parua vna ea immenso pelago, petitis, in præsentia contenti simus.

Agedum ex prophetarum itidem vaticiniis paucula quædam depromamus. Nam omnia percensere, res infiniti laboris esset. Moyses igitur non rebus solum crucem prædelineauit, sed & oraculo. [Deut. 28] *Videbitis*, inquit, *vitam vestram ex ligno suspensam.* [Psal. 1.] Dauid autem initio statim psalmodiæ suæ prophetiam de cruce edidit. Nam lignum quod ait esse *plantatum secus decursus aquarum*, *& dare fructum in tempore*, *& folium eius semper virere*, ipsemet Christus est. Non enim id quod plantatum erat, lignum appellasset: quia vt

prius quoque dixi, lignum nomen hoc post sectionem habet. Hoc igitur plantarum est secus exitus aquæ ex diuino latere fluentis. Tulit autem Christum, tanquam speciosum fructum præstituto tempore. At folium, numero singulari, vim crucis manifestauit, quæ non defluet neque deficiet, obumbrans fideles, & defendens à Diabolico æstu, ne fructus nostri ardore exarescant, [Luc. 8.] sicut de semine, *quod supra petram cecidit*, ex Euangelio didicimus, sed vt velut vmbraculo, cum Isaia loquor, *tegamur* ligno crucis, nimium calorem virtute sua exstinguentis. Prænunciat salutem ex cruce ad nos deriuatam, Dæmonumque exterminationem idem Dauid, aliquando quidem. *Deus*, [Psal. 73.] inquiens, *ante secula salutem operatus est in medio terræ*; [Psal. 9.] Aliquando autem. *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt*. Quid sibi vult his verbis? Qui Dæmones [Psal. 67.] fixi in cruce, in qua Dominum perituram arbitrabantur [Psal. 4.] funditus interierunt. Quin & illud: *Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem*; ascensum in crucem insinuat, vt & captiuorum reuocationem & liberationem. Quid vero illud? [Psal. 138.] *Signatum est super nos lumen vultus tui*, nonne crucem significat, qua signamur? Crucis insuper speciem describit, cum ait: *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me*. Per verbum quidem *ascendendi* eam crucis partem, quæ à medio sursum tendit, insinuans, per verbum autem *descendendi*, partem, quæ à medio deorsum vergit. Per *extrema maris*, eas, quæ ex obliquo vtrinque post commissionem vtriusque ligni exporriguntur.

Præterea cum Salomon in libro sapientiæ de sapientia affirmat, eam lignum vitæ esse; nihil aliud quam crucem declarauit; de qua & Isaias vaticinatus [Esa. 5.] est: *Eleuabit*, inquit, *signum in nationibus*. & huius signi vim explanans, *congregabit*, ait, *dispersos Israel à quatuor plagis*, crucis fines seu extremitates insinuans; quin & ipsas lignorum species, ex quibus crux compacta fuit, & gloriam vnigeniti in ipsa, præcinuit his [Esa. 60.] verbis: *in cupresso, & picea, & cedro gloria, vt ibi locum sanctum meum*. Hieremias vero qui ex omnibus Prophetis affectibus maxime redundat, repræsentat Christi occisores mutuo sese cohortantes: *Venite*, ait, *mittamus* [Hier. 11.] *lignum in panem eius*, crucem quidem ligni, panis nomine saluatoris carnem indicat. Ipse enim *est panis, qui de cælo descendit*: At Zacharias Dominicam passionem contemplatus, ipsumque saluatorem cruci affixum sese intueri ratus, sic familiariter interrogat. [Zach. 13.] *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Ad quam interrogationem hoc responsum accipit: *His plagatus sum in domo dilecti*.

Cum igitur crucis mysterium & in lege & in Prophetis elucescat, merito dicit Euangelium, ex lege ne [Matth. 5.] *vnum quidem iota, aut apicem præteriturum*, quippe cælo & terra firmiore, significans per hæc lineam ex obliquo, & eam quæ ad perpendiculum descendit, quibus crucis figura depingitur. Oportebat enim, oportebat, inquam naturam non solum audita ad diuinitatis intelligentiam quasi manu duci, sed & necesse erat, vt visus etiam altiorum cogitationum magister fieret, vt crux velut Theologi munere fungeretur apud illos, qui perspicaciori sunt ingenio, tanquam omnem creaturam specie sua repræsentans. Ex cuius disciplina magnus quoque Apostolus progressus, gloriatur Ephesium populum edoctam esse, quid [Ephes. 3.] *sit profunditas, & altitudo, & longitudo & latitudo*, quælibet crucis finem proprio nomine designans. At ô ter felix lignum, antiquam maledictionem dissoluere fuctum. O diuina crux, & beata, iam vt cum te animata tecum colloquar. O sceptrum cæleste, inuicta Regum armatura, Sacerdotum decus, Christianorum robur, infantium custos. Temperantia iuuentutis, baculus senectutis: mundique præsidium, corrobora virtute tua fideles nostros Reges. Da illis vires aduersus impios Ismaelitas, qui tuam spernunt adorationem. Nos autem in diuina tua exaltatione congregatos, hodie diuino tuo contactu sanctifica, & conserua illæsos ab impressione aduersarij pastorem simul & gregem, seruientes ei, qui in te voluntate fixus est, Christo, vero Deo nostro, qui cum Patre, & Spiritu glorificatur nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

PETRI SICVLI

HISTORIA DE VANA ET STOLIDA MANICHÆORUM hæresi tanquam

ARCHIEPISCOPO BVLGARORVM nuncupata.

ETsi perutiliter silentio velatur ignorantia, tamen, vbi res flagitat, haud cômode, quę dicenda sunt tacentur. Dominus enim illuminat cæcos, cui gratior est humilium verborum ex fide nata simplicitas, quam perplexi Rhetorum laquei, & casses instar labyrinthi implicati. Ergo quamuis sermone imperitus, tamen sacrosanctam Trinitatem, verum vnicumque numen, supra omnia, perque omnia, & in omnibus laudandum atque prædicandum, quod linguas infantium facit disertas, precatus, tua quoque auxiliaria vota (vt qui sancti & diuini * nupereque collecti * gregis es princeps & pastor) diuinorumque Symmystarum tuorum, & totius Ecclesiæ cœtus supplex imploro. Status enim deinceps ordine Manichæorum siue Paullicianorum deterrimam sectam oratione persequi; vnde, & quo pacto, & per quos ad hanc amentiam & apostasiam peruenerit. Iidem vero sunt, nec quicquam diuertunt à Manichæis * Paulliciani, qui hasce recens à se procusas hæreses prioribus adsuerunt, & ex sempiterno exitu barathro effoderunt. Qui tametsi se à Manichæorum impuritatibus alienos dictitant, sunt tamen dogmatum ipsorum vigilantissimi custodes & propugnatores. Ego vero inductus rei necessitate hoc muneris suscepi, quando regia legatione perfuncturus ad ea loca accessi, ipso * exordio imperii Basilij Magni imperatoris nostri à Deo delecti, omnibusque virtutum ornamentis aucti, cumulati, religiosi, Deique amantis, & Romanum, iuxtaque Christianum nomen & imperium vna cum geminis * & sanctis filiis suis, à Deo coronatis, imperatoribus nostris, administrantis, quorum memoriam nulla temporum delebit diuturnitas, nulla futuri æui obliterabit æternitas, quod precor, vt Diuis omnibus comprecantibus Dei mater & semper virgo Maria ratum habeat effectumque reddat. Porro legatus ibam, vt de captiuorum permutatione agerem, quod viuis & applaudentibus imperatoribus nostris feliciter est peractum. * Tibricæ igitur * legationis obeundæ caussa apud Paullicianos diu moratus, sæpe disputando cum illis sum congressus, illorumq; arcana omnia per Catholicos etiam ibi degentes curiose inuestigaui, atque ab ipsismet impiis & delirantibus cognoui, quod è suo conciliabulo missuri essent, qui in Bulgaria quoscunque possent à Catholica religione ad suam execratam & * nefariam sectam auerterent. Factis enim literis facto præconii sui initio, præfidentes opinantur facile se posse puræ sinceræque sementi infœlix lolium hæreseos permiscere. Amant

> * A. C. D. C. XLV. * Bulgaros ad eos ad doctos intelligit. Quoniam memorandã ad Christum cõuersione scribit in Theodora & Michaele ... Curopalates atque Zonaras to. 3. aliique, alias Paulianistæ, aliasque Paullianistæ dicti. * Alter enim impetrauerat Constantino, vt ipse. Vltima pagina testatur. * Constantino & Leone. Constantinũ & Leonẽ Hamartolus ... negat ... chaelis

enim hoc impij sæpenumero factitare, vt omnem moueant funem, nullumque recusent periculum, quo damnatarum opinationum suarum pestem quibuscunque possint, infundant. Quæ res hoc mihi argumentum dictauit, quod ego quamuis postremissimus, nullaque virtutis laude insignis, tamen ad multorum salutem diligenter studioseque pertractatum elucubraui. Quod iam vobis probatissimis Christi argentariis committo. Tu vero, sancte diuineque Pontifex, non cultum & florem orationis meæ, qui in me nullus est, sed rem ipsam atque mentem meam, nihil admodum ad amussim exigendo, intuere, nullum enim, vt ex subiectis ipse paginis intelliges virtutis in nobis, aut eloquentiæ vestigium deprehendes.

ex Eudocia. * Ad Armeniã locus * Græce est ἰσβεσία in obsequio, seruitio, negocio vel Imperatoris, egorem, nõ verbũ spectaui. * impuram.

Antistitis Bulgariæ Petrus S. Proœmium.

LVminis aspectus fugat tenebras: cura pastorum arcet feras & tenebriones. Pastor hominum germanus ille est, qui verum & germanum pastorem Christum imitatur, * qui animam, vt ille, suam ponit pro ouibus suis: cuius iustitia quaqua versus splendoris radios diffundit: qui veteratoris artes sollicitamente, totisque viribus eludit. Quanquam enim ab insidiatore fraudulento variæ nobis insidiæ ponantur, illas tamen sacrarum literarum oracula nobis omnes aperiunt, vti semper laudandæ Trinitatis vitæque auctricis, Dei solius, cœli terræque conditoris, & rerum omnium siue sub aspectum cadant, siue oculorum aciem fugiant effectoris, conseruatoris & rectoris ope & præsidio molitiones illius pro Arachneis aranearum telis existimare debeamus. Operæ vero pretium erit aduertere, vti, quæ à me exponentur, studiose attenteque audiantur. Comparabitur enim peritioribus ex vsu commoda quædam vincendi aduersariū ratio & adiumentum, dum contraria inter se dogmata committuntur, quæ Ecclesiastici cœlestium documentorum pelago sint imbuta; rudioribus vero, &, vt cum Apostolo loquar, velut infantibus adhuc lac * concupiscentibus, ne meliores ipsi à deterioribus circumueniantur, tutissimus erit portus, si illos tanquã piacula quædam auersati fuerint, & exsecrati, nec interrogantibus quicquam responsi dederint. sed, vt illiterati, tacuerint, & ab illis, velut à serpente certissimaque peste, refugerint. Quid enim hi contra impios disputando proficiant? Hinc rudibus & profanis interdicitur, * ne sancta conculcent pedibus, & cœlestem diuinamque legem, dum non est, qui caute prudenterque se feris illis opponant, discerpant. Quomodo enim homines audiant qui Deum vnicum quotidie ac singulis prope momentis innumerabilibus maledictis, conuicus, dirisque exsecrationibus incessunt? Quamobrem rudibus nihil est vtilius, quam hosce cognouisse: in colloquium autem cum illis ne veniant, ne ex disputationis imperitæ contentione salutis periculum incurrant. Difficile est enim, simpliciores ab illis in prauam mentem non detorqueri. Omnia quippe omnes Euangelij & Apostoli testimonia prædicant, sed illi soli capiunt & intelligunt fraudem hæreticorum, qui diu multumque in sacræ litteraturæ disciplina sunt versati. Illi enim impuri, quando primum cum aliquo in disputationis certamen descendunt, quandam præ se ferentes morum sanctimoniam, omnia Catholicorum dogmata per astum comprobant, pronunciantque, & aiunt se sanctissimam Trinitatem Deum profiteri, cum impie prorsus imperire. quæ omnia per allegorias apud se taciti interpretētur, quando S. Trinitatem inficiantes etiam detestantur. Incarnationem Domini Dei nostri in Virgine, quanquam alio & impio sensu, fatentur, sequiusque sentientes damnant; omnia tamen Incarnationis mysteria aliter corde. Manetem & asseclas illius imitati, exponunt. Promptissime etiam damnant Paulum Samosatenum: alios enim habere & multo sceleratiores impietatis suæ magistros & doctores, vt à me paulo post ostendetur. Deinque prorsus instar Polypi aut Chameleontis pro tempore, vsu, personam in omnes se deformant figuras, vt incautioribus imponant. Vbi porro animaduerterint esse, qui se, quamuis stolide deblaterantes, audiat hunc sensim ad arcana sua sacra deducunt. Quare non minus expedit improborum ingenia pernosse, quam perspectam habere naturam proborum; non vt cum illis versemur, sed vt ab illis, tanquam à peste & exitio, nobis caueamus. Ad propositum igitur argumentum accedamus.

1 Cor. 3. * Petri 1. c. 2.

Rudib. periculosa cũ hæreticis congressio. Tacendã illis. * Matt. 7.

Nouerint tamẽ, qui sint.

* Ita Rimeoni Palatino, qui se postea Titum appellauit, accidit. Exemplũ habes infra de Genesio.

Historia vel potius alterum historiæ proœmium.

CAput omnis mali serpens ille & deterrimus draco errorum sator, & omnis impietatis auctor & doctor, mendacij architectus & pater eius, cœnosaque superbiæ vorago, factus tumidum fastigium, victoria paruulorum, hoc est, credentium pedibus conculcatus, sua voluntate à Deo profugus, hominem, nobile Dei opus, ex beata paradisi statione per summam impietatem eiectus, concinnata peccati esca & propinata voluptatis illecebra tanquam mancipium, non recusante quidem ipso homine, peccato, proh dolor, emit, & per peccatum à Deo vero seclusum, & velut ergastulo inferorum post mortem inclusum detinuit, dum Iesus Christus Dominus noster, altera ex beatissima & sanctissima Trinitate persona, humanam indutus naturam adueniret. Veterator autem ille fieri posse non putabat, quem sibi varijs & diuersis idolorum inquinamentis, perque turpissimorum insuper flagitiorum & voluptatum illicium emancipasset, liber restituens è sua potestate exiret, præsertim cum sua sponte animi facile sub peccati iugo teneretur. Sed nempe, quamuis versutus & callidus, spe tamen falsus prædam mendax non est assecutus. Vnigenitus quippe filius & verbum Dei, coæuus patri, eiusdemque cum Spiritu sancto viuificante essentiæ, ac simul æternus, hominis amore impulsus, libens volens reparaturus, quem è terra efformarat, suoque spiritu afflatum ad suam ipsius expressam imaginem effigiarat, voluntate patris, seipsum exinaniuit per Spiritum sanctum carnem ex Virgine, anima humana intelligenteque animatam, indutus, non erat, immutando (mutari enim non potest) sed, quod non erat, assumendo, extrorsum, vt cum Propheta loquar, conclusam ingressus, hominis caussa homo factus est. Quam rem tota lex vetus, omnesque vates iam olim oraculis manifestis contestati sunt, Virginisque dignitatem prouidentis mentis acie declararunt. Et * alius quidem portam clausam soliqne Deo peruiam prænunciauit, * alius vero fontem signatum, * alius item: erit, inquit, radix Iesse, virgo, & flos de radice eius ascendet, Dominus & Deus noster, corpore ex illa sumpto. Et ille ipse: Et ecce Virgo, inquit, in vtero habebit, & pariet filium, Dominum nempe ex illa carne vestitum, & reipsa in illa habitantem, atque ex illa corpore assumpto Deum editum. Ecquid opus omnes Prophetas studiosis repositos ad testimonium citare. Nemo tamen existimet hæc de semper virgine Deique genitrice Maria vatum oracula à nobis esse gratis in medium prolata.

* Ezech. 44. & 44. * Cant 4. * Esaiæ. 11. & 7.

Hostes enim veritatis diuturnunt illius partum tantum ad speciem & opinionem, non reipsa editum sycophantur, & post editum hunc cœlestem partum, alios ex Iosepho liberos à Virgine procreatos mentiuntur. Prophetarum vero de Virgine prædictiones, quemadmodum infra à me pensiculatius docebitur, reiiciunt. Insidiose enim & fraudulenter se

Phantastica.

Euangelii & Apostoli auctoritate nisi affirmaot, atque lupum oue stultissimi circumuestiunt. Euangelica porro Apostolicaque monumenta hoc ipso ostendunt Prophetis credendum esse, dum Prophetarum testimonia tam frequenter laudant, vt qui omnia verissime antea praecinuerint, veritatem astruaerint, suosque auditores ad perspicuam & manifestam intelligentiam excitatint, ne à veritatis limite vnquam aberrarent, cum suis ipsi vaticiniis veluti literarum elementis expressi praedictionum quoque fundamentum ipso rei futurae euentu comprobaruot. Sed de praedicanda Dei genitrice, & suamet prole vere ac proprie (etiamsi Paullicianis ilia rumpantur) foecunda Virgine oratio hic paulisper intermittescat, tedcundum est enim, vnde paulo ante seorsum digressi sumus.

Magno igitur Deo, & seruatore nostro Iesu Christo in humanis apparente, nobiscumque in terris agente, omnis idolorum ac daemonum cultus è medio cessit: Dei autem veri vera cognitio terram omnem instar aquarum inundantis occupauit. Hinc iam coelestium virtus in terris regnat, & cum beatis mentibus mortales, numini familiariores facti, virtutibus contendunt. Cruce enim in terram defixa, & pane viae de coelo hominum caussa cum diuinitate descendente, non phantastico, sed vero atque è terra accepto, iuxtaque nobiscum humanis affectionibus obnoxio corpore in crucis lignum sublato, ac diuini sanguinis imbre terram irrigante, tellus odorem suauitatis illico spirauit, Christi nempe pretioso sanguine, & vnda consecrata & foecundata.

Vnde ratione pollentia varia vbique florum suauecolentia germina pullularunt, & germinare hactenus nunquam desierunt. Adoratur igitur lignum, per quod salus humano generi parta est, per quod importunissimus mortalium hostis in terram deiectus lethalem in pectore plagam accepit. Per nullum enim aliud Christi patientis signum, quam venerabilis, & salutiferae crucis, talia tamque tremenda prodigia sunt patrata. Mortui in vitam excitati, velum templi ante Domini Dei nostri ad inferos descensum, diruptum, terra tremoribus concussa, solis iubar, quod partim Iudaeorum tenebras ostendebat, partim futurae resurrectionis gaudium declarabat, obfuscatum. Denique animorum apud inferos coeclusorum per Christi Dei nostri aduentum, ea facta est liberatio, vti vastatus, & omnis illis patrum carcer exhaustus, nullas amplius in Christo piè è vita eaeuntes animas posfit recipere.

Elogiũ & adorata io S. Crucis.

Haec omnia inuicta crucis vis prodigia & miracula perpetrauit, illius nempe virtute, qui in illa pependit Christus Dominus noster. Erubescant ergo & pereant ac intereant, qui crucis maiestatem inficiati, illam, tanquam à Deo inexpugnabile trophaeum datum, firmissima fide venerantur. Ille igitur scelestissimus praestigiator, omnisque honesti hostis Diabolus, caput elisos, & pectus telo crucis lancinatus, cum aperta vi non posset amplius, vt consueuit, pro animi sui sententia, scelere grassari, per insidias miseris aliquorum animis efferatis, mentibusque moribus ludificatis, catenatae illorum conscientiae per ven speciem mendaciloquos imposuit, vt illos debitum sempiternis flammarum incendiis pabulum & suscitabalum ioxta secum destinaret. Sed Dei optimi summa bonitas, pro naturae suae clementia, hominem, opus suum, non destituit. Sed in Ecclesia sua posuit primum quidem Apostolos, veluti oculatos testes & administros, qui Christi immensam humanitatis demissionem aperte praedicarent, eiusdemque diuinitatis signa declararent, neque Christi in corpore panenris crocem erubescerent, neque miracula vltra fidem extollerent, sed vbique veritatis memores diuinam verbi in corpore oeconomiam promulgarent: Deinde Prophetas, qui occulta & immedicabilia mundi mala vi Spiritus sancti, ferro ab imis radicibus rescinderent, donosque surculos & feraces & florentes insererent.

Praeterea Doctores, qui, quod illi docuissent fecissentque, fouerent, suamque ad perfectionem educarent. Quorum decretis vniuersa Christi Ecclesia contioetur: Contra quam portae inferi, hoc est, pestiferae haereses, nunquam praeualueruot, nunquam, vt sacra promittuor oracula, nosque certo scimus, praeualebunt. Nam omnes effrenatae linguae hae reticorum, vt fluctus, in spumam effringuntur, cum opportune semper sincerae fidei acerrimi propognatores haeresiarchis opponuntur, lumineque veritatis haereson teoebrae dispelluntur, vt Ecclesia Dei inconcussa perduret semper. Infelicissimi vero haeretici, quanquam ad momentum iofandorum dogmatum monstra parturiant, illa tamen ipsa breui per impietatis mendacium dissipantur. Quibus quidem palam è medio sublatis Ecclesia Dei semper gloriata est, atque illustrata, semperque magis illustrabitor.

Manichaeorum intenim fuliginosa, coenosaque, & seditiosa, spurcissimaque secta ab orbe roto, propter curationis desperationem, summamque impudeconam exagitata, ab ipsimet iam haereticis alto silentio colitur & obseruatur.

Id enim maxime student, ne sacra sua & haereses passim omnibus, etiam suis, non dico peregrinis, sed familiaribus, enuncient Cum paucis illa tantum, & quos in impietate plus caeteris sciunt promouisse, communicant. Captis autem opportunis temporum occasionibus, non ante multos annos demum absoluta, prodromum suum Apostasiam parturiendo edidit, aliosque cacodaemonas, sed corporatos, vna cum duce suo diabolo protulit, quos malos esse *Alastoras* nemo negarum ibit. Eteoim quae ipsi daemones spiritus vel dicere vel facere reformidant, hisce ore & podote impudentissime aduersus coelestem impetio... rem Deum, mortalesque omnes, & dicunt & faciunt, vt videre est, cum propter vitae foeditatem, ab hominum coenbos secren loca deserta, velut ipsi mali daemones, insident, & peregrina quaedam, ac prodigiosa dogmata, quibus iooruntur velut sacri Euangelij & Apostolorum mooumentis, non impurissimi sycophantae, sed ipsi nempe daemones, diuulgant. Sed quae sint istaec, & quando, & vnde extiterint, sermone huc de lapso iam expediam, breuiterque & summatim pauca quaedam capita, per nudam recensionem, memoriae caussa digeram, deinde post narrationem ad principium regressus, cum illis, Deo bene propitio, confligam, & pro facultate nostra certas & illustres rationes auctoritatibus cooftabilitas, singulis eorum capitibus recta linea subiciam.

Manichaei celebrant E uangelium suum.

Haeretici deteriores daemonibus.

Propositionibus Hoc in historia hac nõ praestat, sed alio sui guiam volemi ac. Manichaeorũ Dei malus. Locutio mundo scipio etas: forte k gar: Ecclesias ...

Sex impia Manichaeorum sectae capita seu paradoxa.

PRIMVM.

PRimum illorum axioma est, duo rerum esse principia, Deum malum, & Deum bonum: alium que huius mundi conditorem ac principem, & alium futuri aeui. Et hoc (nempe quod duplicem conditorem statuant) saepe licet in illis obseruare, quando vrbanitatis caussa, cum aliquo liberiores facti, produnt libere, quisnam sit, qui cum illis sermocioetur [id est, cuius impulsu & instinctu agantur] Age, dic, ioquir, quid nos à Romanis secernit? Seipsos enim exsecrari illi, & nefarii, prorsusque iograti, & perfidi Christianos nuncupant, nos autem vere à Christi veri Dei nostri cognomioes, Romanos, ethnico nomine proprium permutare conati, appellant. Quo nomine

mine nos Germani Christiani magis gloriamur, quam si quisque nostrum omnibus auri & argenti, lapidumque preciosorum thesauris per totum orbem terrarum repetendis potiretur. Asserunt autem seiunctionem suam à nobis in hoc consistere, quod ipsi quidem aliũ aiunt esse Deum mundi conditorem, & alium, quem patrem cœlestem vocitant, exclusum à mundi administratione, solaque in æternitate dominantem. Nos vero eundem prorsus, atque vnicum Deum rerum omnium effectorem, supremum regem, atque imperatorem profitemur. Et rursum nos appellant; Vos, inquiunt, creditis in mundi opificem: nos vero in illum, de quo in Euangelijs Dominus loquitur: quoniam vocem eius non audistis, neque speciem eius vidistis; stolide vtique & impetite verbis manibus obstrepentes, vt infra planum fiet.

Ioan. 5

SECVNDVM PARADOXVM.

Quod Deiparam semperque Virginem, atque infinitis laudibus concelebrandam, per odium abiiciant, nulloque inter bonorum hominum cœtum numero vel loco dignentur neque Christum ex illa natum; (vt qui corpus è cœlo secum detulerit) Iosephumque ex illa, post domini partum; plures liberos suscepisse dicant.

TERTIVM.

Quod è sacris mysterijs diuinam ac tremendam corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi conuersionem negent, aliaque de hoc mysterio doceant; à Domino nempe non panem & vinum in cœna discipulis propinatum, sed figuratæ symbola tantum & verba, tanquam panem & vinum, data.

QVARTVM.

Hostes Crucis Christi

Quod formam atque vim venerandæ & viuificæ crucis non solum non agnoscant, sed infinitis etiam contumelijs onerent: à qua tamen ipsi in aere circumfusi nequam spiritus simul ac delineatam intuentur, cum principe suo Lucifero trepidi refugiunt.

QVINTVM.

Quod veteris instrumenti tabulas non admittant, prophetasque, planos, & latrones appellent (vt postea suo loco exactius ostendetur) aut sola duntaxat sacra quatuor Euangelia, & S. Pauli Apostoli denas quaternas epistolas recipiant; Iacobi item Catholicam; ternas Ioannis, Catholicam Iudæ cum Actis Apostolorum, iisdem, quibus apud nos sunt, verbis. Habent porro Sergij magistri sui inuisas superis, omnisque superbiæ & impietatis plenas epistolas. Binas vero Catholicas magni & immobilis Ecclesiæ fundamenti, cœlestis aulæ clauigeri Petri, principis Apostolorum, pessime aduersus illum affecti, vt quem omnibus maledictis & contumelijs proscindant, non admittunt. Nescio quid sibi male conscij sint; forte an quod quasi, quæ futura prædixit, personatim in se conuenire sentirent, eum ex nefaria scelerum impietate naturam eorum descripsit. Inter quæ B. Apostolus in altera sua epistola hæc monet. Propter quod, charissimi, hęc expectantes (in secundo nempe Christi aduentu) satagite immaculati & inuiolati illic inueniri in pace, & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini, sicut & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.

Ita erat in ora exemplaris. Nescio an, qui tunc erant, Iacobi epistola, an alia fini vsi, & Actis Apostolorum. Nã qui nũc sũt ex illis hæretici, duobus tantum vtuntur Euangelijs, & potissimum S. Luc. & quindecim epistolis S. Pauli.

Auct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2.

Hæc nota inhæret illis ab Apostolo inusta: reipsa vero encomium est propheticæ libertatis oratorio more exornatum.

Habẽt enim ad Laodicenses alteram Manichæi Petri Apostoli catholicam reijciunt, & cur. c. 3.

SEXTVM.

Quod arceant ab Ecclesiæ administratione presbyteros & seniores. Aiunt enim, quod seniores aduersus Dominum congregati sint, eaque propter neque nominandos quidem esse, solo nempe & nudo nomine illis inuisos. De quibus infra in singulorum pertractatione disputabitur.

Cæterum iam locus est, vt ad ipsam rerum memoria dignarum, narrationem veniamus. Ordiar autem à B. Cyrilli verbis ex catechesibus depromptis, quibus mihi probe explorata subinde inseram, vt tota rei disquisitio clarior omnibus & familiarior euadat.

Manetis origo, alia, mors:

INauspicati nominis Manes non è Christiana disciplina prodijt, (& absit, vt hinc prodierit) neque vt Simon à cœtu Christianorum proscriptus & eiectus est, nec ipse, nec qui ante illum impietatis illius architecti fuere. Fur enim est, qui deterrima quæque ex alijs hæresibus sibi transcripsit. Quo pacto vero id fecerit, operæ est audire.

Scythianus quidam erat in Ægypto genere Saracenus, cui nihil neque cum Christianis, neque Iudæis vnquam societatis fuit. Hic Alexandriæ versatus Aristotelicam sectatus vitam, volumina quatuor conscripsit: vnumque appellauit S. Euangelium, non quod Christi acta contineret, sed nomen solum commune haberet: Alterum capita inscripsit: Tertium Mysteriorum, qui est ad institutam ab ipsis Prophetarum & legis antiquationem factus: Quartum, quem thesaurum vitæ indigitatum circumferunt, qui vere thesaurus est mortis. Huius discipulus fuit Terebinthus. Scythianum porro supra memoratum, cum Iudæam ingressus, ditionem illam pestilenti hæreseos contagione pollueret, morbo sustulit Dominus, pestilentiamque sedauit. Terebinthus vero impietatis illius alumnus, & auri, scriptorumque, cum hæresi hæres, in Palæstinam venit, atque in Iudæa iam notus, certatimque ab omnibus damnatus; inde in Persidem transijt, vbi, ne ex nomine cognosceretur, sibi ipse Buddæ nomen adsciuit.

Cateches. 6. illumi. Scythianus auus Manetis, non sanguine, sed hæresi.

Terebinthus pater.

Terebinthus Buddã se appellat.

Verum nactus ibi aduersarios Mithræ (id est solis) sacerdotes, multisque vtrinque sermonibus & altercationibus habitis conuictus, tandem profugus ad viduam quandam peruenit, vbi tecto conscenso, geniisque aeris inuocatis, quos hodieque Manichæi in sacris suis nefarijs inuocant, * diuinitus percussus, tectoque præcipitatus interijt, adeoque altera fera collocata est.

* Θεόπληκτος.

Terebinthi mors.

Sed monumenta impietatis, codices relictos cum auro vidua hæres seruauit, quæ tam propinquis, quam amicis destituta, pecunia puerum Cubricum appellatum emit, emptumque adoptauit, & Persicis disciplinis erudiendum curauit, atque telum in genus humanum pessimum asperauit. Cubricus autem deterrimũ mancipium inter philosophos adoleuit, & vidua oppetente, in æs & libros hæres successit. Deinde ne sibi seruile nomen ignominiosum esset, pro Cubrico se Manem, quod Persarum lingua sermonem valet, appellauit. Cum enim sibi in differendi arte promouisse nonnihil videretur, se Manem quasi præstantissimum aliquem disputatorem nominauit. Quo sibi nomine Persarum quidem idiomate bonam famam conciliare studebat: diuinitus autem factum est, vt ipse, vel inuitus, sui ipsius accusator fieret, cum apud Persas se honorificũ nomen indeptum putaret, apud Græcos tamen insaniæ appellationem sibi cooptasset. Ausus est porro se Paracletum nuncupare.

Vrbicũ B. Aug. nomin. Cubricus Manes mãcipium venaliũ Sub Aurel. ex Brachmanũ natione ortus Glycas. Studet philos. Mutat nomen, & Manẽ seu manerẽ vocat. Origin. nomin. Persica.

Græce insanus Manes. Impius Paracletum se iactat. * Matt. 12. * Luc. 21 * Mar. 3

Impius igitur fuit, dum se Spiritum sanctum dixit, vt diuinæ tabulæ contestantur. * Qui autem blasphemauerit in Spiritũ sanctum, non habet remissionem in æternum: vt & ante illum Scythianus seipsum Patrem nominauit, Buddas autem filium Dei patris ex Virgine progenitum, in montibus educatum. Vnde & duodenos sectatores errorum præcones Antichristus ille emisit. Videat ergo, qui cum his communicat, quibuscum versetur. Mercatur orbem terræ mancipium, ac demum in medium progressus, altiora humanis pollicitus est. Laborabat regis Persarum filius, & medicorum copia confluxerat. Promittebat sanitatem Manes; Medici recedunt, & cum medicis è vita puer. Deprehensa palam impietas viri, ipseque Philosophus in caueam compactus est. Non ideo punitus quod Regem veritate offendisset, aut idola contempsisset, sed quod, cum ægro vitam pollicitus esset, fuerit mentitus, aut potius, vt verius loquar, quod puerum occiderit. Nam qui cura Medicorum poterat restitui, pulsis ab hoc Medicis, per incuriam occisus est. Plurima sane me de hoc flagitia narrante, tu primum illius attende mihi blasphemiã: deinde seruitutem; non quod seruitus probrosa sit, sed quod, seruus cum esset, libertati contraria improbus auderet; Tertium impudens pollicitationis mendacium; Quartum necem regii pueri; Quintum carceris infamiam, nec infamiam tantum, sed ex carcere fugam. Fugit enim is, qui se Paracletum iactabat, & veritatis propugnatorem. Non fuit Christi imitator sponte ad crucem properantis, sed contra fugitiuus fuit. Rex deinde Persarum custodes carceris duci iussit, interfectorum causa, Manetis fuga fuit & superbia. Qui ergo alia caussa necis pro scelus fuit, vt Spiritus sanctus adorabitur? Nonne oportebat Christum sequi, & cum Christo dicere? Si me quæritis, sinite hos abire. Nonne & cum Iona? tollite me, & in mare proiicite: propter me enim tempestas concitata est.

Scythianus patrem. Terebinthus filium. Eu Orci Triadẽ. Manes sanitatẽ pollicendo occidit regium puerum. Mẽdax in caueam.

Ioan. 18. Ioan. 1.

Erũpit ex carcere.

Fugit ex carcere, & in Mesopotamiam profugit. Sed arma iustitiæ obiecit illi Episcopus Archelaus, &, Philosophis arbitris, Græcorum concilium coegit, ne, Christianis iudicantibus, suæ caussæ iudices fauisse viderentur. Archelaus igitur ad Manetem; Quid, inquit, non prædicas? Ille vero, vt hians sepulchrum, obstrepandens, à blasphemia rerum omnium conditoris sermonem exorsus; veteris Testamenti Deum malorum esse auctorem dixit, vt qui de seipso testatetur: Ego * ignis consumens. Sapiens autem Archelaus repressa blasphemia; Si, inquit, veteris Testamenti Deus, vt tute fateris, seipsum consumentem appellat ignem; cuius filius est, qui dicit? * Ignem veni mittere in terram. Et si reprehendis dicentem: * Dominus mortificat & viuificat, quare veneraris Petrum, qui * Tabitham à morte in vitam excitauit, & * Saphiræ vitam ademit? Si odisti Deum, quod ignem pararit, cur non odisti eum, qui dicit: * Ite in ignem æternum? Si culpas eum, qui dicit; Ego Deus * faciens pacem, & creans malum; cur non culpas Iesum, cum dicit; Non veni mittere pacem in terram, sed gladium? Paria ergo vtroque dicente, alterum ex duobus necesse est: vel, vt ambo boni sint propter paria amborum dicta: vel, si Iesus inculpatus, dum hæc dicit, quare damnas veteris legis conditorem similia pronunciantem? Deinde Manes? Equalis, inquit, Deus, qui occæcat? Paulus enim testis loquitur: In quibus Deus sæculi huius excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi.

Archelaus Episcop cum illo congreditur. Deum veteris Testamenti malum dicit pessim' Manes. * Deut. 4. * Luc. 12 * 1. Re. 2 * Act. 9 * cap. 5. * Matt. 25. * Isa. 45 * Matt. 10. 2. Cor. 4

Archelaus iterum, per distinctionem, inquit, lege, quę pręcedunt, quid hic sibi velit. Quod si & Euangelium nostrum opertum est, in iis, qui pereunt, opertum est. Vides vt pereuntibus opertum sit; non oportet enim sancta dare canibus. An vero Deus veteris tantum legis infidelium mentes excæcauit? Nunquid & Iesus ipse, qui Paulum excæcauit, non dixit? Propterea in parabolis loquor illis, vt videntes non videant. Non ex odio noluit illos videre, sed postquam ipsi oculos suos sponte occlusissent, indignos sese, qui viderent, præbuerunt. Vbi enim deliberata est improbitas, ibi splendori gratiæ non est locus.

Matth. 13. Mar. 4. Luc. 7 Ioan. 3.

Omni quippe habenti dabitur; à non habente autem, & quod videtur habere, auferetur. Et quanquã recte quidam locum hunc ita interpretentur, haud tamen inepte licebit in hunc sensum eundem explicare. Quamuis enim Dominus infidelium mentes occæcarit, vti & Pauli oculos occæcarat, id tamen ad commodum illorum fecit, vti nempe ad meliora respicerent. Nec enim dixit animam à Deo fuisse occæcatã, sed cogitationes infidelium. Perinde ac si diceret. Occæca scortatoris impuras cogitationes, & seruabitur homo. Occæca latronis prædatoriam & rapacem mentem, & saluus est homo. Quod si non arridet hæc enarratio, licebit & aliter interpretari. Sol hebetatam oculorum aciem præstinguit, lippientesque offendit, non quod sol habeat vim excæcandi, sed quod oculi natura læsa sit. Ita non credentes, ægri ab animo diuinitatis radios intueri non possunt. Hoc non dixit: Excæcauit illis mentem, ne audirent Euangelium; sed ne intuerentur splendorem Euangelij Christi. Audire enim Euangelium, omnibus est permissum; sed gloria Euangelij Christi solis & germanis Dei seruis est commissa.

Mat.

Loquebatur igitur Christus ad eos, qui non intelligebant, in parabolis; discipulis autem seorsim parabolas exponebat. Splendor gloriæ illuminatis, non credentibus autem occæcatio. Hæc mysteria tibi iam Catechumeno edisserit Ecclesia. Nec enim solent hæc gentibus credi, nec mysteria Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti illis declarari. Quin & apud catechumenos de mysteriis hisce non prorsus exerte disputamus, sed subobscure de illis recteq. verba facimus, vti & intelligentes iam fideles capiant, & non intelligentes ne offendantur. Huiuscemodi, pluribusque aliis concertationibus fusus est ille draco; talibus præliis expugnauit Archelaus Manem.

Fugit igitur denuo fugitiuus ille, vt ante ex carcere elapsus, declinansque antagonistam in * vicum quendam ignobilem peruenit, non secus, atque serpens ille, qui in paradiso, relicto Adamo, Euam est aggressus. Sed bonus ille pastor Archelaus, audita eius fuga, lupum è vestigio est persecutus. quod cum Manes sentiret, suum adesse aduersarium, illico erupit & euasit, quæ quidem extrema illi fuga fuit. Regis enim Persarum satellites fugitiuum vbique perscrutati, tandem comprehenderunt, & quam ille sententiam damnationis ab Archelao accipere debebat, hanc regii satellites in illum pronunciarunt. Capitur ergo Manes, quem, vt Paracletum, discipuli venerantur, diciturq; ad Regem, qui mendacium illi per contumeliam obiectauit, fugam irrisit, seruitutem exprobrauit, de cæde filii reum postulauit, ac dãnauit, & cum propter hoc, tum necem custodum carceris, illi viuo, lege patria, pellem detrahi imperauit, corpusque feris in prædam concessit, cutem, qua tanta illius improbitas continebatur, velut vtrem, pro portis suspendi iussit. Ita qui se paracletum iactabat, & futurorum præscium dicebat, neque fugam suam, neque vincula præsensit.

Fusus & fugatus Manes. * Diodoridẽ cia charorum. Lupus auribus tenetur. Damnatur.

Erat vero & ante hunc alius huius impietatis auctor Zaranes forma huic non dissimilis.

Zaranas Manichæus ante Manetem.

Porro discipuli Maneti Antichristo fuere duodeni. Siginius, qui Maneti successit: Thomas, qui Euangelium Manichæis nouum condidit. Buddas, & Hermas, Adantus, & Adamantus, quem in diuersas orbis partes erroris præconem amandauit. Manetis interpretes & explanatores extitere, Hierax,

Maneti duodecim asseclæ. Thomas Manichæi Euangelium.

Agapij Heptalogus. & Heraclides, atque Aphthonius. Adiuncti his & alij terni huius sectatores, Agapius, qui Heptalogum commentus est, Zaruas, & Gabriabius.

Nemo legat Euangelium hoc secundum Thomam, neque enim est vllius ex duodecim Apostolis, sed vnius ex damnatis Antichristi Manetis asseclis; Neque quisquam attingat Agapij Heptalogum, neque epistolarum farraginem, neque litteram vllam ab his impiis quisquam aspiciat, ne sibi pestem & exitium eie:r sempiternum. Omnia enim illorum scripta, tanquam impia, omnique blasphemia referta, omnes illorum precationes ab illis dici solitas, imo præstigias, nostra sancta Catholica & Apostolica Ecclesia vna cum auctoribus, tanquam multorum & ingentium malorum, certissimisque exitii inuentoribus & ducibus, damnauit.

Virtutes Manichæorum. Damnauit etiam omnes horum auditores & sectatores. Quapropter cauete, ne quis à perditoribus animorum Manichæis corrumpatur, qui tristibus aquis, vt mœsta simulent ieiunia, vultus imbuunt: qui criminantur alimentorum conditorem, & interim ipsi popinantur: qui docent, quod, qui herbam vellit, in herbam transformetur. Atqui si, qui herbam, Stultissima insania. vel olus decerpit, in illud vertitur, agricolæ & olitorum serui, in quot herbas & olera vertentur? Et cum olitor tot herbas præsecet, in quam ex illis, obsecro, mutabitur? Risu profecto & sibilis digna hæc deliramenta, digna, quæ atro carbone notentur & damnentur. Vnus ac idem opilio ouem immolauit, & lupum occidit; in vtrum horum deformabitur? Inertiæ Fruges absumere nati mancipia Manichæi, qui cessant ipsi, & sudantium fruges absumunt. Qui cibū adferentes renidenti vultu excipiunt, & pro gratiarum actione diras illas omnes imprecantur.

Quando enim imprudens illis quid adfert: Paululum, quæso, inquit, recede, dum bene precer tibi. Tum pane in manus sumpto, (quemadmodum ii, qui ex iis pœnitentia ducti ad nos transierunt, confessi sunt) ego te [inquit ad panem Manichæus] non Manichæorū Benedictio ante mensam. feci, & maledicta iacit in ipsum vnicum & supremum numen, panisque conditorem execratus panem vorat. Quod si tu cibum odisti, quid hilari fronte conrueris porrigentem? Si gratiam habes adferenti, quid maledicis facienti & opifici Deo? Rursum Manichæus, ego te, inquit, non seminaui; seminetur, qui te seminauit: ego te non messui; metatur ipse messor: ego te igne non coxi coquatur ipse coquus. Bella sane gratiarum actio. Magna sunt hæc piacula, sed præ aliis perparua.

Infāda Manichæorū facta. Balneas illorum & lauationes nec apud viros, nec fœminas audeo prodere: Nec audeo fari, in quo mariscam intingant, miserisque præbeant: per communia tantum signa res ostendatur. Viri quasi quæ per insomnia eueniant, cogitent; fœminæ menses; vere enim ora inquinamus, dum hæc pronunciamus. Non Legatur sanctus Augustin' adquod vult. Deum. Græci his sunt fœdiores, non sunt tam impii Iudæi, non scortatores tam impuri. Scortator enim vna horalibidinē explet, factique mox pœnitens, tanquam pollutus, balneas optat, & flagitij turpitudinem agnoscit. Manichæus autem hæc palam velut in altari, vt existimat, facit, & linguam simul & os conspurcat.

Ab eiusmodi ore, mi homo, tu, doctrinam haurias? Talem tu hominem obuium osculo excipies? Enimuero tu, præter illam aliam impietatem, non horrebis hanc saltem illorum fœditatem, qui scelestis omnibus sunt scelestiores, & prostibulis cunctis spurciores? Denunciat hæc Ecclesia Catholica & monet, ac tractat cœnum, ne cœno tu inquineris: ostendit vulnera, ne tu vulnereris. Tibi scire isthæc satis est: nefas experiri. Tonat Deus; cuncti contremiscimus; illi Expiatio Ma- maledicunt numini.

Fulgurat Deus; nos humi procumbimus: illi blasphemas in cœlum linguas exerunt. Iesus Dominus Deus noster de cœlesti suo patre dicit, quod solem suum oriri faciat super malos & bonos, & pluat super iustos & iniustos: illi communiscuntur pluuias ex furiosa libidine fieri. nichæi, cum tonat. Vn de Manichæis pluuia.

Aiunt enim apud superos virginem esse forma præstantem cum iuuene item formoso, & quo tempore cameli & lupi in venerem aguntur, illos quoque turpi cupidine tangi, & cum tempestas est, iuuenem furiose virginem insectari, hanc fugere, illum persequi, persequentem sudare, ex sudore pluuiam creari. Hæc En Aristotelica meteora. nugamenta in Manichæorum chartis continētur; hæc nos ipsi legimus, quod aliorum dictis fidem abrogaremus; pro vestra quippe salutē illorum exitiabilem sectam discere studui. Sed nos cæleste numen ab hoc impietatis errore defendat.

Socrates quoque Scholasticus, qui Ecclesiasticam historiam concinnauit, dum Scythiani & Terebinthi, postea Buddæ dicti, & Manetis facta compendio narrat, nihil admodum à magno Cyrillo abit. Immo & ipsa diuinarum litterarum monumenta horum sectam vehementer exagitant, vt cum sectatores illorum rationum contrariarum firmamenta sustinere non possent, impietatem velare conati, breuiorem, sed non minus improbam viam inuenirent, scriptaq; Manichæi Manichæorū scripta abolent. Manichæorum tantam impietatem complexa abolerent, capitaque illorum & argumenta ipsi tantum inter se communicarent, & in posteros per ætates traditione propagarent.

Decernunt ergo nullum alium librum, quam Euangelium, & Apostolum legendum. Quòd quidem Euangelium tantū, & Apostolum legunt. has ob caussas factitant, vt Manichæorum libris, veterique Testamento sublatis, frequenti Euangelij & Apostoli lectione, facilem habeant accusandæ veritatis rationem, rudiores que & illiteratos circumueniendi, quasi à Christo; atque doctrina præconis rectæ fidei Pauli Apostoli hanc detestandam sectam acceperint. Christi vero nobili suaueque fragranti nomine velut ouina pelle lupum tegere conantur. Hos enim vnicos libros legunt, vt interpretamenta pro suo sibi sensu fingere possint: reliquos nequaquam legunt.

Vetus Testamentū totum dānant. Vnde vetus Testamentum, vt dixi, reiiciunt, ne testimoniis conuincantur. Nec patres admittunt, ne fundamenta nefariæ sectæ euersa triumphentur. Hinc omnes ab illis tanquam ab incendio refugiunt. Nos autem, vt clariorem de his triumphum agamus, ex alio quoque volumine testimonium ad maiorem lectoribus fidem faciendam hic adducemus.

Magnus enim pater noster, & miraculorum patrator Epiphanius Cypri Pontifex in * Manetis refutatione atque in libro, de iusto Dei iudicio, sub persona Imperatoris introducti, dum huius mortem narrat, in hæc verba scribit.

*Heresi 66.

Nono Valeriani & Gallieni Imperatorum anno, Manes ob necem Regis Persarum filij ex Persida profugus, vinculisque elapsus ascendit, quando & cum Archelao Cascharorum in Mesopotamia Episcopo disputauit, victusque clam profugit, & Diodoridem Calcharorum vicum ingressus cum Triphone sanctissimo presbytero disputauit, summoque cum dedecore superatus est. Archelaus autem cum accepisset illum ad Triphonem abiisse, & cum eo disputationem instituisse, ad eum subito aduolauit, rursusque cum Manete in certamen descendit, cumque ingenti cum infamia postrauit, quem populus certatim interficere conabatur: sed opera Archelai liberatus in Persidem rediit.

Quod cum Rex audisset, cutem illi, velut saccum à corpore diripi iussit. Atque hoc fine Manes vitam clausit. Nonnulli vero sectatorum illius in Armeniam Samosata vsque penetrarunt vbi sparsa impietatis semente multos Armenorum in fraudem

Paulus Samosatenus vnde Paulliciani, siue Paulliani & Paulianistæ. sed Paulliciani nos alii à Paulo & Ioanne Manichæis componunt, vide Zonaram in Michaele & Theodora.

pellexerunt. Nam post aliquot annos radix pessimi seminis pullulans Phanariam vsque progressa multis exitiales fruges attulit.

Etenim Samosatenæ mulieri Gallinicæ gemini erant liberi, Paulus, & Ioannes: hosce duos serpentes illa vipera genitrix aluit, nefariamque sectam edoctos Samosatis præcones errons emisit, qui Phanariæ ditionem ingressi, in vicum quendam peruenere, ibique rudes, parumque certos fidei nacti incolas venenum impietatis, & dirum hostis lolium sparserūt.

Episparis Phanariæ.

Vnde locus ille hudie que Episparis est nuncupatus. Secta vero appellationem ab agyrtis & præconibus suis est mutuata. Ex illo enim tempore pro Manichæis Paullicianí sunt appellati.

Quamobrem religiosissimi & orthodoxi nostri Imperatores ne secta pestifera serperet latius multos apud nos passim in ditione Romana deprehensos, diuino impulsi ardore mactauerunt, prout à Domino in Euangeliis dictum; nolentes me regnare super se, adducite ad me, & interficite illos.

Multi quidem hactenus Dei hostes extitere, sed innumeræ de his ope Numinis victoriæ sunt vbique reportatæ. Omnis enim honesti inimicus, omniumque scelerum architectus Cacodæmon, tanquam atrocissimus & ferocissimus hostis, cum pharetram suam prioribus sectis frustra exhausisset, postremis sæculis telum opportunius in humanum genus detorsit: quando supremis mundi temporibus, Dei permissu, non per insidias, sed aperte omnib. nos viribus impietatis, vt sanctissima diuinissimaque Dei concinunt oracula, oppugnabit.

Patrabit enim insessus & obsessus à dæmone Antichristus prodigia, vt, si fieri possit, in errorem inducat etiam electos. Itaque tametsi in omnibus sectis prioribus, veluti victor, exultatit: in hac tamen infanda Manichæorum hæresi prope triumphauit, quod à se vulneratis persuasisset, ne vulnus aperirent, sed pestifera toxica, tanquam hilarantis Bacchi nectar exhaurirent. Nunc, quod risu omnes prosequuntur, à se inductis, velut mente captis aut insanientibus, insultat ac illudit. Sed triumphata est huius iam improbitas Imperatorum nostrorum Basilii, Constantini, & Leonis imperio. Flagitiosorum enim Paullicianorum olim recondita mysteria, & egregia phamacorum acouita plerisque mortalium ignorata, nunc demum assiduis Imperatorum nostrorum pacis & rectæ fidei insiguium cultorum votis, curisque perpetuis & Deo gratissimis vigiliis atque prudenti administratione palam in triumpho ostentantur. Etenim quæ artes huius impuræ sectæ principibus ignotæ prioribus fuerunt, eas iustum Imperatorum nostrorum orbem terræ rite temperantium, & vitæ sanctimonia præstantium imperium non potuit ignorare.

Oportebat sane distortam hanc prauitatem cum triumpho victam ostendere, sed oportebat plana planeque regia & recta via imperii vere boni & amabilis, propterque recte & nobilia facta, (vna cum coronatis à Deo filiis illius, magnis principibus nostris, Constantino & Leone semper Augustis) memoria sempiterna celebrandi. Etenim hæc sacra Imperatorum nostrorum trias, diuinæ illius ac beatæ, vitæque auctricis Triadis immortali lumine collustrata, diuinæ cognitionis radios per orbem terrarum diffundit, quem innumeris ornare beneficiis non desistit vnquam; quorum magnitudinem beneficiorum, gentes quoque barbaræ & incultæ persenserunt. Et hæc quidem hactenus.

De initiis ergo impuræ sectæ fuse dictum est à nobis cum Manete & reliquis, atque Paulo Samosateno Callinices Manichææ filio, germanoque ipsius Ioanne verba faceremus.

Enimuero & isti, de quibus nunc agemus, prioribus sectis nugas quasdam & insanias, quemadmodum in sex capitibus à me expositum est, addidere; germani namque supra enumeratorum hæresiarcharum discipuli, vt à me paulo post ostendetur, extitere. Qui vero sint nuper exorti, quibuscum non conueniut Paullicianis, quique seipsos doctores appellitent, nunc expedio.

Anno Christi DCLII. Constantis.

Fuit imperante Constantino (seu Constante) Heraclii nepote, non procul à Samosatis, Armeniæ indigena quidam, Constantinus nomine, vicum incolens Mananalim, quem adhuc vsque diem habitant Manichæi. Hic Diaconum quendam captiuum, qui è Syria (vt constat) in patriam reuertebatur, & Mananalim forte præteribat, tecto excepit, aluitque dies aliquot domi suæ. Diaconus ergo, vt hanc quasi gratiam hospiti suo rependeret, codices duos, quos è Syria secum tulerat, Euangelium scilicet, Paulique epistolas, dono dedit Constantino. At * ille, qui iam pridem nefariam atque impuram hæresim suam propter impia dicta fœdaque flagitia, quæ Manichæorum scriptis continentur, omnibus odio atque horrori esse animaduerterat, vti pietatem, magnopere pestem illam renouare iterum ac latius diffundere, in animum induxit, dæmone, vt par est, instigante, librum deinceps, præter Euangelii & Apostoli codices, nullum attingere; hoc spectans nimirum, vt malis labem vniuersam eorum ope obtegeret: quemadmodum qui noxia pocula propinant, eadem melle obliniunt atque obducunt. Et quidem ille cum Manichæorum libris (vt diximus) omnes iam cuiusque impietatis artes percepisset, tantum mox Satanæ ope assecutus est, vt Euangelii Apostolique sensus perperam interpretando, facile omnes in rem suam, quo vellet, & pro libidine detorqueret. Manichæorum itaque scripta (vt dictum est) idcirco protinus abiecit, & hanc etiam maxime ob caussam, quod multos videbat eo nomine gladio cædi. Hoc siquidem ad cætera sua egregia facinora diuini atque orthodoxi Imperatores addiderunt, vt Manichæos Montanosque capitali puniri sententia iuberent, eorumque libros, quocumque in loco inuenti essent, flammis tradi; quod si quis vspiam eosdem occultasse deprehenderetur, hunc eundem mortis pœnæ addici eiusque bona in fiscum inferri.

* Constantinus Manichæus, qui se Siluanum dixit.

Egregius autem Manetis discipulus Constantinus, quo facilius auditores suos in fraudem ac periculum induceret, & probabiliora redderet, quæ docebat, Valentini primum blasphemias ac portentosa de triginta * Æonibus diisque dogmata, totam item † Curbici fabulam de pluuia, quam ex formosi adolescentis virginem insectantis sudoribus manare affirmabat, & alia id genus non pauca, tanquam absurda nimis atque incredibilia reiicienda sibi atque explodenda putauit; minime id quidem, vt tantam impietatem profligaret, sed quo plures ad se doctrinamque suam pertraheret.

* Tertullianus aduersus Valentinianos.
† Alias Cubricus dictus, vel Vebicus.

Basilidis vero flagitia & impuritates, cæterorumque omnium tetrum ac graueolens cœnum amplectens, nouus repente perniciosæ pestis ductor exiliit: adeo, vt quotquot nunc sunt Manichæi, technam istam & artificum ignorantes, Scythianum, ac Buddam, & Manetem ipsum, qui totius sectæ principes fuerunt, promptis animis respuant & detestentur, Constantinum vero hunc, qui Siluani quoque nomen assumpsit, aliosque, qui post eum exorti in Christi Apostolorum numero habeant, & Paulo pares in honore ducant.

Hic igitur Constantinus, qui & Saloannes, Mananali vico relicto, Cibossam immigrauit, quod castrum est Coloniæ vicinū. Ibi residens, Siluanum se illum esse iactabat, cuius mentio in Pauli + epistolis, quique, tanquā fidus discipulus, à Paulo missus est in Macedoniam: ostendensque discipulis suis Apostoli

* 2. Cor. 1. 1. Thess. 1. 1. Pet. 5.

codicem, quem à Diacono acceperat: Vos, aiebat Macedones estis, ego Siluanus, ad vos à Paulo missus. Atque id ille post sexcentos annos, quam à Paulo hæc scripta erant, dicere non dubitabat, cum emerserit (vt iam diximus) Heraclii nepotis Constantis temporibus. At enim cum eo loci annos septem & viginti versatus esset, multosque ex incolis in errorem impulisset, dignum magisterio & doctrina sua vitæ finem sortitus est. Nam Imperator postquam de hominis insolentia, nescio qua ratione, certior factus est, Palatinum quendam Simeonem protinus ablegauit cum mandatis, quibus ipsum, vt improbitatis artificem, lapidare iubebatur, eius vero discipulos, quos nempe induxerat ignorantia, per Dei Ecclesiam erudiendos conuertendosque dispergere, quanquam illi corrigi prorsus noluerunt.

Nec mora iussis intercessit. Aduolans enim Simeō, Tryphonemque sibi adiungens ex iis vnum, qui cum imperio & magistratu in illis oris versabatur, simulac destinatum locum attigit, comprehendi omnes, & in Australem Coloniensis castri partem duci iussit. Quo loco miserum illum, eiusque discipulos ex aduerso destituens, signum dat illico, vt vnum omnes lapidibus incessant.

Verum hi magistro suo, vt qui à Deo ad ipsos missus esset, parcentes, lapidibus arreptis, manus quidem ab balteos suos per speciem adducebant, clam autem lapides in terga vibrabant. Adoptarat ante plures annos Siluanus Iustum quendam, [id enim illi nomen erat] eumque Manichæi hæresi cum primis imbuerat: tunc vero educationis d ctrinæque suæ congruentem ab illo mercedem tulit: Palatini enim iussis obsequens, sumpto in manu saxo, Siluanum, quasi alterum Goliath, vi magna percussit & occidit. In quem apte cecidit vox illa Dauidica: * Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Et: * Conuertetur dolor eius in caput eius. Cæterum locus ipse hodieque, ob lapidum congeriem, Aceruus nuncupatur.

Iustus Constātino iusta facit, & didactrum soluit. Mores Constātini.

* Psal. 7
* Ibid.

Simeon autem, ne quid regii mandati prætermitteret, Constantini discipulos quo ad saniorem mentem reuocarentur, Ecclesiis commendat. Sed illi haud quaquam conuersi sunt, malueruntque in errore suo impie mori, quam Deum sibi pœnitentia placare, salutemque consequi sempiternam. Quos quidem dum temere nimis excutit & auscultat Simeon, vt qui diuinæ institutionis expers erat, ac plane rudis, atque (vt verius dicam) leuis ac præceps animo, pestiferam hæresim hausit, & cum ea redit Constantinopolim ad Imperatorem. Triennio deinde domi suæ priuatim acto, cum plene iam irretitus possideretur à diabolo, relictis omnibus clam excessit, Cibossam petens. Vbi conuocatis collectisque hinc inde Constantini discipulis, eiusdem impietatis successor effectus est: & vt nomini suo famam eandem, qua prædecessores, atte conciliaret, Titum se appellauit. Ego vero non Titum hunc dixerim [neque enim imitator eius Titi fuit, quem Paulus Apostolus Cretensium fecit Episcopum]sed * Cetum potius: siquidem cetum imitatus est in maris vndis latitantem. De ceto enim marino narrant quidam * Aspidochelonem appellari, mole vero tam vastum esse, vt insulæ referat speciem; vocis porro sonum grauem illi & obscurum esse. hinc fieri vt decepti nonnunquam nautæ anchoras suas in eum coniiciant, palisque infixis nauigia deligent; quo accenso desuper igne concalefacta bellua repente aquas subeat, omnesque in altum demergat & suffocet. * Sic prorsus iste, eo quod qui eius nequitiæ magnitudinem non norant, grauemque vocis sonum minime refugiebant, sed auscultabant, suæque adeo spei anchoram in eo desigebant, omnes per ignem ad infermi profunda depressit: igni enim extinctus vna cum eiusdem amentiæ sociis ad æternum ignem profectus est.

Simeon occulte venenū bibit ab hæreticis inductus.

Constātino succedit. Titum se ex Paulo appellat. Græce venustior est parono masia, τίτος & κῆτος. * Quasi testudinem scutum. * Lege non dissimilē historiam, felici ta men euentu, apud Sigebertum in vita Malchi Episcopi & Surium 15. Nouembris to. 6. Et de S Brendano seu Brenda nō apud Olaum Magnū lib. 21 c. 21 & 26 Vbi & ex B. Hieronymo Ambrosioque idem confirmat.

Nam cum iam triennii spatium in illis locis permultos iisdem erroribus implicans perageret, exorta tandem est inter Iustum illum, à quo lapidatum diximus Constantinum, & Simeonem cetum hunc grauis disputatio multaque inter eos vltro citroque agitata de Pauli Apostoli sensu in illis verbis * epistolæ ad Colossenses: Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra: visibilia & inuisibilia, throni, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Vrgente autem Iusto ac subiiciente, Ne forte populo imponamus, & ne si ab Apostoli verbis discrepantia docuerimus. hominum animas temere perdamus, pro quibus in tremendo iudicio reddi à nobis rationem oporteat: Nihil his eius verbis mouebatur Simeon; quin pergebat acrius, eius loci expositionem huc illucque suo more distorquens.

Gliscente igitur inter Iustum & Simeonem contentione, proficiscitur Iustus ad Episcopum Coloniæ, atque vt de Apostoli sensu, quod cupiebat audiret, omnia mox de se sociisque & quam inter se disciplinam tenerent, liquido exposuit. Re comperta, Episcopus nihil in his sibi cunctandum ratus, de singulis è vestigio refert ad Iustinianum Augustum, qui post Heraclium Imperii sceptra gubernauit. Qui quidem vt audiuit, omnes statim in vnum cogi Manichæos, seorsumque interrogari iussit, atque flammis tradi, quotquot essent in errore pertinaces. Itaque extructo ad aceruum ingenti rogo, incensi & cremati omnes fuerunt, præter Paulum quendam genere Arabem, cui filii erant, Genesius & Theodorus, quibuscum fuga se proripuit pater, & Epísparim abiit iam dudum, vt à nobis in prolixiori opere commemoratum, cum de Paulo & Ioanne Samosatenis Callinices filiis ageremus, de illo in quam Paulo, à quo Paulliani pro Manichæis mutato nomine appellari cœperunt. Producit ergo alter hic Paulus ad impietatis scholam filium Genesium, cui Timothei nomen imposuit. Sed breui secuta est inter vtrumque fratrem, Genesium & Theodorum altercatio, cum iste diuinam Spiritus gratiam accepisse se assereret, ille contra de se ipso idem affirmaret. Atque sic inter se dissidentes od i præsides, nunquam postea amplius sunt reconciliati. De quibus cum certior factus esset Imperator [erat is tum Leo Isauricus] Genesium protinus acciri iubet cognomento Timotheum, vel, vt aptius dicam, * Thymoteum, eumque ad Patriarcham mittit Constantinopolitanum. Hunc ergo vt vidit * Patriarcha, quæstionem ordine instituens: Cur, ait, Orthodoxam fidem negasti? At ille: * Anathema, inquit, qui fidem orthodoxam negat: hæresim enim suam orthodoxam fidem dictitabat. Et Patriarcha rursum. Quamobrem, inquit, non credis, nec adoras venerandam crucem? Et ille: Anathema, inquit, qui non adorat & colit venerandam ac viuificam crucem: Crucemque intelligebat Christum ipsum manibus expansis crucem efformantem. Cur rursum Patriarcha: Cur non colis nec adoras Deiparam sanctam? At ille: Anathema, inquit, qui sanctissimam Deiparam non adorat, communem omnium nostrum matrem, in quam Dominus noster Iesus Christus introiuit. hanc autem volebat esse supernam Hierusalem, in quam præcurrens Christus pro nobis ingressus est. Interrogabat, demum Patriarcha, quid causæ esset, cur immaculatum Domini nostri Iesu Christi corpus, & pretiosum eius sanguinem non participaret, sed vilipenderet? cui Timotheus; Anathema, inquit, qui non fecerit aut qui spernit corpus & sanguinē Domini nostri Iesu Christi; de ipsis enim verbis loquebatur. Rursum interrogatus de sancta Catholica & Apostolica Ecclesia: similiter ipse

Iustinianolunior A. D. P. C. N DC. 158. Regus hæreticorum tumulus. Genesius Manichæus Timotheiex D. Paulo sibi nomen arrogat A. C. DCC. XXII. Leonis 7. * Timotheus, honor Dei: Thimotheus, ira Dei * S. Germanus postea eiectus à Leone Iconoclasta. * Nota fraudē hæreticorum.

Catholicam Ecclesiam, sed Manichæorum conciliabulum appellabat. Et de Baptismo pariter affirmabat, Iesum Christum ipsum esse Baptisma; nec aliud quicquam, quod scriptum sit. Ego sum aqua viuens. Atque in hunc modum prauo sensu omnia peruertẽs, & anathema in singulis proferens, pro innocente habitus est Timotheus, acceptis que ab Imperatore formalibus litteris, Episparim reuersus est: coactisque subito suis omnibus discipulis, cum eis aufugit, descenditque ad Deo inuisam Mananalim, Manichæorum metropolim apud Saracenos ex qua prodierat Constantinus, de quo supra meminimus, eorum auctor. Ibi post aliquot annos ad summum iam insaniæ culmen euectus, & furore, rabie, angore, tanquam missione in prauis Angelis accepta, exagitatus, Deo pœnas exposcente fœdo, ex inguinis tumore vitam finiuit, cum annos ferme triginta impietatis familiam duxisset. Erat huic filius Zacharias nomine, & mercenarius item puer captarius, quem prope viam olim forte offenderat fascus inuolutum, quod ex iniusto scilicet pollutoque thoro natus esset: solet enim adultera fœtus suos criminis metu, in viam proiicere.

Genesius infami morbo extinguitur. Zacharias Genesii filius & successor.

Mortuo igitur Genesio diuisi sunt in factiones eius discipuli. Quidam enim Zachariæ adhæserunt, alii spurio Iosepho; sic enim vocabatur. Graui deinde suborta inter vtrosque dissensione, qualis inter alios maiores suos antea fuerat, dum vterque sibi spiritus gratiam arrogaret impuri potius spiritus agitationem susceperunt. Tandem ira percitus Zacharias, ac si paterna hæreditate priuandus esset, Iosephum Aphronetum lapide feriens, parum abfuit, quin necaret. Nec multo post, collectis vterque discipulis, clam aufugere destinabant: & iam modicum à vico processerant, quum suspicati Agareni eos in Romanorum ditionem transire, percontari cœperunt. Zacharias vero Agarenorum impetum videns, relictis discipulis, solus euasit: illos enim assecuti Agareni gladio ad vnum peremerunt, quo nomine grauiter ab aliis vituperatus est Zacharias, vt qui mercenarium se suis præbuisset, non pastorem.

Iosephus Caprarius.

Ioseph vero, qui & Aphronetus, cum hæc geri videret, currus conuertit, quasi tenderet in Syriam, dicens Saracenis, se ad lactarium opus, & armenta proficisci. quo responso contenti Agareni, eos intactos reliquerunt & abierunt. Ita opportunum fugæ tempus nactus Ioseph Aphronetus, cum suis omnibus euasit, atque Episparim, vicum à nobis iam sæpe memoratum venit, amiceque ab incolis est exceptus.

Omnes siquidem, accensis lampadibus, singulari honore illum [qui summa infamia dignior erat] tanquam Christi discipulum, susceperunt. Quod intuens pius quidam vir, ex iis qui illic erant cum imperio, nomine Crichoraches, magna vi militum domum obsedit, ad quam diuerterat Manetis sectator, atque discipulos quidem eius omnes cepit, ipse autem fuga lapsus in Phrygiam excessit, sedemque fixit Antiochiæ Pisidiæ. Qua in vrbe triginta annorum curriculo pro eadem hæresi decertans, auditoribus suis affirmabat se Epaphroditum esse Pauli discipulum, ab eoque ad ipsos missum. Ego vero iure illum dixerim Aphronetum, valde enim litterarum rudis erat, exorsque prudentiæ. Cæterum postquam multos illic prauis artibus corrupit, æternique supplicii reos fecit, vitam & ipse finiuit in loco, cui nomen est Chartocopium.

Iosephus Aphronetus Caprarius se ex diuo Paulo Epaphroditum mentitur.

Quo adhuc superstite, mulier quædam Armenia eius discipula ab eiusdem discipulis constuprata filium ex Hebræis (vt fama est) edidit, illum inquam nequitia celebrem, improbum Baanem, qui Aphroneto succedens, & hæresim, quam è maioribus acceperat, homo omnibus flagitiis coopertus integram retinens, multosque simplices ad exitium capiens, factus est pariter nefariæ sectæ magister.

Baanes Iosephi successor.

Nec longum tempus abiit, cum exortus est alter veritatis inimicus ex locis Tiliæ ciuitati vicinis. Est enim in illo tractu vicus Annia dictus, in eoque vico * Drunus quidam tunc erat, cuius filius fuit Sergius, ille diaboli maximus propugnator: Sergius, qui multos ex ouibus lupos fecit, & per eos Christi ouilia dissipauit: Sergius acer ipse sub ouina pelle lupus, virtutum fraudulentus simulator, quippe hac arte multis fucum faciebat: Sergius inimicus crucis Christi, os impietatis, in Christi matrem Sanctosque contumeliosus: Sergius Christi Apostolorum aduersarius, qui & Prophetas odio habuit, & à diuinis literis versus ad fabulas & mendacia se conuertit: Sergius Christi osor, Ecclesiæ perduellis, qui Dei filium conculcauit, & sanguinem Testamenti pollutum duxit, & spiritui Gratiæ contumeliam fecit: Sergius qui pro paracleto se gessit, (& Tychicum se iactauit, qui se à discipulis suis, vt Spiritum sanctum, passus est adorari: Sergius tenebrio) qui se lucidum sidus mentiebatur.

*Sergii hæresiarchæ pater, patria, peruersio. * Græcè Δρύϊνος. A. DCC.X.*

Hæc in Græco reperimus omissa. Scandalo, videtur locus corruptus.

Et quid diutius immoror, nec paucis concludo? At enim opinor, nec ætas omnis eius nequitias commemoranti sufficiat.

Hic itaque Sergius iuuenilibus adhuc annis, Manichææ cuidam fœminæ adhærens in fraudem ab illa erroremque perductus, præcursor factus est Antichristi. Ita nimirum conueniebat, turpissimæ sectæ ministros, vel ex Saracenis genus ducere vel ex seruis, alios ex scortis nasci, alios à fœminis fœdo errore seduci. At ne cui forte videar, immerito illum accusare, res eius exequar sigillatim, primumque exponam, qua ratione miser in hanc hæresim lapsus sit: deinde ex ipsiusmet verbis ostendam, qualis sit, aut potius qualis fuerit infelicissimus.

Hic igitur cum iuuenis adhuc esset, vt dixi, in fœminam quandam casu incidit moribus infamem, sectæ Manichææ. Illa vero diaboli sectatrix, vt callida erat ac subdola, sic iuuenem est allocuta.

Sergius per fœminam perit.

Audio, domine Sergi, te literarum scientia, & eruditione præstantem esse, ac bonum præterea virum vsquequaque. Dic ergo mihi, cur non legis sacra Euangelia? Quibus ille verbis illectus, nec occultum potius intuens nequitiæ venenum, quod latebat, ita respondit. Nobis profanis ista legere non licet, sed sacerdotibus dumtaxat. At ille: Non ita est, inquit, vt putas: nec enim personarum acceptio est apud Deum: * Omnes siquidem homines vult saluos fieri Dominus, & ad agnitionem veritatis venire.

*Obstetricis sollicitatio ac tabernaculi. * 1. ad Tim.*

At sacerdotes vestri, quoniam Dei verbum adulterant, & mysteria occulunt, quæ in Euangeliis continentur, idcirco vobis audientibus, omnia non legunt, quæ scripta sunt, sed quædam omittunt, ne possitis peruenire ad agnitionem veritatis. Scriptum enim in illis est, quod in illa die quidam dicent: * Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? & respondens Rex dicit illis: Amen, amen dico vobis, non noui vos. Scrutare & vide, num ita scriptum sit. Quosnam ergo istos esse putas, quibus Dominus dicet: Non noui vos? Ad hæc stupidissimus homo, cum imperitus & rudis esset, hæsitans tacebat. Et nobis quidem [inquit mulier] Euangelici dicti sententiam in promptu fuerit in hunc modum explicare: Quidam sunt hodieque, qui Christianam vitam colunt, & pie viuere videntur cæterum incantamentis quibusdam, & dæmones expellere, & morbos curare consueuerunt, sicut olim Sceuæ filii, & qui dicebantur Exorcistæ, qui quidem, vt in Actis est Apostolorum, à dæmonibus obsessos adiurabant his verbis: Adiuramus vos per Christum, quem Paulus prædicat: Exite ab omnibus his. Dæmones autem Christi nomine audito trepidi fugabantur.

[Matt. 7.]*

Miraculo insidiarum eleuat serpens perteræ lingua.

Hoc ipsum nunc plurimi faciunt, non animaduertentes se huiusmodi artibus salutis suæ iacturam facere. Clamabunt igitur in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et respondebit Diis, Amen, Amen, dico vobis, non noui vos. Sunt & alii porro, qui in errores prolapsi sunt, ideoque cœlorum regnum minime consequentur. His ne quid in illa die abiusto iudice debeatur, conceduntur hic dona curationum, vt, quando vociferabuntur: Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? audiant pariter: * Amice, non facio tibi iniuriam, accepisti, quæ tua erant in vita tua: nunc tolle, quod tuum est, & vade.

Mat. 10.

Enimuero hæc, aut similia ignorans Sergius, Euangelii codicem euoluit, & verba nactus, quæ infelix illa pronuntiarat: Dic, quæso, ait, de quibus hæc Dominus dicit? Illa autem tum quidem nihil respondit, sed pergens ipsa percontari: Tu vero, inquit, de quibusnam illud à Domino dictum esse censes: * Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorū, filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores? Quinam hi sunt filii regni? Ille vero cum dicere nesciret, hos Israelitas esse, quorum adoptio propria fuerat, & cultus & promissio, quos Christus ipse filios vocat cum Cananææ dicit: * Non est bonum sumere panem filiorum: quique propterea eiecti sunt, quia ipsum Cruci affixerunt: Hæc, inquam, respondere nesciens infelix Sergius, & Mænadem illam salutis suæ ducem se nactum ratus, sollicite cœpit de his omnibus interrogare. Tum vero præclara exitii magistra, cuius os sepulchri patentis instar erat, aperte ausa est aduersus sanctos debacchari, Filii regni, ait, Sancti tui sunt, qui & dæmones pellunt, & hominum sanant infirmitates, quos tu, tanquam Deos, colis, relicto Domino viuente, immortali, quibus vtique die illa iustus Iudex dicet: Nunquam noui vos. Eodemque filo singula percurrens Euangelii verba, & cuiusque vocis sensum, prout capere illum videbat, mirifice deprauans, breui aptum reddidit diaboli instrumentum, ditumque & ipsa contra humanum genus telum exacuit, quale ante illud tempus nullum fuerat.

Luc. 13. *Mat. 15.*

Qui enim hanc præcesserunt, tametsi propter graue intemperantiæ cœnum, fœdaque facinorum inquinamenta, & impias in Deum voces, malitia præcipui, & insignes erant: attamen fugiendi hominibus, & abominandi passim iudicabantur, quo fiebat, vt pauci ab eis in fraudem pertraherentur.

Hic vero reiectis omnibus illorum flagitiis ac libidinibus, blasphemias, velut salubria dogmata, complexus, virtutes nonnullas callide simulabat, pietatisque specie, velut ouina pelle, lupum tegens, pietatis autem abnegans virtutem iis, qui ipsum notant, certissimus salutis ductor videbatur.

Sergii artes ad simplices seducendos.

Æmulabatur enim virtutem improbitas, non secus, ac lolium pro tritico censeri & haberi vult. Atque his illi artibus ac fuco fallunt, & percellunt instabiles: à qua tam perniciosa fraude, fucoque, eruamur omnes precibus ne patrocinio immaculatæ sanctissimæ dominæ nostræ, proprie vereq; Deiparæ & semper Virginis Mariæ, sanctorumque omnium faxit Deus, vt eruamur. Illi enim quoad extremam ad perniciem miseros homines pertraxerint, & nunquam eis illud magnum mysterium suum offerunt, quod est Dei abnegatio.

Sergius more maiorū suorum ex D. Paulo se Tichycū indigitat.

Edoctus ergo ab exitiosa fœmina diaboli propugnator Sergius, cum hæresim altius imbibisset, crederetque omnes homines, qui sinceram & illibatam Christianorum fidem nostram ac pietatem colunt, in pernicie versari: zelo satanico insurgit, & nouus præco fit erroris, cognomentumque assumens Thychici, cuius nomen est celebre in epistolis * Pauli, Pauli discipulum se vulgo iactauit, & ab eo missum ad prædicandum, non Dei verbum, sed hæresim perniciosam.

Ad Eph. 6. Col. 4. 2. Tit. 4. Act. 20. Tit. 3.

Itaque ciuitates singulas, regionesque, in quibus Apostolus veritatis verbum ante octingentos annos promulgarat, impigre circumcursans, multos ab orthodoxa fide auertit, & diabolo adiunxit. Quod ipsemet in quadam epistola gloriatur his verbis. Ab Oriēte, inquit, vsque ad occasum, à Borea ad Austrum cucurri nuncians Euangelium Christi, & genibus meis laborans. Triginta enim & quatuor annorum spatio, ab Irenæ Augustæ Imperio, vsque ad Theophilum Imperatorem persistens conflauit illam, quæ etiamnū obtinet, defectionem, quam Paulus Apostolus Thessalonicensibus prædixerat; quaque iste magnam Ecclesiæ partem grauiter afflixit.

Alios siquidem huius vitæ commodis priuauit, facultatibusque exuit, siue illos spolians bonis, & ante diem perimens, alios etiam æterna spe ac iure deiecit, dum nefariis eius ritibus obsequuntur: multos ille coniuges dissocians, eorum thoros discipulis suis inquinandos obiecit: multos infantes ab vberibus matris rapiens per discipulos suos occidit, partim à genitoribus, Deoque viuente, qui suo eos sanguine redemit, abducens vendidit Agarenis: formosas adolescentulas vnigenitas à parentibus seiungens, barbarorum addixit seruituti; multos fratres & sorores, consanguineosque & amicos separans, propriisque sedibus exturbans, in remotas oras ablegauit; quorum gemitus & lamenta cœli ad vsq; fornices penetrarunt: monachos complures & moniales, quæ virginitatem suam Christo deuouerant, per discipulos suos corrupit, & à monastica vita reuocans, à Deo simul alienauit, Multos denique Sacerdotes & Leuitas ab Orthodoxa religione auellens, & ex ouibus lupos faciēs, hominiuoros esse docuit: Multos in vinculis & custodiis mori coegit, alios inopes reddidit ex opulentis. Et nunc tantorum malorum auctor & artifex adorandus scilicet erit, vt Paracletus, eius namque discipuli cum in eius nomine vota concipiunt, precari sic solent. Spiritus sancti * patrociniuum miserebitur nostri.

Miracula Serg. Manichæi & discipulorum eius.

Sergiorum peccatio.

** εὐχὴ votū patrocinium.*

Mat. 10.

** Hæc Sergii non D. Pauli verba sunt Emenda vocem apud Baron. vbi habes, Colossenses, Coloniensis. Græce est τῆς Κολωνείας Colo-niaRomano tū fuit in Armenia de qua sup dict. vbi Ionnes 3. Episc. floruit, vt habetMenea græca 3. Decembr.*

Veruntamen tantorum iste malorum caussam se esse negabat: Sæpe, inquit, eos monui, & hortatus sum, vt à capiendis Romanis desisterent. Ipsi vero mihi non obtemperauerant. At qui, obsecro, insontem te esse probas? Si enim illi tibi non obtemperabant, cur cum peruicaci populo tibi esse collibuerit? quem regere non posses? cur ad vltimum vitæ tempus cum eis versatus es? Quod Christi vestigia sequi eos docebas, cur & hoc quoq; non docebas, quod Dominus ait: * Cum persequētur vos in vna ciuitate, fugite in aliam? Enimuero coarguam te verbis tuis, atque conuincam (in ea enim epistola quam ad Colonienses dedit, hæc eius verba sunt:) Probationem fidei vestræ præscientes, apud vos commemoramus, quod quemadmodum præcedentes Ecclesiæ pastores magistrosque suscepe runt (Constantinum intelligit & reliquos) ita & vos splendidam facem, & lucidam stellam, salutisque ducem suscepistis, iuxta id, quod scriptum est: † Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.

O ter infelix, omnique scatens impietate: Si Pauli discipulus es, cur magistrum non æmularis? ille seipsum omnium peripsema dixit, abortiuum & minimum Apostolorum; Tu vero, qui tot mala perpetrasti, nihil vnquam recti aut boni egisti, vltra Pharisæum gloriaris. Non legisti, quod in sacris literis prohibitum est. * Qui seipsum commendat, nihil est, etiamsi veradicat? At tu porro cum animo tenebricosus sis totus; quare temere lucidam stellam temetipsum, & splendidam facem, & salutis ducem appellabas? qui tot animas ad interitum adegeras; atque ipsum corporis Ecclesiæ Dei oculum occæcaras? Amens & attonite

Mat. 6.

2. Cor. 10. Mat. 15.

qui cæcus eras, quomodo aliis miser dux salutis extitisti? Non illud legisti? * Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foueam cadunt? Quænam vero illi virtutem tuam æmulabuntur, vt dicere possis: * Imitatores mei estote, & tenete traditiones, quas à me accepistis? En nimirum fidei doctrinæque tuæ fructibus magnam peperisti impietatem.

1. Cor. 11.

Verba Sergii.

Discipuli tui, priusquam te nossent, oues erant, nũc postquam te norunt, aut à te potius cogniti sunt, in voraces hominum feras conuersi sunt, & post alia pauca: * Nemo, inquit, vos seducat vllo modo. Has vero * promissiones habentes à Deo, confidite: nos enim fiduciam habentes in cordibus nostris, scribimus vobis, quoniam imitator & pastor bonus, vt dux corporis Christi, & lucerna domus Dei, ego sum, & vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: etsi enim corpore absum, at spiritu sum vobiscum. De cætero gaudete, perfecti estote: Deus pacis sit vobiscum. * O veritatis hostis, fili diaboli, omnisque nequitiæ architecte: qui talia effati ausus es, æqualem te faciens Deo? Qui enim se exaltat, humiliabitur: & eius, qui seipsum glorificat, gloria nihil est, & qui blasphemat in Spiritum sanctum, ei non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Blasphemauit.

Petri Siculi vox.

Rursum prosequitur Sergius. Sed hæc dico, Ecclesiam quidem, quæ Corinthi est, condidit Paulus, eam vero, quæ est in Macedonia Siluanus & Titus: Quibus verbis Macedoniam appellat, cœtum illum, qui Cibossæ erat, Constantinum autem & Simeonem, Siluanum intelligit & Titum: Achaiam vero, inquit, lustrauit Timotheus, Achaiæ nomine Mananalim designans, & Timothei nomine Genesium, qui reuera Thymotheus. Philippensem Ecclesiam administrauit Epaphroditus; ille nimirum ex scorto natus Ioseph Capratius, qui reipsa potius Aphronetus, Philippenses vero appellat eiusdem discipulos: Laodicensem Ecclesiam ac præterea Colossensium docuit Tychicus. Hic vero Colossenses vocat Argonautas; Ephesios autem eos qui Mopsuestiam, Laodicenses, qui Cynas incolunt, seu Canis regionem, hos autem tres vnum esse ait, & ab vno Tychico eruditos. Vides, quemadmodum sese in Antichristi cathedra magistrũ constituat, atque vt plurimos decipiat, iuxta cuiusque Ecclesiarum Christi, quæ in Apostoli epistolis celebrantur, appellationem, nomina insulse ac stulte locis imponat, quæ multis ante sæculis proprias nuncupationes sortitæ sunt.

Cibossani Manichæis sunt Macedon. Cõstãtinus, Pauli Siluan' Simeon Titus, Genesi' Timotheus, Aphronetus Epaphroditus.

Agedum vero dic, sycophanta, veritatis impugnator, Paulus Apostolus, * qui ab Hierosolymis per circuitum vsque in Illyricum docuit, quomodo solam condidit Ecclesiam Corinthiorum? Quod si Pauli discipuli fuerint, quos commemoras; quandonam ab eo, & quo in loco edocti fuerunt, qui octingentis post annis nati sunt? Cur veritatem oppugnas? nec pudet tot gentes fucatis verbis fictisque nominibus decepisse? Cur hominum gloriam dilexisti & non Dei? Quin etiam ab omnibus recipi postulas, tanquam Apostolus Christi, & Leoni Montano sic scribis: Tu vero caue tibi, ne fidem diuidas inflexibilem. Quam enim habes contra nos accusationem? Num aliquem circumueni? aut superbe egi? non potes dicere, & si dicas, testimonium tuum verum non est.

Ad Ro. 15.

Videtur 4. Euangelistas intelligere. Veteres n. reiiciebant Manichæi.

Mihi vero absit, vt odio te habeam. Solum oro te vt quemadmodum Apostolos suscepisti & * Prophetas, qui quidem numero sunt quatuor, ita pastores & magistros suscipias, ne feris belluis præda fias.

Fornicatio Manichæis beneficium. 1. Cor. 6.

Et alibi rursum ait, prima fornicatio, quam ex Adamo ducimus, beneficium est. Secunda vero maior est fornicatio, de qua dicitur. * Qui fornicatur in proprium corpus, peccat, & pergens: Nos sumus, inquit, corpus Christi: Quod si quis desciscat à traditionibus corporis Christi, hoc est, à meis, peccat, quoniam alia docentes sectatur, & sanis sermonibus non credit.

Dic ergo mihi, impietatis defensor: Quomodo beneficium est fornicatio, quæ & ab ipso, qui mœchatur, post factum damnatur, & ab vniuersa diuinitus inspirata scriptura pro nihilo ducitur, & penitus profligatur? Qui ausus es & propter intemperantiam tuã stupiditatem Domini verba infringere, qui fornicationem ipsam etiam adspectu definiat, cum ait: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam. Tu vero stabilite, vt inanem hominum gloriam aucuperis, & vilia mancipia, incontinentesque homines tibi deuincias, nullam aliam fornicationem esse confirmans, quam cum quis à te, doctrinaq; tua desciuerit. Quibus ergo habenda est fides? iisne, qui à veritate ducuntur, an iis, qui à te plano & fallaci veritatis inimico?

Mat. 5.

Hæc itaque pauca de multis eius impie dictis collecta hoc loco protulimus ad eius reprehensionem ac discipulorum eius, vt prauus ipsius cordis thesaurus patefiat omnibus & innotescat. Ex abundantia quippe cordis os loquitur.

Mat. 12. Luc. 6.

Cæterum nemo sibi persuadeat aliam hæresim fuisse, quam Sergius docuit, ab ea, quam Manes inuexit: vna enim eademque fuit. Quo vero tempore docere cœpit hic Sergius, cum multos sibi discipulos coparare studeret, & ab Ecclesia Christi quosque passim abducere: bis terque in faciem restitit Baanæ spurio discipulo suo & symmistæ, fictaque pietatis imagine reprehendere illum coram vniuersis auditoribus aggressus est, non fidei nomine, sed propter immania & nefanda eius facinora. At Baanes contra Sergio resistens: Tu nuper aiebat, exortus, & neminem doctorum nostrorum vidisti, cum nullo versatus es: Ego autem Domini Epaphroditi sum discipulus: & sicut ab initio tradidit mihi, sic doceo. Verum enimuero Sergius fœdam hominis colluuiem, quam docebat, detestans, palamque illam incessens, hæresim in duas partes discidit, eosque, qui Baanæ studebant Baanitas appellauit, vt ille contra Sergiotas, Sergii huius sectatores. Post obitum deinde Sergii non ferentes eius discipuli suam ipsorum ignominiam, & probra, quibus passim ab omnibus onerabantur, Baanitis violentas manus intulerunt, vt eorum ab se conuicia abstergerent & delerent. Tum ex Sergii Comperegrinorum numero Theodotus quidam hoc spectaculo indignatus: Nihil vobis ait, & hominibus istis: omnes enim, quoad prodiit magister noster, vnam fidem colebamus, atque ita à cæde facienda destiterunt.

Non est pax impiis.

Baanitæ Sergiotæ.

Depalmant se mutuo.

Michael vero (Rhangabus Curòpalates) Imperator religiosissimus monachus & Leo, qui secundum illum imperauit, cum viderent variis & indignis modis ab hac hæresi Christianos infestari, missis in omnes ditionis Romanæ oras literis: omnes nefariæ sectæ participes necari iusserunt. Quare vt in Armeniam perlatum est regium edictum, ad Thomam Episcopum Neocæsareæ, & Paracordacem Præfectum, occidebantur regio iussu, quotquot morte digni exitii duces reperiebantur. Posthæc quidam è Sergii discipulis, ii nimirum, qui Astati seu instabiles appellantur, præfectum per dolum & proditionem iugularunt, & Cynachoritæ pariter Thomam Metropolitanum, arreptaque protinus fuga Melitenen fugerunt. Erat tum per illam oram Saracenorum (qui Sarden incolebant) Amiras Monocherates. Ab hoc accepto ad habitandum Argeo sedem inibi figunt Astati, & agmine facto in omnibus circumlocis populari, & prædas agere per Romanam ditionem incipiunt. Sergius porro, cum in * Argeo annis aliquot cum discipulis hæsisset, iusto tandem Dei iudicio, securi dissectus, vt qui Ecclesiam Dei dissecuerat, in ignem missus est sempiternũ. Nam Tzamio è Nicopoli castello hominem nactus in monte, qui Argeo imminet, faciendis asseribus intentum, ascia ex eius manibus exorta, & in eum impacta ipsum interfecit. Atq; in hunc modum erepta est vita nouis-

Imo mactã. hic fuit S. Ignatii Patriarchæ pater, qui postea monachũ induit. Theophanes MS. pagina vltima.

Hamar tolus in Michaele 1. Astati, alias fere Manichæorũ magistratum sacrũ & ciuilem occidit. Vid Curopalatam

* Argei

sime & omnium deterrimæ belluæ, anno post orbem conditum sexto millesimo trecentesimo tertio.

Huius discipuli familiariores fuere Michael, & Canacares, & Ioannes Autaros tres hi * sacerdotes, & Theodorus ille, de quo dictum est, & Palilius & Zosimus, aliiq, complures: hi omnes eius discipuli, quos & Compergrinos appellabat, vt synmystæ aliqui, populum vniuersum, qui ad Argeum conuenerat, post Sergii magistri necem, eiusdem & aliorum, qui præcesserant, prauis institutis & placitis corrumpentes, pari omnes inter se in honore fuerunt, nec vnum amplius, vt solebant, cæterorum magistrum designarunt, sed æquali omnes gradu constituti alios sub se sacerdotes habuerunt, qui ab eis Notarii dicebantur.

Per id vero tempus eminebat gentis princeps Carbeas, qui pestiferam plebem illam regens, vsque adeo numerum adauxit, vt eum capi omnes Argeo non possent, mutatis sedibus Tibricam exædificarit, domiciliumque in ea collocarit, vna opera & Melitensium Agarenorum tyrannidem deuitans, & illa sua ab aliorum hominum consortio separatione ad dæmonum ritum propius se componens, studens etiam Armeniæ vicinior esse Romanorumque imperio, nimirum vt eos, qui ipsius nutibus obsequi vellent, hoc sibi magis redderet obnoxios, haberetque ad prædas agendas socios & participes: eos vero, qui parere nollent, venundaret Saracenis. * Romanorum itaque arces quæ ad Pontum sitæ sunt, assidue populabatur, tutum illic ex loci opportunitate profugium & asylum iis instituens, qui per Romanum Imperium ad * mortem propter hæresim istam petebantur. Neque hoc solum, sed delicatiores insuper & intemperantes arcium illarum, quibus vicina erat Tibrica, incolas, proposita talium morum libertate atque impunitate ad se prouocabat & allectabat. Illo igitur adhuc superstite nonnulli ex memoratis sacerdotibus vita migrarunt, alii penitus relicti ac destituti manserunt. Post eius vero mortem excepit rursus pestiferæ gentis tyrannidem * Chrysocheris consobrinus & gener eius, quo regnante nos Tibricam Imperatorum missu venimus, vti duces captiuos permutaremus, quod & * altero anno regni Imperatorum nostrorum Basilii, Constantini, & Leonis, pietate iustitia, magnitudine insignium, peractum est. Ego Tibricæ nouem menses versatus (superstitibus adhuc Basilio & Zosimo, impuris illis Compergrinis, vt eos vocitabant) ea, quæ supra nobis commemorata sunt, accurate perscrutatus, curioseque percunctatus, iussisque sanctissimis piorum & orthodoxorum principum, quamuis indignus & vltimus multa cum cura obsecutus, omnibus palam facere enixe contendi. Atque de his dictum modo satis esto. Posteriores sectas illorum sequentibus libris opitulante nobis postremissimis nomine cœlesti persequemur: Ipsi Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, soli Deo vero, totius naturæ visibilis & inuisibilis conditori, conseruatori ac Domino gloria in omnem æternitatem. Amen.

Men io apud Sesliezã & alios locus in Cappadocia vid. Stephanũ de vrbibus. Mors Sergii Agamẽnonia. A. C DCCCXII * μυρίῳ e auctor appellat, quasi ἀπὸ τοῦ μυρίου ἀπὸ ἱερέως impuras sacerdos sed μυρίου e (ἀπὸ μυῶ & ἱερεὺς consacerdos) consacerdotes. sym mystas valet. Carbeas duxim-pur secta, de quo plura Curopalates. Tibricã condit, quam Tefricam Zonaras, Theophricẽ Curopalates appellat in Michaele & Theodora, quam Basilius Imperator cum omnibus copiis obsessam non potuit expugnare * Curopalates. Zonaras.

* Centum millia interfecta sub Theodora, Curopalates Tibrica facinorosorum receptaculum al. Chrysochar. * Vide Curopalatem in Basilio, qui illum egregie depingit, tandemque victum & occisum gratulatur, tota Manichæorum deleta natione pag 18. Petrus Siculus legatus de permutandis captiuis missus.

CARMINA SALOMONIS EPISCOPI AD DADONEM Episcopum.

AD LECTOREM.

Videndum est an Salomon Episcopus Constantiensis, eius nominis tertius, qui ab Isone Sangallensi monacho eruditus, multa scripsit, quæ Bruschius in Sangallensi & Constantiensi bibliothecis superesse testatur. Adiit Episcopatum anno 891. obiit anno 9 9.

In m.s. Frisingensi hic titulus est: *Versus Vualdrammi ad Dadonem Episcopum a Salomone Episcopo missi.* Sed hunc titulum non huic, sed alteri quod quarto loco sequitur, carmini præponendum esse patet manifeste, vbi Salomon quatuor distichis præfatur se Vualdrammi versus ad Dadonem mittere, & mox alio disticho præfationis loco adiecto, aliud Vualdrammi carmen eidem mittit. Porro hæc primum & tertium carmen esse ab ipso Salomone conscriptum liquet vel ex illo: *Has accipe Dado salutes, Conscriptas tristi a Salomone tibi.*

VERSVS SALOMONIS EPISCOPI ad Dadonem Episcopum.

Incipit Prologus sequentis operis.

Simplex Trine Deus, Genitor, Sate, Spiritus alme,
Quem trinum simple, quem simplum regula trine
Credendum monstrat, fideique capostulat ordo:
In quo personæ triplant, substantia simplat,
Da vorum cordi, sermonibus instrue linguam;
Cymbala labrorum concede vt recte loquantur:
Fac me velle bonum iusteque implere cupitum:
Imbue corda fide, spem dona, confer amorem;
Quæ tria cui dederis, nil habet hic non probitatis.
Sed quod postremum ponit catalogos horum,
Hoc maius reliquis testatur Apostolus esse; — 1.Cor. 13
Vtpote qua cassus non participauerit vllus
Cœnam, quam naro Rege rex fecit opimam;
Et qua multimodi sceleris commissa teguntur; — Luc. 14. 1.Pet. 4.
Qua sine vel largitor opum, vel passio si quem
Insignem reddit, frustratus merce carebit.
Adstipulatur huic Christi sententia verbo,
Qua de mandato scribæ dans dogmata primo: — 1.Cor. 13 Mat. 22
Si præcepti, inquit, magni vis pondera nosse,
Affectu toto Dominum deuotus amato.
Viribus ex cunctis, animaque hunc dilige tota.
Dilige cognatum procurans temet, vt ipsum.
Iussio quæ compar cognoscitur esse priori.
His in mandatis pendet lex atque Prophetæ.
Ex ratione Dei nihil est quod sit par amori,
Et pia virtutes dilectio possidet omnes.
Quid plus? possidet omne bonum possessor amoris.
Nec locus est meriti, si deest dilectio cordi.
Dicere iamque decet, quod Prologus ista figuret,

VERSVS SALOMONIS EPISCOPI.

Dado pater celebris, speculum, via, lumen, & orbis
Discrete antistes, venerande vicarie Christi,

Nauta, gubernator, populorum pastio, pastor,
Qui mihi causa manes, huiusque occasio scripti;
Per quem cœpit opus cuius dulcedine ductus,
Virtutum species & nomina trina notaui.
Cuius amore quidem præfatio lactat amorem;
Bina patum tangens, plus concionabar amore.
Nec contentus eram semel hoc iterare vocamen,
Crebrius id libuit vinclo constringere versus.
Vt quod mortales aptat, iungitque tonanti,
Alterutrum societ synceto fœdere nosmet.
Iunge tuum cor, sancte, mihi, mentemque sacerdos.
Quod cupiam precor. ipse velis, mea concipe vota;
Corpore si nondum, sensu coëamus in vnum.
Quanquam si fieret, si se.... hora potestas,
Vtque à me facies nebulas tua... .....
Credo quidem, nec vana fides, cum complice vultu
Nos contemplamur, cum mutua famina famur,
Plurima pars æstus, quæ cor obnubilat intus,
Exturbata fugit, mentique aurora resurgit.
Parenthesis vt hæc subito surrepserit orsa.
Crede meis........non hoc incuria gessit,
Sed diuisa tui causa est sententia frater.
Namque pedem refero: quæ cœpi dicere, dico.
Si nos omnipotens aliquando acciret in vnum.
Sæpe quod optaui, nunc opto, optauero certe.
Dulcius hoc cunctis argenti, aurique talentis,
Bombice & gemma, blattis, eborique fuisset;
Vt solareris, varia est cui causa doloris.
Et quæ literulis virtutum nomina finxi
Edoctus de te possem cognoscere plane,
Qualiter alta Fides valeat diuellere montes,
Atque maris medio, pelagique immittere fundo:
Quid diuina velit, vel quod dilectio fratris,
Qua de suspensus semper cœlestia sperem,
Casibus in mundi quę me patientia firmet:
Libra qua pendam, veniant si prospera forsan.
Quisquis recta sui conciuis viderit vri,
Ipse modo simili credat sua posse cremari.
Est opus, est inquam caute perpendere causam.
Si Domini, depicta domo, primordia sumpsit,
Litera Tau, nobis impingens signa salutis;
Nec desit fronti quod nos ô subtrahat hosti:
Ezec. 9. Linea quem cingunt, medium pertransiit vrbis
Hierusalem, dans signa gementi, siue dolenti.
Qui gemit atque dolet, Domino signatus adhæret.
Mat. 5. Sic in monte sedens Saluator dixerat ipse:
Felices qui nunc lugent; quia gaudia luctum
Qui citius transit, post hæc æterna sequentur.
Si risus fletu mercandus creditur esse,
Est nobis flendi nimium concessa facultas.
Hinc atque inde satis subrepunt aspera nobis:
Nec simplex mortis facies, nec singula damna,
Sap. 9. Sed sicut Sapiens, se seque sequentia cernens,
Contra insensatos orbem pugnare fatetur,
Doctor Gregorius quod tangit taliter orsus:
Corda prius hominum turbantur, post, elementa.
Iure igitur restat, vt nos simul omnia cædant,
Quæ male sunt vitiis nostris seruire coacta.
Iuste pro Domino vitiatus dimicat orbis,
Vt peccando homines quia se læsêre priores,
Vlcisce nos semet contra illos ipse duellet.
Cœlum, lympha, solum, necnon & cetera rerum
Ordine cum proprio temerata lege recedunt.
Pro Domino pugnant, qui nos hoc more flagellat.
An non peccatis, Paganæ natio gentis,
Quæ mundus fecit, vastans mortalia, vincit?
Hostibus, ecce, Dei qui censebamur amici,
Tradimur in prædam: Ioseph fera pessima mandit,
Israel Allophylus, Iacobus gens Ethnica mactat,
Ingenuos maledicta cohors Chananæa triumphat,
Libertos olim seruulis factio cædit.
Deut. 23 Ferre canis precium templo lex prisca refutat:
Nunc canis ipse domum Christi spurcissimus intrat;

A Dat necibus plebem, vulgo res, ignibus ædem;
At Mensam Domini sacram manus impia scandit;
Tractat pollutus Sanctorum pignora tactus;
Ecclesiæque pecus peregre transducit abactum;
Non miseret patris, nulla est miseratio matris.
Transfigit natum feritas ante ora parentum.
Nec natam redimit, quod mater funera plangit.
Iunior, atque senex, lactens puer, atque puella,
Alter in alterius moribundi cæde volutant.
Instant Italides spoliatæ ciuibus vrbes,
Ac desolati demptis cultoribus agri,
Campi cæsorum siccatis ossibus albent.
Iam puto tot viui non sunt, quot morte peremti.
Illorum vatis dicamus congrua verbis,
Vers. in Arnold. Ante quidem summa de re statuisse Latinos,
Si vellent, fuerat melius, non tempore tali
Cogere concilium, cum muros obsidet hostis:
En quo perduxit miseros discordia ciues!
Sæpe malum hoc illis, si mens non læua fuisset,
B Intestina loqui populorum prælia possent.
Dicunt quippe sues sese mordere solentes,
Ad se mordendum deoses excire luporum,
Pascua nunc gregibus vix porrigit inclyta tellus,
Lasciuire prius de cuius & vbere pauper
Consueuit, sano dum res stetit integra regno.
Nouimus electum vas Christi scribere Paulum,
Galat. 5 Mandere delectat, vel si mordere vicissim,
Alterutrum vobis ne sors consumtio sitis.
Corporis intuitu, tunc mentis cernite visu.
Claret Apostolicus Laurentum sermo ruinis:
Inter se primum ciuili lite furentes,
Barbarico obiecti soluunt commissà furori.
Omne quidem regnum contra se schismate scissum
Destruitur; domuique domus superimminet vltro.
Matt. 12. Cœlum, terra meant, sed firma hæc famina perstant.
Dic frater, dic Antistes, dic sancte sacerdos:
Si constare nequit regnum per dissona separ,
Psal. 132. Quæ sint diuisis metuenda pericula nobis?
C Vnanimes habitare domum Psalmista notauit,
Sed te Sulpiti (ne Gallus id audiat) affor:
Rari sunt nostrum, quorum mens tendat in vnum.
Discordant omnes, Præsul, Comes, atque phalanges,
Pugnant inter se concines conturbulesque:
Vrbica turba strepit, machinantur & oppida bellum:
Quid? non cognatos etiam discordia pungit?
Prouocat in Martem frater, concurrere fratrem
Infremitat sæuitque animis ignobile vulgus.
Omnia legirupis certant mortalia pugnis:
Maiores aliis faciunt nil rectius illis,
Qui defensores patriæ, populique fuisse
Debebant, aliis constant occasio litis.
Nam quorum patres sedabant seditiones,
Horum posteritas acuens exaggerat iras,
Vnius populi cum sit dissectio talis,
Num sic diuisum credis consistere regnum?
Reddimus æternas indulgentissime rector
D Grates Christe tibi, meritosque sacramus honores,
quod non, vt meruit, voluisti perdere mundum.
Olim quippe reis deberes sumere pœnam,
Sed nos portando, vis ad meliora reuerti,
Atque vt pœniteat, quæ quis peccata patrarat.
Namque diu, res si qua diu mortalibus vlla est,
Viximus, atque datum mire transegimus æuum.
Contigit anne vnquam, vel hoc contingere quisquam
Audierat? num tale aliquid aut fama susurrat?
Vt totidem populi, tam multæ denique gentes,
Lustrorum multis tot discurrentibus annis,
Immunes regis habuissent tempora pacis.
Israel vna tribus, quam triuit fusca Canopus,
Cum pes lacte solum mannas, & melle teneret,
Vndique per gyrum ducens ex hoste trophæum,
Illos occidens, ast illos sensibus vrgens,
Postquam diuinæ contemsit fœdera legis,

Irritatque Deum, manuum per facta suarum,
Accidit interdum, Domino plectente reatum,
Vt rex desuerit, duxilioemo fuisset.
Nec mora; quos vincens subiecerat ante * tribunis,
Vincitur ex illis, feruntur & ipsa tributis.
Tunc Ammon, Madian, Moab, Amalechita, Phi'istum,
Illius audaces culpa, vel crimine fortea,
Cædentes cædunt, spoliantes exspoliarunt.
Insuper & dextræ .... . stirps vulnere Iudam
Fulminat hinc Iudas; Beniamin fortiter instans,
Fratribus excisis, dum trudit fluonina sanguis:
Non mirere Pater, si conuiciamur acerbis
Litibus & pugnis, si motus feruea torbis;
Sed mage mira putes, quod non sint funditus omnes,
Et tribus & populi funesto Marte peremti,
Ah, cum non habeant, qui Fac, vel, Define, dicat,
Regia si turmis esset prælata potestas,
Non adeo temere fluitatet mobilis ordo,
Discola nec tantum struxisset factio cladis,
Nec mala conantes eadem, factisque replentes.
Plaxima siue thronum finere nitur adire proborum.
Plura quid his dicam? Deiunt vbicunque regentes,
Disciplina cadit: huc & contraria surgit,
Absque timore quidem nihil esse, loquuntur, honorẽ,
Barbaries quæsita domi, censusque coacta
Christicolum populis, cum rex ioaodauerit illis,
Cœtus Catholicos quia rex non diligit ipsos,
Infra tecta capit, censumque ctuore reposcit.
Principe destituit multo nos tempore languor
*Infantilis adhuc perfungens nomine regis.
Ætas nec pugnæ est habilis, nec legibus apta,
Cui Deus indulget regnis se protoque potiri;
Sed tenerum corpus, ferasque ad fortia vires
Despectum propriis generant, atque hostibus ausum.
Quam veteor, quam sæpe reuoluo. ....
Illius eulogium, qui, væ portepdere genti,
Supra quam iuuenis staret dominatio regis,
Asserit: quod summa salus auertat ab illa
Gente, salutati quæ fonte renascitur illi,
Qui Rex, & Dominus qui scitur & esse Sacerdos,
Qui nec principium, nec finem percipit vllum,
Cuius regna chao, præcellunt iura diebus.
Si non absurdum cuiquam, vel forte molestum
Esset in hoc sapido vellem sermone morari,
Et nouus interpres quiddam mœrore leuando,
Quod ousquam legi de me proferre legenti.
Omnis in annquum qoi eredit ... dierum.
Subditur haud iuueoi ralis deuotio regi.
At vero geores stulte simulacra colentes,
Cum sibi constituunt alicuius imagina icon,
Subdunt se iuueni per inania figmioa regi.
Regem .. .... nouitet sic constituenti
Nobis per iuuenem veniat benedictio regem.
Hæc ego commentus, scriptis non derogo sacris:
Sit rata, quam sapieos prodit narratio, codex
Exemplum nobis, authentica scriptio ponit,
Monstrans non nimium iuuenili ætate dolendum.
Stteouus annorum Iosias rex fuit octo,
Cum primum regno fungi cœpisset auito:
Firmatus vero sensu solidatus, & æuo,
Indeptus plenis maturum robur ab annis,
Zelo feruenti studuit seruire Tonanti,
Instaurat templum, comitque ornatibus ipsum,
Ordinat officium, diuioatione dicatum,
Lege mouet populum, instigat flere reatum,
Scandala dimouit, lucos excindere iussit,
Dauid iter vadit, Domino constanter adhæsit.
En quo profecit, qui pusio regna capessit!
Quis togo nunc iuueni debet diffidere regi?
Dummodo cuncta regens rex regem diligat ipse.
Syncerus certe Samuel, Danielque prophetæ,
Essent ætatis pueri cum forte minoris,
Indicium senibus decernunt, insque gerontis.
Quædam verba meru posui, solamioe quædam,

Vt quem sollicitet formido, spes animaret.
A Æstus hi tales, quos profert pagina præsens,
Tui boque cominiscens diuersis casibus omnes;
Ossa mihi siccant, sensum mœrentis obumbrant.
Accidit & crebro, stupidus cum talia tracto,
Vt sicut Nonnus scripsit, felixque sacerdos,
Hieronymus noster, sanctus, sapiensque Magister;
Interdum proprium fiat mihi nomen * ubolium,
Et niens foris forat, ipsum me deserat intus:
Tunc postliminio deserta cubilia longo
Regrediens...... propriu noua dogmatis hospes.
Quid tu? panis abest æque nec pocula præsto,
Nec focus ardet ibi, nec lectus sternitur ægræ,
Esurit, atque sitit, suffert & oudula frigus;
Quid facis? quo se vertat? quis pauset egenam?
Flet, gemit, & lacrymat, singultat, mussat, & hæret.
Omnia tentanti compunctio subuenit ipsi,
Tali suggestu compellans sana dolentem:
Nocte fores media tandem pulsentur amici,
B Si sit dormiens, vox pernix excitet illum,
Vt lassus terno reci eeiut pane viator.
Nec tibi etede, negat, tantum prex sedula poscat.
Insuper & lympham, largus ubi porrigit vltro,
Qua quis potata sitiens non fuiet vltra.
Hic facis, vt tantum formides frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina n pas.
nec petit argentum, pretium nec postulat vllum.
Qui date sponte docet, gratis, quod poscitur, offert.
Hæc pia niens tristis librans consulta sororis,
Mel super atque fauum hunc talem retur amicum,
Et pulsare fores, aditus iam quærere seruet,
Eius & eloquiis aures aperite frnendis.
Eia age rumpe moras, delectat pergere dicit,
Sed quia non proprio satis est confisa paratu,
Adstruit ecce palam sese ductoria egenam,
Pergere oec quoquam per semet posse fatetur.
Ergo viæ igoaram sustenta, Præsul, alumnam,
Lapsantique manum ductricem porrige quæso.
C Teste loquor Domino, potis est quem fallere nemo.
quod noo pictoris ludo, nec more poetæ,
Fuco fallendi quorum lex traditur vni.
Alter habet iuris poesim componere mendis:
Sed quod verba notant, illud præcordia clamant:
Scribit quodque manus, scriptum mens obtinet intus.
Quæstibus internis suffragia quæritio Patris,
Pandens quanta premunt, manifestans quãta lacessũt,
Vt, pondus proprium quem lassans mergit in imum,
Erectum statuat, cui standi robur abundat.
Cœlipera insonuit sancto quod Apostolus ore,
De me profiteos: Reuera nescius error
Oboubit mentem, crebro fallitque videntem.
Nonne videns fallor? cernens & visibus orbor?
Pauli voce loquor, quid agam non sentio plane,
Ignorans operor, quod noo intelligo factor.
Verset vt in mundo fragili, nunc vtile duco.
Vt quiddam sedem, quod fessum coocutit orbem;
Cogit & officium me iungi plebibus almum,
D Et fratrum propttam cun s postponere curam,
At plerumque subit, quæ sic intentio dicit:
Mundum linque, vaca Domino, sectare quietem,
Tecum disce habites, inimicas desere lites;
Nutat enim mundus fallax & labitur orbis.
Si tu mundanas vis sustentare ruinas,
Inoluent rapidis fors te ruinosa ruinis.
Nititur in vacuum qoi perdit ad vltima nisum.
Ambo saluari si tu, mundosque oequitis,
Erue vel temet: nam solum euadere refert,
Quam perisse duos æque discrimina passos.
Huc ades Antistes, his interpone iudex.
Hæc est summa quidem, quod cœpi scribere pridem:
Pontifices, Regem, quamuis populosque dolerem,
Acrior hæc memet semper mea cura remorder.
Nam me plus æquum, quã quemlibet a bitror borum.
Volnera plus gerens, medicinas expeto plures,

Marginalia: tributariis fecit. — * Intelligit forte Ludouicum regẽ qui cuca ann. 911 adolescens mortuus. — Ratisponæ sepult. — Eccl. 10. — 4. Reg. 22. — 1 Reg. 3. Dan. 13. — * Nonnus Hieronymi. — Luc. 11. — Ioan. 4. — Rom. 14 — Rom. 7. — Phil. 3.

Otia sectari, strepitumque relinquere mundi,
Me lex illa monet, laribus quæ mentis inhæret;
Haec contra pugnat, quæ membris indita constat.
Rom. 7. Heu mihi quam duro solet hæc superare triumpho;
Captiuans miserum peccati lege ligatum.
Inualidæ legis sis ô patrone fauori.
Per te deuincat, per se quæ victa laborat.
Et simul ambiguum de binis effice certum,
Dan. 13. Consilium vt sapiens dubitans Susanna capessens
Mat. 18. Euadat mortem iam libera per Danielem.
Vis, potes, & nosti conseruis auxiliari;
Cui pater ille domus peregre frumenta profectus
Dispensanda dedit, nec gazas condere iussit,
Vbertim binis quas consuluit ipse talentis.
Diuide, dispensa, profer, largire, ministra,
Quod tibi diuina corban descendit ab aula,
Hoc hetos mandat, data dans dare dapsilis optat.
Quanto plus dederis, tanto plus danda mereris.
Arca cluit dando, vacuatur & ipsa negando.
Qui sua derinat, soli sibi flumina seruat.
Hæc exhortando, non te sunt dicta docendo;
Quippe theoretice quem Spiritus imbuit arte.
Aruum iam sitiens, de te desidetat imbres,
Eloqui pluuia squalentia compluere rura.
Disciplina patris mihi sis, compassio matris.

........OR.

Mathitæ fido præsens didascalus esto,
Annuat omnipotens, qui cœli sustinet axes,
Atque grauem vasta terram sustentat abysso,
Ipse tua vt suppar virtute diutius vrat,
Viuere sitque meum, quod te scio viuere sanum.
Funde preces Domino pro me mi frater, idoro,
Et plebi totæ sit prex tua fulcio vitæ.
Dum fruor hac vita, vitali vescor & aura,
Dum sensus sapiunt, dum linguam, ... manebunt,
Te meditor semper, te rumino voce frequenter,
Iugibus & votis, habitare palatia lucis
Te, tibi me iuncto, Iesum precor esse, Valeto.
Hic in calce rogo claudens hoc ..... sigillo,
Vt vinclo fidei, quo vos me stringere noui,
Nostrum Hatbonem, vestrum ligetis eodem,
Et qualem vobis me corde valere velitis,
Talis ei sitis, & plus, quia plura valetis;
Quos vobis fidos & quos habeans amicos.
Ad nostram oro fidem per vos ducantur idem.
Nos vobis equidem ritu faciemus eodem
Nobis concordes, ad vos conuertimus omnes,
Seruaotes legem fidem nihilominus ipsi.

CARMINA SALOMONIS EPISCOPI ad Dadonem Episcopum.

In m. C non est titulus EXimie Antistes, hac accipe, Dado, salutes,
Conscriptas tristi à Salomone tibi.
Sicut lætorum fueras pars ante meorum,
Sic nunc tristitiæ pars, Pater, esto meæ.
Gaudenti congaudere, & cum flente dolere
Rom. 12 Scriptio quam dictat, Tarsigena imperitat.
Tempore transacto damnum generale querendo
Quædam conscripsi, Præsul amande, tibi.
Obliqua dolui mundum vertigine ferri,
Mixtim diuersa explicuique mala.
Poscens consilium de te, mi care, malorum,
Singula differui, quæ fuerant oneri.
Casus multorum, sed me nunc obsider vnum,
Et diuersorum me puto fasce premi.
Dum frater vixit, quidquid me durius vrsit,

A Insinuans illi hoc leuius habui.
Hic mihi portus erat, mens huc mea se referebat,
Cum mare iactaret, meque salum quateret,
Hic baculus lasso, fuit hic medicamen & ægro,
Istuc dum viguit, nil mihi triste fuit.
Esto, iam fuerit; sed cum fuit ille, subegit:
Cum perpessus eram: nil patiens fueram.
Quis dat aquam capiti, cui præsto est causa dolendi?
Cui plorare quidem, multaque flere libet.
Dicite queis lacrymis dolitum sit funus Abelis,
Cum protoplasti hunc gemuere mori.
Quos luctus Adam, vel quem das Eua querelam,
Cum quis plus placuit fratre necatus obit?
Amplius ipse quidem defunctum lugeo fratrem:
Nam vice susceptus progeniem sobolis,
Seth vobis veniens fletus detersit inanes; Gen. 4.
At semel amissus non venit ille meus.
Ipse Iacob luxit, quod Ioseph obisse putauit,
Quamlibet vndena stirpe cluat genitor. Gen. 37.
B Ast mihi queis lacrymis est flenda erepno fratris,
Beniamin nullus cui superest alius?
Rachel docta doce mea me contraria flere, Jer. 31.
Quæ consolantes spernere mœsta soles. Luc. 2.
Elige lege tua solamina sumere nulla:
Hoc vlulatu omnem continuare diem.
Rex Dauid planxit, pulchet quia natus obiuit,
Seque insectantem flet genitor sobolem. 2. Reg. 18.
Hic nisi quod libuit nunquam mihi funditus egit,
Et quamuis bini, mansimus vnus homo.
Quæ volui voluit; quæ non, hæc ipse reiecit.
Quo mihi huic similis inueniendus eris?
Si pater hunc flesti, qui sceptrum tollere regni,
Cum vita tibimet stirpe fetox cupiit:
Istum quo planctum digne quo perstrepo luctum,
Qui plane omne suum maluit esse meum!
Pro me sponte suam qui vellet ponere vitam,
Se morti tradens, me superesse volens.
Vt legitur literis animalibus esse beatis,
C Si starent oculi ante, retroque mihi;
Tot non sufficerent, quantum mihi flere liberet, Ezec. 1.
Quamlibet intra me flumen & esset aquæ.
Hieremiæ sancti me deploratio libri
Corde tenus tangit, vtque propheta gemit,
Ecce querelosis sit fas mihi dicere verbis,
Dixit vt arctatus, Christe, Sophista tuus.
De me magnificos tuleras sanctissime cunctos,
Et teris electos cum ditione meos. Thren. 1. 15.
Ipse ideo plorans lacrymarum duxero lymphas,
Solator longe quod mihi factus abest.
Sum vir ego certe, qui iam contemplor abunde,
Cernens ærumnam pauperiemque meam.
Hic volo, quem scribit, quemq; ipse Theologus addit,
Ad me solandum ponere versiculum.
O tua sancta satis Domine est miseratio grandis, Apoc. 14.
Quod non consumus falce metente sumus.
Rhetoris eximii, sed fabor voce Seueri: Sulpitius Seuerus.
D Impetitare mihi quin doleam nequeo.
Hæc eadem posuit prædictus famina scriptor,
Martini sacrum commemorans obitum.
Discipuli Paulum narrantur plangere viuum,
Ex his disiunctus cum petiit pelagus
Plangitur anne magis disiunctus vortice mortis,
qui pelagus petiit, quo ..... non rediit? Act. 20.
qui reuocare valet te, pro te, Lazare, defleт.
Ergone iure gemit; qui reuocare nequit?
Turba beatorum Messiæ discipulorum,
Cum se prædixit vadere, mœsta fuit. Ioan. 16.
Hæc, inquit, dicens: scio vos existere tristes:
Sed vobis multum proderit ire meum.
Si sic discipuli Iesu sunt mœstificati,
Cum sibi profuerat hic quod ad alta meat:
Cui multum petiit, quod frater earus abiuit.
Creditur has lacrymis posse carere genas?

Iam solare pater me, te precor, indigus, æger.
Lassum vt sustentes, vox iubet alma tibi.
In sortem cecidit tibimet plaga climatis austri,
Debes, qui fugiet, pane cibare tuo.
Ad te confugio, pastum partire misello;
Panis egestate ne moriatur inops.
Causa mihi restat, quæ.... cor turbine sanat,
Funere fraterno, qua reuelabor ego.
Illud eum recolens...... animæquior exsto.
Quod, cum migrarat, Pontifices aderant;
Cum quibus ipse suum pertractans sæpe recessum,
Res discessuri ordinat ipse sibi.
In mundum vt venit, sic nudus pœne recessit,
Qui præ se misit omne, quod hic habuit.
Cumque diuturno coquerentur membra camino,
Vltima vix tenuis hæserat osse cutis.
Tunc igitur veterem deponens martyr hominem,
Cœlo reddiderat, quod Deus inde dabat.
Hanc dixi causam mœsti lenire querelam,
Quam me fraternus cogit habere obitus.
Insuper hoc certe, quod Patres constituêre.
Quos Dominus iunxit, quando beatus iit.
Denique commoti tractare pericula mundi,
Casu quem cernunt cauinus incipiunt.
Tunc sanxêre diem fieret quæ SEPTIMA fratris
Omnes perficere cum * prece si Agape.
Sic cum veniret quæ lux TRICENA maneret,
Ritu consimili hanc statuere coli.
Annuus vtque diem circus reuocabit eundem,
Rursus agunt precibus hoc pietatis opus.
Præsul eum reliquis & tu reminiscere fratris.
Cui viuens fidit, fisus & ille fuit.
Pectore syncero nos tener amauimus ambo,
Vnice confisi extitimusque tibi.
Ambo germani te poscimus auxiliari.
Hoc mihi succurris, si memor eius eris.

Esai. 58. 3. Reg. 5.

Fort. cum precib. Agapen.

Luctu communi, hunc flet ab orbe rapi.
Vera manent certe quæ scribit canna poëtę,
Qui cum perspexit acria, mortis, ait:
Aspera conditio, & sors irreuocabilis horæ,
Quam generi humano tristis origo tulit.
Cuius quod sequitur lauta ratione politum,
Vt relegas Domine, hic libet inserere.
Ecce hoc triste nefas nobis genuêre parentes,
Cœperat vnde prius, hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miserando vulnere cæsus,
Ac fraterna sibi ....
Post quoque Seth obiit, sub Abel vice redditus isdē,
Et quamuis redijt, non sine fine fuit.
Quid Noë memorem laudatum voce Tonantis?
Quem grauis arca tulit, nunc grauis arca premit.
Sic quoque Sem, & Iaphet iustissima proles.
Sancta & progenies, tale cucurrit iter.
Quid Patriarcha Abraham, vel Isac, Iacob quoque dignos?
Cum de lege necis nemo solutus adest.
Melchisedech etiam Domini sacer ore sacerdos.
Iob quoque, seu geniti sic abiêre sui.
Legifer ipse iacet Moses, Aaronque sacerdos,
Alloquioque Dei dignus amicus obit.
Successorque suus, populi dux inclytus Iesus,
Quos legitis libris occubuêre patres.
Quid Gedeon Samsun, vel quisquis in ordine Iudex,
Mortem sub Domino Iudice nemo tulit,
Israëlita potens Dauid Rex, atque propheta:
Et situs in tumulo cum Salomone suo.
Esaias, Daniel, Samuel, Ionasque beatus,
Viuens sub pelago, stat, modo pressus humo.
Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
Quamuis celsæ animę, corpora terra tegit.
Semine ab humano cui nullus maior habetur
Vir Baptista potes, ipse Ioannes obit.
Enoch, Heliasque hoc adhuc spectat vterque,
Qui satus est homine est, & moriturus erit.
Ipse creator ouans cito surgit Christus ab vmbris;
Hic quia natus homo est, carne sepultus humo,
Quis rogo non moritur, mortem gustante salute?
Dum pro me voluit sic, mea Vita, mori.
Ergo quid hinc facimus, quod declinare nequimus,
Cum nihil auxilij possumus esse rei?
Ploramus, gemimus, sed nec prodesse valemus,
Luctus adest oculis, est neque fructus opis.
Viscera torquentur, lacerantur corda tumultu:
Sunt cari extincti, flendo cadunt oculi.
Ecce vocamur amor, nec iam reuocatur amator,
Nos neque iam repetit, quem petra mersa tegit.
Ibimus ergo omnes alia regione locandi,
Ibimus ad patriam, quos peregrina tenent.
Ne venerende Pater, ne casu,.... esto...
Non hunc flere decet, quem paradisus habet.
Quod iubet omnipotens, nō possumus esse rebelles,
Forte Deum contra est, illius acta dolens.
Illius ecce simus figmentum, & spiritus inde est:
Cum iubet hinc imus, qui sumus eius opus.
Accipe solamen, quod scis spondere creantem:
In me qui credit, non morietur ait.
Spondet adhuc etiam, nullus cui detrahat vnquam:
Quæ duo deposcant, vt sibi danda sciant.
Si duo de vobis votis concordibus, aiens,
Implorant aliquid, hoc pater ipse dabit.
Si possint rari Domino præstante mereri,
Quæ precibus poscunt; quid numerosa queunt?
Turba sacerdotum, monachorum corpus inerme,
Nonnæ cum viduis, pauper, inopsque phalanx,
Clerus cum vulgo, vilis cum diuite summo,
Cum maiore minor, cum puero senior.
Commendant animam Iesu cum questibus ipsam
Fratris germani, Domne beate tui.

Ioan. 16. Ioan. 8. Matth. 18.

SALOMONIS EPISCOPI Tetrastichon, quo Carmen Vualdrammi mittit ad Dadonem Episcopum.

In m. s. non est titulus.

HIc tibi scripturam Præsul subiunge legendam,
Quidam * suspirans qua mea damna gemat.
Qui, cum mœrorem ferret mihi plaga recentem,
Primum condoluit, cumque gemente strepit.
Posthæc humanæ proponens debita vitæ,
Me sufferre monet, quæ toleranda manent.
Tu quoq; sic facito, mihi par per vtrumque maneto.
Post fletum tandem me, rogo, fac hilarem.

* Vualdrāmum intelligit.

VERSVS VVALDRAMMI ad Salomonem Episcopum, quos Salomon ad Dadonem mittit.

Huc pertinet iste titulus, qui in m. s. perperam primo carmini additus est: Versus Vualdrammi ad Dadonē Episcopum a Salomone missi.

PLanctus Rachelis plebs mecum lugeat omnis,
Et velut ob Ioseph, Israël ipse dolet.
In campo Magedon fuerat seu luctus Adremmon.
Iosias migrat, sic modo flere iuuat.
Conuenit ecce mihi cuiusdam voce profari,
Cui dolor anxietas, mœror & intus erat,
Carmina qui quondam studio florente peregi,
Flebilis heu mœstos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camœnę;
Et veris elegi fletibus ora rigant.
Quis rogo, non luget: quis se plangore coërcet?
Cum qui letitiam amplificabat abest.
Qui faciem placidam reminisci quiuerit illam,
Non lacrymas fundens, nonque dolore madens?
Nobilis, ingenuus, primas, mediocris, egenus,

Ierem. 38. Gen. 37. Zach. 12. Ad Adremmon. 2. Paral. 35. Ouid.

Auct. M. Biblioth. Patrum Tom. 2.

DISTICHON SALOMONIS, QVO SEQVENS CARMEN ad Dadonem mittit.

RVrsus, sancte pater, tua me dilectio cogit
Scribere doctiloqui verba perita viri.

VERSVS VVALDRAMMI ad Salomonem, quos Salomon ad Dadonem mittit.

ESto virile decus, patienter vince dolores,
Quod non vitatur, vel toleretur onus.
Talis erit populus, qualem te viderit esse,
Deque tua facie plebs sua vota metit.
Denique Iob natos septem vno triste sub ictu
Amittens, laudes retulit ore Deo.
Femina bis felix pia mater Machabæorum,
Natos septem vno funere læta tulit.
Dauid Psalmigraphus cum natum amisit amatum,
Mox tumulo posuit, prandia festa dedit.
Hæc girata manu, necnon perceosita censu,
Fors mœrore tuum, domne, leuant animum.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM QVÆ

in hoc secundo Auctuarij magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum & scriptorum Ecclesiasticorum volumine occurrunt.

A.

Index Tomi Secundi

Index Tomi Secundi

Saba-

B.

C.

in

D

2

E

F.

G

H

Ioachim

L

M

N

Prog e

Q

R

X

Z.

INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVI in hoc secundo Actuarij magnæ Bibliothecæ veterum Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum volumine afferuntur, & explicantur.

EX VETERI TESTAMETO ex Gen.

EX EXODO.

EX LIBRO IOSVE.

EX LIBRO I. REGVM

EX LIBRO II. REGVM.

EX LIBRO III. REGVM.

EX CANTICA CANTICORVM.

EX LIBRO SAPIENTIAE.

EX ECCLESIASTE ET ECCLESIASTICO.

EX ESAI PROPHETA.

EX PROPHETA HIEREM.

EX NOVO TESTAM.

EX EVANGELIO MARC.

EX EVANGELIO IOANNIS.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

EX EPISTOLA SECVNDA AD CORINTHIOS.

EX EPISTOLA AD GALAT.

EX EPISTOLA AD EPHES.

EX EPISTOLA AD PHILIPP.

EX EPISTOLA AD COLOSS.

EX EPISTOLA AD THESSAL.

EX EPISTOLA AD THESS.

EX EPISTOLA AD TIMOTH. I.

EX EPISTOLA AD TIMOTH. II.

EX EPISTOLA AD TITVM.

EX EPISTOLA AD HEBR.

EX EPISTOLA CATH. IACOB.

EX EPISTOLA PETRI. I.

EX EPISTOLA PETRI II.

EX EPISTOLA IOAN. I.

EX EPISTOLA IOAN. I.

EX APOC. IOAN.

FINIS.